2/

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
35 P
20
ROMA





FERDINANDI QVIRINI DE SALAZAR, CONCHENSIS,

E' SOC. IESV THEOLOGI, ET IN COLLEGIO COMPLVTENSI SS. LITERARVM INTERPRETIS

EXPOSITIO IN PROVERBIA SALOMONIS.

TOMVS ALTER.

Cum triplici Indice, Rerum & Verborum, S. Scripturæ, & pro Concionatoribus.

Editio postrema quauis alia priori correctior.



LVGDVNI,
Ex Officina IOANNIS PILLEHOTTE.
Sumptib. IOANNIS CAFFIN, & FRANCISCI PLAIGNARD.
M. DC. XXXVI.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM

D. ANDREÆ PACIECVM ET GYRON, EPISCOPVM CONCHENSEM,

Philippi III. Indiarum, atque Hiſpaniarum Regis, Conſiliarium digniſſimum.

EDITANTI mihi hunc Sapientis poſt hominum memoriam clariſſimi librum commentationum mearum monumentis haud nihil illuſtratum in lucem mittere, ILLVSTRISSIME ANTISTES, tu vnus ex omnibus occuriſti, cui hos qualeſcunque ingenij mei fœtus, & labores dedicarem, vt nominis tui lenocinio commendati poſterorum omnium manibus ſtudioſiùs peruoluantur. Et verò cui potius Principem diuino Salomonis penicillo depictum, ſummaque gratia, ac pulcherrimis virtutum omnium ornamentis perpolitum dedicarem, quàm illi Principi, in quo tot Virtutes certatim eluceſcunt, quot exiguis Hiſpaniæ finibus minimè potuerunt cohiberi, quo minus eximios gloriæ ſuæ radios in exteras nationes, totumque terrarum orbem longiſſimè diffunderent? Nam ſuperioribus quidem capitibus, quæ altero lucubrationum mearum tomo comprehendi, priuatorum mores, vulgique ſtudia, & præſtantem Reipubl. formam Sapiens deſcripſerat: hîc verò Principem depingit, iiſque virtutibus inſtruit, quibus præditum eſſe oportet eum, quem fortunæ calculus rerum gubernaculis admotum ad ſummum mortalis gloriæ faſtigium euexerit. Quæ vel ſola ratio permouere me poterat ad huiuſmodi librum tibi dedicandum, vt quæ virtutes in eo mortuis, quod aiunt, litteris expreſſæ cernuntur, eæ in te ſpirantes, & ad perpetuam gentium imitationem, atque admirationem viuentes viderentur. Tu enim alter nobis Salomon à Deo datus es, in quem omnes vt pulcherrimum virtu-

tum,ac perfectionis orthodoxæ prototypon ora,menteſque conuerterent. Quanquam & alia ratio me perpulit,quòd Salomon(vt alia nomina ſileam,quibus ſeipſum afficit,alterum quidem Idadach in Canticis, alterum verò Coheleths in Eccleſiaſte) Aghur quoque,ideſt,Congregantem ſe vocat in hoc libro cap.30.his verbis: *Verba Congregantis filij vomentis*; & cap. 31. Lamuel; quæ nomina aptiſſimè tibi ob eximiam virtutum, atque eruditionis ſplendorem conuenire videbantur. Quidam enim Salomonem Aghur Congregantem dictum putant ex radidice Hebraïca, quæ triticum euentilatum purumque in horrea conferre adſignificat, quod nimirum maximam doctrinæ farraginem euentilatis errorum paleis præſtanti ſpeculationis, atque experientiæ ſtudio congregarit Tu vero multis ſcientiæ opibus, cum ſolerti in Gymnaſiis ſpeculatione, tum diuturna rerum adminiſtratione congeſtis tantam præcellentis doctrinæ, prudentiæ, atque eruditionis opinionem conſecutus es,vt certiſſimum in rebus dubiis vniuerſæ Hiſpaniæ oraculum eſſe videaris. Alij verò hoc nomen Salomoni inditum putant,quòd plurimos populos è finitimis ditionibus,quæ ſe illius imperio ſubiecerant,excuſſis omnium moribus,& ad antiquæ diſciplinæ ſeueritatem reuocatis congregarit,omnemque perditorum hominum turbam velut peſtilentem paleam è republica eiecerit. Tuam verò in omnibus diœceſeos tuæ oris latiſſimè diffuſis,populiſque ad excellens pietatis,ac religionis ſtudium conuocandis diligentiam quis non prædicat,atque admiratur?cum vicaria aliorum opera, ac ſtudio minimè contentus,loca omnia Prouinciæ tibi à Deo traditæ ſummo corporis, & animi labore obieris:vt de te diœceſes perluſtrãte meritò illa Euangelij verba prædicari poſſint: *cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum.* Quis enim maiorem vnquam curam adhibuit, aut in vindicandis improborum hominum flagitiis, aut præſtanti orthodoxæ Eccleſiæ gloria propaganda, aut virtutum pomæriis proferendis? Tua enim vigilantia factum eſt in Segouienſi primùm,deinde Conchenſi ditione,vt plures inueterata liberioris vitæ ratione relicta ſeſe ad pietatis ſtudium magno animi ardore retulerint. Neque verò deſunt,qui Salomonem ob hoc potiſſimum Congregantem dici putant,quòd quaſi publicę annonę collector ingentes opum aceruos non ad explendam animi cupiditatem, atque auaritiam, ſed ad oſtendendam beneficentiam ac liberalitatem congeſſerit, ne ſcilicet deeſſet quod in benemeritos ac neceſſarios perennibus beneuolentiæ riuulis effunderet. Tuam verò in omnes beneficentiam nullis vnquam muneribus, nullóque beneficiorum genere exhauſtam, quæ vnquam poſteritas conticeſcet? Tu enim horrea tua laxaſti, tu ſummas fortunas, & maximam opum vim conuexiſti,non vt Euangelicus ille ad vaniſſima vitæ lenocinia, & voluptates conſectandas, *qui cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam quia non habeo quò congregem.*

gregem fructus meos? & dixit, hoc faciam; destruam horrea mea & maiora faciam, & illuc congregabo omnia bona mea, & dicam animæ meæ: anima mea, habes bona multa in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Claudit autem sermonem Lucas verbis huiusmodi: *hic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.* Sed contra *Deo non tibi diues*, vt collector annonæ publicæ, congregasti quidem multa bona in annos plurimos, non tibi vt comedas, bibas, & epuleris; sed in annos singulos, vt in vulgus pauperum, & cœnobiorum substructiones, aliaque eiusmodi profundas, tibique subtrahas, ita vt in tantis copiis æs alienum quotannis velut sponte succrescere videatur. Neque verò genus suum à clarissimis Iudæ regibus deductum silere potuit Salomon, ratus non minimum sapientiæ, ac sanctimoniæ decus à nobilitatis gloria, & spendore accedere. Itaque amplissimis verbis in ipso operis sui limine *filium Vomentis* sese indigitat; vbi authores præcipua eruditionis laude pollentes, per *Vomentem* Dauid, aut Bersabee intelligi arbitrantur. Neque vllus propemodum locus exstat, in quo nomen suum efferat sine parentum iactantia, & ostentatione, quorum gloriam ac decus sibi ad perpetuam posteritatis memoriam illustrissimum esse credebat: nam in Ecclesiaste quidē dicit: *Verba Ecclesiastæ filij Dauid*, & hic idem obscurioribus verbis repetit; neque alibi huius rei suis, sibique, vt putabat, gloriosissimæ obliuionem vllam calamo patitur obrepere. Omnino digna eiusmodi filio tot naturæ, ac gratiæ ornamentis exculto, tantis sapientiæ opibus affluenti iactantia. Quis verò te meliùs, aut decentiùs gloriari potest maioribus suis, qui Paciecos, qui Gironas, aliosque Heroas summa nobilitatis gloria præstãtes commemorare potes, quorum memoriam per omnes Hispaniæ, sed & mundi totius latissimas oras longè lateque diffusam nulla vnquam annorum vetustas abolebit. Neque verò nomina eorum duntaxat, verum etiam res gestæ in omnium ore summa cum laude ac dignitate versantur, quæ quidem tãta est, vt eorum monumentis, ac insignibus nulla vnquam finem allatura sit ætas. Quamuis enim nihil sit in rebus mortalibus tam stabile ac firmum, quod non aliquando vetustate, & temporum iniuria consumatur; tamen præclara animi ornamēta & virtutes ipsa temporis diuturnitate annisque magis solet efflorescere, vt quantum sæcula superbis Regum substructionibus, & mausolæis detrahunt, tantum virtuti, rebusque domi ac militiæ præclarè gestis adiiciant. At alij filium Vomentis Hebraismum esse existimant, idque nihil esse aliud quàm filium Vomentem, quo nomine seipsum indigitat Salomon, quod post diuturnam rerum mortalium experientiam omnia fortunæ ludibria, & dignitates quasi saturiam fastidiret, ac nausearet. Enimuerò homo sapiens, ad regnum, & summum mortalis gloriæ culmen euectus, ab insita animo prudentia clarissimè cernebat sceptrum & diadema nihil præter *speciosas miserias* esse; quæ si omnibus essent compertæ, plures essent dignitatum contem-

ptores quàm candidati. Si enim illa honorum insignia aureas compedes esse scirent, quibus ambitiosi ad certissimum salutis suæ exitium ac pestem irretiti tenentur, nunquam sane de eadem dignitate duo contenderent: solium situ obsolesceret, diadema fastidiretur, pluraque forsan regna essent, quàm Reges. Atque vtinam mihi in altum laudum tuarum pelagus plenis orationis velis inuehi liceret, dicerem oblatam Archiepiscopatus Hispalēsis infulam clarissimo honore omnium oculos perstringentem, eximia animi altitudine fuisse repudiatam. Dicerem te amplissimos orthodoxæ Ecclesiæ honores contempsisse, quia merebaris, & meruisse, quia contemnebas. Dicerem summam dignitatem esse, non fungi honoribus, sed iis dignum iudicari. Dicerem denique fasces, & gloriæ insignia, inanes dumtaxat esse oculorũ præstigias, quod in illis nihil sit magnificum, nihil admirandum præter hoc, quod hominum vulgus, atque imperita multitudo ea miretur. Mihi verò eximiam mentis tuæ magnitudinem intuenti, minus mirum videtur, quod ea, quæ cæteri mortales tā incenso studio sectantur, reieceris. Scis enim honores, & titulos, & reliqua dignitatum ornamenta, nostro pretio cara esse, suo vilissima: scis vbi vera sit dignitas ac gloria, quæ citra ambitionis labem eximiis virtutibus comparatur, quæ nullis inuidiæ, aut vetustatis telis perstringitur. Nihil enim est ex iis, quæ homines ambitionis æstu inflammati venantur, quod non aliquando obscuret, aut consumat obliuio, solus animus ambitionis, & dignitatum contemptor ipsa temporis vetustate splendescit, ipsamq; posteritatem tacita virtutis admiratione defixam conciliat. Quid quod idem Salomō hoc loco Lamuelem sese nuncupat (id autem *cum ipso Deus*, vel *illius Deus* significat) quo nomine eum mater adblandiens ornasse creditur, nequid vnquam sine diuini numinis afflatu conciperet. Intelligebat enim Heroina præstanti ingenio, maximisque naturæ ornamentis prædita, nihil in rebus humanis non modò fieri, sed ne concipi quidem posse sine diuina ope ac subsidio, in quo omnes mortalium spes, ac successus sunt repositi. Itaq; nihil existimabat in terris præstanti religione erga Deũ, & in eundem fiducia, cogitari posse salubrius aut securius. Neque enim eximia pulchritudinis specie dumtaxat præcellens est & illustris hæc virtus, verum etiam diuinis opibus instructa, & contra omnem rerum humanarum varietatem atque inconstantiam fortis semper & inuicta. Te sanè, Illustrissime Antistes, verum Lamuelem hoc seculo datum esse, Deumque in omnibus semper negotiis tecum fuisse dubitare potest nemo, qui præcellens orationis studium, menteque Deo semper intentam, qui denique Episcopatum tot annis in tanta rerum varietate singulari virtute, ac prudentia administratum nouerit. Quo in munere quanto cum religionis studio, quam insigni pietatis laude versatus fueris, vt ego taceam, vberrimus ipsius pietatis fructus vocē pro me mittit. Mores enim pestilenti vitæ licentia diffluētes

ad

ad Christianæ disciplinæ integritatem sunt reuocati, scelerum libertas compressa, & virtutis studium præstanti Præsulis exemplo in hominum animis excitatum ad omne genus laudis efflorescit. Meritò igitur hoc nomine gloriari potes: neque enim res tanta, quantas viuersa Hispania suspicit ac veneratur, sine insigni diuini numinis subsidio atque afflatu perficere potuisti. Hoc vero maximè est notandum quod Salomon sub hoc nomine diuina Mulieris fortis præconia amplissimis verbis celebrat inde: *Mulierem fortem quis inueniet*, &c. At quis nescit per hanc Mulierem significari Deiparam, omnibus virtutum, & donorum cælestium ornamentis affluentem? fortem quidem, quia teterrimi serpentis caput, vt ait Beda, inuicta virtute contriuit, ac superauit. Hæc enim est singularis illius laus, hoc diuinæ innocentię encomium, piorum laudibus, ac publica gratulatione celebratum, quòd nulla vnquam peccati originalis labe aspersa extitit. Hoc tu Augustissimæ Virginis decus, vt intactum ab omnibus aduersæ sententiæ telis tuearis, summo studio semper enixus es. Hoc incredibili cura, ac sollicitudine apud summum orthodoxæ Ecclesiæ Antistitem, hoc apud Regem Catholicum, omnibus pietatis, veræque virtutis ornamentis clarissimum vrges, vt aliquando debitus honor Beatissimæ Virginis Conceptioni ab omni non modò macula, verum etiam maculæ suspicione remotissimæ. Tuo enim studio ac singulari pietate factum est, vt res perfractis grauissimarum difficultatum repagulis, decreto, quod iampridem summis votis pij expetebant, proxima esse videatur. Hæc autem sollicitudo hæreditaria quadam pietatis successione non ab atauis tantùm, qui Marianæ innocentiæ apprimè studiosi fuerunt, menti tuæ impressa est, sed tum maxima ab Illustrissimo Cardinali Pacieco clarissimo Hispaniæ nostræ sydere (cui ad supremum triplicis coronæ decus, Pontificatum inquam, nihil præter vnius suffragij calculum defuisse dicitur.) Hic enim in Concilio Tridentino graui sententiarum pondere, atque authoritate, effecit, vt benignior sententia, applaudente grauissimo orbis terrarum consessu, de hac controuersia tantis contentionibus agitata diceretur. Tu vide, vt quod illi gloriosissimum fuit auspicari, tua opera ac studio sopitis aliquando tot annorum disceptationibus optato exitu terminetur, vt vberrimum illum gratiarum omnium, ac puritatis fontem ardentiori obsequio, ac pietate veneremur, illamque Deiparæ integritatem, qua nulla maior in rebus humanis cogitari potest, puris animis, ac inflammato studio consectemur. VALE.

FERDINAND. QVIRINVS
DE SALAZAR.

Ad Lectorem.

MVLTA de quibus te (Lector Candide) in huius Operis fronte præmoneri oportebat, habes infrà in Isagoge nostri Commentarij, ex qua libri huius acoluthiam, syntaxim, structuram, & compaginem, & nostrarum etiam lucubrationum formam addiscere integrum erit. Quapropter ad ea, de quibus inibi te edocendum putaui, illud tantùm hîc addere necessarium duxi, priorem hanc nostrorum Commentariorum partem, quæ sedecim prima libri Prouerbiorum capita continet, propterea seorsum à me exhibitam: non quia posterior pars quindecim alia includens necdum perfecta & ad prælum expedita sit: sed quia ad eam cudendam sumptuum satis non suppetebat. Eam tamen propè diem luci dabimus, ita vt polliceri audeam non priùs à te priorem partem vel perfunctoriè lustrandam iri, quàm posterior succedat manibus tuis. VALE.

FERDI

FERDINANDO QVIRINO

In Opus suum absolutissimum,

ODE. DICOL. TETRAST.

QVIS iam superbum carmine garrulo
Tenere finget sydera Romulum?
Quis iam triumphalem QVIRINI
Indigetis celebrabit hastam?
Fallax querela est, nec vagus hactenus,
Summo refulsit Romulus æthere,
Auernus illum, Tartarúsque,
In medijs rapuit tenebris.
Tu verus orbi lumine candido,
Fulges QVIRINVS, tu iubar aureum
Vultu serenas, & iacentes
Luce foues meliore terras.
Noctem nitenti lumine dissipas,
Sacróque vultu sidera reficis;
Tu Phœbus alter sub tenebris,
Ore diem radiósque fundis.
O quale sidus quàm bene pristinum
Præis sereno lumine Romulum!
Te quisque miratur nitenti
In superis radiare vultu.
Sublime nobis, dulcéque posteris,
Opus relinquis; te Deus arduas
Post tot labores, tótque fata,
Indomitum dabit ire in oras.
Sic ære semper vox tua durior,
Nullo senescet diruta tempore,
Sed sæcla vinces, posterique
Te varijs recolent triumphis.

ABRAHAMVS REMY.

In laudem Authoris Epigramma.

DICITVR in Pelago dum volueret vnda procellas,
Nocte subobscurâ clara fuisse Pharos.
Illa olim errantes reuocabat lumine nautas,
Et certum incertos sæpè docebat iter.
Tu Pharus at melior nobis, nam numine summo
Veram in nocte doces primus inire viam.
Ipse etenim solus cælo vestigia figis,
Et dubiam reuocas certa sub astra viam.
Eia age! quis stellas noctisque orientia signa,
Ventitet? en nostro sol nouus orbe micat.

LVD. DOVRLEN.

ISAGOGE
HVIVS COMMENTARII
AD LECTOREM.

DOCTORVM omnium solemni more comparatum est, in cuiuslibet sacri libri aditu, & limine longiori exordio multa de illius authore, materie, ac dignitate præludere; sed quia ipsa libri inscriptio, & titulus, quem Salomon primo in versu operi suo præfixit, hæc omnia non obscurè complectitur, ea certe de his rebus in commentario illius præfabimur, quæ ad Lectorem præmonendum satis esse videbuntur. Quapropter, vt alia missa faciã, in hac Isagoge aliqua de syntaxi, & structura præscribere in animo est: ac decernere, an inter plures eius sententias sit nexus aliquis, ordo, aut cohærentia: an totum opus ex dissimilibus, disparibus, & incohærentibus compleatur. Non vnum hac de re interpretum consilium, ac decretum.

Iansen. Iansenius seriò affirmat, omnes illos, qui huius libri sententias consuere, & in vnum aliquem contextum conflare volunt, frustra laborem, & operam suã impendere: quia dum singula singulis adnectere contendunt, vulgatam lectionem passim violare, sæpius deserere, vim verbis afferre, & multa coacta, & incongrua comminisci solent. Hoc Iansenij iudicium percellit Caietanum, & Rodolphum, qui inter sententias huius libri aliqualem cohærentiam vestigantes vulgatæ lectioni parum deferunt, & pleraque insulsè interpretantur. *Caietan. Rodolph.*

Arbor. Osorius. Alij verò, in quibus est Arboreus, & Osorius, huius libri structuram non in singulis sententiis, & earum nexu spectandam esse docent; sed in toto cumulo: nam licet parabolæ singulæ, à se inuicem exolutæ, & liberæ sint; tamen omnes simul sumptæ, & cõglobatæ cunctas moralis doctrinæ partes absolutissimè tradunt, scilicet ethicam, œconomicam & politicam. Nam maior libri pars, inquiunt, ad Ethicam, minor ad œconomicam, non minima etiam ad politicam spectat. Non alia fuit D. Basilij mens homil. in principium Prouerb. vbi Salomonis consilium in hoc libro paucis complexus ait: *Prouerbiorum liber, instructio morum est*, & omnes deinde virtutes morales enumerans, nullam esse dicit, de qua Salomon absolutissimè non egerit. *Basilius.*

Athanas. Diuus Athanasius in Synopsi lib. 14. Prouerbiorũ telam quandam esse dicit variam, & versicolorem ex parœmiis, strophis, parabolis, & ænigmatibus, tanquam ex liciis quibusdam conflatam: quid autem discriminis inter parœmias, strophas, parabolas, & ænigmata intercedat, ibidem tradit. Libet autem hîc adnotare: *Est autem*, inquit, *dicta parœmia, quod præter vias tales sententiæ conscribi solitæ sint, ad correctionem, & doctrinam eorum, qui itinera conficiebant: præter vias autem scribebantur, propterea quod non omnes veritatis sermones capiebant, vt vel hi, qui in itinere erant, & affixas videbant, quæ scripta essent exquirerent, atque ita erudirentur homines.* Subdit autem parœmiam etiam *parodian* appellari, quasi iuxta viam. Adde Basilium homil. in principium Prouerb. vbi nomen parœmiæ ex via etiam ducit, sed paulò aliter: verba illius habes infrà cap. 1. vers. 1. ex quibus constat, quamlibet sententiam vulgo tritam, & ad vulgus edocendum idoneam, parœmiam appellari. Rursus strophas sic definit Athanasius: *Strophæ sunt illæ, quas, si quis mẽte verset, reserabit, atque inueniet latentem in ipsis sensum.* Itaque strophæ selectiores quædam sententiæ sunt, supra vulgi captum, quas peritiores tantùm callent. De parabolis autem sic scribit: *Dicuntur autem parabolæ sermones, qui velut imagines sunt eorum, quæ dicuntur: ex ipsis namque propter similitudinem, quod dicitur intelligitur.* Ac demum ænigmata sic describit: *Ænigmata verò, & obscuri sermones, ita quidem cautè sunt positi, vt mœrore afficiant, si quis in illos incidat, propterea quod nihil manifesti habent, & ne suspicionem aliquam sensus præbent, vbi verò diligenter inquisiti fuerint, sensum indicant, quem habent.* Singula exemplis illustrat Athanasius. Qui sanè huius libri non vnum filum perpetuum, & nusquam abruptum esse credidit: sed ex quadruplici illo sententiarum discrimine, tanquam ex pluribus liciis compactam, & contextam telam: in qua sunt quidem parœmia, tanquam rudior, & crassior trama, & subtegmen ad imperitos edocendos; strophæ autem, parabolæ, & ænigmata, tanquam subtilius eiusdem telæ stamen, aut tegmen ad exercenda doctiorum ingenia. Ad hæc ipsos etiam colores, & pigmenta iubet obseruare Athanasius: nam tela hæc varia est, ac versicolor, non vnius alicuius disciplinæ colorem præferens, sed quodammodo ex omnibus omnium virtutum doctrinis variegatã, & distincta. *Basilius.* *Athanas.*

Hæc de syntaxi, & structura huius libri antiqui Patres, & interpretes hactenus indagarunt: sed liceat nobis antiquam istam indaginem non tàm deserere, quàm pressis eorundem vestigiis vrgere, persequi, ac promouere. Mihi in primis ita semper placuit inter singulas sententias cohærentiam, & nexum aliquem frustra confingi, vt docet Iansenius; quamuis enim Salomon aliquando binas, ternas, quaternas, & vix plures sententias similes de vna aliqua thesi conflare soleat, tamen filum statim abrumpit, & themata nullo ordine euariat. Rursus cum Basilio item, & aliis sentio in hoc libro tres moralis doctrinæ partes ethicam, œconomicam, & politicam à Salomone absolutissimè tradi: ac demũ assentior Athanasio, opúsque illud ex parœmiis, strophis, parabolis, atque ænigmatibus coalescere pronuncio. Tamen huius libri membra attentiùs cogitationis libra examinans, & inter se curiosiùs conferens, tandem comperi hũc Salomonis librum, eiúsque partes non omninò incohærentes esse, quinimò ex omnibus vnius operis satis elegantem structuram artificiosè coalescere.

Præmittere autem oportet veteres sua conuiuia non

non tantùm ferculorum varietate, sed etiam problematum, & quæstionũ differtis propositionibus condire solitos. Huius rei testimonia ex prophanis authoribus depromere integrum est, Athenæus lib. 10. *Insita*, inquit, *à natura scientiæ cupiditas efficit, vt etiã inter epulas aliquid aut docerent, aut discerent libenter, aut didicisse se ostenderent.* Qui maximam eius libri partem huic materiæ impendit, docens nimirum, qua ratione, & quo tempore problemata in conuiuiis iactare oporteat, ac plures etiam conuiuiales gryphos, seu syrpos, tùm proponens, tùm etiam edisserens. Ad hæc Plutarchus in lib. Symposiacon multis demum argumentis euincit etiam inter epulas esse philosophandum: Macrobius etiam hac de re elegantissimo schemate sic scribit: *Si Philosophia à conuiuiis exulauit, procul indè facessent & alumnæ eius: honestatem dico, ac modestiam, nec minus sobrietatem, ac pietatem. Quam harum dixerint minus venerabilem? Ita fit, vt ab eiusmodi cœtibus relegatis matronarum talium cœtus, libertatem conuiuiorum solis concubinis, idest, vitiis, & criminibus, addicant.* Sed vt prophana missa faciam, morem istum cœnam problematis, gryphis, atque ænigmatibus condiendi ab Hebræis manasse, atque gentes etiam imbuisse credo. Nam seueriora Iudæorum ingenia, ne in compotationibus moderationis, & temperantiæ habenas laxarent, data opera eam consuetudinem in morem inuexerunt, vt aliqua grauiora themata in lautissimis conuiuiis seriò semper disceptarentur.

Hunc Hebræorum solemnem morem, pleráque sacræ Scripturæ loca spirant. In primis Eccles. 34. modus præscribitur, & ordo conuiuii, quem in suis problemat. serendis tenere debent. Nam postquam multa de conuiuij regno, de epularum distributione, de vino, ac musica, dixit Iesus Syrach: de iactandis problematibus sic demum infit: *Loquere maior natu, decet enim te primum verbum, diligenti scientiam, & nõ impedias musicam. Vbi non est auditus, non effundas sermonem: & importunè noli extolli in sapientia tua.* Atque infrà iuniori dictat loquendi tempus, ac modum: *Adolescens loquere in tua causa vix, &c. In multis esto quasi nescius: & audi tacens simul, & quærens. In medio magnatorum non præsumas, & vbi sunt senes, ne multum loquaris.* Hæc autem verba de sermonibus inter epulas miscendis, ac disserendis esse capienda nullus ambigere poterit, qui caput integrum attentiùs lustrauerit.

Ex hoc etiam more lucem afferemus infrà c. 22. illis verbis: *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo:* & perbreui interstitio: *Ne comedas cum homine inuido; & ne desideres cibos eius, quia in similitudinem arioli, & coniectoris æstimat, quod ignorat. Cibos quos comederas euomes, & perdes pulcros sermones tuos. In auribus insipientum ne loquaris, quia despicient doctrinam tuam.* Lege plura in eum locum, in quem multa non vulgaria de antiqua illa consuetudine conferemus. Quid plura? Verba etiam illa difficilia c. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*, ex eo veteri more illustrabimus; &, si Deo placet, illis etiam verbis Canticorum 8. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ ibi me docebis. Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Inde etiam splendorem accersemus. Hæc omnia suis locis à nobis accuratissimè versata, & replicata sunt; atque adeò piget hîc transcribere.

Quod si quæras, cuiusnam generis essent istiusmodi problemata, ac sermones, qui inter epulas iactari, & discuti consueuerunt? Libens dico. Omnes illos sententiarũ modos, aut figuras, quas numerat Athanasius in Synopsi, & ex quibus librum istum coalescere affirmat, in conuiuiis proponi, atque edisseri solitas, scilicet *Parœmias, strophas, parabolas, & ænigmata.* Omnes igitur istos propositionum modos gryphos appellauit Athenæus lib. 10. ac septem gryphorum species recitat; has verò quatuor, illa membrá ab Athanasio præscripta satis coërcent. Parœmiæ igitur primò in conuiuiis iactabantur. Sunt autem parœmiæ ex eodem Athanasio faciliores quædam sententiæ, vel, si licet dicere, triuiales, quas rudes, & indocti capere possint, ex quibus non pauca occurrũt in hoc libro Prouerb. Has verò minimè obscuras, sed apertas, & obuias sententias inter epulas inserere suadet Plutarchus suprà, & rationem optimam attexit: *Decet*, inquit, *quemadmodum vinum, sic etiam sermonem cuius in consortium venient omnes, esse communem, & vulgarem: si quidem obscuras propositiones eiuscemodi qui semper iaciunt, nihilo vulpe, & grue Æsopica in communione videntur benigniores. Fabella sic habet: Vulpes iusa in lato lapide fabas elixas grui conuiuæ apposuit, verùm sine vllo eius emolumento: quippe oris acuminis quoties lubrica admouebantur fabæ, mox elapsæ ridiculam omnibus gruem fecere. At rursus alibi grus vulpi in lagena cœnam apparat, sibi quidem satis idoneam, quod ob colli longitudinem, & exilitatem demittere in decliue rostrum per lagenæ angustias facilè posset, & illinc cibum sumere, atqui vulpecula tali opportunitate destituta, inediam perpeti cogebatur. Haud aliter quãdo Philosophi subtiles, & dialecticas propositiones inter pocula vsurpant, & homines vulgares, qui eos mente sequi non valent fatigant. Illi quidem inuicem in se coniiciunt nugas, sermonésque illiberales, ac putidos.* Hactenus Plutarchus. Qui eruditè admodum rationem obtulit, propter quam nonnumquam parœmias, & sermones triuiales iacere oportet in conuiuiis, ne scilicet hi, qui rudes, & imperiti sunt, dum sublimiora sapientum problemata non callent, inter se nugas scurriles, iocosásque fabellas misceant. Nam ferè ex his, qui assident mensis, non pauci stolidi, & imperiti sunt; imò ita decet, vt in conuiuiis inter doctos, & eruditos rudiores aliqui interserantur. *Nam cùm in tali doctiorum hominum cœtu* (verba sunt Plutarchi) *paucieres quidam indocti consident, hi quidem ex ea consuetudine eruditionis aliquid accipiunt; & sicut mutæ litteræ ex commixtione vocalium in valdè concinna, & dearticulata erumpunt verba; ita rudes isti ex conuictu sapientium sapere incipiunt.*

Plutarch.

Ad hæc *Strophæ* inter pocula proponi consueuerunt, id est, obscuriores aliquæ sententiæ, & vulgi captum superantes, quæ videlicet aliud aliquid sonant, & aliud adsignificant. Ad strophas ergo reuocat Athanasius illa Pythagoræ documenta: *Stateram ne transilias. Cor ne edito. Ignem gladio ne confode. Rectam lineam ducito*; & alia id genus. Quas sententias inter epulares gryphos numerat Athenæus loco citato: & ab aliis symbola appellantur. Dicuntur autem *Strophæ*, à vertendo: ea propter noster vulgatus Eccl. 39. *versutias* conuertit: *In versutias parabolarum simul introibit.* Et sanè apud Latinos etiam *sermonem vertere*, aut *verba versare*, perinde est ac verborum sensum aliqua ratione inuoluere, aut tegere. Sic Tullius 4. de Finib. *Homo*, inquit, *acutus causam nõ obtinens verba versare cœpit.* Sed de hoc nomine infrà cap. 1. vers. 1. Denique ex eo genere sententiarum in prouerbiis Salomonis perplures esse, cum Athanasio docent Basilius hom. in princ. Prouerb. Clem. Alexand. lib. 1. stromatum. & alij non pauci.

Athanas. Athenaeus. Eccles. 39. Tullius. Basil. Clem. Alex.

Rursus *Parabolæ* inter pocula coniici consueuerunt. Sed quamuis hoc nomen latissimè pateat, & omnes in vniuersum vel strophas, vel symbola, vel similitudines, vel ænigmata coërceat, vt infrà dicemus.

mus capite primo, versiculo primo; tamen Diuus *Athanas.* Athanasius in ea enumeratione hoc nomen pressiùs vsurpauit pro his tantummodo sententiis, quæ similitudinem, vel comparationem aliquam cohibent, cuius generis magno numero eueniunt in hoc libro.

Denique in conuiuiis ænigmata versari, atque edisseri solebant. Quid certius lege Athenæum loco citato, vbi multa constat ænigmata ex his, quæ inter pocula enodari, ac discuti solebant. Et quidem illud planè in ænigmatum censum referendum est, quod in nuptiali conuiuio Philistæis replicandum proposuit Samson: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, Iudicum 14. Ille etiam, si placet, Gryphus, aut Syrpus quidam fuit ænigmati adsimilis, quem Christus in extrema cœna obiecit, cùm ait: *Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensa:* quod accumbentes discipulos non parum torsit. Librum etiam Prouerbiorum *Athanas.* ænigmatibus condiri docet Athanasius, & exemplis quibusdam confirmat. Itaque ex dictis constat librũ istum Prouerbiorum ex his certè sententiis totum constari, & contexi quæ in sapientum cœnis iactari, ac versari consueuerunt, videlicet ex *parœmiis, strophis, parabolis, & ænigmatibus.*

Sed vt nostrum de huius libri structura, & filo iudicium feramus, aliquid præterea obseruandum est: scilicet non paucos olim fuisse, qui sermones, sententiásque ad cœnas condiendas idoneas conscripse- *Plutarch.* runt. Horum censum cogit Plutarchus in lib. 1. quæstionum conuiuial. quæstion. 1. Numerat autem Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Speusippum, Epicurum, Pritanim, Hieronymum Agathonem, & Academicum Dionem, quibus etiam annumerandus ipsemet Plutarchus. Quamuis autem pleraque ipsorum opera temporum iniuria interierint; habemus tamen hodie Platonis, Xenophontis, & ipsius Plutarchi conuiuia: (sic enim ipsi inscribunt opuscula, aut libellos, in quos prædictas sententias contulerunt) atque in his non pauca obseruatione dignissima occurrunt.

Primò, omnes isti Philosophi conuiuij aliquem apparatum describunt. In his verò Xenophon ipsammet cœnationem, aut cœnaculum non ineleganter depingit. Plato verò, & Plutarchus instituendi conuiuij rationem addunt. Quamnam? Non aliam certò, nisi victimæ ingentis mactatio- *Plato.* nem. Nam de Agathone, qui in Platonis cœna reliquos inuitat, talis ibi sermo est: *Sequenti die post palmam, sacrificiáque victoriæ gratia ab Agathone celebrata, parato conuiuio, disputatio instituta fuit.* Plutarchus verò sic habet: *Apparauerat Periander epulum, non in vrbe, sed apud Lechæum in cœnatione ad delubrum Veneris, cui sacrum fiebat: Nam post illum matris suæ amorem, quæ vitam abruperat sponte, quia rem diuinam Veneri non fecerat: Tunc primum ex certis Melissæ insomniis in animum induxit eam Deam honorare, & sacrificiis colere.* Itaque illi conuiuio, aut cœnæ, & disputationi in ea institutæ, sacrificium, ac victima occasionem dedit. Rursus Plato Homerici cuiusdam epuli mentionem faciens infrà sic habet: *Cum Homerus*, inquit, *Agamemnonem in re militari strenuum virum finxisset, Menelaum verò mollem: conuiuium celebrante post sacrificium Agamemnone, Menelaum inducit vltrò ad mensam Agamemnonis venientem.* Hæc ille. Et quidem post sacrificium, & victimam Diis libatam, ex ipsis victimæ carnibus splendidissima olim conuiuia exhiberi solita, non solùm apud Gentes, sed etiam apud Hebræos, constabit ex his, quæ dicemus infrà cap. 7. vers. 14. ad illa verba: *Victimas pro salute voui: hodie reddidi vota mea.* Et cap. 9. vers. 2. ad illa: *Immolauit victimas suas.*

Secundò, quia in his epulis inter pocula, & sub poculis theses difficiles, & problemata sublimiora proponebantur; ne mens ex vino ad disceptationem hebesceret, suadetur quidem initio temperantia: sic Plato ex Pausaniæ persona: *Videndum est*, inquit, *ô viri, quo pacto leniùs, suauiúsque bibamus.* *Plato.* Et infrà: *Hæc cum audissent omnes concessere, non ad ebrietatem in præsenti conuiuio, sed ad voluptatem esse bibendum, visúmque est in vniuscuiusque arbitrio fore quantum bibat: neminem verò supra quam vellet cogi.* Et quidem his verbis mutuæ propinationes interdictæ sunt, quibus alii aliis libantes, mutuò se ad bibendum adigere solebant: ne inde alicui supra modum bibenti ebrietas eueniret. Hanc etiam bibendi temperantiam indicit conuiuis Thales apud Plutarchum, & Callias apud Xenophontem, & ex his alter vinum aqua diluere iubet, ne fortè merum conuiuas ad disputandum obtunderet.

Tertiò, in huiusmodi cœnis sapientissimi inducuntur conuiuæ, ac super thesi proposita propria singulis oratio datur: in Platonis conuiuio intersunt quidem Apollodorus, & eius familiaris Glauco, Aristodemus, Socrates, Agatho, Phædrus, Pausanias, Heryximachus, Aristophanes, Diotima, Alcibiades: non tamen omnes de amore loquuntur: (hæc enim erat thesis proposita) sed ex his Phædrus, Pausanias, Heryximachus, Aristophanes, & Socrates de amoris natura perorant: Reliqui tacent, & illos dicentes auscultant. Xenophon in suo conuiuio ex doctis, ac senibus exhibet Socratem, Chritobulum, Hermogenem, Antisthenem, & Charmidem, & his quidem orationem dat: alios verò iuniores miscet, vt dicentes illos, ac docentes audiant. Plutarchus etiam ad suum conuiuium septem Græciæ sapientes euocat; hos verò loquentes inducit, & alios item quosdam mutos interserit, qui illorum dicta, & problemata auribus attentis captant. Expleuit enim suum ipsius præceptum, quo suadet in cœnis indoctos quosdam, & imperitos doctioribus, & sapientioribus interserendos. Exemplo litterarum, ex quibus aliæ mutæ sunt, aliæ vocales: sed ex vtrisque dearticulata, & consona dictio coalescit. Verba Plutarchi supra dedi. Et sanè inter Hebræos id quoque solemne fuit, vt in conuiuiis illis, in quibus senes, ac docti problemata, labyrinthos, strophas, & ænigmata versabant, iuuenes quoque rerum imperiti accumberent, vt constat ex illo loco Eccles. 32. vbi Iesus *Eccles. 32.* Syrach iunioribus his in conuiuio silentium imperat, & seniores auscultare iubet: sic enim se habet: *Adolescens loquere in tua causa vix: si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum: in multis esto quasi nesciens: audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum ne præsumas, & vbi sunt senes non multum loquaris.* De illo autem qui inter epulas primus eloqui debet, sic præscribit. *Loquere, maior natu, decet enim te primum verbum, diligenti scientia.*

His ergo prælibatis de libri structura, & Partibus sic decerno. Liber iste *Salomonis conuiuium* dici, atque inscribi potest: hoc enim ipsa illius series, & ordo suadet. Sanè priora capita vsque ad nonum, exhortationem quandam continent ad sapientiam perdiscendam, atque adeo in his describitur, finiturque sapientia per omnes suas causas, per materiam, per formam, & per finem. Addo etiam ab effectis, eius natura enucleatur, quod adeò perspicuum est, vt in ea re declaranda verba ponere, inanis prorsus labor sit. Hortatur autem Salomon

Salomon ad sapientiam ethicam, hoc est ad cognitionem morum, quæ omnes honestatis, & probitatis partes complectitur, & tota ad benè viuendum spectat; hæc enim huius libri thesis. Vbi autem Salomon hanc thesim proposuit, (qua nulla ad epulas condiendas accommodatior tractatio est, vt docet Plutarchus loco citato) caput nonum sic exorditur: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*, &c. Apposité admodum sapientiam per prosopopœiam quandam inducit conuiuium exhibentem, & viros sapientissimos ad dicendum proferentem. Et quidem hac in re vincit Salomon alios conuiuiorum scriptores Platonem, Xenophontem, & Plutarchum. Ex his enim Plato Agathonem inducit epulas expedientem, & conuiuas vocantem Xenophon hanc curam Calliæ dat. Plutarchus verò Periandro. An non Plato in eo dialogo de amoris natura verba facturus, ipsummet amorem conuiuas vocantem melius induceret? Et Plutarchus de politiæ partibus, scilicet de imperio, regno, & legibus sermonem habiturus, melius etiam ipsammet politiam, & ciuilem disciplinam epulum celebrantem, & exhibentem fingeret: Ego sanè ita reor. Itaque Salomon hac in re omne tulit punctũ. Illa autem verba: *Ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*, cœnaculi fabricam, & elegantiam describunt, vbi sapientia epulum parauerat; de qua elegantia non pauca in eum locum dicemus. Subdit:

Immolauit victimas suas. Conuiuij à sapientia celebrandi, & conuiuas accersendi occasionem aperit Salomon his verbis; non aliam certè, nisi ingentem victimationem; concinitque cum Platone & Plutarcho, qui similem occasionem suis etiam conuiuiis accommodarunt, vt liquet ex dictis. Nulla enim magis decora, & honesta epuli offerendi, & conuiuas cogendi ratio excogitari potuit. Attexit:

Miscuit vinum suum, id est, aqua diluit, ac temperauit: nam cum inter pocula problemata, gryphos, & syrpos versare oporteret, eam ob causam vini temperantiam adhibere operæpretium fuit, ne merum capita tentaret, & ad futuram disceptationem obtunderet. In qua etiam re cum Salomone etiam cohærent Plato, Xenophon, & Plutarchus, vt ex præscriptis satis constat. Subiicit autem Salomon:

Et proposuit mensam suam, idest, publicum exhibuit conuiuium, vulgò *Mesa franca*. Nam sapientia huius epuli apparatrix non sapientes solùm vocat, excipitque, sed etiam rudes, atque imperitos ad cœnam suam accersit. Ita enim fatur: *Si quis est paruulus, veniat ad me: & insipientibus locuta est. Venite, comedite panem meum: & bibite vinum, quod miscui vobis*, &c. Explet nimirum Salomon eum morem, qui in eiusmodi conuiuiis ad doctrinam comparatis obseruari consueuit, vt scilicet inter sapientes, rudes alij, & imperiti assiderent; illi docerent; hi discerent, ac muti doctorum verba captarent.

Quid plura? quemadmodum tres illi scriptores conuiuiorum Plato, Xenophon, & Plutarchus, ex omnibus conuiuiis doctiores aliquos inter pocula loquentes, & sententias suas super thesi proposita promentes inducunt: inter quos Plato singulis, non mutuis colloquiis intercisas, sed perpetuas, & minimè interruptas de amoris natura orationes tribuit: ad eum modum Salomon in suo conuiuio tres eruditissimos viros inter epulas à sapientia oblatas paræmias, strophas, parabolas, & ænigmata iacientes producit, & singulis orationes longiores dat. Hi sunt. Primus Salomon, (nam seipsum primo loco dicentẽ inducit, & cum reliquos sapientia, & dignitate vinceret, sibi etiam longiorem sermonem sumit) huius autem oratio à capite decimo exordium sumit, (hoc enim sic auspicatur:) *Parabola Salomonis. Filius sapiens lætificat patrem*, &c. & quidem seueriùs carpendi, qui priora illa verba, *Parabola Salomonis*, à textu expungenda esse dicunt; quasi postea à Rabinis addita sint: cùm Hebraicę origines retineãt, & non extra textum præscribant: sed cum reliquo verborum tenore conforment. Secundus est Aghur filius Iache, cuius oratio habetur c.30. quod sic infit: *Verba Congregantis, filij Vomentis*, &c. In primitiuis autem legimus: *Verba Aghur, filij Iache*. Tertius est Lamuel, cuius sermo habetur cap.31. cuius exordium est: *Verba Lamuelis regis, visio, qua erudiuit eum mater sua*. Hi sunt istius Salomonici conuiuij docti parœmiastæ, & interlocutores. Atque inde lucem accipit quæstio quædam anceps inter Doctores; quidã enim in eam sententiam discedunt, vt existiment duo illa huius libri capita, videlicet 30. & 31. non à Salomone fuisse conscripta: sed à duobus illis Aghur, & Lamuel, illosque inter vates sacros recensent. Alij, ne præclaras illas sententias Salomoni adimant, addunt illum ea nomina sibi ipsi consciuisse, ita vt Aghur, id est, Congregans, hìc appellatus sit, (quæ admodum alibi Coheleth, id est, Ecclesiastes) propter concionem ad quam sermonem habere fingitur: & Lamuel item, quod interpretatur, *Cum ipso Deus*, propter spiritum prophetiæ. Sed tamen eam quæstionem censura nostra omninò dirimit: dicimus enim librum integrum à Salomone scriptum fuisse (aliud enim sentire nefas est) deindè asserimus duos illos Aghur, seu Congregantem, & Lamuëlem Regem non aliter in hoc conuiuio à Salomone ipso induci, quàm à Platone Socratem, Aristodemum, Phædrum, & alios.

Sed tamen adhuc scrupulus quidam sedet animo, Nam si librum istum à cap. 10. inter Salomonem, & duos illos Aghur, & Lamuelem, quos huius conuiuii interlocutores esse diximus, prædicto modo partiamur: maxima vtique illius pars Salomoni cedit. Nam à cap. 10. vsque ad 29. eius oratio peruenit, ineptè autem vnus aliquis tot simul capita dictasse fingitur. Salomonem ergo ob sapientiæ præstãtiam, & regiam dignitatem, primum sibi locum ad dicendum in hoc conuiuio vsurpasse nuper dixi, & ob eandem rationem longiori oratione vsum animaduerti. Nunc verò aliquid etiam in mentem venit: scilicet huius libri seriem temporis lapsu, & iniuria non parum inuersam. Suadet hoc contextus Septuaginta, qui longè aliter capita distribuit, atque ordinat. Nam verba Aghur, & Lamuëlis cap. 24. interserit, & deinde à cap. 26. redit iterum oratio Salomonis, sic enim habet: *Hæ sunt disciplinæ Salomonis indistinctæ*, & ad finem vsque libri peruenit. Quapropter dum hæc animaduerterem, talis suspicio animum incessit, contextum scilicet, non vt hodie iacet: sed paulò aliter ordinandum. Ita vt Salomon initium quidem conuiuii sibi sumat, scilicet à cap. 10. ac deindè post Aghur, & Lamuëlem peroret. Comprobat hoc initium capitis 25. quod sic auspicatur: *Hæ quoque parabolæ Salomonis*. Quæ verba significant iterum Salomonem sermonem adoriri: Itaque existimo post cap. 24. inseri debere sermones Aghur, & Lamuëlis, ac post illos iterum Salomonem proloqui. Facilè enim id accidere potuit, vt aliquis putans fortasse Aghur, & Lamuëlem à Salomone diuersos fuisse, eorum sermones postposuerit, & posteriores Salomonis parabolas præmiserit, vt hæ cum prioribus eiusdem authoris coirent. Addo etiam aliam suspicionem. Initiũ quidem illius capitis 25. sic habet: *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda*. Ex interpretibus autem nullus non docet extrema hæc verba: *quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda*, extra textum esse, & post Salomonẽ deindè ab-

ab aliis inibi adscripta fuisse : & de his certè alij alia dicunt, quæ nos in eum locum conflabimus. Cæterùm vide, an satiùs sit ita dicere: *quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda*, id est, quas è suo loco in alium transposuerunt Aghur, & Lamuelis colloquia illis subiicientes, ita enim fiet, vt nostram assertionem textus ipse confirmet.

Sed vt alia dimittam, quæ huic nostræ coniecturæ, de conformatione, ac structura istius libri fidem faciunt, ipsamet sententiarum, ex quibus coalescit, natura id satis comprobat. Nam vt suprà ex Diui Athanasij doctrina confecimus, liber iste ex parœmiis, strophis, parabolis, & ænigmatibus coactus est: ipsissima autem sunt, quæ in conuiuiis iactari, & agitari consueuerunt, vt tradit Athenæus: quapropter nulla aptior compago, & structura in hunc librum quadrare poterat. Nam cùm sententiæ illius ex earum genere sint, quæ in conuiuiis proponi, & edisseri solebant, aptissimè Salomô ex illis conuiuium quoddam satis elegans composuit. Ex quo certè fit oleum omninò, atque operam eos perdere, qui singulas huius libri sententias inter se adalligare, & vincire conantur. Nam cùm inter pocula propositæ fingantur, debuerunt quidem ab inuicem solui, atque distrahi. Ita enim suadet Plutarchus in quæstion. coniu. 1. exemplo Platonis inter epulas non admodum serios, prolixos, & inter se valdè cohærentes sermones vsurpandos esse, ne auditoribus tædio sint, ac labori. *Debent*, inquit, *esse quæstiones faciliores, propositiones claræ, & rogatiunculæ breues, ne perstringant rudiores, absterreántque.* Ac de Platone ita subdit: *Vides etiam Platonem in conuiuio, vbi de Finibus, & Summo bono disserit, & planè de rebus diuinis non intendentem probationem, neque acuentem se, & quasi puluere conspergentem, ad apprehendendum more suo, firmius vt eluctari non valeat aduersarius: sed sumptionibus mollioribus, exemplis, fabulisque conuiuas pellicientem.* Plutarch.

Monet igitur ex dictis librum istum nullo alio nomine aptiùs insigniri posse, quàm *Salomonis*, vel *Sapientiæ conuiuium*, aut *cœna*. Quinimò ita sentio Platonem, qui inter profanos scriptores primus conuiuium conscripsit, hoc Salomonis exemplari vsum. Nam cùm pleráque alia ex sacris libris hauserit, & expresserit, vt tradit Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum, verisimile est, conuiuij etiam conscribendi formam, & stilum inde arripuisse. Cui suspicioni fidem facit idem Alexandrinus Clemens in præfato loco; vbi docet pleraque morum præcepta è sacris libris à Platone vsurpata, vel potiùs furto ablata fuisse: sed maximè ex Salomonis Prouerbiis, & Ecclesiaste; ex quo fit hæc opera à Platone fuisse relecta: atque adeò libri Prouerbiorum formâ in suo Conuiuio exprimere, & adumbrare potuisse.

Inde autem ex nomine, ac stilo istius operis eius dignitas, & præstantia non obscurè deprehenditur. Nam si ea, quæ hactenus diximus mente teneas, facilè agnosces omnes illos, qui Conuiuia scripserunt, non nisi grauissimas, & dignissimas theses sub ea Conuiuiorum inscriptione disposuisse; nec vulgari doctrina insignes homines, sed sapientissimos, ac doctissimos loquentes induxisse. Nam Plato in suo conuiuio de nobilissima amoris natura verba facit, & Socrati, aliisque grauissimis sui temporis Philosophis sermonem tribuit. Plutarchus etiam in suo Symposio septem Græciæ sapientes producit, & eorum præcipuas sententias colligit. Sed quod caput est, Christus Dominus præstantissima fidei nostræ dogmata, ac præcepta in cœna, & sub cœnam dedit apud Ioan. à cap. 13. & deinceps vsque ad cap. 18. & sane Christum Dominum in eo sermone, quem sub epulis ad discipulos habuit, data opera veterem morem prouerbia inter epulas serendi tenere voluisse comprobant illa verba, quæ capite 16. post pleráque tradita conuiuis suis documenta subtexuit: *Hæc in prouerbiis locutus sum vobis*, &c. Præmiserat autem plures satis obscuros gryphos, quibus discipulorum mentes torserat, vt apud eundem Ioannem videre licet. Nam syrpus quidam est ille: *Ego sum vitis vera, & vos palmites.* Nec non ille: *Ego sum via, veritas, & vita.* Item gryphis adsimile est illud: *Modicum, & videbitis me: & iterum modicum, & non videbitis me.* Nec non etiam illud: *Mulier cùm parit, tristitiam habet*, &c. Mitto alia. Denique Homerus quoties Deos de grauiori aliqua thesi dicentes producit, eos inter epulas loquentes fingit, vt scribit Athenæus libro 5. vbi Homerum, Platoni, ac Xenophonti facilè præfert. Itaque huius libri dignitatem non ex eo teneamus, quia eius sententias ex his esse dicemus, quæ inter cœnas epulásque inferri, ac iactari solebant. Cùm constet nullum ex his, qui cœnas, & conuiuia scripserunt, aliquid non graue, ac serium valdè sub hisce titulis protulisse; adeò vt Athenæus libro 5. capite 2. Platonem serio admodum incusare non dubitauerit, quod de Alcibiade quædam minus decora in suo conuiuio miscuerit: & Xenophonti etiam id vitio verterit, quod adulatorem nugas quasdam intèr sapientiam serios sermones serentem produxerit: *Quia ista*, inquit, *minime seuericati conueniunt.* Hactenus de libri istius structura quàm attentiùs vestigans nancisci potui. Alia verò, quæ in hoc proœmio delibari debuerant, in primi capitis aditu versabo. Homerus.

Ad extremum Lectorem de quibusdam rebus leuioribus nonnihil monitum velim. Primò, in his commentariis vulgatam lectionem à nobis semper exponi, ac præponi. Item, translationem Septuaginta nunquam non explicari; & tam istius, quàm etiam Vulgatæ, quoad fieri potest, cum originibus, & inter se concordiam vbique quæri. Hæc nostra in omnibus capitibus opera, & industria, cui prætereà aliquid addidimus in cap. 8. & 9. nec non etiam in cap. 31. Nam cùm eorum capitum pleraque verba Virgini Deiparæ Ecclesia per accommodationem tribuere soleat, ne quid in his commentariis desiderares, de sanctissima Domina haud perfunctoriè illa interpretati sumus. Rursus quia hic liber totus ad mores spectat, & multam concionibus materiem suppeditat, sic nostram interpretationem instituere curauimus, vt aliquam ex illa segetem nostri Ecclesiastæ demetere possent, atque ea de causa multa copiosiùs fortasse, & vberiùs, quàm interpretem decebat prosecuti sumus. Vale, amice Lector, & hanc nostram qualemcumque operam, & studium tibi placendi boni consule.

Facul

Facultas Patris Prouincialis.

EGo Ludouicus de la Palma, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum. P. N. Mutio Vitellesco Generali præposito facultatem concedo, vt Commentaria in Prouerbia Salomonis, à Patre Ferdinando Salazar, Societatis nostræ Presbytero composita, ex eiusdem Societatis Patrum Luisij Turriani Cundisalui de Albornoz, & Francisci de Aguado iudicio examinata, & approbata typis mandentur. In quorum fidem, has literas manu nostra subscriptas, & nostri officij sigillo munitas dedimus. Toleti. X. Iunij, Anni M. D. C. XVI.

LVDOVICVS DE LA PALMA

CENSVRA OPERIS.

HOs Commentarios in Prouerbia Salomonis vidi, & quidem perlegi; nec enim semel degustatos, nisi finitos possem amouere. Literam Prouerbiorum intelligit author, & tot, tantaque consona ex Patribus; & Scriptura colligit, vt supra modum studiosos sacræ Scripturæ iuuare possit. Quid quod de B. Virgine ita benemeritum se præbet, vt vix vlla singularis sententia apud Patres possit inueniri, quæ illum lateat? Data in Cœnobio D. Philippi Matritensis, die XX. Nouembris, Anno M. DC. XVII.

F. CHRISTOPHORVS DE OVALLE.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV.

STEPHANVS CHARLETVS *præpositus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Franciæ iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis* HENRICO III. 10. *Maij* 1583. HENRICO IV. 20. *Decembris* 1606. & LVDOVICO XIII. *nunc regnante* 14. *Februarij* 1611. *concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Præpositorum ipsius concessu imprimant*: M. S. *Parisiensi Bibliopolæ permittit, vt librum, qui inscribitur* FERDINANDI QVIRINI DE SALAZAR, *è Societate* IESV, *Expositio* IN PROVERBIA SALOMONIS, *ad sex proximos Annos imprimere ac liberè possit diuendere. Datum Lutetiæ* 20. *Februarij* 1618.

STEPHANVS CHARLETVS.

Facultas

Facultas Patris Prouincialis.

Rodericus Niño Prouincialis Societatis Iesu in Prouicia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reueren. admodum Patre N. Mutio Vitelleschi Generali Præposito, facultatem concedo, vt secundus tomus Commentariorum in librum Prouerbiorum à Patre Ferdinando de Salazar societatis nostræ Præsbytero compositus, & eiusdem Societatis patrum, Francisci de Aquado, Petri Gonzalez de Mendoza, & Didaci de Alarcon iudicio examinatus & approbatus Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas & nostri officij sigillo munitas dedimus, Compluti 26. Die mensis Februarij Anni 1619.

Rod. Niño.

CENSVRA OPERIS.

Secundus hic in Prouerbia Salomonis tomus, à Patre Ferdinando de Salazar Societatis Iesu, cuius examen mihi à supremo Senatu regio demandatum est, primo, aliisque eiusdem authoris lucubrationibus consonat: Nam stylus elegans, figuris varius, plenus sententiis, cum magna rerum varietate, quæ pariter iuuat & delectat, crebri item ex politioribus literis inter scribendum flores, quos inter sacratioris Philosophiæ sententiæ (quibus opus abundat) elucescunt magis & splendent. Nil itaque in eo est, cui casta fides non fidat, quod probi mores non adprobent, quod non doceat sanior doctrina. Deiparæ verò Virginis sic laudes vbique interserit, vt merito dixeris Mariæ Panegyricum. His igitur aliisque Titulis dignissimum censeo vt luce donetur. Matriti 24. Iunij 1619.

F. Franciscus à Iesu de Xodar.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Franciæ.

Alteram hanc partem commentariorum in Prouerbia Salomonis à R. P. Ferdinando Quirino de Salazar ordinis nostri Theologo elaboratam, & à Præposito Prouinciali Toletanæ Prouinciæ approbatam, qui trium Theologorum eam iudicio examinari curauit, Ego quoque Stephanus Charletus præpositus Prouincialis in Prouincia Franciæ, iuxta priuilegium Societati nostræ à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis nostræ hominibus conscriptos absque Præpositorum ipsius concessu in lucem edi curent, permitto vt ad sex proximos annos imprimere ac libere diuendere possit M. S. Bibliopola Parisiensis, cui testimonium hoc chirographo meo subscriptum tradidi Lutetiæ Parisiorum 29. Augusti 1620.

Stephanvs Charletvs.

CAPVT

INDEX LOCORVM SANCTÆ SCRIPTVRÆ, IN HOC OPERE CITATORVM, ET EXPLICATORVM.

Ex Genesi.

Ex Exodo.

Ex Leuitico.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

Ex Iosue.

Ex libro Iudicum.

Ex libro I. Regum.

Ex libro II. Regum.

ei malediceret David, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit. Cap. 20. num. 81.

Cap. 16. num. 32. Cùm autem venisset Chusai Arachites amicus David. Cap. 22. num. 67.

Cap. 18. Et tulerunt Absalon, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis. Cap. 27. num. 17.

Cap. 19. Osculatus est Rex Bercellai, & benedixit ei, & ille reuersus est in locum suum. Cap. 24. num. 114.

Cap. 21. Loquens locutus sum vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Cap. 19. num. 44.

Ex libro III. Regum.

Cap. 2. Positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius. Cap. 27. num. 92.

Cap. 4. n. 5. Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis. Cap. 22. num. 67.

Cap. 10. Regina Saba audita sapientia Salomonis venit tentare eum in ænigmatibus, & docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat, non fuit sermo qui Regem posset latere, & non respondere ei. Cap. 22. num. 116.

Cap. 11. Filio autem eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna David seruo meo cunctis diebus coram me in Hiersalem. Cap. 20. num. 71.

Cap. 15. Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post eum. Cap. 20. num. 71.

Cap. 17. En colligo duo ligna & ingredior. Cap. 30. num. 111.

Ca. 20. n. 11. Non glorietur accinctus aquè ac discinctus. Cap. 30. num. 238.

Cap. 21. num. 13. Et adductis duobus viris filiis diaboli fecerunt eos sedere contra eum. Cap. 19. num. 101. & 104.

Ex libro IIII. Regum.

Cap. 8. Noluit Deus disperdere Iudam propter David seruum suum, sicut promiserat ei, vt daret illi lucernam, & filiis eius cunctis diebus. Cap. 20. num. 76.

Cap. 9. Dixitque Iehu ad Badeber ducem. Cap. 22. num. 104.

Cap. 15. Coniurauit autem aduersus eum Phacees filius Romeliæ dux eius. ibid.

Cap. 21. num. 13. Delebo Hierusalem sicut deleri solent tabulæ, delens vertam & ducam sæpius stylum super eam. Cap. 31. num. 14.

Ex I. Paralipomenon.

Cap. 15. Sanctificamini cum fratribus. Cap. 31. num. 10.

Cap. 27. Achitophel etiam consiliarius Regis, & Chusai Arachites amicus Regis. Cap. 22. num. 67.

Ex II. Paralipomenon.

Cap. 7. Tradam eam in parabolam. Cap. 26. num. 71.

Ex libro II. Esdræ.

Cap. 6. De corde tuo componis hæc. Cap. 17. num. 31.

Ex libro III. Esdræ.

Cap. 4. num. 47. Tunc surgens Darius Rex osculatus est illum, & scripsit epistolas ad omnes dispensatores, &c. Cap. 24. num. 114.

Ex Esther.

Cap. 1. n. 6. Lectuli quoque aurei, & argentei super pauimentum smaragdino & pario stratum lapide. Cap. 25. num. 46.

Cap. 2. n. 9. Et traderet ei partes suas. Cap. 30. num. 191.

Cap. 2. Ducta Esther ad cubiculum Regis Assuere habuit gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni, &c. Cap. 31. n. 202.

Ex libro Iob.

Cap. 5. Cum lapidibus regionum pactum suum. Cap. 22.

Cap. 9. num 25. Dies mei velociores fuerunt cursore, & fugerunt, &c. Cap. 23. num 55. & Ca. 30. n. 187. & 190. & Ca. 31. n. 70.

Cap. 9. num. 30. Pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam. Cap. 31. num. 76.

Cap. 10. num. 58. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint quasi mundissimæ manus meæ, &c. Cap. 28. num. 96.

Ca. 12. n. 91. Quare misero data est lux. Cap. 29. num. 58.

Ca. 14. n. 37. Parata ad tempus statutum. Cap. 25. num. 41.

Ca 15. n. 16. Hæc spes in sinu meo. Cap. 30. nu. 37.

Cap. 15. Qui bibit quasi aquam iniquitatem. Cap. 26. num. 30.

num. 20. 21. & 22. Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius: Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur, non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circunspectans vndique gladium. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem, qui præparatur ad prælium. Cap. 28. n. 2. & 70.

Ca. 15. n. 35. Concepit laborem & peperit iniquitatem. Ca. 21. nu. 71.

Cap. 18. Lux obtenebrescet in tabernaculo eius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur, &c. Cap. 20. num. 76.

Cap. 19. Quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Cap. 20. nu. 76.

Cap. 20. num. 15. Cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud in lingua sua, parcet illi, & non derelinquet, & celabit in gutture suo. Cap. 30. num. 17. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. 31. Cap. 20. num. 12. & 13. Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus. Cap. 30. num. 17.

Cap. 20. num. 26. Omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis eius. Cap. 27. num. 28.

Cap. 24. num. 14. Mane consurgit homicida, & interficit egenum & pauperem, per noctem verò erit quasi fur. Cap. 28. nu. 116.

Cap. 24. n. 1. Oculus adulteri obseruat caliginem dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum suum; & si subitò apparuerit aurora, arbitratur vmbram mortis. Cap. 28. num. 1.

Cap. 27. nu. 3. 4. & 5. Viuit Dominus, &c. quia donec superest halitus in me, spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Cap. 19. num. 22. & Cap. 23. num. 19.

Cap. 28. Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum. Cap. 30. num. 37.

Cap. 31. Si osculatus sum manum meam ore meo, quod est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Cap. 30. num. 68.

Cap. 33. Vt reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viuentium. Cap. 29. num. 58.

Cap. 34. Bibit subsannationem quasi aquam. Cap. 26. num. 30.

Ca. 38. n. 8. Quando erumpebat, quasi de vulua prodiens. Cap. 30. num. 43.

Ca. 38. n. 15. Auferetur ab impiis lux sua. Cap. 29. num. 58.

Ca. 38. n. 36. Quis dedit gallo intelligentiam? Cap. 31. num. 73.

Cap. 39. num. 13. Nunquid alligabis Rhinocerotem ad arandum loro tuo? Cap. 22. num. 87.

Cap. 39. num. 16. 17. & 18. Penna struthionis similis est pennis herodij, atque accipitris, quando derelinquit oua sua in terra, obliuiscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat: duratur ad filios suos quasi non sint sui, Frustrà laborauit, nullo timore cogente; priuauit enim Deus sapientia, &c. Cap. 27. num. 48.

Ca. 39. n. 53. Et vbicunque cadauer fuerit, statim adest. Cap. 30. n. 163.

Cap. 40. Diuident illum inter peccatores. Cap. 31. num. 144.

Cap. vlt. num. 11. Et dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam. Cap. 27. num. 139.

Ex Psalmis.

Psalm. 1. Quod plantatū est secus decursus aquarum. Ca. 25. n. 149.

INDEX LOCORVM

Ls

Ex Ecclesiaste.

Ex Canticis Canticorum.

INDEX LOCORVM

Ex Sapientia.

Ex Ecclesiastico.

Qui

Ex Esaia.

Ex Hieremia.

INDEX LOCORVM

Non

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Ioanne.

Ioan. VIII.

Ioan. VIII.

Ioan. X.

Ioan. XIX.

Ex Actis Apostolorum.

Act. I.

INDEX LOCORVM

Ex

Ex Epiſtola ad Epheſios,

Cap. 2. *Interficiens inimicitias in ſemetipſo. Cap. 20. num 12.*

Cap. 4. num. 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit, prius quidem in inferiores partes terræ, &c. Cap. 30. num. 34.*

Cap. 4. num. 11. *Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos. Cap. 30. num. 34.*

Cap. 4. num. 13. *Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, & quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis. Cap. 19. num. 104. & 105.*

Cap. 4. num. 14. *Vt iam non ſimus amplius paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Cap. 22. num. 95.*

Cap. 4. n. 17. 18. & 19. *Vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ omni, in auaritiam, &c. Cap. 18. num. 10.*

Cap. 4. num. 25. *Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem, vnuſquiſque cum proximo ſuo, quia ſumus inuicem membra. Cap. 19. num. 104.*

Cap. 5. num. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus. Cap. 30. num. 71.*

Cap. 5. n. 18. *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria. Cap. 20. num. 1.*

Cap. 6. *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini. Cap. 19. num. 69.*

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

Cap. 3. num. 15. *Quicunque ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus. Cap. 26. num. 119.*

Cap. 3. num. 16. *Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula. Cap. 26. num. 119.*

Cap. 3. num. 18. *Quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt qui terrena ſapiunt. Cap. 30. num. 69.*

Cap. 87. *Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum & corona mea. Cap. 23. num. 87.*

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

Viri diligite vxores veſtras, & nolite eſſe amari ad illas. Cap. 27. num. 89.

Cap. 4. *Patres nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant. Cap. 19. num. 69.*

Ex Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes.

Cap. 2. *Quæ eſt enim noſtra ſpes, gaudium aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum (Chriſtum) eſtis in aduentu eius: vos enim eſtis noſtra gloria & gaudium. Cap. 23. num. 87.*

Cap. 5. num. 5. *Cùm enim dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Cap. 27. num. 4.*

Ex Epiſtola II. ad Theſſalonicenſes.

Cap. 3. *Audiuimus inter vos quoſdam ambulare in quiete, nihil operantes, ſed curioſè agentes. Cap. 26. num. 104.*

Cap. 5. *Quia dies Domini, ſicut fur in nocte ita veniet; cum enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Cap. 22. num. 127.*

Ex Epiſtola I. ad Timotheum

Cap. 5. *In operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, &c. Cap. 29. num. 68.*

Cap. 6. num. 6. *Eſt autem quæſtus magnus [illegible] cum ſufficientia, habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Cap. [illegible] num. 41.*

Cap. 6. num. 9. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, &c. Cap. 28. num. 101.*

Cap. 6. num. 17. *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo. Cap. 28. num. 37. 131. & 132.*

Qui præſtat nobis abunde ad fruendum. Cap. 6. num. 18.

Cap. 6. num. 18. *Diuites fieri in bonis operibus. Cap. 28. num. 37.*

Ex Epiſtola ad Hebræos.

Cap. 3. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ nihil profuerunt ambulantibus in eis. Cap. 17. num. 72.*

Cap. 4. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Cap. 25. num. 3.*

Cap. 9. *Inquinatos ſanctificat. Cap. 21. num. 10.*

Ca. 10. n. 30. *Mihi vindicta & ego retribuam. Cap. 20. num. 82.*

Cap. 11. *Defunctus adhuc loquitur. Cap. 21. num. 122.*

Cap. 13. *Beneficentiæ ac gratiæ nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Cap. 21. num. 15.*

Ex Iacobi Epiſtola.

Cap. 1. nu. 3. & 4. *Scientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur; patientia verò opus perfectum habet, vt ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes. Cap. 17. num. 18.*

Cap. 1. num 8. *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Cap. 21. num. 14.*

Cap. 1. num. 15. *Concupiſcentia cum conceperit parit peccatum, peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem. Cap. 17. num. 97. & Cap. 21. num. 71.*

Cap. 1. num. 17. *Apud quem non eſt, tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Cap. 22. num. 16. & Cap. 25. num. 44.*

Cap. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide & hæredes regni? Cap. 21. num. 117.*

Ca. 3. n. 2. *Si quis verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Cap. 18. num. 82.*

Ca. 3. n. 6. *Lingua dicitur vniuerſitas iniquitatis. Cap. 17. num. 23.*

Ibid. *Lingua conſtituitur in membris quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna. Cap. 17. num. 23. & 67. & Cap. 20. num. 91.*

Cap. 4. nu. 1. 2. & 3. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis & non habetis: occiditis & zelatis, & non poteſtis adipiſci, litigatis & belligeratis, &c. Cap. 28. num. 130.*

Cap. 4. n. 8. *Purificate corda, duplices animo. Cap. 21. num. 14.*

Cap. 4. num. 1[illegible]. *Ecce nunc qui dicitis hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. Cap. 27. num. 2.*

Ex I. Petri Epiſtola.

Cap. 1. num. 7. *Vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro inueniatur in laudem, &c. Cap. 17. num. 10.*

Cap. 2. num. 18. *Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet*

quis

Ex II. Petri Epistola.

Ex I. Ioannis Epistola.

Ex III. Ioannis Epistola.

Ex Apocalypsi.

CAPVT



CAPVT XVII.

Salomonis.

1. *ELIOR est buccella sicca cum gaudio, quàm
domus plena victimis cum iurgio. 2. Seruus
sapiens dominabitur filijs stultis, & inter fra-
tres hæreditatem diuidet. 3. Sicut igne proba-
tur argentum, & aurum camino: ita corda pro-
bat Dominus. 4. Malus obedit linguæ ini-
quæ, & fallax obtemperat labijs mendacibus.
5. Qui despicit pauperem, exprobrat factori
eius: & qui ruina lætatur alterius, non erit im-
punitus. 6. Corona senum filij filiorum: & gloria filiorum patres eorum.
7. Non decent stultum verba composita: nec Principem labium mentiens.
8. Gemma gratissima, expectatio præstolantis: quocumque se vertit, pru-
denter intelligit. 9. Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero ser-
mone repetit, separat fœderatos. 10. Plus proficit correptio apud pruden-
tem, quàm centum plagæ apud stultum. 11. Semper iurgia quærit malus:
angelus autem crudelis mittetur contra eum. 12. Expedit magis vrsæ oc-
currere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti in stultitia sua. 13. Qui
reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. 14. Qui dimit-
tit aquam, caput est iurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, iudi-
cium deserit. 15. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abo-
minabilis est vterque apud Deum. 16. Quid prodest stulto habere diui-
tias, cùm sapientiam emere non possit? Qui altam facit domum suam, quæ-
rit ruinam: & qui euitat discere, incidet in mala. 17. Omni tempore
diligit qui amicus est: & frater in angustijs comprobatur. 18. Stultus ho-
mo plaudet manibus, cùm spoponderit pro amico suo. 19. Qui medita-
tur discordias, diligit rixas: & qui exaltat ostium, quærit ruinam.
20. Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum: & qui vertit linguam,
incidet in malum. 21. Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec
pater in fatuo lætabitur. 22. Animus gaudens ætatem floridam facit:*

ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. 23. *Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij.* 24. *In facie prudentis lucet ſapientia: oculi ſtultorum in finibus terræ.* 25. *Ira patris, filius ſtultus: & dolor matris quæ genuit eum.* 26. *Non eſt bonum, damnum inferre iuſto: nec percutere Principem, qui recta iudicat.* 27. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt: & pretioſi ſpiritus vir eruditus.* 28. *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.*



CAPVT



CAPVT XVII.
SALOMONIS.

1. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.*

1. ELIOR *est*, &c. Hebr. *Bona buccella sicca, & tranquillitas in ea, præ domo plena victimis iurgij.* Chald. *Melior est panis siccus cum tranquillitate*, &c. Septuaginta, *Melior buccella cum voluptate in pace, quàm domus multorum bonorum, & iniustarum victimarum cum iurgio.* D. Ambros. Offic. cap. 21. *Melior est panis cum suauitate, & pace.* Illa autem verba, *Quàm domus*, &c. in Complutensi, & aliis codicibus sic habentur. *Quàm domus plena multorum bonorum*, &c. Theodot. *Melior est buccella panis per se.* Vulgo *a solas.* Rabbi Samuel Marrochianus in lib. de Aduentu Messiæ locum istum sic extulit. *Melior est buccella panis cum charitate, quàm vitulus saginatus cum inimicitia.* — *Ambros.*

2. D.Thom. in opusculo de Sacramento Altaris, & præfatus Rabbi Samuel, locum istum per accommodationem de Eucharistia interpretatur ad hunc modum. *Melior est buccella sicca cum gaudio*, &c. Sicca, inquam, id est, incruenta hostia, quæ cum summo mentis tranquillæ gaudio sumitur. Vel *sicca*, id est, sola, quasi diceret, *Mal vale el pana secas*, quem fideles Ecclesiæ victitamus, quàm innumerabiles animalium cruentæ victimæ, quibus templum vetus redundabat. Alij quidem legunt, *Melior est buccella exsiccans.* Quæ quidem accommodatissimè in diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum quadrat. habet enim vim exsiccandi carnalium appetitionum humores. Et sane propter hanc exsiccandi facultatem mellitas placentas imprimis salubres esse decernit Galenus in lib. de tuenda sanitate, atque de Eucharistico pane exponunt Patres illa verba Cant. 5. *Comedi fauum cum melle meo. Bibi vinum cum lacte meo.* Quæ Septuaginta sic extulerunt. *Comedi panem cum melle meo*, scilicet mellitum panem. eam lectionem sequuntur, & exponunt de Sacramento Altaris ex Patribus Ambros. Nyssenus, Hieronymus, Theodoretus, Iustus Orgelitanus, & alij. — *D.Thom. Rab.Samuel. Galen. Cant.5.n.2. Ambros. Nyssen. Hieron. Theodor. Iust.Orgel.*

3. Hugo autem Cardinalis, qui etiam verba ista de Eucharistia exposuit, alium sensum expressit hoc modo. *Melior est buccella*, id est, sumptio Eucharistiæ *sicca*, id est, sine potu lacrymarum, & sine pulmento deuotionis, &c. cum gaudio mundæ conscientiæ; *quàm domus plena victimis*, id est, conscientia plena operibus, quibus ipsamet vitia more animalium per mortificationem iugulantur, cum *iurgio*, id est, cum inimicitia Dei. Vel aliter, cum iurgio, id est, cum rebellione carnis. Quasi dicat, alia quidem opera quàtumuis appetitiones, & libidines seueritatis gladio mactent, tamen carnis rebellionem prorsus de medio tollere non possunt. Sola Eucharistiæ sicca buc- — *Hugo.Card.*

A cella impacatos illius motus sedare, pacem, & tranquillitatem afferre valet. *Sicca*, inquam, id est, incruenta, non solum quia in ipsius consecratione, & oblatione nulla cruoris effusio manifesta est: sed etiam quia mactatio vitiorum, ac libidinum, quæ mortificationis opera fit, ad seditiones carnis coërcendas non sine cruore, & sanguinis missione perfici solet, at verò Eucharistiæ acceptæ beneficio caro sine sanguine expugnatur.

Secunda interpretatio est Bedæ, qui per *buccellam siccam* intelligit opera sine doctrina, nimirum *facere, & non docere*, hoc autem satius esse dicit quàm verbi diuini gladio aliorum vitia mactare sublatis B operibus. D. Ambros. loco supra adscripto de eleemosyna exponit: quasi melius sit *siccam buccellam* panis hilari & placido vultu pauperi erogare, quàm eundem splendidissimo, & lautissimo conuiuio excipere, cum exprobratione, & iurgio. Sed tamen hæc accommodatitia sunt. 4. — *Beda. Ambros.*

Litteralis sensus huius loci vestigandus est. Alij igitur gaudium, & iurgium ad conscientiam referunt, hoc modo. *Melior est buccella sicca. Sicca buccella* appellatur solitarius panis, quod vulgo dicimus. *Pan a secas, o a solas*, & Theod. optimè expressit, *Buccella panis per se.* Hæc igitur, inquit Salomon, longè melior est, quàm *Domus plena victimis.* Supra cap. 7. vers. 14. & cap. 8. vers. 2. docui ex victimis splendida conuiuia apud Hebræos instrui solita. C Nam magnam iugulatæ hostiæ partem referebat offerens, vt ex illa domesticos, ac familiares copiosius cibare posset. lege ibi. Itaque sensum sic efformant. Melior est solitarius ac merus panis, id est, dulcius sapit, & suauius nutrit, *cum gaudio*, id est, sine conscientiæ stimulo, seu admorsu; quam mensa copiosissimis ferculis referta, ex malè, & iniustè partis frui. *Cum iurgio*, scilicet conscientia stimulante, & animum exturbante. Cum hac expositione cohæret lectio Septuaginta, aiunt enim. *Melior est buccella cum voluptate in pace, quàm domus multorum bonorum, & iniustarum victimarum cum iurgio.* Obserua illud, *Et iniustarũ victimarũ*, & facilè intelliges hîc de illo conD uiuio agi, quod ex iniustè quæsitis instruitur. Concinit hæc sententia cum illa superioris cap. *Melior est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni, & insatiabiles.* Vide quæ in eum locum coniecimus.

Alij rursus ad externam pacem, & iurgia præmissa verba transferunt, vt sensus sit. Melior est panis merus, & sine pulmento cum gaudio, Hebr. *cum pace.* i. sine lite, & disceptatione acceptus, quàm mensa splendidior, si ad illam obtinendam litibus opus est. Quod perinde est ac si dicat. Melior est tenuis census sine lite acceptus, quàm fortunæ immensæ per lites, & fori strepitum comparandæ, & quærendæ. Potest etiam locus iste de vnius familiæ pace, aut discordia exponi hoc modo, *Melior est buccella sicca*, &c. Nimirum dulcius sapit, ac pinguius nutrit merus panis cum pace, si videlicet inter virum, vxorem, & reliquam familiã pax, gratia, & be- 5.

neuolentia intercedat, quàm mensa lautior, & splendidior, cùm domesticorum animus iurgia distrahunt. Quod perinde est, ac si dicat: Fœlicior, atque beatior est illa familia, quæ in magna rerũ omnium angustia, lætitia, & pace gaudet, quàm ea, quæ in summa fortunarum affluẽtia, dissidiis, atque discordiis distracta est. Nam pax quidem rerum omnium deficientiam cumulatissimè compensat; bellum autem, & discordia augustissima patrimonia, & immensas fortunas in summæ, atque extremæ paupertatis angustias adducit. Quid certius? Norunt id coniuges beneuoli, & discordes.

II. *Seruus sapiens dominabitur filiis stultis, & inter fratres hæreditatem diuidet.*

6. SEruus sapiens, &c. Hebr. *Seruus intelligens dominabitur in filium confundentem, & in medio fratrum diuidet hæreditatem.* Chald. *Seruus prudens dominabitur filio imprudenti*, &c. Septuaginta. *Seruus prudens reget dominos stultos, in fratribus autem diuidet partes.* D. Ambros. Epist. 7. sic scribit. *Denique famulo sapienti multi, vt scriptum est, seruiunt liberi: & est seruus intelligens, qui regat dominos stultos.* producit autem Ambrosius duo testimonia Alterum Eccel. cap. 10. *Seruo sensato liberi seruient.* Alterum ex hoc loco. Aquila, Symmach. & Theod. *Diuidet hæreditatem*, sicut nostra. *Ambros.*

Huius sententiæ germanum sensum non vno modo conformant interpretes. Alij enim illam in vniuersum veram esse contendunt, vt sonant hoc modo, *Seruus sapiens dominabitur filiis stultis*, quia sapientia, quæ illis præcellit, illi dominium naturali ipso iure addicit. Omnis enim stultus natura ipsa subditus est sapienti, & illius obsequio addictus. Vnde Aristotel. Politic. lib. capite tertio, duo seruitutis genera statuit, alterum naturale, alterum legale: ac fieri posse dicit, vt is, qui per leges seruus existit, dominus fit per naturam, illius, cuius seruituti addictus est. Naturalem autem seruitutem, & dominium explicat Philosophus exemplo corporis, & animi. *Nam animus* (inquit) *in corpus dominium habet, & imperium, eodem modo necesse est, & in singulis hominibus esse: quicumque igitur distant tantum, quantum animus à corpore, hi natura ipsa serui, ac domini sunt. Itaque quorum est opus in corporis vsu, & hoc est in eis potissimum, hi sunt natura serui, quorum autem opus potissimum in mente, & ratione est, hi sunt natura Domini.* Hactenus Aristot. cuius testimonium elegantissimè euincit sapientem seruum ipso iure naturæ in filios ingenuos, atque in ipsos etiam dominos imperium, dominiumque sortiri, quibus non aliter eminet, ac superior est, quàm anima corpori. Hinc autem fit, vt quemadmodum corpus ab anima impellitur, ac regitur, sic etiam sæpius, sed sapientis arbitrio, & nutu, dominus parum sapiens, regatur, ac gubernetur; quod passim euenire solet propter seruorum prudentiam, & dominorum imperitiam. Lex enim naturæ tamquam potentiori, ac digniori omnino cedit. Hanc expositionem tradit D. Ambrosius in ea Epistola ad Simplicianum, vbi fortissimis argumentis euincit solum sapientem esse liberum. Itaque locum istum expendens, sic scribit. *Nihil ergo præiudicat pecunia, quæ plerumque dominos emit, nihil tabulæ auctionales, quibus emptor sæpe adiudicatur, atque addicitur senectuti. Contractus non mutat genus, nec sapientiæ libertatem adimit, denique famulo sapienti multi, (vt scriptum est) seruiunt liberi, & est seruus intelligens, qui regat dominos stultos. Quem ergo magis liberum censes? Sola est sapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ seruos propriis fœnerare Dominis facit, fœnerare non pecuniam, sed intellectum, fœnerare talentum illius Dominici æternique thesauri, qui numquam corrumpitur.* Et perbreui interstitio sic attexit. *Non ille solum liber, qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit, sed ille magis liber, qui intra se liber est, qui legibus naturæ liber est.* Ac paulo post non liberum solum esse decernit sapientem, sed etiam dominum. *Vtrum inquit ille liber tantummodo sibi videtur, an quidam censor, & præfectus? Vnde verè ait scriptura, quia pauperes diuitum præpositi erunt, & priuati administrantium.* Ex hoc autem naturæ ipsius præscripro, & lege, aliæ, atque aliæ dispositiones fluunt.

Arist.

Primò quidẽ inde fit, vt pater non semel seruum sapientem filiis ingenuis pædagogum præficiat vel magistrum, vt eidem ad nutum obsequantur. Hinc fortasse nata fabula Chrironis Centauri, quẽ Achillis pædagogum, & magistrum fuisse tradit D. Greg. Nazian. in oratione de laudibus Basilij. *Nec Thessalium, & montanum quoddam antrum, quasi virtutis scholam, Centaurum Heroum sui temporis præceptorem, nec verò ab eo artem percepit, qua lepores sagittis configat, vel hinnulos cursu insequatur, vel ceruos venetur, vel in rebus bellicis excellat, vel feroces equos optime domet, eodem videlicet, & equo vtens, & magistro, nec fabulosis leonum, ac ceruorum medullis nutritur.* Hactenus Nazianz. fabulam autem soluit Helias eiusdem scholiastes. Asserit. n. Chironem seruum fuisse industrium atque gnauum, cui pater Achillem edocendum tradidit, atque ob eam causam equi hominisque effigie adumbratum: Nam pars equina seruilem illius cõditionem notabat, cui Achilles insidere. i. dominari dicebatur: reliqua verò hominis structura à pectore sursum versus, prudentiam, & industriam significabat, per quam domino suo natura ipsa superior, dominus, ac liber erat. Quod autẽ leonum, ac ceruorum medullis Achillẽ aluisse dicit, innuebat sane duas militaris disciplinæ præcipuas partes, quibus Chiron traditũ sibi adolescentulũ ad imperium informabat, scilicet audaciã cum prudentia, & cautione coniunctam: nam leones audaciam, & fortitudinem, cerui cautionem optimè adumbrant; sunt enim animalia cùm primis cauta, atque timida. Hinc ergo altera huius loci expositio fluit. *Seruus sapiens dominabitur filiis stultis.* Quia scilicet pater filios suos ingenuos seruo sapienti, & industrio informandos sæpe tradit, vt ad illius nutum sese componant, & illi per omnia obsequantur. 7.

Helias Nazianz. Scholiastes.

Alij rursus aliter exponunt, nimirum sæpe accidit, vt verna ex seruili, & infima conditione natus, sapientia, & industria sua, deposita seruitute, eò dignitatis, & gloriæ prouehatur, vt præsideat, ac dominetur illis, qui ex ingenuis, ac liberis parentibus orti sunt. Quid certius? huius conuersionis meminit Ecclesiastes cap. 10. *Vidit seruos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi seruos.* 8.

Ecclesi. c. 10. num 7.

Ad extremum alia subest interpretatio, quæ mihi aptior, & cum reliquo textu cohærentior videtur. *Seruus sapiens dominabitur filiis stultis.* Apud veteres quidem non insolens fuit, vt serui, qui dominis suis obsequio, & prudentia placuerant, adoptarentur in filios, & ad hæreditatem cum eisdem capessendam vocarentur, quod etiam hodie apud nostrates non omnino abolitum est, cùm constet nobilissimas quasdam Hispaniæ familias, cùm legitimi hæredes virilis propaginis non suppetunt, seruum ex eisdem familiis optimè meritum ad hæreditatem capessendam vocare Plato quidem docet seruitutẽ adoptione solui, dialogo 4. de legibus, innuens quidem eam adoptionem *Plato.*

Plutarch. adoptionem solemnem esse. Et Plutarchus in Politicis docet libertos adoptari oportere, vt serui studiosi Dominis suis pareant. Hic mos apud Turcas hodie, vt autor est Gregoras, *Gregor.* celebratissimus est: apud Hebræos autem hanc seruos adoptandi consuetudinem viguisse nullus affirmat. Licet tamẽ hoc *Eccles. 7. n. 23.* exquibusdam scripturæ locis aucupari; Ecclesiast. 7. *Seruus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua, ne defraudes illum in libertate, neque inopem relinques illũ.* Suadet ergo Sapiens, vt seruus hæreditate simul, & libertate donetur, quod vnica adoptione perfici potuit. Ad hæc sunt etiam non obscuræ notæ autores, qui docent Ieroboam Salomonis seruum ob strenuam illius fortitudinem ab eodem Salomone adoptatum: atque exinde illum regni capessendi ingentes spiritus sumpsisse. Si ergo præfata adoptio non fuit insolens apud Hebræos, verba Salomonis apte exponi possunt ad hunc modum; *Seruus sapiens dominabitur filiis stultis. Et inter fratres hæreditatem diuidet.* i. seruus, qui Domini gratiam obsequiis, & sapientia sua promeruerit, ab illo quidem tandem adoptione honestabitur, ex quo fiet, vt deposita seruitute, *stultis filiis*, ob sapientiam, & industriam præsit, atque in hæreditatis paternæ societatem vocetur, æqualem cum filiis portionem ferens.

9. *Beda. Hugo. Dionys.* Plures huius loci spirituales, & accommodatitios sensus conflant Beda, Hugo, & Dionysius. Adi illos si vacat. Inter alios verò ille venustior est, qui nomine serui sensati populum accipit gentilium, qui sapientia sua, & obsequio erga Deum ad eam dignitatem euectus est, vt filiis stultis, scilicet Hebræis, prælatus, eisdem imperauerit, atque paternã eorum hæreditatem, non modo adierit, sed etiam præstantissimam portionem abstulerit. Ex seruo enim hæres, ac filius per adoptionem factus est, teste Paulo, qui *Ad Rom. 9. n. 6.* ad Rom. 9. sic scribit. *Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij,* idest, *non qui filij carnis, hi sunt filij Dei, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine.* Filios autem promissionis vocat eos, qui ex seruis per adoptionem ad filiorum dignitatem asciti sunt. Ad hæc seruus iste sapiens, scilicet gentilis populus pædagogus, & magister Hebræorum nationi præfectus est, vt illi sanam, & vtilem doctrinam instillet: id nominis habet apud Clementem Alexand. lib. 2. stromat. non longè à medio.

III. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.*

Sicut igne, &c. Heb. *Conflatorium argento, & caminus auro, & probans corda Dominus*, Chald. *Conflatorium purum est ad argentum, & caminus ad aurum, & Deus scrutatur corda.* Septuag. *Sicut probatur in camino aurum, & argentum, ita electa corda apud Dominum.* Cassi. coll. 7. cap. 25. *Ita eligit corda Dominus.* Aquila. Symmach. & Theodot. *Et probans corda Dominus.*

10. *1. Petr. 1. Eccles. 2. Sap. 2.* Iustorum probatio, per quam Dominus eorum pietatem laboribus, atque doloribus explorat, passim in scriptura cum auri, argentique probatione confertur. 1. Petr. 1. *Vt probatio vestræ fidei multo preciosior auro inueniatur in laudem*, &c. Eccles. 2. *In igne probatur argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Et Sap. 2. *Tanquam aurum in fornace electos probauit Dominus.* Et sæpè aliàs. Sententia igitur huius loci luculenta est: siue Deus cum igne ipso, qui argentum eliquat, & decoquit, conferatur (vt placet Iansenio) siue cum aurifice explorante

A (vt alij malunt) id enim leuissimum dissidium est. Et quidem argentum aurumque cùm in conflatorium mittitur, aut ex coctis fæcibus depuratur, si videlicet fæces habeat; aut purum iam esse ostenditur, si omnino fæcibus careat. Igitur hic duplex conflationis effectus locum facit duplici interpretationi. Prima ad defæcationem pertinet hoc modo, *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* id est, quemadmodum aurifex aurum conflatione purum reddit, sic etiam Dominus corda excoquit, ac depurat laboribus, tribulationibus, &c. Hanc expositionem tradit Ambr. de mansionibus fil. Israël 29. vbi sic ait. *Ambros.* *Tribulatio virtutis augmentum efficit, quatenus anima tentationibus exercitata purior redditur; ideo Salomon in prouerbiis docet.*

B *Sicut probatur*, &c. Conflatoris vtique munus Hieremiæ à se traditum Dominus affirmat cap. 6. ad populi sui sordes consumendas. *Hierem. 6.* Vbi conflationis peragendæ artem omnem luculenter complexus est. *Probatorem dedi te in populo meo robustum*, &c. & infrà. *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator; malitiæ enim eorum non sunt consumptæ, argentum reprobum vocate eos.* Sane plumbum admiscetur in conflatione argenti, vt hoc minori detrimento conficetur: Nam ne ignis argentum excoquens aliquid etiam vi sua de ipsius argenti pondere detrahat, plumbum additur, quod dum igni consumitur, argentum omnis detrimenti

C expers euadit. Ergo *sicut igne probatur argentum*, &c. *ita corda probat Dominus.* Vox illa *sicut*, omnimodã similitudinem exprimit. *Conflator* vtique Deus ipse est. *Ignis* autem tribulatio, & tentatio, *sufflatorium* diaboli instigantis, & stimulantis afflatus, qui tentationis ignem sæpius repetitis flatibus accendit. Ergo, vt cor argenti ad instar sine detrimento aliquo depuretur plumbo opus est. Atqui plumbum, quod maximè graue est, & præter aliorum metallorum morem terræ infossum crescit; nouissimæ mortis memoriam, & metum significare docet Cyrill. *Cyrillus. Alexand.* Alexan. in Thesauro. Ergo plumbum istud ad cordis conflationem, & defæcationem accommodatissimum esse dixerim. Si enim extremæ mortis memo-

D ria, & metus adsit, laboris, vel tẽtationis ignis quantumuis dæmonis afflatu excitatus, & inflammatus, de cordis nostri pondere nihil detrahet. Ab hoc purificandi auri, vel argenti ritu, ad cordis purificationem, venustas sententias transtulerunt Patres: ex quibus aliquos subiiciam. D. August. in Psalm. 61. sic *August.* 11. habet. *Nunquid licet aurum in fornace aurificis, in monili lucebit? patiatur ergo fornacem, vt purgatum à sordibus veniat ad lucem, Fornax ista, ibi palea, ibi aurũ, ibi ignis: ad hanc flat aurifex, in fornace ardet palea, & purgatur aurum, ibi in cineres vertitur: & à sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus; quod vult aurifex facio:*

E *vbi me ponit tolero. Iubeor ego tolerare, nouit ille purgare, ardeat licet palea ad incendendum me, illa in cinerẽ vertitur, ego sordibus careo.* Chrysost. Homil. 14. variis in Matthæum locis. *Sicut enim aurum in camino non læditur, sic stabilem animam tribulatio non lædit. Quid operatur caminus? aurum mundat: quid operatur tribulatio? tolerantiam, ampliorem que patientiam: abscindit enim dissidium, & coadunat animam, & sobriorem reddit.* Et rursus in Homilia quarta ad populum Antiochen. mensuram, qua Deus tribulationibus temperat, ab eadem cõflationis similitudine petit Chry- *Chrysost.* sostomus. *Potest*, inquit, *Deus omnia grauia hodie soluere, sed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuersionem, & pœnitentiam firmam, & inconcussam, non dissoluit tribulationem. Etenim aurifex donec aurum bene purgatum videt, de confla-*

forio non extrahit, sic, & Deus non abducit tribulationem, do[nec] [n]os penitus emendauerit. Ad hæc Cyprianus. De laude martyrij, animi purgationem ad eam conflationem refert, quæ fit tunc primum, cùm aurum ex vena sua rudem, terra, vel arena permixtum trahitur. *Aurum,* inquit, *cum relucentibus terris tremula videris splendere sub lamina, & in liquidum flammis torrentibus resolui. (Nam, & artificis gratia sic fere est.) Caminis quoties anhelantibus æstuans ignis euomitur, adita terrestri, canali angusto, diues flamma eligitur, & refluentibus glebis arena retinetur. Vnde necesse est vniuersa sufferre, quo possimus omni scelere carere.* Quid plura? Cassianus alio schemate docet, Deum sanctissimos viros in hac vita tribulationibus excoquere, vt igni purgatorio ereptos in cælum puros transmittat. Nam in collatione 7. cap. 25. sic scribit: *Viros sanctissimos magnis infirmitatibus traditos nouimus, pro leuissimis quibusque delictis: cùm in illis, ne tenuissimum quidem næuum in die iudicij inueniri patiatur diuina clementia, omnem cordis eorum scoriam excoquens in præsenti vt eos tamquam aurum, vel argentum ignitum ad illam perpetuitatem nulla indigentes pœnali purgatione transmittat.* Item D. August. omnimodam puritatem consulens, etiam aliqua, quæ ex se mala non sunt, tamen hominem meliorem, ac perfectiorem esse non sinunt, tribulationis igne separari, & purgari oportere affirmat. *Sic etiam,* inquit, *de puro argento sordidatur aurum, si admiscetur illi, sordescit enim aliquid cum inferiori miscetur naturæ, quamuis in suo genere non sordida. Sic animus noster quibusdam sordescit, quæ etsi ex suo genere munda sint, tamen inferiora sunt, atque in his etiam expurgandis igne opus est.* Sæpe enim accidit, vt Deus hominem in labores, molestias, & tribulationes quasi in ignem coniiciat, & animum eius a quibusdam infimis rebus minime malis, aut turpibus secernit; vt ad meliora traducat, nimirum vt statum etiam bonum in meliorem commutet, vt sollicitudinem augendæ rei deponat, vt amorem in quibusdam creaturis haud male collocatum, in Deum transferat, & ob alias similes causas: his enim rebus sordescit verè animus, non quia impuræ, & immundæ sunt ex genere suo, sed quia infimæ, vt ait Augustin.

12. Denique nouam etiam, & nostris sæculis solemnem auri, & argenti expurgandi rationem, quæ viui argenti beneficio perficitur, ad animi purificationem adumbrandam, noui etiam, sed locupletes autores transferunt ad hunc modum. Viuum argentum quoad reliqua metalla grauiter superat, & omnibus subesse solet, adeo vt ferrum, plumbum, & si quod grauius est aliud, eidem innatare soleant, humilitatem, seu humiliationem à Deo immissam significare affirmant. Atque sic addunt: Quemadmodum argentum viuum in sordescentis argenti massam iniectum illud ab omni fæce secernit, nam quodam naturali studio complexum, eiectis sordibus purum, mundumque ad ima pondere suo demittit. Sic etiam humiliatio à Deo optimo maximo immissa animum expurgat, illum enim omni fæce deposita purum similiter, ac mundum ad ima suæ grauitatis deiicit. Rursum alium legi, qui ex aduerso superbiam, & omnem humani cordis elationem in argento viuo contemplatus est, ita enim est huius metalli, vel potius terrestris sudoris natura, vt cùm ex se grauissimus sit, tamen exiguo calore in fumos extenuatus sursum ascendat, & paulopost ad semetipsum rediens pari velocitate ad ima recidat: atque adeo humanæ elationis naturam optimè exprimit. Quid enim humana conditione grauius, atque demissius? hæc tamen sæpius concepta superbia in fumos abit, sed paulopost ad semetipsam redire, ac deorsum recidere cogitur. Quorsum ista subiicio, sicut viuum argentum, vt nuper obseruaui ex quodam naturali studio, aurum arctissimè complectitur, ita etiam animum eius, qui iustitiam, & virtutem colit, persæpe inanis quædam gloriatio, & venditatio ambire solet. Quid certius? Ergo quemadmodum viui argenti, & auri societatem ignis soluit, itaut viuo argento efflato aurum purum, & mundum maneat, sic etiam tribulatio, & humiliatio à Deo immissa animi elationem difflat, & purum ab omni superbia, & inani gloria spiritum, auro ipso splendidiorem reddit. *Igne enim probatur* (vel purgatur) *argentum: homines autem Deo acceptabiles in camino humiliationis, Eccles. 3.*

Secunda interpretatio huius loci ex altero con- 13.
flationis fine ducitur: solet enim tum aurum, tum argentum igni tradi probationis gratia, non tam vt sordes deponat, quàm vt puritas innotescat. Ergo Iansenius, Rodolphus, & alij, verba Salomonis hunc ad sensum vocant, *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Nimirum quemadmodum aurifex aurum, vel argentum conflat, vt perfectionem, ac numeros illius exploret: sic etiam Deus iustos tribulationibus exercet, vt fortitudinem eorum, & patientiam probet. De isto probationis genere capienda sunt illa verba. Psal. 16. *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Nec non illa Iacob. 1. *Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia verò opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* Vtriusque autem loci germanum sensum, & modum, quo isthæc auri & argenti probatio conflatione, & libra fieri solet, pete ex his, quæ diximus superiori capitulo vers. 11. Hanc conflationis similitudinem passim vsurpant Patres ad significandum modum, quo Deus iustos tribulationibus explorat: sed quia omnium vna sententia est, eorum testimoniis supersedendum duxi. Illud tantummodo reliquum est, vt explicemus, qua ratione Deus dicatur explorare & probare laboribus iustorum constantiam & virtutem, cùm eidem penitus comperta & explorata sit, antequam probetur, aut exerceatur. Hanc quæstionem disceptarunt sæpe antiqui Patres: ex quibus triplex omnino sensus eruitur. Aliqui enim ita docent, Deum quidem iustos tribulationibus exercere & probare, non quidē vt ipse illos agnoscat, cui aliàs cogniti, & perspecti sunt, sed vt aliis eorum virtus & pietas innotescat, ac per illos ipsi virtuti, & honestati splendor, & autoritas cōcilietur, sic August. passim, Chrysostomus, Ambros. & Bernardus. Alij rursus hanc probationem iustorum non quidem eò referunt vt à Deo, vel ab aliis eorum virtus deprehendatur, sed vt ipsimet sibi satis cogniti, & perspecti sint. Si enim tribulatio illos deiicit, humilitatis segetem demetunt, dum suæ conditionis infirmitatē norunt: sin verò in tribulatione subeunda fortes, & strenui sunt, quantum diuino auxilio fulti possint, experimento deprehendentes ad maiora, vel patranda, vel subeunda semetipsos acuunt, sic Hieronymus, & Magnus Gregor. Ad extremum D. Isidorus acutam attulit rationem, propter quam Deus iustos suos tribulationibus & passionibus probare dicitur: ita nimirum vt perinde sit probare, atque experiri. Hoc sensu Christum Dominum sapientia & rerum cognitione profecisse affirmat Lucas, & Paulus item asserit eundem ex his, quæ passus est, obedientiam didicisse, non equidem, quia aliquid denuo, aut didicerit, aut cognouerit, sed quia hæc, quæ didicisse dicitur, experientia ipsa probauit, & contrectauit. Itaque rerum

Cyprian. Cassian. August. Eccl. 3. Iansen. Rodolph. Psal. 16. Iacob. 1. Augustin. Chrysost. Ambros. Bernard. Hieronym. Greg. Mag. Isidor.

rerum experimentum tantumdem valuit, quæ iam inde ab instanti suæ conceptionis Christus nouerat eadem didicisse, & quasi denuo cognouisse diceretur, tunc demum, cùm eorum periculum fecit: idem ergo de Deo iudicium ferendum esse docet Isidorus, vt illum probare, examinare, & quasi denuo cognoscere iustorum virtutem, & constantiam affirmare liceat ex eo, quod ipsum tribulationibus explorat, & experitur: nam eam quam prius speculatiuè, vt ita dicam, nouerat, practica & experimentali cognitione deprehendit. Pergo ad alia.

4. *Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus.*

14. HEb. *Malus attendens super labia iniquitatis, & falsitas auscultans super labia prauitatũ.* Chald. *Vir malus auscultat labia iniqua, falsitas, & accusatio in lingua peruersa.* Septuaginta. *Malus obedit linguæ iniquorum, iustus autem non intendit labiis mendacibus.* Caietanus *& fallax auscultat verba fractionum.* Aliqui etiam ex Hebræis, vt locum istum cum superiori nectant, sic legendum putant. *Malum attendens linguæ iniquæ, & falsitatem audiens linguæ prauæ.* Nimirum Deus, ipse, qui quemadmodum aurifex verum, & adulterinum aurum conflatione discernit, sic etiam simplicia, & versuta corda æstimationis suæ certa cognitione distinguit. Deus inquam ipse malum audit linguæ iniquæ, & fallaciam linguæ prauæ: nam cordis arcanum propositum cum verbis conferens, linguæ malitiam, & fallacias certissimè deprehendit, sed tamen cùm hæc interpretatio à vulgata nostra lectione omnino abhorreat, minime audienda est.

15. Ergo in nostra lectione persistendo, verba illa, *obedit*, & *obtemperat*, si ad origines reuocentur, idem sunt, quod *audit*, &, *auscultat*, sensum reddent valde luculentum. Scilicet quilibet iniquus pro ingenio suo libenter audit iniqua, & fidem habet mendaciis. *Malus obedit linguæ iniquæ.* Sed tamen vide, an per malum & fallacem is potissimum intelligi debeat, qui erga alium maleuolè affectus est: hic enim libentissimè accipit, quidquid lingua iniqua detractoris pronunciat. Hoc sensu locum istum donauit D. Cyprian. Epist. 69. ad Florentinum Pupianum, vbi sic scribit. *Incidisti, sed tua credulitate irreligiosa; incidisti, sed tua mente, & voluntate sacrilega, dum incesta, dum impia, dum nefanda contra fratrem, contra sacerdotem facile audis, libenter credis, & aliena mendacia quasi propria, & priuata defendis: nec recordaris scriptum esse: Malus obaudit linguæ iniquorum, iustus autem non intendit labiis mendacibus.* Ad hanc sententiam pertinet id, quod dixit Gregor. Nazianz. Oratione 14. de pace, *Comœdia* (inquit) *est hostibus mea tragœdia.* quasi dicat, aduersos meos casus ita gratè, & iucundè accipiunt hostes mei, quasi iocosam, & plenam voluptatis comœdiam auscultent. Et cùm finis meus more tragœdię infœlicissimus sit, ipsi quidem more comœdiæ fœlicem esse rentur: nam fœlicitati deputant, quod non plura ab ipsis mala pertulerim. Rursus eleganter D. Antiochus Hom. 26. Verba detractorum cum manna illo, quod olim cælitus defluxit, conferenda esse dixit. Nam quemadmodum Manna eum cuilibet saporem offerebat, quem quisque maluisset, & pro sumentium arbitrio nunc dulcis, nunc acidus erat: consimili quadam ratione verba detractorum auditoris voluntas dulcia reddit, vel acria: si enim voluntas erga aliquem malè affecta est, volupis est detractio; sin beneuola sit, atque amica, ægrè, & permolestè accipitur quidquid obloquutor spargit. Quod autem ait, *malus audit*, &c. aptè quidem dicit. Nam vt docet Galen. de alimentorum facultatibus, in morbis sæpius accidit, vt salubria, & boni succi alimenta displiceant, & tædio sint, & nociua iucundè sumantur: ergo detractionem, quia nihil est deterius, atque nocentius, iucundè, & cum voluptate excipere, ægritudo animi, odium, aut labor est: rectè ergo Salomon, *Malus obaudit linguam iniquitatis.*

16. Quod si verba illa *obedit*, & *obtemperat* vt sonãt, accipiantur, ad similem sensum allicienda sunt, hoc modo. *Malus obedit linguæ iniquæ.* id est, homini prauo, & iniusto, scilicet detractori, & susurroni acquiescit ille, qui simili vitio obstrictus est, & fallax similiter fallaci. Itaque ait, detractor detrahenti annuit, & illius dicta confirmat, & mentiens item mẽtienti, & illius mendacia comprobat. Nimirum sicut lyræ, aut cytharæ similes, & simili modo temperatæ, & modulatæ inuicem sibi respondent, adeo vt vna pulsata alteram per quandam sympathiam, & obsequentiam, ex aduerso accinere, & similiter sanare compertum sit: sic etiam mali, & fallaces mutuo sibi acquiescunt accinuntque, & cohærentes inuicem in eadem verba conspirant.

17. Sed licet præmissæ interpretationes satis appositæ mihi videantur, tamen aliam subiiciam, quæ in vtramque lectionem aptius cadit, hoc modo. *Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus*: ostendit quidem Salomon qua ratione Deus in malos, atque fallaces animaduertere soleat. Nam quo par pari referat sic statuit, vt malus, qui in alios iniurius est, malæ linguæ subdatur, & fallax item, qui aliis imposturam facit, fallaci adiudicetur linguæ, vt ab illa decipiatur. Id sibi volunt illa verba, *obedit, obtemperat.* id est, subditur, vel subiicitur: & eadem ratio est de verbis *audit*, & *auscultat.* Significant enim illum, qui iniuriis, atque probris proximum petit, iniquam, & petulantem linguam auditurum, quæ conuitia in consimilia intorqueat, nec non illum qui alios decipit, aut fidem fallit, linguæ cuipiam ad decipiendum eruditæ aures præbiturum, quæ similes dolos illi instruat. Est enim perquam familiare Salomoni in hoc libro criminibus talionem minari, & quidem verba isthæc tam contumeliosa, quàm fallacia (liceat sic dicere) semper reddunt echo, nimirum fractæ, ac repercussæ ad eum redeunt, qui illa emisit. Sic accipio illam Caietani lectionem initio adscriptam. *Et fallax auscultat labia fractionum*, nimirum labia, in quibus velut in scopulis quibusdam fracta vox ad illum recurrit, qui prius illam intorsit. Audi Basilium in Homilia de ira. *Non enim*, inquit, *sic Echo in ipsos clamantes intempestiuè infringitur, sicut in hominem iniustum & contumeliosum contumelia reuertitur*: quid illustrius?

5. *Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius: & qui lætatur de ruina alterius, non erit impunitus.*

18. HVius quidem Carminis prius hemistichium occurrit supra cap. 14. vers. 31. vbi satis longo commentario donauimus. Posteriùs verò valde perspicuum est. *Et qui lætatur de ruina alterius*, &c. Hebr. *Gaudens in contritione non erit impunitus.* Chald. *Et qui lætatur in interitu socij sui, non erit impunis.* Septuag. Sententiam integram accessione oppositæ sententiæ de more suo illustrarunt. *Qui irridet inopem, irritat eum, qui fecit illum;*

qui autem latatur pereunte, non erit innocens: ille autem, cuius viscera commouentur, misericordiam consequetur. Interpres D. Antiochi Pandectar. Hom. 58. sic extulit. *Et qui insultat pereunti, non erit innocens.* Vtique innocens sumitur pro impuni, vt iam inde alibi non semel docui. Interpr. Antioch.

Itaque sententia est luculenta, *Qui latatur de ruina alterius, non erit impunitus.* Nimirum, qui proximo suo ruente, & aduersi aliquid tolerante gaudet, non erit supplicij expers. His verbis (ni fallor) talionis quoque pœnam intendit Salomon, sicut in superiori, vt sensus sit. Qui de proximi ruina lætatur, ipso etiam ruente, alij gestient. Sic exponit S. Antiochus. Nam post illa verba sic assuit. *Ne igitur dilectissimi committamus, vt aliquando insultemus proximorum malis, ne nos in easdem sinat Dei prouidentia semel, & iterum deuolui calamitates.* Alia etiam ipsius Antiochi verba libet attexere, quibus sententiam istam illustrat. *Etenim si pes, inquit, forte illisit, aut labatur, num insultabit manus? sane res hæc in diuersum abit, nam olei infusione, aut emplastro pedi medetur, si quidem vnum corpus sumus: nihil minus consentaneum rationi sit, quàm vnum aliquod corporis membrum, quod nonnihil affligetur habere derisui, ac proinde eidem insultare, potius enim conueniebat misereri afflicto, & pro compassionis affectu indolescere, ac congemiscere.* Cæterum hac de re iterum redibit sermo infra c. 24. v. 17. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, &c.* Antioch.

---

6. *Corona senum filij filiorum, & gloria filiorum Patres eorum.*

20. *Corona senum, &c.* Hebræa non dissonant. Chald. *& pulchritudo filiorum patres eorum.* Septuaginta etiam concinunt omnino cum nostra.

Sententia verborum perspicua est *Corona senum filij filiorum.* id est magnopere exornat senes grandæuos, non filios solum, sed etiam nepotes & pronepotes numerare: nam filiorum, & nepotum gloria ad auos, & atauos redit, *& vicissim gloria filiorum Patres eorum,* id est, parentum stemmata, & decora ad filios deferuntur. Sed quorsum hæc Salomon? Hebræi putant suaderi parentibus, vt generandis liberis studiosius, & maturius vacent, vt liceat illis filios filiorum attingere, hoc enim decorum valde, atque fortunatum putant. Hæc tamen interpretatio Rabinica est, & tota ad veteris testamenti tempus spectat, in quo fœcunditas summæ gloriæ, & sterelitas immenso dedecori ducebatur. Ergo alij parentibus præcipi existimant, vt filios suos ad pietatem, & honestatem informent: quia nimirum honesti filiorum mores parentes imprimis ornant. Nam cùm filij ex parentibus mores, & ingenium haurire credantur, vtique filij probi paternæ probitatis locupletissimum testimonium reddent. Iuxta illud Poëtæ: Horat.

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquila columbam.

Plato autem filium degenerem, qui parentis sui mores non refert, monstro, & portento similem esse passim dicit. Cui accinit etiam Chrysostomus Hom. 45. in Matthæum, vbi sic scribit. *Vt regula est humana natura, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos, aliquando autem præter naturæ ordinem nascitur homo, aut sex digitos habens, aut oculos omnino non habens: sic & homo extra regulam naturæ raro sic procedit, vt dissimilis nascatur filius pa-* Plato. Chrysost.

A *rentibus.* Tum etiam quia omnes piæ filiorum actiones, & rectè gesta parentibus tribuuntur, quod eleganti similitudine expressit Hierocles apud Stobeum. serm. 77. *Quemadmodum* (inquit) *Phidia aut aliorum artificum statua, si ipsa rursus aliquid agerent, id quoque opus non dubitaremus tribuere artificibus. Eodem modo actiones etiam nostra parentum nostrorum opera esse dicemus, per quos nos nati sumus.* Hierocl.

Rursus alij existimant Salomonem his verbis exprimere quid præmii ac mercedis parentes pro rectè gestis percipere soleant, hoc modo. *Corona senum filij filiorum.* Nimirum præmium, ac merces eorum, qui ad senectutem vsque sanctè vixerunt, hæc est, vt filiorum filios attingant. D. Ambros. in cap. 1. B Lucæ. *Diuinum munus fœcunditas est parentis: agant itaque patres gratias, quia generauerunt: filij, quia generati sunt: matres, quia coniugij premiis honorantur, stipendia enim militia sua filij sunt.* Addo etiam, Victoriarum coronæ. Posterior verò clausula ad hunc sensum sic accersenda est. *Et gloria filiorum patres eorum,* id est, filiis etiam propter bene ac piè actam vitam id retribui solet, vt multo tempore superstites habeant parentes, quod quidem summæ fortunæ ducit Plato dialogo 3. de legibus. 21. Ambros. Plato.

Ad hæc aliò quidem Salomonis verba deriuari, & inuerti possunt, scilicet vt suadeat parentibus filios suos nutrire, donec adolescant, & vicissim filiis parentes alere cùm consenuerint, hoc modo. *Corona* C *senum filij filiorum*, id est, propterea senes filiis nutriendis curam magnam impendere, & eorum vitæ tuendæ sedulo prospicere debent, quia maximum ornamentum senectutis est filios multos, & nepotes habere: *& Gloria filiorum patres eorum.* Nimirum filij etiam eapropter parentes suos, cùm ad multam senectam deuenerint, alere, & vitam eorum tueri debent, quia gloriosum valde filiis est parentes superstites habere. Primo, quia longior parentum vita præclarum documentum est pietatis filiorum erga illos: ex hoc argumento dixit Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum, Nestorem per ἀντιπελάργωσιν tot sæcula vixisse. Est autem antipelargosis, liceat sic dicere, *reciconiatio.* Quod quidem per- D inde est ac si dixisset: Senem illum celebratissimum propterea vitam tot ætatibus produxisse, quia filios, & nepotes pios sortitus est, qui illum iam sesenem, & viribus effœtum more ciconiarum aluerunt. Nota est ciconiarum erga parentes suos pietas, vide Ambrosium libro 5. Hexamer. cap. 16. & Basil. hom. 7. eodem titulo, vbi vterque ἀντιπελαργώσεως meminit. Item sicut nihil est, quod parentibus celerius mortem afferre soleat, quàm susceptæ de filiorum petulantia, & proteruitate molestiæ, ita nihil est quod eorumdem vitam senecta longiori coronet, quàm obsequium, & morum facilitas, quæ se parentibus morigeros filij præbent. Quapropter Diuus Ambros. tradit Adamum, qui nongentesi- E mum annum superauit, diutius sine victurum, nisi ob Caini parricidium, & implacabiles mores, aliorumque nepotum impietatem, susceptæ molestiæ, & tædia illi aliquot vitæ sæcula præcidissent. Itaque longior parentum vita filiis gloriam eo etiam nomine affert, quia ipsorum erga parentes obsequentes, & faciles mores optimè prodit. Clem. Alex. Ambros. Basil.

Denique ad aliud documentum Salomonis verba flectere licet, nimirum vt suadeat in vniuersum filiis, & nepotibus bene agere, & generosè conuersari, quo scilicet eorum gloria ad parentes redeat, & rursus parentibus honestè viuere: quia eorum ornamenta, & stemmata vicissim ad filios descendunt. Itaque propterea vtrosque, parentes videlicet, ac filios, honestos, & generosos mores colere præcipit, 22.

quia

quia non ſolum de ipſorum agitur gloria, vel dedecore, ſed gloria, vel dedecus parentum in filiis, & filiorum in parentibus ſita eſt. Ex omnibus autem præmiſſis documentis hoc mihi videtur appoſitius, & ad mentem Salomonis accommodatius. At quæres cur parentibus Salomon coronam dedit, filiis verò gloriam, & decus? Reſpondeo Sapientem, dum parentibus coronam tribuit, eorundem poteſtatem & autoritatem in filios præclarè oſtendere, vt ſenſus ſit: Filij coronam ſuis genitoribus imponunt, quia ſuſceptis liberis ius, & quandam veluti regiam poteſtatem in liberos nanciſcuntur. Ariſtot. lib. 8. Ethic. cap. 10. *Societas* (inquit) *Patris ad filios regni præ ſe fert effigiem, nati namque patri ſunt curæ. Hinc & Homerus, Iouem patrem appellat*, & cap. 11. docet, *Ius parentum in filios eſſe regium*. Ex quo fit patres hac poteſtate abuti, quoties in filios, velut in ſeruos, & mancipia ſæuiunt. Nam quemadmodum Rex in ſubditos, quaſi in liberos & ingenuos liberale imperium habet, ſic item parens in ſuos liberos. Vnde Ariſtoteles in Perſas inuehitur his verbis. *Patrum apud Perſas imperium tyrannicum eſt, ſuis enim liberis vtuntur vt ſeruis*. Itaque vtrumque patris, atque Regis imperium, ſi iniuſtum ſit, tyrannis appellatur: quia nimirum vtrumque regium eſt. Ergò Salomon, vt patriæ poteſtatis in filios præſtantiam & menſuram obiter aſſignaret, parentibus coronam dedit, filiis autem gloriam. Cur verò tantopere filiorum, atque parentum gloriam, vel dedecus ex ſe inuicem perdere homines ſemper voluerint? quod attinet quidem ad Patres, Ambroſ. in cap. 1. Lucæ, quod verò ſpectat ad liberos, Imperatores Arcadius, & Honorius rationem optimam tradiderunt in l. quiſquis, titulo 8. ad legem Iul. Cod. lib. 9. Ergò Ambroſius propterea ex filiis ad parentes gloriam, aut dedecus remeare docet, quia filij ex parentibus mores ſuos ingenuos, & honeſtos, vel turpes, & degeneres hauſiſſe, & expreſſiſſe cenſentur: & ſane nobilitatem, & gloriam à filiis ad parentes aſcendere nos quidem ſupra docuimus cap. 8. verſ. 10. Augusti verò cùm parentum in filios labes deſcendant, paucis verbis imperatoria maieſtate dignis complexi ſunt. *Filij inquit eius* (qui maieſtatis læſæ reus euincitur) *quibus vita imperatoria ſpecialiter lenitate concedimus: paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt, hæreditarij criminis exẽpla metuuntur: à materna, vel auita hæreditate, vel ſucceſſione habeantur alieni, de teſtamentis extraneorũ nihil capiant, ſint perpetuò egentes, & pauperes, infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullos prorſus honores, ad nulla ſacramenta perueniant, ſint poſtremo tales, vt his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium*: hæc ille. Eadem verò de gloriæ propagatione ratio eſt, quia nimirum filij præſtantiſſimorum parentum eorumdem ſtemmata capere æquum eſt: quia ab illis paternæ, hoc eſt, hæreditariæ virtutis exempla certiſſima expectatione præſumuntur. Ergo Salomon, quia gloria parentum, & filiorum tantopere ex ſe inuicem dependent, ſuadet quidem vtriſque rectè agere, vt patres liberis ſuis ſplendorem afferant, & filij rurſus acceptum ſplendorem in parentes ſuos, velut ex quadam reciprocatione refundant.

Ariſtot.

Ambroſ. Arcad. Honor.

---

6. Eius, qui fidelis eſt, totus mundus; illius autem, qui infidelis eſt, neque obolus.

2. HÆc quidem verba deſiderantur in noſtra vulgata, & in primitiuis Hebraïcis, exhibentur verò in textu Græco, atque eorum meminerunt Ambroſ. de vita Abraham lib. 2. cap. 7. & Hieron. ad Paul. Epiſt. 103. & in cap. 45. Ezechiel.

Sententia igitur huius loci eloquentiſſimè, vt aſſolet, expendit Ambroſius in eo loco: præmittere autem oportet vocem κόσμος, Latinè mundus, totam rerum vniuerſitatem notare, ſed tamen peculiari vſu ad ingẽtem aliquam copiam ſignificandam aſciſci. Iacob. 3. *lingua dicitur vniuerſitas iniquitatis*. Græcè κόσμος, id eſt, ingens iniquitatum cumulus, vulgo etiam dicimus, *Pedro tiene vn mundo de hazienda*, id eſt, fortunarum ingentem vim obtinet. Obolus autem, autore Hieronymo, viceſima eſt ſicli pars, minima ſcilicet illius portio. De quo accipi vult illa Saluatoris verba Matth. 5. *Non egredietur, donec reddat nouiſſimum quadrantem*. Ergo ſi Ambroſium conſulamus, putat quidem ſanctus doctor his verbis exprimi vetus illud Stoicorum proloquium. *Sapienti ſunt omnia*. Imo Stoicos ex hoc loco illud decerpſiſſe affirmat. *Quanto*, inquit, *prior Salomon quàm Zeno Stoicorum magiſter, atque autor ſectæ ipſius? quanto prior, quam ipſe Philoſophiæ pater Plato? Quis autem ſapiens niſi fidelis? Si forte dicas quomodo ſapientis totus mundus eſt diuitiarum? Reſpondeo, quoniam ipſa natura dat illi ſortem omnium, etiamſi ipſe nihil poſſideat*. Addit verò ſortem iſtam quæ omnia ditione ſua complectitur, ipſiſſimam eſſe ſapientiam, ſic enim aſſuit. *Domina eſt, & poſſeſſor omnium Sapientia, quæ ſua putat naturæ munera, quoniam in vſum hominum data ſunt, nec vllis indiget, etiamſi deſint ei ad victum omnia. Nam ſi muſicus organa, & medicus medicamẽta quæ neceſſaria ſunt, & nauclerus quæ ad nauem regendam inſtrumenta neceſſaria ſunt, aliquando non habeat, habeat tamen eo ipſo, quo poſſit his vti, etiamſi ad tempus vſus eorum non ſuppetat: quanto magis ſapiens ſuum iudicat quidquid naturæ eſt, qui viuit ſecundum naturam*. Aduoca mentem, vt Ambroſij verba obſcura, & difficilem mentem calleas, *Sapientia* (inquit) *omnia, quæ natura edidit, ſua ditione poſſidet, etiamſi aliquando iiſdem vti non liceat*. Nam, inquit, organa muſica, etiamſi apud muſicæ imperitum ſint, ad muſicum pertinent, & medicamenta etiamſi apud medicæ artis ignarum ſint, ſpectant ad medicum; & vtraque verius muſici, & medici eſſe dicuntur, quàm eorum, apud quos ſunt. Ratio eſt in promptu, quia rei alicuius dominus, & poſſeſſor demum eſſe dicitur, cui vti eadem re aliquando licet, at verò muſicæ ignarus organa pulſare non poteſt, nec medicæ imperitus medicamenta adhibere: medicus autem, & muſicus organis, ac medicamentis pro ſua quiſque facultate ſecundùm artem vti poſſunt. Ad eundem modum, inquit, Ambroſius, Sapiens, qui ſecundùm naturam viuere nouit, id eſt, qui rebus vti nouit ſecundùm rationem, & ſecundùm leges, ac iura naturæ, omnium rerum, quas natura edidit dominus eſt, non is, qui habet, aut tenet, & tamen illis ſecundùm rectam rationem vti neſcit. Itaque diuitiæ, & facultates, quæ apud improbum ſunt, magis ad ſapientiam, & probum virum, quàm ad illum pertinent, adeò vt improbus eorum, quæ habet, nec oboli quidem dominus propriè ſit, quia cùm hæc bona externa omnia inſtrumenta quædam pietatis, & honeſtatis ſint, eorum eſſe dicẽtur, qui illis rectè, & ſecundùm artem vti ſciunt; qui autem hunc rectum vſum ignorat, nihil eorum propriè obtinere dicendus eſt. At, inquies, vir probus omnibus quidem rectè vti nouit, non tamen ſemper vti licet, quod ipſa domini ij ratio poſtulare videbatur. Non ita, inquit Ambroſius; nam licet muſicus non poſſiit aliquando vti organis, quia nimirum vſus eorum aliqua ex cauſa impeditus eſt, nihilominus omnia

Iacob. 3.

Hieronym. Matth. 5. Ambroſ.

A omnia organa ad ipſum pertinere dicuntur. Pari etiam ratione, quamuis ſapienti, & probo viro rerum vſus aliquando non permittatur, nihilominus hæc ipſius eſſe, & ad ipſum propriè ſpectare iure naturali dicenda ſunt. Itaque ſicut nuper ſeruos quoſdam legales, ac naturales diſtingui poſſe docuimus, ita etiam dominium in naturale, ac legale ſeu ciuile partiri licet. Dicemus autem improbos rerum naturalium ciuile, & improprium dominium obtinere, naturale verò, & proprium ſolis probis, atque ſapientibus contingere. Atque hoc demum ſibi voluit Ambroſius, cùm dixit: *Quoniam ipſa natura dat illi ſortem omnium, etiamſi ipſe nihil poſſideat.* Hanc eſſe exiſtimo ſanctiſſimi doctoris germanam mentem, B qui hoc peculiariter in Abraham adumbratum fuiſſe dicit, cùm Geneſ. 13. ſic Deus ad ipſum poſtquam receſſit à Lot. *Reſpice oculis tuis, & vide à loco in quo nunc es, ad Auſtrum, & Aquilonem, & Orientem, & mare, quia omnem terram, quam tu vides tibi dabo eam, & ſemini tuo in æternum.* Sic extulit hæc verba Ambroſius, quæ ſtatim ad hunc modum expendit: *Hinc tanquam ex fonte hauſerunt Stoici Philoſophi illius dogmatis ſententiam, omnia ſapientis eſſe. Oriens enim, & Occidens, Septentrio, & Meridies portiones ſunt vniuerſitatis, his enim totus mundus includitur: hæc cùm promiſit Deus ſe daturum Abraham, quid aliud declarat niſi ſapienti, ac fideli præſto omnia, deeſſe nihil? Vide, & Salomon in prouerbiis ait, Eius, qui fidelis eſt, totus mundus.* C Et poſt aliquod verborum interſtitium attexit: *Denique Abraham quando adhærebat ei Lot, hoc eſt deflexio morum, ſortem tantam, & tam amplam non acceperat. Vbi verò deflexionis ambiguo, atque anfractu abſoluto rectas virtutum ſemitas animi ſui greſſibus cœpit carpere, in omnem terram poſſeſſor mittitur.* Ac rurſus: *Ergo qui ſapientiam meruit, & non fuerit ancillæ filius, non peccati ſeruus, ſed Saræ illius minime ſeruientis, ſed principantis, filius bonæ ſtirpis, bonæ indolis, perfectæ titulo virtutis, hæreditatem acquiret totius vniuerſitatis,* &c.

Geneſ. 13.

Aliam huius loci expoſitionem offert nobis Diuus Hieronymus loco citato, qui hoc mundi totius dominium fideli, ac iuſto propterea tribui putat, D quia omnia contemnit. Nam qui fortunas magni facit, eiſdem quidem obſeruit, atque obedit, qui autem opes deſpicit, atque illas non quærit, is demum earum Dominus verè exiſtit. Atque in eum quadrant illa Pauli verba, *Quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes,* 2. ad Corinth. 6. Expendit autem D. Anſelmus illud *quaſi*, ac per illud ſignificari vult eorum paupertatem, qui diuitias ex animo contemnunt, non eſſe veram, ſed exiſtimatam: nam re ipſa omnibus ditiſſimis ditiores ſunt; propterea, inquit, ſublato *quaſi*, addit, *& omnia poſſidentes.* Audi Chryſoſtomum in tract. morali ſuper hæc verba, E qui eſt appendix Hom. 12. *In hoc potiſſimum opes, & copiæ poſita ſunt, non vt quas diuitias habeat, ſed vt ne habere quidem curet, id quod ſi adepti fuerimus, diuitibus omnibus copioſiores erimus.* Quod autem is, qui opes ſuſcipit, & auidè conquirit, ne obolum quidem poſſideat, ſatis comprobat, inquit Hieronymus, vulgare illud proloquium. *Auaro tam deeſt quod habet, quam quod non habet:* quod quidem non eo tantum verum eſt, quia auarus partis non vtitur; ſed etiam quia illis ſeruiliter addictus eſt, atq; adeò nullius rei dominus eſt. Nam qui eo animo erga pecunias affectus eſt, vt oboli vnius iacturam ægrè ferat, is ne oboli quidem dominus eſt. Quapropter Chryſoſtomus præſcripto loco, poſſeſſionis ac dominij menſuram in eo ponit, vt tantumdem quis facultatum, & non amplius obtinere dicendus ſit, quantum ſibi eripi vi, aut caſu æquo animo tolerabit. Cæterùm hac de re ſæpè alibi diximus in hoc commentario.

2. ad Cor. 6.

Chryſoſtom.

Hieronym.

Addo etiam tertiam expoſitionem, in duabus enim præmiſſis illud deſiderare mihi videor, vt vis illius prioris clauſulæ, *Eius, qui fidelis eſt*, vel *eius, qui credit*, vt legit Hieronymus, ad viuum reſecetur. Exiſtimo igitur hîc fidelem, & credentem eum appellari, qui ſpem ſuam in Deum contulit, atque diuitiarum, & facultatum cura, & ſolicitudine depoſita omnia neceſſaria à Deo ſe accepturum eſſe ſperat: in hunc enim appoſitiſſimè quadrant illa verba, *eius, qui credit, aut fidelis eſt, totus mundus diuitiarum*, quia vt optimè D. Auguſt. ad illa verba, *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*, illis, qui depoſita terreſtrium ſolicitudine ſeſe diuinæ prouidentiæ commiſerunt, vniuerſas ſuas fortunas deuinxit Deus, vt omnia illis præſto ſint, & nihil deſit. Atqui fortunarum Dei quædam portio eſt mundus iſte, & quidquid mundus ambitu coercet ſuo: meritò ergo totum mundum in eorum opibus ponemus. Audio etiam dicere Deum optimum maximum mundi iſtius iacturam libentius facturum, quàm vt aliquid contra hanc ſeruorum ſuorum fiduciam committat. Facili autem negotio licet euincere, mundum, & cunctam vniuerſitatem creaturarum illis mancipatam adeo, cùm exploratum ſit, conſtantem mundi ordinem, ac leges ratas ſæpiſſimè violari, vt his fidelibus ſemper ſuppetant neceſſaria: quod quidem toties accidit, quoties alicuius exhibitione miraculi præter naturæ leges illis opportuna ad victum, aut veſtitum Deus adminiſtrat; adminiſtrauit autem ſæpè. Ad hæc Chriſtus Dominus Matth. (vbi ſuaſit ſolicitudinem omnem, & curam temporalium bonorum abiicere, & in Deum coniicere.) Denique ſic aſſuit: *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Expende illud, *hæc omnia:* innuit enim illi, qui ſpem ſuam in Deum contulit, non partem aliquam, ſed omnia ſine exceptione donari: quapropter mundum vniuerſum in fortunis illius eſſe haud immeritò affirmamus. Ex aduerſo autem *eius, qui infidelis eſt, neque obolus.* Nam qui ſpem ſuam non in Deo, ſed in diuitiis ſuis, ac facultatibus ponit, nec oboli quidem dominus eſt, quia Deus huiuſmodi hominis bona ad obolum vſque exhaurire ſolet, & teterrimæ paupertati addicere. Pſalm. 51. *Propterea* (inquit Dauid) *Deus deſtruet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Cur? ſcilicet, *Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum.* Pſalm. 51.

Hieronym.

Auguſtin.

Matth.

27\. Ad extremum quartam expoſitionem licet coniicere, quæ neſcio an reliquis præferri debeat. Fidelis hic appellatur, qui bona ſua ex miſericordia pauperibus diſtribuit, iuxta illud Matth. 24. *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram,* quibus eleemoſynam ſuaderi docet Chryſoſtomus. *Non enim*, inquit, *doctoribus tantum, ſed diuitibus hæc dicit*, quos ſuis facultatibus diſtribuendis Dominus præficit. ideò in his fidelitas ſpectatur. Ait ergo Salomon, *Eius, qui fidelis eſt, totus mundus diuitiarum.* Nimirum ei, qui acceptas à Domino fortunas ex fidelitate diſtrahit, atque pauperibus impendit, totus mundus diuitiarum contingit, id eſt magnam diuitiarum vim nanciſcitur. Hiſpanè diceremus. *Poſeera vn mundo de bienes entero*, vt nuper animaduerti: *Eius autem, qui infidelis eſt, neque obolus.* Nimirum qui fidem violarit, & acceptas pecunias, & fortunas, ex auaritia ſordidè aſſeruarit, aut defoderit,

Matth. 24.

deſoderit, in eas paupertatis anguſtias redigitur, vt ne obolus quidem illi ſuppetat. Quomodo autem miſericordia diuitias augeat, & cumulet, auaritia verò, & ſordes imminuant, docuimus etiam ſæpè ſæpius in hoc commentario. Pergo ad alia.

---

7. *Non decent ſtultum verba compoſita: nec Principem labium mentiens.*

28. NON *decent ſtultum*, &c. Hebr. *Non decorum ſtulto labium dignitatis, vel authoritatis. Etiam quia Principi labium falſitatis.* Pagn. habet: *Non eſt decora ſtulto lingua excellentia.* Caietan. *Non decet ſtultum labium ſuperfluitatis.* Chald. *Non decet inſipiẽtem labium exceſſiuum, neque Principem labium mendacij.* Septuag. *Non congruunt ſtulto labia fidelia, neque iuſto labia mendacia.* Symmach. *Neque Principi*, &c. Hanc diſſimilitudinem lectionum peperit vox יתר *Iather*, quæ ſignificat excellentiam, autoritatem, nec non etiam id, quod reſiduum, ſuperfluum, vel exceſſiuum eſt. Rurſus pro *ſtulto* eſt נבל *Nabal.* Quia verò *Nabal*, ille Carmeli incola, non ſtultus modò, ſed etiam auarus extitit, propterea ex Rabinis aliqui auarum hîc conuertendum putant. Item pro *Principe* eſt נדיב *Nadib.* quæ vox liberalem ſonat. Ergo Rabini ſic exponunt, & legunt: *Auaro non conuenit labium exceſſiuum, nec liberali labium mentiens.* Quæ verba non tam ſignificare exiſtimant hæc auaro, & liberali eſſe indecora, quàm omnino ab illis aliena eſſe, vt ſenſus ſit: Auarus non habet labiũ exceſſiuum, numquam ſcilicet extendit labia ſua promittens aliquid ſe liberaliter donaturum. Ex aduerſo liberalis numquam fidem fallit, ſed quidquid liberaliter promittit, pari liberalitate, & profuſione donat. Itaque ait liberalem promiſſa fideliter, atque effuſè exequi, auarum autem nedum promittere, quod ſanè veriſſimum eſt: atque obſcenas auarorũ ſordes eleganter exprimit. Nam vel id, quod facillimum eſt, ſcilicet polliceri, auari non audent, cùm ex aduerſo liberales id quod difficillimum exiſtit, ſcilicet promiſſa explere, fide inuiolabili perficiant. Cæterùm licet vera ſit ſententia, & Salomone digna, tamen in Vulgatam noſtram lectionem minimè cadit.

29. *Ianſen.* Ergo Ianſenius ſic exponit: *Non decent ſtultum verba compoſita*, &c. per compoſita verba intelligit, verba grauia, & ſermones de rebus grauioribus cõceptos. Vt ſenſus ſit: Quemadmodum ſtultum, & vilem hominem dedecent ſententiæ graues, & ſuſcepti de rebus magnis ſermones: quia iſtiuſmodi ſententiæ, & ſermones in ore, ac lingua ſtulti prorſus vileſcunt: ſic etiam principi indecora ſunt verba vana, nugæ, & leuioris momenti ſermones: quia hæc de principis autoritate, & dignitate non parum detrahunt. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem contendit verba perſonis adaptanda eſſe, atque adeò Principem dignas Principe ſententias ſemper vſurpaturum, propterea illum imprimis à mendaciis abhorrere oportere: hæc enim ante alia Principis maieſtatem lædunt, & ſplendorem illius offuſcant. D. Thom. in opuſculo de Principum eruditione, hoc argumentum incredibili felicitate perſequutus eſt, ex multis verò pauca habeto. *Cauendum*, inquit, *eſt Principi mendacium, vt venenum; caueant ergo Principes ſibi à corporali veneno: amplius verò cauendum eſt eis à veneno mendacij, quod adeo mortiferum eſt, vt adhuc exiſtens in ore hominum occidat: ſecundum illud Sap. 1. Os, quod mentitur occidit animam. Hoc venenum habuit in ore ſerpes, qui Heuam matrem noſtram decepit, imò hoc venenum occaſio dicitur fuiſſe, quod ſerpens venenum corporale habeat in ore.* Itaque D. Thom. parem vitandi mendacij curam in Rege poſtulat, ei, quæ ad veneni vim euitandam adhiberi ſolet. Vtique ad omnem veneni ſuſpicionem fugiendam fideliſſimi à Regibus quæruntur coqui, & ſapientiſſimi medici adhibentur, qui cibos ſingulos explorent, ac deguſtent. Parem ergo induſtriam ad vitandum mendacium principi adhibere oportet, fideliſſimis miniſtris, ac conſiliariis opus habet; ſicut enim medici cibos regios, ſic etiam conſiliarij ſermones Principum explorant. Cùm hac quidem ſententia congruit Roterodami conſilium, aliquando enim mali corui bonum ouum. *Sicut Rex nullum ferculum ſumit, quod non prius, & coquus, & medicus delibarint, vt veneni ſuſpicio abſit; ſic etiam nullum ſermonem proferre debet, quod non prius conſiliarijs ſuis guſtandum dederit.* Quorſum? ne ſcilicet vel mendacij, vel fraudis, vel etiam ignorationis, vel erroris, vel alterius cuiuſpiam defectus ſuſpicionem habeant: hæc enim omnia autoritatis, ac dignitatis regiæ venena ſunt. Sed redeo ad Diuum Thom. *Quæ differentia eſt inter denarium bonum, & falſum, eſt inter Principem mendacem, & veracem; vilis eſt denarius falſus reſpectu boni, centum enim falſi non valent vnum bonum: ſic Princeps mendax parui valoris eſt. Cum ergo Princeps non velit vnũ de denarijs ſuis eſſe falſum, quomodo ſeipſum velit falſum eſſe, & mendacem? Videtur quidem ſe viliorem habere denario vno. Cum principes monetæ falſarios grauiter puniant, quid faciet Princeps ſummus de illis Principibus, qui ſeipſos falſificant? Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit, & imaginem, hic enim mendax eſt ab initio: aliquando ergo auditurus eſt Princeps mendax, qui denarius falſus eſt, verba illa, Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? & cum reſponſum fuerit, diaboli; dicitur ſtatim, Reddite ergo quæ ſunt diaboli, diabolo*, lege plura in eo loco. *Non ergo decet Principem labium mentiens*; quem ſcilicet falſa moneta viliorem reddit. Sed tamen quàm ſit indecorum Principi mentiri, aut fidem fallere, perſpicuè docuit Imperator Baſilius, in libro exhortationum ad Leonem filium, cap. 29. vbi ſic habet. *Maximi pendito, & veracem te eſſe, & veraces homines in familiaritatem tuam admittere, ita enim & firmus, & conſtans in omnibus factis, & dictis exiſtimaberis, ac veram, & non ſuſpectam tuorum erga te beneuolentiam retinebis. Si autem in mendacij, & vanitatis ſuſpicionem veneris indigna facere Imperatoria maieſtate, quæ auſus eſt, conuinceris, efficiéſque, vt ſubiecti ſemper formidoloſi, rerumq́; omnium incerti, & titubantes vacillent.* Ad hæc Ariſtoteles: *Mendacium ſeruorum vitium eſſe* dicit, dedecet ergo generoſum, & ingenuum Principem.

Roterod. *D. Thom.* *Baſil. Imp.* *Ariſtot.*

30. *Caietan.* Secundam interpretationem huius loci offert Caietan. ad hunc modum. *Non decet ſtultum labium ſuperfluitatis*, vel exceſſus, vel autoritatis (ſic ipſe legit, id eſt, ſermones ſuperbi, & tumidi. Quaſi dicat: quemadmodum ſtultiſſimo, ac viliſſimo cuipiam homini indecorum eſſet verba tumida, & grandia ſimulata autoritate proflare: ſic etiam ex aduerſo grauiſſimum Principem verba vilia, & ſermones leues depoſita autoritate promere dedecet omnino. Meminit autem mendacij, quia præ cæteris vilius, & abiectius eſt, iuxta illud Eccleſiaſtici 20. *Opprobrium nequam in homine mendacium*, & infrà, *Potior eſt fur, quàm aſſiduus vir in mendacijs.* Itaque Salomon ſuadet Regi orationis pondus, & grauitatem. *Eccleſ. 20.* Baſil. Imper. ad Leonem filium, cap. 16. iſtam verborum grauitatem conſulens, ſic addit: *Ea, quæ te facere pudet, ea quoque dicere pudeat, & quæ dicere pudor vetat, ne cogitare quidẽ libeat.* Et c. 36. *Quidquid erit*, *Baſil. Imp.*

quod foras renunciare velis apud te prius diligenter considera, ne lingua cogitationem anteuertens praepostero ordine agere exprobretur. In catu enim hominum antequam aliquid dicas in tua potestate est cogitare, ubi autem semel effuderis, non poteris honestè contradicere his, quæ antea dixeris, nisi sermones tuos omnium reprehensioni patere volueris. Dicere autem oportebit ea, quæ plane scies, aut ea, quæ temporis ratio postulabit, de cæteris omnibus silere satius erit, quàm eloqui, nam Principem non nisi vera, & opportuna, & magni momenti verba proloqui decet. Hæc ille: ex quibus constat regios sermones grauitate, & autoritate plenos esse oportere, ac rursus nihil huic autoritati magis aduersari, quàm falsitatem, aut mendacium, adeo vt verbum aliquod temerè promere, quod iterum retractare opus, Imperatoriam maiestatem non parum lædere existimet Basilius. Et quidem hæc expositio Caietani satis apta mihi videtur, si vulgatæ lectioni accommodari posse constet, licebit autem si per *Verba composita*, intelligamus verba ex simulatione, & studio grauitatis, & autoritatis grauiter dicta, quæ significatio satis apposita est.

31. Libet etiam ad extremum aliam interpretationem subnectere, quæ mihi non displicet, nescio an etiam aliis. Illud autem mihi sumo ex Iansenio, Rodolpho, & Caietano, nomine *stulti*, in hoc loco, non tam fatuum, quàm vilem & abiectum hominem notari: nam vox illa נבל *Nabal*, ea etiam significatione prædita est. Rursus addo per *Verba composita*, intelligi etiam verba simulata & fallacia: nam verbum compono sæpè idem est, quod fingo 2. Esdræ cap. 6. *De corde tuo componis hæc*, id est, fingis ea, & Daniel 2. *Quod interpretationem fallacem, & deceptione plenam composueritis.* Et quidem hæc significatio optimè congruit cum primitiuis, nam verba excessus, aut superfluitatis aptissimè appellantur verba mendacia. Sensus igitur sic conformandus est, vt argumentatio à minori ad maius fiat hoc modo. *Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mentiens*, hoc est, verba vtique fallacia, & ficta homini infimo, ac vili, probro, & contumeliæ verti solent, quanto magis eadem Principi summo probrosa, & cõtumeliosa erunt? argumentum profecto satis efficax, quo non semel vsus est D. Thom. loco citato, vbi multas conflat rationes, propter quas mendacium Principi magis indecorum sit, quàm priuato homini, quas quidem ad tria capita refert. Primo, quia semetipsum, & suam maiestatem magis lædit. Secundò, quia mendacium Principis Deo magis inuisum est. Tertiò, quia proximis, hoc est subditis, longè nocentius, lege ibi multa.

2. Esdr. 6. Daniel. 2.

D. Thom.

32. Translatio Septuag. alium reddit sensum. *Non congruent stulto labia fidelia, neque iusto labia mendacia.* Stultus, nimirum improbus (hîc enim stulti nomine appellatur) numquam fidelis est, nec stat promissis, iustus autem ex aduerso numquam fidem fallit, nec promissiones suas violat. Itaque Salomon docet homini improbo, & scelerato nequaquam fidendum esse, improbi enim sæpius fœdifragi sunt & fidem suam produnt: at iustis & piis confidendum omnino esse, vt pote qui fidelissimi sunt, & fœderum pactorumque integerrimi obseruatores. At inquies, cur impij fere infideles sunt, & pactum violant? rationem obtulit D. Chrysostom. Hom. 4. de pœnit. quia nimirum qui datam Deo fidem fefellerunt, numquam illam hominibus præstant: tum etiam quia ad fidem seruandam fama bona plurimum facit (ideo infames à testimoniis publicis arcentur: improbi autem famæ, & existimationis suæ iacturas non verentur.

Chrysost.

8. *Gemma gratissima expectatio præstolantis: quocumque se vertit, prudenter intelligit.*

Gemma gratissima, &c. Hebræa ad verbum sic habent. *Lapis gratiæ in oculis patroni eius, ad omne, quod respexerit, prudenter aget*, vel *prosperabitur.* Vtrumque enim significat verbum שכל *Sachal.* Pagnin. *In oculis Domini eius.* Chald. *Lapis muneris gratia est in oculis eius, qui tollit eum: ad omnem locum, quò se vertit, prudenter agit.* Septuaginta. *Merces gratiarum disciplina his, qui vtuntur, quocumque se verterit, prosperabitur.* Symmach. *Pondus gratiarum.* Theodotion. *Lapis gratiæ.* Hanc lectionum dissimilitudinem peperit ex parte verbum *Sachal*, de quo nuper dixi, ex parte etiam vox השכר *Haschad*, quæ significat *munus*, & *mercedem*. Nonnemo etiam existimauit pro שכל per Schin, legendum esse סכל per Samech, quod verbum significat *infatuare.* (nam permutatio scin. & samech, est valde familiaris Scripturæ) atque adeò integrum versum sic efferendum esse. *Lapis gratiæ munus in oculis patroni, aut Domini eius, quocumque se verterit, infatuabitur.* 33.

Hæc lectionum dissimilitudo dissimiles etiam dedit interpretationes, percurram singulas. Prima quidem est Hebraïzantium, qui hanc extremam lectionem amplexi sic edisserunt. *Lapis gratiæ munus in oculis Domini*, &c. id est munus Principi collatum gratiam illius conciliat, animumque deuincit adeò, vt quocumque se verterit ad iudicandum, & discernendum, velut dementatus desipiat. Iuxta illud Deuter. 16. *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Sed tamen cùm hæc interpretatio vulgatæ lectioni nulla ratione aptari possit, minimè audienda est. Atque idem iudicium ferendum est de secunda expositione eorum, qui extrema verba sic conuertunt. *Quocumque se verterit, prosperabitur.* Sensum verò sic instituunt. Munus iudici, vel Principi collatum beneuolentiam illius accersit, atque adeò illi, qui munus præmiserit, siue illam partem iustam, vel iniustã defendat, prosperè, & ex animi sententia res cedet, atque litem obtinebit: ea est munerum, atque donorum vis. Itaque hæc interpretatio à nostra etiam lectione abhorret plurimum.

Tertiam igitur offert Caietanus, quæ ad munerum corruptelam etiam spectat, qui extrema verba nostræ lectionis ferme retinens integrum versum sic concinnat. *Lapis gratiæ munus in oculis Domini eius, quocumque se verterit, intelligere faciet eum.* id est, donum apud iudicem, vel Principem depositum eiusdem gratiam elucratur, atque idipsum intelligere, & sentire eum cogit, quod intelligit, aut sentit is, qui deposuit, siue iustum illud sit, siue iniustum. Conantur verò aliqui hanc interpretationem nostræ quoque lectioni adaptare, & nomine *præstolantis* magistratum, aut iudicem intelligunt, qui sententiam differt, & nulli parti se adfauere significat, donec ab altero ex litigatoribus munere aliquo deuinciatur, vt sensus sit, *Gemma gratissima expectatio præstolantis.* id est, donum diu expectatum à iudice, aut Principe, cùm tandem venit, perinde intuenti gratum accidit, sicut gemma lucidissima spectantium oculis iucunda est, *Quocumque se verterit, prudenter intelligit.* Nimirum quocumque illum donantis voluntas flexerit, se iustè, atque prudenter decernere existimabit. Et quidem hæc expositio sic conformata non omnino displicet. Addo etiam secundùm præscriptam interpretationem, illa verba, *Gemma gratissima*, &c. Hebr. *Lapis gratiæ*, alio 34. Caietan.

alio ſenſu donati poſſe. Ergò per lapidem gratiæ non
ſolum aliquem viſui iucundũ lapidem intelligo; ſed
dico etiam olim ſolemne fuiſſe per lapides pretioſos,
perlucidos, & grati coloris, alia ſpectare. D. Iſidor.
Iſidor. lib. 16. Etymolog. cap. 7. tradit. Neronem Gladiato-
rum pugnas interpoſito virenti ſmaragdo ſpectare
ſolitum, ex quo fiebat, vt cuncta eodem colore im-
buta oculis ſeſe offerrent, & iucundius ſpectaculum
redderetur. Ait ergò Salomon, *Lapis gratiæ munus*
oculis Domini eius, quaſi dicat, donum iudici, aut
Principi collatum, ad inſtar eſt lapidis pretioſi, pul-
chri, & perlucentis oculis obiecti; quia ſicut hic ſuo
colore cuncta inficit, & iucunda reddit, ſic etiã do-
num ob oculos poſitum, ſuo item colore cauſam do-
nantis imbuit, efficitque, vt iuſtior, & cum æquitate B
conformior inſpicienti appareat. Rurſus alia etiam
ratione expendere licet iſta verba. *Lapis gratiæ mu-*
nus in oculis Domini, &c. Ita nimirum vt *Lapis gra-*
tiæ idem ſit, quod lapis ad iucũdam gratiam efficax:
exploratum enim eſt inter lapides pretioſos aliquos
eſſe ad conciliandam beneuolentiam efficaces. D.
Epiphan. Epiphan. in Speciali, tit. de Gemmarum naturis, tra-
dit Saphitum ideo à Regibus geſtari ſolitum, quia
beneuolentiam inſpectantium aſciſcit, & erga ipſos
Iſidor. etiam amorem plebis excitat. D. Iſidorus vbi ſupra,
tradit Iaſpidem eadem facultate præditum eſſe vete-
rum opinione: addit tamen id credere ſuperſtitioſum
eſſe: ſed cùm ex Patribus alij aliis lapidibus hanc vim
dederint, non ſatis ſcio cur ſuperſtitionis accerſendi C
ſint. Non enim fuit illorum mens eiuſmodi lapides
vi aliqua ad amandum voluntatem adigere: ſed li-
berè, & ſponte naturali ſua facultate amorem ciere.
35. Quemadmodum enim quidam lapides pretioſi ſan-
guinem ſiſtunt, alij lac euocant, alij cordi ſuccur-
runt, & alij alia his ſimilia per alterationem præſtant:
ſic etiam fieri poteſt, vt lapis aliquis per ſimilem al-
terationem ad amandum occulta vi excitet, non co-
gat. Hanc igitur facultatem pluribus gemmis tradit
Plin. Plinius lib. 39. Epiphan. ſuprà, & Albertus Magnus,
Epiphan. qui ob eam rationem annulos gemmatos digitis mi-
Alb. Magn. nimo proximis indui ſolitos dicit, quia ex hoc digito
ad cor vſque neruus tendit, per quem gemmæ vir-
tus deuehitur. Licebit ergo ſic locum interpretari, D
Lapis gratiæ (ſeu beneuolentiæ) munus in oculis Domi-
ni: id eſt, perinde munus Principi oblatum gratiam il-
lius allicit, ſicut gemma aliqua pretioſa ex his, quæ
excitandi amoris, & beneuolentiæ ſecretam vim ha-
bent. Confertur autem donum cum lapide pretioſo
(vt admonet Caietanus) quia hic manu geſtatur, il-
lud manu accipitur. Itaque ſenſus eſt, Princeps do-
num alicuius manu excipiens, quaſi annulum ma-
nui ſuæ inſerit, incluſa gemma aliqua ex his, quæ be-
neuolentiam, & amorem cordi inſpirant. Ad hæc *la-*
pis gratiæ, non ineptè appellari poteſt, *Magnes lapis*,
qui ob vim, quam habet ferrũ ad ſeſe trahendi, amo-
ri, atque gratiæ tribui ſolet, vnde apud veteres id no-
men ſortitus eſt, *Lapis amoris*, atque Græcos ἔρωτα, E
Pollux. ideſt, amorem appellare ſolitos, autor eſt Pollux. Sic
autem euadet ſenſus elegans hoc modo, Munus vti-
que Principi collatum non aliter eius gratiam, & be-
Auguſt. neuolentiam trahit, quàm magnes ferrum. D. Augu-
ſtinus illud ſibi miraculo ſimile in magnete viſum
fuiſſe dicit, quod cùm aliquis magnetem lapidem
ſub tabula opertum teneret, ac illum manu ſubter-
moueret, poſt lapidem quidem ferrum veloci curſu
deſuper ferebatur. Sane cùm videris iudicis, aut
Principis arbitrium in hanc, & illam partem flecti,
& ſecundùm omnes alicuius cauſæ motus, & diſ-
crimina vni ſententiæ etiam iniuſtæ hærere, & nul-
lis rationibus ab ea diuelli poſſe, tunc equidem ſuſ-
picari licet manum aliquam latere, quæ munere

A oblato, tamquam magnete clanculum impellat, &
in quãcumque vult ſententiam flectat. Addo etiam
munus magiſtratui donatum cum magnete confer-
ri, quia tanta eſt illius vis, vt quamlibet iudex fer-
reus ſit, & ferreo quodam arbitrio præditus, tamen
in eam partem facile impellatur, quæ illum munere
corrupit. Denique in hac expoſitione de munerum
corruptela ſiſtentes, lectionem Symmachi adapta-
re integrum eſt, quæ ſic habet: *Pondus gratiæ mu-*
nus, &c.) Nam in ſcriptura lapis ſæpius accipitur pro
pondere, ſuprà cap. 16. ver. 3. *Et omnia opera eius om-*
nes lapides ſacculi, & alibi paſſim. Itaque ſenſus erit;
donum Principi oblatum adinſtar eſt magni alicuius
ponderis, qui iuſtitiæ, & æquitatis trutinã ab amuſſi,
B & æquilibrio detorquet, *Pondus*, inquam, *gratiæ*,
quia nimirum beneuolentiam Principis acquiret,
quæ etiam ſi alteram in partem decumbat, iuſtitiæ
libram adeò onerat, vt omnia rationum pondera ex
altera parte compoſita facile eleuet.

Quarta expoſitio eſt Ianſenij, qui ex vulgata le- 36.
ctione hunc ſenſum elicit: *Gemma gratiſſima expe-* *Ianſen.*
ctatio præſtolantis, ideſt rem, quæ diu expectata fuit
à præſtolante, cùm tandem aliquando ex animi ſen-
tentia ſucceſſit, tanquam pretioſiſſimam aliquam
gemmam nactus magni æſtimat, & illa iucundiſſimè
perfruitur. *Quocumque ſe verterit, prudenter intelligit*,
ideſt, quidquid is, qui ad eum modum auidè ſpectat,
tentarit, quidquid ſuſceperit, prudenter admodum
C peragit, ne fraudetur expectatione ſua, ſed eam ali-
quando aſſequatur. Interpretatio iſthæc non omni-
nò mihi diſpliceret, ſi poſterior loci clauſula ad hunc
modum aptius, & cum priori cohærentius explica-
retur. *Quocumque ſe verterit, prudenter intelligit*: Ni-
mirum qui re diutius expectata iam fruitur, pruden-
ter admodum, & cautè ſe gerit, ne rei iam obtentæ
iacturam faciat, (id enim melius nectitur cum illo
priori) vel, *prudenter intelligit*. i. iam deinceps in om-
nibus, quæ agit, prouidam habet proſpicientiam, non
ſolum præſentia, ſed etiam futura obſeruans, ab ex-
perientia ipſa edoctus, futurarum rerum prudentes
expectationes non falli.

Quintam interpretationem affert Rodolphus, qui *Rodolph.*
D locum iſtum cum ſuperiori nectendum eſſe putat
hoc modo: *Gemma gratiſſima expectatio præſtolantis*,
cùm enim præmiſerit Principi valde indecorum eſ-
ſe fidem datam fallere, ac promiſſiones non explere, 37.
ſubdit, Beneficium, quod Princeps pollicitus eſt,
tunc demum cùm poſt expectationem donatur, per-
inde gratum præſtolanti accidit, & tanti ab ipſo fie-
ri ſolet, ac ſi immenſi pretij gemmam nactus eſſet.
Nam iuxta familiarem ſcripturæ loquendi modum,
vt aliquid permagno æſtimandum pretioſiſſimum
eſſe oſtendatur, gemmis æquari, aut etiam præferri
ſolet Pſal. 18. *Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem* *Pſalm. 18.*
pretioſum multum. & ſup. cap. 3. *Pretioſior eſt cunctis*
opibus. Heb. *Lapidibus.* & infrà cap. 31. *Procul, & de*
E *vltimis finibus*, &c. Hebr. *Procul ab vnionibus pretiũ*
eius: & paſſim alia, *Quocunque ſe verterit, prudenter in-*
telligit. Nimirum Princeps, qui fidem non fallit, ſed
promiſſa beneficia opportunè reddit, quidquid ani-
mo ſuo deſtinauerit feliciſſimè perficiet. Omnes
enim ſubditos ſibi deuinctos habet, alios quidem
acceptis beneficiis, alios autem accipiendorum cer-
tiſſima opinione & expectatione. Placet etiam hæc
expoſitio, ſed addo verba illa, *Gemma gratiſſima*, &c.
ſecundùm hanc interpretationem ad opportunita-
tem collocandi beneficij referri poſſe hoc modo. Be-
neficium, quod præſtolantis expectationi omninò
reſpondit, ſcilicet temporis, loci, quantitatis, & alia-
rum circunſtantiarum opportunitate, non diſſidet à
gemma aliqua pretioſiſſima perelegantis annuli pa-

la incluſa: ſicut enim gemma foramini ſuo aptiſſimè A inſerta, longè pulcrior, ac ſpecioſior eſt, ſic etiam beneficium tempore ſuo opportunè collatum longè
Seneca. gratius exiſtit. Hac ſimilitudine vſus fuit Seneca in libro 2. de Beneficiis.

38. Cæterùm licèt ex præfatis interpretationibus quędam ſatis accommodatæ videantur, mihi tamen origines penitus rimanti, & cum noſtra vulgata lectione attentius conferenti, nouam viam adire operæ pretium viſum eſt. Præmittere autẽ oportet *Sachal*, vt ſupra obſeruaui, non ſolũ donum liberaliter collatum, ſed etiam mercedem operarij ſignificare. Vnde Septuaginta reddiderunt, *Merces gratiarum*, &c. Rurſus illa verba quæ ex originibus ad verbum expreſſa ſic habent, *In oculis Domini eius*, manifeſtum B Hebraïſmum continent. Quoties autem modus iſte loquendi aliàs occurrit (occurrit autem ſæpè) ſynceriſſimè exponitur à Vulgato. ſupra cap. 1. Hebraïca ſic habent: *Fruſtra iacitur rete ante oculos omnis Domini alæ*. Vulgatus autẽ tranſtulit, *ante oculos pennato-*
Geneſ. 37. *rũ*, & Gen. 37 Heb *Ecce dominus ſomnij venit*. Vulgatus autem ſic: *Ecce ſomniator venit*, & ſupra c. 3. *Ne prohibeas bonum à Dominus ſuis*. Vulgatus; *Noli prohi-*
2. Reg. 1. *re benefacere eum, qui poteſt*. 2. Reg. 1. *Ecce currus & Domini equitum*. Vulgatus, & *equites*, & alia ſexcenta. Ergo pari ratione in hoc loco ſiquidem per nomen *Sachad*, merces accipiatur (vt nuper dixi) *Dominus eius* erit mercenarius. Et quidem mea ſententia ea fuit Vulgari noſtri mens, cùm ait, *Gemma gratioſa expectatio præſtolantis*. Præſtolantem enim appellat operarium mercedem expectantem, atque nomine expectationis mercedem ipſam intelligit, cuius expectatione laborat. Itaque ſenſus eſt, merces, cuius ſpe inductus operarius laborat, maximi fit ab illo, atque cùm illam accipit, ſpecioſiſſimam gemmam, ideſt pretioſiſſimam rem capere ſe putat; ea enim quæ multo labore conſtant magnifiunt. Itaque Salomon ſuadet mercedem præſentiſſimè operario eſſe perſoluendam, quia magnopere illius perceptione gaudet, ex quo fit, vt res ſibi demandatas benè, ac ſolicitè exequatur. id ſibi vult illud, *Quocumque ſe verterit, prudenter intelligit*, ideſt, quidquid ex præſcripto conducentis præſtare iubetur, prudenter, & D accuratè obit. ergo ſic accipiendum eſt verbum *intelligit*, quaſi attentius *peragit*, quemadmodum etiam Hiſpanè dicimus, *Entiendo eneſto*, ideſt, hoc ago, vel huic rei peragendæ ſedulus incumbo: ſic exponunt
Pſalm. 13. multi illa ve[illegible] Pſal. 13. *Vt videat ſi eſt intelligens, aut*
39. *requirens Deum*, ideſt, ſedulo incumbens. Et Pſal. 31.
Pſalm. 31. *Noluit intelligere vt benè ageret*, ideſt, noluit accuratè
Pſalm. 40. & intentè huic rei vacare. & Pſ. 40. *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenũ, & pauperem*, ideſt, qui pauperi iu-
Pſalm. 100. uando incumbit. & Pſal. 100. *Vt intelligam in via immaculata*, ideſt, vt ſtudioſè per illã ambulem, & alia
Thargus. paſſim. Cum hac interpretatione concinit Thargus, habet enim, *Quocumque ſe verterit, prudenter agit*, & ex Hebraizantibus etiam non pauci eodem modo E tranſtulerunt. Itaque Salomon his verbis ſuadet illis, qui operarios conducunt, vt ipſis laborum, & operarum mercedẽ, quàm præſentiſſimè perſoluãt, ſiquidem res ſuas benè, ſolicitè, & attentè peragi velint. Poſſumus etiam addere (quemadmodum nuper de beneficiis opportunè collocatis dicebamus) mercedem operarij cũ gemma componi, quia cùm non differtur, ſed opportunè in fine laboris exſoluitur, ſimilis eſt gemmę foramini incluſæ, quæ ibi gratior, atque venuſtior eſt, nam merces dilata parum grata accidit mercenario.

Ad extremum, difficile eſt tranſlationẽ Septuag. cum originibus in concordiam adducere ſic enim habent *Merces gratiarum diſciplina his, qui vtuntur:* A *quocunque ſe verterit, proſperabitur*. Itaque pro *gemma* diſciplinã reddiderunt. fortaſſe autem nomine gemmæ inaurem acceperunt, atque hanc diſciplinæ, ſeu correptionis, quæ auribus excipitur, ſymbolum eſſe rati (iuxta illud, *Inauris aurea, & margaritũ pretioſum, qui arguit ſapientem & aurem obedientem*, infrà c. 25. v. 12.) diſciplinam loco gemmæ ſubiecerunt: ſenſus autem talis eſſe videtur, diſciplina, doctrina & correptio his, qui illi acquieſcunt, mercedẽ gratam, & copioſam affert. deinde commutatur numerus multitudinis in ſingularem (quod quàm vulgare ſit in ſcripturis nemo ignorat.) *Quocumque ſe verterit, proſperabitur*, nimirũ is, qui diſciplinæ obtemperauerit, quidquid aggreſſus fuerit feliciſſimè conficiet. Hactenus de loco difficili.

---

9. *Qui celat delictum, quærit amicitiam: qui altero ſermone repetit, ſeparat fœderatos.*

QVI celat delictum, &c. Hebr. *Tegens præuaricatores quærit amorem, & iterans in verbo ſeparat ducem*. Alij legunt, *Qui mutat verbum, ſeparat*, &c. Pagninus. *Qui improperat aliquid, diuidit duces*. Caiet. *Diuidit ſocium*. Chald. *Et qui repetit ſermonem, diuidit amicum*. Septuag. *Qui celat iniuſtè* C *facta, quærit amicitiam: qui autem odit celare, diuidit amicos, & domeſticos*. Reperitur hîc vox אלוף *Aluph*; de qua alibi diximus, ſignificat enim Chiliarchum ducem, nec non familiarem, & coniugem, ab אלף *Eleph*, quod mille & familiam notat. 40.

Sententia quidem horum verborum perſpicua eſt. *Qui celat* (inquit) *delictum, quærit amicitiam*. ideſt, qui acceptam iam pridem iniuriam, vel aliud quodlibet delictum ab amico admiſſum, obliuione perpetua ſepelit, nec illud ſermonibus amplius vſurpat, is quidem pacis & amicitiæ ſtudioſus eſt, *Qui altero ſermone repetit, ſeparat fœderatos*. Qui ſcilicet obliterata iniuria, obruto delicto, & pace inita, vel ſemel in altero ſermone præteriti delicti, vel iniuriæ memoriam refricat, quaſi refricatis vulneribus pacem amicitiamque diſſoluit, atque eos, quibus cum pacẽ inierat & fœdera percuſſerat à ſe diuellit. Plutarchũ quidem hac ſimilitudine vſum memini; ſicut vulnera, inquit, quæ ſæpius ſolutis vinculis, quibus obligari debent, explicantur, & fricantur, non coaleſcunt, nec cicatricem obducunt; ſic amicitiæ & fœdera, quæ ſemel iniuriarum obliuione & abolitione copulatæ ſunt: nam ſi tectæ iam, & quaſi obligatæ, iniuriis rurſus explicentur, & iteratis ſermonibus attrectentur, numquam ſatis coëunt, vel obducta cicatrice cohærent, quinimò in dies amplius intabeſcunt & inſanabiliter dirimuntur. Huc ſpectat etiam illud, *Vniuerſa delicta operit charitas*. ſuprà E cap. 10. verſ. 12. vide quæ in eum locum dedimus.

Aliæ verò lectiones, quod ſpectat ad ſententiam, à noſtra nihil abeunt. Illa ſolum emphaſim habere 41. videtur, *Qui mutat verbum, ſeparat amicos*, nimirum qui delictum vel iniuriam haud fideliter refert, ſed verbis amplificat, & extollit, diſſociat quidem amicos. Hæc autem tranſlatio & explicatio alteri interpretationi parum diuerſæ locum facit, vt ſcilicet verba iſthæc non de amico delicta familiaris ſui commemorante & refricante, ſed de tertio accipiantur, qui inter duos intercedit, cui Salomon præſcribit rationem, qua diſſidentes & diſcordes, paci, atque concordiæ reſtituere debeat: itaque ait, *Qui celat delictum, quærit amicitiam*: nimirum is, qui iniuriam vel delictum ab alio in alterum

terum admiſſum eleuat, & quoad fieri poteſt, deprimit, atque obtegit, hic ſanè pacem & amicitiam facilè inducit. *Qui altero ſermone repetit, ſeparat fœderatos*, qui ſcilicet ſæpius inculcat delictum vel iniuriam, vel qui illud amplificans, & extollens aliter narrat, quàm acciderit, immortales diſcordias, & inimicitias immittit inter familiares, vel domeſticos. *Vel ſeparat ciues*, inter ſe, aut etiam *maritos* à coniugibus ſuis, omnium quippè eadem omnino ratio eſt. Parabola igitur ad id tota ſpectat, vt Salomon conciliandæ aut dirimendæ amicitiæ duas præcipuas rationes tradat. Vt vir pacis ſtudioſus alteram adhibeat, alteram vitet. Lectio Septuaginta vtrique expoſitioni etiam inſeruit, tametſi D. Antioch. in Pande. Sanctiſſimæ Hom. 64 de arcano tegendo, & myſteriis ſeruandis, expoſuerit ad hunc modum. *Qui celat iniuſte facta, quærit amicitiam*, id eſt, qui delictum ab alio admiſſum, & ſibi ſecreto traditum omnino apud ſe tacitus opprimit, hic ſtudet amicitiæ. *Qui autem odit celare, diuidet amicos, & domeſticos*, ſcilicet à ſeipſo, quaſi dicat, qui ex aduerſo myſteria reuelat, amiciſſimos etiam, atque domeſticos ſoluta concordia à ſemetipſo diſtrahit. Cæterùm duæ ſuperiores interpretationes mihi accommodatiores videntur. Antioch.

---

10. *Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum.*

42. PLus proficit, &c. Hebr. *Deſcendit increpatio, vel clamor ad intelligentem præ percutere ſtultum centies.* Chal. *Penetrat increpatio intelligentem magis, quàm percutere ſtultum centies.* Alij legunt: *Conterit clamor intelligentem*, &c. Omnibus autem his tranſlationibus locum facit verbum originale נחת *Nachath*. Septuaginta: *Conterunt minæ cor prudentis, ſtultus autem flagellatus non ſentit.* Theodot. *Vincet correptio intelligentem, plus quàm percuſſio in imprudentem*, omnia in idem recidunt.

Sententia eſt valde perſpicua. *Plus*, inquit Salomon, *proficit correptio apud Sapientem.* Hebr. *Clamor*, Septuaginta: *Mina*, parum intereſt. Nimirum vox aliqua ſuperioris elatior, vel leuis minarum intentatio, vel parum ſeuera correptio efficacior eſt ad ſapientem coërcendum; *Quàm centum plagæ apud ſtultum.* Numerus finitus pro indefinito, hoc eſt, quàm innumeri plagarum ictus ad ſtultum, & vecordem hominem comprimendum, & emendandũ. Efficit hoc ſentiendi diſſimilitudo, & nobilitas ingenij, & morum: quemadmodum enim accidit in corporibus, vt illa, quæ molliora ſunt leuiter icta plurimum doleant, quæ autem duriora ſunt, & calloſa, etiamſi grauiter percutiantur indolentiam quandã inſenſibilem habeant; ſic item in animis contingit: eſt enim ſenſati hominis ingenium molle, atque mores faciles, ex quo fit, vt vel leuiter minis, aut correptionibus ictus doleat, & reſipiſcat; ſtulti autem hominis cor prædurum eſt, atque mores, obductis callis rigidi, quapropter innumeris plagis attritus non ſentit, non dolet. Item diſſimilitudo hæc ſtulti, & ſapientis ad ingenuitatem ſpectat: Nam experimento didicimus generoſos equos vibrato deſuper vimine, aut excuſſo verbere curſum arripere; ex aduerſo degeneres onagros plagis multis fortiter impactis vix moueri. Hinc eſt illud Quinti Curtij lib. 6. Quint. Curt. *Nobilis equus vmbra virgæ regitur, ignauus nec calcari quidem poteſt.* Et de homine probe ſic Hieronym. cuius verba citat ſic Dionyſ. *Nihil neceſſe eſt bis pungere non recalcitrantem, cui ſua ratio eſt magiſtra; cui*

A *propria conſcientia virga.* Ergo Salomon hac parabola præſcribit modum, & rationem qua ſtulti, & ſapientes corripiendi ſunt; cum his enim leniter agendum eſt: nam quælibet, quãtumuis leuiſſima increpatio illos coërcet, cùm illis autem ſeuerius, & acrius, nam poſt multa verbera vix reſipiſcunt. Vnde non ineptè quiſpiam dixit ſtultos *polyporum more condiri*, & ſaporem concipere; conſtat enim polypos multis ictibus macerari ad eſum, aliter enim præduri ſunt, & ingratum ſaporem habent. Lege Gregorium, Paſto. Cur. o. part. cap. 10.

B 11. *Semper iurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

SEmper iurgia quærit, &c. Hebraïc. *Profectò rebellis quærit malum, & nuncius crudelis mittetur in eum.* Chaldæus: *Vir amarus quærit malum, & Angelus crudelis*, &c. Septuaginta: *Contradictiones ſuſcitat omnis malus. Dominus autem Angelum immiſericordem immittet ei.* Theodotion. *Exacerbationem ſuſcitat*, &c. Schol. *Angelum crudelem.* Symmach. *Angelum ſine viſceribus*, ſeu, *euiſceratum.* 43.

Non vnam huius loci ſententiam excogitarunt interpretes. In his ergo Ianſenius & Caietanus de C illis quidem exponendum putant, qui ſeditionem, & rebelliones excitant in populos, aut qui iurgia, & ſeditiones ſpargunt inter familiares. Itaque ait, *Semper iurgia quærit malus*, nimirum qui procliuis eſt ad militiam. Hebraïcè, *rebellis* vel *amarus*. Nimirum vir ſuopte ingenio, contentioſus, moribus aſper, & acerbus, gaudet quidem diſcordiis, & contentionibus excitandis, aut ſeditionibus permouendis. *Angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Hoc eſt, vel à Principe deſtinabitur ad eum carnifex crudelis, qui illum neci dedat: vel à Deo dæmon aliquis immaniſſimus, qui nunc quidem in hac vita illum moleſtiis, atque laboribus excruciet, ac tunc demum, cùm ex illa exceſſerit, ad ſupplicia rapiat æterna. D Addit autem Caietanus prius hemiſtychium duplicem tranſlationem ſortiri poſſe, ſic ſcilicet, *Tantum rebellis quærit malum.* Nimirum alij quidem, cùm euenit occaſio, malum aggrediuntur: at vir contentioſus aſſiduò diſcurrit, molitur, & architectatur mala. Vel aliter, *Tantum rebellionem quærit malus.* Ex quo duplex etiam ſenſus erui poteſt. Prior eſt: nõ niſi malus aliquis, pernicioſiſſimus, & profligatiſſimus homo ſeditiones excitat. Poſterior eſt, malus, atque peruerſus homo rebelliones dumtaxat cogitat, contentiones molitur. Et quidem omnes iſtæ ſententiæ veræ ſunt, atque contentioſi hominis mores præclarè exprimunt, ad quem iure optimo crudelis angelus deſtinari dicitur, ſcilicet dæ- E mon aliquis ſæuiſſimus, vt meritas ab illo pœnas expoſcat. Nam ita quidem decebat, vt aduerſus iurgiorum, & contentionum ſtudioſum hominem dæmon emitteretur, qui ſuopte ingenio contentioſiſſimus eſt. Caietan.

Sed licèt hæc prior interpretatio iuxta præſcriptum modum diſpoſita non diſpliceat, tamen crediderim aliter melius conformari poſſe ad hunc modum. *Semper iurgia quærit malus*, ſcilicet vir acerbus, & contentioſus aſſiduò meditatur bella, & cõtentiones, obuios quoſque petit, & cum omnibus confligit. Quid tum poſtea? *Angelus crudelis mittetur contra eum.* Nimirum aduerſus eum hominẽ, aliquis alius homo ſuperior viribus & ſæuiſsimus à Deo emittetur, qui in certamen deſcendens illũ de- 44. Rodolph.

uincat, & immanissimè cum illo agat. Et quidem sæpius Deus Optimus Maximus in contentiosos homines ad hunc modum animaduertit, quod supplicium sceleri omnino respondet. Itaque per Angelum crudelem, aut euisceratum, seu immisericordem, non dæmon, non carnifex, sed homo alius immanis, & ad confligendum robustior à Deo destinatus ad pugnam accipiendus est, sic enim cohærentior euadit sensus. A

Secunda interpretatio est Rodolphi, qui putat locum de illis esse edisserendum qui correptionibus aduersantur. Vt sensus sit. *Semper iurgia quærit malus.* Septuaginta: *Cōtradictiones.* Nimirum vir impius impudenter obloquitur, & contradicit corripientibus, & adhortantibus. Ergo aduersus hunc vecordē hominem, qui obiurgationibus, & increpationibus non acquiescit, immanem aliquem dæmonem emittet Deus, vt qui superiorem benignius corripientem ferre non potuit, seuerum carnificē perpeti cogatur. Hæc ille. Cæterùm licet in scopum sententiæ intuitus mihi videatur Rodolphus, tamen illum non omnino confixit. Nam sensum ad hunc modum instituendum esse censeo. *Semper iurgia, aut contradictiones quærit malus,* &c. Scilicet aduersus hominē peruicacem, & obduratum, qui superioribus benignè hortantibus, aut etiam corripientibus semper contradicit, & obloquitur: destinabitur quidem à Deo superior alter immanissimus, atque euisceratus, qui omnem exuens humanitatem illum acerbissimè torqueat. Itaque per Angelum superiorem, aut Dominum intelligo, vt sæpè aliàs in scriptura, atque versum istum ad superiorem sententiam esse reuocandum censeo. Cùm enim Salomon de duplici correptionis genere præfatus fuisset, altero leni, & mansueto, quod exhortationibus, increpationibus, & minis fit: altero seuero, & immiti, quod plagis, atque verberibus exercetur, iam nunc addit ad eum, qui contra vnius superioris benignius admonentis, vel increpantis verba sese obfirmauerit, & impudenter contradixerit, alterum superiorem, sæuum & crudelem immittendum esse à Deo, qui deposita clementia, verba in verbera commutet, & leniores increpationes in plagas, & vulnera. Interim etiam docet Salomon, superiorem, qui priùs humanissimè, ac benignissimè subditum monuit, cùm illum procacem, & peruicacem expertus est, exuta hac persona facilis, atque benigni præsidis, aliam seueri, atque crudelis superioris induere, & verba in verbera cōmutare debere. Nam, superiorem Proteum quēdam agere oportet, qui ouis aliquando mansuetudinem, quandoque etiam Leonis immanitatem præseferat: qui nonnumquam ignis adurentis formam suscipiat: nonnumquam in aquam abluentem, & emundantem soluatur. His enim duabus potissimum ignis, & aquæ formis fabulosum illum Proteum ludere solitum tradunt Poëtæ. Virgil. lib. 4. Georg. *Virgil.*

Aut acrem flamma sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues delapsus abibit.

Et Ouid. 18. Metam. *Ouid.*

Interdum faciem liquidarū imitatus aquarum
Flumen eras, interdum vndis contrarius ignis.

Superiorem autem euariandis formis Proteum illum imitari oportere docet D. Gregor. Nazianz. oratione 1. Apolog. de fuga in Pontum, cuius magna pars ad hoc argumentum spectat. Itaque expedit sæpè aquæ in morem per lenes adhortationes subditorum maculas eluere, aliquando etiam ignis forma suscepta vrere, ac torrere. *Nazianz.*

12. *Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quàm stulto confidenti in stultitia sua.*

EXpedit magis, &c. Hebræa ad verbum. *Occurrere vrsum orbatum in virum & non stultum in stultitia sua.* Chaldæus. *Occurrit vrsus,* idest, *terror viro sapienti & non commouetur, & stultus in stultitia sua cadit.* Septuag. longè aliter. *Incidit solicitudo viro intelligenti, imprudentes autem excogitabunt mala.* Symmach. verò concinit cum nostra. *Occurrere vrsa orbata virū, & non stulto in stultitia sua,* supple expedit. 45.

Vna ferè est omnium interpretum mens, qui verba ista accipiunt, vt sonant. *Expedit magis vrsæ occurrere raptis catulis, &c.* Satius nempè est in vrsam incidere cùm raptis catulis furit sæuiùs, quàm in stultum aliquem qui sua stultitia fretus temerè agit, ac temerè loquitur. At cur, inquies, huic animanti obuiam ire satius est, quàm stulto? Caietanus. Quia vrsus (inquit) agit solo impetu furoris, quem eludere non est difficile: at stultus temeritati suæ astum aliquem adiungit, sed friget hæc ratio. Rodolphus, quia licet animal istud ferocissimè & immanissimè sæuiat, tamen humana industria sæpè superatur, aut cauetur; stultus autem nulla arte, aut viribus domari potest. Hugo. Quia vrsa vi, ac robore, aut etiam arte demum vincitur, at stultus nullis rationibus superari potest. Hactenus interpretes.

Cæterum ni mea me fallit mens, aliquid aliud sibi vult Salomon in hoc loco: existimo autem illum perstare in eodem argumento, atque de his agere, qui correptionibus, & animaduersionibus non acquiescunt, itaque ait. *Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quàm stulto confidenti in stultitia sua.* Nimirum satius est vrsæ raptis catellis furenti sese obiicere ad eam coërcendam, quàm stulto cuipiam temerè in sua scelera debacchanti per correptionē, vel adhortationem sese opponere ad eum comprimendum & emendandum: huius enim sæuitia, & immanitas, huius morsus & rabies in præceptorem suum, vrsinum furorem longè superat. Expendere autem libet huius comparationis peruenustæ concinnitatem. Primò igitur stultus iste vrsæ, non autem vrso adsimilis esse dicitur, quia vt auctor est Aristoteles de hist. an. lib. 9. cap. 1. *Vrsorum in genere præter morem aliorum animantium fœmina animosior est, ac ferocior.* Ex quo fit satis ineptè agere illos, qui studio solo discedendi à nostro, vulgato interprete vrsum conuertunt. Addidit autem *raptis catulis,* huius enim erga catulos valde impensus amor, atque adeò, his sublatis, sæuius furit. Hic autem prolis amor incipit ab ipso conceptu, nam ex quo vterus ingrauescere incipit seruandæ sobolis studio latet adeò, vt ex Aristot. hist. lib. 6. cap. 36. & alibi, vrsam grauidam venari perraro, aut numquam accidat. Cùm verò fœtus suos enititur, rudes primum illos & informes in discretis membris parturit: at prolis tantus amor est, vt catulos lingua sua lambendo quasi elaboret, atque elimet, donec ad sui formam, speciemque perducat, lege Aristotelem locis citatis, & Plinium lib. 8. cap. 36. Adde Ambrosium lib. 6. Hexameron. cap. 4. vbi appositè ad mores, sic scribit. *Vrsa quidem fertur informes vtero partus edere, sed natos lingua fingere, atque in speciem sui, similitudinemque formare. Non miraris in vrsatam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? vrsa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui non potes.* Igitur cùm vrsæ in catulos suos tam impensus sit amor, ideò illis à venatore direptis ferocius & immanius sæuit. Propterea

Aristot. *Aristot.* *Plin.* *Ambros.* 46.

non

47. *1. Reg. 17.* non modo in hoc loco, sed etiam in aliis furoris cuiusdam impacati exemplum adduci solet. 1. Reg. 17. Chusi quàm esset formidandus Dauid suo exercitu cinctus hac similitudine significauit Absaloni; *Tu*, inquit, *nosti patrem tuum & eos, qui cum ipso sunt esse fortissimos, & amaro animo, veluti si vrsa raptis catulis in saltu saeuiat.* Et Oseæ 13. *Osee 13.* Deus vt suam in aduersarios immitem iram significaret, adiunxit. *Occurram ei, quasi vrsa raptis catulis.* Et in vniuersum vrsorum maximè ferox, & truculentum genus: quos *Oppian.* Oppian. lib. 3. Cyneg. ita describit.

Immanes vrsi, crudelis gens, fera membra,
Viles hirsuto, densoque teguntur amictu,
Deformes species, facies inhonesta, cruenta,
Tetrica, ferrati dentes, & magnus hiatus,
Atraque feruentes exhalant ora vapores.

Hæc omnia ad terrorem pertinent. Ergo Salomon, vt stultum in præceptorem eius scelera corripientem, quibusdam quasi furiis actum describeret, accommodatissimè illum cum vrsa composuit, cùm raptis catulis in obuium incurrit, laniat, discerpit. Stultus enim impia sua consilia, veluti quosdam animi sui informes, ac degeneres fœtus fouet & adamat: Quapropter si horum perficiendorum copia illi auferatur, si conatus illius obiecto aliquo impedimento retardentur, omni quidem vrsa crudelius, atque immanius in eum furit, qui illius impietati sese obiecit.

48. *Plin.* Sunt qui specialiter per vrsum stultitiam adumbrari voluerint, quia Plin. in eo lib. 8. cap. 36. sic sentit. *Nec alteri animalium in maleficio stultitia solertior*, sed tantum ipsa verborum series satis prodit mendum ibi esse, ac potius legendum *astutia solertior*, nam vrsum callidum imprimis, atque dolosum *Arist. Basil.* esse docet Arist. lib. 6. Historiæ cap. 6. Basilius hom. 10. in Hexam. cùm præmisisset singulos homines in semetipsis numerosam quandam belluarum omnium multitudinem circumferre, sic addit. *Dolus quoties in anima doli fraudisque concinnatrice sibi delegit domicilium, vrso quouis in suo speleo collatebrante implacabilior est.* *Ambros.* Ambros. vbi supra. *Vrsa inquit insidians, est enim plena fraudis fera*, & cap. 13. Apocalypseos, in vrsi forma Antichristum contemplatus ait, *Per vrsum, qui callidissimum est animal. eius astutia ad decipiendos homines demonstrari potest.* Itaque vrsus in vniuersum non quidem stultitiæ, sed potius astus & calliditatis symbolum præbet. Possumus tamen quasdam illius conditiones ad stultitiam referre. Primò quia vt tradunt Aristot. Plinius, & alij locis suprà adscriptis, vrso caput valde infirmũ, & imbecille, adeò vt in caput proruens vel leuiter exturbatis sensibus dementetur. Vnde igitur tanta stulto dementia, vt leuioris cuiusdam correptionis ictu quis dementetur, & in suum doctorem, aut præceptorem insaniat? Sane non aliunde, nisi ex capitis imbecillitate, id est, ex stultitia. Ad hæc vrsus furore percitus lapides à tergo iacit, non satis obseruans, in quem mittat: similis etiam est stulti ex correptione, vel animaduersione furentis rabies, maledicta quidem, probra, & contumelias velut à tergo iacit, neminem veretur, non superiorem, non doctorem, non amicum, aut alium quemlibet, in omnes enim ex æquo furorem effundit suum. *Solinus.* Denique vrsus vulneratus, vt tradit Solinus capite 3. iram diutius alit, adeò vt post aliquot menses, imo etiam annos, vulnerantem agnoscat, atque in magna multitudine venatorum illum adoriatur. Nil sane stultis magis adsimile, quorum est iram ob increpationes, vel correptiones diutius in pectore nutrire, adeò vt non post menses solum, sed etiam post annos in superiores, ac præceptores suos illam euo-

A mere soleant. *Ira*, enim (vt ait Sapiens) *in sinu stulti requiescit.* Sed de hoc alibi.

Præter duas iam præmissas interpretationes subest quidem alia, atque alia. Priorem nobis offert translatio Chaldaïca, quæ sic habet. *Occurrit vrsus, terror viro sapienti & non commouetur, & stultus in stultitia sua cadit.* Quæ verba sic illustro. Stultus, scilicet furore percitus in sapientem hominem vrsi in morem sæuientis impetum facit. Sapiens autem cõstanter agit, stat quidem imperterritus, atque sæuientis impetum excipit, donec stultus demum euictus cadat. Et quidem propterea sapiens stultum facili negocio prosternit, quia ictus suos in caput illius intendit: nouit enim quod quemadmodum vrsus caput infirmum, & imbecille habet, sic etiam in- B sipiens capite, hoc est ratione, & consilio debilis est, atque adeò vulnera sua in caput destinat, scilicet optimis rationibus, & documentis cum illo agit, quibus euictus stultus *in stultitia sua cadit.* Hæc verba sic accipienda esse existimo. *El necio cae en su necedad*, id est, tamdiu sapiens constanter perstat in correptione, & exhortatione, donec stultus resipiscat, & suam ignorationem agnoscat. 49.

Posteriorem interpretationem petere licet ex translatione Septuaginta, quam cum originibus in concordiam adducere, non est difficile, sic enim habet. *Incidit solicitudo viro intelligenti, imprudentes autem excogitabunt mala.* Fortasse Septuaginta vocem C illam דוב. *Dob.* non quidem ad דוב. *Dub.* id est vrsum reduxeruut, sed ad radium דבב. quæ significat infamia, vel contumeliis contristare, nam pro solicitudine in græcis est μέριμνα quæ vox angorem animi notat. Itaque ergo sic interpretor, tu videris. Homini quidem sapienti, cùm contumeliosè corripitur, & probro aliquo petitus increpatur, incidit quidem mœror, tristitia, & solicitudo eius sceleris euadendi, cuius insimulatur. At stultus, & insipiens, non ita, sed correptionibus percitus mali aliquid in corripientem effundere meditatur. Fieri etiam potuit, vt Septuaginta verba vt assolent omittentes, & sententiam illorum amplexi, per vrsam immitem eam solicitudinem animum cruciantem, & lacerantem D acciperent. Aiunt enim vrsam catulis à venatore orbatam in semetipsam furorem conuertere, atq; iniuriæ suæ pœnas à semetipsa immani laceratione expetere, ita tradit Conradus ex locuplete autore, & quod caput est venatoribus, & pastoribus, qui inter vrsas vrsosque assiduè degunt, ita persuasum est. *Conrad. Gesner.* Ergo sensus erit. *Incidit solicitudo viro intelligenti.* Nimirum cùm vir intelligens, ac prudens arguitur, quædam solicitudo & angor animi illum inuadit, similis vrsæ in seipsam ob prolis furta sæuienti; non enim in præceptorem suum, aut doctorem, sed magis in semetipsum furorem concipit, & delictorum suorum pœnas exigit à seipso; secus stultus: hic enim in suum præceptorem rabiem ac furorem ef- E fundit. 50.

13. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.*

QVi reddit mala, &c. Hebræa non dissonant, Chald. etiam concinit. Septuaginta. *Non mouebuntur mala à domo eius.* 60.

Interpretes communiter locum istum de ingratitudine in vniuersum exponunt, vt sensus sit; Deum seuerissimè in ingratos omnes animaduertere solitum. *Qui reddit mala pro bonis*, qui scilicet accepta beneficia iniuriis compensat. *Non recedet malum de domo eius.* Hoc est sceleris istius supplicium à fa-

milia & à facultatibus non aberit, vt respondeat pœna tanto crimini. Nam qui ad eum modum beneficia & merita, quæ ab aliis accepit, maleficiis, ac demeritis rependit, omnia illa, quæ ex Dei beneficentia obtinuit, scilicet familiam, & opes, merito amittit.

Sed tamen hæc interpretatio nimis ampla mihi visa est. Hugo igitur illam pressius accipiens de his quidem exponit, qui ex impatientia in sibi exprobrantes, vel molestiam aliquam inferentes probra, & maledicta retorquent, sic enim scribit. *Omnis qui malè facienti sibi irascitur, reddit malum pro bono, nam omnis molestia & tribulatio bona, & salutaris est homini, vel ad satisfactionem, vel approbationem, & incrementum virtutis: qui igitur tribulanti se irascitur, quasi puer scabiosus est, qui matri lauanti caput eius irascitur & conuitiatur. Item eiusmodi tribulatio, aqua est ad extinguendum ignem concupiscentiæ: qui igitur tribulanti irascitur similis est illi, cuius domus ardet, & afferenti sibi aquam ad extinguendum conuitiatur. Item tribulatio panis est animi.* Thren. 4. *saturabitur opprobriis: qui igitur tribulanti irascitur, similis est cani, qui manum porrigenti sibi panem mordet:* & paulo post ita subdit. *Sed dicet quispiam; Etsi bona faciant tribulantes, non tamen benefaciunt, quia non hoc intendunt, & ideò non sunt sustinendi. Amice, spina, quæ vineam tuam claudunt, & custodiunt, hoc non intendunt facere, sed si ideo reiicis, stultus es.* Hactenus Hugo.

61. Ego verò aliter illam superiorem sententiam coarctandam & premendam puto accommodatè ad superiora, in quibus de correptione beneuolè excipienda sermo est. Itaque ait Salomon. *Qui reddit malum pro bono.* Nimirum si quis admonitionem & correptionem salutarem, qua superior, aut præceptor, illius crimina arguit, ægrè fert, atque probris, maledictis & contumeliis vicem illi reddit (id enim est malum pro bono reddere) ab eo certe Deus seuerissimas pœnas exposcet. *Non recedet malum de domo eius*, aut enim in scipso, aut in familia, aut in facultatibus promeritas pœnas dabit. Deus enim erga improbos ita se gerit, vt quoties verba & increpationes ad ipsos coercendos non satis possunt, plagas & vulnera adhibeat. vel aliter, *Non recedet malum de domo eius* Malum accipe pro culpa, hoc sensu, id est. Qui ea ratione ob correptiones in præceptorem concitatus pro accepto beneficio probra ingratus refert, numquam effugiet mala illa vel culpas, ob quas arguitur, sed hærebunt semper ipsi ac domui eius. Quàm verò turpe sit bonam & salutarem redargutionem initus, atque contumeliis remetiri, eleganter docuit Clemens Alexand. lib. 1. pædag. cap. 5. *Quemadmodum*, inquit, *speculum non est malum deformi, eo quod ipsum ostendat qualis sit, & medicus non ægrotanti malus, quod ei febrem annunciet: non enim medicus est causa febris, sed ipse febrem arguit; ita nec is, qui reprehendit, ei malè vult, qui laborat animo, nec ei delicta adiungit, sed ea, quæ insunt peccata ostendit, vt auertatur homo à studiis suis.* Pende verba illa, *atque ei peccata adiungit.* Nam ea est improborum hominum insania, vt perinde esse existiment crimina eorum argui & insimulari, ac si illis omnino imponerentur, vel adiungerentur. Optimè igitur Chrysostomus hom. 44. in Epistolam ad Corinthios. *Ergo qui arguitur, non ægre ferat, quod sit enim medicina est, non odium, & inimicitia. Si autem medici vrunt & non reprehenduntur, vel in ius vocantur, etiam si sæpè aberrent à fine, sed & qui dolent, dum vruntur, & secantur, beneficiosè affici existimant ab his, qui hunc dolorem excitant; multo magis eum, qui suscipit reprehensionem ita affici oportet, vt eum, qui corripit, pro medico habeat, non pro inimico.*

Hugo. — Clem. Alex. — Chrysost.

14. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit.*

QVi dimittit aquam, &c. Hebr. *Aperiens aquas principium contentionis, & antequam misceatur lis dimitte.* Chald. *Qui effundit sanguinem, sicut aquam, suscitat iurgia, & antequam exardescat, lis dimittenda est.* Septuag. longè aliter. *Potestatem dat sermonibus principium iustitiæ, præcedit autem egestatem contentio & iurgium.* Theodot. concinit cum nostra. 62.

Qui dimittit aquam, &c. Metaphor. sanè loquutio, est enim Hebraicè, *qui aperit aquam*: at, inquies, vnde translatio petita est: mitto Lyranum, cuius expositio parum accommodata est, nam sic ait; Qui dimittit aquam bibendo vinum nimis forte, ac merum, rixarum, & contentionum, quarum maximam vim ebrietas parit, causam offert. Ergo hac prætermissa interpretatione, Rabbi Salomon, & ex hoc alij similitudinem ductam existimant, ab eo, qui fluminis alueum corrumpit, nam licet initio ruptio vel ostium exiguum sit, tamen ipsamet aqua lapsu suo paulatiam viam exterit, & tantum, tamque amplum aperit sibi tramitem, vt nulla vi comprimi, ac coërceri possit. Ergò secundùm hanc similitudinem sententia non vno modo confirmari potest. Plures ergo sic aiunt. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum.* id est, qui rixas & contentiones orditur, similis est illi, qui fluminis exundantis alueum aperit: nam sicut hic paruum licet exitum suffodiat, nihilominus aqua erumpens ampliorem sibi tramitem facit, & agros latè exundare consueuit; sic etiam qui initium dedit contentioni quantumlibet exiguum, maximis discordiis ostium aperit: nam ipsa per se contentio paulatim alitur, & in magnam euadit discordiam: adeò vt sæpius magnæ adinstar inundationis populos, atque vrbes latè impleat, & quod ex leui quadam duorum contentione auspicatum est dissidium, in seditionem, & ciuilia bella transeat. Addit Salomon. *Et antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit*: si verborum sonum, & tinnitum sequamur, videtur quidem Salomon eius hominis, qui rixas & contentiones aliis immittit, ingenium describere, qui statim atque contentioni ostium reserauit, fugit, ac sese tutum vendicat, priusquam illum concitati belli, aut rixæ inundatio inuoluat, & contumeliis, iniuriis, aut etiam plagis, quæ in contentionibus copiosissimè affluunt, obruatur. Et quidem sæpius ita contingit, vt discordiæ callidus molitor initio nascentis contentionis sese subripiat, alios in stadio, & in agone dimittens, atque adeò cautius cauendus est. Cæterùm si origines penitus rimentur, à sensu isto longè absunt. Nam primitiua ad verbum sic habent. *Et antequam misceatur lis, dimitte illam.* Itaque Salomon id consilij nobis dat, vt initio antequam lis, & contentio iam oborta exundet & solita incrementa capiat, illam deseramus. Nam quemadmodum paruam rimam, aut exitum, per quem aqua erumpere cœpit, obturare facile est, cùm autem ipsa sibi amplum tramitem reserauit, nó item: sic etiam contentionis primò nascentis exitum obstruere non est difficile, at vbi excreuit, & præruptis obicibus exundauit, comprimi & coërceri non potest. Hunc ad sensum vocanda est lectio vulgata hoc modo. *Et antequam patiatur contumeliam iudicium deserit.* qui discordiæ initium præbuit quacumque ex causa, similis est ei, qui fluminis alueum aperuit, atque adeò si sapit, antequam

Rabbi Salomon. — 63.

vis contentionis obortæ, quasi inundatio aliqua illum contumeliis, & iniuriis obruat, litem deserit, & velut obturatis meatibus contentionem intercipit: itaque hæc parabola docet rixas, & contentiones initio comprimendas.

64. Ad præfatam etiam similitudinem reuocare licet Magni Gregorij expositionem, quæ hoc solum differt à superiori, quod primam contentionum originem, seu rimam altius petit: itaque illum, qui aquam aperit, non eum esse dicit, qui contentionis primordia tentauit, sed longius progreditur, & à sola silentij violatione ducit initium, illumque aquæ primum ostium reserare affirmat, qui os ad loquendum laxauit. Sic enim scribit lib. 7. Moral. cap. 18. *Sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoque stultæ contentionis effrenatur: quibusdam enim gradibus desidiosa mens in foueam lapsus impellitur. Nam dum otiosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus, vt prius loqui aliena libeat, & postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur lingua mordeat: quandoque autem vsque ad apertas contumelias erumpat, hinc irarum excitantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium. Vnde bene per Salomonem dicitur; Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum, aquam quippe dimittere tantumdem est ac linguam in eloquij fluxum relaxare.* Hactenus ille, qui tantarum contentionum alluuionem ex eo solum fluere affirmat, quod per eloquendi redundantiam aquæ exitus reclusus est. Similia verba habet lib. 3. c. 11. *Boni*, inquit, *viri freno consilij retinent præcipitationem verbi, & cautè considerant ne relaxantes linguæ lasciuiam auditorum conscientiam in causa locutione transfigant, vnde bene per Salomonem dicitur; Qui dimittit aquam*, &c. *Aqua quippe dimittitur cum lingua fluxus effrenatur. Sed dimissor aquæ caput iurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiarum origo propinatur.*

Alij rursus aliter metaphoram istam conformant, existimant enim similitudinem duci ab aqua in lacu stagnante, & ad secreti obseruationem referunt hoc modo. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum.* Scilicet, qui mysterium sibi commissum, non quidem vt efflueret, sed potius vt more stagnantis aquæ cõtineretur, reserat, & in vulgus abire sinit, dissoluendæ amicitiæ causam præcipuam, iurgiorum, atque dissensionum ansam offert: & quidem arcanorum reuelator satis aptè componitur cum eo, qui stagnantem alicuius laci aquam prærumpit. Adest huius similitudinis autor non pœnitendus Petrus Blesensis in opusculo de amicitia. *Qui reuelat*, inquit, *arcana, amicitiam perimit: nam sicut pisces cùm stagnantis laci aqua effluxit, illico intermoriuntur, sic etiam vbi animus perefflluit, gratia interit, emoritur beneuolentia.* Sed tamen hæc interpretatio prioris hemistychij cum posteriori non cohæret.

65. Non nemo etiam metaphoram aperientis aquam aliàs retulit, existimat enim illam petitam fuisse aut aquis irriguis, quæ rixarum, & contentionum satis vberem copiam agricolis offerre solent, dum quilibet aquam in suum agrum deriuare contendit, vt sensus sit. *Qui dimittit aquam.* Hebraicè. *Qui aperit aquam, caput est iurgiorum*, id est, qui lites, & iurgia suscitat, similis est illi, qui riuuli alueum, seu ductum aperit, & in suum prædium deriuat, tùnc cum aliis ius competit ad prædia sua infundenda, quod magis contentionibus, atque rixis causam præbere solet. Quod perinde est, ac si dicat, omnes lites, & contentiones, quæ in qualicumque materia suboriuntur, simile exordium habere his, quæ in aquarum partitionibus euenire solent, nimitum quolibet aquam in suum prædium regere volente. Hispani dicunt. *Cada vno quiere tirer elagua asu molino.* Nam dum quiuis commodis suis studet, & res alias sibi sumere satagit, aliis etiam ex aduerso easdem obtinere contendentibus, vniuersa litium, & contentionum exurgit dissimilitudo, iuxta illud Iacobi. 4. *Vnde bella, & lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? concupiscitis, & non habetis, occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci, litigatis, & belligeratis*, &c. Quapropter *antequam lis misceatur, dimitte illam*, inquit Salomon, hoc est aquam. Rem scilicet, super qua contenditur, missam fac, antequam lis, & disceptatio permisceatur, secundum illam Christi Domini sententiam, *Ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, da ei, & pallium.* Matth. 5. Ad hunc etiam sensum accersere licet vulgatam translationem. *Et antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit*, nimirum is, qui nouit totam litium, & contentionum originem ex eo fluere, quod quilibet aquam in suum prædium regere vult, velut Hispani dicunt. *Porque cada vno quiere Nebar elagua asu molino*, litem sponte deserit, & rei, de qua disceptandum erat, iacturam libenter facit, ne aut contumeliosè causa cadat, vel saltem contentiosi, ac litigiosi hominis probrum sibi inurat, aut litigiorum molestias perpeti cogatur.

66. Ad præmissas huius metaphoræ non iniucundas interpretationes accedit etiam Hugonis placitum, qui similitudinem istam à vase aliquo, vel dolio ductam existimat, quod per rimulam aliquam effluere permittitur, vt sensus sit. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum.* Ad cogitationes animi refert Hugo, id est: Qui cogitationem fluxam, & labilem non coërcet, sed per rimas cordis sui, dolij adinstar pertusi effluere sinit, iurgiorum causa existit, quia homo exhaustis cogitationibus verbis redundat, inquit Hugo, & verborum multitudinem ira sequitur, & contentio, &c. Itaque D. Gregor. iurgia, & contentiones ex verbis originem trahere asseruit. Hugo autem altius rem exquirens culpam omnem in cogitationes confert. Est etiam qui hanc pertusi dolij similitudinem aliter per accommodationem expenderit. Nam Plutarchus in lib. de amicitia, quoddam *gratiarum dolium* comminiscitur minimè pertusum, hoc autem memoriam esse dicit, quæ omnia ab amico in amicum profecta merita continet, ac nihil effluere permittit. Igitur iuxta hanc Plutarchi sententiam verba Salomonis sic accommodata. *Qui dimittit aquam:* qui scilicet quasi ex dolio perforato eam abire sinit; nimirum qui accepta ab amico beneficia ex memoria, quam *gratiarum dolium* esse decreuimus, effluere permittit, iurgiis, atq; discordiis initiũ præbet: nam memoria beneficiorum, ac meritorum abolita, subit statim iniuriarũ recordatio, quæ contentionibus atq; dissidiis causam præbet. Hæc etiam interpretatio, & similitudinis explicatio cum sequenti clausula consui non potest.

67. Accedat etiam his alia expositio. Aliquis enim excogitare posset similitudinem hanc dictam ex molendinis, hoc modo. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum*, nimirum is, qui iurgia suscitat, similis est ei, qui meatum aquæ aperit, qua influente rota molaris citato impetu prouoluitur: sicut enim sæpè accidit, vt aqua immissa, molaris rota ob seminis molendi defectum, vel ob impetum nimium, ignem concipiat, & totius molendini incendium abducat; sic etiam euenire solet hominibus. At quænam est, inquies, rota ista molaris, quæ tantum discordiarum excitat incendium? libens dico, Rotam istam descripsit D. Iacobus cap. 3. *Lingua*, inquit, *constituitur in*

Greg. Magn. Petr. Blesen. Iacob. 4. Matth. 5. Gregor. Hugo. Plutarc.

in membris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis inflammata à gehenna. In quæ verba istiusmodi scholion coniecit Vatablus. *Lingua est, quæ adducit in discrimen totum hominem cùm inconsultè mouetur, vt more molendinorum totum molendinum incendant, vbi nimio motu ignem conceperint.* Itaque linguam cum molari rota componit, quia sicut hæc vel seminis molendi defectu, vel motu nimio ignem excitat & totum molendinum incendit: sic etiam lingua in familiaribus colloquiis, cùm non subest aliqua vtilis materia, quam, vt ita dicam, molat, subiectum sibi lapidem atterit. Ad detractiones probra, & contumelias se recipit, quibus rixarum, atque contentionum ignem suscitat, adeo vt ab illius scintillis non vna tantum domus, sed vrbes magnæ nonnumquam deflagrent. Aliquando etiam licet seminis molendi, hoc est loquendi, vtilis materia suppetat, à motu nimio ipsa per se lingua incalescit, & ignis scintillas eiaculatur. Nam in multiloquio numquam deest peccatum. Aptè igitur Salomon ait: *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum*, id est, qui linguâ laxans iurgia, & contentiones excitat, similis est illi qui rotæ molari plusquam satis est aquæ, immittit. subdit: *Et antequam misceatur lis dimittit.* Nimirum linguam compesce, & verba opprime, hoc est enim aquam intercipere, & continere, ne mola concepto igne molendinum incendat, id sibi vult noster Vulgatus, cum ait: *Et antequam patiatur contumeliam, deserit iudicium,* nimirum vir prudens contentionem soluit, antequam aduersarius calumniator probra in illum regerat, atque infamiæ notam aliquam ipsi inurat.

68. Chaldæus denique aliter huius metaphoræ similitudinem soluit. Sic enim ait: *Qui effundit sanguinem sicut aquam, suscitat iurgia, & antequam exardescat, lis dimittenda est:* quæ verba hunc sensum reddunt, qui iurgia & contentiones ciet, sæpius ex paruo dissidio eò seditionum, & bellorum rempublicam adducit, vt sanguis largissimè aquæ in morem effundatur. Quapropter, inquit, lis initio comprimenda est antequam sæuiat. Vel aliter. Similitudo ducta est à rogo nimium incenso, qui aqua leuiter inspersus, & irroratus, magis ac magis inardescit, vt sensus sit; cùm contentione aliqua suborta, & iamiam inflammata, sanguis hinc, vel inde effunditur, perinde est, ac si aqua rogo, aut fornaci alicui nimium incenso inspergatur, quæ quidem non extinguitur, sed magis inflammatur, atque inardescit. Quapropter lis omnis, & contentio antequam exardescat restinguenda, & opprimenda est.

Sed difficilius est translationem Septuag. cum originali in concordiam adducere, exploratum enim sapientissimos illos interpretes omissis verbis sententiam tenuisse. Ita enim legerunt. *Potestatem dat sermonibus principium iustitiæ, præcedit autem egestatem contentio & iurgium.* Et quidem sententia ad lites & causas ciuiles spectare videtur: suadet autem Salomon ab his abstinere, quia paupertatem maximam afferre consueuerunt. Itaque ait, *Potestatem dat sermonibus seu orationibus principium iustitiæ.* loquitur autem de orationibus, quas ad iudices habent causarum, aut litium patroni: & sensus est; suscipiendæ, atque agitandæ litis copiam facit iustitia. Nimirum quicumque iustam causam habet, potest quidem licitè ius suum apud iudices actionibus, & orationibus tueri. Non inficior. Illud tamen experientia duce noui, lites & contentiones ferè in paupertatem, & rerum angustias homines adducere, Quid certius? Ergo Salomon metu paupertatis, in quam fere litigatores omnes incidunt, à litibus suscipiendis deterret. At, inquies, qua ratione A hæc translatio Septuag. cum originali lectione cohæret? *Aperiens aquã principium*, aut *caput contentionis.* Profectò, si fas est dicere, non modo apud Græcos, & alias quasdam gentes, clepsidrarum vsum solemnem fuisse ad permetiendas litigatorum orationes, & actiones, quas ad iudices habebant, sed etiam apud Iudæos, (quod fortasse ex aliis Sacræ scripturæ locis coniectari licet) facilis admodum est nexus vtriusque lectionis. Nam aperire aquam tunc perinde erit, atque litem, seu actionem inchoare per quandam venustam allegoriam. Nota est clepsidrarum structura & vsus. Apuleius quidem in asino illam descripsit hoc modo. *Et ad dicendi spacium vasculo quodam in vicem colli gracilitate fistulato, ac* 69. *Apuleius.*
B *per hoc guttatim defluo infusa aqua ad populum sic erat.* Per hanc verò Græci dicendi tempus distribuere solebant, vt actor clepsidram aperiret, & per spacium aliquod diceret, rursus noua aqua infunderetur patrono, tandem iudici. Hinc nata illa dicendi formula: *Inaniter aquam consumis.* id est, tempus orationi, vel actioni præscriptum vanissimis nugis exteris: nec non illa. *Aqua præterfluit.* id est, rei petendæ actio iam non subest, & aliæ eiusmodi. Et quidem illa verba Isaiæ cap. 40. *Ecce gentes quasi stilla situlæ*, &c. aliqui ad clepsidram referunt, quæ *Isaia 40.* guttatim aquam perstillat, nam aliorum vasorum, aut calicum vulgarium non est ita accommodata similitudo. Quapropter, *Aperire aquam*, secundùm
C hanc interpretationem, perinde est atque litem inchoare seu actorem esse in lite: idque Septuaginta propterea cauendum suadent, quia in egestatem desinere solet. Vulgatus autem ideo cauendum dicit, quia leues discordiæ in magnas euadunt. Hanc expositionem reliquis præferendam puto.

Quod si hæc minus placeant, dicimus quidem Septuagin. *Aquam aperire*, aut dimittere, metaphoricè accepisse pro eo, quod est initium dicendi facere in iudicio: nam ab aquis & fluminibus ad orationem multæ elegantes translationes ducuntur, nam orationem labi, fluere, atque flumen orationis dicimus, & alia id genus.

D

15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

QVi iustificat, &c. Hebræa non dissonant. Septuag. sic habent. *Qui iustum iudicat eum, qui iniustus, iniustum autem eum, qui iustus, immundus & abominabilis apud Deum.* D. Ambr. lib. 1. Offic. c. 27. paulò aliter. *Qui enim* (inquit) *iustum iudicat iniustum, iniustum verò iustum, execrabilis erit apud Deum, vt quid abundant iustitiæ imprudenti*, sic ille extulit extrema verba, pro quibus codices Septuag. hodie habent. *Vt quid diuitiæ abundant imprudenti.* 70.

Locus perspicuus est. Aliqui in vniuersum exponunt de his, qui per falsam rerum æstimationem, & adulationis studium impios homines commendant, & eorum vitia, vel excusationibus eleuant, vel virtutum nominibus celebrant, vtpotè qui auaritiam & sordes illorum parcitatem appellant, & profugas largitiones liberalitatem dicunt, & alia id genus. Hi enim iustificant impium. Ac rursus illi, qui ex aduerso iustorum virtutes vitio ducunt, nimirum parcitatem vicissim sordes nominant, atque liberalitatem profusionis nomine deturpant, & sic de aliis; hi iustum condemnare dicuntur. Vtrique verò Deo inuisi & abominabiles, & immundi sunt multis de

causis;

causis: Quia dum vitiorum ac virtutum nomina, & naturas permiscent & confundunt, cunctam officiorum cognitionem & vsum euertunt. Vnde Plutarchus in Moralibus sic ait. *Nam dum virtutis vocabula vitiis tribuunt, & vicissim virtutibus vitiorum nomina dedunt, inficiunt affectuum seminarium, & habitum animi, vnde ceu fonte omnia vitæ officia proficiscũtur.* Nam cùm virtutũ habitus instar fontium quorumdam obtineant, à quibus officia cuncta proficiscuntur, ac semina quædam sint, quæ bonas actiones progerminant, sanè qui virtutes cum vitiis confundit, similis est ei, qui cum semine bono adulterinum permiscet, nec non illi, qui publicos fontes veneno inficit, vel sordes obfundit, ac cœnum. Ad hæc, qui ad eum modum virtutes cum vitiis componunt, fidem virtutibus detrahunt, & vitiis auctoritatem conciliant, ac demum omnem honestatis speciem deturpant, propterea Deo abominabiles existunt.

Plutarch.

Cæterùm posterior expositio est accommodatior, quæ locum istum de iudicibus exponit, qui gratia, aut muneribus corrupti impios absoluunt, & iustos condemnant, itaque ait, *Qui iustificat impium,* scilicet, qui iudicio suo iustũ esse decernit eum, qui reus est. *Et qui condemnat iustum,* reum videlicet peragens eum, quem ab omni culpa immunem esse nouit, *Abominabilis est apud Deum,* Deo scilicet valde inuisus est: quia cùm omnis iudex vicariam Dei potestatem exerceat, illi per omnia similis esse debet: quapropter sicut nulla munerum corruptio, vel personarum acceptio Dei iustitiam flectere potest, sic etiam Vicarius illius omnem à se gratiam, & corruptelam arcere debet: qui verò aliter se gerit, diuinæ execrationi patet.

16. *Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit?*

71. QVid prodest stulto, &c. Hebraïcè sic ad verbum. *Vt quid hoc pretium in manu stulti ad acquirendam sapientiam, & cor non.* Septuag. *Vt quid diuitiæ imprudenti, acquirere enim sapientiam excors non poterit.* Ambros. vt nuper obseruaui *Vt quid iustitia abundant imprudenti, &c.* Chald. *Ad quid prodest negotiatio stulto, qui non habet cor, neque scientiam.*

Huius loci sententiam diuersæ translationes euariant. Primitiua lectio hunc sensum reddere videtur. *Vt quid pretium in manu stulti ad acquirendam sapiẽtiã, cùm excors sit.* Nimirum frustra stultus fortunis, ac copiis affatim abundat, quibus sapientiam sibi parere posset, cùm præ sua insipientia id præstare negligat. Illud verò *in manu stulti,* ad libertatem pertinet, qua diuitias in comparandæ sapientiæ vsum cõferre posset. At, inquies, qua ratione sapientiam diuitiis parere licet? Occurrit Hugo Cardinal. nomine sapientiæ virtutem notari, quæ Eleemosynis liberaliter largiendis, atque in vniuersum recto diuitiarũ vsu acquiritur. Rodolphus autem nomine sapientiæ cognitionem boni capiendam putat, atque hanc libris coemptis, & præceptoribus pretio conductis comparari posse affirmat, quæ stultus præ sua stoliditate non facit. Chaldæus habet. *Ad quid prodest negotiatio, vel mercatura stulto, qui non habet cor, neque scientiam?* Nimirum frustra stultus negociatione, aut mercatura ditescit, cùm præ sua stultitia partis vti nesciat.

72. Sed quia præmissæ expositiones, & aliæ his adsimiles parum accommodatæ aliis visæ sunt, ab externis fortunis ad internas diuitias, & copias se recipiunt; quorum signifer est Caietanus. Vt sensus sit. A *Quid prodest stulto habere diuitias; cum sapientiam, &c.* idest, frustra stultus mente, memoria, voluntate, & aliis facultatibus præditus est, (hæc enim sunt innatæ hominis opes & fortunæ) cùm ad sapientiam comparandam propter cordis, & sensus inopiam, eas adhibere, aut collocare nesciat. In quam sane expositionem libenter irem, nisi alia sese offerret interpretatio cum nostro, & cum originali textu cohærentior.

Ergo per diuitias externas fortunas intelligo, atque earum contemptum à Salomone suaderi existimo, cùm per se solæ sunt, & sapientia illis socia non hæret. Igitur illud *Quid prodest,* perinde est, ac *nihil prodest.* Quapropter memoria repetere oportet id, B quod supra dixi cap. 6. vers. 12. (nescio an alibi) eam dicendi formulam in scriptura non tantum significare aliquid inutile, ac nullius vsus, sed etiam nociuum. Sapien. 1. *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest,* id est, quæ obest plurimum: & cap. 5. *Quid nobis profuit superbia?* id est, multum nobis obfuit. Ierem. *Verè mendacium possederunt patres nostri vanitatem, quæ eis non profuit:* & ad Heb. 3. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ nihil profuerunt ambulantibus in eis,* & passim alia, quæ non solum vtilitatis expertem, sed etiam plenum damni, & detrimenti vsum sonant. Iam intelligis quò tendam. Salomon igitur sic ait: *Quid prodest stulto?* idest, nihil prodest, imo obest plurimum diuitiarum insanam C quamdam vim obtinere. *Cùm sapientiam emere non possit,* nimirum cùm careat ipse sapientia, sine qua diuitiæ valde nociuæ sunt, atque hanc sapientiam copiis suis quamlibet ingentibus comparare non possit, quia fortunæ, & opes ingentes sapientiam non tam augent, quàm extenuant. Itaque Salomon his verbis monet, opes, cùm abest sapientia, & prudentia ad vsum earum moderandum, diuiti valde nociuas, atque multarum iacturarum causas esse. Ac rursus easdem opes ad parandam sapientiam nihil præstare, cum potius stoliditatem, & amentiam afferre soleant. Aristot. lib. 1. Rhetor. cap. 16. *Diuitiæ nihil fere aliud sunt, quàm fœlix amentia.* Adde Chrysost. hom. 7. in Epistol. ad Colossens. vbi plura de D hoc argumento *Quid ergo,* inquit *diuitibus fuerit insipientius, hoc autem fit ex animi desideriorum vi, & appetentia.* Et iterum. *Nonne vides quomodo insanientes faciunt diuitias, quomodo intumescant, & æstuent? quas enim nugas non sibi describunt, magis quàm qui Hippocentauros effingunt, & Chymeras, & Serpentipedes, & Scyllas, & monstra videris eos effingentes. Et si quis velit vnam eorum effingere cupiditatem, nihil videbuntur, nec Scylla, nec Chymera, neque Hippocentaurus, si cum portento illo conferantur, sed videbis illam habere omnes simul belluas.* Sed tamen verba isthæc alibi dabimus, & expendemus: hìc verò ad eum sensum sic refero. Quamlibet diuitis hominis cupiditatem omnes simul belluas in semetipsam cogere dicit Chrysost. E quia omnium stoliditatem, & expertem rationis amentiam conflat, factus, si licet dicere, cunctis irrationalibus irrationabilior, velut monstrum ex pluribus belluis conflatum.

Sap. 1. Sap. 5. Ierem. Ad Heb. 3. Aristot. Chrysost.

17. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui euitat discere, incidet in mala.*

QVi altam facit domum suam, &c. Hæc verba desiderantur in originibus. Itaque noster Interpres ex textu Septuag. in suam transtulit editionem Septuag. verò ad verbum sic habent. *Qui excelsam habet domum suam, quærit contritionem: qui autem tortuosè accedit ad discendum, incidet* 73.

in membris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis inflammata a gehenna. In quæ verba istiusmodi scholion coniecit Vatablus. *Lingua est, quæ adducit in discrimen totum hominem cùm inconsultè mouetur, vt more molendinorum totum molendinum incendant, vbi nimio motu ignem conceperint.* Itaque linguam cum molari rota componit, quia sicut hæc vel seminis molendi defectu, vel motu nimio ignem excitat & totum molendinum incendit: sic etiam lingua in familiaribus colloquiis, cùm non subest aliqua vtilis materia, quam, vt ita dicam, molat, subiectum sibi lapidem atterit. Ad detractiones probra, & contumelias se recipit, quibus rixarum, atque contentionum ignem suscitat, adeo vt ab illius scintillis non vna tantum domus, sed vrbes magnæ nonnumquam deflagrent. Aliquando etiam licet seminis molendi, hoc est loquendi, vtilis materia suppetat, à motu nimio ipsa per se lingua incalescit, & ignis scintillas eiaculatur. Nam in multiloquio numquam deest peccatum. Aptè igitur Salomon ait: *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum*, id est, qui linguá laxans iurgia, & contentiones excitat, similis est illi qui rotæ molari plusquam satis est aquæ, immittit, subdit: *Et antequam misceatur lis dimittit.* Nimirum linguam compesce, & verba opprime, hoc est enim aquam intercipere, & continere ne mola concepto igne molendinum incendat, id sibi vult noster Vulgatus, cum ait: *Et antequam patiatur contumeliam, deserit iudicium*, nimirum vir prudens contentionem soluit, antequam aduersarius calumniator probra in illum regerat, atque infamiæ notam aliquam ipsi inurat.

68. Chaldæus denique aliter huius metaphoræ similitudinem soluit. Sic enim ait: *Qui effundit sanguinem sicut aquam, suscitat iurgia, & antequam exardescat, lis dimittenda est:* quæ verba hunc sensum reddunt, qui iurgia & contentiones ciet, sæpius ex paruo dissidio eò seditionum, & bellorum rempublicam adducit, vt sanguis largissimè aquæ in morem effundatur. Quapropter, inquit, lis initio comprimenda est antequam sæuiat. Vel aliter. Similitudo ducta est à rogo nimium incenso, qui aqua leuiter inspersus, & irroratus, magis ac magis inardescit, vt sensus sit; cùm contentione aliqua suborta, & iamiam inflammata, sanguis hinc, vel inde effunditur, perinde est, ac si aqua rogo, aut fornaci alicui nimium incenso inspergatur, quæ quidem non extinguitur, sed magis inflammatur, atque inardescit. Quapropter lis omnis, & contentio antequam exardescat restinguenda, & opprimenda est.

Sed difficilius est translationem Septuag. cum originali in concordiam adducere, exploratum enim sapientissimos illos interpretes omissis verbis sententiam tenuisse. Ita enim legerunt. *Potestatem dat sermonibus principium iustitiæ, præcedit autem egestatem contentio & iurgium.* Et quidem sententia ad lites & causas ciuiles spectare videtur: suadet autem Salomon ab his abstinere, quia paupertatem maximam afferre consueuerunt. Itaque ait, *Potestatem dat sermonibus seu orationibus principium iustitiæ.* loquitur autem de orationibus, quas ad iudices habent causarum, aut litium patroni: & sensus est; suscipiendæ, atque agitandæ litis copiam facit iustitia. Nimirum quicumque iustam causam habet, potest quidem licitè ius suum apud iudices actionibus, & orationibus tueri. Non inficior. Illud tamen experientia duce noui, lites & contentiones ferè in paupertatem, & rerum angustias homines adducere. Quid certius? Ergo Salomon metu paupertatis, in quam fere litigatores omnes incidunt, à litibus suscipiendis deterret. At, inquies, qua ratione hæc translatio Septuag. cum originali lectione cohæret? *Aperiens aquā principium, aut caput contentionis.* Profectò, si fas est dicere, non modo apud Græcos, & alias quasdam gentes, clepsidrarum vsum solemnem fuisse ad permetiendas litigatorum orationes, & actiones, quas ad iudices habebant, sed etiam apud Iudæos, (quod fortasse ex aliis Sacræ scripturæ locis coniectari licet) facilis admodum est nexus vtriusque lectionis. Nam aperire aquam tunc perinde erit, atque litem, seu actionem inchoare per quandam venustam allegoriam. Nota est clepsidrarum structura & vsus. Apuleius quidem in asino illam descripsit hoc modo. 69. Apuleius. *Et ad dicendi spacium vasculo quodam in vicem colli gracilitate fistulato, ac per hoc guttatim defluo infusa aqua ad populum sic orat.* Per hanc verò Græci dicendi tempus distribuere solebant, vt actor clepsidram aperiret, & per spacium aliquod diceret, rursus noua aqua infunderetur patrono, tandem iudici. Hinc nata illa dicendi formula: *Inaniter aquam consumis.* id est, tempus orationi, vel actioni præscriptum vanissimis nugis exteris: nec non illa. *Aqua præterfluit.* id est, rei petendæ actio iam non subest, & aliæ eiusmodi. Et quidem illa verba Isaiæ cap. 40. Isaia 40. *Ecce gentes quasi stilla situlæ*, &c, aliqui ad clepsidram referunt, quæ guttatim aquam perstillat, nam aliorum vasorum, aut calicum vulgarium non est ita accommodata similitudo. Quapropter, *Aperire aquam*, secundùm hanc interpretationem, perinde est atque litem inchoare seu actorem esse in lite: idque Septuaginta propterea cauendum suadent, quia in egestatem desinere solet. Vulgatus autem ideo cauendum dicit, quia leues discordiæ in magnas euadunt. Hanc expositionem reliquis præferendam puto.

Quod si hæc minus placeant, dicimus quidem Septuagin. *Aquam aperire*, aut dimittere, metaphoricè accepisse pro eo, quod est initium dicendi facere in iudicio: nam ab aquis & fluminibus ad orationem multæ elegantes translationes ducuntur, nam orationem labi, fluere, atque flumen orationis dicimus, & alia id genus.

---

15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

QVi iustificat, &c. Hebræa non dissonant. 70. Septuag. sic habent. *Qui iustum iudicat eum, qui iniustus, iniustum autem eum, qui iustus, immundus & abominabilis apud Deum.* D. Ambr. lib. 1. Offic. c. 27. paulò aliter. *Qui enim* (inquit) *iustum iudicat iniustum, iniustum verò iustum, execrabilis erit apud Deum, vt quid abundant iustitiæ imprudenti*, sic ille extulit extrema verba, pro quibus codices Septuag. hodie habent. *Vt quid diuitiæ abundant imprudenti.*

Locus perspicuus est. Aliqui in vniuersum exponunt de his, qui per falsam rerum æstimationem, & adulationis studium impios homines commendant, & eorum vitia, vel excusationibus eleuant, vel virtutum nominibus celebrant, vtpotè qui auaritiam & sordes illorum parcitatem appellant, & profugas largitiones liberalitatem dicunt, & alia id genus. Hi enim iustificant impium. Ac rursus illi, qui ex aduerso iustorum virtutes vitio ducunt, nimirum parcitatem vicissim sordes nominant, atque liberalitatem profusionis nomine deturpant, & sic de aliis; hi iustum condemnare dicuntur. Vtrique verò Deo inuisi & abominabiles, & immundi sunt multis de causis;

causis: Quia dum vitiorum ac virtutum nomina, & naturas permiscent & confundunt, cunctam officiorum cognitionem & vsum euertunt. Vnde Plutarchus in Moralibus sic ait. *Nam dum virtutis vocabula vitiis tribuunt, & vicissim virtutibus vitiorum nomina dedunt, inficiunt affectuum seminarium, & habitum animi, vnde ceu fonte omnia vitæ officia proficiscũtur.* Nam cùm virtutũ habitus instar fontium quorumdam obtineant, à quibus officia cuncta proficiscuntur, ac semina quædam sint, quæ bonas actiones progerminant, sanè qui virtutes cum vitiis confundit, similis est ei, qui cum semine bono adulterinum permiscet, nec non illi, qui publicos fontes veneno inficit, vel sordes obfundit, ac cœnum. Ad hæc, qui ad eum modum virtutes cum vitiis componunt, fidem virtutibus detrahunt, & vitiis auctoritatem conciliant, ac demum omnem honestatis speciem deturpant, propterea Deo abominabiles existunt. Plutarch.

Cæterùm posterior expositio est accommodatior, quæ locum istum de iudicibus exponit, qui gratia, aut muneribus corrupti impios absoluunt, & iustos condemnant, itaque ait, *Qui iustificat impium*, scilicet, qui iudicio suo iustũ esse decernit eum, qui reus est. *Et qui condemnat iustum*, reum videlicet peragens eum, quem ab omni culpa immunem esse nouit, *Abominabilis est apud Deum*, Deo scilicet valde inuisus est: quia cùm omnis iudex vicariam Dei potestatem exerceat, illi per omnia similis esse debet: quapropter sicut nulla munerum corruptio, vel personarum acceptio Dei iustitiam flectere potest, sic etiam Vicarius illius omnem à se gratiam, & corruptelam arcere debet: qui verò aliter se gerit, diuinæ execrationi patet.

---

16. *Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit?*

71. QVid prodest stulto, &c. Hebraicè sic ad verbum. *Vt quid hoc pretium in manu stulti ad acquirendam sapientiam, & cor non.* Septuag. *Vt quid diuitiæ imprudenti, acquirere enim sapientiam excors non poterit.* Ambros. vt nuper obseruaui *Vt quid iustitia abundant imprudenti, &c.* Chald. *Ad quid prodest negotiatio stulto, qui non habet cor, neque scientiam.*

Huius loci sententiam diuersæ translationes euariant. Primitiua lectio hunc sensum reddere videtur. *Vt quid pretium in manu stulti ad acquirendam sapiẽtiã, cùm excors sit.* Nimirum frustra stultus fortunis, ac copiis affatim abundat, quibus sapientiam sibi parere posset, cùm præ sua insipientia id præstare negligat. Illud verò *in manu stulti*, ad libertatem pertinet, qua diuitias in comparandæ sapientiæ vsum cõferre posset. At, inquies, qua ratione sapientiam diuitiis parere licet? Occurrit Hugo Cardinal. nomine sapientiæ virtutem notari, quæ Eleemosynis liberaliter largiendis, atque in vniuersum recto diuitiarũ vsu acquiritur. Rodolphus autem nomine sapientiæ cognitionem boni capiendam putat, atque hanc libris coemptis, & præceptoribus pretio conductis comparari posse affirmat, quæ stultus præ sua stoliditate non facit. Chaldæus habet. *Ad quid prodest negotiatio, vel mercatura stulto, qui non habet cor, neque scientiam?* Nimirum frustra stultus negociatione, aut mercatura ditescit, cùm præ sua stultitia partis vti nesciat.

72. Sed quia præmissæ expositiones, & aliæ his adsimiles parum accommodatæ aliis visæ sunt, ab externis fortunis ad internas diuitias, & copias se recipiunt; quorum signifer est Caietanus. Vt sensus sit. A *Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam, &c.* idest, frustra stultus mente, memoria, voluntate, & aliis facultatibus præditus est; (hæc enim sunt innatæ hominis opes & fortunæ) cùm ad sapientiam comparandam propter cordis, & sensus inopiam, eas adhibere, aut collocare nesciat. In quam sane expositionem libenter irem, nisi alia sese offerret interpretatio cum nostro, & cum originali textu cohærentior.

Ergo per diuitias externas fortunas intelligo, atque earum contemptum à Salomone suaderi existimo, cùm per se solæ sunt, & sapientia illis socia non hæret. Igitur illud. *Quid prodest*, perinde est, ac *nihil prodest*. Quapropter memoria repetere oportet id, B quod supra dixi cap. 6. vers. 12. (nescio an alibi) cùm dicendi formulam in scriptura non tantum significare aliquid inutile, ac nullius vsus, sed etiam nociuum. Sapien. 1. *Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest*, id est, quæ obest plurimum: & cap. 5. *Quid nobis profuit superbia?* id est, multum nobis obfuit. Ierem. *Verè mendacium possederunt patres nostri vanitatem, quæ eis non profuit*: & ad Heb. 3. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ nihil profuerunt ambulantibus in eis*, & passim alia, quæ non solum vtilitatis expertem, sed etiam plenum damni, & detrimenti vsum sonant. Iam intelligis quò tendam. Salomon igitur sic ait: *Quid prodest stulto?* idest, nihil prodest, imo obest plurimum diuitiarum insanam quamdam vim obtinere. C *Cùm sapientiam emere non possit*, nimirum cùm careat ipse sapientia, sine qua diuitiæ valde nociuæ sunt, atque hanc sapientiam copiis suis quamlibet ingentibus comparare non possit, quia fortunæ, & opes ingentes sapientiam non tam augent, quàm extenuant. Itaque Salomon his verbis monet, opes, cùm abest sapientia, & prudentia ad vsum earum moderandum, diuiti valde nociuas, atque multarum iacturarum causas esse. Ac rursus easdem opes ad parandam sapientiam nihil præstare, cum potius stoliditatem, & amentiam afferre soleant. Aristot. lib. 1. Rhetor. cap. 16. *Diuitiæ nihil fere aliud sunt, quàm fœlix amentia.* Adde Chrysost. hom. 7. in Epistol. ad Colossens. vbi plura de D hoc argumento *Quid ergo*, inquit *diuitibus fuerit insipientius, hoc autem fit ex animi desideriorum vi, & appetentia.* Et iterum. *Nonne vides quomodo insanientes faciunt diuitias, quomodo intumescant, & æstuent? quas enim nugas non sibi describunt, magis quàm qui Hippocentauros effingunt, & Chymeras, & Serpentipedes, & Scyllas, & monstra videris eos effingentes. Et si quis velit vnam eorum effingere cupiditatem, nihil videbuntur, nec Scylla, nec Chymera, neque Hippocentaurus, si cum portento illo conferantur, sed videbis illam habere omnes simul belluas.* Sed tamen verba isthæc alibi dabimus, & expendemus: hîc verò ad eum sensum sic refero. Quamlibet diuitis hominis cupiditatem omnes simul belluas in semetipsam cogere dicit Chrysost. E quia omnium stoliditatem, & expertem rationis amentiam conflat, factus, si licet dicere, cunctis irrationalibus irrationabilior, velut monstrum ex pluribus belluis conflatum.

Sap. 1. Sap. 5. Ierem. Ad Heb. 3. Aristot. Chrysost.

---

17. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui euitat discere, incidet in mala.*

QVi altam facit domum suam, &c. Hæc verba desiderantur in originibus. Itaque noster Interpres ex textu Septuag. in suam transtulit editionem Septuag. verò ad verbum sic habent. *Qui excelsam habet domum suam, quærit contritionem: qui autem tortuosè accedit ad discendum, incidet* 73.

det in mala. Sic habet textus correctior, quam lectionem postea examini subiiciemus.

Prioris partis cum posteriori difficilis nexus est. Ergo aliqui vnam ab altera seiungunt, & neutram cum altera cohærere existimant. Itaque prius hemistychium bifariam exponunt. *Qui altam facit domum suam, quarit ruinam,* Nimirum qui opes suas, & fortunas in immensum cumulant, & exaggerant, earumdem euersionem, & extremam iacturam quærunt. Itaque nomine domûs, diuitias intelligunt, vt sæpè alibi, & similitudo ducta est ab his, qui ædes non ad perpendiculũ sed indirectis muris aut parietibus attollũt, quæ quo altius eriguntur, eo certiori, & grauiori casu ruunt: ad eundem modũ, qui diuitias exædificant, absque iustitiæ, & æquitatis perpẽdiculo, quo altius earum molem euehunt, grauiorẽ similiter, atque certiorem ruinam sibi accersunt. Huic adsimilis est sententia illa Eccles. 21. [Eccles. 21.] *Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Nimirum similis est ei, qui bruma vrgente parietes cõstruit ocyus ruituros: nam eo tẽpore calx, cæmentum, & alia bitumina gelu rigẽtia minime coalescunt, ita etiam facultates alienæ numquam inter se cohærent, & in vnam rẽ coëunt, sed solutæ, & disjectæ ruunt. In quibusdam codicibus est. *Sicut qui colligit sibi lapides in tumulum sepulchri:* quia nimirum ruentes mole sua ipsum opprimunt, & altissimè sepeliunt. Quæ similitudo est etiã accommodata; significat etiam diuitias malè partas malè quoque dilabi, atque earum iacturam dominis suis sæpius mortem maturiorem adducere solitam.

74. Altera interpretatio præmissa verba ad tumorẽ, & superbiam refert ad hunc modum. *Qui altam facit domum suam, quarit ruinam.* Nimirum qui superbas, & insanas moles suæ mentis elatione attollit, ruinam miserabilem sibi ipsi accersit, & quidem secundùm eam expositionem similitudo ducta videtur ab ædibus, quæ nullo firmo firmamento subnixæ altissimè eriguntur, cũ his enim aptissimè cõponuntur superborum vasta molimina, & cogitationes vanæ sine fundamento humilitatis. Humilitas enim fundamentũ est profundè iactũ. Audi vnum Chrysost. Hom. 25. in Genes. [Chrysost.] *Virtus,* inquit, *non est, nisi cõ initia habeat humilitatem, qui hoc fundamentum recte iecerit, poterit in quatam voluerit altitudinem structuram excitare. Hec maxima est munitio, hæc murus inexpugnabilis, hæc turris inconcussa, hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum, vel a vẽtorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel ab spirituum vi deiici: sed omnibus insidiis inaccessum facit, & inuictum, quasi ex adamate constructum esset.* Et rursus hom. 21. in Epist. ad Rom. *Nihil,* inquit, *humilitate potentius, petra est fortior, & adamante solidior, & in maiore nos securitate collocat, quàm queant vel turres, vel vrbes, vel muri. Vt igitur in solida simus petra fundati relicta arrogantia humilitatem sectemur.* Mitto verba Augustini in serm. 10. de verbis Domini, quia familiaria sunt. *Magnus esse vis? à minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamẽto prius cogita humilitatis,* &c. Ergo superbiæ hoc proprium est, magnas moles & altissimas turres absque vllo fundamento supra arenam, ne dicam supra ipsius aëris instabilitatẽ, architectari, ac propterea illi ruina præsto est.

75. Secundùm præmissas expositiones prioris hemystichij, & posterioris, nullum nodum tradunt interpretes, sed absolutè quasi nouam sententiam subiici existimant. *Et qui euitat discere, incidet in mala.* id est, qui doceri, atque erudiri ab aliis recusat, sæpius offendens corruet, & multa mala cõmittet. vel multas ærumnas sibi accerset. Ego verò id ad superbiam referendũ esse dicerem: nam doctrinam, & disciplinã detrectare non minima superbiæ, & tumoris pars est. Is autem, qui doctrinam, & disciplinã præ superbia aspernatur, similis esse dicitur illi, qui altissimam domum molitur, quia propriæ sapientiæ tantumdẽ tribuere, vt ab aliis erudiri negligas, & alios præ te contemnas, nil aliud est sane, quàm mentis tuæ fastigium & arcem opinione tua super omnes aliorum arces sine fundamento attollere. Hinc autem infelix casus, & misera ruina.

Sed licet hæc expositio satis apta videatur, tamen si tota sententia à Græcis originibus exactè petatur, alia subest apposita interpretatio. præmittere autem oportet, extrema verba ex Græcis ad vnguẽ expressa sic efferri, ὁ δὲ τὸ σκολιάζων μαθεῖν, id est, *obliquãs, & intorquens discere, incidet in mala.* Existimo ergo hîc sermonẽ esse de his, qui sine magistri, & præceptoris institutione, sapientiæ structuram aliquam erigere volunt, quos in multos errores decidere necesse est. Itaque ait Salomon. *Qui altam facit domũ, quarit ruinam: qui autem doctrinam detorquet, incidet in mala,* sic conuertendum esse censeo, quasi dicat, sicut is, qui ædes altius attollit sine perpendiculi, ac regulæ examine, ædificium statim ruiturum condit: sic etiam sapientia, quæ sine præceptore, ac doctore construitur, velut indirectus, & incuruus paries, vbi altius erecta est, multis erroribus depressa ruit: sic intelligo illa verba, *Qui detorquet doctrinam.* Noster autem interpres sensum tenuit cùm transtulit. *Qui autem euitat discere.* Nã præceptoris institutio, & informatio adinstar est perpendiculi, ac regulæ quo sapiẽtiæ structura regitur, ne vllis erroribus incuruata deprimatur. Lege Plutarchum in libello de officio auditoris. [Plutarch.]

---

17. *Omni tempore diligit qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur.*

OMni tempore, &c. Hebr. *Et frater ad angustiam nascetur,* vel, *natus est.* Pagninus. *Propter angustiam remouendam nascitur.* Chal. *Et frater ad tempus angustiæ natus est.* Septuag. *In omne tempus animus sit sibi, fratres autem in necessitatibus vtiles sint, huius enim rei gratia nascuntur.* Alij denique conuertunt ex Hebræo, *& frater in angustiã nascetur.* 76.

Duas omnino huius loci præcipuas expositiones inuenio: Altera est eorum, qui locum istum inter amicum, & fratrem partiuntur, ita vt prior pars ad amicum spectet, posterior fratri adscribenda sit. Altera eorum, qui vtramque vni amico tribuendã esse, atque hunc fratris nomine censeri putant: ergo iuxta priorem expositionẽ sensus sic confirmandus est, *Omni tempore diligit amicus.* Nimirũ verus, & nõ adulterinus amicus amicitiam nullo tempore intermittit: sane triplici ex capite amicitias tempus labefactare solet. Primum est *satietas.* nam quidã assidua alicuius consuetudine, & familiaritate satiati gratiã deserũt, aduersus quos est illud Tullij in Lælio. [Cicero.] *Nõ enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum satietates.* Nam in amicitiis quæ vetustissima, eadem suauissima sunt. Secundum est *ætatis,* & morum dissimilitudo, quæ ex temporis commutatione accidere solet. Tullius ibidẽ, *Scipio,* inquit, *minor dicere solebat, nihil difficilius esse, quàm amicitiam vsque ad extremum diem permanere, mutantur enim aliquando mores, aliàs aduersis rebus, aliàs ætate ingrauescente,* &c. Tertium est, *fortuna commutatio,* quæ voluente etiam tempore euenire solet. Hinc est illud:

Cum fueris diues, multos numerabis amicos, [Ouid.]
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Ergo Salomon hæc omnia complexus ait. *Omni tẽpore*

pore diligit amicus. idest, fidus, & cõstans amicus cœptam amicitiam numquam intercipit, non enim satietas, non ætatis, aut morum diuersitas, non denique fortunæ commutatio, quæ tẽporis decursu euariari solent, illius beneuolentiam variam, aut instabilem reddunt. *Anton.* Vnde elegãter Antonius in Melissa ex Menandro sic addit. *Aurum quidẽ probari solet igne, amicus verò beneuolẽtia tempore arguitur, qui enim tẽpore secundæ fortunæ amico adulatur, temporis est amicus, non amici.* Hinc etiam fit amicum longo tẽpore explorãdum esse. Cùm enim tempus in omne suscipiatur, haud perbreui temporis interuallo probãdus est. *Plutarch.* Vnde Plutarchus salsum Zeuxidis respõsum eleganter ad hanc sententiam flexit in lib. *de amicitia in multos diffusa*, sic enim scribit. *Itaque vt Zeuxis pictor quærentibus cur tardius, longoque tempore pingeret, respondit; Ego longo tempori haud dubiè pingo, idest æternitati; sic perpetuam amicitiam conflare non licet, nisi longa vitæ consuetudine exactoque iudicio.* Addit aliquid esse, quod longas temporis moras redimere, & compensare possit, scilicet aduersam fortunam, qui enim in aduersis perstat, & gratiam non intermittit, is demum sine alio examine in familiarem consuetudinem excipi potest. Et quidẽ licet tres illas temporis varietates complexus videatur Salomon, quas nuper adscripsimus, cùm ait, *Omni tẽpore diligit amicus*: sed præcipuè de hac fortunæ commutatione capiendus est, vt infra dicemus.

77. Addit Sapiens. *Et frater in angustiis comprobatur.* Si de germano fratre id intelligamus, perspicua sententia est, erit enim sensus; amicum, & fratrem eodẽ animo præditos esse oportere, ita vt amicus nulla temporis vicissitudine, & frater vicissim nulla aduersitate gratiam deserant. Frater enim tunc demum fraternum animũ prodit, cùm in aduersis fratri suo *Maxim.* præsto est. Hinc est illud Isocrat. apud Maximum in sermone de amore fraterno. *Non decet fratres, vt lances in statera, altero humiliato alterũ extolli*: quin potius vbi alter depressus fuit, alter ex naturæ consensu ad similem, & æqualem depressionem sese demittere debet, & eandem cum fratre aleam subire. Huius fraternæ gratiæ optimum exemplum producit *August.* August. lib. 2. de ciuit. cap. 25. militis cuiusdam, qui cùm fratrem à se peremptum in bello agnouisset, facti huius pertæsus sibiipsi manus attulit, & fraterno cadaueri se adiunxit. *vt par*, inquit, *esset vtriusque alea.* Origines habent, *& frater ad angustiam nascetur.* Nimirum propterea multi ab eisdem parentibus fratres eduntur, vt sibi mutuò in angustiis, & cala- *Petrarch.* mitatibus præsto sint. Optima est Petrarchæ sententia, ait enim, *Decet*, inquit, *eos, quos eiusdem alui angustia continuerunt, numquam sibi in quibuslibet calamitatum, & ærumnarum angustiis deesse.*

Cæterùm posterior expositio, quæ vtramq; sententiæ partem amicis tribuit, mihi videtur accommodatior. Itaque ait Salomon, *Omni tempore diligit amicus*, de hoc supra, *& frater in angustiis comprobatur*: non vna huius extremæ partis vis. Interpretes quidem ferè ita accipiunt, amicus fraternum animũ erga amicum gerere debet: hoc enim vera amicitia suadet, eiusque fides in angustiis & calamitatibus exploratur. Quid certius? Hinc est illud Isocratis ab *Maxim.* eodem Maximo productum. *Amicos ex vita calamitate, & periculorum participatione probato, aurum enim igni probamus, amicos autem in rebus aduersis dignoscimus*: ab Isocrate autem sumpsit Poëta,

Ouid. *Scilicet, vt fuluum spectatur in ignibus aurum,*
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Plutarc. Accedat Plutarchus apud D. Anton. vbi supra, *Equi bonitate in bello, amici verò fidem in calamitate indicamus.* Et Menander apud eundem, *Equi vsum asperitas viæ prodit, & amicum beneuolum calamitates discernunt*, mitto alia. Rationem offert alius Poëta apud Pseudo-Augustinum in lib. de Amicitia c. 3. *Pseudo-August.*

Non est personæ, sed prosperitatis amicus,
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

78. Verumtamen, ni fallor, aptior alia sententia subest illis verbis ad hunc modum, *& frater in angustiis comprobatur.* Nimirum amicus in omne tempus diligit, & cùm in angustiis, & calamitatibus perstat, in gratia omnino fratrem se esse prodit. Quasi dicat, & in angustiis frater esse euincitur. Et quidem amicitiam, cùm arctior est, fraternam gratiam non solum attingere, verùm etiam superare, docet infra Salomon cap. 18. *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit, quam frater.* Hanc sententiam luculentã reddit lectio originalis, *& frater in angustia nascetur*, ita lego, non *ad angustiam*, nimirũ eum amicũ, qui in aduersis semper tibi aderit, tanquam fratrem aliquẽ in angustia denuò tibi natum æstimare debes. Nota est illa familiaris sentẽtia, *Amor amorem parit, & amicitia amicos gignit.* Ego verò addo, amicitiam veros, & minimè degeneres amicos in prospera, & secunda fortuna iucundè, & cum voluptate concipere, sed in aduersitate, & angustia cũ maximis (vt fieri solet) doloribus eniti, & in lucem edere. Aptè igitur Salomon: *Et frater, seu amicus in angustiis tibi nascetur.* Fortasse autem documenti cuiusdã vim habet: Quasi dicat, in secunda fortuna concipere licet amicos, hæc enim animos conciliare solet, at parere, & palam profiteri nonnisi in aduersa: Nam in partu dolores intercedere necesse est: ad id spectat sententia D. Gregor. Nazianzen. in tractatu 45. *Nazianz.*

Fidis amicis nil puta præstantius
Quos casus asper parturit, non pocula,
Qui profutura consulant, non quæ placent.

---

18. *Stultus homo plaudit manibus suis, cùm spoponderit pro amico suo.*

STultus homo, &c. Hebr. *Homo carens corde percutiens manum spondet sponsionem ad faciem amici sui.* Chald. *Pangit manũ suam.* Septuaginta. *Vir imprudens plaudit, & congaudet sibi, cum etiam spondens sponderet suos ipsius amicos.* In quibusdam codicibus est. *Suum ipsius amicum*, de singulari, & additur, *& in suis labiis condit ignem.* Sed tamen hæc verba exsecta sunt à Complutensi, Regio & Vaticano. 79.

Huius quidem eloquutionis vim, si perstemus in originali, ex vulgata lectione supra enucleaui cap. 6. vers. 1. Vbi etiam aliquid diximus ad lectionem Septuaginta spectans, atque adeò nihil hîc præter ea scribendum puto.

---

19. *Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat ostium, quærit ruinam.*

QVi meditatur discordias, &c. Heb. *Qui diligit præuaricationem, litem diligit; eleuans ostium suũ, quærit ruinam.* Chald. *Qui quærit peccatum, diligit rixam, & qui exaltat portam suam, quærit interitum.* Septuaginta. *Amans peccata gaudet rixis, & durus corde non occurret bonis.* Symmachus & Theodot. concinunt cum nostra, in quibusdam etiam libris mendosè legitur, *& qui exaltat os suum.* 80.

Priorem partem (vt alias parum aptas interpretationes missas faciam) sic edisserendam puto, vt *discordias meditari*, ad animũ referatur, idest, diuersa, & discrepãtia sentire, ita vt sensus sit. Qui studet aliis contradicere,

contradicere, atque his aduersa, & pugnantia sentire (ita enim fert quorumdam ingenium, vt alienis sententiis numquam acquiescant, sed omnibus obloquantur & contradicant;) si sanè rixas adamant, & contentiones quæ inde sæpius euenire consueuerunt: nam obloquutiones, & contradictiones fere rixas parere solent.

Caietan. At posteriorem partem cum hac priori innodare difficile est. Caietanus ergo nexum non curat, sed nouam sententiam ratus, nouam, atque singularem expositionem commentus est ad hunc modum. *Qui exaltat ostium, quærit fractionem* (sic ipse legit) id est, quicumque vsurpata auctoritate claudit ostium suum, volēs scilicet, sontes, qui illam ingrediuntur, seruari impunes, hic sane fractionem quærit, quia eius fores à magistratu, vel à principe ad reos producendos effringentur. Hæc tamē interpretatio mihi coacta videtur. Non tamen difficile esse eam lectionem Caietani ad sensum prioris hemistychij reuocare, hoc modo. Qui alienis opinionibus, ac sentētiis numquam acquiescit, sed suis nimium adhærens reliquis cōtradicit, ac sese obiicit, & rixas sibi accersit, hic certè similis est illi, qui fores domus suæ occludit. Vulgo enim dicimus, vt aliquem prorsus alicui sententiæ addictum esse significemus. *Es hombre que se cierra de golpe.* Ergo hic homo fractionem forium quærit: nam qui ad eum modū aliorum iniuria sese claudit, vi quoque & iniuria effractis seris recludi solet, & quod sponte sentire recusat, vi cogitur. Aliter etiam similitudo duci potest ab eo, qui fores domus suæ seris fortissimis muniuit, quas cum postea facile reserare non possit effringere cogitur. Quæ similitudo aptè cadit in aliam expositionem quam
Rodolph. Rodolphus non leuiter insinuat. *Qui meditatur discordias* Nimirum qui rixarum, & contentionū causas apud se arcano versat, iniurias sibi illatas memoria repetens, *Diligit rixas*, quia meditatio hæc, & agitatio iniuriarum quamlibet initio arcana sit, & quasi quibusdam seris occlusa in animi penetralibus contineatur, tandem aliquando in manifesta bella, & rixas erumpit; hæc autem eruptio violenta est, fores effringit, ac seras retundit. Itaque Salomon suadet discordiarum veterum causas obliuioni tradendas esse, nam si memoria repetantur, contineri quidem non possunt, sed omnes seras, & repagula rescindunt, & immanissimè sæuiunt.

81. Cæterùm cùm isthæc expositiones in vulgatam lectionem minimè quadrent, alias vestigare oportet
Iansen. accommodatiores. Iansenius quidem de nexu etiam prioris partis cum posteriori minimè solicitus, posteriorem sic edisserit, *Qui exaltat ostium, quærit ruinam.* Ostium quidem capitur pro domo per synecdochē, accepta scilicet parte pro toto. Itaque hæc sententia haud dissidere videtur ab illa superiori, *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam*, imo illā ex hac profectam putat Iansenius. Itaque sensus est, qui superbiam, & animi elationē supercilij sui fastigium attollit, & supra cunctos euehi curat, ruinam, & casum miserabilem sibi accersit. Lege multa, quæ in eum locum contulimus. Cæterùm si hæc Iansenij coniectura non displicet, & ostium accipiatur pro domo, sensus profectò, mē iudice, ita conformari poterit, vt posterior pars priori respondeat. *Qui meditatur discordias, diligit rixas.* Is autem contentionum, & rixarū amator similis est illi, qui ita extollit domū suā, vt vicinas despiciat, atque illis immineat. Sicut enim aduersus illum, qui ad eum modum ædes suas cum aliorum iniuria euexit, vicini litem mouere, ædificium inhibere, ac demum obtenta lite adigere solent, vt quidquid contra ius fasque altius extulit, diruat, atque fastigiū deponat: sic etiam accidere solet superbis, qui cùm se suaque omnia præponere, & in quandam aliis inuisam, & cōtumeliosam celsitudinē attollere moliantur, omnium in se odia, atque discordias concitant, qui non prius illis obluctari, & bella mouere cessāt, quoad deiecto fastigio ad aliorum conditionem se deponant. Itaque Salomon secundùm hanc interpretationem potissimam discordiarum, & contentionum causam in superbiam, & elationem confert, atque id sibi voluit cùm ait, *Et qui exaltat ostium*, vel domum suam, *quærit ruinam.*

Secunda interpretatio est Rodolphi, qui ostium 82.
in sua germana significatione accipit pro porta; in- Rodolph.
telligit autem per metaphorā os notari, hac ratione. *Et qui exaltat ostium, quærit ruinam.* Nimirum qui *os suum* eleuat maiora pollicendo, quàm quæ adimplere, & exequi possit, hunc ruere, atque promissis suis minimè stare necesse est: existimat enim Rodolphus locum istum nectēdum esse cum superiori, in quo de sponsione sermo est. Hugo ad detractionem refert hoc modo. *Qui exaltat ostium suum*, &c. id est, qui os suum ita extollit, vt Principes, ac superiores suis detractionibus, & obloquutionibus attingat, hunc sane ipsorum Principum, ac superiorum mole oppressum ruere necesse est, quia vel Principes in suos detractores inuehi solent, vel quia superiorum, ac præpositorum famam lædere Deo imprimis inuisum est. Lyra, *Oris* exaltationem accommodatius ad Lyra.
iactantiam refert hoc modo. *Qui exaltat ostium*, &c. Qui scilicet os suum eleuat, semetipsum iactando, & alios præ se contemnendo, *Quærit ruinam*; Quia scilicet, qui ad eum modum sese iactat, multos sibi consciscit inimicos, qui illum ad ruinam impellunt; atque hac ratione posteriorem hanc partem cū superiori non incongruè cōtexit: & quidem si hac ratione per ostium os accipiendum omnino esse ego decernerem, præmissam metaphoram sic soluerem. Quemadmodum si quis domus suæ ostium, quod ad ingrediendum, & egrediendum facile, & planum esse oportet, à terra eleuet, atque erecto limine attollat, hūc domo exeuntem non semel impingere, ruere, ac illidi necesse est: sic etiam eū, qui oris sui ostiū per elationem, & iactantiam altius tollit, verbis labi passim necesse est, nam sermones, vt ita dicā, ab ore exeuntes, in ipso limine impingunt, & quidem pleraque oris peccata ex superbia, & elatione proficisci nullus inficiabitur, cùm id passim doceat Augustin. August.

83. Verumenimvero, vt dicam quod sentio, ostium quidem in sua germana significatione accipiendum puto, non autem pro domo per synecdochen, nec etiam pro ore per metaphoram. Existimo autem hominem describi præduro ingenio, ac difficilibus moribus, quem sine iniuria adire non licet, sunt enim eiusmodi homines non pauci contentiosi, rixosi, & difficiles, ad quos nemo accedit, qui vulnus aliquod non referat. Salomon igitur hos illi adsimiles esse dicit, qui limē domus suæ exaltat, & altius tollit, sicut enim in domum, cuius limen & ostium elatius, quotquot adeunt impingunt, atque ruunt: sic etiam ad contentiosum & difficilem hominem aditus difficilis est. Quapropter quodquot ad illum ingredi volunt, in limine ipso illiduntur. Itaque illa verba, *Qui exaltat domum, quærit ruinam*, illa inquam *quærit ruinam*, non de ruina domus, non etiam de ruina eius, qui domum condidit, sed de ruina eorum, qui domū adeunt capiēda, & per similitudinem præmisso modo edisserenda sunt. Hanc expositionem commendat translatio Septuag. qui dimissis verbis, sententiā sic tenuerunt. *Et durus corde non occurrit bonis*, hoc est, homo durus ingenio, & agrestibus moribus, nemini etiā bono acquiescit, quasi dicat nulli sui copiam facit, vel aditum ad se facilem præbet. Accedit

etiam

etiam nexus prioris partis cum posteriori, qui secũdum hanc interpretationem optimè adstruitur. Denique cum familiari,& vulgato loquendi modo cohæret tam linguæ sanctæ, quàm aliarum. Nam in scriptura passim ingredi ad aliquem, est ipsum alloqui,& apud Latinos *adire aliquem*, est ipsum affari.

Senec. Seneca in Hercul. fur. simile aliquid scripsit.

Ille superbos aditus Regum,
Durasque fores expers somni Colit.

Cicer. Et Iulius ad Attic. *Difficilior, inquit, ad Antoniũ aditus esse dicitur.* Et ad Ligar. *Magnis occupationibus eius, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt.* Ex aduerso etiam alibi sic scrit. *Commendo, inquit, tibi hominem sicuti tua fides,& meus pudor postulat, tantum vt faciles ad te aditus habeat,* nimirum B vt te beneuolum & facilem illi præbeas, accedit

Virgil. etiam Virg. 4. Æneid.

Sola viri molles aditus,& tempora nôras.

Ille igitur ostij sui exaltator atque eleuator dicitur, qui difficiles ad se aditus facit præfato iam sensu.

---

20. *Qui peruersi cordis est, non inueniet bonũ: & qui vertit linguam, incidet in malum.*

84. QVi peruersi cordis est, &c. Hebr. *Peruersus corde non inueniet bona, & vertens se in lingua sua cadet in malum.* Caietan. *Iniquus corde.* Chald. *Et qui peruersus est in lingua sua, incidet in* C *malum.* Septuaginta. *Vir facile mutabilis in lingua incidet in mala, cor autẽ imprudẽtis dolor possidenti illud:* cõmutant scilicet sedem verborũ, sed non euariant.

Huius loci sententiam non eodem modo conformant interpretes. Plures quidẽ existimant hisce verbis dolos in vniuersum prohiberi ad hunc modum. *Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum*, id est, qui subdola agit in corde suo, vt aliis insidias paret & fraudes moliatur, nihil vmquã boni capiet, ita enim decet, vt qui malum aduersus alios excogitat, boni proprij exors fiat: *Et qui vertit linguam suam, incidet in malum.* Nimirum qui non corde solùm dolos architectatur, sed etiam lingua ludificat proximos, in easdem ipse calamitates incurret, quas aliis parat. Sic D Rodolph. Caiet. autem animaduertit, posterius carmen priori præferri à Salomone, sic enim ait. Iste quidem prior est illo, quanto grauius est incidere in malũ, quàm carere bono, sed tamen hæc leuiora sũt.

85. Reliquas expositiones peperit modus ille loquẽdi. *Et qui vertit linguam suam*, quem examini subiicere oportet, Hebraìcè est: נהפך *Nehphach.* à radice *Naphach.* Vim autem huius verbi expẽdens ex Hebræis aliquis affirmat; Primo & præcipuè dici de figulo, qui lutum conuersione rotæ in varias formas

Isai. 29. effingit. Isaïæ 29. ad verbum ex Hebr. *Vertere vestrum vere, sicut lutum figuli.* id est, sicut lutum figuli conuertimini, & migratis in varias formas, & Iob 38. *Restituetur, vt lutum signaculum.* Hebr. *Vertet se, sicut lutũ figuli.* Hinc verò ad quamlibet conuersionem,& E commutationem & metamorphosim significandam

Hugo. asscisci docet. Ergo Hugo Cardinal de adulatione exponit, per hanc enim lingua, vt ad Principum volũtatem, & gratiam sese temperet, in omnes formas migrare solet adeò, vt dicere possis adulatorẽ figuli in morem linguam suam, tamquam vdam luti massam, in quamlibet speciem commutare solitum: vide quæ supra diximus ad illa verba, *Labium veritatis firmum erit*, quomodo autem adulatoris lingua varias formas suscipere soleat, Polypodis exẽplo adũ-

Basil. Plutarc. brat Basil. qui nouos subinde colores euariat iuxta lapidũ species, quibus adhærescit. Plutarch. autẽ similitudine præterfluẽtis aquæ, quæ cũ nullo colore A prædita sit, subiecti soli speciẽ refert. At melius fortasse alter minimè pœnitẽdus autor, eundẽ cũ aqua marina contulit, quæ cum nullo etiã colore imbuta sit, cæruleũ desuper imminentis cæli colorẽ reddit: sic etiam adulator superiorũ, ac Principũ formas excipit, & sui dissimilis pro re nata sese adaptat. Alibi etiã Plutarch. adulatores cũ lineis, ac superficiebus cõponit, quæ nec inflectuntur, nec producũtur, nec mouentur per se, flectũtur autẽ, producuntur, & migrant cũ ipsis corporibus, *Ita, inquit, adulator suapte quidem affectu non mouetur, sed cũ irato irascitur, cum gaudente ridet,* &c. Prętereo Chamęleõtes, Protheos, vasa vitrea,& chrystallina,& columbarum colla, & quæcumque alia quæ versicoloris, seu alternas species induunt. Ex his enim ad adulatorum linguas notandas exempla, & similitudines ducunt Plutarchus, Aristot. Seneca, & alij.

Hugo. Secundò, idem Hugo præmissa verba ad detractionem referri posse existimat: nam detractores quoque linguas suas vertunt, & euariant, aliter enim præsentes, aliter absentes loquuntur.

86. Rodolph. Tertiò, Rodolphus cum linguam suam vertere dicit, qui fidem fallit,& promissis non stat. Existimat enim Salomonem adhuc de sponsione agere,& sanè infidelis, & fœdifragi hominis lingua lutum figuli imitatur, quæ in mẽtis instabilitate, seu in rota quadam volubili singulis conuersionibus mutatur, nec sibi similis est: ad hanc interpretationem pertinere videtur lectio Septuaginta, quæ sic habet. *Vir facile mutabilis in lingua, incidet in mala.*

Plato. Quartò, demum alij (quibus ego assentior) de mẽdacibus exponunt, quorum lingua instar figlinæ rotæ conuersa,& rotata, res pro arbitrio effingit, & in quaslibet formas cõmutat. Vnde Plato in Sophista, mendaces figulos appellat. *Figuli, inquit, sunt mẽdaces, hi enim fabulas, illi vasa fingunt.* Hanc ergo expositionem ideo præferendam censeo, quia iuxta illam posterior hæc pars priori ad vnguem respondet. Nã prius quidem Salomon dolosum incessit, cùm ait, *Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum*, idest, qui dolos corde instruit, omnis boni expers erit, *& qui vertit linguam suam*, id est mendax, *incidet in malum*, vel quia in mendacio deprehensus mulctabitur, vel quia opprobrium sibi inuret: vel aliter.

---

21. *Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur.*

87. NAtus est stultus, &c. Hebraìcè, *Generans stultũ ad tristitiam sibi.* Pagnin. *Qui generat stultum, ad tristitiam suam generabit illum.*

Et non lætabitur pater stulti. Caiet. *& non lætabitur pater vilis*, hoc est degeneris filij. Chald. *Qui generat stultum, mæstitia est ei.* Septuaginta. *Non lætabitur pater super filio indisciplinato: filius autem prudens lætificat matrem suam.*

Nostræ lectionis sententia perspicua est. *Natus est stultus in ignominiam suam,* &c. Nimirum miserũ est stulto nasci, cùm id sibi ad ignominiam cedat, adeo vt hic si saperet, præferret quidẽ minimè natũ esse. Ratio autẽ in prõptu est, quia homines æqui rerum ęstimatores, famam bonã, & opinionem, vitæ anteponere solent, vnde pro fama tuenda libenter mortem oppetunt: ergo in eum, qui ad ignominiam nascitur, meritò dicemus illud, *Melius erat illi si natus non fuisset homo ille*, cùm præstet non viuere, quàm infamia laborare. Addit, *Sed nec pater in fatuo lætabitur*, id est, pater, qui maximam ex filiis suis voluptatem capere, cui filij in delitiis esse solent, si filium stultum susceperit, non lætitiam sed mœrorem inde hauriet.

hauriet. Nam parentes propterea in filiis gaudere A
consueuerunt, quia vitam suam in illis produci, atque famam, genus, & maiorũ stemmata ipsis obeuntibus haud intermori putant, si filij superstites sint: ergo cùm præstet non viuere, quàm infamia laborare, stultique filij ad ignominiam, & infamiam nati sint, vtique parentes in filiis stultis, atque adeo infamiæ labe aspersis, se viuere non gaudent, imo satius ducunt memoriam, genus, sua denique omnia cum ipsis demum emori, quàm in illis viuendo dedecus eorum sibi adurere, & post mortem, si licet dicere, vitam infamem agere.

Lectio quidem originalis vtramque partem parenti accommodat, *Generans stultum ad tristitiam sibi, & non lætabitur pater stulti.* Est autem eiusdem B
sententiæ congeminatio, quæ familiaris valde est in sacris litteris. Ergo in textu Hebraïco est ילד *Ioled*, à radice *Ialad*, quæ significat gignere: est autem Benoni, seu participium actiuum: noster autem interpres videtur legisse ילד *Iulad*. in Paul. mutatis punctis, scilicet in participio passiuo. Septuaginta verò de more suo, ne in hac sententia solemnis aliis antithesis desideraretur, sic extulerunt verba ista. *Non lætabitur pater in filio indisciplinato, filius autem prudens lætificat patrem suum*, quæ sententia omnino concinit cum vers. 1. capitis 10. ad illum, & quæ ibi diximus in hunc locum coniice.

22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.*

88. *ANimus gaudens*, &c. Hebr. ad verbum. *Cor lætum benefaciet medicina*, id est, ad instar optimi medicamenti corpori medetur, ne morbis deficiat, & tabescat.

Chald. *Cor gaudens pulchrum facit corpus*. Septuag. *Cor lætum facit bene habere, viri autem tristis siccantur ossa*. Symmach. ἀγαθύνει ἡλικίαν: id est, ætatem efflorescere facit: extrema autẽ verba Aquila sic transtulit. *Spiritus peruersus exsiccat ossa*. Theodot *Spiritus compunctus*. Symmach. *Spiritus humiliatus*. Addit Rodolphus ex Rabinis aliquem sic locum istũ reddendum existimasse. *Cor lætum iuuat aciem oculorum.*

Huius loci sententiam aliqui nimis abiiciunt, cùm enim legant, *Cor lætum benefaciet medicina*, ad hunc modum exponunt. Medicamentum quodlibet tunc quidem proficit, & iuuat, cùm alacri animo est, qui illud excipit: nam qui tristi, & deiecto animo accipit,
Cornel Cels. vim eius experiri nõ solet. Ita docet Cornelius Celsus de Medic. lib. 4. & ratio ipsa suadet, quia animi anxietas, & sollicitudo per se ipsam ægritudo quædam est, vt statim dicemus, quæ si ad morbum alium accedat, plane insanabilem, atque immedicabilem reddit. Tum etiam quia, vt docet. Cornelius, tristitia & sollicitudine, quemadmodum etiam timore, cor, & viscera frigent, atque adeo medicamenti deco-
Menander. ctionem impediunt. Consonat illud Menandri. *Multorum malorum causa omnibus est suapte natura tristitia, propter hanc etiam insania oboritur multis, & ægri-*
Hieronym. *tudines incurabiles*. Item Hieronym. in Isaïam. *Animi lætitia interdum corporis dolores mitigat, quod si ad ægrotationem corporis accedat ægritudo animi, duplicatur infirmitas*. Hæc tamen expositio, quæ vt iacet accepta, humilis est, spiritualem ad sensum vocata illustrior redditur. Ergo dicamus Salomonem secundùm eam interpretationem similitudini medicinæ hoc innuisse, quod quemadmodum medicamenta corporea ægris anxiis, & tristibus prodesse non solent: sic etiam nullum spirituale amuletum tristitia, & mœrore confectis salutare est, non consilium

A non adhortatio, non animaduersio, non aliud aliquid, tum quia tristitiæ passio per se morbus quidam est, qui cùm alteri spirituali ægritudini hæret, illam immedicabilem reddit: tum etiam quia animus ipse ex mœrore, & tristitia frigescens nullum spirituale 89.
medicamentum decoquere potest, non consilium, non correptionem, non item alia, quæ nisi decoquantur, & digerantur, salubria quidem esse non possunt. D. Antiochus in hom. 25. de tristitia sic scri- Antioch.
bit. *Neutiquam*, inquit, *admittenda est tristitia, nec eiusmodi accipienda importuna ægritudo animi*, & infrà. *Monachus mœrore intabescens assimilis est ei, qui æstuanti febre laborat, nullo hic pacto mentem ad contemplationis surriget studium, neque ad orationem sin-*
B *ceram, non adhortationem, non consilium excipiet*. Tunc sane morbos curatu difficiles existimant medici, cùm duo aduersi, & complicati (ita ipsi appellant) in vno atque eodem homine coëunt, nimirum cùm idem homo lienis, ac iecoris morbo laborat, vel aliis similibus, quia medicamenta, quæ ad morbum alterum pellendum accommodata sunt, alterum quidem augent, atque fouent. Ad eundem modum, qui spirituali quopiam morbo affecti sunt, & insuper tristitiæ, atque ægritudini animi locum fecerũt, quodammodo immedicabiles redduntur, quia cùm alij animi morbi austerioribus medicamentis plerumque opus habeant, ac rursus tristitia mitioribus remediis indigeat, & austerioribus irritetur, sane au-
C steriora illa, & acerba medicamenta si adhibeas, tristitia fouetur; si autem mitioribus, & suauioribus vtaris, reliqui spirituales morbi, ac febres accenduntur. Ob eam causam tristitiæ ac tædio obsistere, omnemque animi angorem pellere suademur, ex aduerso autem lætitia, & gaudium cùm animum recreant ad omnia spiritualia medicamenta salubrius excipienda illum mirificè comparant, nam remediorum austeritatem & acerbitatem suauitate sua leniunt, & ad ea excoquenda, & dirigenda satis caloris suppeditant. Quapropter optimè Salomon, *Animus gaudens bonam faciet medicinam.*

Ad eundem modum de altera lectione decernen- 90.
dum est. *Cor lætum iuuat aciem oculorum*. Explora-
D tum enim est tristitiam, & angorem animi oculos perstringere, & hebetare solitam. Hinc est, vt tristes lucifugæ sint, & tenebras libentius petant: non solum quia tenebræ tristibus gratiores sunt, sed etiam quia mœror oculos hebetat: argumento sit, quod in his pallentes oculi, vt autor est Aristoteles, extinctas Aristot.
faces imitantur, ex aduerso autem lætitia lumina acuit, & quodammodo accendit: id verò ad animum referendùm est, & per similitudinem sic accipi debet. *Cor lætum iuuat aciem oculorum*, id est, lætitia quidem corporeos oculos acuit, sicut tristitia vicissim eosdem hebetat, sed multo magis eadem lætitia animi oculum, id est, mentem detergit, quemadmodum tristitia mœrorque perstringit. D. Basilius Basil.
E Seleuciæ Episc. oratione secunda de Lazari suscitatione. *Annon*, inquit, *tristitia intensa mortem generat, annon animi perspicuitatem, & aciem obscurat, ita vt nihil eorum fere, quæ conueniunt, innotescere valeat? Ergo tandem aliquando mentis oculum ad cælum subleuemus, & missa tristitia quod spirituale est, animo versemus.* Hæc ille: licet præterea eam lectionẽ ad Vulgatæ nostræ sensum vocare. *Cor lætum iuuat aciẽ oculorum*, idest, iuuentam vernare facit: nam in senibus oculi caligant, & hebescunt: itaque concinit cum illo. *Animus gaudens ætatem floridam facit.* Nam vigor ætatis, vel maximè in facie, atque in oculis efflorescit. Huc spectat etiam translatio Septuaginta. *Cor lætum facit bene habere*, id est, valetudinem adducit. Chaldæus, *pulchrum reddit corpus*, omnia in

idem

idem recidunt. Vide quæ nos diximus supra cap. 15. A vers. 3. ad illa verba. *Cor gaudens exhilarat faciem*, &c. Nam prioris huius hemystichij sententia ab illa, nec latum vnguem, discedit. Subdit:

91. *Et spiritus tristis exsiccat ossa.* id est, mébra omnia conficit, & exhaurit, tristitiá quippè non animus solum, sed etiam corpus tabescit, & angor ipsas ossium medullas exedit, Galen. de sanitate tuenda lib. 3. cap. 16. *Ex tristitia*, inquit, *homines magis graciles, & magis aridi, ac minus dicto audientes plane cernuntur.* Sed exactissimè Cornel. Celsus hanc siccitaté descripsit de med. lib. 1. cap. 3. *Spiritus*, inquit, *cùm grauius hominem affligunt, non modo infirmant, verum etiam & resoluunt, & absumunt, & caloris ebullitionem toti corpori conciliant tantam, quæ temperamentum calidius,* B *sicciusque, & corpus gracile, & aridum efficere queat.* Deinum Hippocrates, tristitiam & curam, morbum curatu difficilem esse docet, in lib. 2. de morbis, vbi ic scribit. *Cura in visceribus veluti spina esse videtur, atque illum pungere.* Succedat memoriæ illa lectio Theodotionis. *Spiritus compunctus exsiccat ossa*, congruit enim cú hac Hippocratis sententia: quò etiam spectasse videtur Dauid, cùm ait, *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina*, id est, tristitia. Addo etiam afflictionem, & angorem animi tribulationem appellari, à tribulis, vt docet D. Isidor. lib. 10. Etymolog. nimirum, quia tamquam tribuli, ac spinæ cor pungit. Addit Hipocrates. *Vbi hæc anxietas animum corripit, lucem, atque homines fugit, & tenebras amat, &* C *timor inuadit, aridus est, & ad contactum dolet, & expauescit, & terriculamenta, & somnia horrenda videt.* Lege plura in suprà adscripto loco.

Galen.

Cornel. Cels.

Hippocrat.

Theodotion.

Isidor.

---

23. *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.*

92. Mvnera de sinu impius, &c. Hebr. *Munus è sinu impius capiet ad peruertendum semitas iudicij.* Sept. *Accipientis munera iniustè in sinibus, non prosperantur viæ, impius autem declinat vias iustitiæ.*

Duplicem ad sensum hæc verba accersere licet. D Prior est Iansenij. *Munera de sinu impius accipit*, &c. Nimirum homo impius ex sinu suo munera clã producit, eaque iudici vel magistratui offert, vt mentem illius ad se flectat, & iustitiæ amussim detorqueat: quod quidem perinde est, ac si dicat; Munera & dona iudici offerre ad eius beneuolentiam elucrandam, eius sane est, qui cùm causæ, atque iuris sui infirmitatem norit, contra ius fasque petitam rem obtinere volens iudicem donis adoritur, vt mentem illius, iustitiamque detorqueat: nam ex aduerso, qui litem iustam defendit, & æquitati suæ confidit, à donis, & largitionibus abstinet. Itaque hac sententia secundùm præfatam expositionem admonet magistratus, vt nouerint eos plerumque iniustos esse, & E lites, causasque iniustas tueri, qui illos donis, & muneribus clam adoriuntur; id enim est eorum consilium, vt quidquid æquitati deest, largitionibus compensent.

Iansen.

93. Posterior expositio communis, quam idem Iansenius alteri adnectit, & præfert, præmissa verba ad illum refert, qui munera accipit hoc modo. *Munera de sinu impius accipit.* Nimirum impius iudex oblata sibi clam munera & dona libenter accipit. *Vt peruertat semitas iudicij*, vt scilicet his corruptus æquitatem, & iustitiam deserens, ei causam, & litem adiudicet, qui plus donauit. Semitas autem iudicij appellat Salomon leges, à quibus iudicem exorbitare & pedem efferre non licet. Ergo has semitas

A rectas, & tritas munera peruertunt, euertunt videlicet, ac delent, quia iudicem cogunt, vt delettis semitis tritis ac rectis auia diuerticula sequatur. Ætius Iurisconsultus apud Alciatum leges *vias* appellat *Regias, & Imperatorias*, ac statim addit. *Ab his quidem iudices vi, aut pretio declinantes alias vias, vel potius diuerticula extruxerunt.* Hæ sunt, inquit Alciatus, corruptæ, & adulteratæ legum interpretationes, quas dum alij, atque alij deinceps sequuti sunt, pro viis tritis, hoc est pro legibus haberi cœperunt. Ergo cùm Salomon ait eos, qui munera accipiunt vias iustitiæ peruertere, sic accipe, magistratus muneribus corruptos regias, & imperatorias vias deserere, & diuerticula, falsas, scilicet, le- B gum interpretationes captare. At quis non doleat hoc nostro sæculo tot, tamque dissimiles, ne dicam transuersas, imo sibi aduersantes oppositasque vias, non aliunde, nisi ex iudicum corruptelis adinuentas, & excogitatas fuisse? sane iurisperitos nostros ludibrio habuit, & luculentam illis plagam inflixit, quisquis ille est, qui librum suum ita inscripsit, *Communes contra communes*: eorum videlicet variam opinandi, & leges interpretandi instabilitatem coarguens. At quid, inquies, in dissimiles adeo legum expositiones ipsos compulit? vis atque pretium, inquit Ætius, nimirum largitiones, & munera. Translatio Septuaginta perspicua est.

Alciatus.

C

---

24. *In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ.*

IN Facie prudentis, &c. Hebr. ad verbum. *Cum faciebus intelligentis sapientia, & oculi stulti in extremo terræ.* Chald. *Vultus prudentis hilaris est in sapientia, & oculi stultorum in profundis terræ.* Sept. *Vultus intelligens viri sapientis, oculi autem imprudentis ad extrema terræ.* Symmach. concinit cum nostra. 94.

Primam expositionem ad origines referunt Iansenius & Rodolphus hunc ad modum. *In faciebus* D *intelligentis sapientia*, nimirum homo intelligentia & prudentia præditus sapientiam tantum, id est virtutem, & honestatem præ oculis habet, hanc impensius optat, & votis omnibus exquirit. Ad hunc sensum etiam referri potest lectio vulgata. *In facie prudentis lucet sapientia*, id est, prudens sola sapientia fulgere, ac splendere videtur, id quod vulgo dici solet, *Eso es loque luce. Oculi autem stultorum in finibus terræ*, id est, stulti & vecordes homines vota, atque desideria sua rebus terrenis adiiciunt, *In finibus terræ*, hoc est totius orbis imperium ambiunt, & ditionem suam ad vsque vltimos mundi fines pertingere cupiunt, sic Rodolphus & Iansenius. Ego verò ita quidem acciperem. *In finibus terræ*, hoc est E in limitibus prædiorum, & fundorum, quasi dicat, stultis quidem, atque vecordibus id tantum in votis est, vt suorum prædiorum, ac fundorum limites ac fines amplificent.

Iansen.

Secunda expositio est Clarij ad hunc modum; homo prudens semper in prospectu suo habet vnde discat sapientiam. Stultus autem putat eam longissimè dissitam, scilicet in extremis terræ, & ideo numquam inuenit eam. 95.

Clarius.

Tertia interpretatio, quam duo præfati Iansenius, & Rodolphus etiam tradunt, & reliqui fere interpretes amplexantur, sic habet. *In facie prudentis lucet sapientia*, hoc est, sapientia, seu probitas, quamuis in animo est, tamen perspicua sui arguméta in facie, & in vultu, & in reliquo hominis habitu prodit,

ibi splendet, ac fulget. *Sed oculi stultorum in finibus terræ.* Nimirum stulti oculos vagos, & instabiles in longissima, & valde dissita iaciunt, hoc enim stultitię maximum argumentum est. Itaque sapientum modestiam, & compositum totius corporis habitum cõmendari, ac rursus insipientis immodestos, & inordinatos motus, & gestus describi existimant. Hunc sensum reddere videtur translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Vultus intelligens viri sapientis*, idest, vultus viri sapientis præ se fert intelligentiam, & sapientiam. Nam Philosophia, & morum compositio, vultum componit, & colore suo imbuit. D. Gregor. Nazian. in oratione 14. de pace sic scribit. *Quinetiam pulchrum illum sublimium virorum florem, hoc est pallorem, & compositam loquendi rationem, & incessus grauitatem cum mansuetudine coniunctam heri Philosophiam appellabamus*, &c. Itaque sapientiæ succus ex Nazianz. pallor est, & quidem sapientis vultum eleganter descripsit Lucanus, cùm ait.

Nazianz. — A — B — Lucan.

Talis inest habitus qualem nec dicere mæstum,
Nec fluidum, læta, sed tetricitate decorum.

Cicero.

Accedit etiam Tullius in lib. 3. de Oratore, qui de omni animi motu in vniuersum sic scribit. *Omnis motus animi suum quendam à natura habet vultum, & sonum, & gestum, animi imago vultus est. Nam hac vna pars corporis qua quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere.* Cassiodor. lib. 4. Epist. *Est*, inquit, *in ipso motus gestu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cognoscitur, hinc homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior, & cõstantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quadam est animi corporis motus.* Ergo *in facie sapientis lucet sapientia*, hoc est micat, & splendet. *Vultus seuerus*, inquit Augustinus, *custos est disciplina, atque probitatis, hic si absit, veluti fax leuitatis vento exposita restinguitur.* Itaque seuerum, pallidum, & grauem viri prudentis vultum laternam quandam imitari affirmat, in qua probitatis, & honestatis fax sic clauditur, vt niteat; sic patet, vt leuitatis, & immodestiæ ventos arceat. Aptè igitur Salomon: *In facie sapientis lucet sapientia*, scilicet vt in laterna fax, sic sapientia, & probitas in seueritate, & grauitate vultus nitet.

Cassiod. — C — D

96. Tertiam interpretationem nobis offert paraphrasis Chaldaïca, quæ sic habet: *Vultus prudentis hilaris est in sapientia, & oculi stultorum in profundis terræ.* Nimirum vultus prudentis, & sapientis lætitiam, & decoram quandam amœnitatem præ se fert: at facies stulti demissa, deorsum spectans, oculi deiecti, & ima despicientes: hic enim est habitus tristis, & mœsti hominis. Itaque illud, *In finibus terræ*, Hebraïcè: *In extremo terræ*, ad profunditatem retulit Chaldæus, & lectionem vulgarẽ eundem ad sensum vocare fas est, hoc modo; *In facie sapientis lucet sapientia*: nimirum sapientis faciem nitentem, placidam, scilicet, atque amœnam reddit sapientia: *Oculi stultorum in finibus terræ.* Hoc est stulti deiecto vultu præ tristitia, tanta attentione terram intueri solẽt, vt ipsam oculis suis peruadere, & ad profundissimas ipsius centri partes acie sua pertingere velle videantur. Et quidem vultum placidum, & decoram lætitiam sapientem imprimis dicere nemo inficiatur, eam scilicet, quam bene sibi conscia mens parit; Plutarchus in Moral. *Vt fronti non deest humor semper ex eo scatens, sic probo viro semper adest gaudium, etiamsi res extrema mutentur.*

E — Plutarch.

25. *Ira patris, filius stultus, & dolor matris, quæ genuit eum.*

IRa patris, &c. Hebr. *Et amaritudo genitrici suæ.* Chald. *Filius stultus exasperat patrem suũ, & exacerbat matrem suam.* Septuaginta: *Ira patris filius imprudens, & dolor ei*, &c. Theodotion πικρασμὸς idest, *exacerbatio, ei, quæ genuit eum.* Sẽtentia est perspicua, & ab ea, quam nuper expendimus vers. 21. parum abludit, & quidem accommodatè Salomon patri iram, & indignationem dedit, hæc enim virum robustum decet; matri autem dolorem, & amaritudinem, hæc enim molle feminarum ingenium afficere solet. Itaque ait, *Ira patris filius stultus.* Nimirum filius improbus, ac degener, patrem suum ad iracundiam concitat adeò, vt cùm ipsum corripere opus est, non paternè, sed hostiliter, & crudeliter in illum sæuiat: *Et dolor, seu amaritudo matris, quæ genuit eũ.* O sæuum & omni fera immaniorem filium, qui parentem suam, quæ tot illum doloribus semel enixa est, ad nouos iterum, & maiores dolores compellit! Lege Augustin. in lib. 5. Confess. vbi Monicam sæpe, ac sæpius illum ingenti dolore repetitis vicibus reparturiisse tradit, *Nesciebat*, inquit, *& ideo flebat, & eiulabat, atque illis cruciatibus arguebatur rea reliquiarum Heuæ, cum gemitu reparturiens, quod cum gemitu pepererat.* Aptè igitur Salomon parenti ob filium stultum & improbum, dolorem accommodat, Hebr. *Amaritudo genitrici suæ.* Symmachus: πικρασμὸς, sunt qui putant, πικρὸν, πικρία, πικρασμὸς, & alia id genus, fluere quidem ab illo nomine, πικρὶς, ίδος: quod intybum, aut chicorium, vel agrestem lactucam sonat. Vox autem originalis Hebraïca ממר *Memer*, non abit ab hac significatione. Nam Exod. 12. vbi legimus: *Et azimos panes cum lactucis agrestibus*, in Hebræo est, *Memerem*: id est, cùm amaritudinibus. Ergo sensus est, filius improbus intyba, & amaras lactucas, vel si quid acerbius est, parentem suam vorare facit, hoc est, animũ illius acerbitate, & amaritudine affatim replet. Plinius quidem lib. 20 c. 8. huius oleris medicam vim extollit, sed ad perpurgandas mulieres maximè salubrem esse docet, sic enim scribit: *Mulierum quidem purgationibus adeo prodest, vt mortuos partus trahat*, & quidem sæpius hoc medicamento vtitur Deus. Nam ad expurganda indulgentissimarum matrum peccata, filiorum contumaciam, & impietatem permittit, vt his quasi intybis acerbissimis voratis, anteactas culpas, & crimina expient, & emortuos partus egerant, eos scilicet, de quibus Beatus Iacobus cap. 3. *Concupiscentia cùm conceperit parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Huc spectauit etiam Augustinus, qui antiquæ suæ erga parentem impietatis, & contumaciæ pertæsus ait, suam insolescentis animi peruicaciam parenti suæ ad purgationem exhibitam. Hac tamen purgatione matres aliæ magis indigent.

97. — August. — Exod. 12. — Plin. — Iacob. 3.

26. *Non est bonum, damnum inferre iusto: nec percutere principem, qui recta iudicat.*

NOn est bonum damnum, &c. Hebr. *Etiam mulctare iustum non est bonum, nec percutere magnificos super rectitudinem*, lectionem Cajetani postea subiiciam. Chald. habet. *Mulctare iustum non est bonum, neque percutere iustos, qui dicunt recta.* Septuaginta: *Neque fas insidiari principibus iustis.* Symmachus Hebraïci textus vim expressit. 98.

Rodolphus existimat hæc verba ad proximè præcedentia referri posse, hoc sensu, *Nõ est bonum, damnum*

Rodolph.

num inferre iusto. Heb. *Condemnare iustum.* Nimirum valde impiè, ac temerè agit, qui ob delicta filij parẽtem damnat: sæpè enim accidit, vt parens pius, iustus, & qui sedulam; & accuratam educandis filiis operam nauat, eosdem ob difficile ingenium, & degeneres mores contumaces experiatur. Non probo.
Caietan. Caietanus itaque sic legit: *Etiam condemnando ad iustum non bonum, ad percutiendum principes super rectitudine:* exponit autem ad hunc modum. Quamuis impium sit iustum damnare, & insontem veluti reũ mulctare, tamen non propterea aduersus Principes, & magistratus consurgere, & eos aut lædere, aut violare licet, quod insontem aliquando reum peragant, & supplicio afficiant, si tamen iustè, & secundùm allegata, & probata sententiam ferunt. Itaque hic locus docet iudicum arbitria, & decreta à nemine iudicari, vel damnari debere. Ad hunc sensum vulgatam lectionem allicere integrum est, hoc modo: *Non est bonum damnum inferre iusto,* scilicet iudicis, vel principis sententia iustum damnare, & supplicio addicere nefas est, cùm eius innocentia, aut iustitia comperta est, *Nec percutere principes, qui recta iudicant,* idest, hoc etiam malũ, imò deterius est, lædere magistratus, aut iudices, cùm insontem damnant, si tamen iustè, & secundùm exceptam probationem id faciunt. Huc spectat illud Epicteti apud
Maxim. Maximum serm. 5. *Vt iusta,* inquit, *bilanx nec à vera bilance corrigitur, nec à falsa examinatur, sic etiam iudex iustus nec à iustis examinari, nec ab iniustis argui debet.*

99. Reliqui interpretes existimant Salomonem duas hîc numerare dignas omni obsequio personas, quas vereri, & colere omnes debẽt, quas item lædere, aut violare impium est, scilicet virum iustũ atque Principem, seu magistratum. Sic Iansenius, & alij, sed tamen ne langueat sententia, vide an inter virum iustũ videlicet, ac Principem inita sit comparatio ad hunc modum, *Non est bonum damnum inferre iusto,* imò impium atque sceleratũ est, *nec percutere Principẽ, qui recta iudicat.* Quasi dicat, hæc quodammodo paria sunt. Nomine autem iusti non intelligo virũ probum, & pium; sed iudicem aliquem integerrimum, & incorruptum. Itaque sensus est, qui iudicẽ æquissimum à Principe nuncupatum ac præfectum violat, perinde facit, ac si Principẽ ipsum, cuius ille personam sustinet, læderet, ac violaret, sic enim fert cõmunis hominũ consensus iniurias inferioribus magistratibus illatas ad Principem quodãmodo spectare, nil certius. Quapropter magistratus occidere aut percutere per legẽ, idest, ad legẽ Iuliam in P. crimen est majestatis læsæ atque pari pœna, atq; illud, quod in personam Principis admittitur puniendũ censue-
Demosth. runt Cæsares. Huc spectat etiam illud Demosth. cõtra Midiam: *Magistratum,* inquit, *verberans vel prætorem, aut contumeliis afficiens, iniuriæ publicæ veluti ciuitatis reus est.* Quasi dicat, non dignus tantum ea pœna, quę in violatores Principum statuta, sed etiam illa, quæ in proditores reipublicæ lata est. Hæc mihi ante alias expositio probatur.

---

27. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudẽs est: & pretiosi spiritus vir eruditus.*

100. QVi moderatur sermones suos. Hebraïcè. *Prohibens eloquia sua sciens scientiam, pretiosus spiritu vir intelligentiæ.* Chald. *Et qui humilis est spiritu, vir intelligens est.* Septuaginta: *Qui parcit verbum promere durum bene sentiens, longanimus autem vir prudẽs.* Aquila, *bene sciens,* pro illis verbis, *pretiosi spiritus,* in originibus est, ויקר רוח *Veichar ruach:* alij

A qui verò existimant interponendum esse Iod, hoc modo, ויקר *Vicar.* Nonnulli ergo referunt ad radium יקר *Iacar:* hoc est *appretiari,* aut *rarum esse,* aut *carum.* Hinc lectio nostra nata est, *& pretiosi spiritus,* &c. Rursus alij eam vocem petunt ex radice קיה *Karah,* quæ significat *contignare.* & quidem ad hanc, ni fallor, spectarunt Septuaginta cùm reddiderunt, *Longanimis autem.* Nam virum spiritus contignati, non alium, nisi fortem, & malorum tolerantem esse existimarunt. Item alij reuocant eam vocẽ ad radicẽ קרר *Karar.* duplicantem secundum, idest, frigescere. Hinc nata alia lectio, quã ex Rabinis multi amplexati sunt. *Frigidus autem spiritu vir sapiens:* de qua postea. Chald. conuertit. *Humilis spiritu.* Vide-
B tur autem ad raritatem spectasse, quam significat verbum *Iacar:* ita vt hominem *rari spiritus,* id est, qui parcè spirat, pro humili spiritu acceperit. Nam superbos ad maxima quæque adspirare & sibi ingentes spiritus sumere dicimus.

His præmissis si de lectione vulgata sermo sit, sensus quidem prioris hemystichij in promptu est. *Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudẽs est,* qui scilicet modum orationi suæ imponit, qui verbis parcit, atque raros sermones serit, doctus vtique, ac prudẽs est: tum quia verba metiri opus maximæ sapientiæ est: tum etiam, quia dum quis tacet, & verba opprimit, prudens vulgo haberi solet, iuxta id quod statim addit: *Stultus quoque si tacuerit,* &c. Cæterùm hæc 101.
C priora verba cum sequentibus consuere haud facile est. *& pretiosi spiritus vir eruditus.* Ergò ad istum nexum sex interpretationes conformare licet, quas tum Vulgata, tum etiam aliæ lectiones spirare videntur.

Prima est, quam vulgus interpretum amplectitur, vt hîc de silentio in vniuersum sermo sit, hoc modo. Qui à sermocinatione, & multiloquio sibi temperat, prudentiæ, & sapientiæ eximiæ vir est. Omnis enim cautus, & intelligens pretiosum habet spiritum. Et quidem spiritus in scriptura sæpius accipitur pro verbis, aut impetu loquendi infrà c. 25. *Non potest in loquendo cohibere spiritum suum,* & c. 1. *En proferã vobis spiritum meũ, & ostendam vobis verba mea,* & alibi. Ergo cùm ait Salomon, *Et pretiosi spiri-*
D *tus vir eruditus,* perinde est, ac si dicat, viri sapientis verba esse pretiosa, cara, & rara, hæc enim omnia significat vox originalis. *Pretiosa,* inquam, quia rara, & rursus cara, quia pretiosa: nã quæ rara sũt, magno in pretio haberi cõsueuerũt, & quæ permagno æstimantur, caro etiam constant. Et quidem raritas verborum spectatur in parcitate, parcitas autẽ loquendi in duobus cõsistit Primò vt vix necessitate cõpulsus quis loquatur. Secundò vt cùm demum coactè loquendũ est, paucis verbis rem cõplectatur; si autem ad hunc modum verba moderari contigerit, sermo erit pretiosus, præsertim si accedat verbis diligens pensitatio, & meditatio: nam quæ magno in pretio sunt, diligentissimè appendi, & librari solent. Hinc
E est illud, *Et verbis tuis facito stateram.* Denique illa, quæ tanti æstimantur, non vilius, sed carius veneant necesse est: ea propter Salomon alibi præcipit, vt sapiens, non nisi interogatus, aut etiam rogatus, eloquatur. Itaque verba sapientis precibus impetranda esse docet Salomon, & quàm caro constent ea, quæ precibus parantur, nemo ignorat.

Secunda expositio, quam tradit Iansenius, *ad secreti* obseruationem spectat, ita vt sensus sit. Qui 102. Iansen.
modum imponit verbis suis, vt nec passim, nec omnia dicat, sapiens vtique, ac prudens est. *Et pretiosi spiritus vir eruditus.* Spiritus, inquit Iansen. pro *arcano,* & *secreto* accipi consueuit infrà c. 29. *Totũ spiritũ suũ profert stultus,* &c. *Sapiens autẽ reseruat in posterũ,* & cap. 25. Vrbi patenti cõponitur vir, qui nõ potest,

In loquendo cohibere spiritum suum, id est, qui secretum sibi commissum seruare non potest. Ergo Salomon ait, sapientis, atque prudentis hominis spiritus valde pretiosus est: & quemadmodum quæ magno in pretio habentur diligentissimè asseruari, & thecis includi consueuerunt: sic etiam vir prudentia & sapientia pollens, spiritum suum, id est, arcanum sibi commissum, custodit ac seris quàm studiosissimè munit. Isocrat. Hinc est illud Isocratis, qui in oratione ad Demo. *Sermonum*, inquit, *deposita fidelius ac diligentius, quàm auri, & pecuniarum custodito.* Nimirum quia longè pretiosiora sunt.

103. Rodolph. Tertia interpretatio est Rodolphi, qui *spiritum pretiosum* perinde esse existimat, atque raram quandam intelligendi, & cognoscendi vim: & secundùm eam acceptionem sententia ad hunc modum construi potest. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est.* Hebr. *Prohibens eloquia sua*, idest, qui silet, ac verba omnino opprimit, sapiens, ac prudẽs est. *At pretiosi spiritus vir eruditus.* Ille scilicet pretiosa quadam, & exquisita intelligendi vi præditus est, qui eruditè, grauiter, & seriò loquitur, cùm opus est. Itaque Salomon docet ad tacendum quidem magnam sapientiam esse necessariam. Cæterùm ad loquendum aptè, & appositè cum res postulat maiori, ac præstantiori prudentia opus esse. Itaque eruditus hic appellatur aptè, & disertè loquens. Interim autem suadet Salomon tacere, cùm hoc facilius ac tutius sit, quàm illud. Epictet. Vnde Epictetus sic scripsisse fertur. *In omni negotio nihil adeo perspiciendum est, quàm vt facile, tutum, & securum sit, quod agitur: est autem tutius, ac facilius tacere, quàm aptè loqui.* Citatur autem in Enchyridio.

104. Caietan. Quartam expositionem obtulit Caietanus, qui illud, *Pretiosi spiritus vir eruditus*, sic acutè magis, quàm solidè exponit. Verba, inquit, moderari opportunè, & disertè loqui, insignioris cuiusdam sapientię documentum est: qui autem eam sapientiæ vim adeptus est, magno in pretio haberi debet, non quidem pretio pecuniæ, sed spiritus: pretio inquam spirituali, cui omne temporale pretium immenso interuallo cedit, atque inferius est.

Chald. Quintam expositionem spirat Chaldæus, qui de fastu, & iactantia comprimenda locum interpretatur, sic enim habet. *Qui moderatur verba sua, disertus est.* id est, qui à verbis abstinet ventosis, & tumidis, prudens valde, atque sapiens est, *Et qui humilis est spiritu, intelligens est.* Is scilicet, qui altos, & ingentes spiritus non proflat, maxima quadam intelligentia pollet. Coniecturam huius loci initio præmisi, vbi addidi Chaldæum quidem voces illas *Vekar ruach*, Virum scilicet rari spiritus accepisse illum qui parcè, & exiliter spirat, propterea reddidit, *& qui humilis est spiritu.* Nam quemadmodum superbi, & arrogantes, spiritus ingentes habent, & flatibus suis vbique perstrepunt; sic etiam humiles parcè flant, & exiliter spirant. Hãc vnã causam assignat D. Ephrem, in titulo de humilitate, ob quã superbi calamitatibus, atque laboribus velut aquis immersi statim præfocantur, scilicet quia spiritus cohibere, ac continere non possunt: humiles verò laboribus obruti diu sub illis esse, ac tandem emergere valẽt, quia scilicet rari atque parcissimi spiritus sunt, atque adeo longo tẽpore sub aquis esse possunt. Sed tamen appositè ad hunc locum, in quo Salomon dicit illum esse intelligentem, & cognitione diuinarum rerum instructũ, qui perrari & exilis spiritus est, scribit Diu. Ioann. Chrysost. Chrysost. hom. 14. in Genes. vbi docet humiles Vrinatorum in morem (vulgo *Buzanos*, hi sunt, qui ad profunda maris se demittentes cohibito spiritu tamdiu sub aquis sunt quoad margaritas inde trahant) A scripturæ profunditatẽ adire, atque inde sapientiæ, & prudẽtiæ præcipua dogmata eruere. *Multa enim*, inquit, *& in his quomodo sunt lecta reconditiora sunt, atque adeo opus est, vt in profundiora Dei descẽdamus. Nam si id agunt, qui margaritas in mari inuenire cupiunt, quoad desideratis potiantur; multo magis fuerit nostrum animum intendere, vt perlustratis his, quæ in profundo dictorum latent, ad pretiosos illos lapides comprehendendos per humilitatem descendamus.* At quid est per humilitatem descendere? profectò nihil aliud nisi spirituum retentione ad profunda demitti, id enim humilitatis proprium est. Sed quia Vrinatores solent quidem oleo difflato maris profunda illuminare, vt margaritas captare liceat, ad id spectans B Chrysostomus attexit. *Sed ne timueris, dilecte, cùm audis profunditatem: nam Spiritus sancti gratia mentem nostram illuminans, & facile inuenire desiderata concedens, omnem laborem alleuiat.* Itaque Spiritus sancti gratiam olei vices agere luculenter satis insinuat ad illustranda profundiora scripturæ dogmata.

Sextam expositionem tandẽ afferunt Septuaginta, qui verba hæc de mãsuetudine, ac mititate exposuerunt ad hunc modum. *Qui parcit verbum promere durum bene sentiens, longanimis autẽ vir prudens.* Nimirum is cumulatè, ac perfectè prudens est, qui à duris, atque molestis verbis abstinet, qui nullius patientiam verbo violat: ille, inquam, prudentia, & sapientia præstat, qui longanimis, & patiens est, qui C probris, & contumeliis petitus, ea nequaquam regerit, sed æquo animo tolerat. Quomodo autem tolerantia & longanimitas maximam prudentiæ partem contineant, alibi diximus. Et quidẽ hic, vt nuper dicebam, Sept. ad verbũ sic legendũ esse censuerunt. *Contignati autẽ spiritus vir prudens.* Propterea ad sensum spectantes ipsi reddiderunt. *Longanimis autem*, &c. Is enim verè longanimis, atque patientis nomen vsurpare poterit, cuius spiritus animusque cõtignatus, & quasi immissis trabibus compactus est. Iuuat quidem hanc meditationem Chrysostomus, qui in homilia de patientia, *Hanc patientiam validissimã totius ædificij trabẽ appellat, cui reliqua tecti moles incũbit.* Itaque patientia præditus vir animũ gerit conti- D gnatum, & validis trabibus compactum, neu parietes nutent, neu tectum ad solum deferatur. Ad hæc spiritus contignati virum appellare licebit eum, qui spiritum suum per mortificationem internam ligno crucis affixit, & concupiscentias suas clauis trabalibus traiecit. Plures interpretationes ex his selige. 105. Sept. Chrysost.

28. *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si cõpresserit labia sua, intelligens.*

106. Stultus quoque si tacuerit, &c. Hebr. *Obturãs labia sua intelligens.* Chald. concinit cum nostra. Septuaginta paulò aliter. *Dementi interroganti sapiẽ-* E *tiam, sapientia reputabitur; mutum autẽ qui se faciens, videbitur prudens esse.* Aquila, Symmach. & Theod. à Vulgata non abeunt.

Huius loci perspicua adeo est sententia, vt Scholiaste non indigeat. *Stultus*, inquit, *si tacuerit, sapiens reputabitur.* Non ait, sapiens erit, sed, dissimulata stultitia, sapiens, ac prudens vulgo habebitur; *Et si compresserit labia sua, intelligens.* Si scilicet eius silentium eò deuenerit, vt velut obstructis labiis ne verbum quidem promat, intelligentis nomen & gloriam sibi pariet. Senec. Huic adsimile est illud Senecæ in Prouerb. *Taciturnitas stulto homini pro sapientia est, tacere qui nescit, nescit loqui.* Extat etiam illud incerti cuiusdam Poetæ Græci, quod ad verbum redditum sic habet.

Quilibet

Quilibet indoctus prudentissimus est tacens,
Sermonem occultans, veluti passionem turpissimam,

Item Alciatus sic cecinit.

Alciat. *Cum tacet, haud quidquam differt à sapiĕtibus amĕs,*
Stultitia est index, linguáque, vóxque sua.
Ergo premat labia, digitoque silentia signet,
Et sese Pharium vertet in Harpocratem.

107. Translatio Septuaginta paulò diuersum sensum reddit. *Dementi interroganti sapientiam, sapientia reputabitur*, quia non minimæ sapientiæ pars est sapienter interrogare. Sententia quidem eò spectare videtur, vt quicumque suæ sapientiæ parum fidit, non prius verba faciat, quàm ab aliquo sapiente rogauerit, didiceritque ea, quæ dicturus est: sic enim fiet, vt sapientia alterius ipsi adscribatur: subdit. *Mutum autem qui se faciens, videbitur prudens esse*: hæc posterior pars ad superiorem sententiam pertinet. Vtraque autem hoc significat, virum imperitum duplici quidem ratione sapientiam, & peritiam simulare posse: nimirum si aut prius alium sapientiorem interrogauerit, quàm ipse dicat, vel si omnino tacuerit, & velut elinguis, ac mutus, ne verbum quidem expresserit. In hominem vehementer tacitum extat illud Horatij, *Statua taciturnius*. Quod quidem nobilis illius scholiastes sic expendit. Imperatorũ, ac princi- (Horat. Epist. 1.l.2.)

A pum statuis omnes quidem honorem deferre solent, quamuis enim elingues sint, & omnis vitæ, & motus expertes, tamen Imperatores ipsos viuos lineamentis suis repræsentát. Ad eundem modum inquit, viros stultos, si quidem taceant, & ora sua obstruant, cuncti quidem colunt, & obsequio dignos censent, quia sapientum quadam, vt ita dicam, statuæ, & simulacra sunt. Adde etiam Lucianum in lib. de Historia conscribenda, vbi taciturnos, & silentes, sapientiæ δορυφόρημα appellat. Dicebatur autem *doryphorema* satellitium illud, quod olim tyranni, & Reges ad custodiam corporis adhibebant. Ergo in tragœdijs, ac comœdijs sic isti adibát regum personas, vt adstarent tantum, sed nihil dicerent, vnde Athenæus l. 5. sic scribit. *Neque enim oportet hunc adesse more doryphorematis tacitum, & nihil afferentem in medium.* Er- (Lucian. / Athen.)

B go ad id spectans Lucianus, tacitos homines, *sapientiæ doryphoremata* nuncupauit, vel quia sapientiæ quidam veluti satellites sunt ipsi ad custodiam additi, adeo vt securior inter ipsos procedat, quàm inter alios sapientes nimium loquaces, vel quia in omni actione sapienti, & prudenti, velut in scena tacent quidem, sed tamen personam sustinent suam, & cum loquentibus, & disertè dicentibus computantur. (Lucian.)



CAP. XVIII. SALOMONIS.



1. OCCASIONES *quærit, qui vult recedere ab amico: omni tempore erit*
exprobrabilis. 2. *Non recipit stultus verba prudentiæ: nisi ea dixeris,*
quæ versantur in corde eius. 3. *Impius, cùm in profundum venerit pec-*
catorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium. 4. *Aqua*
profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons sapientiæ. 5. *Ac-*
cipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij. 6. *La-*
bia stulti miscent se rixis: & os eius iurgia prouocat. 7. *Os stulti contritio eius: & labia*
ipsius, ruina animæ eius. 8. *Verba bilinguis, quasi simplicia: & ipsa perueniunt vsque ad*
interiora ventris. Pigrum deijcit timor: animæ autem effæminatorum esurient. 9. *Qui mollis,*
& dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. 10. *Turris fortissima, nomen Do-*
mini: ad ipsum currit iustus, & exaltabitur. 11. *Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi*
murus validus circumdans eum. 12. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & an-*
tequam glorificetur, humiliatur. 13. *Qui priùs respondet quàm audiat, stultum se esse demon-*
strat, & confusione dignum. 14. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam: spiritum ve-*
rò ad irascendum facilem quis poterit sustinere? 15. *Cor prudens possidebit scientiam: &*
auris sapientium quærit doctrinam. 16. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante princi-*
pes spatium ei facit. 17. *Iustus, prior est accusator sui: venit amicus eius, & inuestigabit*
eum. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat.* 19. *Frater,*
qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: & iustitia quasi vectes vrbium. 20. *De fructu*
oris viri replebitur venter eius: & genimina labiorum ipsius saturabunt eum. 21. *Mors,*
& vita in manu linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus eius. 22. *Qui inuenit mulie-*
rem bonam, inuenit bonum: & hauriet iucunditatem à Domino. Qui expellit mulierem bonam,
expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est, & impius. 23. *Cum obsecrationibus*
loquetur pauper: & diues effabitur rigidè. 24. *Vir amabilis ad societatem, magis amicus*
erit quàm frater.

1. *Occasiones quærit, qui vult discedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis.*

1.

OCCASIONES quærit, &c. Hebr. ad verbum, *Ad desiderium quæret separatus, & in omni existentia miscebit se.* Hebraicè, תושיה *Thosijah*. Pagnin. *In omni sapientia.* Caietan. *In omni statuto.* Chald. *Desiderium quærit separatus, & omne consilium deridet.* Noster interpres pressit vestigia Septuaginta, Aquil. verò, & Symmach. εἰς ἐπιθυμίαν, id est, ad desiderium, seu voluptatem. Exclamat igitur Caietanus, vel nescio quis Hebræus apud ipsum ad hunc modum (vide quàm dispar est Vulgata lectio ab Hebraica veritate) nimirum illam mendi, aut corruptionis insimulans. Cæterùm nescio an ipse longiùs abeat ab omni pietate. Noster vtique Vulgatus in re ambigua haud temerè prætulit lectionem Sept. qui, vt optimè conjecit Iansenius, pro voce תאוה *Thaavah*, legisse videntur תאנה *Thaanah*, à radice אנה *Anah*, quæ vox significat occasionem, & opportunitatem. Item vocem illam Thosijah quam tot modis alij, atque alij reddiderunt, ipsi quidem sic extulerunt *omni tempore*. Fluit enim à verbo ישה *Iasah*. id est, existere: quid autem aliud est, *In omni existentia*, nisi in *omni tempore*, vt vulgo dicimus, *En qual quier acaecimiento.* Denique extremum illud יתגלץ *Ithgalangh*. quod, vt iacet, fluit à radice *Galangh*, putat quidem Iansenius per quamdam litterarum metathesin Hebræis familiarem, à Septuaginta, & Vulgato aceptum quidem pro יתגלץ *Ithghal*. à radice *Gaghal*, quæ significat exprobrari, aut probro esse. Addo etiam dici posse verbum illud *Galangh*, vt iacet, secundùm germanam significationem propriè esse litibus se immiscere, aut contentiones excitare, supra cap. 17. vers. 14. & infra cap. 20. vers. 3. nescio an alibi reperiatur in scriptura. Ergo si dicamus vocem illam *exprobrabilis*, nō passiuè, sed actiuè sumi (vt accipi posse fatetur plane Rodolphus) hoc sensu, *erit exprobrabilis*, idest, omni tempore amico suo exprobabit, nimirum illi obiiciet, ingeretque culpas ex desiderio contentionis, & rixæ: tunc quidem haud necessaria erit metathesis, vt sensus atque verba optimè cadant, & lectio sit appositissima. His præmissis,

2. Rodolph. Prima interpretatio est Rodolphi, qui Hebraïcam translationem amplexus sic illam edisserit. *Ad desiderium, vel pro desiderio, quæret separatus, & in omni sapientia miscebit se.* Sunt videlicet aliqui, qui separati sunt ab omni sapientia, stulti planè, ac vecordes, & tamen sapientes videri appetunt. hi ergo in omni sapientia se admiscent, hoc est inter sapientes sese ingerunt, & super omni facultate, arte, & disciplina eloqui, ac sententiam dicere audent. Hoc sane genus hominum passim occurrit, qui cum ignari & imperiti omnino sint, de quibuslibet serio velut sapientes sermocinantur. Consonat autem hæc interpretatio cum superiori versiculo: ad quam sententiam spectauit D. Gregor Nazianz. in oratione prima Apolog. de fuga in Pontum, vbi de his in omnem sapientiam temerè irrumpentibus sic scribit. *At nobis*, inquit, *nullus docendi, ac loquendi terminus est constitutus, velut olim tribubus, quæ vltra Iordanem olim erant.* Videtur autem Gregorius ad Iordanis etymologiam alludere: nam *Iordan* Hebraïcè significat fluuius iudicij. Itaque ait, sicut duodecim tribus vltra citraque Iordanem consederunt, sic etiam hominibus nullus est terminus loquendi, ac docendi. Nam etiam citra Iordanem, hoc est, ante iudicium & maturitatem consilij, ac morum, super his, quæ non satis assequuti

Caietan.

A sunt, temerè sententiam dicere audent. Subdit Gregor. *Quamplurimi ex nobis, ne omnes dicam, prius quidem quàm primam comam abiecerimus puerilique more balbutire desierimus, si duo aut tria verba pia edidicerimus, eaque non ex lectione, sed auditione sola hausta, prius quam pallium contraxerimus, aut zona tenus philosophati fuerimus, pietatis speciem quandam nobis illinentes, ô elatum animum! in scientijs sublimes, scribarum, & legis peritorum primi, ac cælestes nos ipsos designamus, & vocari ab hominibus Rabbi expetimus, vbique nostrā sententiā dicimus, vel potius ingerimus.* Hæc ille.

Secunda expositio est Caietani, qui locum istum ex originibus expressum sic extulit. *Pro appetitu aut desiderio quæret separatus, & omni statuto miscebit se.* Caietan.
B Explicat autem ad hunc modum. Vir separatus, qui videlicet à communi viuendi, & cōuersandi ratione discesserit, hic sane modum aliquem vestigabit viuendi desiderijs, ac libidinibus conformem: quaproter vt in aliquam eiusmodi conuersandi rationem incidat, *Admiscebit se omni statuto*, id est, omnes omnium nationum leges, sectas, religiones euoluet, aut etiam experietur. Et quidem ex hoc vno fonte sectarum, & hæresum, tanta dissimilitudo scaturiuit, dum homines impij, atque molles aliquam religionem, & legem votis omnibus inquirunt, quæ cupiditatibus, & appetitionibus parendi illis copiam faciat, & conscientiæ libertatem donet, quia arctioris alicuius sectæ legibus vinciri ægrè ferunt.

C Verumtamen quia præmissæ expositiones à Vulgata translatione omnino abeunt, parum illis tribuendum sentio. Vulgatæ verò lectionis sensus in promptu est, *Occasiones quærit, qui vult discere ab amico*, id est, quicumque veteris amici pertæsus, aut ab alio læsus, vel ex quapiam alia ratione sponte sua à gratia resilire, & fœdera abrumpere vult, *Occasiones quærit* (non ita accipio, quasi dicat, opportunitatem id faciendi vestigat,) sed ipse sibi fingit iniurias, contumelias aliasque contentionum, ac dissidiorum causas comminiscitur: nam amicitiæ distrahendæ studium hæc omnia menti offert. Subdit, *Omni tempore erit exprobrabilis.* Iam inde supra admimaverti mihi haud placere eam expositionem; (Qui ad eum 3.
D modum amicitiam distrahere, & fœdera abrumpere cupit, omnibus inuisus, & probrosus erit.) Mallem enim vocem illam *exprobrabilis* actiuè sumi hoc sensu, Omni tempore exprobrabit, & ea illi objiciet, quæ animum illius concitent. Vulgo *Ledara en rostro con las cosas*, hoc enim proprium est eorum, qui concordiam distrahere volunt. Vel certe dicēdum, ea verba non quidem de illo, qui amicitiam dissuere vult, sed de eo potius esse accipienda à quo disiungi, ac distrahi modis omnibus cōtendit. De hoc enim aptè dicitur, quod *omni tēpore erit exprobrabilis.* idest, nunquam non probris ac conuitijs ab illo petetur. Animus enim societatis pertæsus, eum quem pridie probabat, & vita ipsa chariorem habebat, nulla in
E ipso morum mutatione facta, odisse, atque reprobum ducere incipit. Lege Gregor. Nazianz. in orat. 14. de pace, cuius verba, etsi alibi me dedisse memini, quia tamen accommodatissimè in hunc locum quadrant, pauca ex multis adscribam. Nazianz. *Attonite*, inquit, *dixerat quispiam, & praui illius, atque vitij architecti figmentum quisquis es, qui ita afficeris. Hic tibi hesterno die pius erat, quonam pacto hodie impius est, cum nec verbo, nec re quidquam vel addiderit, vel detraxerit, sed in eadem sententia hæreat, eundem aërem exhalet, eundem solem inspiciat, ac si mauis, tamquam de numeris, & mensuris interrogatus, idem plane respondeat? At etiam hodie tibi libidinosus, & scortator est, qui hesterno die Ioseph erat. (Huc enim vsque contētio progreditur, quasi flamma quadam per stipulam currens, & finitima comprehen*

*prehendens.) Iudas hodie, vel Caiphas, qui heri Elias,
vel Ioannes erat,* &c. Id est, quemadmodum flamma
serpens ea, quæ maximè vicina, & proxima sunt cor-
ripere solet; sic etiam vbi quis iracundia incensus est
in amicissimos, ac sibi coniunctissimos quosque
sæuius furit, & in his ipsis, qui nuper gratiæ, atque
amoris fomitem administrabant, odij, & contentio-
tionis ignis exardet.
4. Subdit. *Hac sane tanta eiusdem hominis dissimilitu-
do ex eo accidit, quia iniqua rerum regula, hoc est con-
tentione, atque iracundia vtimur.* Rationem, propter
quam vir ille pristinos amicos odio habens, & ab eo-
rum gratia resilire volens, tam diuersum de illis iudi-
cium fert, hanc esse dicit Nazianzenus, quia peruer-
sam, & distortam regulam ad eorum actiones perme-
tiendas adhibet, scilicet iracundiam, & furorem. Si-
cut enim ea, quæ recta sunt, si deflexa, & obtorta re-
gula examinentur, obtorta similiter videntur, atque
deflexa: sic etiam amicorũ officia, & benefacta, cùm
ab ira, & furore acerbi iam animi explorantur, pro
injuriis ac malefactis habentur. Addit Gregorius.
*Quemadmodum eadem terra sanis quidem, & minime
læsis, fixa, & stabilis est, his autem, qui circum aguntur,
& vertigine laborant, mouetur, nimirum aspicientium
vitio ad rem aspectam transeunte. Aut si maius, quemad-
modum idem columnarum interuallum his, qui propius
distant, maius, his autem qui longius sunt, minus vide-
tur, aere scilicet ob interstitium velut surrepto, ac visu
ea, quæ crassiora sunt, connectente. Ad eundem modum
nos quoque ob inimicitiam facile decipimur, nec de eisdẽ
rebus eadem amantes, & non amantes, iudicamus.* At-
que infra sic addit. *Quando ab hac crapula emergemus?
aut hanc oculorum lemam detrahemus, atque veritatis
lucem suspiciemus? Quæ hæc caligo est? quis hic noctur-
nus conflictus amicos ab hostibus non internoscens?* Qui-
bus verbis duas alias non inelegantes attingit simi-
litudines, alteram quidem illis. *Aut hanc oculorum
lemam detrahemus. Lema* Græcè λήμη, est vitium ocu-
lorum, humor scilicet concretus, sic oculos hebetãs
sensũ, vt res, quæ propius sunt videre, non possit, cùm
tamen quę aliquo interuallo distẽt, videre sinat. Aptè
igitur Gregor. eos, qui veteres amicos familiaritate
coniunctos, & proximos inuisos habere incipiunt,
lemat oculorum laborare affirmat, ea nimirum, quæ
maximè vicina, & proxima sunt non videntes, atque
adeò in illa impingẽtes, & illidentes: indistãtia verò,
& remota, scilicet, in aduersarios, & hostes minimè
offendentes. Addit: *Quis nocturnis conflictus amicos ab
hostibus non internoscens.* Sicut enim qui nocte, & in
tenebris pugnant non satis dispiciunt, an amico, an
inimico plagam infligant, sic qui ad eundem modum
amicitia in odium commutata in amicos æquè, atque
inimicos sæuit.

---

2. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi
ea dixeris, quæ versantur in corde eius.*

5. Non recipit stultus, &c. Hebr. *Non volet stultus
in intelligentia, sed in manifestando cor eius:* sic
ad verbum Pagnin. *Non volet iustus intelligentiam,
nisi vt manifestetur cor eius.* Chald. *Non vult stultus in-
telligentiam, sed in tristitia immoratur eius animus.* Se-
ptuag. *Non opus habet sapientia is, qui indiget corde,
magis enim ducitur insipientia.* Cassian. in collat. 14.
cap. 17. *Non opus sapientia, vbi deest sensus, magis enim
ducitur insipientia.*
Caietan. Caietan. ex originali lectione talem elicit sensum.
*Non volet stultus intelligentiam, nisi ad detegendum cor
suum.* Nimirum stultus, si quando ad aliqua intelle-
ctu suo penetranda mentem adiicit, ad id quidem
A spectat, vt aliorum sententias refellẽs suam proferat
& constabiliat. Itaque iuxta hanc interpretationem,
stultitiæ insimulat Salomon eos, qui aliorum docto-
rum placita deserentes, & incusantes, suas de rebus
omnibus peculiares & antehac minimè auditas sen-
tentias promũt. At, inquies, hoc superbi, & elati ani-
mi est, non stulti, ac vecordis. Respondet, stultum
(vt aliàs sæpè admonui tum hîc, tum alibi in scriptu-
ra) ad quemlibet in vniuersum vitiosum hominem
notandum assumi. Vel aliter. Stultitiæ hoc tribuit
Salomon, quia leuissimis rationibus inductos, tritas
doctorum sententias deserere, & proprias commini-
sci fere insipientum est.
Rodolphus eandem lectionem aliter exposuit, 6.
B scilicet, *Stultus* nequaquam alio animo sapientiam Rodolph.
volet, nisi vt doctus vulgo haberetur, hoc sibi vult
illud, *Nisi ad manifestandum cor suum.* Itaque cùm
omnibus hominibus innata sit concupiscentia, &
auiditas sapientiæ, prudens vir eo animo scire desi-
derat, vt sibi ipsi sapiat, & secundum sapientiæ præ-
scripta viuat: at stultus ad id tantummodo spectat, vt
sapiens vulgo existimetur. Itaque ille veram sapien-
tiam, hic sapientiæ opinionem, & vmbram con-
sectatur. Hoc argumento Plato in eos Philosophos, Plato.
qui totam Philosophiam ad inanem venditationem,
& fastum, non autem ad vitam informandam refere-
bant, inuictus ait. *Non sapientiam, sed vmbram sapien-
tiæ tenent, vmbram ambiunt.* Sic habet in Protagora,
C & quidem aptè: nam illam sapientiam, quæ moribus
ipsis non exprimitur, & quæ tota in opinione sita est,
vmbram quandam esse dixerim. Quia (vt alias vm-
bræ conditiones missas faciam) sicut vmbra ea tan-
tum loca attingit aut imbuit, quæ ob corporis inter-
positionem luce priuata sunt: Sic etiam eorum, qui
non sapientiam, sed speciem sapientiæ habent, opi-
nio, non doctos, & sapientes, qui luce intelligentiæ
perfusi sunt, sed insipientum, atque indoctissimorum
hominum vulgus imbuit ob lucis defectum: nimirũ
ob intelligentiæ, & cognitionis inopiam. At quæ fœ-
licitas est, insipientem sapientem videri? nulla sanè.
Chaldæus aliter sensum informat, sic enim legit. Chald.
Non vult stultus intelligentiam, sed in stultitia immora-
D *tur eius animus.* idest, cùm homini inditus sit quidam
ad sapientiam impetus: sunt tamen nonnulli, qui suã
ita adamant, & deosculantur stultitiam, seu vecor-
diam, vt ipsi libentius immorari malint, quàm doceri,
& erudiri, quod immensæ cuiusdam vecordiæ & fa-
tuitatis est. Et quidem hos cum fructibus caprifici,
seu fatuæ ficus, insipidis quoque, ac fatuis componit
Basilius, quos scilicet nulla arte aut ratione bonum
ad saporem adducere licet, in cap. 2. Isaiæ.
Septuag. interpretum translatio alium quoque 7.
sensum reddit. *Non opus habet sapientia is, qui indiget* Septuag.
corde, magis enim ducitur insipientia. Nimirum ad stul-
tum, & vecordem hominem suadendum, impellen-
dum, seu regendum, non est opus doctis, & eruditis
E rationibus, cùm has minimè calleat; is enim fatuis
quibusdam, & ineruditis sermonibus melius adduci,
& erudiri solet. Itaque Salomon docet auditori do-
ctrinam esse accommodandam, & ad insipientes, ac
stultos, fatuas quodammodo, & imperitas orationes
habendas esse, his enim acquiescunt, non aliis. Ad
hunc sensum allicere etiam licet Vulgatam lectionẽ.
*Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ
versantur in corde eius.* Stultus videlicet, doctis, atque
eruditis sermonibus minimè permouetur, minimè
acquiescit. Quapropter doctorẽ verba sua tempera-
re oportet, atque ea dicere, quæ captũ illius non su-
perent, sed cum his concinant, quæ ipse iam tenet:
itaque cum stultis doctorẽ desipere, ac stultum agere
oportet. Vnde Paulus aiebat. *Sapientibus, & insipien-* Paulus.
tibus

Nazianz. *tibus debitor sum.* Et Gregor. Nazian. oratione Apolog. de fuga sic scribit. *Quidam lactis alimonia opus habent, hoc est, simplicioribus, & elementaribus doctrinis, nimirum qui puerili animi habitudine sunt, recensque, vt sic dicam, compacti, nec virilem sermonis cibum ferunt, quem si quis ipsis præter vires admouerit, eius pondere oppressi fortasse, atque obruti (animo ad id quod transmissum est attrahendum, sibique accommodandum haud satis virium habente) pristinas eorum vires labefactabit.* Alibi etiam doctorem cum aucupe componit, qui vt aues euocet in retia, earũdem voces rudi aliquo instrumento imitatur: sic enim decet, vt qui stultum, & vecordem hominem erudire vult, voces illius quodammodo reddat, & ad illius insipientiam per quemdam condescensum se demittat. Hæc expositio, quæ cum translatione Septuaginta cohæret, adeò mihi probatur, vt existimem vulgarem aliam, quam Hugo, Iansenius, Diony. Arsores, & alij interpretes tradiderunt, minus accommodatam esse.

Ait ergo sic exponunt. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius.* Nimirum stultus factu quodam tumidus, suis sermonibus, & sententiis tantundem tribuit, vt nullius sermones, & sententias quamlibet eruditas, & elegantes, sibi probari ostendat, vel potius omnes despiciat, ac refellat, nisi cum his, quæ ipse sentit ac dicit, omnino congruant: sed tamen, vt iam dixi, superior expositio reliquis mihi præferenda videtur.

3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit; sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.*

8. IMpius cùm in profundum, &c. Heb. ad verbum *Quando venit impius, venit etiam contemptus, & cum ignominia opprobrium.* Chald. *Quando venit impius in stultitia, venit & in ignominia, & opprobria.* Septuaginta concinunt cum nostro Vulgato. Sic enim habent. *Quando venerit impius in profundum malorum, contemnit, superuenit autem ei inhonoratio, & opprobrium.* Aquil. Symmach. & Theodotion lectionem originalem expresserunt.

Primitiui textus lectionem exponunt Caietanus, Rodolphus, & Iansenius ad hunc modum. *Quando venit impius, venit etiam contemptus, & cum ignominia opprobrium.* Nimirum quocumque impius deuenerit bonos omnes contemnit, nec despicit solum eorum facta, sed etiam accusat, & arguit. Nam cum ipse sit improbus, ac sceleratus, neminem probum aut esse, aut videri vult. Ac rursus cum ignominia, idest, cum ignominioso venit opprobrium, is scilicet, cui ignominiæ nota iam pridem inusta est, aliis quoque similem ignominiam aspergere curat, hoc verò quàm verum sit nemo ambigit. Omnes enim suam vel impietatem, vel ignominiam eleuari, ac minorem reddi existimant, si plures sibi eiusdem socios adiungant. Itaque sententia, secundùm eam expositionem, suadet ab impiis, & infamia aliqua notatis longius absistere. Hunc ad sensum Vulgatam lectionem allicere non est arduum, sic scilicet. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum,* id est, cùm impius eò scelerum, & peccatorum deuenit, vt iam inde euadere, & emergere non possit, *Contemnit,* iustos, videlicet, ac probos, opera illorum accusans, & similiũ scelerũ opinionem illis affigens. *Et sequitur cũ ignominia opprobriũ,* hoc est ignominię atq; infamiæ socia est exprobratio, nimirũ qui labe aliqua infamię aspersis ũt, alios simili labe inficere volunt. Accipe verba Greg.

Nazianz. Nazianz. in Carm. Iamb. de spectaculis ad Seleucũ,

Sunt namque multi, more, qui pecudum scatent,
Fædaque scabie, grauibus, & morbis simul
Seque affricantes, subdule hoc certè student
Vt prauitatis hos sua labe impleant,
Cur istud autem? Criminum quo plurimos
Socios habentes, obtegant labes suas.

Et in oratione 28. de reditu in vrbem sic habet. *Omnes impij facilè adducuntur, vt vitia sua de aliis partim suspicentur, partim loquantur.* Et sane è duobus alterũ quidem iustis, alterum iniustis sæpius euenire solet, inquit August. in Psalm. 25. Iusti quidem sæpius existimare solent se solos iustos ac pios esse, ac rursus mali omnes malos esse: ex quo fit, vt iusti per quandam elationem reliquos aspernati ab omnibus secedere velint. Ad hos igitur sic Aug. *Area est Ecclesia huius temporis, sæpè diximus, & iterum dicemus, & paleam habet, & frumentum; nemo quærat exire totam paleam, nisi tempore ventilationis; nemo ante tempus ventilationis deserat aream, quasi dum non vult pati secum peccatores, ne præter aream inuentus priùs ab auibus colligatur, quam ingrediatur in horreum.* Vnde verò accidit, vt iusti se solos iustos existimẽt? Addit rationem August. ab eadem similitudine petitam: *In area quidẽ ipsa grana ita sunt seiuncta ab inuicem, & non se tangentia ob palearum interpositionem, vt putet vnusquisque cùm profecerit se solum esse.* Nimirum quemadmodum in area grana ab inuicem palearum interiectu seiuncta sunt, & non se tangentia; sic etiam peccatoribus interpositis, iusti nonnumquam sic disclusi sunt, vt ne se quidem tangant, aut videant: hinc illa plena fastus, & elationis opinio probi hominis, quod solus ipse probus sit. August.

Rursus inde fit, vt improbi iustos improbos esse apud se statuant. Subdit Augustinus. *Quicumque lõgius attendit aream, paleam solam putat, nisi diligentius intueatur, nisi manũ porrigat, nisi spiritu oris, id est flatu purget eã, & discernat, difficile peruenit ad discretionem granorum* Ergo mali quia à longè rem speculantur, & quia ab omni honestate dissiti sunt, neminem bonum, sed omnes sibi similes malos esse decernunt, quantum verò ex vtroque errore tam iustis, quàm iniustis damnum immineat significat Augustinus subiiciens, *Intendat, & adsit vobis misericordia Dei, vt sic à vobis intelligatur, vt fructificet, & in vobis operetur. Audite breuiter. Quisquis adhuc malus est, non putet neminem bonum esse. Quisquis bonus est, ne putet se solum bonum esse. Tenetis hoc? Ecce repeto. Videte quia dico. Quisquis malus est interrogans conscientiam suam, & male sibi renuncians, non arbitretur neminem bonum esse. Quisquis bonus est, non arbitretur se solum bonum esse.* Ergo dum sanctissimus doctor sententiam hanc tantopere inculcat, satis innuit eam esse magni momenti. Nimirum quia iustus dum se solum iustum, ac pium esse arbitratur, primo elationi & inani gloriæ locum facit, & maximam præcipuamque humilitatis abiicit occasionem. Nihil enim magis humanam mentem de illo fastu deiicit, quam virtutis opinio gignit, quàm societas aliorum à quibus se pietate vinci, vel saltem exæquari videt. Hinc Basilius discipulos à Christo Domino binos & binos ad vrbes Iudææ missos fuisse dicit, Lucæ 11. vt alter alteri semet humiliandi, ac demittendi autor, & causa existeret. Deinde tollitur æmulatio, quæ bonos ad virtutem acuit. Improbus autem si omnes simili improbitate præditos arbitratur, exuit verecũdiam, delicta sua leuiora ducit, conscientiæ stimulos hebetat, atque id, quod maximè illum ad resipiscentiam, & meliorem frugem adducere posset, scilicet bonorum exempla, ne attendit quidem. Igitur ob istas, & alias causas Augustinus sententiam prædictam tam serio nobis intimat. 9. Basil.

Cæterùm

Cæterùm in nostra lectione persistamus. *Impius cùm in profundum venerit peccatorũ, contemnit.* Vtique *peccatorum profundum* non eodem modo capiunt Patres, & interpretes. D. Athan. contra Arrianos serm. 4. de cæcitate, ac tenebris, exponit, quibus peccata mentem offundunt, vt sensus sit. Cùm impius peccatis suis ad profundissimas tenebras delapsus est, contemnit, idest, verecundiam exuit, (sic ipse exponit) Et quidem cùm ipsæmet tenebræ externæ verecundiam adimere soleant, ideò enim vitia omnia, quæ turpitudinem, & ignominiam afferre consueuerunt (verbi causa furtum, luxuria, & alia id genus) noctem, & caliginem captare solent: tamen multo magis frontem eluit, atque omnem abstergit pudorem interna animi obscuritas, & caligo: hæc enim ad ea ipsa crimina, quæ alij vix noctu, & in tenebris admittere audent, in ipso sole, ac media luce perpetranda audaciam immittit. De hac caligine interna loquitur Paulus ad Rom. 13. cùm ait. *Abijciamus ergo opera tenebrarum, sic vt in die honestè ambulemus,* &c. & ad Ephes. 4. *Vt iam non ambulantes, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienatum a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorũ, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationẽ immunditiæ omnis, in auaritiam,* &c. Ecce qua ratione interna animi cęcitas, & caligo ad impudentissima, & turpissima quæq; perpetrãda pudorẽ omnẽ detrahit.

Ad Rom. 13. Ad Ephes. 4.

11. Bernard. Secũda interpretatio est D. Bern. de gradib humilitatis: vbi per hanc profunditatem, in quam hominẽ peccata impellũt sua, ipsum Dei contemptũ accipit. Itaque sic exponit. *Impius cùm in profundũ peccatorũ venerit, cõtemnit.* Nimirum tunc impius ad peccatorũ baratrum, & imam profunditatẽ semetipsum deiicit, ex qua extrahi vix potest, cùm in Dei contemptum, & despectionẽ incidit. Nam cùm Bernard. peccatorẽ per vndecim gradus ad profundissimam iniquitatem deuenire, ac demitti dicat, hunc Dei contemptum extremo loco ponit *Quia sicut perfecta Charitas,* inquit Bernard. *foras mittit timorem in iusto, ac pio homine, sic etiam consummata iniquitas Dei timorem expellit in peccatore.* Illa quidẽ vt timori succedat amor, hæc autem, vt eidem succedat contemptus Dei. Et quidẽ aptè admodum hæc dicta sunt. Nam sicut iustitia timorem Dei ante omnia in animum inducit, sic etiam iniquitas, & peccatum eundem timorẽ Dei extremo loco expellit. Ita enim fert ordo generationis, & corruptionis vt quod est in generatione primũ, in corruptione quidẽ extremum sit, vt tradit Philosophus.

12. Hieron. Tertia interpretatio est D. Hieron. in c. 1. Ezech. vbi in peccatorum profunditatẽ venire sic exponit, vt non tam huius motus terminum notari existimet, quàm viam, hoc sensu. *Impius cùm venerit in profundũ peccatorum,* idest, cùm iam iam ex suo loco deiectus in pręceps fertur, in peccata, & scelera omnia contineri non potest. Putat enim similitudinem duci à lapide qui vbi per cliuũ ad ima deuolui cœpit, nulla vi cohiberi, aut sisti potest. Quod si roges quãdo ad eum modum in præceps ferrur? Occurrit Hieron *Conscientiã, iuxta illud, quod in Prouerbijs scriptum est, Impius cùm venerit,* &c. *cernimus præcipitari apud quosdam, & suum locum amittere,* &c. Itaque docet tunc impium pręcipitem in omniũ peccatorum baratrum ire, adeo vt nulla spes illius aut sistendi, aut reuocandi subsit, cùm conscientia iam in decliue fertur, & à suo loco deiecta sui quodammodo impos ruit. Ergo cùm ad eum modũ impius in profundum peccatorum per suarum cocupiscentiarum prona, & decliuia loca conscientia labẽte ruit, tunc quidem *contemnit,* ad impudentiam refert Hieron. cum Athanas. cohærẽs. 1. abiecto pudore scelera perpetrat. Et rursus in c. 16. Ezechiel sic scribit. *Ædificat autem sibi lupanar, qui tota frontis libertate delinquit, iuxta illud, quod scriptum est, Peccator cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit,* &c. Et quidem verecundiam ab effectu describens Philosophus, dixit esse sanguinis ascensionem in faciem & genas: igitur liceat sic dicere, cũ conscientia omnia ruit, & vel ipse sanguis, qui ex verecundia ad faciẽ imbuendã ascẽdere solet, ad ima defertur: sic Comicus ad lenam, quæ omnem exuerat pudorem, *Sanguis,* inquit, *illi omnis ad pedes decurrit,* vt significaret, scilicet, quàm lnogissimè à facie distare in quam pudor illum cogere, atque compellere solet. 13.

Aristot.

Beda. Cæsar. Arel. Quarta expositio est Bedæ, & D. Cæsarij Arelat. Epis. Hom. 13. de pœnitentia, qui per hanc profunditatem, in quam impius delabi solet, desperationem intelligit. *De multitudine* (inquit Cæsarius) *peccatorũ desperatio nascitur, & ex desperatione absque vlla reuerẽtia peccatorum frena laxantur, & impletur illud, quod scriptum est. Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit.* Ad hanc, expositionem accedit etiam Imperfectus Hom 40. in Matthæum; vbi, me iudice, hoc tantummodo differt à Cæsario, quod per *profundum peccatorum* grauissimum aliquod peccatum accipit, quod vbi quis admisit, velut desperata salute, alia sine discrimine perpetrat; & quidem scitè admodum sic scribit. *Homo qui aliquod graue fecit peccatum, quasi amplius non habeat, quod iam speret in Deum, alia committit, dicente Salomone, Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit: sicut enim infirmus donec mediocriter habet aliquam passionem, & sperat se posse curari, seruat se à nociuis escis, si autem intellexerit insanabilem se esse, iam non sibi parcit: sic & homo, donec mediocriter peccat, & sperat salutem, quantumcumque potest obseruat se à malo, si autem grauiter peccando cœperit desperare, iam nihil dubitat facere, quasi qui iam peccatis suis vicit iudicium Dei.* Hæc ille.

14. Chrysostom. Quintam & vltimam interpretationem tradit D. Chrysost. Hom. 22. in Genesim. & in Epist. ad Theodorum lapsum, qui profundum malorum, aut peccatorum, ipsam peccãdi consuetudinem interpretatur, à qua, quisquis in eam incidit, vix emergere potest; & quidem in ea Homilia sic scribit. *Impius cum in profundum ceciderit malorum, contemnit. graue enim graue est, dilecti, capi laqueis diaboli anima enim postquam, quasi in retibus comprehensa trahitur, & sicut sus in luti volutabro immergitur, sic & iste à mala consuetudine obruta, ne sensit quidem peccatorum suorum fœtorem.* Id est, quemadmodum sus vbi in limum profundè se immersit, & nasum luto altius inuoluit, luti fœtorem non percipit: sic etiam impius per assuetudinem peccandi suorum scelerum cœno altissimè obrutus, *contemnit,* i. peccatorum suorũ graueolẽtiam non sentit. Ex præmissis verò expositionibus quarta quidẽ placet, atque adeo illã expensis singulis illustrare libet. 15.

Cùm in profundum venerit εἰς βάθος κακῶν. idest, *in profunditatem malorum;* βάθος quippè profunditatem adsignificat, abyssum, & quidquid in rebus imum est. Hinc sæpius accipitur pro terræ centro. Itaque licet conuertere, *Impius cùm in centrum peccatorum venerit,* (vt in hunc locum nonnemo obseruauit.) Quid tunc? *contemnit.* Corpora grauia vbi ad cẽtrum deuenerunt tria omnino obtinent, vt docet Aristot. in lib. 1. de cęlo, & mundo, sc. quietem, conseruationem, & vnionem. Ergo si per profundũ, aut centrũ peccatorũ, peccandi consuetudinẽ capiamus, aptissimè dicemus peccatorem cùm ad hoc cẽtrum iteratis sceleribus decurrit, tria illa experiri. Primò, *quietem,* nam in delictis suis mira tranquillitate conquiescit, nec ab his resurgere adnititur. Secundò, *conseruationem,* quia in culpis suis aut semper aut diutius perseuerat.

Deni

Denique, *vnionem*, scilicet cum aliis sceleratis, atque impiis, quorum familiaritatem, & vsum quærit, & ab honestis omnibus, ac piis hominibus plurimum abhorret. Vel aliter, si cogitemus consuetudinem prædictam criminum ipsorum centrum esse, sic enim, ait Salomon, *In profundum, seu in centrum peccatorũ*, aptiùs dicemus peccata ipsa in hoc centro tribus illis gaudere, primum quiete, non enim iam consciẽtiam vrgent, aut exturbant, aut agitant; deinde conseruatione, nam ad obitũ vsque perdurant; denique vnione, quia repetita scelera coëunt, & velut cõglobata mutuo sibi hærent. Hoc sibi vult illud verbũ, *contemnit*, quod non eodẽ modo explicant interpretes. Hugo. Lyra. Hugo sic exponit. *Contemnit conscientiam.* Lyra. *Contemnit supplicia.* Hinc quies, nam cùm hæc duo, scilicet conscientia criminis, & timor supplicij, peccatoribus quietem adimere soleant, quicumque illa prorsus abiecerit, ac deposuerit, nihil iá habet, quod quietem illius interturbet. Rursus Lyra exponit. *Contemnit omnẽ correptionem, pœnitentiam, omnemque medicinam.* Hinc conseruatio peccatorum, quæ sola pœnitentia deleri possunt, aut correptione emendari. Hieronym. Athanas. Chrysost. Denique supradicti patres, Hieron. Athan. Chrysostom. & alij verbum *contemnit*, perinde esse existimant, atque exuit verecundiam, & frõtem perfricat. Hinc vnio, & conglobatio scelerum, quæ repetitis criminibus accidit: nam pudore neglecto delicta facile iterantur. Hæc de consuetudine peccandi.

16. Hugo. Sed ne quid desit huic commentario, præter ea, quæ hactenus ex doctrina Patrum decerpsimus, addit etiam Hugo Cardinalis, quædam alia, quæ per profunditatem peccatorum significari posse autumat, sic enim scribit. *Profundum peccatorũ potest dici contumacia, pertinacia, defensio, iactantia, desperatio, præsumptio, excæcatio intellectus, corruptio affectus.* Sed tamen omnia persequi longum esset, atque inutile. Hoc tantummodo hîc subscribere libet, nouum, sed locupletem auctorem, quatuor malitiæ, ac peccati dimensiones accommodatè excogitasse, videlicet altitudinem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Altitudo, inquit, peccati est iactantia, & elatio: tunc scilicet, cùm aliquis in sceleribus gloriabundus exultat, iuxta illud, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Latitudo est inanis præsumptio de diuina misericordia, hæc enim quidquid timor adstringit, & in angustias cogit dilatat, atque exporrigit. Huc spectat illud, *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis*, infra cap. 21. de quo ibi. Longitudo est cõsuetudo & assiduitas peccandi, vel perseuerantia in delictis, hæc enim crimina in longum perducit. Denique *profunditas* est desperatio salutis: hęc enim animum quasi in imum barathrum deturbat, atque inde emergendi spem adimit, vt iam inde ex Patribus obseruaui. Itaque qui gloriatur in delictis, peccati altitudinem obtinet; qui de misericordia Dei inaniter pręsumit, in latitudine est; qui perstat, perseueratque in peccatis, ad longitudinem spectat; qui demum sceleribus suis pressus in desperationem salutis decidit, ad profundumque vsque deuenit, atque adeò ad illum referenda sunt verba Salomonis. *Impius cùm ad profundum peccatorum venerit contemnit, &c.*

17. Posterius hemystichiũ haud facile nectitur cum priori, iuxta præscriptam expositionem, sic enim habet. *Et sequitur cum ignominia opprobrium*, sic tamen exponi debet: Hic qui ad eum modum, vel ad desperationem adductus, vel ob consuetudinem peccatis suis altissimè immersus est, *contemnit*, i. pudorẽ exuit, quia non veretur infamiam, nec metuit ignominiá; hic, inquam, non propterea liber est ignominia & opprobrio; quin potius hæc illi cumulantur & accrescunt: quasi dicat, dum non percipit suam ignominiam & infamiam, hæc magis, ac magis augeri solet.

4. *Aqua profunda verba ex ore viri; & torrens redundans fons sapientiæ.*

Aqua profunda, &c. Heb. *Aquæ profundæ verba oris viri, torrens scaturiens vena sapientiæ.* 18.
Chal. *Aquæ profundæ os viri, torrens redundãs fons sapientiæ.* Sept. *Aqua profunda sermo in corde viri, flumen autem scaturit, & fons vitæ.* In quibusdam codicibus, pro *scaturit*, est, *ἀναπιδύων*. j. *Flumen prosiliens.* Aquila, Symmach. & Theodor. lectionem originalem expresserunt.

Hæc verba nostræ Vulgatæ, vt cum translatione Septuag. & cum originibus cohæreant, sic inter se consuenda sunt, vt talem sensum reddant, verba & orationis viri sapientis sunt quidem aqua profunda, & torrens redundans, & fons sapientiæ; nimirũ profundam aquam, & redundantem torrentem, & viuum fontem imitantur. Igitur Beda sententiam sic conformat, vt per eam Salomon innuere voluerit, quàm varia, & dissimilis oratio ex viri sapientis ore fluere solet, sic enim scribit. *Et quia ex ore doctorũ fidelium quædam mystica, & occulta, quæ solutiori cõprehenduntur industria, quædam item aperta, & facilia ad intelligendum profluunt, ideò aquam profundam, & torrentem dicit esse redundantem:* & sanè hæc distributio verborum, & orationum mihi accommodatè, & scitè addita videtur. Non enim abnuo tribus illis similitudinibus aquæ profundæ, torrentis, & fontis, orationis affluentiam notari, qua vir sapiens præditus est, sed interim eiusdem orationis varios cursus significari non dubito. Beda

Sed cogita tres illas similitudines duplici modo concipi posse, vel ita quidem vt crescat oratio, vel certe ita vt decrescat, & minor fiat, possumus enim sic accipere, per aquam profundam, fluuium valdè profundum, & copiosum, maximam aquarum vim alueo suo voluentem per torrentem riuum parcioris affluentiæ, per fontem, id quod sonat, sic verò per gradus suos decrescunt similitudines. Rursus aliter capere possumus, per profundam quidem aquam, stagnantem aquam, cui significationi non parum facit vox originalis עמקים *Ghamunim:* per torrentem redundantem illum, qui imbribus fluentibus affluit & redundat, mox verò exhauritur & deficit: per fontem verò perennem, & inexhaustam scaturiginem, sic verò incrementa capit oratio, ab stagnante enim pergit ad fluentem, & ab ea, quæ ad tempus fluit, ad eam quæ perenniter manat.

Prima igitur expositio est Iansenij, qui singulorũ verborum accommodatam applicationem parum curans sic ait: Verba sapientum profundis aquis, & redundanti flumini, & fonti perenni conferuntur, propter eorum affluentiam, quæ numquam penitus exhauriri potest. Sed signatè cum profundiori aqua conferri dicit, vt significetur sermones sapientũ non ex ore, sed ex imo pectore per assiduam meditationẽ proficisci. Ducta scilicet similitudine à fontibus, & fluuiis, qui ex vastissimorum montium profundissimis visceribus enascuntur. Nam quemadmodum montium perennes aquæ non in ipsis scaturiginibus subito fiunt, sed per occultos ductus & meatus, vel ex mari, vel certè ab ipsis immanium mõtium recessibus percolatæ, & expressæ ad suas scaturigines feruntur: Ita etiam sapientum sermones, non equidem ex ipso ore subitò, & ex tempore erumpunt, sed ex imo pectore per omnes iudicij, atque meditationis assiduæ ductus percolatæ similiter & expressæ, tandem 20. Iansen.

dem aliquando ad os veniunt. Vnde quemadmodũ aquæ eò dulcet, ac salubres magis fluunt, quò longius per angustas telluris venas colatæ, & transfusæ ad scaturiginem accedũt: sic.n. quidquid est salsum, & amarum, in ipsa via deponunt: sic etiam de verbis, & sermonibus decernendum est, quibus longior meditatio, & iudicij examen adhibetur. Nam per intimi pectoris angustias veluti transfusi & colati, salsa quoque, & amara relinquunt, salem inquam abiiciunt, & vanos lepores, qui orationis grauitatem lædunt, austeritatem & acerbitatem omnem deponunt, quæ sermones ingratos reddunt.

21. Caietanus. Caiet. ad Bedæ expositionẽ propius accedens similitudines distribuit, & eos sapientis sermones cũ aqua profunda conferri affirmat, qui mysticum magis, & obscurum sensum habent, atq; adeo à rudioribus ob maximã profunditatem mente tranari non possunt. Rursus illos cum torrente, aut riuulo componi, qui profunditatis nihil habentes à rudioribus facilè pertransiri possunt. Itaq; similitudines ducuntur à duobus fluuiis, quorum alter ob nimiam aquarum vim, & altitudinem pertransiri non potest: alter verò ob earumdem paucitatem facile pertransitur: docetque Salomon sapientem aliquando profunda, & mystica eloqui oportere, quæ vulgus peruadere, non possit: nonnumquam etiam perspicua & plana, multitudini omnino peruia. Addit Caiet. fonti demum sapientis orationem adsimilem dici, ob doctrinæ suæ puritatem, & candorem, vel ob perennitatem inexhaustam.

Rursus, alij sapientis orationem aquam profundã, & riui in morẽ fluentẽ, atq; fontis instar manantẽ dici autumãt, quia sapientis est primũ doctrinã in semetipso velut stagnare, & ad propriæ vitæ informationem altissimè in corde cohibere, ac tunc demum in alios, quasi torrentem effundere, & quasi fontem cunctis hauriendum propinare. Faciet quidem huic expositioni id, quod nuper attigi, scilicet iuxta vocis primitiuæ germanam vim pro aqua profunda stagnantem aquam posse conuerti.

22. Sed licet præmissæ interpretationes accommodatæ sint, tamen secundùm præfatam rationem crementi, aut decrementi orationis, aliter atq; aliter interpretari licet. Nã si oratio dicto modo per gradus suos descendat ac decrescat ita s. vt *aqua profunda*, ingentem fluuium, torrens redundans minorẽ riuũ, fons deniq; parciorẽ aliquã venã adsignificet; sic sẽsus institui poterit, vt non vni, atq; eidẽ sapiẽti hæc verba tribuantur sed multis, ita vt omnes omnium sapientum sermones, & orationes describantur ad hunc modum: Ex his, qui sapientũ nomina ferunt, alius quidẽ orationẽ vberẽ & affluentẽ flumini instar ingentis effundunt: quemadmodũ olim Hieron. Hieron. Hilar. aut nescio quem alium, *eloquentiæ Christianæ Rhodanum appellauit*, alibi *Eridanum*. Alius tamquã riuus sermonem voluit, alter demum seu fons verba emittit. Quibus verbis suadet Salomon nullius opis, aut momenti esse sapientiam illam, quæ pro sua facultate in proximos non effluit, vel fluminis in morẽ affluentissimè, & vberrimè, vel riui ad instar parcius, vel fontis in morem parcissimè. Ad id spectauit Plutarchus. Plutarch. in Pericle, qui tres illos Græcæ eloquẽtiæ parentes, Demosthenem, Isocratẽ & Æschinem, eloquio suo nobilitans, Demostheni orationis flumen tribuit, Isocrati riuum accommodat, Æschini fontem adscribit. Quas similitudines non nemo in tres etiã Ecclesiæ Græcæ doctores cadere voluit, Chrysost. Nazianz. & Basil. ex quibus Chrysost. quasi flumẽ vberem, & copiosam magis orationem voluit, Nazianz. eloquentia riuum imitatur ac, demum Basilij sermo fontem perenniter fluentem adumbrat. Item

August. D. August. in lib. 4. de doctrina Christiana, postquã præmisit illa verba Tullij in lib. de Orat. *Is erit demum eloquens, qui poterit parua submissè, modica temperatè, magna granditer dicere.* Quibus triplex styli genus complexus est, graue, temperatum & demissum. Addit graue cum flumine ingenti, temperatum cum riuo affluenti, demissum cũ perenni fonte posse componi. Ad extremũ autem docet, hæc orationis genera ab eloquente viro esse varianda: sic enim scribit. *Interpositis verò quæ sunt dicenda summissius, benè reditur ad ea, quæ opus est granditer dici, vt oratio dictionis impetu, sicut maris æstus alternet,* (.i. nunc graui genere intumescat, nunc detumescat æstuantis pelagi in morem) *Ex quo fit, vt grande dicendi genus, si diutius est dicendum, non debeat esse solũ, sed aliorũ generum interpositione varietur, et tamen generi dictio tota tribuatur,* &c. Ergo Salomon viri sapientis orationem informans his verbis, fortasse etiã tribus illis similitudinibus fluminis, riui, ac fontis, luculenter expressit, qua varietate sapientis sermo condiri debeat. s. ita vt nunc grauiter, nunc temperatè, nunc etiam summissè dicat, quod non modò ad orationes, & conciones publicas, sed etiam ad familiares sermones referri potest, in his enim dictio etiam varianda est, & seria grauiaque cum leuioribus nonnumquam temperanda.

Denique si aliter seriem harum similitudinum ordinemus, & orationem per suos gradus ascendere, 23. & crescere dicamus, ita scilicet vt per aquã profundam stagnantem aquam, per torrentem verò, illum, qui pluuiis affluentibus exundat, sed mox deficit, per fontem verò, perennem, & inexhaustam venam accipiamus, sensus quidem sic institui potest, vt Salomon virorum sapientum dissimilitudinem describat. *Aqua profunda verba ex ore viri,* &c. Nimirum ex sapientibus viris alter est, qui doctrinæ non paruã facultatem, & copiam adeptus est, sed cohibitis, & stagnantibus aquis adsimilem: Nam cùm sibi ipsi sapiat, nihil doctrinæ in alios effundit. Alius verò occurrit, qui more torrentis, vicissim per interualla exundantis, & deficientis paruo tẽpore doctrinã suam proximos (liceat sic dicere) per alluuionem quandã irrigat, sed statim intermittit, ac deficit. Alius deniq; est cęteros lõgo interuallo superãs, qui fontẽ perẽnẽ imitatur. nõ.n. cohibet, restagnatq; doctrinã, nec etiã exũdat, sed leniter illã, & pro captu, auditoribus instillat: primus quidẽ nihil agit, secundus violenter agit, propterea ocyus deficit; tertius cũ lenitate agit, ideò perennis est illius vena. Itaq; Salom. secundùm hãc expositionẽ docendi mẽsurã, modũq; præscribit, affirmãtq; doctrinã non esse claudendã, & cohibẽdã, ne prosit: nõ itẽ effundendã, ne deficiat, sed parcius instillandã, vt duret. Et sanè doctrina violẽtior, atq; vberior, quàm par est, auditorẽ non erudit, ea verò, quę parcè instillatur, eũ mirificè informat: quod quidẽ alia satis adsimili cõparatione pluuiæ vehementioris, ac lenioris exposuit D. Greg. Naz. in ora. 15. de Nazian. plaga grand. *Nã profectò*, inquit, *nec maior pluuia vis minore vtilior est, cùm illa ob vehemẽtiã suam terrã abstrahat, atq; ipsã etiã forte agricolã mulctet; hæc autẽ leniter, ac sẽsim labẽs, & ad ima vsq; penetrãs, agrũ pinguẽ reddat, atq; agricolã cõmodo afficiat, spicãq; ad maturũ fructũ alat. Nec item in sermonibus is, qui vberior est, ac copiosior, sapiẽtiore fructuosior, ac cõducibilior est. Ille.n. posteaquã exigua voluptate auditorẽ affecit, abscessit, simulq; cũ percusso aere solutus est, nihil amplius supra hoc viriũ habẽs, ac per linguæ leporẽ auribus præstigias quasdã offudit: Hic autẽ in mentẽ penetrauit, ac dilatatũ os Spiritu sancto impleuit, ortuq; suo lõgior extitit, atq; ingentẽ paucis syllabis segetem edidit.* Pende verba illa, *Ortuq; suo longior extitit:* Pertinent quippe

ad superiorem sententiam. Innuūt autē quod quemadmodum lenis pluuia diutius perseuerare & terrā infundere solet, quàm tempestas, aut nymbus, hic.n. quò vehementior est, eò rapidius, ac velocius pertransire solet: sic etiam eius doctrina, quæ parcius, ac lenius animos auditorum impleuit, longior est, eius autem qui nymbi adinstar auditores obruit, ocyus abit, ac deficit. Pergo ad alia. A

5. *Accipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij.*

24. ACcipere personam, &c. Heb. *Accipere facies impij non bonum ad peruertendum iustum in iudicio.* Chald. *Neque declinare à iudicio contra iustum.* B Sept. *Mirari personā impij non bonum, neque sanctum declinare iustum in iudicio.* Aquila, Symmac. & Theodot. *Accipere personam*, sicut nostra. Caiet. legit. *Eleuare personam, impij non bonum, ad inclinandum iustū.* Iustitia quippè Principis, ac Iudicis trutina est, in qua litigantium iura cōponuntur: quapropter sicuti qui vnum libræ brachium eleuat, alterū ex aduerso premit, sic etiam Iudex, qui alterius partis ius exaggerat, & rationes extollit, oppositam deponit, ac deprimit. Hoc autem, inquit Salomon, *non est bonum*, id est, pessimum est.

Minus enim dicitur, & plus significatur (inquiunt Caiet. & Rodolph.) Audi Ambr. super Malach. *Inter omnia peccata Sacerdotum illud est maximum, quod non causas, sed personas considerāt, & despecto iusto paupere iniustos diuites honorant.* C At cur, inquies, tanta huius criminis grauitas est, vt Sacerdotibus, & Iudicibus pro maximo delicto hoc adscribatur? Subiicio. D. Hieron. super Amos, ad hūc modum scribit. *Quicumque consanguinitate, aut amicitia, vel è conuerso, hostili odio, vel inimicitiis in iudicando ducitur, peruertit iudicium Christi.* Non equidem ait suum ipsius iudicium peruertit, sed Christi. Nimirum quia cum Iudex, & in vniuersū omnis superior, vel Princeps, Christi Vicarius sit, & eiusdem nomine, atq; authoritate sententiam ferat, hinc est, vt iniustam sententiam Christi nomine dicere ausus, non priuatam suā iustitiam, & iudicium, sed Christi iudiciū violet, aut D peruertat: quippè qui causam offert, vt ea iniustitiæ pars ipsi Deo adscribatur, quæ ab ipso, quàm longissimè abest, scilicet personarum acceptio, quæ toties in scriptura illi negatur, ad Rom.2. *Non est personarum acceptio apud Deum.* Actor.10. *Non est personarū acceptor Deus.* & passim alibi. Et sanè de Christi Domini pari in omnes gratia, & fauore, remoto omni personarum respectu eruditè D. Cyprian. in lib.1. Epist.1. *Si dies*, inquit, *æqualiter omnibus nascitur, si sol super omnes æquali, & pari luce diffunditur, quanto magis Christus sol, & verus dies, in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate diffundit, cuius æqualitatis sacrum ortum videmus in Exodo esse celebratum, cùm de cælo manna difflueret & futurorum præfiguratione alimentorum panis cælestis cibum Christi venientis ostenderet.* E *Illius enim sine discrimine sexus & ætatis, gomor à singulis æqualiter colligebatur: vnde apparebat Christi indulgentiam, & cælestem gratiam postmodum sequuturam æqualiter omnibus diuidi sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ.* Hác igitur tantam gratiæ æqualitatē, & minimè disparē Christi supremi iudicis, ac principis iustitiā lædunt, iudices, ac principes, qui cū eius nomine & auctoritate populis iura dicant, personas mirantur, & earum acceptione violant æquitatem, cùm potius Christum imitari oporteret, solem videlicet, diem, & æquabilem mannæ cælestis partitionem in distributione gratiæ, atque fauoris referre.

Hieronym.

Ad Rom.2.

Cyprian.

Huc spectāt ex sentētia aliquorū illa verba Pauli 1. ad Cor.4. *Mihi autē pro minimo est, vt à vobis iudicer, vel ab humano die.* Vbi per diē humanū magistratum publicū iudiciū capiendū esse censent. Quorsū? Nimirū quia quēadmodū dies omnibus æqualiter, & sine discrimine nascitur, sic etiā magistratuū gratia æqualiter in omnes sese effundere debet nullo personarum discrimine. Audi Bern. lib.2. de consid. ad Eugen. *Non parui (inquit) te reū peccati existimes, si facies peccatorū sumis, & nō potius causas iudicas meritorum: est enim vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes, quos noui ex his, qui Cathedras ascenderunt, sedebis, me iudice, solitarius, quia veraciter, singulariterq; leuasti te supra te. Huius callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cauisse versutias.* 25. 1.Corint.4. Bernard.

6. *Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat.*

LAbia stulti, &c. Hebr. *Labia stulti veniunt in litem, & os eius ad percussiones vocabit.* Chald. *Labia stulti adducunt eum in iudicium, & os eius perducit eum ad rixam.* Septuag. *Labia stulti ducunt eum in malum, & os eius audax mortem inuocat.* Aquil. *ducūt eum in litem.* Symm. *in rixā.* Omnia in idem recidūt. 26.

Verba hæc perspicua sunt, & duplicem ad sensū satis facilem vocari possunt. Prior est. *Labia stulti miscent se rixis*, i. vbicumq; rixæ, & contentiones excitantur, ibi adsunt & intercedunt. *Et os eius iurgia prouocat*, nimirum stultus verbis suis non sedat, sed magis acuit, accenditq; discordias. Hanc sententiam reddere videntur verba, si ad sonum eorum spectes, & quidem verissimam. Nam inter discordes intercedere ardua res est, & plena discriminis, ad quam vix sapientis industria præstat, nedū stulti vecordia. Est autem in omni intercessione, aut interuentione, quæ ad sedandas contentiones suscipitur, duplex discrimen præcipuum; prius est, ipsarum discordiarum incrementum. Nam sæpè quia verbum aliquod intercessori temerè excidit, vel quia refricantur iniuriarū vulnera, sæpè etiam dum vrgent obiectæ rationes, animus sese acuit ad vindictam, & neu rationibus sibi propositis vincatur, maiorem indignationem aduocat. Quapropter ille, qui ad eū modū intercessoris personam sustinet, verba sua sic moderari ac temperare debet, ne quid inconsultè dicat, quod animum audientis exulceret, ne iniuriarum memoriam refricet, item ne cogat, sed leniter & placidè alliciat, quæ omnia vix sapientissimus aliquis præstare poterit, nedum stultus. Propterea Salomon ait. *Et os eius iurgia prouocat*, scilicet magis, ac magis inflammat. Alterum discrimen est, quod sæpius ille, qui ad sedādas cōtētiones accedit, dū alios paci reddere studet, discordiæ & rixæ cōsors efficitur: nā quia alteri parti plus fauet, alteram in se concitat, vel quia nulli acquiescit, vtrāq; sibi aduersā reddit. Ergo sic inter discordes intercedere, vt quis contētionis ipsius particeps nō fiat, ac rixis neutiquā se immisceat, sapientissimi hominis est, quod stultus assequi nō potest. Ideò Salom. addit, *Labia stulti miscent se rixis*, i. stulti cùm non satis nouerint temperare, ac moderari labia sua, dū pacē inducere volunt, discordiarū consortes fiūt. *Miscent se rixis*, i. *inseparabiliter* (inquit Hugo) *cohærēt, nā mixtio est inseparabilis miscibilium vnio*: nimirū sic se iurgantibus, & diffidentibus adiungunt, vt iā inde alios facilius concordiæ restituere liceat quàm illos. Denique vltimum discrimen est, quod sæpius ille, qui intercedit nescio qua lege plagas, & vulnera referre solet, quapropter prudentissimè & cautissimè ad istiusmodi intercessiones veniendum est:

est: ergo stultus omnis prudentiæ & cautionis expers, quoties hoc intercessoris munus suscipit, plagas & vulnera reportat, hoc sibi volunt Salomonis extrema verba, quæ si verbum ex verbo reddas, sic habent. *Os eius percussiones vocabit*, scilicet sibi ipsi ictus, & plagas accerset.

27. Posterior expositio bimembris est: aut.n. in vniuersum hoc stulto tribuitur, quod sermonibus suis rixas, & lites excitet inter alios, & dissidentes nonnumquã ad vulnera & plagas adducere soleat, vel certè (id quod mihi germanum magis videtur) docet stultum dum pleráque temerè, & inconsultè dicit, quibus alios lædit, non rixas tantum, lites & contentiones, sed etiam ictus & vulnera sibi accersere. Hunc sensum reddit Originalis lectio. *Labia stulti venient in litem, & os eius ad percussiones vocabit.* Huc spectat etiam translatio Sept. quæ sic habet. *labia stulti ducunt eum in mala, & os eius audax mortem inuocat*, scilicet iisdem verbis, quibus procaciter & temerè aliorum famam violant, mortem quodammodo euocant, & lacessunt ab his, qui læti sunt, eisdem inferendam. Quid certius?

Chaldaica paraphrasis ad causas, & lites iudiciarias spectare videtur hoc sensu. *Labia stulti adducunt eum in iudicium.* i. stultus ob temerè & procaciter dicta, & ob probra in alios coniecta, sæpius ante iudices sistitur, & iniuriarum appellatur: hoc etiam frequentissimè euenire consueuit. De discordiis prouocandis, aut etiam spargendis, iam inde supra, non paucis locis multa diximus.

7. *Os stulti contritio eius, & labia ipsius ruina animæ eius.*

28. OS *stulti cõtritio*, &c. Hebr. *Et labia eius laqueus animæ eius.* Concinunt Sept. Chald. habet. *Os stulti formido est ei, & labia laqueus animæ eius.*

Caiet. sic exponit. *Os stulti contritio*, id est, seipsum frangit, ac lædit, quia sibi aduersantia loquitur. Quid inde? *Labia eius laqueus animæ eius*, id est, suis ipsius verbis illaqueatur: nam qui pugnantia loquitur, quasi quibusdam laqueis hinc inde implicitus tenetur.

Sed tamẽ cõmunis interpretatio hæc verba cũ superioribus nectit, vt sensus sit, *Os stulti tristitia eius.* Nimirum os suum stulto contritionem, & euersionem afferre solet, quia ob temerè, & inconsultè dicta, multa mala, & grauissimas calamitates sibi accersit. *Et labia ipsius ruina animæ eius.* Mortẽ appellat ruinã animæ, quã nonnũquam stultus dicendi licentia, & temeritate sibi asciscit. Septuag. originalẽ lectionem expresserunt, *& labia eius laqueus animæ.* Quæ verba nõ ineptè aliqui ad laqueũ referũt, quo sontes neci extremæ addicti præfocantur. Quasi dicat, stultus verbis suis sibi ipsi restim iniicit, & laqueo fauces suas premit, & strangulat. Nimirũ quia sæpi ob verba temerè pronunciata vecordes homines eò adduci solent, vt suppliciũ hoc subire cogantur. Vel aliter, metaphora ducitur à venatione, cui expositioni vel maximè inseruit Chaldaica paraphrasis, quæ sic habet, *Os stulti formido est ei, & labia laquei animæ eius.* Succedat memoria id, quod alibi dixi de formidine venatoria; erat quippe rete contectũ auiũ plumis variis, & vstulatis, quod tantũ terrorẽ ceruis, capreis, atq; aliis feris incutiebat, vt eas in fugã verteret, & in laqueos, plagasq; cõpelleret. Ideo formidinis nomẽ tulit. August. Hieron. & aliorum verba supra exhibui. Si ergo dicamus Paraphrastem ad id spectasse, sensus quidẽ erit. *Os stulti formido est ei, & labia laquei animæ eius.* Scilicet stulti, & dicacis, aut etiam mendacis hominis verba temerè, & inconsultè dicta, ipsi pro formidine, & laqueis sunt. Nã dum ea, quæ falsè, aut temerè semel protulit, veretur, ac fugere vult, ad alia temeraria magis, & falsa dicenda compellitur, quibus quasi laqueis, & retibus hinc inde innodatus comprehenditur, sic enim fert dicacium, atque mendacium mos. Pergo ad alia.

8. *Verba bilinguis quasi simplicia; & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris.*

VErba bilinguis, &c. Hebr. *Verba susurratoris lenientia, & ipsa descenderunt ad penetralia ventris.* pro voce illa *simplicia*, in Hebr. est, מתלהמים *Mithlahamim*, à verbo *Lahã*, quod significat blandiri, & lenire, nec non etiam vulnerare, ac percutere. Vnde Pagnin. Caiet. & alij legunt, *Verba susurronis tanquã vulnera*, aut *tanquã percussiones.* Existimant enim verbum hoc *Laham*, non esse aliud, nisi חלם *Halam*, per metathesim, quod est contere-re, & vulnerare. Addit autem Pagninus vocem illam apud Arabes idem esse, quod absorpta, & occulta, itavt liceat vertere. *Verba bilinguis, quasi absorpta, & occulta.* Rab. Hemanuël legit, *Verba fraudulenta tanquam blanda.* Chal. *Verba susurronis dolore afficient illum, & deducent illum in profundum inferni.* Itaque per ima vel interiora ventris baratrum intellexit. Hæc verba absunt hîc à textu Septuaginta, sed tamen habentur infra cap. 26. n. 22. vbi ipsissima redit sententia, *verba susurronis*, &c. 29.

Prima interpretatio est Pagnini, qui cùm legerit, *Verba susurronis, tamquam vulnera*, &c. sic exposuit. Verba illius, qui calumnias ingerit, & ab vno accepta alteri insusurrat; videntur quidẽ nõ vulnera, sed quasi vulnera, non percussiones, sed quasi percussiones. i. leuiores quidam ictus, aut liuores; sed tamen paulatim augentur, & animi interna peruadunt, hoc sibi volũt illa verba, *& descendunt ad intima ventris*, id est, paulatim, ac sensim ad cor vsque permeant. Itaq; similitudinem duci putat à plaga aliqua, aut liuore exiguo, qui paulatim intabescit, & ad viscera vsq; peruenit: huic. n. valdè adsimile est susurronis verbum, quod tunc cùm primum auditur leuẽ plagam infligere videtur, sed cùm postea cogitatione, & meditatione attrectatur, altiùs quotidiè descẽdit, & ad cor vsq; pertransit. Quid certius? Addit Pagninus pro susurrone assentatorem cum Septuag. verti posse. Tunc verò sensus non inelegans cõficitur ad hunc modum. *Verba assentatoris, quasi vulnera*, id est, adulator nõnumquam aliqua dicit liberiùs, quæ non vulnera, sed quasi vulnera dici debẽt: est enim assentatoribus valdè solemne fictam quandam libertatẽ, & seueritatem suis adulationibus inserere, de quo sic Plutarch. *Numquam magis adulantur, quàm cùm videntur obiurgare, verberare & liberè loqui.* Et quidẽ eiusmodi adulatorum plagæ leuissimi quidem ictus sunt, quorũ leuitatẽ eleganti similitudine adumbrauit idẽ Plutach. *In Menandri comœdia producitur falsus Hercules clauam gestans non robustam, sed inanem, ac leuẽ; sic adulatoris libertas mollis est, ac blanda.* Et iterum. *Sicut puluinaria mulierum, quãdo videntur, renisi, & obsistere capitibus, cedunt magis, & accommodãt sese: sic libertas adulatoris tumet quidem, sed in se recipit inclinantem.* Igitur adulatorum plagæ non sunt vulnera, sed quasi vulnera ferire quidem atque icere videntur, sed reuera mulcent animum. Hunc ad sensum alliciẽda sunt verba, quæ sequuntur, *Et ipsa descẽdũt ad intima vẽtris.* i. mollitudine sua ad cor vsque penetrant, & viscera interna deliniunt. Vnde ex

Hebtæis alter sic transtulit, *Et ipsa quasi oleum descendunt ad intima ventris*, ad mollitiem videlicet referens. *Seneca.* Concinit Seneca in Epist. 43. *Adulatio*, inquit, *apertis auribus excipitur, sed in præcordia intima descendit.*

30. Hinc fluit secunda expositio Hebræorū, qui cùm sic legendum censeant, *Verba assentatoris blanda, aut mollia*. i. blandientia & delinientia, posteriora verba sic exponunt, *Et ipsa descendunt ad interiora ventris*. i. ad animum mollitie sua olei ad instar penetrant, atque illum mirum in modum emolliunt, & effeminant. Adulatio. n. non solùm mollia ingenia captat, sed etiam quæ duriora, & sæuiora sunt, blandimentis suis in mollem valde habitudinem traducit. *August.* Aug. in Psal. 59. *Falsa* inquit, *laus adulatoris, & B simulata dilectio rigidas mentes à rigore veritatis emollit.* Confertur autem adulationis blanda natura, cum oleo, quia olei ad instar penetrat, & emollit. Et sanè docent medici oleum propterea pluribus medicamentis admisceri solitum, quia mollitie sua, & penetrandi facultate herbarum & succorum medicam vim ad interiora defert: vnde alij baiulum, alij vehiculum appellant. Idem verò iudicium est de nociuis herbis, ac succis, nam venenum oleo additum præsentius interficit, oleo videlicet tamquam baiulo vim illius ocyus ad cor transferente. Ergo adulationis blandimenta aptissimè cum oleo conferuntur, quia vitijs, & flagitijs addita illorum virus mollitie sua, & vi penetrandi, quàm citissimè in animum C traducit, visceraque inficit, & corrumpit. Nam qui sua ipsius vitia, & flagitia ab adulatoribus laudari & extolli audit, studiosiùs illa adamat & amplectitur. *Psalm. 140.* Hinc Dauid aiebat, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, &c.

31. *Caiet.* Tertia interpretatio est Caietan. qui locū istum sic extulit: *Verba bilinguis percussiones, & ipsa perueniūt ad cubilia vētris.* Expositio autē hęc sonat, verba calūniatoris, aut detractoris seu adulatoris, (hi. n. bilinguiū nomē ferūt) reuera verbera sūt & plagę, & ictus, nec leues quidem, aut cute tenus inflicti, sed lethales, vt potè qui ad intima viscerū peruadāt. Vulgò, *Sō penetrātes, que llegan alo gueco.* Et sanè vulnus tūc potissimū altissimè corpus penetrare cōstat, cùm spiritus & D anhelitus per ipsum vulnus effluit, & naturalem oris, & narium viam deserit, ita docet Galenus, & alij principes medici. Ergo detractor & calumniator vulnus infligit læthale, & altiùs animū confodiens, cùm famā & honorē proximi lædit. Argumēto sit, quod totus hominis læsi spiritus illac effluit, qui hoc vnū cogitat, hoc meditatur, & vindictā & vltionem totus annelat. Quid certius? Rursus adulatoris etiā vulnus altè animum penetrat, quia alia ratione totus spiritus eius, qui assentatorē auscultat, per plagæ ictum sensim abit. Vtique Dauid veritatē cū *Psalm.* spiritu, & anhelitu contulit in Psal. cùm ait. *Veritatē meditatur guttur meum.* i. veritatē perinde ore & faucibus traham, reddāq; tāquam spiritum, aut respira- E tionem (sic exponit nobilis interpres) vt sensus sit, veritatem semper ore meo proflabo, & veritatem similiter hauriam: loquar videlicet atque audiā semper. Ille ergo qui assentatorum verba auscultat, veluti læthali & penetranti vulnere accepto, illac tota veritatis spiratio effluit. Nam qui adulationibus locum facit, hoc potissimū dāno afficitur, quod nūquā veritatē vel accipit, vel reddit, hoc est, nec audit, nec loquitur. *Cicero.* Vnde Tullius pro Cælio, *Adulatio*, inquit, *delet omnem veritatē.* Et in lib. de Amic. *Adulatio aures obstruit veritati.* Quod autem adulatio dum mulcet, luculentam satis plagam & vulnus altissimum infligat, docet *August.* August. in lib. de baptism. contra Donatistas. *Lenius*, inquit, *debet putari quod gladio minā-* A *te, quàm quod lingua adulante committitur.* Accedant verba Hieronymi, quæ alibi dedimus. *Plus*, inquit, *Hieronym.* *nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris.* Huc spectat trāslatio Septuag. *Sermones assentatorum molles, ipsi verò percutiunt in penetralia viscerum.*

Etiamsi ex præmissis interpretationibus quædam 32. in Vulgatam nostram lectionem quadrent, tamen subest illi alia expositio non inelegans, quæ si ad superiores accedat, quarta est: *Verba bilinguis quasi simplicia.* Illud, *quasi*, prętextum sonat, inquit Hugo *Hugo.* Cardin. Quasi dicat, Detractor sæpius pietatem obtendens famam proximi admordet, sic. n. loqui consueuit, inquit Hugo. *Deus scit, & sanctissima Virgo, quia nō dico, nisi pro bono, & quia tangit cor meum, & B quia vellem bonum eius, quæ sunt præparatiua sui mendacij credendi.* Sed grauiori oratione hoc ipsum attigit Bernard. serm. 24. in Cantic. *Alij*, inquit, *quodā simulatæ verecūdiæ fuco, malitiā, quā retinere non possunt,* *Bernard.* *adūbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadā cum grauitate, & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis & voce plangenti egredi maledictionem, & quidē tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quā malitiosè proficisci: doleo inquit vehementer pro eo, quod diligo eū satis, & nunquā potui de hac re corrigere eum.* Et alia his similia attexit Bernardus, quæ detractoctores suis maledictis obtendere solent, vt vel sic corū apud auditores fidē faciāt. Itaq; illud, *Quasi sim-* C *plicia*, sic accipiendum est. i. simplicitatē imitantia, & beneuolentiam adūbrantia. Subiungit, *Et ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris.* Nemo sanè verbis assequi poterit quantam, & quàm profundam plagam detractoris lingua infligere soleat. Bernard. in præfato sermone. *Ferit*, inquit, *charitatē in omnibus, qui se audiunt, lingua detractoris, & quantū in se est, necat funditus, & extinguit.* Itaque plaga hæc ad cor ipsum descendit, & charitatem, quæ inibi est, ictu suo configit. Cæterùm in sermone de triplici custodia, de isto maledicæ linguæ vulnere elegantissimè Bernardus. *Nūquid non lancea est ista lingua? profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno, lingua eorum gladius acutus, inquit Propheta: gladius equidē anceps imo tri-* D *ceps est lingua detractoris.* Hoc verò ideo dicit, quia præmiserat in detractione dicentē, auditorē, & eum, cuius fama læditur, vulnerari. Subdit: *Nec verò eiusmodi linguā ipso etiā mucrone, quo Domini latus confossū est, crudeliorē dicere verearis, fodit enim hæc Christi corpus, & mēbrū de mēbro: nec iā exanime fodit, sed facit examine fodiēdo. Parū est hoc,* inquit Bern. *ipsis quoq; nocētior est spinis, quas illi tam sublimi capiti militaris furor imposuit.* Et quidē non ineptè nouus, sed locuples autor, eas potissimum detractiones, quibus superiorum fama petitur, his spinis adsimiles esse dixit, queis Christi Domini cerebrum milites confixerunt. Nam Episcopus, Prælator, Rector, & alius quilibet præpositus, vel superior, caput est suæ commu- E nitatis, & Christi, qui totius Ecclesiæ caput existit, vices sustinet. Quapropter quicumque illum verbis detractoriis pungit, Christi cerebrum quodammodo spinis denuo terebrare dicendus est. Assuit Bernard. *Seu etiam clauis ferreis nocētior est, quos sanctissimis manibus, ac pedibus cōsummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim huius, quod nunc pungitur, & transfoditur, corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, nūquā illud pro isto mortis iniuriæ, crucis ignominiæ tradidisset.* Quæ verba cautiùs accipienda sunt, ne quis (quod ego aliquādo concionatorē perperā dicentem audiui) temerè asserat, Christum scilicet vitam nostrā pluris fecisse, quàm suā, quasi aliter prodigalitatis insimulari posset, vtpote qui id, quod apud ipsā mœrori in pretio erat, pro viliori re cōmutauit. Nam

peritus

peritus rerum æſtimator Chriſtus ſatis nouit ſuæ vitæ infinitum valorem, noſtræ item viliſſimum pretium, & tanti vnamquamque ipſe faciebat, quanti erat. Sed nihilominus id, quod pluries æſtimabat, ſcilicet vitam ſuam pro noſtra, quam infinito interuallo viliorem eſſe nouerat, liberaliter impendit, quia hoc ad ſui patris gloriam ſpectare cognoſcebat, quam ipſe meritò vitæ anteponebat ſuæ, pro hac verò obtinenda vitam profundere, non profuſionis, ſed liberalitatis,& amoris erga nos, & obſequij erga parentem maximi fuit. Ergo Bernardus ſic intelligendus eſt, vt dicat Chriſtum noſtram vitam ſpiritualem ſuæ prætuliſſe, non æſtimatione, ſed facto ipſo: hanc enim pro illa re ipſa impendit. Ex quo benè infertur Chriſtum Dominum libentiùs in naturali ſuo corpore mortem naturalem ſuſtinuiſſe, quàm ſpiritualem in myſtico, cùm pro aſſerenda huius myſtici corporis ſpirituali vita, illius vitam naturalem ſpontè profuderit. Ad hæc, quemadmodũ nuper de capite diximus,in eo ſcilicet præpoſitos, & ſuperiores adumbrari: ita etiam nunc de manibus, & pedibus arbitrari licet; nimirum in manibus æquales,in pedibus autem inferiores notari: vt omnino hinc liquidò conficiatur, numquam de ſuperioribus, æqualibus, aut inferioribus detrahi, quin aliquod Chriſti Domini membrum altiſſimè configatur. Meritò ergo Salomon ait, *Et ipſa deſcendunt vſque ad interiora ventris.*

---

8. *Pigrum deiicit timor: animæ autem effeminatorum eſurient.*

33. PIgrum,&c. Hic verſus deſideratur in Hebraïco textu; petituſque videtur ex tranſlatione Septuaginta interpretum, qui, vt iam inde ſupra non ſemel docui, ſæpius cum aliqua ſententia in Hebræo anceps erat, & duplicem ſenſum capere poterat, vtrumque expreſſerunt. Quod ſanè hoc in loco præſtitiſſe mihi perſuaſum eſt. Nam ſequens verſus ab hoc fermè non abit. *Qui mollis eſt, ac diſſolutus in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Hæc autem verba præfati interpres ſic acceperunt, *Mollis*, id eſt, *piger diſſolutus eſt*, id eſt, *timore ſoluitur, frater eſt ſua opera diſſipantis*, id eſt, *bona ſua euertit*, & in maximas cenſus anguſtias adducitur. Septuaginta verò famem expreſſerunt, quæ decoctis facultatibus pigris accidere ſolet. Ergo præmiſſam ſententiam ſic extulerunt: *Pigros conſternat timor*, &c. Senſus autem eſt perſpicuus, Homines ſcilicet inertes, & ſocordes,timor adeundi laboris ab opere deterret,eos autem, qui ad eum modum effeminatè laborem declinant, paupertas, & fames angere ſolet. Cæterùm de pigritia, & mollitie alibi non ſemel diximus. Illud tantummodo obſerua pigros hic appellari effeminatos, nimirum quia vita otioſa, & ſedentaria feminas potius decet, quàm viros ſtrenuos. Hinc il-
Iamblicus. lud Iamblici (quod vulgò circumfertur) aſſerentis otium ſic eſſe adumbrandum. *Vir imbellis in habitu, & veſte muliebri puluinari accumbens.*

---

9. *Qui mollis eſt, ac diſſolutus in opere ſuo, frater eſt opera diſſipantis.*

34. QVi mollis eſt, Hebræa ad verbum ſic habent: *Qui remiſſus eſt in opere ſuo, frater ipſi patrono corrumpenti*, reperitur enim hîc vox illa בעל *Baghal*, de qua iam indè alibi diximus; ſonat autem Dominum, patronum, maritum, ſocium. Pagninus legit: *Frater eſt viro diſſipanti quidpiam.* Caietanus: *Frater*

A *eſt viri, qui ſponte ſua diſſipat.* Alij: *Qui friget in opere ſuo, frater eſt eius, qui diſſipat.* Chald. *Socius eſt viri diſſipantis.* Septuaginta: *Qui non medetur ſibi in operibus ſuis,frater eſt perdentis ſeipſum.* Aquila: *Ignauus in opere ſuo.* Symmach. *Ceſſans.* Theod. *remiſſus.* Omnia in idem recidunt.

Sententiam iſtam ſpiritualem ad ſenſum vocat Gregor.
D. Gregor. Paſt. curæ. 3. p. adm. 35. his verbis. *Si inchoata bona fortis manus operantis ad perfectionem non ſubleuat, ipſa operandi remiſſio contra hoc, quod operatum eſt pugnat. Hinc eſt, quod per Salomonem dicitur, Qui mollis, & diſſolutus eſt*, &c. *Qui videlicet capta bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione neglige....a manus deſtruentis operatur.* Loquitur de virtutum B actionibus,quas vrgere, & promouere ſemper opus eſt; nam ſi quis ex incuria prætermittat, quæ prius ædificata, & extructa fuerant ſpontè ruunt. Similitudinemque petit ab ædificio, quod vbi ad aliquam altitudinem perductum eſt, niſi continuis operis abſoluatur, & ad faſtigium adducatur, parietes pluuia, & aliis temporum inclementiis labefactati, & triti ſolo procumbere ſolent.

Quod ſi ad literam ſpectes, eadem quidem, ſed 35.
mutata materiæ ſententia euadit. Alloquitur enim Salomon pigros, & præ inertia negotiationem, aut laborem intermittentes, & ſenſus eſt. Quicumque opus, aut negotium cœptum ſocordia, & pigritia ſolutus intercipit, *Frater eſt ſua opera diſſipantis*, id C eſt, ſimilis eſt omninò ei, qui parta iam bona euertit, ac diſtrahit. Nam qui in dies bona ſua non augent, eadem quidem euertunt ac diſſipant. Ea enim eſt opum conditio,& natura, vt niſi illis quotidianæ occaſiones fiant, citius quidem deficiant, & dilabantur. Hæc expoſitio concinit cum ſuperiori, & ſatis vera, & germana eſt. Eſt enim fortunarum natura modi neſcia, aut enim creſcit, aut decreſcit. Vnde Docæarchus apud Stobæum, dicebat, *Fortunis aut quotidie nummum vnum appone, aut detrahe.* Stobæus.
Quaſi diceret, non poſſe labilem eius conditionem ſiſti.

Alij rurſus verba Salomonis ſic exponunt: Homo deſes, atque iners, *Frater eſt diſſipantis*, id eſt 36.
D profundentis bona ſua: quia ſicut hic profuſione & prodigalitate fortunas decoquit,ſic etiam ille per ſocordiam, & induſtriæ defectum. *Frater*, inquam, id eſt, ſimilis eſt illi. Vel aliter, *Frater eſt*, quia vterque eiuſdem parentis germana ſoboles: Nam profuſionis, & otij vna eademque parens eſt, ſcilicet improuidentia. Vocò autem improuidentiam intem quandam futuri temporis incuriam: Nam is, quem nulla futuri temporis cura inceſſit, & deſidia marcens lucra facile deſerit, & prodiga largitionum erogatione parta improuidus dilapidat. Iure igitur optimo prodigus, atque iners fratres eſſe dicuntur, cùm eadem matre ſati ſint. Sed illud obſeruandum, quod initio animaduerti, ſic ad verbum extrema E verba reddenda eſſe, *Frater eſt Domini, aut mariti diſſipantis.* Itaque prodigus appellatur quidem *Dominus*, aut *maritus diſſipans*, vel *corrumpens*. Et quidem vtrumque nomen in illum aptiſſimè cadit. Dominus vtique diſſipans meritò dicitur, quia, vt iam inde ſuprà ex Chryſoſtomo, Auguſt. & aliis docui, inter auarum, & liberalem hoc intereſt, quod auarus ſeruus eſt diuitiarum, liberalis autem Dominus. Nunc verò vlterius addo, prodigum facultatum ſuarum Dominum dici debere. Sed tamen magnum inter prodigum, ac liberalem verſatur diſcrimen: *Liberalis enim Pluto tanquam ſeruo bene vtitur* (verba ſunt Plutarchi) *prodigus autem abutitur, ideo apud liberalem ſemper manet, prodigum autem deſerit, ac fugit* Quaſi dicat, diuitiæ quidem ſimiles ſunt ſeruo tam

tam erga liberalem, quàm erga prodigum, vterque enim eas sibi mancipat, ac subdit: sed tamen quia liberalis hoc seruo benè, & secundùm rationem vtitur, atque illi sedulo prospicit, libenter apud ipsum manet, & illi obseruit: quia verò prodigus, & profusus homo temerè hoc seruo abutitur, & nequaquam illi consuluit, quin potius illum immaniter discerpit, ac dilacerat, ocyus ab eo se proripit, & ad alium Dominum transit. Aptè ergo dicitur prodigus, *Dominus corrumpens*, aut *discerpens*. Rursus *maritus corrumpens*, non ineptè appellatur; (succedat memoriæ Socratis apud Stobæum serm. 14. & Democriti apud Maximum sermon. 8. dictum elegans) qui videns quendam profusè cunctis donantem, & dona magna sine delectu suppeditantem, sic addidit: *Male vtique pereas, quia Gratias Virgines meretrices fecisti, & velut scorta prostituisti.* Quasi diceret, iniquè admodum egisti, qui gratias, id est, beneficentiam, & liberalitatem, Virginem vtique pudicam, & incorruptam, nequaquam, vt decebat, tibi coniugem, & sponsam sociasti, vt apud te semper maneret, & tuo lateri hæreret: quin potius illam corrupisti, & tamquam meretricem quandam prostituisti, ex quo fiet tandem, vt meretricios mores sequuta exhaustis facultatibus te deserat, sine quibus beneficentia adesse non potest. Sic accipio illa verba, *Frater mariti corrumpentis*, id est, mariti sponsam suam, id est, gratiam, & beneficentiam prostituentis, & corrumpendam proponentis. Pergo ad alia.

10. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.*

37. *Turris fortissima*, &c. Hebræa non dissonant. Chaldæus extrema verba sic extulit: *In ea autem curret iustus, & exaltabitur in ipsa.* Septuaginta *Magnificentia fortitudinis nomen Domini, ei autem accurrentes iusti exaltantur*: alius interpres Græcus legit, *Ex magnitudine operum nomen Domini*: Aquila, & Theod. *Turris potentiæ*. De reliquo à Vulgata non recedunt.

Ex Hebræis aliqui sunt, qui hæc verba de nomine ineffabili, יהוה *Iehouah*, accipienda esse putant, vt sensus sit. Nomen hoc magnum adinstar est turris fortissimæ: nam quoties inuocatur vndique hominem munit, ac defendit. Et quidem ex quatuor litteris huius nominis nescio qua ratione turrim quadratam construunt, atque illi nomen *Adonai*, pro vallo, ac septo circumdatum fuisse dicunt: adeo vt qui hoc vallum transiliens ad interna sanctissimi nominis irruperit, & vim illius hauserit, velut in turri munitissima tutus, ac securus sit. Hoc ipsum ad sanctissimum nomen *Iesu*, alij trahere contendunt, sed tamen his, atque aliis leuioribus rebus omissis sententia huius loci perspicua.

38. Aut enim per *nomen Domini* intelligitur *Deus ipse*. Sic enim passim in scriptura *nomen* accipi solet pro ipsa persona, vt alibi docuimus. Vel per nomẽ intelligitur inuocatio, & imploratio ipsius Dei, vtrumq; autem fermè in idem recidit. Iuxta priorem acceptionem sensus est: *Turris fortissima nomen Domini*, &c. Nimirum Deus ipse fortissimæ adinstar turris obtinet. Quanta sit huius turris fortitudo, & munimentum docuit Augustinus in Psal. 60. ad illa verba: *Turris fortitudinis à facie inimici*, vbi sic scribit: *Diabolo quidem per tot loca & tempora, & occasiones insidiante aduersus me, hic est mihi turris fortitudinis, quò cùm fugero non solum vitabo tela inimici, sed etiam in illum, quem voluero securus ipse tela iaculabor. Caue ne feriaris à diabolo: fuge ad turrim, numquam te ad illam turrim diabolica iacula sequutura sunt, ibi stabis munitus, & fixus, ante te est turris, recordare Christum, & intra in turrim.* Et post pauca, quæ aduersus diabolum ex hac turri iacula intorquenda sint, exprimit his verbis: *Tu potius in illum iaculare tela, quibus feriatur, quæ sunt ista tela? Verbum Dei, fides tua, spes tua, bona opera tua.* Addit Salomon, *Ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.* Audiendus est Beda in eum Psal. *Factus vtique mihi Deus turris fortitudinis, ideò ego non perfugabilis ero, sed statorius miles ero*, &c. Sic accipe etiam verba illa: *Currit ad illam, & exaltabitur*, id est, non fugam molitur, sed ad illam sese recipit, atque in sublimi statione seu miles stationarius constitutus persistit. Inde enim pugnat, & à loco suo nulla vi deiici, aut deturbari potest. Sic enim conuertere licet: *Currit ad illam iustus, & stabit*, id est, stationem suam tenebit. Et sanè stationarij milites olim appellabantur milites præsidiarij, quibus castri, aut turris custodia, & tutela committebatur. Ergo sicut hi milites præsidiarij, seu tutelares ipsi quidem turribus præsidio sunt, eamque ab hostium irruptione defendunt, & vicissim ipsi quidem turribus tutantur, & defenduntur: Sic etiam de iustis decernendum est, cùm ad Deum, tamquam ad turrim confugerunt, hi enim tamquam stationarij milites, & ab hac turri ipsi defenduntur, & turrim illi ipsam contutantur, quia Deus quidem illis munimento est, & ipsi vicissim Dei gloriam ab hostium iniuriis fortiter defendunt.

Beda.

Secunda interpretatio hæc Salomonis verba accipit de oratione, & inuocatione Dei, hoc sensu: 39.
Turris fortissima nomen Domini. id est, deprecatio Dei maximum, ac munitissimum est propugnaculum aduersùs hostes tam internos, quàm externos, quid certius? Chrysostom. in lib. 2. de orando Deum, sic scribit: *Oratio Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit munimentum inconcussum; dæmonibus quidem formidabile, piis vero, nimirum nobis, tutum, ac salutiferum.* Et rursus ait: *Quemadmodum ciuitas, quæ turribus, ac muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium, sic & animam non munitam precibus, diabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni scelerum genere implet. Cæterum ad animam precibus munitam non audet propius accedere, metuens robur, ac fortitudinem, quam illi oratio subministrat.* Hæc ad internos hostes pertinens, de externis est illud quod paulò post attexit ad hunc modum: *Orationis præsidio Persarum copias Ezechias celeriter vertit in fugam, iam hostes machinas admouebant mœnibus, iam turres scandebant, sed ille muros deprecationis vallo sepsit, simulque per deprecationem sine armis solutum est bellum, & hostes depulsi.* Itaque oratio non turris solum, ac murus est, sed aliquid fortius, quo turres ipsæ, ac muri contutentur. Subdit Salomon: *Ad ipsam currit iustus, & exaltabitur*, id est, ad ipsam se recipiet, & tutus erit, siue, vt nuper dixi, *stabit*, scilicet tamquam miles in præsidio, & statione sua. Et quidem olim, vt auctor est Tertullian. in lib. de oratione, dies ieiunio, & orationi adscripti stationes dicebantur, ducta scilicet metaphora à militibus stationariis. Sic enim scribit: *Similiter, & de stationum diebus non putant plerique orationibus, & sacrificiis interueniendum*, &c. Et post pauca: *Si statio de militari exemplo nomen accepit (nam & militia Dei sumus) vtique nulla lætitia, siue tristitia obueniens castris stationes militum rescindit.* Quasi dicat, cùm constet illos, qui orant & sacrificant, & ieiuniis se macerant in stationibus esse, similitudine à militibus petita, sanè quemadmodum milites nulla suborta, vel tristitiæ, vel lætitiæ occasione stationes suas deserunt.

Chrysost.

Tertul.

August.

ferunt

ferunt: Ita etiam milites Chriſti nulla ex cauſa orationum ſtatas, & decretas horas, vel dies derelinquere, aut intermittere debent. Et ſanè ſtationum dies à militaribus ſtationibus nomen accepiſſe docet etiam D. Ambroſius in ſerm. 25. his verbis: *Stationes etiam vocantur ieiunia, quod ſtantes, & commorantes in eis inimicos noſtros inſidiantes repellimus.* Lege etiam Cyprianum Epiſtola quadrageſimaprima, & quæ in eum locum conijcit eius Scholiaſtes.

Ambroſ.

Cyprian.

40. Rodolph.

Ad extremum ſubiicienda eſt expoſitio Rodolphi, qui extrema iſthæc verba ſecundum Chaldaïcam lectionem ſic expendit: *Et curris in ea, & exaltabitur in ipſa.* Nimirum hæc turris, ſiue Deus ipſe eo nomine cenſeatur, ſiue illius inuocatio, & imploratio, non eſt anguſtior aliqua cuſtodia (nam ſontes in turribus includi ſolent, vinculis alligati) ſed latior, & liberior. *Curret*, inquit, *in ea iuſtus*, id eſt, non ligatus, ſed ſolutus, ac liber erit, neque inde ad ſupplicium, & ignominiam, ſed ad gloriam, & exaltationem, & coronam ducetur: erit vtique in ipſa non tamquam in carcere, ſed veluti in palatio, ac regia. Hæc ſanè facilem accommodationem habent. Item tranſlatio Septuaginta ad vulgatum ſenſum facile allici poteſt: *Ex magnificentia fortitudinis nomen Domini.* id eſt, in nomine Domini magnifica, & potentiſſima quædam fortitudo eſt. Itaque verba conuertenda ſunt per metatheſim: id eſt, *Magnificentia fortitudinis ex nomine Domini.*

---

11. *Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius: & quaſi murus validus circumdans eum.*

41. HVius carminis prius hemyſtichium occurrit ſuprà cap. 10. verſ. 15. Vide quæ ibi diximus. Poſterius autem ſic habet: *Et quaſi murus validus*, &c. Hebr. *& ſicut murus eleuatus in imaginatione eius.* Caietanus, *Et ſicut murus eleuatus in cælaturis eius.* Chald. *Et quaſi murus eleuatus eſt habitaculum eius.* Heb. במשכיתו, *Bemaſchithu.* Vox eſt, משכה *Meſuchah*, quàm alij exiſtimant ſignificare cubiculum, alij cælaturam, aut picturam, alij imaginationem, à radice שכה *Sachah.* id eſt, *pinxit*, vel *aſpexit.* Noſter vtique ad ſignificationem aulæ, aut cubiculi retuliſſe videtur, quod vndique ambiat, nimirum eſt illi vrbs fortitudinis, & paries vndique ambiens, & illum velut in cubili ſecurum eſſe iubens. Septuaginta habent: *At gloria eius valde obumbrat:* de qua lectione infrà non pauca.

42. Extremæ huius clauſulæ diſſimiles admodum expoſitiones occurrunt; totius verò ſententiæ ſcopus ſatis liquet. Nam cum præmiſiſſet Salomon Deum ipſum, aut Dei inuocationem, iuſto, & pio homini pro turri eſſe, ac propugnaculo, addit, impium, ac diuitem non ita, ſed diuitias ſuas munimenti, ac præſidij loco ducere. Itaque ait: *Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Nimirum diues ſuarum copiarum præſidiis munitus, perinde ſe tutum, ac ſecurum eſſe putat, ac ſi in vrbe aliqua fortiſſima validiſſimus vndique mœnibus cinctus degeret. Quemadmodum, enim mœnia ad repellenda hoſtium iacula, & alia viciſſim in ipſos iacienda opportuna ſunt, (vt nuper ex Auguſtino adſcripſimus;) ſic etiam diuites opibus ſuis id ſe obtinere exiſtimant, vt non modo aduerſariorum vim repellant, verùm etiam vt illis inferant. Hunc ſenſum reddit noſtra Vulgata lectio, qui perquam facilis eſt. Itaque licet priorem illam partem; *Subſtantia diuitis vrbs fortitudinis eius*, iam inde ſuprà ſemel Salomon dederit, tamen diuerſo admodum inſtituto, & ſenſu, hic ab eodem redditur: vtrobique verò non pro diuitiis, ſed contra diuitias pronunciatam fuiſſe ibi decreui. Salomon ergo in hoc, ac ſuperiori verſu oſtendit, quàm latum diſcrimen inter virum pium, ac improbum intercedit; ille Deum ipſum turris, ac munimenti loco habet; hic diuitias, & opes, rem fluxam, & labilem, in propugnaculi, muri, ac præſidiorum omnium loco ponit: ſed vide quàm diſpar vtriuſque robur, & conditio ſit, illum quidem diximus in ea turri, quaſi ſtationarium militem nulla vi, aut hoſtili impetu è ſuo loco deiici poſſe: at quàm facile diues à loco pellitur ſuo, audi Mariam occinentem Lucæ 1. *Diuites dimiſit inanes. Depoſuit potentes de ſede*, &c. & Dauid ait: *Vidi impium exaltatum, & eleuatum ſicut cedros libani, tranſiui, & ecce non erat, & non eſt inuentus locus eius.* Ruſus expendentes nuper Chaldaïcam lectionem addidimus; in ea turri non eſſe iuſtum, tamquam ſontem in carcere, ac cuſtodia, nam & ſontes vinculis obſtricti turribus includi ſolent: at diuiti opes carcerem potius exhibent, quàm munimentum: accipe verba Chryſoſt. in Hom. 14. in Matth. quæ iam inde alibi dedimus. *Sicut enim cùm aliquem videris in carcere vinctum, & ceruice, manibus, pedibuſque ferratum, propterea illum maximè miſereris: ſic etiam cùm videris diuitem infinitis rebus circumdatum, noli illum propter illa vocare locupletem, ſunt enim vincula. Præter illa autem vincula habet cuſtodem carceris ſeuiriorem, prauum, ſcilicet amorem pecuniarum, qui ſemel à ſe vinctum nequaquam de hoc carcere migrare permittit, ſed mille imponit catenas, & oſtia, & ſeras, atque cuſtodias, & in interiorem illum coniiciens carcerem etiam delectari his vinculis facit, vt ab illis, quibus oneramur malis, nec ſpem quidem vllam libertatis inueniamus.* Ad hæc, iuſtus verum, & non fictum in Deo habet propugnaculum, & munimentum; at diues non ita, ſed commentitium, imaginarium, pictum, & adumbratum. Venio ad lectiones extremæ clauſulæ, quæ diuerſos interpretes in diuerſas expoſitiones compulerunt.

Lucæ 1.

Chryſoſt.

Ergo plerique ſic legunt: *Et ſicut murus altus in imaginatione eius*, id eſt, hæc vrbs atque mœnia haud vera ſunt, ſed ſua ipſorum imaginatione conficta, ipſi enim ſibi commentitiam, & imaginariam quandam vrbem, vndique muris cinctam, & obſeſſam conformant, ne dicam ſomniant. Eodem modo exponunt alij alteram illam lectionem: *Et ſicut murus altus in pictura eius:* nimirum ſicut murus præaltus non verus, ſed pictus. Sicut enim nouimus vrbes aliquas, cùm forte murus ab hoſtibus præruptus eſſet, aut ſponte decidiſſet, linteum ad muri ſpeciem depictum obtendiſſe, ac ſi diu hoſtes ſuos decepiſſe: ſimili ratione diues tum aliis, tum ſibimetipſi præſtigias facit: nam cùm intra depictos, & minimè veros muros ſit in murata vrbe degere, tum alij, tum ipſe putat. Sed tamen tunc cùm ſe maximè tutum ac ſecurum velut in vrbe mœnibus cincta diues exiſtimat, totum illud robur commentitium, & depictum leuiſſimo quodam ictu decidit. Nec mirum ſi diuitiarum robur cum linteo ad muri ſpeciem expicto conferamus, cùm ſcriptura ipſa telis aranearum non ſemel componat. Iſaiæ 59. *Telas araneæ texuerunt, telæ eorum non erunt in veſtimentum*, &c. Quemadmodum ergo ſi araneus intra telas ſuas ſeſe cohibens ſatis munimenti ſe habere exiſtimat, quas ſcopæ tractu leuiſſimo euerrunt, & diſiiciunt: ſic etiam de diuitibus exiſtimandum eſt, cùm intra opum ſuarum araneas tenuiſſimas ſatis ſe munitos, atque fortes falſa opinione decernunt, quas vnica vel leuis fortunæ conuerſio prorſus euertit, & & euertit. Et quidem totam diuitum gloriam adumbratam

43.

Iſai. 59.

Chrysost. umbratam esse, & pictam docet Chrysostomus homilia 4. de Lazaro ab illis verbis: *Quemadmodum conspicientes diuitem in pariete pictum, non illi inuidemus, nam quod videmus umbra rerum est, non veritas: sic*, &c. Itaque non modo diuitias ipsas cum pictura comparat Chrysostom. sed etiam diuitem ipsum cum homine non vero, sed picto conferendum esse censet: obiter autem sic cogita inter diuitem, ac pauperem interesse, quod inter verum, & pictum hominem, nam verus homo mouet seipsum, & membra omnia exercet sua: pictus verò nisi ab alio moueatur totus hæret, & membrum nullum impellit: præterea homo viuit, intelligit, sapit, non item pictus, sic etiam de paupere, ac diuite iudica. Ille mouetur, hic quidem vt moueatur sella octophora, aut curru indiget; ille membra exercet sua, hic tamquam languens simulacrum seruis se vestiendum, comendum, poliendum tradit; illud tantummodo reliquum est, vt famuli cibos in os mittant, nam potum iam inde hauriendum ori ipsi admouent; ille verus sapit, viuit, & intelligit, hic verò nec viuit, neque sapit, neque intelligit, &c.

44. Caiet. Caietanus sic extulit, *Et sicut murus validus in cælaturis eius*. Rabbi Dauid, *In picturis eius*. Vterque autem hoc sensu donat. Diues quidem cum in cubiculo, vel aula sua picturis, vel cælaturis affabre elaborata inclusus est, perinde se tutum, ac munitum esse existimat, ac si mœnibus vndique altissimis cinctus esset. At verò Rabbi Abraham sic exponit, *Et tamquam murum eleuatum reputat cælatum aurum, & argentum, quibus domus illius plena est*. Addit verò conuerti posse, *& sicut murus altus in prospectu suo*, vt sensus sit, diuitias, quas in prospectu suo habet muri adinstar celsi obtinere existimat. Est præterea aliquis, qui sentiat hanc translationem de ruina diuitis esse accipienda. *Et sicut murus præaltus in prospectu eius*, id est, quemadmodum homo capitis imbecillitate præditus, si præaltum murum ascendat, & inde in terram despiciat, exturbatis sensibus relabi solet: sic diues propter diuitias suas in elationem actus præ summa capitis sui imbecillitate, etiam nullo impellente, ruit, hoc verò cùm sequenti sententia optimè cohæret, vt statim patebit.

45. Reliquum est vt lectionem Septuaginta subiiciamus, quæ sic habet: *Et gloria eius magnopere inumbrat*: Græcè μέγα ἐπισκιάζει, aliqui sic exponunt, id est, *gloria eorum*, mirum in modum illos protegit: nimirum gloria, & splendore diuitiarum suarum se protegi, atque defendi putant. Cæterùm si vim verbi, ἐπισκιάζω obseruemus, aliter sententia conformanda est, ne ab originibus penitus abeat. Ergo verbum illud ad picturam referri solet pro verbo pingo, suadent hoc ipsæ origines: Nam verbum illud שכה *Sachah*, à quo fluit vox illa *Bemaschitu*, quæ hîc occurrit, propriissimè significat pingere. Itaque illud μέγα ἐπισκιάζει, sic reddendum censeo: *gloria eius magna adumbrat*, id est, magna pingit. Quasi dicat, diues diuitiarum gloria elatus magna meditatur, & mente sua ingentes moles sibi expingit. Nam illud, *murus altissimus in picturis eius*, Septuaginta ad sensum referentes perinde esse existimarunt, ac si diceret, diues propter animi elationem altissima cogitat, moles ingentes architectatur, & grandia quæque sibi ipsi pingit: sed tamen vanissima illius figmenta, & picturas quælibet fortunæ conuersio radit, ac delet, omnia quidem illius bona picta sunt, & adumbrata, sic decernit Paulus 1. ad Corinth. 7. *Qui emunt tamquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tamquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi*. Quasi dicat, omnia mundi bona non solida, sed picta sunt, non vera, sed adumbrata, & fucata, Græcè παράγει, id est, decipit, nimirum decipiens abit. Sanè verbum *adumbro*, ad picturam accommodatur, quia picturæ coloribus, & vmbris constant: nam dum vmbræ quasdam partes deprimunt, alias color attollit, figura perficitur. Ait igitur Salomon, *Et gloria diuitis magna adumbrat*. Nimirum magna vmbris tegit (sic accipe, dum tamen à pictura non recedas:) hinc autem fit, vt ea, quæ per se parua sunt, scilicet temporalia, & caduca, magna, & sublimia appareant, hoc enim adumbratio facit. Quasi dicat, diues partes quasdam, maiora videlicet bona, id est, spiritualia, & æterna, ignorationis, vel passionuum vmbris tegit, & partes alias, nimirum caduca, & temporalia, præclaris coloribus illuminat, propterea hæc altiora, & illa depressiora ipsi videntur. Secus iustus, ac pius homo, hæc spiritualia bona, quæ per se maiora sunt, & digniora, colorum, ac pigmentorum illuminationibus eleuat, item temporalia, & caduca, quæ per se minora, & leuiora sunt, additis vmbris contegit ac deprimit. Ad alia.

12. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur.*

ANtequam conteratur. Hebr. *Ante contritionem elabitur cor, & ante gloriam humilitas*. Symmachus, & Theodot. *Et ante gloriam mansuetudo*. Septuaginta concinunt cum nostra. Hæc ipsissima sententia occurrit suprà cap. 16. vers. 18. Vide ibi. 46.

13 *Qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.*

QVi prius respondet, &c. Hebr. *Reddens verbum antequam audiat, stultitia est ei, & pudor*. Septuaginta: *Imprudentia est ei, & opprobrium*. 47.

Hæc verba duplicem ad sensum vocari facilè possunt, aut enim in vniuersum sic exponi debent, *Qui prius respondet, quàm audiat*, &c. Nimirum qui prius quàm rem integram didicerit, responsum offert, sæpius stultè, & imprudenter respondet, & ignominiam, probrumque inde sibi accersit. Hinc prudentes quique non prius de rebus suam sententiam ferunt, quàm rem omnem calluerint, prius de singulis edoceri, (& si quidem inter multos res geratur) singulos prius audire volunt, & tunc demum expensis rationibus respondent. Hæc sentētia, ni fallor, præcipuè ad iudices, & magistratus intenditur, neu causis inauditis temerè aliquid sentiant aut decernant. Huiusmodi iudicem non ineptè cum Cytharœdo contulit Petrarcha, qui prius quàm chordas singulas, seu neruos, eorúmque sonum auribus obierit, & explorauerit, omnes simul inconcinnè percutit. Sicut enim hic absonum, & absurdum strepitum reddit, sic etiam iudex, qui singulas litigatorum causas non pulsauit, nec audiuit, stultam planè, & absurdam sententiam pronunciet necesse est. Itaque iudices singularum partium iura auscultantes, Cytharœdis assimiles sunt, qui neruos temperant, & alios quidem intendunt, alios remittunt iuxta sonorum varietatem, nimirum secundùm iuris canones, æstimatis causarum momentis alias quidem intendunt atque præferunt, alias remittunt, atque soluunt. Quapropter illos monitos velim neu seros, ac moro-

ac moroſos nimium in hac re ſeſe præbeant, eſt enim ingratum, ac moleſtum valde. Cytharœdum neruos temperantem diu audire, & expectare.

47. Nazian. Alter ſenſus eſt, *Qui prius reſpondet, quàm audiat*, &c. Nimirum, qui prius ad docendum accedit, quàm ipſe edoctus ſit, ſtultitiam ſuam facilè prodit, & non gloriam, ſed opprobrium ſibi inde aſciſcit. Lege Gregorium Nazianz. oratione 1. Apologetica de fuga in Pontum, vbi hac de re copioſiſſimè diſſerit, vbi inter alia ſic addit: *Præſtabilius quidem nos eſſe duximus, cùm quæ dicenda, & facienda ſunt neſciremus, ea addiſcere, quàm neſcientes adhuc ea docere; præclarè enim cum eo agitur, cui vel in profundam ſenectutem canus ſermo veniat, eamque vim habens, vt recenti adhuc impietate animæ adiumento eſſe poſſit.* B *Nam certè alios docere aggredi prius quàm ipſi ſatis edocti ſimus, & (vt dici ſolet) In dolio diſcere, hoc eſt in aliorum animabus pietatem meditari, & exercere, valde ſtultorum, aut temerariorum eſſe videtur, ſtultorum vtique, quia ne ſtultitiam quidem ſuam agnoſcunt: temerariorum, ſi cùm eam cognitam habeant, tamen aggredi hoc non verentur.* Vtique prouerbium illud, *In lio diſcere figulinam*, aduerſus illos iactatur, qui maximas quaſque res præſtare audent antequam in minoribus, ac leuioribus ſe exercuerint. Figuli enim non ſtatim in dolio, ſed in exiguis vaſculis, aut ollis figlinam diſcunt, in quibus ſcilicet ſi opera ludatur, haud magna iactura. Plura attexit Nazian. lege ibi. Quia verò Cytharœdi ſupra meminimus, de C Cytharœdo ſic Gregorius. *Hæc autem idcirco paucis commemoramus, vt iſtud planum fiat ei, qui de tantis rebus dicturus eſt, præſertim apud multitudinem, quæ ex variis ætatibus animique affectionibus conflata eſt, ac muſici cuiuſdam inſtrumenti multis fidibus conſtantis in modum variis pulſibus opus habet, difficile eſſe eiuſmodi orationem inuenire, quæ omnes concinnare ac ſcientiæ lumine colluſtrare poſſit.* Vbi autem ad hunc modum docendi difficultatem extulit, paulò poſt illud quidem maximè ſtultitiæ eſſe dicit, quod cùm Cytharœdus non priùs cytharam publicè pulſare audeat, quàm longo tempore artem didicerit, ne pulſu fidium aures lædat audientium, tamen plures ſint, qui ad docendam multitudinem accedant D prius, quàm aliquid ipſi didicerint, non aures ſolum, ſed etiam animas ipſas violantes.

---

14. *Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam: ſpiritum verò ad iraſcendum facilem, quis poterit ſuſtinere?*

48. SPiritus viri, &c. Hebr. *Spiritus viri ſuffert infirmitatem eius, & ſpiritum contritum quis feret ſecum?* Caietan. *Spiritus viri feret ægritudinem ſuam.* Chald. extrema verba ſic extulit: *Et ſpiritum dimiſſum quis poterit ſuſtinere?* Septuaginta longè aliter verſum iſtum reddiderunt: *Furorem viri mitigat ſeruus prudens, puſillanimem autem virum quis ſuſtinebit?* Aquila, & Theod. *Spiritus viri reget infirmitatem eius, & ſpiritum percuſſum quis portabit eum?* E Hebraicè pro illis verbis, *ad iraſcendum facilem*, eſt נכאה *Nechaah*. Quam vocem quidem referunt ad radicem נכה *Nachah*. id eſt, percuſſit, contriuit, itavt vltimum ה paragogicum ſit: hi verò *percuſſum*, aut *contritum* ſpiritum reddunt. Reliqui erunt à radice כאה *Chaah*, quæ ſignificat dolere, & triſtari: itaque germanè conuertendum eſſe putant, & ſpiritum *triſtem*, & *afflictum*. Septuaginta ad ſenſum ſpectantes, *puſillanimem*, noſter item eorum veſtigia premẽs, *Ad iraſcendũ facilè* tranſtulit. Ad rẽ.

A Locus explicatu difficilis. Caietanus neſcio quam diuerſitatem excogitauit inter mala, quæ homo ſibi ipſi infert, & ea, quæ ab aliis illata ſunt, ſic enim ait, *Spiritus viri feret imbecillitatem ſuam:* nimirum homo quiuis damnum illud, quod ſibi ipſi attulit, æquo animo tolerat: *Spiritum percuſſum quis portabit illum?* id eſt, ab alio percuſſum. Quaſi dicat, impares quidem ſunt vires hominum ad toleranda mala, quæ alio percutiente, vel affligente contingunt. Sed quanta vi verba Salomonis ad hanc interpretationem vocentur, liquet ſatis. Rodolphus ergo putat à ſapiente diſcrimen tradi, quod inter morbos animi, & corporis, intercedit, hoc modo: *Spiritus viri feret imbecillitatem, vel ægritudinem ſuam.* Nimirum vir quilibet ad morbos, & valetudinem corporis æquanimiter ferendam ſatis virium habet: attamen ad morbum maximum, ſcilicet triſtitiam, & mœrorem tolerandam vires humanæ impares ſunt, hoc ſibi vult illud, *Et ſpiritum percuſſum vel triſtem quis feret?* Itaque docet triſtitiæ morbum omnibus aliis grauiorem eſſe, ſed tamen de hoc morbo iam inde ſupra non pauca diximus cap. 17. verſ. 22. neſcio an alibi, ſed tamen hæc expoſitio in Vulgatam lectionem non cadit. Caietanus.

Ianſenius ergo aliter de morbis animi, & corporis exponit. Præmittit enim ex Hebræo ſic vertendum eſſe. *Spiritus viri ſuſtentat infirmitatem eius, at ſpiritum contritum quis tolerabit?* id eſt, ſi animus ſanus ſit, nimirum lætus, & alacer, ſua quidem bona affectione hoc præſtat, vt corpus ægrum è grauiſſimis morbis facilè conualeſcat, & in dies melius habeat. At verò ſi animus ipſe æger ſit, & dolore, aut mœrore confectus, haut leuari, & curari facile poteſt. Itaque docet lætitiam animi ad corporis grauiſſimas ægritudines leuandas præſtare, ac triſtitiam ipſam tantum eſſe morbum, vt vix illi mederi liceat. Sed tamen hæc quoq; interpretatio à Vulgata longè abit, & quidem loci difficultas Vulgati textus cancellos egredi coëgit interpretes, itavt vix aliquis intra illos ſe cohibeat. Hæc etiam in ſpiritualem ſenſum impulit Hugonem, Bedam, Arboreum, Dionyſ. & alios, hoc modo: *Spiritu viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam.* Chriſtus Dominus ait, *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Quapropter ſæpius opus eſt, vt ſpiritus carnis imbecillitatem, & male firmum robur ſua fortitudine ſuſtentet, Spiritum verò ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere? *Quia qui ad iraſcendum facilis eſt* (inquit Beda) *nec ſe ipſum poteſt ſuſtinere, itavt vir iratus ſæpè dicat ea, quæ mox cum placidus eſt, quia dixerit pœniteat, plerumque etiam an dixerit ignoret.* 49. Ianſen.

Rodolphus ergo, in ſecunda expoſitione propius ad noſtram lectionem accedens extrema illa verba, *Et ſpiritum ad iraſcendum facilem*, &c. non accipit de homine, qui ſuæ ipſius iræ impatiens eſt, ſed alienæ. Vt ſenſus ſit. Leuius eſt grauiſſimam corporis ęgritudinem ferre, quàm cùm homine conuerſari, qui leui ex cauſa commouetur, & ſtomachatur, ſed tamen quis non videat languidam, & eneruem eſſe huiuſmodi interpretationem? Quapropter his dimiſſis, vnam, aut alteram expoſitionem ſubiiciam à Vulgata non abhorrentem. Primò ergo dici poſſet in poſteriori hemyſtichio, verba, iuxta morem ſcripturæ ſæpè aliàs à me obſeruatum, eſſe permutata figuratè ad hunc modum: *Et ſpiritum ad iraſcendum facilem ſuſtinere quis poterit?* id eſt, *& ſpiritus ad iraſcendum facilis quid poterit ſuſtinere:* nil ſcilicet. Vt ſenſus ſit: *Spiritus viri?* nimirum ſpiritus virilis, & magnanimus, *Suſtentat imbecillitatem ſuam*, quãlibet ærumnam, calamitatem, & dolorem incidentem animosè perfert: *At ſpiritus ad iraſcendum facilis*, 50. Rodolph.

cilis, i. pusillanimis, vt habent Septuag. (nã ferè pusillanimes stomachabũdi, & malorũ impatiẽtes sũt) pusillanimis, inquã, sustinere quid poterit? nimirum leuissimis malis cõsternatus ex impatiẽtia furit. Itaq; Salomon discrimẽ tradit, quod inter magni, & pusilli animi hominem versatur: ille, inquit, mala grauissima placidè perfert, hic autem leuissimis perturbationibus concutitur. Quid certius? Vrgeo eandem expositionem secundùm præmissam figuram ad hũc modũ, *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam.* Nimirum sit aliquis imbecillis, & viribus vsquequaq; infirmus, idẽ verò forti, ac virili animo præditus, hic sanè ad quæuis mala perferenda fortissimus erit, animi enim magnitudo præstat fortissimis, ac validissimis lacertis: *Et spiritus ad irascendum facilis*, &c. Nimirum sit alter pusillo animo, atq; viribus robustissimis, hic quidem nec leuissima quidem mala cõstanter tolerabit: nam robur, & lacerti, si absit animi magnitudo, nihil præstant: sed expendenda est vox originalis, quæ sic habet: *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam*, Hebraicè, *leuat*, vel *portat*. Metaphora est ducta ab oneribus leuandis, quæ sanè in hanc sẽtentiã aptissimè cadit. Quia, vt auctor est Aristot. in lib. de Resp. fortitudinis, & roboris ad onera baiulanda spiritus, & anhelitus mensura est. Nam quò quis per nares patulas vehementius, ac productius anhelat, eò robustior est ad onera baiulanda: item quò lentius, & remissius spiritum per nares ducit, eò infirmior, & oneribus ferendis debilior est. Ideo Salomon appositè ait: *Spiritus viri portat, &c*, nimirum vitalis, magnanimi viri spiritus portantis oneribus idoneus est. Accipe Senec. in Epist. 66. *Magnanimus est, qui omnia rerum diuersarũ onera rigida ceruice sustollit, qui supra fortunam exstat. Non mirum est in tranquillitate non concuti, illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur, ibi stare, vbi omnes iacẽt.* Et iterũ in Epist. 71. *Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit, nihil eorum, quæ ferenda sunt displicet, & quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur.* Alibi etiã idem Seneca dicit: Magnanimum virum cum Gigante illo cælestium axium portitore Atlante conferendum esse, vtpote cuius præcipuum robur in humeris situm est, scilicet ad mala portanda.

Aristot.

Seneca.

51. Posterior interpretatio, verba ipsa vt iacent in textu, absq; vlla figurati sermonis mutatione ad hunc modũ exponit: *Spiritus viri sustentat*, &c. Comparat vtiq; Salomon spiritũ cũ spiritu, nimirũ magnanimi, & patiẽtis viri spiritũ, cũ spiritu hominis pusillanimi & impatientis; illũ verò ad quãuis ęrũnã vel dolorẽ tolerãdũ virtutẽ præstare dicit, hũc verò, & sibi ipsi, & aliis intolerabilem esse. Itaq; antithesis vtriusque partis in eo sita est, vt aliter spiritus ad mala perferenda vires suppeditare dicatur, alter verò importabilis sit. Quod si cum pluribus ita legas, *Spiritus viri sustẽtat imbecillitatem illius*: nã Hebraicè est, מחלהו *Machalehu*, poterit quidẽ illud affixũ ad aliũ referri, ita vt *illius* sit pro *alterius*, hoc sensu: *Spiritus viri*, vir scilicet mitis, & placidus, cuiuslibet alterius imbecillitatem confirmat, scilicet vsu, alloquio, & exemplo suo. At *spiritus ad irascendum facilis*, nimirum vir impatiens, & stomachabundus, à robustissimis, ac fortissimis viris vix tolerari potest: itaque id discriminis inter vtrumque versari affimat, quod placidus, ac mitis vir aliis etiam infirmis perferendorum laborum auctor est. Vir autem iracundus, vix à fortissimis, ac mitissimis hominibus perferri ipse potest.

52. De lectione Septuag. aliud iudicium ferendũ est. Hi. n. nõ verba, sed sensũ obseruãtes sic reddiderũt: *Furorẽ viri mitigat seruus prudens, pusillanimẽ autẽ virũ quis sustinebit?* Existimo autẽ illos sapientissimos in-

A terpretes, qui vocẽ illã *Spiritus*, pro furore & ira acceperunt, vt sępè aliàs in scriptura, eandẽ subiectum fecisse verbi, כלכל *Chalcalo*, quod est porto, aut sustineo: itaq; ad verbũ sic locũ restituendũ putarunt, *Spiritũ viri sustinet infirmitas eius*: ad sensũ verò dimissis verbis spectãtes infirmitatis nomine seruum notari existimarũt: nihil. n. ad Dominum coërcendũ inualidius, & imbecillius est quàm seruus: sententia igitur sic conformanda est, *Furorem viri mitigat seruus prudens*. Vtiq; viri nomine significatur is, qui forti, ac virili animo præditus est: ait ergo, facilè admodũ est viri fortis iram extinguere, adeo, vt vel seruus aliquis prudens illũ mitigare, & mansuetudini reddere possit: quippè qui ob animi sui magnitudinẽ iniuriarũ facile obliuiscitur, & minimè ad vindictam

B pronus est, auctor est Arist. in libel. de virtutibus vbi sic ait: *Magnanimus generosus est, iniuria potens lacessere, & non vindex.* Et iterũ: *Magnanimus cùm generoso sit animo, ferre iniuriã absque vindictæ studio potest. Pusillanimẽ autẽ virũ, quis sustinebit?* hoc est furorẽ illius nemo satis compescere poterit. Nã pusilli animi homines valde iracũdi sũt, iniuriarũ etiã leuissimarũ impatiẽtes, proni ad vltionẽ; vbi autem semel furore cõcepto sæuire cœperũt, nullis etiã maiorũ suorum adhortationibus, aut blanditiis leniri possunt. Arist. in eod. lib. *Pusillanimitatis est*, inquit, *nõ honorẽ, nec ignominiã, nec infortunia posse ferre, sed honoratũ intumescere, & leui successu prosperè auctũ efferri, ignominiam,*

C *aut ne minimã posse ferrę: conqueri de omnibus, & ægro animo ferre. Præterea talis est pusillanimis, vt omnes cõtemptus contumeliã vocet, & ignominiã, etiã per imprudentiã, & obliuionẽ admissos.* Itaq; Salomonis mẽs est, inter magni, & parui animi virum id discriminis statuere, quod hic actus in iracundiam contineri non potest, ille verò etiamsi aliquando subita ira corripiatur, facili admodũ negocio in mansuetudinẽ cõuertitur. Hinc autẽ, ni fallor, germana Vulgati textus interpretatio elicitur ad hunc modum: *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam*, i. Fortis, & magni animi vir nemine indiget, qui ipsum ad perferenda quæuis mala confirmet, ac roboret; ipse. n. sibimetipsi vires aduocat, & robur facit, ne ex imbecillitate

D cadat. At verò, *virũ ad irascendũ facilẽ sustinere quis poterit? sustinere*, inquam, i. sustentare, & confirmare. Quasi dicat, virum pusilli animi nemo fortem ac cõstantem reddere valet, nullis rationum vel exhortationum adminiculis fulcire potest, ne malis, aut molestiis etiam leuissimis oppressus corruat: itaque illud *sustinere*, non est *tolerare*, sed additis adminiculis, aut fulcris stabilire, ac sustentare, ita enim postulat vis verbi originalis, vt suprà diximus.

Aristot.

---

15. *Cor prudentis possidebit scientiam, & auris sapientum quæret doctrinam.*

E COr prudentis, &c. Hebr. *Cor intelligens acquiret scientiam.* Alij: *Emet scientiã.* Est enim hîc verbum קנה, *Kanah*: de quo alibi diximus. Chald. non dissonat. Septuag. *Cor prudentis possidet sensum, & aures sapientum quærent cogitationem.* Græcè, ἔννοιαν, id est, excogitatam rationem. 53.

Sensus est luculentus. Indicat Salomon quibus mediis, seu adminiculis sapientia parari debeat, scilicet meditatione sedula, & auditione accurata. Et sane accõmodatissimè auribus inquisitionẽ, & vestigationẽ, & cordi seu mẽti, doctrinę possessionem dedit. Nam mens meditatione, & germano intellectu doctrinæ eam quodammodo per possessionem occupat, & suam facit, aures verò tantummodo eam apud alios existentem, & vestigant, & inueniunt.

Qua

Qua ratione differant inter se habere scientiam, & eandem possidere, alibi diximus ex Platone. Item quid sit emere sapientiam, quid negotiari, docuimus suprà cap. 3. vers. 14. & cap. 3. vers. 5. & aliàs.

Addo etiam his verbis, Salomonem suadere, vt quisquis in sapientia progressus magnos facere studet, præter propriam meditationem, & studium, præceptores etiam adhibeat: vide quæ suprà diximus ad illa verba, *Audiens sapiens sapientior erit*, cap. 1. adi etiam Plutarchum in libello de officio auditoris, vbi hac de re accuratè, & latissimè disceptat.

---

16. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium illi facit.*

17. *Iustus prior accusator est sui: veniat amicus, & inuestigabit eum.*

54. Hos duos versus ideò copulare libuit, quia plerique vtriusque sententiam consuunt: expendo vtriusque varias translationes: *Donum hominis dilatat*, &c. Hebr. *Donum hominis dilatare faciet ei, & ante principes ducet eum.* Chald. *Donum filij hominis dilatat eum, & ante principes sustentat illum.* Septuag. *Donum filij hominis dilatat eum, & ante principes sedere facit eum.* Verbū Hebraïcum est, נחה. *Nachah:* significat autem propriè ducere, & de pastoribus germanè dici tradit Merce: cùm oues ad pascua ducant. Item aliqui referunt ad verbum, נוח. *Nuach*, quod est quiescere, quibus fauet lectio Septuaginta, quæ sic habet: *Sedere, aut quiescere facit eum.* Item pro dono est vox מתן, *Mathan*, ex quo fit perperā quosdam legisse, *domus hominis*, &c. Cui lectioni locum fecit manifestum mendum, quod in quibusdam Græcis codicibus reperitur, in quibus est δῶμα pro δόμα.

55. Hezra. *Iustus prior accusator est sui.* Hebr. *Iustus primus in lite sua, & veniet socius eius, & inuestigabit eum:* ex antiquis codicibus aliqui habent: *Et venit inimicus eius.* Sed tamen vox Hebraica, *proximum*, & *amicum* sonat. Chald. *Iustus primus in iudicio suo, & vincit eum.* Septuaginta: *Iustus sui ipsius est accusator in principio sermonis, cùm verò adiecerit aduersarius arguitur.*

Ex Hebræis Hezra, hæc duo loca inter se ad hunc modum componit. Donum, seu munus, quod quis principibus impendit, tāti apud illos est, vt inter cōfertissimos satellitum cuneos, quos principes ad suā custodiam adhibere solent, amplū satis, & securum ad ipsos principes iter præbeat, & ad palatinarū ędiū penates aditum præstet. Et sanè Emphasim habet illa lectio, quam pleriq; amplectuntur. *Et ante principes ducet eum.* Significat enim munus præire oportere, si enim præmittatur, per densissimas satellitū turmas irrumpens ad vsque principis faciem, & cōspectum, donantem adducit. Cum hac sententia sequentia verba sic nectit Hezra: *Iustus primus in lite sua, veniet proximus eius, & scrutabitur eum.* Nimirum etiam si aliquis iustè, & ex iure suam tueatur causam, si tamen hic, qui donis, aut muneribus principis gratiam, iniuit cum illo contendat, facilè illum superabit, nā illud *Scrutabitur eum*, positum est pro, *vincit eum*, vt constat ex Thargum, quasi dicat, perscrutando, & vestigando aliquid obiiciet, quo iudicem muneribus sibi iam deuictū, ac pronum in suā sententiā trahat. Hæc ille: sed tamen cum à Vulgata lectione omninò abhorreant, audiendus non est.

56. Ergo existimo vtriusque versus nullum esse nexum, atq; adeò de singulis seorsum dicam. Prior est: *Donum hominis dilatat viam eius.* Hugo, Caiet. Ro-
A dolph. Iansen, Lyra, & alij quod attinet ad hunc versum, interpretationē Aben-Hezræ amplexi sunt, sed tamen hoc leue dissidium inter ipsos existit, quod Lyra accipit de donis, quæ custodibus, ac ianitoribus Principum impenduntur hoc sensu: *Donum hominis*, &c. i. qui custodes, ac ianitores Principum oblatis muneribus promerentur, latā, & facilem ad illos adeundos viam sibi aperiunt, & *ante principes spatium illi facit*, nomen illud *spatium*, potest quidem accipi de spatio temporis, & de spatio loci, vt sēsus sit, inter plurimos, ac densissimos negotiatores spaciosus illi ad Principem conueniendum locus præbetur, vel satis longum temporis spatium ad Principem alloquendum illi præstatur. Reliqui interpretes præfati
B de donis, ac muneribus accipiunt, quibus ipsimet principes honestantur, & eorum gratia conciliatur. Itaq; de his ait Salomon: *Donum hominis dilatat viā eius.* Nimirum munus in Principes collocatum viā quidem ad ipsos adeundos patulam, & apertā præbet, vt nuper dixi. Vel aliter accipi potest, de licentia viuendi, hoc modo. Munus Principi ab aliquo oblatum, *dilatat viam eius*. i. libertate maxima, & licentia flagitiosè viuendi illum donat; nam promeriti Principis fauore fretus, & spe immunitatis quodlibet facinus audacter cōmittit. Huic expositioni fauet translatio Septuag. & Thargum, quæ sic habet: *Donum hominis dilatat eum*. i. ipsum ad animosā quādam liberamq; licentiā adducit, sic. n. vulgò dicimus.
C *Latitudy anchura de cōsciencia*, & his similia. Attexit, *Et ante principes spatium illi facit*. i. locus illi fit, vel copia Principem conueniendi. Vel iuxta alteram interpretationem, in scriptura quidem *esse*, aut, *versari ante*, vel, *coram*, vel, *in conspectu* Principis, est illi obsequi, & obseruire, vt alibi animaduertimus. Itaque sensus erit, inter Principum ministros locum habebit. Chaldæus, *Et ante Principes sustentat illum*. i. conseruat & tuetur, ne ab illorum gratia, & fauore excidat.

Cæterùm, licet hæc satis aptè dicta, & excogitata 57.
videantur, tamen nōn omninò illis assentior, quia nullā sententiam ad mores informandos accommodatam tradunt, nisi per quosdam anfractus. Neque
D enim Salomonis mens est munerum vel acceptionē, vel donationem suadere. Absit. Si quid verò aliud comminiscamur, longum, & vt ita dicam, serum est, velut si quis dicat suaderi Principibus neu munera accipiant, quia his corrupti subditis impunitatē dare & flagitiosis ministris vti cogentur. Vel adhortationem hanc ad subditos spectare, vt scilicet vexationē redimentes suam difficilem ad Principes aditū muneribus sibi reserent. Hæc inquam, non ita in locum ipsum nata videntur. Quapropter subiicio aliam expositionem, quæ mihi accommodata magis visa est: *Donum hominis dilatat viam eius*. Existimo equidem Salomonem homines ad liberalitatem, & beneficētiam in vniuersum cohortari, quasi dicat, liberales,
E & profusæ largitiones hominem mirum in modum amplificant, & nobilitant: sic accipio illa verba, *Dilatat viam eius*. Septuag. *Dilatat eum*. Verbum Hebraïcum est, רחב *Rachab*, quod est dilatare, & in amplitudinem adducere. *Amplum* autē, vel *amplitudo*, sæpius ad honorem, & gloriam referuntur. Vel aliter: *Dilatat eum*, Vulgò illiberales, & sordidi auari appellari solent, *cortosy*, *Estrechos*, & parcitas, *Estrechura, y cortedad*. Quapropter sic accipere licet: *Donum hominis dilatat eum*, nimirum liberalitas, & beneficentia cordi latitudinem. Addit, vel ipsa est latitudo, & amplitudo cordis addit, *Et ante principes sedere facit eum*: nimirum adeò honesta, atq; gloriosa est liberalitas, vt virum impensè liberalē, & magnificum, dignum omninò esse censeam, qui inter Principes

cipes sedeat. Hunc sensum reddit lectio Vulgata: *Et ante principes spatium illi facit*. i. locum illi inter Principes præstat. Nam liberalitas & magnificentia, Regia, seu Imperatoria virtus est, vt alibi ex Arist. docuimus. Quapropter eam qui colit, planè in Regũ, atq; Principum censum referendus est. Itaque Salomon liberalitatis, & beneficentiæ laudes commemorat, atque virum beneficum tanta gloria, & amplitudine præditum esse docet, vt inter Principes meritò sedem, ac solium obtinere possit, quia Principe dignam virtutem exercet.

58. Beda. Salonius. Ad extremum subiicio accommodatitiam interpretationem Bedæ, & Salonij in mystica expositione Parab. *Quod*, inquit, *est donum, quod dilatat viam hominis, & quod ante Principes facit illi spatium? donum hoc, donum est Charitatis, siue aliarum virtutum, quas à Domino fideles accipiunt. Hoc videlicet donum dilatat vias eius, id est actionem, quia vnusquisque fidelis, quanto magis gratia S. Spiritus intus repletur, tanto magis viam suam foris dilatat. i. bonorum operum gressum multiplicat*, &c. His etiam hæret Hugo Cardin. qui etiam cum Beda de Christo Domino interpretatur.

59. *Iustus prior accusator est sui*. Sic habet versus alter, quem cum superiori minimè nectendum esse iam inde diximus. Imprimis locum istum per accommodationem de Sacramenti confessione exponunt D. Chrysost. hom. 4. in Genes. Petrus Cellensis in libel. de panib. cap. 3. Hugo Card. Dionys. & alij, ex quibus Chrys. sic scribit: *Dic tu iniquitates tuas prior, non simpliciter dicit, dic tu iniquitates tuas, sed adiecit, prior; hoc est, ne expectes te arguentem, ne prastoleris actorem, ipse praueni, & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias. In humanis quidem iudicijs si quis hoc faceret, & ante accusationem crimina cõfiteretur, quãtũs apud humanissimũ iudicem, is sententiã capitalẽ omnino in suũ caput accerseret: at misericordis Dei maior est ineffabilis bonitas, & clementia. Nã si aduersariũ nostrũ praueniremus, diabolũ dico, qui in die illa ob faciẽ nostrã stabit, etiã in præsẽti vita, antequã ad tribunal ingrediamur, facinora confessi fuerimus, dicendiq; principiũ rapuerimus, nostri ipsorũ facti accusatores, in tãtã misericordiã prouocabimus dominũ, vt non solũ nobis donet liberari à peccatis, sed etiam in iustorũ catalogo numerari*. Hæc ille. Præmiserat autem Chrysost. hæc verba Salom. secundùm lectionem Septuag. ad hunc modum: *Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis*. i. sermonis exordium captat, præripitq; aduersario suo vocem, sui accusationem præmittens. Huc sanè spectat id, quod tradit Ambr. lib. 6. Hexamer. cap. 4. *Lupus, inquit, si prior hominem viderit, vocem illi eripit, & despicit eum tãquam victor vocis ablatæ: idẽ si se ab homine præuisum senserit, deponit ferociam, & currere non potest. Tu nescis quomodo eripias virtutem aduersario, vt te tãquã præuentus lupus effugere non possit, vt oculo tua mentis eius perfidiam deprehendas, vt prior cursum verborũ eius impedias, impudentiam eius, & acumen disputationis obtundas, quod si ille te præuenerit, vocem tibi aufert*. Hæc Ambr. ad Hæreticos refert, cum quibus Catholici Doctores disceptant. Quæ itidem diabolo aduersario nostro accõmodare licet, nam quicumque illius astum præuidẽs illum anteuerterit, & peccata sua priùs exposuerit, guttur illius strangulat, & vocem illi aufert: quod si ab eodẽ se præuerti passus fuerit, simili ratione obmutescit, hoc sibi voluit Chrysost. suprà cùm ait, *Ipse praueni, & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias*. Hanc autem anticipationem aut præuentionem confessionis prospicientia facit, per quam mentis oculo diabolum sibi insidiantem homo præuidet, ac præoccupat.

Petr. Cell. Hugo. Dionys. Chrysost. — Ambros. — Chrysost.

A In hunc locum iterum incidit Chrysost. Homil. 9. in Epistol. ad Hebræos, vbi sic scribit: *Iustus est sui accusator in primo sermone, est enim veluti quadam catena aurea, & si initium acceperis, sequuntur omnia, nam si peccatum fueris confessus, vt oportet confiteri, fit humilis anima*, &c. Quibus verbis docet Chrysostomus, virtutes esse nexas, & concatenatas: huius autem catenæ aureæ primum annulum esse confessionem humilem delictorum, quem qui eleuat, reliquos huius catenæ annulos ad se trahit, hoc est reliquas virtutes in animum inducit suum. Obserua confessionum magnam dissimilitudinem, qui flagitia sua apud Iudicem humanum deponit, is vtique ferreos compedes & obæratas catenas sustinere co-B gitur, qui autem peccata sua quamlibet ingentia, & immania, Deo apud sacerdotem aperit, auream omnium virtutum catenam collo implicat suo. Vel certè alia est mens Chrysostom. qui sanè hæc inter se nectere videtur, confessionem, dolorem, & contritionem animi, satisfactionem, & vindictam: ac docet huius catenæ qui primum annulum arripuerit, reliquos facilè leuare: ostendens præcipuam pœnitentiæ difficultatem in confessione delictorum sitam esse. Nam qui iam inde peccata sua sacerdoti integrè, & candidè aperire ex animo decreuit, reliquas difficultates facilè superat, quapropter, id est, quod primò apud semetipsum decernere debet: atque id sibi vult Salomon, cùm ait, *Iustus prior est ac-* C *cusator sui*. Denique aliam catenam statim conformat Chrysostomus ex peccatorum serie, quæ non in vniuersum confusè confitenda, sed sigillatim per suas species, & numeros supputanda esse docet. Sic enim habet, *Sin autem dicit in vniuersum, ego sum peccator, ea autem per species suas non cogitat, & supputat, dicens, hoc, vel illud peccatum admisi, numquam cessauit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis, quapropter confiteri singula incipiat; nam si cœperit omninò sequuntur alia, si in vno cœperit initium, semper enim principium, & exordia sunt difficilia*. Itaque docet Chrysostomus peccata inter se esse connexa, & catenæ in modum compacta: hæc autem catena quamdiu animam adstringit, D ferrea est, iuxta illud, *Et vinculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur*. Vt verò ad confessionis difficultatem peruincendam acuat, sic addit, eum qui peccata aperit sua, vel si ab vno incipiat, facilè reliqua post illud mouere, quemadmodum qui catenæ primum annulum capit, alios post alios ad se trahit: quod quidem tunc maximè verum esse docet, cùm quis suorum delictorum maximum aperit primo loco, hic enim meritò primus catenæ annulus appellari debet, cum quo reliqua conserta sunt, atque hoc manifestato reliqua facilè efferuntur. Sed quid inde? ea sanè peccatorum catena, quæ priùs ferrea, ne dicam calybea erat, per integram, & candidam confessionem, quasi per artem quandam E Chymicam in auream migrat. Ita enim Chrysostomus suprà: *Est enim veluti quadam catena aurea, & si initium acceperis, sequuntur omnia*, & quæ priùs oneri erat, & compeditum, obligatumque tenebat, exinde ornamento est. 60.

Quod si litteralem, & germanum huius loci sensum perscrutemur, nõ vnus occurrit apud Interpretes. D. Cyrill. in Ioan. lib. 2. cap. 147. hunc ad sensum vocat, & vt Salom. suadeat laudẽ in ore proprio nõ vilescere solùm, sed etiã permolestã esse. Quapropter tantum abstinet iustus, neu se inaniter venditet, vt sæpius orationẽ à sui ipsius accusatione, & vituperio auspicari soleat: *Molestum enim* (inquit Cyrill.) *auditoribus est propria voce suarum rerum maximarum velle testimonium perhibere, nati enim ita natura sumus*, 61. Cyrillus.

fumus, vt minus ei credamus, qui præcipuum fibi decus A *attribuunt*. Imò etiam eos, qui femetipfos ad eũ modum iactant acutiùs infpicimus, & quæ vituperio digna funt adnotamus, ficut etiam ex aduerfo illos, qui ex demiffione animi femetipfos incufant, nos excufare, eorumque vitia eleuare, virtutes quoque obferuare, & augere confueuimus. Hunc ad fenfum referri poffunt verba fequentia, *Veniet amicus, & inueftigabit eum*, nimirum in illo pleraque laude digna obferuatione fua inueniet.

62. *Ambrof.* D. Ambrof. Offic. lib. 1. c. 17. fic habet, *Iuftus feipsũ prius quàm alios accufat, ille enim iuftus, qui nec fibi parcit, & occulta fua latere non patitur.* Itaque verba Salomonis hoc fenfu donauit, *Iuftus prior accufator eft fui.* Nimirum libétiùs femetipfum incufat, & cul- B pam fibi imponit, quã aliis, eft enim præcipua iuftitię pars, fibi ipfi, cùm ita opus eft, nequaquam parcere, ne alteri inferatur iniuria. Vt autem pofterior pars cum hac priori cohæreat, fic accipienda eft: *Veniet amicus, & inueftigabit eũ.* Hic fcilicet, qui femetipsũ accufat, & alterum excufat, illum fibi cõciliat, & beneuolum reddit, atque is ad ipfum ocyus venit, & diligentius inueftigat, vt gratias illius exfoluat. Vel aliter, *inueftigabit eum*. i. in ipfo viciffim rationes difquiret, quibus fe accufantem excufet, ac purget.

Beda. Beda aliter interpretatur: *Iuftus prior accufator eft fui.* Nimirũ iuftus prius quàm alium aliquem admonere, aut corripere audeat, in femetipfum oculos flectit, fua delicta deprehendit, & carpit, ac fic demum C eorumdem, aut fimilium criminum fibi cõfcius, benigniffimè, ac leniffimè alios corripit, & incufat. Quid inde? *Veniet amicus, & inueftigabit eũ.* i. Ad eiufmodi hominẽ benignè, & manfuetè increpantem, & confulentẽ, quilibet amicus libentius accedet, atque illũ officij, ac muneris fui admonentem cupidiffimè audiet. Et fanè nihil eft, quod benignitatem, & lenitatem erga alios magis fuadeat, quàm ifthæc propriorum delictorum confcientia. Eos autem qui leniùs, & benigniùs admonent, nemo non gratiffimè aufcultat.

Cæterùm recentiores interpretes vim vocũ originalium diligẽtiùs obferuãtes in alias expofitiones abierunt. Caietanus ergo fic exponit, *Iuftus primus in lite fua* (fic ipfe vertit.) Nimirum quotiefcũque iufto D imponitur lis aliqua, vel crimen, primus eft ad loquendũ, *primus*, inquam, id eft maiori audacia, & liberalitate loquitur, quàm accufator, aut teftis: animus. n. culpa vacans confidentiam, & licentiam loquendi immittit, *Veniet amicus eius, & inueftigabit eum*, nimirum accedet iudex rectus, & incorruptus, qui non agitur odio, fed iure, & æquitate caufam eius difcutiet, & vel ex ipfo loquendi modo innocentem effe deprehendet.

64. *Rodolph.* Rodolphus paulò aliter exponit: *Iuftus primus in lite fua*. i. ille, qui ex iuftitia, & æquitate, ad litigandũ accedit, præmittit vtique fe nihil velle, nifi quod cũ iuftitia, & æquitate coniunctum eft, & nihil infuper E addit, vel loquitur in iudicio præter id, quod ad caufæ, vel litis defenfionẽ pertinet. Ex aduerfo autẽ: *Veniet focius eius, & fcrutabitur eũ*, fcilicet accedet, qui contrariam partem omninò iniuftam tuetur, hic verò cùm iuftitiæ fuæ parum fidat, & caufæ fuæ nihil deferat, totus ad accufandum, imò etiam lacerandũ aduerfariũ cõuertitur; Iuxta id, quod vulgo dicitur. *El que tiene mal pleyto mete baraja.* Aliter etiam interpretari poffe affirmat ad hunc modum: *Iuftus primus in lite fua*. i. quilibet in fua caufa iuftum effe initio affeuerat, atque iuftam litem fe tueri affirmat: fed tamen haud credendũ eft illi, donec aduerfarius accedat, qui ipfum exploret, & contrariis teftimoniis reuincat, id fibi vult illud, *Veniet focius eius, & fcruta-*

A *bitur eũ*, & fanè cum hac expofitione cohæret trãflatio Chaldaica, quæ fic habet, *Iuftus primus in iudicio fuo, & veniet focius eius, & vincit eũ.* Itaque Salomõ docet non priùs fententiam pro quopiam ferẽdam, nec caufam alicui adiudicandam effe, quàm partis aduerfæ probationes exaudiantur, fæpè enim id, quod vno ex litigatoribus audito iuftiffimum, & æquiffimum creditur, altero adhibito, iniuftum planè, atque iniquum effe decernitur.

Iansenius duas præfatas Rodolphi expofitiones amplexus eft, & infuper alteram fubnectit ad hunc modum. *Iuftus primus in lite fua*. i. primus loquitur, confidenter fretus fuæ caufæ æquitate, & momentis. Addo etiam, fecurus expectat aduerfarium, & ab B illo fe fcrutari, & explorari libenter fuftinet, haud veritus illius teftimonia, & probationes: fed tamen cùm omnes iftæ recentiorum interpretationes magna ex parte à Vulgata translatione abeant, fanè illis parum deferendum effe credo. Quapropter aut præmiffæ Patrum expofitiones præferendæ funt, aut locus aliter hunc ad modum elucidandus. 65. *Iansen.*

Iuftus prior accufator eft fui. Sermo eft de litibus, & caufis forenfibus, id eft, ille fanè iuftus eft, qui ab initio intentæ fibi litis, non ea folum, quæ ipfe pro fe afferre poteft, fed etiam illa, quæ contra ipfum produci poffunt enunciat in iudicio. Si enim aliquid celauerit, *Veniet focius eius, & inueftigabit, & fcrutabitur eum*, nimirum aderit ftatim is, quicum litigat, & C diligenti perfcrutatione rem excutiet, & teftimonia aduerfus illũ proferet. Itaq; Salomõ fuadet, vt in lite defendenda fic fe gerat homo, vt non folùm, quæ pro ipfo funt, fed etiam quæ contra ipfum manifeftè enuntiet. Fruftra enim quis celat ea, quæ aduerfarius ftatim producturus eft. Ad hunc fenfum reuocari debet tranflatio Septuaginta, fed peculiari Emphafi, fic. n. habet: *Iuftus accufator eft fui in principio fermonis, cùm verò adiecerit aduerfarius arguitur.* Quæ verba duplici sẽfu donari poffunt; aut enim aiunt, Iuftus ab exordio fermonis fic femetipfum planè, & integrè accufat producens omnia, quæ in illum iactari poffunt, vt nihil vlterius addi poffit, ne fi aduerfarius aliquid vltra adiiciat, falfitatis infimu- D lari poffit. Vel aliter, Iuftus ab exordio fuæ orationis fic femetipfum integrè accufat, vt fi aduerfarius deinde vrgeat, & aliquid vlterius adiiciat, falfitatis mendaciique coargui, & reuinci facile pofsit. Pofteriorem hanc interpretationem antepono. Ad alia. *Septuag.*

---

18. *Contradictiones comprimit fors: & inter potentes quoque diiudicat.*

Contradictiones, &c. Hebr. *Contentiones ceffare facit fors, & inter fortes diuidet.* Chald. *Contradictiones abrogat fors, & inter fortes dirimit.* Septuag. verò longè aliter: *Contradictiones fedat taciturnus, & in potentatibus definit.* Græcè σιγηρὸς, in aliis autem E codicibus eft κλῆρος, i. fors. Priorem lectionem aliqui mendofam effe decernunt, fed tamen eam retinet textus correctior, & quantum coniectura affequi poffum vocem הגורל *Hagoral*. Septuag. legerunt. הגורל *Hagural*. & defumptam putarunt à verbo. רגל *Ragal*: per literarum metathefim, quod verbum in Kal fignificat obloqui, & contradicere. In Piel verò, more aliorum, oppofitam fignificationem reddit. i. tacere, & non contradicere: eft autem in Paul. illius coniugationis. Hæc dixerim quamuis fciam Origen. hom. 23. in Iofue locum iftum fic extuliffe: *Contradictiones fors, & inter potentes definit*, vt conftet non omninò abeffe fufpicionem mendi. 66. *Origen.*

Senfus eft perfpicuus: *Contradictiones comprimit fors*, &c. Docet Salomon modũ, quo lites nonnum-

E quam

quam absoluere, ac dirimere oportet; ne dissidiorum, & contentionum perpetuas causas offerant; scilicet subductis sortibus. Quasi dicat, quoties res, de qua disceptatur, in dubio est, nec de iure alterius partis liquidò constat, prudenter valde ad sortes deducitur, vt lites, & contentiones conquiescant. Hæc autem sortium subductio maximè inter potétes adhibenda est, hi enim difficiliùs in concordiam adducũtur, & fere lõgiùs, ac periculosiùs decertãt. Propterea subdit, *Et inter potentes quoque diiudicat*. i. ea est sortium vis, vt potentissimorum hominum implacabiles contentiones absoluat. Itaque Salomon intercidendarum contentionum, ac litium optimam perbreuemque rationem esse dicit, sortitioné. Quomodo autem, & quando sortibus vti liceat, iam inde supra docuimus, cap. 16. vers. 33. Addo etiam in scriptura nomine sortis, vel sortitionis, significari partitionem, aut diuisionem rei: hæc acceptio passim occurrit in scriptura apud Iosue, & alibi. Quapropter haud ineptè quis hunc locum sic exponere posset. *Contradictiones comprimit sors*, i. optimus modus sedandi contentiones, quæ de fortunis, & facultatibus oboriuntur, est sortitio, diuisio nimirum, & partitio rei, super qua concertatio inita est.

67. Sept. Præterea lectio Septuaginta optimũ sensum reddit: *Contradictiones comprimit taciturnus*. i. qui tacet, qui non obloquitur, & contradicit, lites intercipit, & contentiones maximas sedat, nec modo subortas iam contentiones intermittit, sed etiam illas emergere non finit. Hanc enim vim habet verbum illud, *comprimit*. i. ab initio premit. Quasi dicat, ferè verba, & obloquutiones, cõtentiones, ac lites excitant; quapropter vir taciturnus præcipuam contentionũ occasioné de medio tollit. Addit prçterea hunc quietũ, lené & verborũ parcũ virum, non modo ipsum à cõtentionibus liberum esse, sed etiam ad sedandas, & componendas aliorum lites idoneum, *Et in potentatibus definit*: quod quidem ita intelligo, eum qui tacet, & verba opprimit, qui scilicet ea, quæ ab vno accepit, alteri non defert, & vicissim quæ ab altero audiuit alij non exponit, (vt solent susurrones pacis, & concordiæ exturbatores, & osores) hic sanè potentissimorum hominum implacabiles contentiones, & lites definire aptus est. Possunt etiam verba isthæc de iudice ipso exponi; ita vt significent eum ad cõsopiendas, & dirimendas contentiones, & lites optimum esse, qui tacet. i. qui tacitus audit vtramque partem, sed tamen priorem sensum antepono.

---

19. *Frater, qui adiuuatur à fratre: quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium.*

68. FRater, qui adiuuatur, &c. Hebr. *Frater rebellatus pra ciuitate forti, & cõtentiones sicut vectes palatij*. Alij legũt: *Frater durior ciuitate robusta, & inimici manifesti tamquam vectes palatij*. Chald. *Frater, qui deficit à fratre, quasi ciuitas fortis & clausa quasi repagulo forti*. Noster interpres insistit vestigiis Septuag. interpretũ, qui sic ad verbum habent: *Frater à fratre adiutus, quasi vrbs munita, & excelsa, inualescit autem tamquam fundatum regnum*. D. Cyprian. in Epist. 14. *Frater fratrem adiuuãs exaltabitur*. D. Paulin. in epist. ad Pãmachium. *Frater fratrem adiuuans exaltabitur sicut ciuitas magna*. Et attexit: *Videlicet hoc dicit quod munimentum animi dimicanti fraterna compassio ferat, variisque mentis afflicta pulsibus quasi murus obsistat*. Et quidem pro illis verbis, *tamquam fundatum regnum*, Græcè habetur, μεμοχλωμένον. i. *tamquã clausum vecte regnum*. Aquila. *Et lis quasi vectis palatij*. Has dissimiles Interpretationes concordiæ reddere

Cyprian. Paulin.

A difficile est, sed tamé existimo Septuag. quos sequutus est noster interpres, vt inter duas huius versus partes, more suo, antithesim inducerent, priorem quidem sic accepisse, vt fratrem durum, aut rebellem eum dici existimarent, qui pro fratre suo aduersus alios durus, & pugnax est.

Ergo, qui originibus adhærent, hunc locum superiori sic adnectunt, vt Salomon inter omnes lites, & contentiones, de quibus hactenus egerat, eas implacabiles magis esse decerniat, quæ inter fratres, & cognatos excitari solent: nescio. n. qua ratione vbi sanguis à sanguine desciscit, rursus coire, & permisceri non potest. Huc transtulit Petrarcha similitudinem Flori, atque Spini. his. n. nominibus censentur auiculæ duæ valde inter se dissidentes, quarum dissidia ad sanguiné etiam transeunt, ita vt vtriusq; cruores nulla arte permisceri possint. Sed omninò hinc, & inde separati, & discreti semper maneant. Ad eundé modum, inquit, duorum fratrũ idé sanguis vbi desidere ac desciscere inuicem cœpit, nulla vi agglutinari potest. Hinc notum illud Arist. lib. 7. Polit. c. 7. *In Prouerbio dicitur, fratrũ cõtentiones & ira sũt acerbissimæ, & qui se nimium amãt, se nimiũ óderũt*. Itaq; Salomon ait. *Frater rebellis pra ciuitate forti*. i. frater, qui aduersus fratré odiũ concepit, ad instar est ciuitatis fortissimæ. Possumus auté. *Ciuitaté firmissimã*, duplici modo capere. Vel ita vt ciuitas firmissima dicatur vrbs mœnibus, ac propugnaculis vndiq; septa. Hoc sensu difficilius est fratrem rebellem, & prædurum expugnare & ad beneuolentiam adducere, quàm vrbem aliquam munitissimam ingredi, quia vrbis mœnia tormenta vi prærumpunt, at fratris istius durissimus, & sæuissimus animus, omnes artes, atque vim omnem eludit: gratiam enim despicit, atque omnis ad eius animum labefactandum beneficiorum vis impar est. Atqui beneficia cum tormentis militaribus cõtulit Seneca in lib. 2. de beneficio, quibus cõstantissimi animi verberati ruere solent. Aliter etiam ciuitas fortissima accipi potest pro ipsismet ciuibus obfirmatis, ac constantibus, qui nec vi, nec minis, aut etiã pollicitationibus adduci possunt, vt hosti sese dedant, aut pacé quibusuis conditionibus ineant; ita vt sensus sit: Arduum magis est prædurum fratré & repugnantem concordiæ & paci restituere, quàm plures vnius vrbis ciues ad deditionem adducere. Obserua quàm apta comparatione difficultaté istam extulerit Salomon. Quid. n. difficilius, quàm obfirmatos, & pertinaces ciues, ad deditionem impelleret tum quia multos in vnam sententiam adducere arduum est; tum etiam, quia hostibus semetipsos, patriam, & fortunas suas permittere ac prodere, res est ad suadendum valde difficilis. Nec minorem, inquit Salomon, difficultatem experitur quisquis fratrem à fratre discordem paci reddere conatur. Vnus. n. pro multis est, qui non aliter fratri semetipsum permittere detrectet, quàm hosti truculentissimo.

E Addit autem, *Et contentiones, sicut vectes palatij*. Caietanus hæc verba sic nectit cum superioribus. vt de aliorum, qui fratres non sunt, contentionibus, & inimicitiis sermo sit, qui longè faciliùs ad concordiã adduci consueuerunt. Itaque sensus est, fratrem, qui à fratre suo deficit, ad concordiam reuocare difficiliùs est, quàm vel vrbé munitã ingredi, vel ciues paratos ad repugnandum ad deditionem inducere: at quilibet alij inter se dissidentes similes sunt palatio, vel castro alicui vectibus clauso, quod faciliùs prærũpitur ac debellatur, vel dux seu castelli custos facilè inductus dedit ac prodit. Cæterùm si ita libeat posterioré hanc parté de aliis in vniuersum dissidétibus accipi, qui fratres, aut cognati non sunt, mallé ita interprętari, *Et cõtentiones, sicut vectes palatij*. Scilicet cùm

69. Petrarch. B Aristot. C D

cùm frater à fratre discordans similis sit vrbi munitissimæ, & aditus vndequaque ad ipsam præclusos habenti: quilibet alius ab altero dissidens similis est foribus palatij, vel regiæ, quæ nullo non tempore apertæ, & reseratæ sunt. Nimirum suadentibus pacē aditum ad se facile præbet. Reliqui ad superiorem clausulam sic referunt posteriorem, vt eundem omninò sensum reddat hoc modo: *Et contentiones, sicut vectes aut seræ palatij*, scilicet fratrum dissidia ipsos sic inuicem dirimunt, & dissociant, vt difficilior fit ad ipsos aditus, quàm ad palatium, aut regiam, cuius ad fores Satellitum magna manus prostat, qui accedētes, & ingredi volentes eminus arcent. Cū hoc sēsu concinit lectio Chaldaïca. *Frater qui deficit à fratre, quasi ciuitas fortis, & clausa, quasi repagulo forti.* quæ vtramq; partē de fraternis odiis accepit. Et significant non vsque adeò magni alicuius castri portas obstrui posse contra hostes, atque animus fratris irati contra preces, & monita intercessorum sese offirmat. Habes etiam aliquas alias minus elegantes Rabinorum interpretationes in Thesauro Pagnini ad radicem פשע *Pasang*, lege ibi: venio ad Vulgatam lectionem.

70. *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma:* Hanc translationem Vulgatus excepit à Septuag. hi. n. quod in primitiuis est, *Frater rebellis, aut repugnans*, non quidem de fratre in fratrem immiti, aut crudeli; sed de fratre, qui pro fratre repugnat, atque aliis bellum mouet, capiendum existimarunt. est autē sētentia luculenta. Mitto autē expositiones quasdam minus litterales, de vtroq; scilicet populo, Gētili, & Hebræo, qui postquam in eandē fidē conspirauit firmissimæ, ac munitissimæ cuiusdā vrbis ad instar obtinere cœperunt, & Ecclesiæ ciuitas inexpugnabilis facta est, & *iudicia*, i. duo testamenta, *quasi vectes vrbium*, quia nimirum ad Ecclesias muniendas, atque obserādas, pro fortissimis ac robustissimis valuis sūt: sic Beda. Mitto etiam Hugonē, qui duos istos fratres sibi inuicē auxilia ferētes, appetitū, & rationem esse dicit, aut etiam intellectū, & voluntatem. Igitur his prætermissis, Iansenius, cui reliqui interpretes hęrēt, locū istum sic exponit: Fratres, qui sibi mutuo opē, & auxilia præbent, validissimi sunt ad repugnādum, ita vt facilius sit vrbē aliquam munitissimā prærumpere, quàm eorū concordes, & conspirantes vires labefactare. *Et iudicia quasi vectes vrbium*. i. ea iudicia, & decreta, quæ illi cōcordibus defensant animis, similia sunt vectibus, aut seris vrbium, quæ nulla hostium vi pertundi, ac violari possunt Adde etiam posteriorem illam ciuitatis acceptionem nuper adscriptam, huic interpretationi accommodari posse, ita ut sensus sit. Frater à fratre adiutus similis est ciuitati, aut populo firmissimo, qui nulla vi, aut minis ad deditionem adduci potest, idest, Quemadmodū ciuitas ab hostibus obsessa, cūm sperat auxiliares amicorum copias sibi ocius affuturas, ad deditionē cogitandam induci nō potest: sic etiam frater, qui fratris sui opem sibi semper adesse experitur, cōstantissimè agit, & nulli aduersariorum infestationi succumbit.

71. Cæterùm licet prioris partis expositio mihi satis accōmodata videatur, posteriorē clausulā aliter edisserēdam existimo: suadet autem hoc vox originalis, מדונים *Meduanim*, quæ lites, & contentiones propriè adsignificat. Itaque hîc *iudicia*, non pro animi sententiis, aut decretis, sed pro discordiis, aut litibus accipio, vt sensus sit. *Et iudicia, quasi vectes vrbium*, i. fratrum vtrique cōcordia ad instar est vrbis munitissimæ, & fortissimæ. *Iudicia* verò, hoc est lites, & dissidia fratrum, *quasi vectes vrbium:* vectes quidē accipio pro foribus. i. quasi vrbes reclusis foribus adapertæ, atque hostibus peruiæ: quasi dicat, vbi frater

A fratri bellū mouere, & ab inuicē diffidere incipiunt, vice versa similes sunt vrbibus, quæ reclusis vectibus hostibus liberū aditum præstant. Itaque vectes, seu repagula in hoc loco, quæ claudendi, & aperiēdi instrumenta sunt, non ad claudendū, sed ad reserandum referenda puto. Hanc verò interpretationem ideo probo, quia venustior est prioris, ac posterioris partis antithesis, & sensus euadit luculentior.

Septuag. verò sic habent: *Frater à fratre adiutus, quasi vrbs munita, & excelsa, inualescit autem tanquā fundatū regnum*. Itaque palatium, seu regiam pro regno acceperunt sacri illi interpretes, quorum translatio hunc sensum reddere videtur. *Fratres, qui sibi mutuo auxilia præbent, & se inuicem fouent*, fortissimi 72. Septuag.
B sunt, ita vt quilibet munitissimę, ac excelsissimæ ad instar vrbis obtineat, quæ nimirum propter mœnia firmissima, quibus vndique præcingitur, & propter loci naturā, & conditionē in qua sita est, inexpugnabilis apparet: hoc sibi voluerūt illa verba *munita*, & *excelsa*. Et quidē fratrū ista cōcordia meritò vrbs dicitur, non solùm *munita*, sed etiā *excelsa*, atq; ita ipsa loci natura expugnatu difficilis asseritur. Nā illud sanè mirū erat, duos fratres mutuò cohærētes vrbem aliquam munitissimam cōponere, illud etiam difficile satis, duos eandem tueri, ac defendere posse. Occurrunt ergo Septuag. huic difficultati, dum aiunt, hanc vrbem excelsam, atque editam esse. Hæc n. est editissimarum vrbium conditio, vt paucis militibus
C ob cliuorum difficultatem satis tutæ, & securæ ab hostibus sint: hanc verò loci situsque tam excelsam, & præaltam dispositionem fraternitas ipsa efficit; est enim sublimior cognationis gradus.

Inualescit autem tanquā fundatū regnum: repetitur autē hîc, vt supra animaduerti, verbū μοχλεύω, quod significat seris, ac vectibus occludere, interpres autē correctioris textus trāstulit, *Fundatū regnū:* sensus autē esse videtur, nō modo frater iste à fratre adiutus securus est, ac tutus tanquā vrbs munita, & excelsa, sed etiam veluti *regnū*, quod iā inde sublatis seditionibus firmū, atque sociatis, conspirantibusque ciuibus bene compactum est, ad alia regna debellanda procedere, atque inualescere solet, sic etiam
D fratres concordes non solùm ipsi securi, ac tuti, sed etiam quamdiu inter se cohærent ad suos aduersarios prosternendos, atque euertendos satis sunt.

20. *De fructu oris viri replebitur venter eius, & genimina labiorum ipsius saturabunt eum.*

De fructu oris viri, &c. Hebr. *De prouentu labiorū suorū saturabitur.* Chaldæus non dissentit. Septuag. *De fructibus oris vir replebit ventrem suum, & de fructibus labiorum suorum replebitur.* Symmachus concinit cum nostra.

E Caietanus locū istum sic edisserit: *De fructu oris viri replebitur vēter eius*, &c. i. plures sunt, qui loquēdo quæstū faciunt, & satis magnū inde prouentum colligunt, vtpote causidici, oratores, præceptores, & alij, hic autē quæstus adeò copiosus est, vt ad victum non opportuna solū, sed etiam opportunis ampliora suppeditet: sed tamen frigidā valdè sententiam, & minimè moralem Salomoni accommodat Caietanus, nisi illam vrgeas ad hunc modum: *De fructu oris viri replebitur venter eius*, hoc est, onerabitur, ac distendetur, Nimirū causidici, oratores, & alij, qui cōsulendo, aut dictando, aut causas agendo pretia augent, & iniusta lucra inde sibi parant, hi certè eiusmodi lucris iniustè partis ventrem. i. conscientiā suā replent, vel potius onerant, & distendunt, atq; adeo 73. Caiet.

eorum repletio solui non potest absque vomitu, A iuxta illud, *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.* Iob. Sed tamen siue hoc, siue illo modo, expositio ista non placet.

Subest ergo triplex alia interpretatio. Primã offerunt Lyra, Hugo, & Arboreus, qui bonam in partẽ hæc verba referunt hoc modo. *De fructu oris viri replebitur venter eius,* &c. idest, qui benè & aptè loquitur vel docendo, vel suadendo, vel monendo, fructũ satis amplum inde referet, ex quo ad satietatem vsque edet, nimirum iucundissimè perfruetur. Et quidem aptissimè Salomon ori tribuit fructus, & labiis genimina, secundùm eam expositionem: nã vt docet

August. D. August. in lib. 4. de doctrina Christiana. *Alij flores meros loquuntur, alij folia, alij fructus.* Flores quidem B loquuntur, qui toti sunt in Schematibus, figuris, & vario quodã orationis ornatu: folia fantur, qui verborum elegantiam, & nitorem tantummodo quærunt: fructus autẽ maturos, & decoctos illi proferũt, qui graues sententias, & vtilia documenta auditoribus tradunt. Ergo Salomon non quidem floribus, aut foliis, sed fructuum, ac geniminum vbertate sapientem virum exsatiandum esse affirmat. Quasi dicat, orationis flores, & folia decorem, & ornatum afferunt: fructus verò tantummodo tam audientem, quàm dicentem satiant. Quamuis etiam florida oratio in adolescente (vt auctor est Quintilianus) non est repudianda. Nam arbor quæ florem primum pulcrum edidit, suaues deinde fructus afferre solet. Item C folia. i. verborum nitor & venustas, numquã omnino abiicienda sunt, quia fructus cõtegunt, & defendũt.

74. R. dolph. Secunda interpretatio est Rodolphi, qui hæc verba malam in partem vertit ad hunc modum: *De fructu oris viri replebitur venter eius*, i. quidquid homo ore, ac labiis procacibus admiserit, luet tandem, id sibi vult illud, *replebitur venter*, & rursus illud, *Saturabunt eum*. Est. n. valde solemnis iste loquendi modus scripturæ, supra c. 1. *Comedent ergo fructus viæ suæ, & consiliis suis saturabuntur.* Isaiæ 66. *Et erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Et sæpè aliàs. Hæc verò ventris repletio, & oneratio ad conscientiam referri potest, vt sẽsus sit: Sicut fructus acres, & immaturi ventriculum onerant, & in amaritudinẽ vertunt, sic D etiã verba impia, & sermones iniqui, vtpotè detractio, exprobratio, adulatio, mendacium, & alia eiusmodi, conscientiam similiter onerãt, & amaritudinẽ, doloresque ingentes eidem immittunt. Conscientiã verò cum ventriculo, aut stomacho aptè conferri iã inde supra diximus, cap. 3. vers. 8. Vel aliter, isthæc repletio de pœnis, atque suppliciis aptiùs accipi potest, hoc sẽsu. Vir, cui procax, & effrenata lingua est, suorum verborum fructus, hoc est, supplicia, & pœnas deuorare, & ad saturitatẽ edere cogitur. Quod si fructum oris ipsissima verba esse dicas, sic accipe: Quemadmodum ventriculo onerato acidi, & indecocti cibi sæpè in os redeũt, ex ructu videlicet, aut vomitu; sic item conuitia, probra, & in vniuersum, E verba acerba, sæpius ad os recurrunt, & eorum acrẽ, & amarum gustum percipi necesse est ab eo, qui ipsis vtitur. Nam si quidem fama alterius violata, aut læsa fuit, sermones suos acerbos, & amaros conuitiator molestè admodum, velut ex repletione vomere cogitur. *Quando le obligan aque se desdiga, y que restituya la fama*, &c.

75. Tertia interpretatio ex duabus superioribus coalescit, ita vt de vtrisque tam prauis, quàm honestis sermonibus hæc verba capiantur. Quasi dicat, vnicuique bene, vel malè est, prout benè, vel malè loquitur. Si enim bona, & honesta verba profert, iucũdissimis suorum verborum fructibus adsatietatem vescitur; si autẽ impios atque iniquos sermones habet, acerbos eorumdẽ fructus gustare cogitur. Hanc verò interpretationem ideò præfero, quia meliùs cũ sequenti versu concinit, qui ait: *Mors, & vita in manibus linguæ.* Hinc est illud Saluatoris, *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis:* præmiserat autem, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum, ex fructu. n. arbor cognoscitur*, & quidem de verbis sermo hactenus fuerat, & statim etiam de verbis attexit: *Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cùm sitis mala, ex abũdãtia. n. cordis os loquitur:* ex quibus constat Christum Dominum nomine fructuum verba intellexisse. Nam sicut fructus qualitatem, & naturam arboris sequuntur: sic etiam verba mores dicentis. Denique absoluit dicens, *Ex verbis tuis iustificaueris, & ex verbis tuis condemnaueris.* Hoc est autem verborum fructibus repleri, & exsatiari, bonis vtique ad voluptatem, malis verò ad pœnam: prauorum autem verborũ malam repletionem describit Chrysostomus ad hæc verba: *Quod si quis,* inquit, *perniciosis cibis, & humoribus plenus ægrotationis laborem non effugiet, multò magis, qui hanc omni cholera amariorem malignitatem in seipso recondit atque cõseruat, vltimi atque perpetui doloribus morbi laborabit. Quod planum à verbis suis est, quæ cum alijs dolorem inferant, quanto magis animam prorumpentis interiment, nam calũniator seipsum prius interimit.* Hæc ille. Chrysost.

---

21. *Mors, & vita in manibus linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus eius.*

Mors, & vita, &c. Hebr. *Mors, & vita in manu linguæ.* Septuag. *Qui autem continent eam, comedent fructus eius.* Aquila, Symmach. & Theod. concinunt cum nostra.

Hæc sententia quodammodo anceps est, potest n. mors, & vita ad dicentem, & audientem referri, potest etiam inter vtrumque partiri. Vtique auditori accommodat Hugo, Rodolphus, & alij ad hunc modum, *Mors, & vita in manibus linguæ*, i. linguæ tanta potestas est, vt vitã, & mortẽ auditori afferre possit, quemadmodum ipsa experientia docet in prauis ac bonis doctoribus, hi. n. vitam docẽdo inspirant, illi contra necem inferunt. Cæterum iuxta præfatum sensum (vita, & morte ad audientem, & non ad dicentem relata) non ineruditè commẽtus est Hugo. *Mors, & vita in manibus linguæ. In sermonis*, inquit, *operatione mors dæmonum, & vita fidelium, nam si prædicatores manum oris adiungerent. i. facerent quod docerent, peccatores iam emortui rediuiui exurgerent, & dæmones ex aduerso, velut emortui tabescerent:* itaque *manus linguæ* intelligit Hugo opera verbis ipsis respõdentia. Item secundùm hanc ipsam acceptionem (vita, & morte ad alium, & non ad loquentem accommodata) locus iste aliter expendi potest ad hũc modũ, *Mors, & vita in manibus linguæ*. i. tanta est in vniuersum linguæ ditio, & potestas, vt vitæ, atque necis ius penes illam sit: hos. n. verbis suis absoluit, illos damnat, & morti addicit, ita vt verè omninò sit nostrum omnium vel vitam, vel necem in alienarum linguarũ potestate sitam esse, & ex earũ testimonii, pẽdere. Quid certius? Constat. n. duas linguas in aliquem testimonio suo conspirantes mortẽ illi afferre posse. Cæterùm præfatas expositiones nõ valde probo, quia posterior clausula illis aptari non potest. 76. Hugo.

D. Bern. in serm. de custodia linguæ, cùm mortẽ, & vitam similis ratione ad alium, & non ad dicentem referat, linguam vnam intelligit à maledica, & benedica abstractam, maledicam verò, cui mors tribuitur, detractoris linguam esse dicit, eique tantam ad perimendum vim tribuit, vt sæpiùs tres ictu vno traiiciat, 77. Bernard.

vt Christi corpus confodiat, & crudelior clauis, & spinis,& ipso quoque lanceæ mucrone dici debeat: cuius verba alibi dedimus atque expendimus. Linguam autem benedicam, cui vita respondet, doctoris,cõsiliarij,vel adhortatoris linguam esse affirmat: hæc enim vitam, & spiritum auditoribus suis inhalat. His autem præmissis sic absoluit Bernardus. *Sanè propterea maiorem ei diligentiam, & diligentiorem custodiam conuenit exhiberi, quod sit iuxta scripturam, mors, & vita in manibus linguæ. Alioquin si sola esset vita, nec circumcisio quidem est, si sola mors, etiam abscisio deberetur, nunc verò ponenda nobis ori nostro custodia, & ostium circumstantiæ labiis, vt nec vitalem ædificationem clausula damnet æterna, nec læthalis pernicies liberum sortiatur egressum.*

78. Alij rursus illa verba, *Mors, & vita*, sic distribuũt inter dicentem,& audientem, vt vita vni, alteri verò mors cedat, in his Hugo, qui ad hunc modum exponit, *Mors, & vita in manibus linguæ.* nimirum lingua procax,& petulans mortem affert loquenti, & iniurias inferenti, vitam verò ei, qui patienter eius probra, aut contumelias perfert. Eius enim probat, auget, ac meritis donat patientiam, aliquando etiam sanat culpam. Huc trãstulit Plutarch. exẽplum eius, qui Thessalũ quemdã Prometheum volens occidere gladio dissecuit tuber, ex quo vita illius periclitabatur, eumque sanitati sic reddidit. *Ita sæpenumero* (inquit Plutarchus) *conuitium per iracundiam coniectum ab inimico, vitium animi, vel ignotum nobis, vel neglectũ sanat, & eius qui mortem inferre volebat plaga vitã affert.* Itẽ eiusmodi viros constantes, qui maledictis petiti inde lauantur,& errores suos diluunt, Phalereus Philosophus apud collectorẽ Apophthegm. cũ quibusdam contulit Imperatoribus, qui lepram suã humani sanguinis balneo loti penitus detersérunt. Innuens scilicet conuitiatores suis ipsorum conuitiis iugulari, & eum, qui conuiuia illorum æquo animo perfert, atque inde proficit, eorum sanguine ad eluendas animi sui sordes, & læthales morbos vti.

Plutarch. *Phaler.*

79. Cæterùm, vera magis, ac celebris huius loci expositio, vitam mortemque ad illum, qui dicit, referẽdam esse docet, vt sensus sit, *Mors, & vita in manibus linguæ.* Hoc est vtrumque in potestate linguæ situm est, aut viuere, aut emori, quia provt quis malè vel benè loquitur, ita sibi vel mortem, vel vitã creat, iuxta illam Christi Domini sentẽtiam nuper adscriptam: *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Hanc expositionem tradit D. Chrys. tom. 5. in hom. ad baptizãdos, & Salonius in mystica expositione Parabolarũ, Lyra, Iansen. & alij, sed tamen accipe verba Chrysost. satis elegantia: *De sermonibus, inquit, tuis iustificaberis, & de sermonibus tuis adiudicaberis. Media nãque vtriusq; partis lingua est, & si vtriusque est, iudicandus est: nã & gladius in medio positus, si quidem fuerit aduersus hostes arreptus, salutaris accipienti reperitur, si verò tenentis visceribus inferatur, mortẽ præparat inferenti, non quia talis ferri natura, sed quia vtentis cõsilium est. Ita, & lingua æstimetur gladius in medio positus, armetur aduersus peccata tua, (scilicet confessione) non ad fratris plagam præparetur. Et ideò eã Deus velut muro duplici voluit circumdari. Nam dentium tegmine, & labiorũ custodia continetur, ne verba improuida garrulitate proferãtur. Refrena igitur linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tamquã carnifici tradatur dẽtibus.* Sed obserua illa verba. *Et ideò illam Deus velut muro duplici voluit circumdari.* Est n. sensus quia duplex illius vsus, ac benè, vel malè haberi potest: ideò duplex illi murus, vel potius vallũ murusque additus est, nã dentes interiores muro similes sunt, labia verò vallo perquã similia. Quid inde? linguã vtique

Chrysost.

A vallo, atque muro natura circumdedit, labiorum, ac dentium: innuens scilicet eam diligentius asseruandam esse, nam cùm duplex sit eius vsus, scilicet, benedictio & maledictio, & vallo simul ac muro indiget: omnis enim illius actio limitibus, ac metis certis circumscribenda est.

Quod si roges cur Salomõ linguæ manus tribuerit, occurrit Salonius ad hunc modum. 80. *Metaphoricè,* inquit, *dictum est, quemadmodum venti dicuntur habere pennas, manus enim linguæ ipsa verba sunt, quibus aut bona loquendo meretur vitam, aut mala loquendo meretur mortem.* Itaque Salonius per linguæ manus metaphoricè ipsa verba accipi debere existimat: nec ineptè verba, & sermones linguæ B manus dicuntur, in his enim tota illius vis, ac robur situm est, his congreditur, confligit, vincit. Hinc illud, quod Demostheni tradit Alexander, qui longas se ad dimicandum eminus manus habere dixit, scilicet orationem, ac sermonem quo facilè alios superabat eminus loquens, & absentes etiam confodiens.

Salon. *Alexand.*

Secundò alij sic decernunt, *Mortẽ, ac vitam in manibus linguæ esse,* idest, periclitantur, atq; in discrimine sunt; exemplo sint verba Psalm. 128. *Anima mea in manibus meis semper,* idest, in magno semper discrimine versatur, aut semper agitur de anima, & vita mea. Vbi Thargũ sic habet. *Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus meæ esset.* Ducitur metaphora C ab iis, quæ præ manibus habentur, ac propterea casui, vel ruinæ exposita sunt. Sic etiam Iephte Iudicum 12. *Posui animam meam in manibus meis, transiuique ad filios Amon, &c.* i. Vitã meã omnibus periculis obieci. Simili ergo sensu satis accõmodatè mors, & vita hominis in manibus linguæ esse dicũtur, quia propter vnã linguã magno in periculo sẽpẽr versantur, adeò, vt quoties lingua ad loquendũ laxata est, de vita, atq; morte protius agatur. Tertiò Caiet. manus hîc per metaphorã potestatẽ notare affirmat, ita vt vitam, & mortẽ in manu linguæ versari perinde sit, atq; in potestate illius vtraque esse. Caiet. assentior, occurrũt n. id genus testimonia passim in Sacra scriptura Psal. 62. *Tradentur in manus gladij.* Et Psal. D 48. *Et eruet animã meã de manu inferi.* Et alia passim.

Iudic. 12. *Caietan.* *Psal. 62.* *Psalm. 48.*

82. Ad extremũ subiicio naturã ipsã huius sententiæ moralis quædã vestigia in semetipsa adũbrare: cõstat n. ex Aristot. ac Plin. decretis, quorũ verba dedimus supra c. 2. v. 12. ex mẽbris omnibus linguam extremo loco perfici ac viuificari in generatione hominis, ac rursus eadẽ in corruptione illius primo loco emori, ac vita priuari. Ita. n. fert naturæ ipsius solemnis mos, vt quod posterius animatur, idipsum prius exanimetur. Itaque secundùm naturæ legem vitã lingua absoluit, & morti etiam initium præbet, neque aliter in moribus eueniri puto, vitam. n. spiritualem linguę moderatio ad perfectionem adducit, ait. n. Iacob. c. 3. *Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Rursus E omnis spiritualis mors ab intẽperantia linguæ exordiũ capit. Ioël 5. *Lingua imprudẽtis subuersio ipsius est.* meritò igitur Salomon ait, *Vitã atq; mortẽ in manibus linguæ esse,* vtpotè quæ vitæ extremam manum imponit, & morti aditũ primum reserat. De duplici linguæ vsu multa passim apud autores, Plutarch. in lib. de Iside, & Osir. tradit Ægyptios cùm Sygalioni sacrificarent ita exclamare solitos, lingua fortuna lingua dæmõ: & in lib. de Garrulit. narrat Pittacũ iussũ ex victima optimã carnem, & pessimã exscindere, linguã execuisse, *Vt quæ esset instrumentũ malorum ac bonorum maximorũ.* Idẽ quoque à Biante factũ refert in Conui. septem Sap. Mitto alia peruulgata.

Aristot. Plin. *Iacob. 3.* *Ioël. 5.* *Plutarch.*

Posteriora verba, *Qui diligunt eam, comedent fructus eius,* secundùm diuersas expositiones dissimiliter

ſuperiori adaptanda ſunt. Et licet ægrè admodum A cum primis duabus interpretationibus cohæreant, ad tertiam facilè reuocari poſſunt. Ianſenius ſic exponit. Qui amat benè, vel malè loqui, percipiet fructus illius ſiue bonos, ſiue malos, ſed neſcio qua ratione illi ſuam linguam diligere dicendi ſunt, qui abſona, & abſurda loquuntur. Quapropter per eos, qui linguam diligunt, non alios accipere debere exiſtimo, niſi illos, qui ipſam optimè moderantur, ac tẽperant, hi enim veriùs linguam ſuam adamant, atque illi ex animo proſpiciunt. Vnde Septuag. accõmodatè tranſtulerunt, *Qui autem cõtinent eam, comedent fructus eius*, ſcilicet ſuaues, ac prædulces: nimirũ vitam ipſam ſumma cum voluptate tranſigent. Iuxta illud, *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre* B *bonos, coerceat linguam ſuam à malo, & labia eius ne loquantur dolũ.* Linguam enim ſimilem eſſe dixerim arbori cuipiam, quæ ſi diligentius vndique ſepta ſit, fructus ſuos decoquit, & ad maturitatem adducit, atque adeò eſui dulces accidunt: quod ſi extra ſeptũ expoſita ſit, acerba, & cruda poma ab obuiis decerpuntur, & auferuntur. Nam ſi linguæ cuſtodiæ ſatis adhibeatur, ſicubi loquendum eſt, matura, mitia, & dulcia verba promit tum ſibi, tum aliis. Sin verò cuſtodia prorſus careat, & ad dicendum, & confabulãdum expoſita ſit, nullum verbum ad prudentiæ maturitatem adducit, omnia immitia, & acria, & acerba, & ſibi, & aliis præbet. Ergo qui *continet, vel cuſtodit linguam, comedet fructus eius*, mites ſcilicet, decoctos, & maturos, &c.

Ianſen.

---

22. *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum; & hauriet iucunditatem à Domino.*

84. QVi inuenit mulierẽ, &c. Hebr. *Qui inuenit vxorem, inuenit bonum, & educet beneuolentia à Domino*; alij *voluntatem*, alij *beneplacitum*, Chald. *Qui inuenit mulierem, inuenit bonum, & ſuſcipit voluntatem ſuam à Deo*. Septuag. *Qui inuenit mulierem bonã, inuenit gratiam & accipit à Deo hilaritatem*. Schol *Qui inuenit mulierem vtilem*, &c. Itaque ex dictis conſtat in Hebraïcis non eſſe *mulierem bonam*, ſed abſolutè D *mulierem*, vel, *vxorem*, ſed tamen noſter ſequutus Septuag. eam vocem meritò addidit.

Hebræi ergo cùm abſolutè *mulierem*, vel, *vxorem* legant, ad hunc modum exponunt, quicumque vxorem nactus eſt, hoc ipſo haud vulgare bonum inuenit, quia vxorem ducere maximi beneficij loco ponendum eſt, iuxta illud Geneſeos ſecundo. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: ſi enim ſolitarium manere hominem, minimè bonum eſt, ergo coniugem aſſumere bonum eſt, qui autem eiuſmodi bono gaudet, *Educet voluntatem à Domino*, futurum pro præterito, ideſt, *eduxit*, nimirum Deum ſibi prius aliquo officio deuinxit, atque propitium reddidit. Sed vide ne hæc expoſitio ad prauum aliquod dogma vergat. E

Reliqui addunt vocem illam, *bonam*, quam etiam in Hebraïcis ſupplendam eſſe decernunt, omnium autem eadem mens eſt. Qui inuenit mulierem bonam, pudicam ſcilicet, caſtam, & ſobriam, non vulgare, ſed rarum aliquod bonum nactus fuit. Quapropter *hauriet iucunditatem à Domino*, hauriet inquam, non verò exhauriet: quia maximo Dei beneficio perennem quandam & indeficientem voluptatem percipiet. Sed tamen expendo ſingula verba.

85. *Qui inuenit mulierem bonam*, Conſultò, inquit, Caietanus, dictum eſt, *Qui inuenit*, non autem, *qui reperit*, inuenimus enim diligenter, & acuratè quæſita, reperimus autem obuia, & occurrentia. Itaque ſignificatur non obuiam quamlibet, atque occurrentem vxorem eſſe ducendam, ſed ſtudioſa cura ex omnibus veſtigandam, eſt enim perquã difficilis inuentu mulier bona. Eccleſ. 26. *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Huius autem boni raritatem Antonius in Meliſſa 2. p. ſerm. 34. quibuſdam exemplis comprobat. *Cum quidam percontaretur*, inquit, *Philoxenum cur Sophocles bonas ſemper in fabulis induceret mulieres, & feminas, ipſe verò malas, ſubiecit; Quia quales oporteat eſſe feminas Sophocles dicit, ego verò quales ſemper ſunt. Nam vnam aliquam bonam veſtigans poſteriorem priori deteriorem ſemper eſſe inueni.* Ergo cùm bona aliqua occurrit, in maximis Dei beneficiis ponendum eſt. Poſſemus etiam aliter expendere verbum, *inuenit*, nimirũ ita, vt vxor inuenta propterea dicatur non ſumpta, vel accepta: nã ſumere, vel accipere, electionis eſt, inuenire autem, fortunæ, & caſus. Accipe verba Hieron. lib. 2. contra Iouin. c. 28. *Adde quoniam nulla eſt vxoris electio, ſed qualiſcumque obuenerit habenda; ſi iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida, quodcumque vitij eſt poſt nuptias diſcimus. Equus, aſinus, bos, canis, & viliſſima mancipia, veſtis quoque, & lebetes, ſedile ligneum, calix, & vrceolus fictilis probantur prius, & ſic emuntur, ſola vxor non oſtenditur, ne ante diſpliceat, quàm ematur.* Meritò igitur Salomon ait, *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum.* Quia verè vxor inuenta potius quàm aſſumpta dicitur, res eſt gratiæ, nõ ſtudij, & fortunæ, ideò Septuag. appoſitè admodum conuerterunt, *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit gratias.* Obſerua etiam Scholia. non *bonam*, ſed *vtilem* mulierem vertiſſe: dicitur autem vtilis vxor, quæ parcit ſumptibus magnis, & rem ſuam curat, augetque. Vtilitas enim damno opponitur.

Eccl. 26.

Anton.

Hieron.

C

Inuenit bonum, maximum videlicet, ſingulare & rarum bonũ, quod tale antonomaſticè dici debeat. 86. Septuag. *Inuenit gratias*, aliqui ſic exponunt, agẽdarum Deo gratiarum materiam vberè nactus eſt propter beneficij magnitudinem, iuxta illud Eccleſ. 26. *Pars bona mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis ſuis.* Rurſus nomine gratiæ pulcritudinem accipere licet, atque adeo ſenſus erit is, qui bonam ſatis vxorem reperit, is quidem ſatis pulcrã inuenit. nam præcipua vxoris ſpecies in moribus eſt: hinc eſt illud Menandri à Clemente recitatum in Pædagogo: *Pulcrum eſt mulieris inſpicere pulcros mores.* Et D. Petrus in 1. Can. c. 3. *Quarum nõ ſit extrinſecus capillatura aut circumdatio auri*, &c. *ſed qui abſcõditus eſt cordis homo.* nec abit ab hac ſentẽtia pudica femina apud Plautum in Pænul. quæ ſic ait:

Eccleſ. 26.

1. Petr. 3.

Plautus.

Bono ingenio me ornatã eſſe quàm auro multo malo.

Sed præſtat omnibus locus Eccl. 26. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata*: nimirum ſpecies 87. ſpeciei addita, & pulchritudo duplex eſt mulier, quę pudicitiæ bonos mores adiungit. Propterea Salomõ non gratiam, ſed gratias dixit, pulcritudinem multiplicem notans. Et ſanè quæ in facie, & reliqua corporis ſtructura fulget pulcritudo vnica eſt, & vix aliquam feminam reperias, ex his quibus natura venuſtam formam afflauit, quæ nulla ex parte deformis ſit. At pulcritudo animi multiplex, quælibet enim virtus ſui ſpeciem ab alias diſtinctam, atque ſuos item colores habet, vt docet copioſè Plato in dialogo de Pulcro. In Græcis pro gratiis eſt vox χάριτες, ideſt, Charites: liceat ergo mihi ex his verbis adhærere, & in hunc locum accommodandi licentia id coniicere, quod acutè commentus eſt Plutarch. apud Stobæum, ſcilicet, *Illas felices eſſe feminarũ nuptias, à quibus Charites non exulant*: putabant enim veteres ex charitibus ſeu gratiis alterã nomine Paſitheam coniugiis intereſſe ad ſociandas nubentium voluntates, ideò ex tribus Gratiis hanc tantummodo

Eccleſ. 26.

Plato.

Stobæus.

matrimonio

matrimonio iungit Homerus, vt tradit Seneca in lib. de Benefic. c. 3. cùm reliquas virgines eſſe decernat. Obſerua ergo huius Charitis nomẽ: appellatur enim *Paſithea*. ideſt, *Omnidea*, tota ſcilicet diuina, nihil omninò humani habens, vt ſcilicet argumento eſſet nuptiarum fœdera, & coniugum gratiam, & amorem è cælo diuinitus dari, & ex ſola Dei beneficentia contingere. Huc ſpectat meditatio non inelegans cuiuſdam Hebræi, qui adnotauit maritum Hebraïcè dici איש, vxorem verò אשה *Iſah*, ſi autem ab his nominibus duas literas demas, ſcilicet, ה & י ex quibus conflatur nomen Dei, יה, ex vtroque fit altera dictio, quæ ignem ſonat: *Quia ſi Deus*, inquit, *nuptijs non interſit, ſanè inter coniuges tantummodo ignis remanet.* Hoc eſt, vel mera concupiſcentia, & libido, vel ruptis fæderibus diſcordia, & contentio. Meritò igitur illa gratia quæ coniugia ſancit, ac copulat, *Paſithea*. ideſt, Omnidea dicitur.

88. Plutarch. Cæterùm Plutarchus non vnam aliquam, ſed tres Charites coniugiis intereſſe contendit: ait enim illas demum eſſe felices nuptias, à quibus Charites non exulant: ſanè illius mens hæc eſt, totam nuptiarum felicitatem in coniugum mutua gratia, & amore ſitam eſſe, qui per Charites adumbratur. Quapropter ſi tres Charites triplicis temporis gratiam ſignificare dixeris, præteriti, præſentis & futuri, vt multi tradunt, qui propterea eas Horarum ſorores fingi dicunt, vtique conſtantem quandam gratiam, & amorem notabunt, qui nullo tempore diſſoluatur. Ergo cùm Salomon ait; *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit Charites*, ſenſus erit, tres Gratias in coniugium ſuum adducit, hoc eſt amorem quendam omnis temporis differantias amplectentem. Multi enim amorem præmittunt coniugiis, quia nubunt, vt aiunt, *per amores*, ſed necdum nuptiæ copulatæ ſunt cùm amor intepeſcit, his vna tantummodo ex Charitibus præfuit. Alij rurſus non ſolùm nuptias ex amore ſuſceperunt, ſed etiam aliquandiù poſt nuptias in eiſdem amor viguit, poſtea tamen decurſu temporis deferbuit, his duæ Charites interfuerunt: illis ergo trium Charitum in vnum conſpirantium fauor adfuit, quorum amor, & coniugalis gratia ante nuptias, in nuptiis, ac deinceps toto vitæ tempore conſtãs fuit. Hæc autem felicitas eius eſt, tantum qui bonam plane atque adeò amabilẽ vxorẽ nactus eſt. Addit Salomon,

89. *Et hauriet iucunditatem à Domino*, alij conuertunt ex Hebræo, *Et eduxit beneuolentiã, aut beneplacitum à Domino.* Sic verò exponunt, qui bonam, & pudicam duxit, Deum erga ſe beneuolum expertus eſt. Sed præſtat reliquis noſtra lectio, quæ ſententiam illuſtriorem reddit, *Et hauriet iucunditatem à Domino:* hauriet, inquam, non autem exhauriet, perennis erit illius voluptas; ſanè voluptas illius, qui propterea lætus eſt, quia pulcram ſibi adiunxit vel diuitem, vel ingenuam, citiùs exhauritur, ac deficit: nam vernans ille pulcritudinis flos citius marcet, inque maciem ſoluitur, dos item magna breui tempore conſumitur, genus demum, ac nobilitas ſuperbam eandem reddere ſolent, atque adeò grauem, & moleſtam, tunc verò voluptas, in odium verti ſolet: ea ſolum voluptas, & iucunditas diuturna eſt, quæ de vxoris honeſtate, ac bonis moribus capitur, hæc enim numquam deficit, numquam interit.

---

22. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt, atque impius.*

90. QVi expellit, &c. Hæc ſententia abeſt ab originibus, ſed tamen occurrit apud Septuag. & inde à Vulgato interprete petita eſt, quæ ad verbum ex Græcis codicibus expreſſa ſic efferenda eſt, *Qui eijcit mulierem bonam, eijcit bona*, reliqua non diſſonant. In antiquo textu vulgato extrema verba ſic ſe habebãt, *Stultus, & inſipiens*, ſed mendum hoc deterſum eſt in correctiorib. bibliis, Græcè.n. eſt ἀσεβής. ideſt, impius.

Hæc ſententia cum ſuperiori cohæret: qua Salomon ſuadet bonam, & pudicam vxorem nulla ex cauſa repudiandam eſſe, nam qui illam domo pellit, maximo quodam, & præcipuo bono vacuam reddit. Cæterùm, quemadmodum bona & fidelis vxor à ſapiente retinenda eſt, ſic etiam infideli & adulteræ nuncium remittere, viri eſt ingenui, atque ſapientis: nam qui cognita eius impudentia adhuc illam retinet, vel ſtultitiam, vel impietatem maximam prodit: ſi enim vir ex quadam inconſiderantia, & imprudentia id patitur, & donat vxori, ſtultiſſimus eſt, ſi verò ex malitia, & praua voluntate idipſum tolerat, quia inde lucrum, vel quæſtum aufert, impietatis cuiuſdam maximæ reus exiſtit. Ergo Salomon carpit viros, qui adulteras vxores recipiunt, & qui in adulteriis earum ex magna inſipientia, vel ex ingenti prauitate conniuent. Sanè Chriſtus Dominus hãc vnam vxoris repudiandæ cauſam adſtruit adulterium, ſic enim ait: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob cauſam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.* Cuius rei nobile quoddã exemplum produxit Chryſoſtomus hom. 22. ex variis in Matth. locis *Imitatores*, inquit, *debemus eſſe Dei, vt ſicut ille agit cum Eccleſia, ſic nos agamus cum coniuge. Ille enim numquam dereliquit populum, niſi ad gentilitatem, vel ad hæreſim voluntariè tranſierit, aliàs autem peccantem caſtigat quidem, ſed tamen miſereri non ceſſat, ſic etiam vir adulteram quidem dimittat, aliàs autem malè moratam caſtiget, & teneat.* Chryſoſt.

91. Concinit autem hæc Chryſoſtomi ſententia cum doctrina Apoſtoli, qui docet viros ſic erga vxores ſuas animatos eſſe debere ſicut Chriſtus erga Eccleſiam. Sed quæres an Chriſtus etiam in eo loco vxorem adulteram dimittere ſolum ex cõdonatione permittat, an etiam ſuadeat? Chryſoſtom. verba Chriſti Domini ediſſerens in ea ſententia eſſe videtur, vt putet adulteræ repulſam à Domino ſuaderi, ſic enim ait: *Non ergo qui dimittit mœchatur, ſed qui alteram ducit: imò autem ſicut crudelis eſt, atque iniquus, qui caſtam dimittit: ſic etiam fatuus eſt, atque iniuſtus, qui retinet meretricem; nam patronus turpitudinis eſt, qui crimẽ celat vxoris.* Quibus verbis planè ad Salomonis verba alluſit Chryſoſtomus, dum ait, *Fatuus eſt, atque iniuſtus.* Accedit etiam D. Hieronym. in eũdem Matthæi locum, vbi ſic acutè admodum fatur. *Sola fornicatio eſt, quæ vxoris vincat affectũ, imò cum illa vnam carnem in aliã diuiſerit, & ſi fornicatione ſeparauerit à marito, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente ſcriptura, qui tenet adulteram ſtultus, atque impius eſt.* Cæterùm verba Chriſti, Hieronymi, & Chryſoſtomi capienda ſunt de adultera, quæ non reſipuit, nec ad bonam frugem ſe recepit. Illam enim quam delicti pœnitet, recipere non modo non malum, ſed etiam pium, atque honeſtum eſt. Ita ſuadet D. Auguſtinus in lib. 2. ad Pollent. cap. 6. *Quod autem*, inquit, *durum tibi videtur, vt poſt adulterium reconcilietur coniugi coniux, ſi fides adſit non erit durum. Cui enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptiſmate ablutos, vel pœnitentia credimus eſſe ſanatos? Hæc crimina in veteri lege nullis ſacrificijs mundabantur, quæ noui Teſtamenti in ſanguine Chriſti proculdubio mũdantur. Et ideo hinc omninò prohibitum fuit ab alio contaminatam viro recipere vxorem. Quamuis Dauid Saülis filiam, quam pater eiuſdem mulieris ab eo ſeparatam dederat alteri, tamquam noui Teſtamenti præfigurator ſine cunctatione re-* Hieron. Auguſt.

ceperit. Nunc autem postquam Christus ait adulteræ: Nec ego te condemnabo, Vade, & amplius noli peccare, quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignouisse Dominum amborum, nec iam se debere adulteram dicere cuius pœnitentis crimen diuina credit miseratione deletũ? Hactenus ille. Videtur autẽ docere Aug. adulterã coniugẽ eiicere non permissum tantũ in lege veteri, sed etiam seriò præceptũ. Et quidem in ea sentẽtia videtur fuisse Ioseph Deiparæ spõsus, de quo in Euang. scribitur: *Ioseph autem cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eã.* Nam hæc verba talem sensum reddere videntur, *Ioseph*, cùm iustus esset, ac sciret per legẽ adulterã retinere minimè licere, de vxore sua occultè deserenda cogitauit. Itaque Ioseph propterea iustus asseri- B tur, quia legem vxorem adulteram dimittere præcipientem exequi iam parabat: Non autem, *quia nollet eam traducere*, vt multi dicunt.

92. Hæc cùm ita sint, in hoc loco Salomõ veteris præcepti de adultera repudianda rationem affert: *quia is, qui tenet adulteram stultus est, atque impius*, vel, *stultus est, atque iniustus*, sic n. habes apud Chrysostomũ, cuius verba recitantur, Can. *sicut* 32. q. 1. Non quidẽ vnus, & idem stultus pariter, atque impius dicitur, sed stultus aliquis, alius impius, vel *iniustus*: stultus ergo ille dicitur, qui vxoris intemperantiam ex magna incõsiderantia non animaduertit, & stulta quadã patientia sustinet, & quidem hũc à lenocinio absoluit lex, *Mariti lenocinium*, ff. ad legem Iuliã. *Quod* C *si patiatur vxorẽ derelinquere non ob quæstũ, sed ob negligentiam, vel culpam, vel quandã patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem positus videtur.* Quibus verbis Vlpianus omnia stultitiæ capita complexus est: eadem verò lex paulò ante sic præmittit. *Tunc autem puniendus est maritus, cùm excusare ignorantiam suam non potest, vel adumbrare patientiã prætextu incredulitatis.* Hactenus de stulto: *impius* sanè ille appellatur, qui sciens, ac volens vxorẽ adulteram retinet, ac tolerat, qui meliùs ap iusquê, *impius*, dicitur quàm *iniustus*: nullus n. erga seipsum propriè iniustus appellatur, maritus verò suam exponens, sibi ipsi, ac non alteri iniuriam infert. Meritò autem *impius* nominatur, quia coniugij sanctitatem violauit: D licebit etiam fortasse iniustum dicere eum, qui quæstum ex adulterio vxoris fecerit, nam quicumque ex turpi negotio lucra quærit, non ineptè iniustus dicitur, id est, auarus, ac sordidus.

Vlpian.

23. *Cum obsecrationibus loquitur pauper, & diues effabitur rigidè.*

93. CVm *Obsecrationibus*, &c. Hebr. *Et Diues respõdet fortia*: Hæc verba expuncta sunt ex correctioribus Bibliis Septuag. Habentur autem in Complut. & Regio cod. hoc modo. *Cum deprecationibus loquitur pauper, diues autem respondet dura.* E

Duplicem ad sensum satis facilem vocari possunt ista verba. Nam vel sermo est de paupere, & diuite ad alterum aliquem verba facientibus, vel de iisdem inter se colloquentibus. Iuxta priorem acceptionẽ. Primò Beda exponit de paupere, ac diuite Deum alloquentibus. Itaque ait, Pauper, & humilis præ animi sui deiectione Deum, summissè precibus, & obsecrationibus alloquitur: diues autẽ, idest, superbus, cum fastu, & superbia. *Effabitur rigide*, hoc est velut ex rigore quodam ab eo efflagitabitur quodcũque petet. Exẽplo sint Pharisæus, & Publicanus, quorum ille cũ Deo arroganter agens dicebat, *Gratias ago tibi Domine*, &c. Alter verò procũbens pectus pugnis quatiebat dicens, *Propitius esto mihi peccatori*. Secundò Lyranus locum istum interpretatur de paupere, & diuite ad alterũ quẽlibet sermonem habentibus, pauper. n. inquit, sũmisè agit, precibus vtitur, diues autem præ fastu verba rigida, & dura ex quodã imperio semper dicit. Et quidẽ vt sensus iste aptior sit, per pauperẽ humilis, & per diuitẽ superbus, & arrogans intelligi debent. Ille. n. etiam cùm subditos affatur, non ex imperio agit, sed obsecrat, ac deprecatur: hic autem non solum cum subditis seueriùs se gerit, sed etiam quando æquales, aut etiam superiores alloquitur, nihil deprecabundus dicit, sed cuncta rigidè, imperiosè ac tumidè.

Reliqui interpretes de vtroque diuite scilicet, ac paupere, inuicẽ colloquẽtibus locũ istum exponunt (quibus ego libentius assentior:) suadet hoc lectio originalis, quæ sic extrema verba reddit, *Diues autẽ respõdet dura*. Itaque sensus est in prõptu. Pauper diuitem summissè, & humiliter appellat, priùs & obsecrationes semper adhibet, sed tamen pro his à diuite refert verba rigida, & dura: prouerbiũ ergo diuitum immanitatẽ exaggerat, qui in homines demissos, & deprecabundos ita sæuiunt. Vel vt alij putant, Salomon pauperes admonet, neu diuitum seuerioribus verbis offensi à precibus desistant, hi enim fere eiusmodi rigida, & acerba respondent, etiam cùm postulata non denegant.

24. *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit quàm frater.*

VIr amabilis, &c. Hebr. ad verbũ, *Vir amicorũ ad sociabilẽ se præstandũ est amans, & adhærẽs præ fratre*. Pagnin. sic conuertit, *Vir qui diligit amicos, vt sit amicus, magis coniunctus est, quã frater*. Chald. *Sunt socij, qui associantur, & est amicus magis adhærẽs, quàm frater.* Hæc verba desiderantur in correctiori textu lxx. sed tamen in Complutensi, & Regio adscribuntur hoc modo. *Vir amicus ad amicitiam, & erit magis adhærens, quàm frater.* 94.

Sententia huius carminis est valde illustris. *Vir amabilis ad societatem*, &c. Amicitia, inquit Salomon, præstat necessitudini, aut consanguinitati, nã vir verè, & ex animo alterum adamans, frequentiùs re, atque ipso opere maiorẽ gratiam exhibet amico suo, quàm frater fratri. Quasi dicat, arctius est vinculum amicitiæ, quàm necessitudinis, atque vtilior est amico amicus, quàm frater fratri, sic Iansenius. Hanc interpretationẽ recipit lectio originalis ea vel maximè, quã exhibet Pagnin. *Vir qui diligit amicos, vt sit amicus, magis coniunctus est, quàm frater*; nimirum qui colit amicitiam ex amicitia vera, quæ in eo consistit, vt amicũ propter ipsum, & non alio nomine diligamus: sed tamẽ vulgata lectio licet huic affinẽ, diuersum tamẽ sensum reddit, *Vir scilicet amabilis ad societatem*. Vir scilicet qui se amabilem satis præbet, & ad copulandam amicitiam idoneus esse censetur, magis amari, ac diligi solet, quàm frater. Et quidẽ eiusmodi tam arctam, & tam gratã amicitiam omnem cognationis gratiam vincere nõ solum eo sensu intelligo, quo infra idem Salomõ dicit, *Melius est amicus iuxta, quàm frater longè*, cap. 17. quibus verbis frater discors cum amico concordi videtur cõponi; sed ita vt amicus, qui ob ingenij, ac morũ similitudinẽ mutuò se diligunt, sibi inuicẽ gratiores sint, vtiliores ac iucundiores, quã fratres minimè discordes. Ratio autẽ est in promptu, quia cùm omnibus similitudo amorẽ parere soleat, ea quidẽ similitudo, quæ in moribus, ingenio, atque animi propensionibus sita est, longè maiorem gratiam & amorem parit, quàm ea quæ in sola carnis, ac sanguinis cognatione consistit, si absit altera. Quapropter, cùm fraternum amorem

amorem hæc carnis,& sanguinis cognatio, & similitudo copulet,amicitiæ verò vinculum,& nodum similitudo morum, ingenii,ac propensionem adstringat, arctior, atque firmior est hic, quàm ille. Lege Plutarchum in dialogo 52.de amico fideli, vbi hanc sententiam pluribus exemplis diuitem producit, & veræ amicitiæ vinculũ cum omnibus cognationis,& consanguinitatis generibus componit,atque omnib. præfert. *Habes*,inquit,*rem dulcissimã sanctissimamq́, qua vna post solã virtutẽ nihil homini melius vel natura, vel casus,vel studium dedit,dulces fateor parentes,dulces aui,dulces itẽ filij, dulces fratres,dulces vxores:possunt tamen amarescere,nec parentes ideò,nec fratres,nec filij desierunt esse, cùm tamen dulces esse desierint: at amicus solus,dum sit verus,dulcis,& charus esse non desinit*. Vide ibi plura.Meminit etiam huius sententiæ D. Chrys.hom.1.in Epist. ad Coloss. vbi postquam omnes copulandæ amicitiæ rationes in vnum coegit, & omnes cognationis gradus recensuit,sic assuit, *Et aliquando apparuerunt amici melius, ac syncerius affecti, quàm fratres inuicem, & quàm filij in parentes, & qui fuit genitus non opem tulit, qui autem eum non cognouit,assuit, atque opem tulit*.

Plutarch.

Chrysost.

95. Sed libranda est lectio originalis,*Vir amicorum ad sociabilem, vel amabilem se præbendum est amicus magis adhærens,quàm frater*.Quam lectionem aliqui sic exponunt, eius est, qui multos amicos numerat, & plurimorum experitur gratiam(nimirum amando,& diligendo,nam amor amore paratur)vnum aliquem A inuenire, quo iucundiùs, & familiariùs vti liceat, quàm fratre quamlibet amantissimo. Potest etiam aliter explicari, *Vir amicorum*, &c.idest,vir gratus,& suauis,qui se amabilem,& beneuolum præbet,multos amicos,& familiares sibi asciscit,hoc autem beatissimum est, nam amicus quilibet beneuolentia,& gratia fratrem superat.

Ad extremum subjicienda est elegans Hugonis accommodatio, quæ sic habet, *Vir amabilis ad societatem*,scilicet populus gẽtilis conuersus,& ad vnius Ecclesiæ societatẽ addictus, *Magis amicus erit Christo Domino*,quàm frater.idest,populus Hebræus,qui frater est Christi secundùm carnem. Hugo.

B *Melior est inops ambulans in simplicitate, quàm peruersus labijs suis,& ipse insipiens. Etiam sine scientia anima non est bona, & qui festinat pedibus peccat.*

HÆc verba habentur in quibusdam codicibus Septuag scilicet in Complut.Regio,& aliis,sed tamen expuncta sunt à correctiori textu Sixti V.& vulgatis minimè respondent, videntur autem ex aliorum locorum hemystichiis contexta, & compacta, atque adeò cùm aliàs quidquid in textu Septuag. occurrit interpretari, & expendere soleam, his nihilominus supersedendum duxi, & ad alia contendere.

CAP. XIX. SALOMONIS.

1. MELIOR *est pauper,qui ambulat in simplicitate sua, quàm diues torquens*
labia sua,& insipiens. 2. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum: &*
qui festinus est pedibus,offendet. 3. *Stultitia hominis supplantat gressus*
eius: & contra Deum feruet animo suo. 4. *Diuitiæ addunt amicos plu-*
rimos: à paupere autem & hi, quos habuit, separantur. 5. *Testis falsus*
non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet. 6. *Multi*
colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. 7. *Fratres hominis pauperis ode-*
runt eum: insuper & amici procul recesserunt ab eo. 8. *Qui tantùm verba sectatur nihil ha-*
bebit: qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inueniet bona.
9. *Falsus testis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia,peribit.* 10. *Non decent stul-*
tum deliciæ, nec seruum dominari principibus. 11. *Doctrina viri per patientiam noscitur:*
& gloria eius est iniqua prætergredi. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & sicut ros*
super herbam, ita & hilaritas eius. 13. *Dolor patris,filius stultus:& tecta iugiter perstillan-*
tia, litigiosa mulier. 14. *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè*
vxor prudens. 15. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* 16. *Qui custo-*
dit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur.
17. *Fœneratur Domino,qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei.* 18. *Eru-*
di filium tuum,ne desperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam. 19. *Qui*
impatiens est,sustinebit damnum: & cùm rapuerit, aliud apponet. 20. *Audi consilium, &*
suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis. 21. *Multæ cogitationes in corde viri:*
voluntas autem Domini permanebit. 22. *Homo indigens misericors est: & melior est pau-*
per,quàm vir mendax. 23. *Timor Domini ad vitam:& in plenitudine commorabitur,abs-*
que visitatione pessima. 24. *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum ap-*
plicat

plicat eam. 25. Pestilente flagellato stultus sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. 26. Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix. 27. Non cesses fili audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. 28. Testis iniquus deridet iudicium: & os impiorum deuorat iniquitatem. 29. Parata sunt derisoribus iudicia: & mallei percutientes stultorum corporibus.

1. *Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quàm diues torquens labia sua, & insipiens.*

1. MELIOR *est pauper*, &c. Hebr. *Bonus pauper ambulans in integritate sua.* Alij, *in perfectione sua, quàm peruertens labia sua, & ipse stultus.* In quibusdam codicibus Vulgatis abest vox illa *Diues*, sicut etiam in primitiuis; sed tamen eam retinet codex Clementinus. Item locus integer desideratur in textu Septuag. correctiori, sed tamé exhibetur in Complutensi, & Regio codice; & quidem pro *torquente labia*, est. σκολιὸς τοῖς χείλεσι, id est, tortuosus, accipitur pro vafro, astuto: fluit autem ab σκολιὰ, quæ vox significat tormentum nauticum, instrumentum videlicet ligneum, cuius labris constringuntur planeæ in compingenda, seu cōtabulanda naui adactis cuneis: vnde aliqui obseruant vocem illam σκολιὸς, in eum iactari solitam, qui alios dicteriis suis torquet, & vel facere, vel fateri aliquid callidè cogit, à quibus non dissentior. In originibus est, עקש *Ghikes*: quæ vox de his propriè dicitur, qui decipiendi gratia captiosa proponunt, vt obiecta veritatis specie fallant.

Huius loci sententia in promptu est, *Melior est pauper*, &c. id est, præstat longè paupertas cum integritate vitæ. (Paupertati enim hæret semper puritas quædam animi, & doli expers sinceritas) quàm diues, qui ad decipiendum labia sua componit. Quod quidem non vera sapientia, sed magnæ stultitiæ quoddam genus est. Sic vulgò interpretes, si vnum excipias Iansenium, qui cùm vocem illam diues à textu expungat, stultum, pauperi obijciendum esse dicit, *Et torquentem labia sua ei qui ambulat in simplicitate*, hoc sensu. Præferenda vtique est paupertas, cui simplicitas adiuncta est stultitiæ, hæc enim semper verba miscet peruersa, & noxia. Cæterum iucūdior, & gratior accidit oppositio inter diuitem, & pauperem, quam quidem ego sic conformādam puto. *Melior est pauper*, &c. id est, longè melior est ille, qui simplicem, & doli expertem vitam agit, quàm ille, qui dolos, captiones, & versutias astu suo comminiscitur, licet opes ingētes eo artificio cumulet: qui enim ea ratione captiosè ditescit, non sapiens, sed insipiens planè, ac vecors dici debet. Itaque Salomon præfert paupertatem ex integritate, ac simplicitate vitæ natam, diuitiis, quas astus, aut versutia iniustè parat, de quo themate aliàs sæpe diximus. Pergo ad alia.

2. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, peccat.*

2. VBI *non est scientia animæ*, &c. Hebr. ad verbum: *Etiam absque scientia anima non bonum, & festinus in pedibus peccans.* Cald. *Qui nescit animam suam, non est ei bonum.* Absunt etiam hæc verba à textu Septuaginta correcto, habentur tamen in Codice Complu. & Regio, qui locum integrum sic extulerunt; *Etiam sine scientia anima non est bona, & qui festinat pedibus peccat.* Sed noster interpres satis aptè conuertit, *offendit*, vt luculentior sit antithesis.

Huius loci non vna interpretatio, sed secundùm varias lectiones varia. In Vulgatis quidē vox illa *animæ*, in ancipiti est, potest enim ad superiora reuocari in casu gignendi, & ad sequentia referri in casu dandi, similisque ambiguitas est in primitiuis. Plures sūt, qui cum posterioribus nectunt, ex quibus alij sic exponunt: *Vbi non est scientia animæ non est bonum.* Nimirū nihil solidi, ac perfecti boni illi animæ inest, quæ scientia, & prudentia caret, hæc enim inter omnia externa bona principem locum tenet, adeò vt reliqua bona, si cum sapientia conferantur, bonorum nomine non gaudeant. Potest tamen hæc expositio ad hūc modum luculentiùs conformari: si scientia absit, quæ sola animam ditem facit, non est aliquod animæ proprium, atque genuinum bonum, nam reliqua bona externa, opes, deliciæ, & alia id genus, non quidē animæ, sed corporis solius bona sunt. Huc spectauit Lactantius contra Gen. lib. 1. *Magno, & excellenti ingenio viri contēptis omnibus ad inquirendæ veritatis studium se contulerunt, existimantes multo esse præclarius diuinarum humanarūmque rerum inuestigare rationes, quàm aut struendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere, quibus rebus, quoniam fragiles & terrena sunt, & ad solius corporis pertinent cultum, nemo melior, aut ditior effici potest.* Ex eo autem quod scientia animæ propria, & peculiaris possessio est, fit, vt tunc solùm animus egere, & pauperiem perpeti dicatur, cùm caret sapientia, vndè optimè August. *Maior, ac miserabilior egestas non est, quàm egere sapientia, & qui non eget sapientia, nulla re omnino egere potest; est ergo animi egestas nihil aliud quàm stultitia.* Hæc ille, in lib. de vita beata. Quod si per scientiam, vt sæpè alias in hoc libro, honestatem ipsam, atque virtutem accipiamus, hanc quidem proprium, ac germanum, animi peculium esse, ac per ipsam tantūmodo ditem reddi multis docuimus supra cap. 5. v. 8. & alibi. Lactant. August.

3. Sunt etiam qui hunc locum secundùm aliam *animæ* acceptionem, expositione donant non iniucunda. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum.* Sumitur anima pro vita, & lucis istius vsura, hoc sensu. Vbi non adest scientia, ac rerum cognitio, nullum vitale bonum est, nimirum vitam, & spiritum in se continens, nam quidquid est reliquum boni humani, atque externi, exanime quodammodo, ac demortuum est. Non est absurda hęc interpretatio. Nam Philosophus ideò fœlicitatem, & beatitudinem in bonis externis minimè ponendam esse decernit, lib. 1. Ethic. quia nulla vera ac solida fœlicitas esse potest, quæ in vitali aliqua ipsius hominis operatione sita non sit. Sed tamen tum hæc, tum etiam superior interpretatio ideo mihi probari nō possunt, quia cum sequenti hemistychio non cohærent.

4. Ergo Rodolphus cùm vocē *animæ* ad subsequentia verbā referat, in dandi casu prius hemistichium cum posteriori sarcit, atque hunc versum cum superiori contexuit ad hunc modum. Qui ex astu, & calliditate labia torquet, non equidem sapiens, sed insipiens est: cùm autem scientia, & cognitio abest, nullum animæ solidum bonum est, idest, malum prorsus

ſus, atque pernicioſum id animæ eſſe conſtat. *Nam qui ſcientia, & prudentia caret ſimilis eſt cæco, ac luminibus orbato, quem, ſi feſtinet, ſæpius offendere, atque impingere neceſſe eſt.* ideo ſubdit, *& qui feſtinus eſt pedibus peccat.* Et quidem prudentiam, & cognitionem homini pro oculis, ac luminibus eſſe docet Auguſt. (August.) libro. 2. de ciuitate Dei, vbi tradit prudentiſſimos viros à frōte ſimul, & occipitio oculatos eſſe. Et D. Gregor. (Gregor.) libro 29. Moral. de his animantibus agens, quæ à Ioanne in circuitu, & intus plena oculis eſſe memorantur, ea quidem prudentiſſimorum hominum ſimilitudinē gerere dixit. *Quiſquis enim*, ait, *exteriora ſua honeſtè diſponit, ſed interiora negligit, in circuitu oculos habet, ſed intus non habet: ſancti verò, & prudentes homines, ſemper, & exteriora ſua circumſpiciunt, & interiora ſua vigilanter attendunt, quia ſe irreprobabiles interius Iudicis obtutibus parant. Ideo in circuitu oculos & intus habere perhibentur.* Vnde prudentes apud Plato. Græcè πολυόφθαλμοι appellantur, ideſt, multoculi, multis videlicet oculis præditi. Ergo cum tot oculis prudentia conſtet, vir imprudens meritò cæcus dicitur. Sic Auguſt. loco citato, c. 6. *Vir imprudens in cæcitate noxia demens, ac ſtultus permanebit;*

5. Reliqui autem quotquot hæc verba ſic ordinant, vt vocem illam *animæ* ad antecedentia verba reuocent, nam & alteram expoſitionem commenti ſunt. Prior ſic habet. *Vbi non eſt ſcientia* animæ, *non eſt bonum*, qui videlicet ignorat ſuam ipſius animam: concinit hæc interpretatio cum lectione Chaldaïca, quæ ſic habet, *Qui neſcit animam ſuam, non eſt ei bonum*, ideſt, qui animæ ſuæ ingenitam dignitatem, & excellentiam non ſatis callent, nihil boni ſe habere agnoſcunt. Nam reliqua bona ſi cum hoc bono conferantur, bonorum nomen non merentur. Itaque animum reliquis bonis præferendum eſſe docet hæc interpretatio. *Nam quid prodeſt homini*, ait Chriſtus Dominus *ſi vniuerſum mundū lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* Adde etiam ei, qui hanc animæ ſuæ dignitatem ignorat, perinde eſſe, ac ſi illam non haberet ſicut is, qui lapidē pretioſum apud ſe habet, quamdiu illius valorem, & æſtimationem non agnoſcit, nihil differt ab eo, qui non habet. Audi Chryſoſtomum (Chryſoſt.) de pretio animæ. *Pretium animæ non eſt, ne vniuerſus quidem mundus, ideo Saluator ait, Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Vt autem ſcias, ne vniuerſum quidem mundum eſſe pretium animæ, audi quidnam Paulus dicat, Circuierunt in ouinis, & caprinis pellibus egentes, preſſi, afflicti, quibus dignus non erat mūdus.* (ideſt, quibus mundus vniuerſus valore impar erat.) Subdit. *Mundus enim eſt propter animam. Quemadmodum ergo non elegerit pater domum præ filio, ita nec Deus mundū præ anima, ſed operibus, & recte factis opus eſt. Vis ſcire quantum ſit pretium animarum? redempturus eam vnigenitus non mūdum dedit, non hominem, non terram, non mare, ſed ſuum pretioſum ſanguinem. Vidiſti magnitudinem pretij, quando ergo eam tanti emptam perdideris, quomodo poteris eam deinceps emere?* Hæc ille, qui deinde ſubdit. *Vidiſti quàm ſit pretioſa anima, & quāta ſit eius dignitas. ne eam ergo negligas, & captiuā efficias.*

6. Aliter etiam ſenſus conformari poteſt. *Vbi non eſt ſcientia animæ.* Duplex vtique ſcientia vel prudentia; alia carnis prudentia dicitur, alia ſpiritus, vel animæ. Ergo ait, qui animæ, id eſt, ſpiritus prudentia caret, etiam ſi carnali altera prudētia plurimū valeat, nihil boni propterea obtinet, quinimo pernicioſa, & nociua illi iſthæc prudētia, eſt enim temeraria, ac præceps valde, atque adeo multarū ruinarū cauſā offert. hoc ſibi vult illud, *Et qui feſtinus eſt pedibus offendit.*

Cæterùm quamuis hæc non ineptè dicta ſint, exiſtimo tamen ſententiam huius loci ſyncerius eſſe ex-

A ponendam hoc modo. *Vbi non eſt ſcientia animæ*, &c. ideſt, prudentia. Hanc enim ſcientiam animæ meritò vocat, quia quidquid cognitionis aut notitiæ in corpore eſt ſenſibus partum, circa præſentia verſatur, prudentia verò, & proſpicientia, abſentia, & longè poſita ſpeculatur, de præteritis ſtatuit, & de futuris decernit, ob eam cauſam ſcientia animæ dicitur. Ergo ait, quicumque prudentia eget, præſtantiſſimo atque vtiliſſimo bonorum omniū bono caret, qui enim abſque prudentia, & conſilio res temerè, & feſtinanter perficit, ſæpiſſimè offendens corruet. Cum hac interpretatione concinit verſ. ſequens. Extrema clauſula reſpondet peruulgatæ illi ſententiæ, *Feſtina lentè*, ex qua aliæ atque aliæ fluxerunt. Sophocles, (Sophocles.)

B *Periculoſa eſt*, inquit, *præpropera prudentia.*

Menander.

Multis malorum cauſa feſtinatio eſt.

Plato in Politico, *Qui plus ſatis feſtinat initio, ſerius ad finem peruenit.* (Plato.) Adde etiam veterem illam Parœmiam, *Canis feſtinans cæcos parit catulos.*

---

3. *Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius; & contra Deum feruet animo ſuo.*

STultitia, &c. Hebr. *Stultitia hominis detorquebit viam eius*, &c. Septuaginta. *Imprudentia viri* 7.
vaſtat vias eius, Deum autem accuſat corde ſuo. Sym-
C mac. *Et contra Dominum iraſcetur cor eius.* in originibus ſubeſt verbū זעף *Zaghaph*, quod ſignificat magnā animi perturbationē ſiue ex triſtitia, ſiue ira eueniat. Itaque aliquando ſignificat *iraſci* nimium, aliquando *triſtari*. Vide exempla in Lexicis. Aliqui exiſtimant hoc verbum propriē dici de mari, cùm æſtu ſuo aſſurgit, & inde ad iram, vel triſtitiam notandam transferri Nā Ionæ 1. dicitur, *Stetit mare à furore ſuo*, Hebr. מזעפו *Mizghaphu*. ab eadē radice, ideſt, à feruore, & æſtu ſuo. Rurſus alii volunt propriùs de ira, & per tranſlationem de mari enunciari, ſed hoc diſſidium leuioris momenti eſt.

Ergo vox illa, *ſtultitia*, anceps eſt, aut enim preſsè accipi poteſt pro ignoratione, & inſcitia, aut in vni-
D uerſum pro omni improbitate, vt ſæpè aliàs in hoc libro; ſicut enim ſtultus improbum paſſim notat, ſic etiam ſtultitia improbitatē ſignificat. Ergo cum his, qui improbitatem omnem eo nomine cenſeri exiſtimant, totius loci ſententiam conſtruere licet ad hūc modum. *Stultitia hominis ſupplantat vias eius.* Nimirum improbitas dum peccandi, & tranſgrediendi licentiam offert, paulatim hominem à recta via honeſtatis, & virtutis abducit, abductum verò iam, & deuium in tantam nequitiam agit, vt Deum ipſum probris appetere, illumque iniuriis, ac maledictis, laceſcere audeat. Hæc enim eſt extrema prauitatis meta. Itaque ſignificat improbitatem ſenſim ali, & ex parua in magnam euadere, niſi ab initio comprimatur,
E Sententia quidem vera eſt, ſed, ni fallor, alia Salomonis mens.

Poſtulat autem, vt vox illa, *ſtultitia*, preſsè accipiatur, vt ſonat, pro ignoratione & inſcitia, iuxta quā acceptionem duplex ſenſus efformari poteſt. Primus ſic habet. *Stultitia hominis*, &c. homini, ſcilicet imprudenti, & ignaro, ſua ipſius ignorantia, & imprudentia multorū errorum cauſa exiſtit. Hic verò poſtquā aberrauit, errores ſuos non ſibi, ſed diuinæ prouidentiæ imponit, fatum ſuum, ac ſydera perperam incuſat. Hoc ſibi vult tranſlatio Sep. *Deum autem accuſat corde ſuo*, qui enim ſcelera ſua fato, aut ſyderibus adſcribit, vtiqua culpā in Deum confert. D. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. cap. 1. *Ille verò, qui fatum, aut poſitionem ſtellarum quodammodo decernentiū qualis quiſque* (Auguſt.) 8.

quæ sit, & quid ei proueniat boni, quid ve mali accidat ex Dei voluntate suspendunt: si easdem stellas putant hanc habere potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentes ista decernant, magnam cælo faciunt iniuriam, in cuius velut clarissimo senatu, ac splendidissima curia, opinantur scelera facienda decerni: qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset genere humano decernente fuerãt auertenda. Aut si non dicũt stellas accepta à Deo potestate ista arbitrio suo decernere, sed in talibus diuina iussa complere, itane in ipsius Dei, ac totius Trinitatis consessu sentiendum est, quod indignissimũ visum est de stellarum voluntate sentire? Hæc Aug. Legatur idem in Psal. 31. ad illa verba: *Pronunciabo aduersus me iniustitias meas Domino.* Vbi addit plures suorum criminum Deum ipsum reum facere, nimirũ omnes illos, qui fata sua causantur. *Fortè, inquit, dicas, nemo est, qui hoc dicat,* (nimirum culpas suas Deo adscribẽdas) *imo potius multi hoc dicunt, sed & qui hoc non dicunt, & aliud dicunt, quid dicunt? Fatũ mihi fecit, stellæ meæ fecerunt, ita iam per circuitũ ad Deum volunt peruenire, per circuitum inquam volũt peruenire ad Deum accusandum, qui nolunt de compendio venire ad Deum placandum. Fatum mihi fecit, Quid est Fatum? Stellæ fecerunt, Quid sunt stellæ? certè istæ, quas in cælo conspicimus. Et quis eas fecit? Deus. Quis eas ordinauit? Deus. Ergo (vides quod voluisti dicere) Deus fecit vt peccarẽ.* scilicet per hos anfractus: & alibi dicit eorum voces, *qui fata sua, ac sydera accusant quasi per cannam longam ad Deum accusandum peruenire.* Sumpta scilicet, similitudine à pueris, qui tenues voces per cannam longam, & perforatam regunt: (quod vulgo dicitur, *Hablar por ceruatana.*) Sicut enim istorum verba his, qui propius hærent nihil percipientibus, vel audientibus, ad eum tantum peruenire solent, qui extremam arundinis partem tenet; sic etiam eorum, qui fata incursant sua, homines forsan, verba non satis callent, nec sententiam percipiunt. at Deus ipse, qui rationum, aque cõsiliorum omnium fines tenet, perspicuè, callet ac percipit, atque istam accusationem ad se demum spectare, culpamque omnem in se vnũ coniici apprimè intelligit,

9. Chrysost. Denique audiendus est D. Chrys. in oratione 3. de Prouidentia Dei. *Quando verò, inquit, in peccata inciderint grauia, tunc fatum causant: quasi verò hoc modo constitutum illis supplicium effugituri sint, & non grauiores pœnas daturi. Non enim tam tetra res est peccare, quàm post peccatũ nõ pudere, & propter scelera sua Deum ipsũ accusare. Hoc omni peccato funestius est, hoc etiam diabolus facere cõtendit, vt non solum ad virtutem remissi & ad scelera procliues simus, & omniũ causã Deo assignemus; sed animo, ac lingua ad maledicẽdum apparati defensione afferẽda Deum accusemus, & à nobis hac patrantibus reprehensionem deoneremus, & in eum, qui qui autor non est, culpam traducamus.* Et infra, eos, qui ad eum modum culpas suas Deo imponunt, sic vrget

Chrysost. Chrys. *Atqui si quis tale quid in hominibus designarit, ad accusatio:ẽ eius, & internecionẽ hoc satis esset. Quãdo enim alterum quis per calumniam accusat, etiamsi nihil præterea mali patrauerit, hoc tunc facinus eodem supplicio plectitur, quo reliquorum sontium.* Quasi dicat, in eos, qui hominem aliquem falsi cuiuspiam criminis accusant, pæna talionis ferri cõsueuit, vt scilicet pœnam sustineat criminis ille, qui alteri falsò imponit. Ad eundem modum, qui scelera sua in Deum falsò coniiciunt, quamlibet ipsi eadem patrãdo nec rei essent, nec pœnæ subiacerent, vel exeo solùm, quod falsi criminis Deum insimulãt, eiusdem criminis pœnam subire cogendi essent. Hæc Chrysostomus.

10. Nazianz. Denique aliter locus iste exponi potest. *Stultitia hominis supplantat gressus eius,* &c. Nimirum sæpius homo res illas, quas perficere apud se statuit, nec absoluere, neque ad exitum perducere valet, cumque id suæ ipsius imprudentiæ, & ignorationi adscribere deberet, diuinæ tamen prouidentiæ illud attribuit, & in ipsam culpam regerit suam, adeo, vt in eam audacter inuehi non vereatur. Id sibi vult illud, *Et contra Dominum feruet animo suo,* quod ad iram referendum est, sumpta similitudine ab æstu maris, nimirum sicut mare exæstuans assurgit, & in cœlũ ipsum erigit, sydera ipsa fluctibus spumisq; lacessere videtur, sic etiam isti imprudentiæ suæ lapsus, & errores diuinæ prouidentiæ temerè affigentes in ipsum Deum temerè incurrunt. *Tanquam fluctus feri maris despumantis suas confusiones,* vt ait Iudas & Gregor. Naz. in Iambico de ira,

Medicamen alijs Deus menti obuius,
Ast ira primò numini occludit fores
Cùm grauior extat si diu quis proferat.
Malum ingrauescit ingit hunc conuitijs
Vidi ipse saxa, puluerem & verba aspera
Qui iaceret in Deum,

---

4. *Diuitiæ addunt amicos, à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.*

Diuitiæ addunt amicos, &c. Hebræa non dissonant, Septuag. *Inops autem, & ab amico qui erat deseritur.* Symm. *Separatur.* Chald. *Diuitiæ adducunt amicos plurimos.* 11.

Beda locum istum spiritualiter ad prædicatores, & doctores conuertit his verbis. *Diuitiæ regni cælestis, quæ per sanctos doctores fidelibus tribuẽda prædicantur, multos amicos eisdem doctoribus, & eorum largitori Domino asciscunt. A Philosophis autẽ cæterisque gentium magistris, quia nihil certæ beatitudinis in futurum nõrunt promittere, & hi, quos habuere separantur, scilicet conuersi ad fidem spemque Dominicæ passionis certissimam.* Ergo præfati doctoris vestigia premens Iansenius ex illis verbis subtiliorem intelligentiam pro liberalibus contra auaros producit hoc modo. *Diuitiæ addunt amicos plurimos,* Diuitię, inquã, liberaliter profusæ multos amicos elucrãtur, iuxta illud, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. A paupere autem, & hi, quos habuit, separantur.* Nimirum ab eo, qui auarè bona sua seruat (auarus enim verè pauper est, cui scilicet tam desunt ea quæ habet, quàm quæ non habet, atque adeo vtrisque æqualiter caret, per omnia indigus, & mendicus) Amici, si quos aliquando nactus est, auaritiam eius detestantes longiùs abscedunt, vtrumque sane æquè certum. Beda.

Existimo tamen verba ista iuxta litteram capienda esse vt sonant, loquitur autem Salomon non de his, qui veri amici sunt, & societatem ex amico colunt, sed de his, qui commodis suis studentes amicitias mentiuntur, ac semetipsos, suaque potius quàm amicos diligunt. Ex his ergo, inquit, numerũ quàm maximum diuitiæ conciliant. *Diuitiæ addunt amicos.* Septuaginta habent, *amicos multos.* Amici autem veri ex animo amicitiam colentes numquam multi, sed vix vnus, aut alter. Hinc est illud Euripidis in Melissa Antonij Monachi. *Hoc scio, & plane expertus sum, quod omnes amici sint diuitibus,* imo potius nullus eorum amicus est, omnes enim diuitias, & copias illorum colunt, non illos. Cui consonat illud Crateris apud Maximum in sermone 11. de adulatione, qui adolescentem opulentum multos amicos numerantem sic alloquutus dicitur. *Adolescens, doleo tuam solitudinem.* Subdit Salomon: 12. Anton. Maxim.

A paupere autem & hi, quos habuit, separantur, scilicet non veri, sed simulati amici, qui fortunam sequũtur, atque adeo ad ipsius conuersionem mutantur.

tur. *Et hi quos habuit.* Hi nimirum quos diues cùm eſſet ſibi familiares eſſe putabat. *Separantur*, &c. Sententia eſt obuia:

Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

5. *Teſtis falſus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur non effugiet.*

13. TEſtis falſus, &c. Hebræa non diſſonant. Sept. *Et qui accuſat inique, non effugiet.* Aquila, & Theodot. *Teſtis falſus non erit innocens.* eodem ſenſu accinit Chaldæus.

Sententia eſt perſpicua, poteſt tamen dupliciter conformari. Primò ad hunc modum. *Teſtis falſus non erit impunitus.* Nimirum qui falſum teſtimonium aduerſus proximum ſuum promit, non euadet ſupplicium, etiam apud homines. Nam falſitas tandem aliquando ipſa ſe prodit, atque adeo is qui fallit, pœnis ſubiacet falſi, de quibus pœnis aliàs diximus. Secundo aliter ſenſus inſtrui poteſt. *Teſtis falſus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet*, ideſt, Nonnunquam accidit, vt is, qui falſum teſtimonium alteri impoſuit latente dolo ſui facinoris apud homines pœnas declinet, & impunis abeat. Hic ergo, ait Salomon, qui hominum pœnas vitauit, ne propterea ab omni ſupplicio immunem fore ſe exiſtimet: nam Dei iudicio tandem aliquando reus comprobabitur, & pœnas meritas luet. Aliqui inter falſum teſtem, & eum qui mendacia loquitur, diſcrimen eſſe volunt, mihi verò mera repetitio videtur, & quidem falſos teſtes iudicio Dei puniendos aptè committit Salomon; huic enim iudicio propria conſcientia hominem ſiſtit, atque adeo nullis fraudibus deludi, aut declinari poteſt.

6. *Multi colunt perſonam potentis; & amici ſunt dona tribuentis.*

7. *Fratres omnes pauperis oderunt eum; & amici procul receſſerunt ab eo.*

14. MVlti colunt, &c. Hebr. *Multi colunt perſonam liberalis, & omnis ſocius viro donorũ.* Chald. *Multi ſunt, qui miniſtrant coram Principe, ſed malis dat munera.* Sept. longè aliter. *Multi colunt faciem Principis, omnis autẽ malus fit opprobriũ viro.* Symm. *Omnis amicus viri donorum.* Diſſidium inter Sept. & alios interpretes induxit anceps ſignificatio vocis הרע *Hareangh*, quæ ſi fluat ex radice רעה *Raghah* amicum ſonat, ſi autem referatur ad vocem רע *Ragh*, malum, ac nequam. Rurſus dictio illa מתן *Mathan*, domum ſignificat, & accipitur aliquando pro anathemate, ſeu ſpolio, quod in hoſtis debellati opprobrium ſuſpendi ſolebat. Ergo Sept. duas poſteriores ſignificationes amplexi locum iſtum ſic extulerunt. *Omnis autem malus fit opprobrium viro.* Cuius lectionis ſenſum poſtea dabo.

Fratres omnes pauperis, &c. Hebr. ad verbum. *Omnes fratres mendici oderunt eum, quanto magis à ſocio ſuo ſe elongauerunt*, vt, ſcilicet, fiat argumentum à maiori ad minus. Huc ſpectant Sept. *Omnis, qui fratrem inopem odit, etiam ab amicitia longè erit.*

Hæc verba ad verſus quarti ſententiã alliciunt interpretes & duplici ſenſu donandam eſſe affirmant. Vel enim ſuadet Salomon liberalitatem, quia hæc amicos plurimos conciliat, & auaritiam ſordeſque incuſat, quia non amicorum ſolum, ſed etiam fratrũ amorẽ in odiũ conuertũt. Vel aliter. Falſæ atq; ſimulatæ amicitiæ naturã aperit, quæ. ſ. diuitũ, ac potẽtũ gratiam aucupatur, pauperũ verò etiam fratrũ ſo-

A cietatẽ fregit. De quibus ſatis multa ſuprà diximus.

Chaldaica tranſlatio alium ſenſum reddit. *Multi ſunt, qui miniſtrant corã Principe, ſed malis dat munera.* Nimirum plerumque ita euenire ſolet, vt cùm multi ſint qui Principibus obſeruiunt, vt eorũ gratiam promereantur, ex omnibus tamen hi, qui deteriores ſunt, præſtantiſſima munera ab iiſdem referãt. Mali, n. adulatione, & aliis quibuſdam ſimulatis officiis Principes ſibi obſtringere ſolent; boni autẽ nõ ita, ſed pietate, & honeſtate. Simulatio autẽ & adulatio apud Principes pluris eſſe conſueuit, quã pietas, & honeſtas. Quid certius? ſed tamẽ cũ hæc interpretatio cũ ſequenti verſu nõ cohæreat, refutanda eſt.

Sept. etiam alium ſenſum offerunt. *Multi colunt* 15. Septuag.
B *perſonam Principis: omnis autem malus fit opprobrium viro*, in originibus pro Principe ſubeſt vox נדיב *Nadib.* quæ liberalem, & beneficum adſignificat. Item nomine mali non alium, niſi auarum, & ſordidũ capiendum hîc exiſtimo: nam vox illa רע *Ragh*, ſæpius eo ſenſu accipitur, nec non etiam Latina vox, *malus*, vt aliqui obſeruant ad illa verba Pſal. 139. *Eripe me Domine ab homine malo*, &c. Ergo ſenſus eſt, liberalẽ vtique, atq; beneficum Principẽ nullus violare audet. Nam liberalitatem omnes ſuſpiciunt, & obſeruantiſſimè colunt. Sordidum verò & illiberalẽ quiuis temerare audet. Et quidem nihil magis Principũ mores, aut decet, aut dedecet, quàm beneficentia & auaritia. Vel aliter melius, homini cuilibet liberali,
C & benefico omnes tanquam Principi & Regi deferunt, eſt. n. liberalitas digna Principe virtus, quæ nõ modo Reges decet, ſed etiam facit. E contra verò *omnis malus.* i. omnis auarus, *opprobriũ eſt viro.* i. apud omnes ſordidus, & exprobrabilis habetur; quemadmodum. n. liberalitas, & beneficentia priuatos homines ad regni gloriã extollit; ſic etiam parcitas, & auaritia ipſoſmet Principes è ſolio deponit, & in ſordidiſſimorum hominum cẽſum refert. Quid certius?

Sequens verſus cum iſto cohæret. *Fratres omnes* 16.
pauperis oderunt eum. Nimirum vir pauper, & anguſtia rerum preſſus, non modo alienis, ſed etiam ſuis inuiſus accidit, adeo vt fratres etiam ipſi in illum indignari ſoleant. *Et amici procul receſſerunt ab eo*, quaſi
D dicat, non fratres ſolum, ſed, quod grauius eſt, ipſi amici (quorum gratia omnia conſanguinitatis, & neceſſitudinis vincula ſuperare ſolet, iuxta illud, *Melior eſt amicus amicabilis, quàm frater*) amici, inquam, ipſi, pauperem, ac tenuem hominem deuitare ſolẽt, vel aliter, ſi ſententiã horum verborum ad ſenſũ alliciamus, quem ex tranſlatione Septuag. nuper dedimus: pauperis nomine parcus, & auarus homo capiendus erit, quem Salomon hoc verſu perſtringit dicens, ipſum non fratribus modò ſuis, ſed etiã amicis inuidiam, & odium ſui immittere, ſubeſt etiam hîc peculiaris lectio Septuag. quam iam explico.

Omnis, qui fratrem inopem odit, etiam ab amicitia 17.
longe erit. i. qui fratrẽ propterea odit, quia inops eſt,
E hic ad amicitiam colendam prorſus ineptus cenſeri debet. Nam vera, & conſtans amicitia hoc poſtulat, vt amicus neceſſariis ſuis etiam paupertate & inopia preſſis numquam deſit: Qui autem fratrem inopem negligit, facilius, ac procliuius amicum pauperẽ deſeret: ſed licet hîc videatur ſonus verborum, alia tamen eſt ſententia. Verſus iſte cũ ſuperiori coagmẽtandus, in quo de liberalitate ſermo eſt, atq; ſic replicandus eſt. *Omnis, qui fratrem ſuum inopẽ odit*, &c. Fratrem appellat non cognatione ſanguinis, ſed cõmunione humanitatis, quaſi dicat, vir prædiues. qui alium quemlibet in anguſtiis exiſtentem largitionibus ſuis non ſubleuat, non poteſt hominum gratiam inire, nihil enim æquè animos, vel conciliat, vel deterret, quàm liberalitas, vel auaritia.

8. *Qui tantum verba sectatur, nihil habebit: qui autem possessor est mentis, diligit animã suam, & custos prudẽtiæ inuenit bona.*

18. QVi tantum verba sectatur, &c. Hebr. ad verbũ. *Sequens dicta non ipsa*, (hic figitur punctum, ac statim subiicitur.) *Possidens cor diligens animam suam, custodiens intelligentiam ad inueniendum bonum.* Ab hac lectione non abit Chaldæus, qui priorem illam clausulam ad superiorem versum reuocat, atque sic effert. *Vbi sunt qui insectantur verbis suis, nihil eis erit residuum:* ac deinde sic addit. *Qui possidet cor bonum, custodit animam suam: qui custodit prudentiam, inueniet bonũ.* Ceterùm Septuaginta interpretes pleraque verba hîc addunt, quæ non respondent originib. sic.n. habent. *Cogitatio bona sciẽtibus eam appropinquabit, & vir prudens inueniet eam. Multa malefaciens perficit malitiam: qui autem contendit verbis, non saluabitur. Qui possidet prudentiam diligit seipsum: qui autem custodit prudentiam, inueniet bona.* Scholiast. *Qui possidet cor.* sicut nostra.

Ex his, quæ præmisi, liquet priorem illam clausulam, *Qui tantum verba sectatur, nihil habebit*, à plerisque ad superiorem sententiam allici, à quibus non admodum dissentior, atque adeo vtrãque exponendi rationem aggrediar. Præmiserat vtique Salomon liberalitatis laudes, & sordium vituperia: appositè ergo ad hæc subdit; Auaros pecuniis quidem parcere, sed tamen verba liberaliter dare solitos, quapropter quicumq; ait, verba illorũ sectatur, i. pollicitationibus eorũdem fidit, nihil ab his emolumenti, & vtilitatis vnquã referet, cassas & vanas eorũ promissiones experietur. Aliter Caiet. qui verba ista cũ superioribus sic nexuit. *Quanto magis à socio se elongauerunt ab eo sequente dicta non eorũ.* Sed quemadmodum translatio, sic etiam expositio coacta est. Minimè tamen inepta est Rodol. interpretatio, qui verba hæc ad superiora similiter vocans, de liberalitate ad hunc modum exponit. *Qui tãtum verba sectatur, nihil habebit.* i. nihil sibi seruabit, quasi dicat, qui pauper est, atque adeo egenti proximo succurrere non potest, verba saltem gratè ac beneuolè eidem reddat, sic enim nihil sibi asseruabit, nimirum id omne, quod habet illi impendet. Appositè ad hæc Philo Iudæus in quemdam diuitem inuectus, qui pecuniis nequaquam parcens nihil gratum, & suaue his dicebat, quib. plurima donabat. *Erat*, inquit, *pecuniarum profusus, & verborum auarus.* Et quidem haud scio, quænam sit sordida magis auaritia, pecuniis, an verbis parcere, imo potiùs probe scio eam, quæ in verbis est, auaritiam, esse turpiorem: nam qui pecunias donat, & integrata verba miscet, vel gratis ac beneuolis parcit, donum corrumpit, & non iam beneficus amator, sed prædurus osor habetur: qui verò ex aduerso pecunias seruat, atque suauia nihilominùs, & grata verba reddit, nõ solùm auaritiam suã dissimulat, sed liberalis, atq; beneficus æstimatur. Deniq; ex his, qui verba hæc ad superiores sententias aduocãt, extremus est Paraphrastes Chaldæus, cuius trãslatio sic habet. *Vbi sunt, qui insectantur verbis suis, nihil eis erit residuũ.* i. Vbicumque sunt maledici, & exprobratores, nihil boni subesse potest (loquitur autem, ni fallor, de bono amicitiæ, & gratiæ, de quo supra sermonem instituerat:) Quasi dicat, duo sunt inter se admodum similes. s. pauper, atq; maledicus, vterque. n. amicos nullos, & familiares numerat, nam pauperi nullus hæret amicus, virum autem maledicũ obuios quosq; verbis lacessentem omnes fugiũt familiares. Nã quemadmodum verba mitia, & dulcia familiari-

A tatẽ, & amicitiam adstringunt, sic etiam eandem austerior, & acerbior sermo dissoluit. Itaque pauperem amici fugitant, quia eget pecuniis, maledicum verò, quia verborum bonorum indigentia laborat.

Sed tamen his dimissis, Vulgata translatio prædicta verba ad subsequentem clausulam planè refert. 19.
Ait. n. *Qui tãtum verba sectatur, nihil habebit: qui autem possessor est mentis, diligit animam suam*, &c. Inter prudentẽ, atq; imprudentẽ virũ hoc interest, inquit Salomon, quod vir imprudens sui non compos, verbis temerè effusis mentem suam vtique prodit, ac proinde secreti, & arcani nihil sibi seruat. At prudẽs cautusque vir, qui possessor est mentis suæ, nimirum qui sui compos est, nec temerè aperit consilia sua,
B diligit animam suam. i. semetipsum à multis malis & infortuniis immunem, ac liberum præstat, quæ ex proditione mentis, & consiliorum euenire solent. *Et custos prudentiæ inuenit bona.* Hic. s. qui prudenter cõsilia sua celat, non solũ mala vitat plurima, sed etiam pleraque bona sibi comparat, quæ sæpius consiliis cautè celatis efficaciter assequi licet; itaque prudentiæ custodem vocat eum, qui prudentissima consilia sua apud se custodit, clauditque. Mitto alias, atque alias expositiones minus aptas.

In translatione Sept. pleraque adduntur, quæ originibus non respondent, sed tamen ea nunc librare 20.
operæ pretium est. *Cogitatio bona scientibus eam appropinquabit, & vir prudens inueniet eam.* Bonum. s.
C consiliũ, quo aliquid fieri decernitur, homini sapienti ex animi sententia succedet, quia nimirum illud ex prudentia concipit, quod autem prudenter concipitur, ac statuitur, fœliciter euenire solet. Subdit, *Multa male faciens perficit malitiam: qui autem contendit verbis, non saluabitur.* Inter eũ, qui mali aliquid apud se tacitus facere decernit, & illum, qui facinus à se perpetrãdũ aliis aperit, discrimẽ hoc esse dicit, quod is, qui mala tacitus cõmittere audet sæpiùs eadẽ impunè perficit, qui autẽ scelus à se perpetrandũ verbis prodit, nũquã abit impunitus. Vel aliter, *Multa male faciens*, &c. i qui tacet ac verba opprimit, vel scelera ipsa impunè gerit: qui autẽ loquitur, & consilia aperit sua, ea, quæ honesta & recta sunt perficiens, non
D erit à calamitate, & infortunio immunis. Itaq; suadet Salomon secretum tenere, & verbis parcere, quia vir elinguis mala nonnũquam tuto perpetrat, at vir loquax, & arcanorũ proditor, aliquando honestissimas res haud tutè peragit. Addit. *Qui possidet prudẽtiam, diligit seipsum: qui autẽ custodit prudentiã, inueniet bona.* i. qui in hac re, nimirũ in secreti obseruatione cautè, & prudẽter agit, is certè seipsũ diligit. i. sibi ipsi cõsulit cauẽs infortunia, & calamitates, quę secreta pãdentibus euenire solent, nec mala solũ, & infortunia auertit, sed etiam pleraq; bona sibi parit, dum susceptas res per silentium, & ad finem vsque perducit.

E 9. *Falsus testis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia peribit.*

FAlsus testis, &c. Hebr. *Testis falsitatum non erit impunis, & efflans mendacia peribit.* Chald. cõcinit cum nostra. Septuag extrema verba sic extulerunt. *Qui autem accendit malum, peribit ab eo.* 21.

De falso teste supra non pauca diximus, atq; adeo hic locus breuiter transcurrendus. *Falsus testis nõ erit impunitus*, id est, tandem aliquãdo pœnas dabit. Deo quidem supplicium immittente, aut iudice pœnã inferente, aut vtroque mulctam irrogãte. Falsus enim testis Deo perquã inuisus est: nã cũm veritas interposito iureiurando à teste semper exquiratur, sic quidem, vt Dei honor falsi attestatione grauiter læ-datur, quia nimirum falsus testis Deum ipsũ sibi cõ-

testem

testem adiungit, atque adeo illum iustissima indignatione complet, & ad vindictam exacuit. At quonam modo? sanè falsus testis super mendacio Dei fidem obstringit; Deus autem fidem suam liberare volens veritatem ipsam eruit, & in palam dat, atque ea demum ratione mendacem testem prodit, atque omnibus falsi subiicit pœnis. Subdit Salomon.

22. *Et qui loquitur mendacia, peribit.* Hebr. pro verbo loquitur subest יפיח *Iaphiach*, à radice פוח *Phuach*, i. flauit, spirauit, quod verbum, cùm ad sermonẽ accommodatur, libertatem loquendi magnam significat, quam Græci παῤῥησίαν vocant. Itaque sensus est, *Et qui spirat mendacia, peribit.* i. qui liberè, & petulãter mentitur, solet quidẽ mentientis interrupto spiritu voces tremulas dare, & ex aduerso veraces vocem liberã effuso spiritu emittere. Ergo Salomõ ait, qui perinde mendacia effusa, & libera voce promit, sicut ille, qui vera enunciat, *peribit*. Emphasim habet hæc constructio verborum. Nam inter alia signa, & argumẽta, quibus falsi testes gnaris iudicibus innotescunt, alterũ est vox anxia, & tremula. Ergo addit Salomon, Qui falsum testificari volens voces reddit non interruptas & anhelantes, sed liberas, & effusas, perinde ac si vera enũciaret, ne se propterea ab omni falsi suspicione liberũ putet. Nam mendacia ipsius Deus tandem aliquando deteget, atque illum pœnis falsi subiiciet. hoc sibi vult verbũ illud *peribit*. Vel aliter, Ne putet futurum, vt qui falsi opinionẽ apud homines declinauit, simili modo falsi pœnas apud Deum effugiat, quas certissimè pro meritis luet. Potest etiam alio sensu donari tropica illa loquutio ad hunc modum, *Et qui spirat mẽdacia, peribit.* i. qui spiritu illo, & aura quam ducit, & ad verba efformanda expirat, ad mendacia confingẽda, & falsa testimonia dictanda abutitur, dignus est, vt Deo spiritum intercludẽte depereat. eam ob causam Iob c. 27. sic apud se statuit, *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Impium scilicet ratus spiritum, & halitum quem ad mentem profflatis verbis promendam Deus impertit, ad eandem mendaciis tegendam conuertere. Vel aliter. *Et qui spirat mendacia, peribit.* Is nimirum, qui mendaciis iactandis velut aura victitat, tandẽ retectis fraudibus peribit, ac pœnas dabit; vir enim mendax diu latere non potest: quod ducta similitudine ab vrinatore pulchrè dixit Petrarcha lib. 1. de Vita solitaria. *Nemo sub aquis diu viuit, erumpat oportet, ac frontem, quam celabat, aperiat, nam spiritus diu contineri non potest.* Ergo secundùm hanc sententiam, qui spirat mendacia, nequaquam poterit illa diutiùs velare, & opprimere, nam spiritus exiguo admodum tempore teneri potest. Rursus sicut is, qui ventum respirando trahit, actutum expirando emittit, sic etiam qui mendacium asserendo occulit, idem non multo post illud sponte negando patefacit, ac reddit.

Iob 27.

Petrarch.

23. Septuag. Cæterùm Septuaginta interpretes tropicam illã loquutionem aliò deflexerunt, sic enim habent. *Qui autem accendit malũ peribit ab eo.* Sumpta similitudine ab eo, qui ignem flatibus inflãmat. Loquitur autem, ni fallor, in priori quidem hemistychio de falso teste, in posteriori autem de susurrone: alter enim alteri valdè affinis est. Itaque ait, falsus testis reuelatis fraudibus pro meritis punietur, nec nõ susurrones aut bilingues, qui dictis, aut delationibus suis, velut flatibus suborientium malorum scintillas accendunt, ab eodem incendio, quod ipsi excitarunt correpti miserè peribunt: sic ferè fraudulentis delatoribus, ac susurronibus vsu venit, vt suis ipsorum obloquutionibus euicti, & iisdẽ calamitatibus, quibus ipsi occasionem dederunt, oppressi, pœnas luãt.

A

10. *Non decent stultum delitiæ, nec seruum dominari Principibus.*

Non decent stultum delitiæ, &c. Hebr. hunc sensum reddunt. *Non est decora stulto delectatio, quanto magis seruo dominari in Principes.* Itaque argumentum est à minori ad maius. Chaldæus cohæret cum nostro. Septuaginta etiam non longè abeũt. *Non conferunt stulto delitiæ, & si seruus incipiat cum contumelia dominari.* Alij ex Græcis. *Nec seruum dominari Domino, aut dynastæ.* 24.

Rodolph. Rodolphus hæc verba per quandam comparationem edisserendam esse putat hoc modo. *Non decent stultum delitiæ.* i. tantum abest, vt delitiæ, & voluptates immodicæ sapientibus conueniant, vt ne stultis quidem eædem congruere putandæ sint. Ac rursus contumeliosa, atque superba imperia in subditos tãtum abhorrent à generosis, & excelsi animi Principibus, vt eadem seruis, qui ferè imperium nacti insolescunt, valdè indecora sint. In hanc interpretationem propterea, ni fallor discessit Rodolphus, quia in codice Hebraïco pro particula illa, *nec*, subest אפכי *Aphchi*, id est, quia etiam, quę solent esse notæ comparationis, vt aliàs docuimus. Itaque præfatus autor putat his verbis delitias, & plena fastu imperia damnari à Salomone, ex eo, quia nullis nõ indecora sint. Et sanæ delitiæ insipientes, atque sapientes dedecẽt, hos quidem non solùm, quia voluptates nimiæ sapientiam hebetant, sed etiam quia nihil magis cum sapientia coniunctum, quàm delitias aspernari: illos etiam non tantùm quia stultum coërcere, & dolere oportet, non deliniri, & oblectari; sed etiam quia delitiæ nimiæ stultitiam & imprudentiam augere solent. Rursus contumeliosè ac superbè dominari à gloriosis Principibus, atque inglorii seruis æquè abhorret, ab his quidem, quia generosum, atque excelsum imperium est, cùm subditi sponte & veluti natura suadente inseruiunt; hoc autem præstat facilis, & minimè superba dominatio: ex aduerso humile, & inglorium est imperium, cùm subditi ægrè, & per vim acquiescunt, quod ex fastu, & superbia Principis euenire solet: ab illis verò, quia licet serui, & humiles viri imperium nacti efferre, & insolescere plerumque soleant, nil tamen ab ipsis alienũ magis esse deberet, quàm elatio, & fastus, nam humilis eorum conditio id postulare videbatur, vt subditis suis quodammodo inferiores, nedum pares, aut superiores sese exhiberent.

25. Alij interpretes collationem aliter instituunt, nimirum stultum, ac seruum comparari existimant hac ratione. *Indecora est stulto delectatio, quanto magis seruo dominari in Principes.* Sententiã verò non eruunt, potest autem sic conformari. Stultum sibi ipsi placere, gaudere, & oblectari, ita vt se sapientem esse fallaci opinione putet, valdè absurdum est, sed longè absurdius est, si vilis, degener, atque seruilis conditionis homo tantum sibi arroget, vt aliis præcipuis, ac ingenuis viris se præferendum putet. Itaque duo quædam valde absurda inter se confert Salomon, stultum, qui apud semetipsum falsa opinione sapiẽtiæ gestit, & vilem ingloriumque virũ, qui sibi plurimum sumens alios generosos, ac nobiles præ se viles ducit. Priori autem posteriorem anteponit, quia hic opinione atque æstimatione hominum deterius agit: sed licet hæc non ineptè dicta sint, tamen Vulgatæ lectioni non facile accommodantur.

Quapropter reliqui interpretes præmissa verba sic æstimant, vt sonant. *Non decent stultum delitiæ, nec seruũ dominari Principibus.* i. solatia, & feriæ, quæ sapientibus propterea dantur, vt labores intermittãt, quos

8. *Qui tantum verba sectatur, nihil habebit: qui autem possessor est mentis, diligit animā suam, & custos prudētiæ inueniet bona.*

18. QVi tantum verba sectatur, &c. Hebr. ad verbū. *Sequens dicta non ipsa*, (hîc figitur punctum, ac statim subiicitur.) *Possidens cor diligens animam suam, custodiens intelligentiam ad inueniendum bonum.* Ab hac lectione non abit Chaldæus, qui priorem illam clausulam ad superiorem versum reuocat, atque sic effert. *Vbi sunt qui insectantur verbis suis, nihil eis erit residuum*: ac deinde sic addit. *Qui possidet cor bonum, custodit animam suam: qui custodit prudentiam, inueniet bonū.* Ceterùm Septuaginta interpretes pleraque verba hîc addunt, quæ non respondent originib. sic. n. habent. *Cogitatio bona scientibus eam appropinquabit, & vir prudens inueniet eam. Multa malefaciens perficit malitiam: qui autem contendit verbis, non saluabitur. Qui possidet prudentiam diligit seipsum: qui autem custodit prudentiam, inueniet bona.* Scholiast. *Qui possidet cor.* sicut nostra.

Ex his, quæ præmisi, liquet priorem illam clausulam, *Qui tantum verba sectatur, nihil habebit*, à plerisque ad superiorem sententiam allici, à quibus non admodum dissentior, atque adeo vtràque exponendi rationem aggrediar. Præmiserat vtique Salomon liberalitatis laudes, & sordium vituperia: appositè ergo ad hæc subdit; Auaros pecuniis quidem parcere, sed tamen verba liberaliter dare solitos, quapropter quicumq; ait, verba illorū sectatur. i. pollicitationibus eorūdem fidit, nihil ab his emolumenti, & vtilitatis vnquā referet, cassas & vanas eorū promissiones experietur. Aliter Caiet. qui verba ista cū superioribus sic nexuit. *Quanto magis à socio se elongauerunt ab eo sequente dicta non eorū.* Sed quemadmodum translatio, sic etiam expositio coacta est. Minimè tamen inepta est Rodol. interpretatio, qui verba hæc ad superiora similiter vocans, de liberalitate ad hunc modum exponit. *Qui tātum verba sectatur, nihil habebit.* i. nihil sibi seruabit, quasi dicat, qui pauper est, atque adeo egenti proximo succurrere non potest, verba saltem gratè ac beneuolè eidem reddat, sic enim nihil sibi asseruabit, nimirum id omne, quod habet illi impendet. Appositè ad hæc Philo Iudæus in quemdam diuitem inuectus, qui pecuniis nequaquam parcens nihil gratum, & suaue his dicebat, quib. plurima donabat. *Erat*, inquit, *pecuniarum profusus, & verborum auarus.* Et quidem haud scio, quænam sit sordida magis auaritia, pecuniis, an verbis parcere, imo potiùs probe scio eam, quæ in verbis est, auaritiam, esse turpiorem: nam qui pecunias donat, & integrata verba miscet, vel gratis ac beneuolis parcit, domum corrumpit, & non iam beneficus amator, sed prædurus osor habetur: qui verò ex aduerso pecunias seruat, atque suauia nihilominus, & grata verba reddit, nō solùm auaritiam suā dissimulat, sed liberalis, atq; beneficus æstimatur. Deniq; ex his, qui verba hæc ad superiores sententias aduocāt, extremus est Paraphrastes Chaldæus, cuius trāslatio sic habet. *Vbi sunt, qui insectantur verbis suis, nihil eis erit residui.* i. Vbicumque sunt maledici, & exprobratores, nihil boni subesse potest (loquitur autem, ni fallor, de bono amicitiæ, & gratiæ, de quo supra sermonem instituerat:) Quasi dicat, duo sunt inter se admodum similes. s. pauper, atq; maledicus, vterque. n. amicos nullos, & familiares numerat, nam pauperi nullus hæret amicus, virum autem maledicū obuios quoq; verbis lacessentem omnes fugiūt familiares. Nā quemadmodum verba mitia, & dulcia familiaritatē, & amicitiam adstringunt, sic etiam eandem austerior, & acerbior sermo dissoluit. Itaque pauperem amici fugitant, quia eget pecuniis, maledicum verò, quia verborum bonorum indigentia laborat.

Sed tamen his dimissis, Vulgata translatio prædicta verba ad subsequentem clausulam planè refert. 19.
Ait. n. *Qui tātum verba sectatur, nihil habebit: qui autem possessor est mentis, diligit animam suam*, &c. Inter prudentē, atq; imprudentē virū hoc interest, inquit Salomon, quod vir imprudens sui non compos, verbis temerè effusis mentem suam vtique prodit, ac proinde secreti, & arcani nihil sibi seruat. At prudēs cautusque vir, qui possessor est mentis suæ, nimirum qui sui compos est, nec temerè aperit consilia sua, diligit animam suam. i. semetipsum à multis malis & infortuniis immunem, ac liberum præstat, quæ ex proditione mentis, & consiliorum euenire solent. *Et custos prudentiæ inuenit bona.* Hic. s. qui prudenter cōsilia sua celat, non solū mala vitat plurima, sed etiam pleraque bona sibi comparat, quæ sæpius consiliis cautè celatis efficaciter assequi licet: itaque prudentiæ custodem vocat eum, qui prudentissima consilia sua apud se custodit, clauditque. Mitto alias, atque alias expositiones minus aptas.

In translatione Sept. pleraque adduntur, quæ originibus non respondent, sed tamen ea nunc librare operæ pretium est. *Cogitatio bona scientibus eam appropinquabit, & vir prudens inueniet eam.* Bonum. s. consiliū, quo aliquid fieri decernitur, homini sapienti ex animi sententia succedet, quia nimirum illud ex prudentia concipit, quod autem prudenter concipitur, ac statuitur, fœliciter euenire solet. Subdit, *Multa male faciens perficit malitiam: qui autem contendit verbis, non saluabitur.* Inter eū, qui mali aliquid apud se tacitus facere decernit, & illum, qui facinus à se perpetrādū aliis aperit, discrimē hoc esse dicit, quod is, qui mala tacitus cōmittere audet sæpiùs eadē impunè perficit, qui autē scelus à se perpetrandū verbis prodit, nūquā abit impunitus. Vel aliter, *Multa male faciens*, &c. i qui tacet ac verba opprimit, vel scelera ipsa impunè gerit: qui autē loquitur, & consilia aperit sua, ea, quæ honesta & recta sunt perficiens, non erit à calamitate, & infortunio immunis. Itaq; suadet Salomon secretum tenere, & verbis parcere, quia vir elinguis mala nonnūquam tuto perpetrat, at vir loquax, & arcanorū proditor, aliquando honestissimas res haud tutè peragit. Addit. *Qui possidet prudētiam, diligit seipsum: qui autē custodit prudentiā, inueniet bona.* i. qui in hac re, nimirū in secreti obseruatione cautè, & prudēter agit, is certè seipsū diligit. i. sibi ipsi cōsulit cauēs infortunia, & calamitates, quę secreta pādentibus euenire solent, nec mala solū, & infortunia auertit, sed etiam pleraq; bona sibi parit, dum susceptas res per silentium, & ad finem vsque perducit. 20.

9. *Falsus testis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia peribit.*

FAlsus testis, &c. Hebr. *Testis falsitatum non erit impunis, & efflans mendacia peribit.* Chald. cōcinit cum nostra. Septuag. extrema verba sic extulerunt. *Qui autem accendit malum, peribit ab eo.* 21.

De falso teste supra non pauca diximus, atq; adeo hic locus breuiter transcurrendus. *Falsus testis nō erit impunitus*, id est, tandem aliquādo pœnas dabit. Deo quidem supplicium immittente, aut iudice pœnā inferente, aut vtroque mulctam irrogāte. Falsus enim testis Deo perquā inuisus est: nā cùm veritas interposito iureiurando à teste semper exquiratur, sit quidem, vt Dei honor falsi attestatione grauiter lædatur, quia nimirum falsus testis Deum ipsū sibi cōtestem

testem adiungit, atque adeo illum iustissima indigna- A tione complet, & ad vindictam exacuit. At quonam modo? sanè falsus testis super mendacio Dei fidem obstringit; Deus autem fidem suam liberare volens veritatem ipsam eruit, & in palam dat, atque ea demum ratione mendacem testem prodit, atque omnibus falsi subiicit pœnis. Subdit Salomon,

22. *Et qui loquutur mendacia, peribit.* Hebr. pro verbo loquitur subest יפיח *Iaphiach*, à radice פוח *Phuach*. i. flauit, spirauit, quod verbum, cùm ad sermonẽ accommodatur, libertatem loquendi magnam significat, quam Græci παῤῥησίαν vocant. Itaque sensus est, *Et qui spirat mendacia, peribit.* i. qui liberè, & petulãter mentitur, solet quidẽ mentientis interrupto spiritu voces tremulas dare, B & ex aduerso veraces vocem liberã effuso spiritu emittere. Ergo Salomõ ait, qui perinde mendacia effusa, & libera voce promit, sicut ille, qui vera enunciat, *peribit*. Emphasim habet hæc constructio verborum. Nam inter alia signa, & argumẽta, quibus falsi testes gnaris iudicibus innotescunt, alterũ est vox anxia, & tremula. Ergo addit Salomon, Qui falsum testificari volens voces reddit non interruptas & anhelantes, sed liberas, & effusas, perinde ac si vera enũciaret, ne se propterea ab omni falsi suspicione liberũ putet. Nam mendacia ipsius Deus tandem aliquando deteget, atque illum pœnis falsi subiiciet. hoc sibi vult verbũ illud *peribit*. Vel aliter, Ne putet futurum, vt qui falsi opinionẽ apud homines declinauit, simili modo falsi pœnas apud C Deum effugiat, quas certissimè pro meritis luet. Potest etiam alio sensu donari tropica illa loquutio ad hunc modum, *Et qui spirat mẽdacia, peribit.* i. qui spiritu illo, & aura quam ducit, & ad verba efformanda expirat, ad mendacia confingẽda, & falsa testimonia dictanda abutitur, dignus est, vt Deo spiritum intercludẽte depereat. eam ob causam Iob c. 27. sic apud se statuit, *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Impium scilicet ratus spiritum, & halitum quem ad mentem proflatis verbis promendam Deus impertit, ad eandem mendaciis tegendam conuertere. Vel aliter. *Et qui spirat mendacia, peribit.* D Is nimirum, qui mendaciis iactandis velut aura victitat, tandẽ retectis fraudibus peribit, ac pœnas dabit; vir enim mendax diu latere non potest: quod ducta similitudine ab vrinatore pulchrè dixit Petrarcha lib. 1. de Vita solitaria. *Nemo sub aquis diu viuit, erumpat oportet, ac frontem, quam celabat, aperiat, nam spiritus diu contineri non potest.* Ergo secundùm hanc sententiam, qui spirat mendacia, nequaquam poterit illa diutiùs velare, & opprimere, nam spiritus exiguo admodum tempore teneri potest. Rursus sicut is, qui ventum respirando trahit, actutum expirando emittit, sic etiam qui mendacium asserendo occulit, idem non multo post illud sponte negando patefacit, ac reddit.

Iob 27.

Petrarch.

23. Septuag. Cæterùm Septuaginta interpretes tropicam illã E loquutionem aliò deflexerunt, sic enim habent. *Qui autem accendit malũ peribit ab eo.* Sumpta similitudine ab eo, qui ignem flatibus inflãmat. Loquitur autem, ni fallor, in priori quidem hemistychio de falso teste, in posteriori autem de susurrone: alter enim alteri valdè affinis est. Itaque ait, falsus testis reuelatis fraudibus pro meritis punietur, nec nõ susurrones aut bilingues, qui dictis, aut delationibus suis, velut flatibus suborientium malorum scintillas accendunt, ab eodem incendio, quod ipsi excitarunt correpti miserè peribunt: sic ferè fraudulentis delatoribus, ac susurronibus vsu venit, vt suis ipsorum obloquutionibus euicti, & iisdẽ calamitatibus, quibus ipsi occasionem dederunt, oppressi, pœnas luãt.

10. *Non decent stultum delitiæ, nec seruum dominari Principibus.*

NOn decent stultum delitiæ, &c. Hebr. hunc sensum reddunt. 24. *Non est decora stulto delectatio, quanto magis seruo dominari in Principes.* Itaque argumentum est à minori ad maius. Chaldæus cohæret cum nostro. Septuaginta etiam non longè abeũt. *Non conferunt stulto delitiæ, & si seruus incipiat cum contumelia dominari.* Alij ex Græcis. *Nec seruum dominari Domino, aut dynastæ.*

Rodolph. Rodolphus hæc verba per quandam comparationem edisserendam esse putat hoc modo. *Non decent stultum delitiæ.* i. tantum abest, vt delitiæ, & voluptates immodicæ sapientibus conueniant, vt ne stultis quidem eædem congruere putandæ sint. Ac rursus contumeliosa, atque superba imperia in subditos tãtum abhorrent à generosis, & excelsi animi Principibus, vt eadem seruis, qui ferè imperium nacti insolescunt, valdè indecora sint. In hanc interpretationem propterea, ni fallor discessit Rodolphus, quia in codice Hebraïco pro particula illa, *nec*, subest אפכי *Aphchi*, id est, quia etiam, quę solent esse notæ comparationis, vt aliàs docuimus. Itaque præfatus autor putat his verbis delitias, & plena fastu imperia damnari à Salomone, ex eo, quia nullis nõ indecora sint. Et sanæ delitiæ insipientes, atque sapientes dedecẽt, hos quidem non solùm, quia voluptates nimiæ sapientiam hebetant, sed etiam quia nihil magis cum sapientia coniunctum, quàm delitias aspernari: illos etiam non tantùm quia stultum coërcere, & dolere oportet, non deliniri, & oblectari; sed etiam quia delitiæ nimiæ stultitiam & imprudentiam augere solent. Rursus contumeliosè ac superbè dominari à gloriosis Principibus, atque inglorijs seruis æquè abhorret, ab his quidem, quia generosum, atque excelsum imperium est, cùm subditi sponte & veluti natura suadente inseruiunt; hoc autem præstat facilis, & minimè superba dominatio: ex aduerso humile, & inglorium est imperium, cùm subditi ægrè, & per vim acquiescunt, quod ex fastu, & superbia Principis euenire solet: ab illis verò, quia licet serui, & humiles viri imperium nacti efferre, & insolescere plerumque soleant, nil tamen ab ipsis alienũ magis esse deberet, quàm elatio, & fastus, nam humilis eorum conditio id postulare videbatur, vt subditis suis quodammodo inferiores, nedum pares, aut superiores sese exhiberent.

Alij interpretes collationem aliter instituunt, nimirum stultum, ac seruum comparari existimant hac 25. ratione. *Indecora est stulto delectatio, quanto magis seruo dominari in Principes.* Sententiã verò non eruunt, potest autem sic conformari. Stultum sibi ipsi placere, gaudere, & oblectari, ita vt se sapientem esse fallaci opinione putet, valdè absurdum est, sed longè absurdius est, si vilis, degener, atque seruilis conditionis homo tantum sibi arroget, vt aliis præcipuis, ac ingenuis viris se præferendum putet. Itaque duo quædam valde absurda inter se confert Salomon, stultum, qui apud semetipsum falsa opinione sapiẽtiæ gestit, & vilem ingloriumque virũ, qui sibi plurimum sumens alios generosos, ac nobiles præ se viles ducit. Priori autem posteriorem anteponit, quia hic opinione atque æstimatione hominum deterius agit: sed licet hæc non ineptè dicta sint, tamen Vulgatæ lectioni non facilè accommodantur.

Quapropter reliqui interpretes præmissa verba sic æstimant, vt sonant. *Non decent stultum delitiæ, nec seruũ dominari Principibus.* i. solatia, & feriæ, quæ sapientibus propterea dantur, vt labores intermittãt,

quos in studio litterarum aut in reipublicæ administratione ponunt, quandoquidem hæc suapte natura ad recreandos laxandosq; à laboribus animos ordinantur, omnino stultos, & imprudẽtes dedecẽt, quia eorum operæ, aut nullæ, aut inutiles, aut minimè seriæ sunt, atque adeo prædictis laxamentis non indigent. Rursus eodem modo à seruo abhorret imperium, & potestas in nobiles, quia nimirum seruilis conditio ad parendum nata est, non autem ad imperandum. Vt autem posterior clausula cum priori cohæreat, haud ineptè quis dixerit Salomonem per seruum, stultum etiam, & imprudentem hominem accepisse, qui natura ipsa seruus est, & ad parendum sapientibus natus, vt ex Aristot. aliàs docui.

26. Cæterùm, ni fallor, alia est Salomonis mẽs in hoc loco, cui vnum, atque alterum sensum cum Vulgata lectione cohærentem aptari posse reor: existimo autem vtroque nomine stulti, atque serui, aut imprudentem virum, aut seruum notari. Nam quemadmodum insipientes ad parẽdum nati videntur, ita etiam serui plerumque hebetes, & stupidi sunt. Si ergo hæc nomina, vt sonant, pro seruo, & stulto accipiamus, sensus erit, *Non decent stultum delitiæ*. i. cũ stulto, atque insipiente numquam indulgenter agendum est, quemadmodũ enim vexatio, & dolor stultitiæ mederi consueuerunt, sic etiã indulgentia & impunitate stultitia crescit. Ad eundẽ modũ *haud decet seruũ dominari Principibus*. i. absurdũ est seruo potestatem in liberales, & ingenuos viros cõferre. Sæpius. n. serui, & viles homines potestate sibi permissa abuti solẽt, sed maximè in liberales, & ingenuos, hos. n. ferè infensissimo odio prosequuntur. Quod si vtroque nomine stulti, atque serui mancipium ipsum significari dicamus, alius euadit sensus. *Non decent stultum delitiæ*, seruum videlicet stupidũ, ac stolidum indulgenter, ac delitiosè tractare, aut eidem potestatem in liberos permittere nequaquam decet: vtrumq; enim seruos & cõtumaces, & insolentes reddit, nam primũ indulgentia seruitutem lædit. Audiendus hac de re Plato in dialogo 6. de legibus, vbi sic scribit. *Castigandi cædendique semper iure sunt serui, neque ita monẽdi, vt liberi, ne molliores fiant: alloquutio omnis ad seruos quodammodo imperium sit, neque iocus vllus cũ ipsis habeatur, quod multi stultè facientes, dũ delicatius eos nutriunt, difficiliorem vitam, & sibi ad imperandum, & illis ad obediendum reddunt*. Hæc ille. Ad hæc potestas quælibet aut imperium in liberos seruis libertatis studium immittit. Hoc sibi voluit Iesus Syrach. c. 33. cùm ait. *Laxa manus illi, & quærit libertatem*. Græcè ἄνες χεῖρας ἀυτῷ, à verbo ἀνίημι, quod significat aliquando potestatem, & licentiam alicui permittere. Itaque sensus esse potest iuxta vulgarem, & tritam loquendi formã. *Nole dosmano*, j, ne illi potestatẽ aliquam impendas; nam ea velut inescatus seruitutis iugum excutere, & libertatem affectare incipiet.

Plato.

---

11. *Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria eius est iniqua prætergredi.*

27. Doctrina viri, &c. Hebr. ad verbum. *Intellectus hominis prolongauit narem suam, & gloria eius transire super præuaricationem*. Quomodo autẽ breuis, & angustus nasus iram, & indignitatem, latus verò, ac longus patientiam, & sustinentiam adsignificet, non semel aliàs diximus. Chaldæus. *Intellectus hominis est differre furorem suum, & pulchritudo illius prætergredi malitiam*. Septuaginta longitudinem nasi ad commiserationem referunt, sic enim habent. *Misericors vir longanimis est, gloriatio autem eius superuenit iniquis*. Simmach. & Theodot. *Prudentia hominis longanimitas eius*. Posteriorem autem clausulam sic extulit Scholast. *Iusti gloriatio punire iniquos*. Aquila. *Gloriatio eius gradi super præuaricationem*. Symmachus. *Splendor eius supergredi iniustitiam*.

Huius loci non paucas interpretationes numerare licet, quas anceps ipsa verborum structura peperit. Primam obtulit Beda, qui doctrinam quasi actiuè accipit, hoc sensu. Et sanè doctrina constans demum, ac vera comprobatur, quam doctoris patientia, & sustinentia confirmat, qui enim pro deffendanda doctrina, quam aliis tradit, quaslibet ærumnas perpeti, & mortem ipsam subire non abnuit, is certè veritatem suæ doctrinæ comprobat, & euincit. Illud verò, *& gloria eius prætergredi iniquitatem*, sic differit. Præstantissimi doctoris laus, & gloria, in eo spectatur, quod non modò veram sanamque doctrinam aliis tradit, sed etiam mores suos illi adaptans operi ipso illam comprobat, dum delinquendi occasiones ab omni delicto immunis transilit. Itaque iuxta hanc interpretationem talis sententia emergit. Quicumque doctrinæ suæ autoritatem, & fidẽ conciliare volet, is quidem pro illa tuenda grauissima quæuis mala, & mortem ipsam tolerare, nec non eidem mores suos accommodare debet, omnes illius violandæ occasiones vitans.

Beda.

Secunda expositio, nomen illud doctrina nõ actiuè, sed passiuè sumit hoc modo. *Doctrina viri per patientiam noscitur*. j. quod vir aliquis libenter, & vtiliter doctrinam & dogmata salutis auscultet, ex magna illius patientia deprehenditur. Nam quò quis ad audiendum paratior est, eò ad iram tardior existit, iuxta Iacobi Apostoli profatum. *Sit homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram*. Addit Salomon. *Et gloria eius iniqua prætergredi*. j. probi auditoris præcipua laus est doctrinã sibi traditam amplecti, atque ea instructum omnem iniquitatem cauere. Itaque secundùm hanc expositionem duo alia argumenta, seu indicia Salomon numerat, quæ aliquem bonorum, ac salutarium dogmatum vtilem auditorem esse comprobant, scilicet mala æquo animo ferre, & transgressiones vitare.

Cæterùm quamuis hæc non ineptè dicantur, alia tamen est Salomonis mens, *doctrina* ergo hìc non eam, quæ à doctore traditur, vel quæ ab auditore accipitur, sed in vniuersum sapientiam vndecumque partam significat, nam in originibus est, *Intellectus viri*. Rursus *iniquitas*, non de propria cuiusque iniustitia, sed de aliena captãda est; quibus præmissis interpretes sic vulgo exponunt. *Intellectus, vel doctrina viri per patientiam noscitur*. j. Patientia, & tolerantia hominem verè sapientem, atque prudentem esse demonstrant: nihil enim à sapientia magis alienũ, quàm incidentes ærumnas ægrè ferre, & iræ habenas laxare, *Atque gloria eius iniqua prætergredi*. j, eiusdem sapientis eximia laus est aliorũ delicta nõ valde obseruare, & vrgere, sed dissimulare, & facilè ignoscere. 28.

Sed tamẽ, ni fallor, huius sententiæ vim eruit trãslatio Chaldaica, quæ sic habet, *Intellectus hominis est differre furorem, & pulchritudo illius prætergredi malitiam*. Duo quidem peruersa, & absurda dogmata fallaci vulgi opinione percrebuerunt. Nam vulgus iniurias æquo animo ferre stultitiæ tribuit, easdem verò non vlcisci dedecori & ignominiæ. His ergo occurrit Salomon opposita suadens, *Intellectus, seu doctrina viri per patientiam noscitur*: quasi dicat, illatas iniurias patienter sustinere, atque iram tẽperare, nõ stuporis, & stultitiæ, sed eximiæ cuiusdam sapientiæ est: Id sibi voluit Chaldæus, cùm ait, *Intellectus hominis est differre furorem*, & quidem hic sensus cõcinnit cũ originali lectione, *Intellectus viri prolongauit narẽ suam*, 29.

A *suam*, nam quid aliud est narem prolongare, nisi indignationem differre? iram autem differre, extinguere est, nam indignatio subito sæuit ac subito deferuit: atque adeo, qui illi non statim obtemperat, eandem differendo fallit, atque eludit. Et quidem in hac dilatione iræ sapientia viri præcipuè declaratur. Nã cùm irã sola ratio coërcere possit, qui subitos illius impetus, (quos sæuos imprimis, atque effrænatos esse constat) è vestigio compescit, in eo quidem rationẽ plurimum vigere perspicuè ostenditur: itaque acceptis iniuriis non irasci, non indignari, sapientiæ maximæ argumentum est. *Bernard.* At enim Bernardus non quamlibet tolerantiam sapientiæ nomine decorandam esse dicit, sed eam, quæ iniuriis, & ærumnis gaudet. *Ad virtutem*, inquit, *spectat iniurias fortiter ferre, ad sapientiam in tribulationibus gaudere,* B *nam sustinere Dominũ virtutis est, gustare autem & videre, quia suauis est Dominus, sapientiæ*. Et sane modus ille dicendi, *Prolongauit narem suam*, ad eam præstantissimam tolerantiæ speciem notandam accommodatus est, nam per longas nares longanimitas significatur; inter longanimum autem, atque magnanimum hoc interest, teste D. Isidoro, quod magnanimus ille est, qui calamitates, & labores incidentes æquo animo perfert, longanimus verò, qui labores spontè, & alacri animo adit. Vir ergo longis naribus præditus est ille, qui tribulationes non solum æquanimiter tolerat, sed longanimiter, & cum voluptate suscipit, hoc autem eximiæ cuiusdam sapientiæ est: rationem autem attigit C *Valer. Max.* Valer. Maximus lib. 3. vbi sic scribit. *Longanimiter se in aduersis gerere quid aliud est, quàm sæuientem fortunam pudore victam in sui adiutoriũ conuertere?* At quid est fortunam inimicam in adiutorium suum conuertere, nisi illam sibi amicam adiungere, atque eius vsu gaudere, auxilio quoque & ope semper vti? *Greg. Mag.* Huc spectat Gregorij Magni sententia in Ezechielem, vbi postquam latitudinem, longitudinem, & profunditatem quandam animis nostris ex virtutibus accidere affirmauit, tandem latitudinem charitati, profunditatem sapientiæ, longitudinem patientiæ, ac sufferẽtiæ tribuit. At quomodo, inquies, animus spiritualis & insectilis, diuisibiles has dimensiones capere potest? ratio est in promptu, quia licet animus per se impartibilis D sit, at virtutes, quibus pollet, gradus habẽt, & partes, in quas secari, ac distribui possunt: ergo patientiæ longitudo adscribitur, cuius partes sunt mala tolerare, eadem sponte adire, atque his demum gaudere, & exultare. Istæ verò patientiæ partes in lõgitudinẽ productæ propterea dicuntur, quia patientia spei mensuras, & quantitatem semper sequitur: nam quò spes retributionis maior est, eò patientia maior existit, spes autem æstimatione nostra quasi in longum producitur, atque adeo patientia longa etiam à nobis æstimatur.

30. *Chrysost.* Audiendus hîc Chrysostomus homil. 33. in Epistolam ad Corinth. *Lenis enim ac patiens propterea dicitur* Μακρόθυμος, *id est, longanimis, quod longam quandam, & magnam habeat* E *animam: nam quod est longum, dicitur etiam magnum, animam verò spes longam efficit.* Quid indè? ea sanè trium dimensionum natura est, vt neutra sine altera esse possit. Profunditas enim duas alias dimensiones capit, latitudo sine longitudine ne concipi quidem potest, longitudo verò latitudini, & profunditati tam arctè adhæret, vt ab his mente forsan separari, re autem ipsa secari, & seiungi non possit, ad eundem modum de tribus illis animi dimensionibus decernere oportet. Charitas enim, quæ pro latitudine est, patientiam tamquã longitudinem necessario sibi adiungit, *Charitas enim patiens est*, ex Paulo. Rursus sciẽtia, cui profunditas datur, charitatẽ, & patientiam veluti duas alias dimensiones sibi sociat. Nam iuxta eundem Apostolũ, *scientia sine charitate inflat*, & sine patientia proficua, & vtilis non est, ideo patientiam cum doctrina copulat. *In omni*, inquit, *patientia, & doctrina*. Denique patientia, quæ longitudini respondet, vtrique, sapientiæ scilicet, & charitati hæret: nemo enim fortiter mala perpeti potest nisi amet, nemo etiam malis gaudere, teste Bernardo, nisi sapiat, & Chrysostomus supra, *Lenitas, & patiẽtia ea est radix totius Philosophiæ, quamobrem dicebat quidam sapiens, vir patiẽs est multa prudentia*. Ergo sapientia, & patientia inter se inuicem cohærent, & easdem mensuras sortiuntur, atque adeo appositè Sapiens. *Doctrina*, inquit, *viri per patientiam noscitur*. Sed quamuis hæc appositè dicta sint, narium tamen longitudinem alio sensu, patientiæ dari existimo, constat. n. ea omnia animantia, quæ breuem nasum habent, atq; adeo tenuem spiritũ ducũt, parũ robusta, & gerendis oneribus idonea nõ esse. Ex aduerso autẽ, quæ longũ, ac latũ nasum habẽt: robusta, torosa, & ad onera portanda cùm primis valida. Propterea ergo longitudo narium patientiæ adscribitur, hæc. n. in perferendis malis posita est, vnde illã *Oneriferam* vocat Imperfectus hom. 37. in Matt. Rursus *nasus pralongus* apud Physiognomicos sapientiæ indicationem exhibet, & refertur ad canes, (vide Arist. in Physiogno.) atque adeo vtriusque significationis maxima cohærentia est: ita vt quem narium longitudo sapientem indicat, eodem indicio fortem, & patientem esse demonstret.

Subdit Salomõ. *Et gloria eius iniqua prætergredi.* 31.
Chald. *Et pulchritudo eius prætergredi malitiam*, pulchritudo hic honorem, & gloriam sonat, pro malitia verò in originibus est פשע *Phasagh*, quæ vox, vt docet Caietanus ex Rabinorum sententia, crimen significat ex contemptu in aliquem admissum: itaque sensus est, cum superiori parte cohærens, ad hunc modum. Iniurias perpeti, nec vlcisci, non stultitię, sed sapientiæ tribui debet. Ac rursus, *Pulchritudo est prætergredi malitiam*, id est, honestum valde, atq; gloriosum est crimina, etiam per cõtemptum in quempiam cõmissa, ex dissimulantia prætergredi, & iniuriis facilè ignoscere. Quasi dicat, facessat vulgi opinio, quæ id dedecori adscribit, quod honesta quadam iactantia plenum est. Isidorus Soliloq. lib. 2. *Magna est virtus, si nõ lædas eum, à quo læsus es; magna est fortitudo, si etiã læsus remittas; magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas.* *Isidor.* Rationem autem offert Chrysostom. in Epistolam ad Hebræos, *Chrysost.* quia si quis vlcisci iniurias gloriosum ducit, quod ea ratione honori suo consultum putat, cum vtique vltionis sumendæ modum eligere debet, quò hosti suo vicem rependat, ac semetipsum ab accepta labe perpurget. Ad hoc verò decorè præstandum omnis alia iniuriæ vindicandæ ratio inhonesta est, ac turpis, atq; vnus est decorus, atque gloriosus vltionis modus, *Ignoscere, & dissimulare. Nihil*, inquit, *æquè confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, & neque in verbo, neque in opere reddere vindictam*, atque idem alibi. *Si vis decore vindicari, sile, & funestam ei dedisti plagam.* Basil. in hom. *Basil.* de ira. *Inimicum si despexeris, acrius illum vindicabis. Quid enim aduersario durius esse potest, quàm te animũ gerere iniuriis omnibus altiorem? sine illum frustra te adlatrare, in seipso disrũpi.* Ad hæc Philemon in Ec- *Philemon.* dicazomeno hæc habet ex Græcis fideliter expressa,

Nihil est iucundius, & sapiente viro dignius,
Quàm ferre posse conuitiantem,
Quoniam si ille, cui conuitium fit,
Dissimulauerit, in ipsum autorem noxa redundat.

Quod si translationem Septuaginta in consilium voccemus, aliam expositionẽ offert à reliquis diuersam. *Misericors vir lõnganimũs est, gloriatio autem eius*

superuenit iniquis. Cui translationi lucem affert Scholastica lectio, quæ extremam partem sic extulit, *Et gloria eius punire iniustos.* Itaque illa verba, *Gradi super præuaricationem,* quæ in originibus legútur apud hos interpretes, perinde sunt, ac præuaricantes opprimere, & conterere. Itaque sensus est, *Misericors vir longanimus est,* id est, misereri atque ignoscere ad longanimitatem spectat, sed tamen aliquando honestú, ac pulchrum est improbos seueriùs punire. Hoc sibi vult illud, *Gloriatio autem eius superuenit iniquis,* id est, ad gloriam viri iusti pertinet in improbos iram effundere, atque illis grauiter puniendis instare, quasi dicat, iustus vir gloriam maximam ducit improbos sibi substernere, atque illos opprimere.

---

12. *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis; & sicut ros super herbam, ita & hilaritas eius.*

33. *Sicut fremitus leonis,* &c. Hebr. *Sicut rugitus leonculi ira Regis, & sicut ros super herbam eius beneuolentia,* pro catulo autem subest in originibus כפיר *Chaphir,* quæ vox *leonculum* sonat, (vt adnotant Hebræi) cùm tantisper adoleuit, & ad spelæi portas ruit, nondum autem foras progreditur ad prædas agédas. Chald. *Fremit sicut leo, ira Regis, & sicut ros super herbam voluntas eius.* Septuag. *Regis minæ similes fremitui leonis,* &c. Et Lucifer pro sancto Athanasio. *Regis minæ similes gemitibus leonis:* Pro *hilaritate* etiam Aquila, Symmachus, & Theodotion, restituunt *gratiam.*

August. D. August. in Epist. 68. de immanitate Circumcellionum, locum istum adducit, & bonam in partem obuertens de iusta Regis indignatione in impios exponit. Nam cùm Circumcelliones illi Imperatorum iram in Ecclesiam concitare vellent, eandem sibi iustissimè consciuerunt. In hanc ergo sentétiam traducit exemplum Danielis, ac leonū, qui ipsi ablandientes eos sæuissimè inuaserunt, qui Prophetam in lacum miserant. *Scriptum est* (inquit Aug.) *nihil interest inter minas Regis, & iram leonis. Danielem calumniosi inimici in lacum leonum mitti coegerunt, vicit innocentia eius eorum malitiam, illæsus inde leuatus est, ipsi illuc missi perierunt. Similiter maiores vestri Cæcilianum, & eius societatem Regiæ iræ consumendam obiecerunt, cuius innocentia liberata, ab eisdem Regibus eadem vos patimini, quæ illos pati vestri voluerunt.* Et quidem si de iusta indignatione Principis in sceleratos accipi dicamus, sensus sic conformari debet. *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis,* id est, scelerati & impij iustá Principum iram non effugiunt: hæc. n. similis est fremitui leonis, de cuius violentia infra dicemus. *Nam sicut leonis voci* (verba sunt Ambrosij Hexam. lib. 6. c. 3.) *tantus naturaliter inest terror vt multa animantium, quæ per celeritatem possunt impetū eius euadere, rugientis eius sonitu veluti quadam vi attonita, atque icta deficiant, & ipsi in prædam cedant:* ex quo demum fit, vt leo feras alias, quas insequitur, semper assequatur, & captet: eas. n. ad quas cursu peruenire nó potest, fremitu attingit, ac prostrat: sic etiam ira Principis iusta quoties in sceleratos sæuit, ad illos tandem peruenit: quos enim vnus ipse per se punire non potest, voce sua. i. mandatis, atque iussionibus attingit ac percellit; has. n. ministri serio exequi solent. — Ambros.

34. Sed quamuis hæc aptè dicta sint, reliqui tamen interpretes locum istum de immanitate Principum edisserendum esse docént: sed subest adhuc difficilis nodus, an scilicet hæc sententia ad subditos dictata sit, vti à regia indignitate sibi caueant: an potius ad ipsosmet Reges, vt iram, & nimiam seueritatem téperent. Vtroque enim sensu præmissa verba donari

A posse exploratum est. Cæterùm vt his interpretationibus substernam viam, de leonis ira, ac fremitu aliquid prælibabo.

Leo igitur cùm primis iracundus, hinc Maro iras Leoni dedit. *Iraque leonum,* & D. Hieron. in Epist. ad Pam. Iram ipsam *leonem innatum* vocat. Basil. *Leoni ad incandescentiam iræ propensio agnata est.* hom. 9. in Hexam. Hæc verò ira non solum magna est, sed crebra, & familiaris. Plin. *Placidus aliquando ac clemens, quod rarum est, crebrior. n. iracundia eius,* lib. 8. c. 16. est autem crebra, quia facilis, & procliuis, cuius rei causam attigit Lucretius. — 35. Virgil. Hieronym. Basil. Plin. Lucret.

Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facile efferuescit in ira.
B *Quo genere imprimis vis est violenta leonum.*

Hanc præterea iram non celat, sed multis argumentis prodit. Primo quidem vultu. Ouidius. — Ouid.

——Iram vultus habet.

Aiunt. n. pugnaturum frontem contrahere, & rugis arare. Secundò cauda, quia primum terram quatit, deinde sua ipsius terga iratus verberat, Plinius supra. *In principio,* inquit, *terra verberatur, deinde incremento terga, cu quodam incitamento flagellantur.* Hinc cecinit Catullus. — Plin. Catull.

Age, cede, terga cauda tua verbera patent,
Face, cuncta mugienti fremitu loca resonent.

Tertium igitur iræ conceptæ indicium est fremitus, aut rugitus, de quo sic Lucretius. — Lucret.

C *Pectora qui fremitu rumpant plerumque gementes,*
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

De hoc leonis fremitu sic Græcus Isidor. *Animal illud horrendum, & intolerandum, ac solo rugitu montem percellentem.* Basil. supra. *Cui tanta quoque vocis eliciendæ natura præstitit instrumenta, vt animalium complura longè ipso celeriora solo sæpè rugitu capiantur.* Damasc. lib. 2. Paralip. cap. 40. hæc Basilij verba recitat, cui accinit etiam locus Ambrosij supra adscriptus: huc spectauit Dauid Psal. 21. cùm ait. *Sicut leo rapiens, & rugiens,* &c. Et Psal. 103. *Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* & Ezech. c. 22. *Sicut leo rugiens rapiensque prædā:* quæ loca significant leonem ad prædas captandas rugitum adhibere. Itaque D leonis ira, vt ex dictis cōstat, magna primú est, deinde prompta, & facilis, atque adeo crebra, & familiaris, ac demum non occulta, & condita, sed aperta, & multis signis testata. Has omnes conditiones habet Principum indignatio. Imprimis. n. magna est, nam vt ait Ecclesiasticus: *Secundùm ligna siluæ, sic ignis ex ardescit, & secundùm virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam.* Itaque iræ magnitudo diuitiarum, atque potentiæ mensuram sequitur, quæ cùm in Regibus ingentes sint, iram quoque, & indignationem ingentem illis inspirare solent. Hinc Seneca in Tragædia 6. *Grauis ira Regum est semper.* — Isidor. Basil. Damasc. Ambros. Psal. 21. Ezech. 22. Ecclesi. Senec.

Rursus ira Regum prompta, & procliuis est. *Leuissimas ob causas potentia sæuit,* ait Ægidius de regimine Principum. Nimirum quia leues iniurias magnas ducit: nam dum se magnum superbè æstimat, haud leuiter in se peccari posse putat. *Aliquādo etiam officiis exasperātur, tumentia quippe, ac liuida, etiam cùm mulcentur, dolent.* Cui adsimile est illud Senecæ lib. 3. de ira, c. 30. *Friuolis turbamur, & inanibus, taurū color rubicūdus excitat, ad vmbrā aspis exurgit, omnia quæ natura fera, ac rabida sunt consternantur ad vana, idem quoque inquietis, ac stolidis ingeniis euenit, rerum suspicione feriuntur, adeo vt interdum iniurias vocent modica beneficia.* Sed tamé cū aliis hęc euenire soleat, sed maximè Regibus, qui præ cæteris suspicionibus indulgent. Ad hæc, indignatio Regú crebra, & assidua: nā si facile assurgit, non potest non crebrò assurgere. — 36. E Ægid. Senec.

Denique

Denique aperta, quia multimodis ſignis ſæuitiam ſuam manifeſtant, Plutarchus ad imperitum Ducem. *Multi*, inquit, *Regum ac Principum ſine mente imperitos ſtatuarios imitantur, qui coloſſos putant ita demum magnos videri, ſi multum diuaricatos, diſtentos, & hiãtes fecerint. Nam, & illi Principes grauitate vocis, aſpectus aſperitate, difficultate morũ, & conuerſandi aſpernatione magnitudinem, & ſeueritatẽ imperij exprimere ſe putant.* Ergo cùm Principes indignationis externas ſignificationes ad maieſtatẽ imperij pertinere exiſtiment, hinc eſt, vt numquam non ſeueros, & indignatione plenos vultus oſtentẽt. Et quidem cùm alij affectus animorum ſignis quibuſdam ſeſe prodere ſoleant, ira tamen ante alios ſeſe exerit. *Non vides* (inquit Seneca) de Principum ira verba faciens, libr. 1. de ira, cap. 1. *vt omnium animalium ſimulatque ad nocendum inſurrexerunt, procurrant notæ, ac tota corpora ſolitum, quietumque egrediantur habitum, & feritatem ſuam exaſperent, ſpumãt apris ora, dentes acuunt attritu, taurorum cornua iactãtur in vacuum, & arena pulſu pedum ſpargitur, leones fremunt, inflanturque iratis colla ſerpentibus, nullum eſt animal tam horrendũ, tamq́; pernicioſum natura ſua, vt non appareat in illo vbi ira inuaſit, noua feritatis acceſſio. Nec ignoro cæteros quoſque affectus, etiam in Principibus vix occultari, libidinem, metum, audaciam,* &c. *Quid ergo intereſt, quod alij affectus apparent, hic eminet?* Hactenus ille.

Plutarch.

Seneca.

37. Cùm ergo Principum indignatio tanta ſit, ac per omnia leonis iras & furorem imitetur, aptiſſimè Salomon ait. *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis*, id eſt, ſicut leonis fremẽtis ira; ſic Regis indignatio, magna ſcilicet, procliuis, crebra & pleriſque ſignis demonſtrata. Si ergo dicamus Salomonem ſubditis hæc intimaſſe, vt Reges ſuos obſeruantiſſimè colerent, & eorum indignationem cauerent, ſenſus ſic inſtituendus eſt. Ad Reges cautè accedendum eſt, quia illorum ira cum leonis frementis ira componitur. Magna eſt, atque adeo magnas ſemper ſtrages edit, magnas pœnas intentat. Procliuis eſt, atque adeo non ſolum iniuriis, ſed nonnumquam etiam officiis exaſperatur. Crebra eſt, atque adeo ex præſenti gratia, & fauore nihil ſtatuere in poſterum licet, ſed commutatio ſemper expectanda. Denique multis ſignificationibus declaratur, ſed tum maximè voce, ac fremitu: Regis enim vox aſperior multos perculit, ac perculſos exanimauit, ita vt per omnia ſimilis videatur leonis rugitibus, quibus attonitæ feræ concidunt, ac deficiunt, vt experimento diſcimus quotidiano. Quis ergo hæc omnia veritus non ſtudeat Regibus placere, atque illis ad nutum obſequi, ne tam immanem feram in ſe laceſſat? & quidem hoc documentum ad ſubditos ſpectare docent Ianſen. Rodolph. Caiet. & alij ferme interpretes.

38. Cæterùm, ni mea me fallit coniectura, potiùs, dixerim his verbis Reges ipſos moneri, vt iram, & indignationem temperent, nam ea ratione hæc pars prior cum poſteriori melius congruit, quæ procul dubio Regibus ipſis clementiam ſuadet. Niſi quis dicat per illam ſubditos cohortari ad quærendam Principum gratiam, quod minus aptè dictum credo. Ergo iuxta hoc noſtrum concilium ſenſus ad eum modum conformãdus eſt. *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis*, id eſt, ira ex Regibus, quos maximè pios, ac beneuolos erga ſuos eſſe oportet, leones præſtat, qui vocibus, ac clamoribus ſubditos nõ ſolum percellunt, ſed etiã ſternunt. Vnde Seneca à D. Thoma citatur in lib. de eruditione Principis, *Quid*, inquit, *iſtud delectari ſono catenarum, quocumque ventũ eſt, multũ ſanguinis effundere, aſpectu ſuo terrere, & fugare, quæ alia vita eſſet, ſi leones, vrſique regnarent, ſi ſerpentibus in nos, ac noxiſſimo animali cuique daretur poteſtas?* Quid inde? Iram ſuam Princeps, veluti leonẽ quemdam efferum coërcere, & mititati reddere debet. Chryſoſt. Principem affatus ho. 4. in Matth. ſic addit. *Beſtias feras ad manſuetudinis prouehis dignitatem, te ipſum de throno deijcis, & honore regali ad animalium irrationabilium furorem cogis. Ponamus iram leonem eſſe, quantum igitur ab alijs in mitigando leone laboris ponitur, tantam tu erga iracũdiam impende curam, & effice eiuſmodi cogitationem mitem, atque mãſuetam, ſiquidem hæc fera, & vnguibus ſæuiſſimis armatur, ac dentibus; niſi illam ſolicitè manſuefeceris cuncta ſimul diſperdet, & lacerabit. Nullus leo viſcera queat humana laniare, vt hominis iracundia ferreis quibuſdam vnguibus vniuerſa confodiens.* Hæc ille, quibus ſuadet Principibus, vt qui ad imperij gloriam ſpectare exiſtimant leones cicures, ac mites domi alere, iram ſuam leone quouis ſæuiorem leniant, & manſuetudini reddant, hoc enim glorioſũ magis, ac ſplendidum. Identidem Salomon, vt Principes ad temperandam, vel liceat ſic dicere, cicurandam iram adhortetur, eam frementis leonis indignationem, & furorem referre affirmat *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis*, vel vt habet Chald. *Fremit, ſicut leo, ira Regis.*

Seneca.

Chryſoſt.

Sed non præteruolanda tranſlatio illa Luciferi pro ſancto Athanaſio, *Regis mina ſimiles gemitibus leonis:* quæ leoni gemitus tradit, quemadmodum etiam Lucretius ſupra adſcriptus, 39.

Pectora qui fremitu rumpant plerumque gementes.

Aiunt enim ex animantibus vnum leonem ex ira, & rabie emori ſolitum, ac tunc fremitum in gemitum commutare: & quidem morienti leoni non gemitus ſolum, ſed etiam lacrymas dat Plinius loco citatò. *Creditum*, inquit, *eſt à moriente humum morderi, & lacrymam letho dare*, quæ furoris argumenta ſunt. Ad rem Salomon ſuadens Principibus iram lenire, ſic ait. *Regis mina ſimiles gemitibus leonis.* Rex enim iratus, & ſæua minitans, leonem gemitus dantem, atque adeo ex ira, & furore pereuntem imitatur. Quorſum hæc? vt doceat irã Regibus magno ſtudio fugiendam, quia Principum ira in tantam ſæpè immanitatem euadere ſolet, vt nonnumquam illos tamquam leones furor emori cõgat, cùm vlciſcendæ iniuriæ copia non eſt. Nil certius. Exemplo ſit Antiochus libr. 1. Machabæorum, *Et factum eſt, vt audiuit ſermones iſtos*, (nimirum ſtragem à Iuda Machabæo in ſuos editam) *expauit, & commotus eſt valde, & decidit in lectum, & incidit in languorem præ triſtitia, quia non factum eſt ei, ſicut cogitabat, & arbitratus eſt ſe mori*, mitto alia exẽpla ſatis obuia. Subnectit Sapiens:

Machab. 1.

Et ſicut ros ſuper herbam, ita hilaritas eius. Clementiam iræ opponit Salomon. Si igitur documentum hoc ad ſubditos ſuadẽdos comparatum eſſe dicamus, monet Sapiens Regum gratiam officijs, & obſequijs aucupari, quia hæc gratia à rore nihil diſſidet, qui in herbam decidens totum latè campum amœnat. Aliqui hìc roris nomen preſſè accipiendũ putant pro ſtillicidio, quod verno tempore ad auroram defluit, & floribus, herbiſque lætitiam, & riſum aſpergit, & pluuiarum morem, defectumque compẽſat. Quod ſi ita ſit, ſenſus ſic inſtituendus erit. *Sicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas Regis*, id eſt, quemadmodum ros matutinus herbas, & flores, quas externi ſolis vis in maciem ſoluerat, erigit, lætitiamque illis & riſum inſpirat: ſic etiam hilaritas, vel fauor Regis animos, quos eiuſdem ira, velut æſtus quidam ſoluerat, ac mœrore compleuerat, rurſus inſtaurat, & lætitia, riſuque perfundit. Alij verò per rorem pluuiam intelligunt, non eam, quæ vi magna, & ingenti fragore vehementis ad inſtar nimbi decidit, tellurem non penetrans, ſed abluens, radens, ac diripiens: ſed tamẽ mollem aliam, ac lenẽ, quæ ſenſim, ac leniter labens terrã infundit, & ad ima vſq; peruadit. His aſſentior, atq; ſententiam 40.

sic cōformo. *Sicut ros super herbam, sic & hilaritas Regis.* Segetes quidem tunc in herbis esse dicuntur, cùm teneræ sunt, & nec dum altas radices egerunt, tunc scilicet, cùm quælibet imbrium vehementia eas rapit, ac secum voluit, at mollis lenisque pluuia easdē alit, ac fouet Ergo isthæc sentētia aliam sibi aduersam veluti præmittit, ac præsupponit, hanc scilicet. Indignatio Regis similis est vehementi nimbo, ex quo nō tonitrua solum, fulgura, & magnus fragor, sed etiā vis aquæ maxima decidit telluris pinguedinem radens, ac secum trahēs, qua similitudine nihil aptius excogitari potest. D. Greg. Naz. in Iambico de ira, illam nimbo comparat, & eidem tonitrua dat; asseritque per hanc animi violentam passionem hominem Deū tonantèm imitari voluisse, & Christi Domini mansuetudinem mirificè commendans sic addit:

Nazian.

Qui cum Deus fulminum, ac Dominus foret,
Sine voce ductus instar est agni ad necem.

Quasi dicat, pudeat hominem imbellē, & elinguem in tantam iræ sæuitiam euadere, vt vocis magnitudine tonitrua, & fulgura imitari videatur, cùm Deus, qui solus fulmina iaculari, & tonitrua edere potest, quasi vocis expers ad ōnes sibi illatas iniurias obmutescat. Chrys. etiam iracundiæ & iratis fulmina tradit, in sermone de mansuetudine, tom. 5. *Ira*, inquit, *quasi fulmen, & tempestas magna in anima est, seruientemque sibi amentem reddit.* Ad hæc Seneca lib. 1. de Clementia, de principis lenitate verba faciens sic ait. *Quod si Dij placabiles, & æqui delicta potentium non statim fulminibus persequuntur, quāto æquius hominem hominibus præpositum miti animo exercere imperiū, & cogitare vtrū mūdi status gratior oculis pulchriorque sit sereno, & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc, atque illinc micant? Atqui non alia facies est quieti, atque moderati imperij, quā sereni cæli, atque nitentis: crudele regnum turpidum tenebrisque obscuratum est, inter trementes, & ad repentinū sonitum expauescentes, nec eo, qui omnia conturbat inconcusso.* Et post pauca. *Regis vociferatio quoque verborūque intemperantia non ex maiestate est.* Quid plura? ad fulmina, & tonitrua, quæ Principes irati imitātur, addendus etiam est turbo, & turbo vehemens sata longè latè inundans, ac diripiēs, talis enim est Regū indignatio, & crudelitas, suditos vi sua è loco suo, & patria euellens, crudelitatis torrente inuoluens, & in alias sedes transferens: ex aduerso verò Principis clemētia & lenitas similis est rori, idest, imbri terram molliter irriganti, & aspergenti. Quemadmodū enim mollis imber absque fragore aliquo tellurē subigit, & inebriat, atque adeo herbas, & gramina sic fouet, vt actis altius radicibus adolescant: sic etiam Regis clementia sine terrore, & minis totā rempublicā amœnat, efficitque, vt subditi, velut actis radicibus, sub ipsius ditione, & imperio nō persistant solum, sed etiā crescant, & copijs, delitijsque luxurient. Itaque Salomonis verba non tam ad subditos, quàm ad Principes ipsos dictata fuisse credo, vt ipsos à crudelitate, & sæuitia deterreat, & ad clementiam, & lenes mores adhortetur, vt ex dictis constat.

Chrysost.

---

13. *Dolor patris filius stultus, & tecta iugiter perstillantia litigiosa mulier.*

43. DOlor patris filius stultus. Hebr. *contritiones patri suo filius stultus.* Chald. *Filius stultus grauis est patri suo, sicut acida.* Sept. *Confusio patri suo, filius imprudens.* Vox originalis est הוות hauoth, ex הוה hauah. de qua alibi non semel diximus, significat enim contritionem, confusionem, dolorem, insidias, & alia eiusmodi.

Et tecta iugiter, &c. Hebr. *Et stillatio continuans, contentiones mulieris.* Sic fere Chald. *Et sicut stillicidium, quod distillat litigia mulieris*: ab his interpretationibus longissimè abeunt Sept. *Non pura vota de mercede meretricis.* Vnde verò nata sit hæc expositio non satis calleo, nisi dicas per stillationem Hebraïcè דלף Deleph, significari *lacrymas*: (nam verbum דלף *Dalaph*, quod est *stillo oculis*, accommodatum, significat etiam illacrymare, & flere, Iob 16. *Ad Deum stillauit oculus meus*:) ac rursus per lacrymas, vota accipi, & preces quæ fusis lacrymis ad Deum fundi solent. Item vbi codex Hebræus habet nunc מדינים *Midienim*, lites, aut iudicia, Septuag. videntur legisse מדנים *Midenim*, sublato iod, ex נדן *Neden*, quod est donum aut merces, sed propriè meretricis, à radice נדה *Nadah*; id est, remouet, vel elongauit, propterea quod talis merces iubente Deo remouebatur à sanctuario: non enim licebat ex immundo opere partum donarium in templū inferre. Occurrit hæc vox Ezechiel. 16. *Omnibus meretricibus dantur mercedes.* Et rursus, *Tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus suis*, nescio an alibi. Et quidem Hebræi hodie eo nomine vocant dotem, & quidquid vxor affert marito. Ergo Septuag. interpretes ob prædictas causas locum istum sic extulerunt. *Non pura vota de mercede meretricis*, id est, oblatio, aut donarium ex pretio libidinis etiamsi iugibus lacrymis Deo libetur, ipsi nihilominus impurum, ac sordidum videtur.

Locus est iuxta Vulgatam lectionem faciles habet explicatus. Enumerat enim Salomon res duas, quæ patremfamilias vehementer angere solent, hæc sunt filius imprudens, & vxor cōtentiosa. De filio imprudēte sic terit. *Dolor patris filius stultus*, i. filius insipiēs, in quo ob nimiā stoliditatem, & stuporē nulla subest spes recipiendæ aliquando sapientiæ, ingentē mœrorem parenti suo affert: non solum quia filius imprudenti sua conuersatione illum offendit, sed etiā quia pater filij stultitiam suā putat. Filius enim est imago patris, atque adeo quidquid in illo natura expressit, à parente transcriptum quodammodo putamus. Sed obseruanda est translatio Chaldaïca, quæ parentis mœrorem, & filij stultitiā optima similitudine adumbrat. *Filius imprudens grauis est patri suo, sicut acida.* Occurrit autem in textu Chaldaïco vox קרשי *Kirse*, quæ vuas acerbas significat, non eas, quas autumnus tandē coquit, & ad maturitatē adducit, sed labruscas, vulgò *Agrazones*, eas scilicet, quas autumni soles decoquere, & mites reddere non possunt, Itaque significatur filius stultus, in quem virilis ætas, per autumnum notata, sapientiā, & mores maturos nō inducit. Et quidem ex filiis alij sunt, qui etiamsi in pueritia, & in iuuenta immaturi sint, & vuas acerbas imitentur, tamen spes futuræ maturitatis parentes meritò cōsolatur: hi sunt iuuenes quidam audaces, intemperātes, proterui, inobsequentes, & alij eiusmodi, qui succedente ætate ad bonam frugē redire solent: in his ergo dolor est patri de præsenti improbitate, hic tamē dolor futuræ probitatis expectatione leniri potest. Alij verò sunt filij stulti planè, & insipientes peracerbis labruscis prorsus adsimiles: quemadmodū enim has nulli soles coquunt, & maturas, mitesque reddunt; ita etiam illos nullus ætatis, aut dierū lapsus maturitatē, & sapientiā affert. Stultitia enim (licet sic dicere) in illis nullis solibus mitescit. Igitur ex eiusmodi filiis dolor accidit parenti longè grauior, quia spes futuræ prudentiæ illius acerbitatem minimè temperat. Propterea Salomon ait, *Dolor patris filius stultus.* Et subiicit iuxta textum Hebraicum. *Et stillatio perseuerans mulier litigiosa*, atque adeo licet adiectiuū illud *perseuerans*, iuxta sacræ Scripturæ phrasim, ad superiorem etiam orationem trahere, vt sit sensus. *Dolor perseuerans* 42.

seuerans filius stultus, quia non tam dolorem inferens, quam dolor ipsissimus dici debet: dolor vtique perseuerans, numquam interrumpendus, aut leniendus, propter ipsius causæ constantiam. Ergo hic filius parenti suo acerbus tamquam acida, vel tamquam acris labrusca, quia quemadmodum ex labruscis nunquã vinum suaue exprimitur, sic etiam ex filio stulto, ac stolido, nunquam lætitia, & voluptas capitur. Alios vtique filios ad præsens acerbos ætas decoquit, ac tunc demum pressi, & coërciti lætitiæ vinum parentibus suis propinant: at stulti stupidique liberi semper amari, & acerbi, atque adeò pressi etiam, & calcati, hoc est castigati, & correpti, semper pro vino acetum, aut acrius aliquid parentibus suis fundunt, subdit:

B

43. *Et tecta iugiter perstillantia litigiosa mulier.* In originibus est, *Et iugis stillatio litigia mulieris.* Itaque lectio primitiua anceps est, & alias atque alias interpretationes capit. Caietanus præmissa verba sic extulit. *Et gutta continua lites mulieris.* Sensus autem esse potest. Quemadmodum gutta assiduò decidens, prædurum lapidem excauat: sic etiam vxoris iurgia, & contentiones viri fortis lapideum, seu adamantinum robur exterunt, tolerantiam perfodiunt. Quid certiùs? Rursus nomen illud, דלף *Deleph*, vt suprà animaduerti, oculis accommodari solet, tunc verò lacrymas significat: quæ significatio huic loco adaptata non ineptam sententiam reddit. Nam cùm sapiens præmiserit. *Dolor patris filius stultus*, dolori non ineptè lacrymas adnectit hoc modo: *Stillatio perseuerans iurgia mulieris*, id est, lacrymæ assiduæ, atque iuges. Quasi dicat, vxor contentiosa, & morosa, res est lacrymis, ac iugi fletu digna. Cæterùm præferenda est lectio vulgata, quæ similitudinem ductam putauit ab ædibus, quæ tempore pluuiæ pertusis tectis perstillant, & habitationem valde incommodam præbent. Vxorem ergo morosam, & difficilem his ædibus adsimilem esse dicit Salomon, quia quemadmodum ab eiusmodi ædibus ad alias migrare nemo non cupit, ita etiam mariti vxores illas repudiare, & ab earum matrimoniis resilire impensè desiderant: loquitur autem de veteri lege cùm repudium licitum erat. Vel aliter, vxor litigiosa, & morosa similis est tectis perstillantibus, quia fœminæ isthæc difficiles querelas plurimas habent, & querelis lacrymas adiungere solent, quibus maritis suis perquàm graues existunt: vnde non malè ille alius, qui vxoris clamores acceperat cùm eandem præ nimio furore flentem conspiceret, addidit. *Ita ergo iam dudum coniecceram, vt hic nimbus post tonitrua pluuiam copiosam effunderet.* Vxorem verò litigiosam appellat Salomon. Ouid. de Arte sic ait:

Ouidius. *Dos est vxoria lites.*

Et Iuuenalis.

Iuuenalis. *Nulla ferè causa est, in qua non fœmina litem*
Mouerit.

Et rursus.

Semper habet lites alternaq; iurgia lectus.

Huc spectat vetus illa inscriptio, quæ hodie in via Tiburtina visitur.

Heus viator miraculum! hic vir, & vxor non litigant.

Et infrà.

Hei, vxor etiam mortua litigas. Mitto alia.

Quærunt aliqui, cur præfati autores vxoribus non iurgia, aut rixas, sed lites potius dant. Quęis sic occurro, quia lis apud superiorem agitur, vxori maritus nō aduersarius solum est, sed etiam iudex, cuius decreto controuersia dirimenda est, atque adeo suadendæ sunt vxores, ne lites aduersus viros suscipiant: cùm enim aduersarius, idem quoq; iudex sit, semper causa cadent. Sed tamen aptiùs dicemus lites vxoribus tribui, quia lis tota in verbis est, scilicet in accusationi-

A bus, excusationibus, libellis, &c. iurgia verò, & rixæ vlteriùs à verbis ad manus veniunt. Ergo quia omnis fœminarum contentio imbellis est, atque tota in verbis sistit, & ad manus non procedit, ideo lis meritò appellatur.

---

14. *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus; à Domino autem vxor prudens.*

Domus, & diuitiæ dantur, &c. Hebr. *Domus, & copia hereditas patrum, à Domino autem vxor intelligens.* Chald. *à Deo traditur vxor viro.* Vxorem tantum dixit, quia quæ intelligens non est, vxoris nomen haud meretur. Septuag. *Domum, & substantiam diuidunt patres pueris, à Domino autem aptatur mulier viro.* Symmach. *Mulier intelligens.* Aquila, & Theodot. *Sciens.* D. Ambros. *à Deo præparabitur vxor viro.* Interpres Chrysostomi *à Deo adglutinabitur*, &c. 44.

Huius loci sententia perspicua est. *Domus*, inquit, *& diuitiæ dantur à parentibus.* Interpretes vulgo per *domum* ædes ad habitandum commodas intelligunt, quorum expositionem libenter probo, tamen addo in Scripturis sacris per domum deriuatam à maioribus prosapiam, & genus non semel accipi. 1. Reg. 3. 1. Reg. 3. *Et veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius. Nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus*, &c. id est, de genere, & prosapia Ioab.

C & 2. Reg. 21. *Loquens loquutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum.* Et passim alibi. Ergo sensus est, *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus*, id est, duas res à parentibus filij accipiunt, scilicet generis splēdorem, atque nobilitatem, nec non diuitias, & copias, hæc enim iure hæreditario minoribus à maioribus eueniunt.

A Domino autem vxor prudens. Chrysost. hom. 23. in Epist. ad Rom. locū istum expendens iuxta translationem Septuag. sic habet: *Cùm sapientum quis dicit, quod à Domino conglutinetur vxor viro, non aliud dicit, quàm Deum instituisse nuptias, non quod quisquis mulieri, vtcumque cohabitat, adeo illi sit coniunctus (vidimus enim multos in malo non iuxta nuptiarum leges, simul* 45. Chrysost.

D *commorari, quod tamen Deo vtique non imputamus) sed quod Christus ipse dixit, qui hominem ab initio fecit, masculum & fœminam fecit eos, propterea relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Itaq; Chrysostomus non aliud his verbis subesse affirmat, quàm legitimas nuptias à Deo inuentas. Sed tamen aliam esse mentem Salomonis suadet nostra translatio, quæ cum originali textu omnino concinit. *A Domino*, inquit, *vir prudens*, id est, vxorem prudentem, & industriam (quamuis illam nonnumquam parentes studiosè vndique conquirant) non tam parentes ipsi, sed Deus beneuolè admodum homini impendit: omnis enim parentum diligentia, & labor facilè aberrat, nisi Deus prouidentia sua rem transigat: sed aduocandæ

E sunt aliæ, atque aliæ translationes, quæ sententiam istam non parum illustrem reddunt.

In Græco exemplari præmissa verba sic efferuntur, ὑπὸ δὲ Κυρίου ἁρμόζε(ται) γυνὴ ἀνδρί. Verbum autem ἁρμόζομαι, de quo etiam alibi aliquid diximus, non vnam significationem habet, est enim aptare, agglutinare, & compingere, modulari, & in harmoniæ leges cogere, item præparare, & adornare. Hinc natæ supra adscriptæ lectiones, quas libet nunc expendere. Prior est, *à Deo aptatur mulier viro.* Non quælibet cuilibet viro apta vxor, sed illa tantùm, quæ similes mores habet; hæc enim morum similitudo coniugalis amoris fundamenta iacit. Ergo ad eum modum similem simili copulare solius Dei est, qui cùm omnium mores ipse temperet, eorum concordiam, 46.

aut

aut discordiam solus nouit, sed dum ait Salomon vxorem viro adaptari, perspicuè innuit, vxoris mores, & ingenium viri moribus, & ingenio accommodari oportere, non è contra. *Aptatur*, inquit, *viro*, sicut enim qui lapidem pretiosum à nullo includere vult, non gemmam exterit, vt eam annuli pala capiat, sed palam potiùs extendit, aut contrahit, vt gemmæ exæquetur, & aptetur. Sic etiam, Deo autore, & opifice, vxor, velut annulli pala cum viro suo, tamquam gemmæ temperatur, atque illius mores, tamquam vitæ suæ formam excipit, verba sunt Aristotelis in Oeconomicis, *Existimare debet vxor mores viri esse legem, & formam suæ vitæ impositã sibi à Deo.* Aristot.
Hanc morum concordiã ex altera verbi illius, ἁρμόζομαι, significatione, venustè admodũ expressit Ambrosius, cuius verba libet subiicere. Ambros. *Domum*, inquit, *& substantiam patres partiuntur filiis, à Deo autẽ præparatur viro vxor, quod qui in Græco legit non putat esse contrarium. Bene enim dixit Græcus, ἁρμόζεται. Harmonia enim conueniens, & apta rerum omnium dicitur commissa connexio. Harmonia est, cùm fistulæ organi per ordinem copulatæ legitimè tenent gratiam cantilenæ, cordarumque aptus seruat ordo concordiam, itaque non habent harmoniam suam nuptiæ, quando Christiano viro gentilis mulier non legitimè copulatur, ac demum absoluit. Ergo vbi nuptiæ, harmonia esse debet; vbi harmonia est, Deus iungit; vbi harmonia non est, pugna, atque dissensio est, quæ non est à Deo; quia Deus charitas est. Noli ergo vxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis autorem: etenim si alienos, multò magis vxorios debes tolerare, & emendare mores.* Hæc ille, in c. 6. Lucæ vbi verbum illud, ἁρμόζομαι, ad harmoniæ significationem refert, atque inter virum, & vxorem duas postulat harmonias, religionis alteram, & alterã morum: itaque ad nuptiarum concentum pertinet imprimis religionis vnitas, de qua eundem locũ exposuit idem Ambrosius de Abraham, lib. 1. cap. 9. *à Deo*, inquit, *præparatur viro vxor. Non possunt hoc dispares fide credere, vt ab eo, quem non colunt, putent sibi coniugij impertitam gratiam. Ratio id docet, sed amplius exempla monent, sæpe enim illecebra mulierum decipit etiã fortiores maritos, & à religione facit discedere, & ideo tu vel amore coniugij, vel errorem caue. Primum ergo in coniugio religio quæritur.* Et sanè quemadmodum in melicis, cũ vel cytharæ, aut organa, fistulæ, aut fidibus temperantis concordiæ donentur, grauiores primùm, ac profundiores voces, quas ὑπάτας vocant, consonantiæ redduntur, his autem aptè tonantibus, reliquarum vocum sonus facilè cõcinnatur: ad eundem modum qui nuptias copulant, atque adeo virtutum, ac morum harmoniam inter duos pangunt, fidem temperare prius debent, hæc enim in concẽtu virtutem grauem, atque profundam vocem reddit: sicut enim grauis vox reliquis vocibus, acutis videlicet, ac temperatis fundamẽtum offert; sic etiam fides reliquas virtutes portat, fide autem, ac religione vtriusque coniugis concinente, reliquarum virtutum, morumque harmonia facili negotio copulatur, & conciliatur. Hactenus de priori consonantia, quæ in fide, ac religione sita est.

47. Posterior consonantia, quæ in nuptiis obseruari debet ad mores pertinet, & sanè vxoris, ac mariti mores pangere, & in concentum vocare, eximiũ Dei opus est *A Domino* enim, liceat sic dicere, *modulatur vxor viro*, ex quo liquet vxoris esse ad viri tonum, ac modulos sese componere, viri autẽ proprium sic semetipsum tẽperare, vt vxor eius modulos, hoc est mores, & conuersationem assequi possit: vxor ergo etiam si apud se ipsam, sibique perquam cordatè, ac modulatè viuat, nisi suos mores cum mariti moribus componat, nuptiarum soluit harmoniam. Et vir similiter etiamsi virtutum omnium concentũ in semetipso exprimat, nisi ad eum tonum suam viuendi rationem temperet, ad quam fœminæ imbecillitas pertingere possit, nuptiarum etiam violat consonantiam: si enim ita semetipsum altum, & sublimem tẽperauerit, vt quantumlibet vxor prudentiæ, ac virium suarum fides, neruosque contendat, ad ipsum peruenire non possit, matrimonij concordia, & concentus nullus erit. Cùm igitur hoc difficillimum sit, Adeò modulatur vxor viro.

Præter duas supradictas, religionis videlicet, atq; morum harmonias, tertiam subnectere libet, ex Stobæo in serm. 73. 48. Stobæus. *Quemadmodũ*, inquit, *Musici propriũ vocis sonum postea quàm didicerint, tunc demum conantur mediam inuenire, vt ex grauibus, acutisque conueniat, & neque abrumpat, neque vt inferior relinquat locum suum; eodem modo nuptiæ concinnandæ sunt iuxta proprium animæ tenorem, vt non solum in læta, sed in aduersa fortuna inuicem vnanimes degere possint, nam & tibicen deligit tibias, quæ ad proprium tenorem sufficiant, & nauclerus gubernacula pro magnitudine nauis.* Hæc ille ex Euripide in Antrope, quæ aliquali declaratione indigent. Musicus, inquit, vbi agnouit vocis propriæ tonum, quantum videlicet eam leuare, aut deprimere potest cùm canere aggreditur mediam vocẽ inter altã, ac depressam sumit, vt cùm eam sublimiùs attollere opus erit nõ exhauriatur, & cùm eandem ad ima deponere oportebit non deficiat. Ex quo etiam fit, vt alius quilibet cum ipso canere, & vocem suam adiungere volens, eum sequi, & modulos eius exæquare possit: ad eũ modũ, inquit Euripides, nuptiæ cõcinnandæ sunt, nam vxor virque in omnibus mediocritatẽ seruare debent sic etiam, fiet, vt & alter cũ altero facilè concordet, & cõcinat: atque neuter vel prospera fortuna elatus, vel aduersa depressus deficiat. Hæc autem mediocritas obseruãda est in pluribus. Primò in electione personarum, quæ alterutrũ fit; ne vel humilem, vel nimium sublimem vir vxorem, vel vxor virum sibi adiungat, ne prædiuitem, aut valde tenuem, ne pulchram valde, aut deformem: sed in his omnibus mediocritas præferri debet, quæ ad æqualitatem plurimum facit, atque adeo ad vnisonam nuptiarum harmoniã. Eadẽ mediocritas in moribus, in sumptibus, in honore, & in reliquo vitæ statu tenenda est, non solùm vt ea ratione æqualitas inter duos melius cohæreat, sed etiam vt vxor virque tamquam duæ voces cohærentes, nec prospera fortuna sublatæ obrumpantur, nec aduersa depressæ omninò deficiant. Hanc reor fuisse Euripidis mentem, qui etiam attexit: *Nam & tibicen deligit tibias, quæ ad proprium tenorẽ sufficiant,* Euripides. quæ verba aliam satis venustam similitudinem cohibent, quam expedire etiam libet. Tibicen, inquit, quantitatem spiritus sui admetitur, atque eas tibias paruas, aut magnas eligit, quas inflare potest, ne forte ob instrumenti magnitudinẽ exhausto spiritu tenues, aut nullas voces reddat: sic etiam vir, vxorque eam vitæ rationem inire debent, quam spiritu suo, hoc est opibus & copiis suis, vt ita dicã, inflare, hoc est, implere, & æquabili tenore conseruare possit, ne exhaustis facultatibus, & fortunis, ocyus deficiant. Vel si ad vtriusque coniugis electionem referas, vir quidem eam vxorem, & vxor eum virum deligere debet, quem velut tibiam spiritu suo implere possit, id est, honore, copiis, moribus, atque aliis conditionibus exæquare, ne si inæqualis sit vxor viro, vel vxori vir, deficiente alterutrius spiritu, nuptiarum desit harmonia. Denique subdit Euripides aliam similitudinem. *Et nauclerus*, inquit, *gubernacula eligis pro magnitudine nauis.* Sanè hæc sententia apposita est ad insimulandam vxorum, aut

viro

virorum temeritatem, quæ humiles cùm sint, & degeneres, cùm generosis & heroibus nuptias iungere audent: hi enim perinde faciunt, ac si exiguæ admodum nauiculæ ingentem clauum, aut gubernaculum aptent, vel contra, magnę naui perexiguum gubernaculũ apponant (vir enim pro clauo, & gubernaculo est, vxor nauim imitatur) Quid inde? Quemadmodũ cùm nauis parua, gubernaculum verò magnum est, non regitur, sed mergitur nauis, sic etiam cùm vir admodum generosus est, vxor autem humilis, & tenuis,
48. Stobæus. non tam à viro gubernari, quàm mergi, & opprimi solet. Rursus quemadmodum si nauis permagna sit, clauus autem exiguus, nauis impelli, & conuerti non potest: sic etiã cùm vxor illustris, & præ diues admodum fuerit, viri autem conditio humilis, & fortuna angustior, vxor vtique à viro moderari, & ad nutum conuerti non poterit. Vel aliter præmissa similitudo ad rerum domesticarũ administrationem referri potest, hoc modo. Sicut gubernaculũ magnitudini nauis aptari debet à perito nauclero, sic etiam ab industrio, & sapiente patrefamilias sumptus splẽdor, domus, & omnis exterior rerum administratio cum fortunis, & opibus exæquari debet. Sed vt ad rem nostram redeamus, Omnis hæc harmonia inter virũ vxoremque à Deo autore pangitur. *Adeo modulatur vxor viro.*

49. Aliam quoque huius concẽtus explicationem accipe fortè non ineptam. *Adeo*, inquit Solomon, *modulatur vxor viro.* Hoc est, adeo vxor, veluti instrumẽtum musicum, ita temperatur, vt sonum edat viro suauem, ad quem mores suos effingere possit, non secus ac saltantes in choro gestus, munus, pedes, reliquumque corporis habitum ad occinentis instrumẽti sonum adaptant. Et quidem quanta vis insit sonis musicis in affectibus moderandis, huc, illucque vertendis docet Basil. hom. 24. de legendis Gentilium libris. Vbi refert Pythagoram in ebrios olim incidentem, iussisse tibicinem conuiuio luxurioso præsidentem mutare harmoniã, ad doricum ipsis canere (erat autem doricus sonus honestus, & qui modestiam, & honestatem hominibus inspirabat) atque hoc genere melodiæ illos ad sobrietatem adduxisse, qui eiectis de capite coronis, sane omnes erubuêre. Dauid quoque cytharam manu percutiens Saulem facile ex insania liberabat. Eam ergo vim habet vxor in affectibus viri temperandis atque regẽdis, quam sonus, & harmonia præstat in animis hominũ ad furorem, turpitudinemque incitandam. Basilius de vera virginitate. *Blandimentum cupidineæ voluptatis est fœmina, & masculo ad se lasciuioribus oculis inspiciendam illecebrã naturaliter suggerit; ac liquidiori voce ad oblectamẽtum auris, organi instar effecta est, membrorumque insinnata mollitie, ac toto corporis habitu, & motu ad seductionem formata voluptatis. Non modo enim loquens mulier, & intuens, verum sedens quoque, & incedens, ob insitam sibi naturaliter aduersus masculum vim, hunc ad se minus trahit, non secus ac magnes lapis ferrum.* Hæc Basilius. Itaque mulieres molli, & natiua potestate hominibus dominantur, & ad earum nutum, & tonum præ teneritudine imualescentis amoris seipsos componunt, & temperant, sicut canentes organa modulanti vocẽ attemperant, vel saltantes lyræ pulsibus, pedum, atque manuum motus efformant. Igitur cordata mulier, optimis imbuta moribus vxor, doricum viro canit, honestatem resonat, modestiam perstrepit, pudorem concrepat, pulsibusque corporis, oris, & linguæ castitatem viro modulatur, & accinit, cui sese maritus attemperet, organi, & vocis canentis harmoniam effinget, quæ duo ingentem auribus voluptatem parere solent, aut saltantis apprimè cythara personante, sustinebit personam, quæ duo lenocinari quoque solent adstantibus. Ergo vir, qui eam vxorem sortitus est à Deo, intelligat, inquit Salomon, id euenisse, quia mores & affectus vxoris Deus ita componit, vt doricum & honestum quid semper marito moduletur, *Adeo enim modulatur vxor viro.*

Basil.

Euripid.

Denique aliquid etiam ad nuptiarum concentum spectans addit Plutarch. in Moralib. vbi sic ait: *Nuptiarum concordia non ex paribus, & vnisonis, sed ex imparibus inter se consonantibus conformatur*: duplici enim modo duæ voces inter se cohærere possunt, aut per vnisonam vel vnitonam concordiam, aut per imparium, & inæqualium consonantiam. Verbi causa, duę voces, vna depressior & alia altior, in tertia, quinta, vel octaua proportione concinunt; priorem, inquit Plutarch. imitatur amicitia, quæ inter æquales versatur, posteriorem verò societas coniugalis, & œconomica, quæ inter impares intercedit. Nam pater familias, velut quædam vox altior, & auctior est, huic verò vxor deorsum in tertia proportione respondet, cum eodẽ filij, qui alteram domus partem continent, in quinta, serui demum in octaua iuxta omnes harmoniæ leges consonant, & quidem tunc domus tota suauissimè sonat, cum voces istæ dispares vxor, filij, serui inter se inuicem, & cum patrefamilias modulatissimè concordantur. Cùm ergo tantus tamque difficilis inter virum vxoremque intercedat concentus, satis aptè Salomon ait, *Adeo modulatur vxor viro.* Modum istum loquendi imitatus est etiam Paulus 2. ad Corinth. 11. vbi sic habet, ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ, *Despondi vos vni viro virginem castã exhibere Christo.* Quæ verba, si iuxta præfatam illius verbi significationem efferantur, sic concinenda sunt. *Modulani vos vni viro*, & cætera, de qua alibi nonnihil diximus. 50. Plutarch. 2. Corint. 11.

Non prætereunda lectio Chrysostomi. *Adeo agglutinatur vxor viro*, cum qua cohærent illa verba Pauli. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*: Quæ Chrysostomi interpres loco suprà citato eodem modo extulit, *Et agglutinabitur vxori suæ*, subest enim verbum προσκολλάω, id est, agglutino, conglutino. *Adeò igitur agglutinatur vxor viro.* Atque illud dignissimum in hac viri, & vxoris societate occurrit, quod Deus ipse glutinis vices agit, qui non animos solùm, sed corpora etiam coniugatorum in vnum cogit, atque adeò nisi Deus intercedat, illorumque societatem, & amorem adstringat, vnitas omnis soluitur, dissidia, contentiones & rixæ suboriuntur. Tunc autem Deus intercedere, & glutinis rationem sortiri dicendus est, cùm coniux vterque Deum adamat, atq; adeo quilibet cum Deo vnũ quid esse incipit, iuxta illud, *Qui diligit Deum, vnus spiritus fit cũ eo.* Quapropter dum vni tertio per vnitatem copulantur, inter se quoque inuicem vniri, & cohærere necesse est. Si enim filij ea ratione glutinis vices agere, & coniugatorum animos adstringere dicuntur, quia vtriusque coniugis amor in ipsos confluit, miscetur, & vnitur (vt docet Aristoteles in Ethicis, cuius verba alibi dedimus) longè meliùs id præstare poterit Deus ab vtroque coniuge super omnia adamatus. Nam quemadmodum reliqui amores huic cedunt, sic etiam omnes aliæ coniunctiones, & agglutinationes laxiores sunt. *Adeo ergo agglutinatur vxor viro.* Aliqui etiam verbum illud, προσκολλάω, de surculis dici putant, qui per insitionem arboribus infiguntur, & cum eisdem coalescunt, adeo vt putent illa Pauli verba sic verti posse, *Et inseretur vxori suæ.* Videndus est Pollux in præmisso themate. Et quidem hæc insitionis similitudo valdè apposité nuptiis cadit; ait ergo, *Et inseretur vxori suæ.* Ex quo fit virum surculi in morem vxori tanquam stipiti alieno inseri, quaproter sicut stipes arboris excissis propriis, atque natiuis ramis alienum surculum excipit, & congene- 51.

res

res ipsi fructus deinceps producit; sic etiam vxor cùm nubit, naturales affectiones, & propensiones exscindere debet, atque viri vnius, tamquam surculi cuiusdam à Deo sibi insiti, ingenium, & mores in semetipsa exprimere. Illud verò exploratum est apud eos, qui arbores inserunt, non omnem arborem omni absque discrimine accommodari, sed eas tantùm, quæ prædurum os, aut nucē sub molli cortice claudunt, cum aliis sibi similibus cohærere, & osse, vel nuce carentes cum aliis quoque nuce carẽtibus coalescere, quod vulgò dicunt, *Guesso con guesso, pepita con pepita.* Nam vt arbor vna aliam adoptet excipiatque, aliqualis similitudo necessaria est, idem in coniugiis euenire dixerim. Nam vt coniux alter cum altero cohæreat, & coalescat, similitudine morum, & ingenij opus est, ita vt molles, lenesque, cum aliis itē mollibus, ac lenibus, & duri, austerique, cum duris, & austeris copulentur, aliter nuptiarum cõpago, & cohærentia nulla erit. Si ergo hanc lectionem, & similitudinem insitionis verbis Salomonis per accommodationem aptemus, non iucunda euadet sententia, *Adeo aptatur, vel agglutinatur vxor viro*, tamquam arboris truncus alieno surculo. Quasi dicat, Deus peritum agricolam imitatur, sicut enim ad agricolæ peritiam spectat similes arbores ex similibus inserere, sic etiam diuinæ prouidentiæ solius est, similium morum coniuges insolubili vinculo sociare.

52. Chrysost. At, inquies, frustra hæc iam serio diximus, cùm constet nuptias semper Dei prouidentia comparari, & coniungi. Audi Chrysostomum de nuptiis disserentem hom. 1. in cap. 1. Matth. *Qui secundum Deum accipit vxorem adeo prouisam in virtute, generat filios, & in seipsis virtutem habentes, & praualentes. Qui autem recipiunt vxores ex prouisione diaboli, id est, non religionis intuitu nec fideles, in infirmitate generant, nec praualentes vmquam, nec fortes, nisi in malo.* Hæc ille. Ex quibus constat non semper à Deo vxorem viro adiungi, sed aliquando diabolo suadente nuptias iniri, tum enim solùm Deus vxorem viro sociat, cùm vir, vxorque religiosè, & ex honesto fine copulantur.

---

15. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.*

53. PIgredo immittit, &c. Hebr. *Pigredo cadere faciet soporem.* Hispanè. *Hara que le cayga vn sueno profundo.* Aliqui pro. *Anima dissoluta*, restituunt, *anima fraudulenta*, nam in originibus occurrit hîc vox רמיה *Remisa*, de qua supra c. 10. vbi noster interpres versu quarto, sic habet, *Egestatem operabitur manus remissa.* Vide ibi plura. Chald. *Et anima dolosa esuriet.* Septuaginta paulò aliter. *Pauor detinet effœminatum, anima autem otiosi esuriet.* Aquila, Symmachus, & Theodotion hærent Vulgatæ: id autem inter illos dissidij est, quod duo priores pro sopore, ὕπνον, habent, posterior, καταφορὰν, est autem ὕπνος, cõmunis somnus, καταφορὰ verò grauis, ac vehemens somnus incassum impellens, quem Dioscorides lib. 6. appellauit, *inexpugnabilem somni necessitatem*, significat etiam hæc vox allisionem vehementem, & percussionem, quæ cæsim fit, non punctim, & nescio an alia.

54. Sententia est perspicua, duo otij, ac pigritiæ incõmoda enumerat Salomon, alterum quidem ex altero. Nam pigritia, inquit, somnum adducit, id est, hominem somno, & incuriæ deditum efficit: nã quemadmodum sollicitudo, & cura soporem discutit, & somnum adimit, sic etiam pigredo, & incuria somnũ immittit. Hanc autem pigritantium somnolentiam meritò incusat Sapiens, non solùm quia somno de-

A diti mortuis adsimiles, quidquid temporis somno impendunt otiosè transigunt, sed etiam quia somnus prolixior incuriam ipsam auget. Rationem obtulit Diuus Augustinus in lib. de quantitate animæ. *Neruos, inquit, vegetat molliores que efficit siccitas, calorque moderatus; contra eos laxat, atque infirmat humidus rigor: itaque somno nimio (quia eum frigidum, & humidum dicunt Medici, & probant) membra languescunt, atque ipse expergefactorum conatus multò est debilior, ideoque nihil est fractius, & eneruius lethargicis. At quosdam phreneticos, quibus vigilia, & acuta febres, id est, tot calida, plus nimio neruos tendunt, atque durant maioribus viribus, quam integra valetudine reluctare videmus, etiamsi eorũ corpus sit ægritudine attenuatius, & exilius.* Idem docet Aristot. in Problem. sect. 11. c. Augus.

B 27. *& alibi.* Ergo mens Salomonis hæc est, *Pigredo immittit soporem*, id est, otiosis, & nihil agẽtibus somnus irrepit, ex somno autem nimio mẽbrorum omnium laxatio & lãguor, quæ ineptos reddunt homines ad laborem. Hinc constat appositè admodum Theodotionem vsurpasse vocem illã καταφορὰν, quæ somnum significat grauiorē lassitudinem afferentē, neruos dissoluentem segnes, fractos & eneraes similes lethargicis homines efficientem. Quod si aliquis nomen soporis ad mentem referat, sensus erit: Otium menti hebetudinem quandam sopori similem affert, constat enim ex otio, & incuria mentem sublato exercitio hebescere, & homines stolidos, ac

C somnolentis similes reddi. Vnde sic Cassiodorus Variatum lib. 10. *Natura humana sicut duris laboribus instruitur, ita etiam per otia torpentia fatuatur.* Et Baptista Mantuanus Parthe. lib. 1. soporis meminit. Bapt. Mantuan.

Calcar erit segni, pigros rubigine sensus
Otia corrodunt, sopitàque pectora torpor.

Et lib. 1. de calamitate suorum temporum de pigritia sic serit.

Hæc fera seruilis sancta fastigia vitæ
Ingerit, & tardos ad clara negotia sensus
Somnifero languore premit, frigentia corda
Inuoluit gelido densa velamina nubis.
Nil nisi terrenis haustum de facibus vmquam
Cogitat.

D *Temporis ignorat sortem nonnulla latentes*
Cernere naturas rerum, causasque tueri
Cura subit, subiectaque oculis vix aspicit, egrè
Palpebras leuat hærentes humore tenaci.

Illud etiam ad soporem spectat, quod breui interuallo attexit.

Seminat infœlix lolium, frigensque papauer,
Lethæisque rigat steriles humoribus hortos.

Ad id spectat etiam illud Plutarchi in Moralibus. *Ingenium hominis, seu cariem, & senium in otio contrahit, & muta quies, vitaque sedentaria non solùm corporibus, sed etiam animis marcorem conciliat.* subdit Salomon. Plutarch.

Et anima dissoluta esuriet, id est, homini incuriæ

E dedito, otio languenti, ac torpenti, dum dormiendo, ac nihil agendo dies suos transigit, succedit indigentia & fames. De hoc argumento sæpè aliàs diximus, & quidem iuxta litteram per animam homo intelligitur. Quod si animam ipsam accipi contendas, vt verba sonant, & quandam spiritualem famem excogites, qua animus ipse conficitur, adi Bedam, Hugonem, Dionysium & alios de hac fame differentes. Lectio etiam Septuaginta obuium sensum habet. Illa etiam Hebræorum trãslatio, *Anima fraudulenta esuriet*, exponenda est iuxta ea, quæ diximus supra capite decimo, versu quarto.

16. Qui

Aug.

16. *Qui custodit madatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur.*

55. QVI custodit mandatum,&c.He. *Custodiens mandatum custodiens animam suam, contemnens vias suas morietur.* Chald.concinit cum nostro interprete. Sept.non dissonant.Caietanus extrema verba sic extulit. *Et contemnens vias eius peribit*,putatque pronomen, *eius*, referendum esse ad mandatum, vt sit sensus,& qui contemnit vias j. documenta. & directiones ipsius mandati, mortem sibi accersit.

Locus iste perspicuam sententiam cohibet,suadet Salomon seriam, & accuratam legis obseruationem, obiiciens ea in re de incolumitate, & via æterna, aut de perpetuo interitu agi. *Qui custodit mandatum, custodit animam suam.* Duplex sensus subesse potest his verbis. Alter est ad legem diuinam spectās,id est, qui legem Dei obseruat non solùm Deo imperāti defert, sed etiam animæ suæ prospicit, quæ lege incolumi tuta est,ita vt vita,lexque eādem aleam subeat.Huic adsimile est illud Ecclesiastici 15. *Si volueris seruare mandata,ipsa seruabunt te.* Appositè dixit ille, citatus à Nanio,seu Plato, siue alius, quisquis dixit, *Lex est liberi hominis anima.* Quod legi à Deo latæ apprimè quadrat,non solùm quia hominem velut forma quędam impellit,& actiones singulas ipsi dictat,sed etiā quia vt anima decedēte homo interit,sic lege neglecta animus perit. Alter sensus est, de lege humana à Principibus lata. *Qui custodit mandatum,custodit animam suam.* j. qui legem, iusque publicum à Principibus dictatum obseruat,nec partem eius aliquam violat, vitæ,& incolumitati suæ contulit.Nam iura trāsgressores suos capite, proscriptione bonorum, contumelia, aut exilio punire consueuerunt, quæ omnia vitam vel adimunt, vel infestant, grauemque reddunt adeo, vt partim naturales, partim ciuiles mortes dici soleant. Subdit Salomon.

Eccles. 15.

Bapt. Mantua

Qui autem negligit viam suam, mortificabitur, id est, qui per legum despectum vitæ suæ rationem secundùm eas non instituit,peribit,hoc est vitam suam supradictis modis in discrimen adducet, & mortem sibi accerset. Pergo ad alia.

17. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperi: & vicißitudinem suam reddet ei.*

56. FOeneratur Domino,&c.Heb. *Mutuatur Domino, qui miserescit tenuis, & retributionem suam reddet ei*, subest autem voci illi, *mutuatur*, מלוה *Maluch*, ex radice לוה *Lanah*,quæ significat mutuò dare,aut deuincire, vel obstringere sibi aliquem, vel fœnori dare. Chald. *Qui quærit fœnerari Deo,miseretur pauperis,& retributio bona reddetur ei.* Sept. extrema verba sic extulerunt, *Et secundùm donum eius retribuet ei.* Caietanus. *Et meritum eius repensabit ei.*

Fœneratur,& cætera. Misericordiæ præclaram laudem memorat hîc Salomon; sensus autem est luculentus. Qui pauperi largitur, Deo ipsi mutuò dat, tandem aliquando cum vsuris ab illo sortem recuperaturus. Sed quia sancti Patres in hunc locum sæpius inciderunt,ex his proferam non pauca,quæ Salomonis sententiam illustrem reddunt. Præmittendus est Chrisost. homilia in Psal. 38. vt reliquis substernat viam. *Cur*, inquit, *non dixit qui miseretur pauperi,dat Deo,non scriptura auaritiam nostram, intellexit appetitum nostrum insatiabilem, qui sibi maiora ad habendum proponit,redundantiam,ac plus semper quærere, ob eam-*

Chrysost.

A *que causam non dixit omnino, Qui miseretur pauperi, dat Deo; vt ne simplicem largitionem, & retributionem sortis existimes; sed fœneratur Deo, vt auarus, & lucri cupidus audito vsurarum nomine seipsum misericordiæ dederit.* Et statim addit, Deum non cupiditatem nobis abscindere, sed à caducis ad æterna transferre voluisse. De hoc tamen fœnore acturus, quo Deum ipsum debitorem nobis facimus,aliqua discutere volo. Primò dicam de sensu, quo Deo fœnerari, & ab eo vsuras referre dicitur, qui pauperi donat. Secundò,de istarum vsurarum quantitate. Tertiò,de tempestiua solutione. Quartò, de ipsius debitoris nobilitate, hæc enim omnia à Patribus obseruata, & adnotata comperio.

B Primò igitur sensum, quo Deo fœnerari dicitur vir misericors,exponit Basilius homilia in Psalm. 14 Vbi expendens illa verba Lucæ 6. *Mutuum date,nihil inde sperantes*,de eleemosyna exponit hoc modo. *Quale est hoc mutuum, cui non reddendi spes coniuncta est? intellige dicti efficacem vim,& legislatoris humanitatem admiraberis. Quando pauperi das in Domini gratiam, idem ipsum & donum,& fœnus est:donum quidem,quod à paupere non speres te recepturum, mutuum vero, sitне fœnus ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, qui parua quidem per pauperem cum acceperit magna pro illo retribuet.* Accedit etiam D. Greg. P P. qui eodem argumento ait, Pauperi datum non est donum, sed mutuum, nimirum respectu Dei, quia C licet prout in pauperes confertur,donum sit, quatenus autem illud se recipere fatetur, mutuum est: & quia Deus non sortem tantùm, sed multo maiorem, ac locupletiorem summam restituit, fœnus appellatur. Quod si dicas necessarium esse, vt aliquid fenori dari dicatur, vt id, quod traditur, sterile sit, & nihil ex se lucri,sublata industria, accipienti ex se parcēs, vt pecunia, vel aliud simile,id sanè in his quæ pauperibus impenduntur, & Deus accepta refert,minimè desiderabis.Nam quidquid ea ratione homo Deo donare dicitur, sterile est, atque illi nihil commodi, aut emolumenti afferre potest. Hanc conditionem adnotauit D.Irenæus aduersus hæreses lib.6.cap.34. *Qui miseretur*, inquit, *pauperis, fœneratur Deo, qui* D *enim nullius indigens est Deus,in se assumit operationes bonas nostras ad hoc, vt præstet nobis retributionem bonorum suorum.*

57. Basil.

Gregor.

Iren.

Rursus alia ex causa hæc donatio fœnoris nomen fert, quia non solum sterilia tradimus, & quæ Deo nihil vtilitatis pariunt, sed etiam ea, quæ ipsius Dei sunt,atque adeo quidquid propter hanc donationem auferimus, peculiari nomine, ac titulo, vsura est, si enim nostra hominibus donantes,& aliquid vltra repetentes fœnerari dicimur, potiori iure,quæ propria illius sunt Deo conferentes, & aliquid doni quantitatem longè superans inde expectantes, Deo fœnerari dicemur. Hæc obseruatio est Basilij ad illa verba Euang. *Destruam horrea mea.* Et citatur à Damasceno E in Paralellis lib. 2.cap. 16. *Qui tibi opes dedit,per pauperum manus eleemosynam à te petit,fœnerare ergo Deo, quia licet quæ sua sunt accipiat,tamen perinde ac si a te beneficio affectus fuisset, integram gratiam persoluit.* Rursus dices, tunc absque vsuræ suspicione aliquid vltra pretium datæ rei auferre licet, cùm ei, qui eam tradit,lucrum parit,quia scilicet seruaturus forte, & inde commodi aliquid accepturus erat, non inficior. Sed occurrit Augustinus, ne quid desit huic largitioni vti vsuræ, ac fœnoris nomen ferat, in Psal. 36. *Feneratur*,inquit, *Domino, qui miseretur pauperis, non equidē eget à te Deus,sed habes alium qui à te egeat,* & post pauca. *Terrena dedistis, quæ si non dedissetis putrescerent:quid.n.inde facturus esses,si non dedisses? quod periturum erat in terra, seruatum est in cœlo, &c.*

58.

Basil. Damasc.

August.

59 Ad hæc obiicies damnum emergens. Quia nimirũ si pauperi multa erogaueris & tibi, ac filiis postea necessaria non suppetent, atq; adeo hoc damnum subire cogeris, ratione cuius omni fœnore sublato à Deo aliquid expectare te dices. Hac ratione perstringit D. Cyprian. in orat. de opere & eleemosynis, quod ad filios spectat, eiusmodi patres exẽplo illius viduæ, quæ 3. Reg. 17. ex modica farina, quæ sibi, ac liberis reliqua erat, Heliam pauit, vbi sic scribit. *Qui miseretur pauperis, Deo fœnerat, sed nec illa res, fratres charissimi, à bonis operibus, ac iustis refrænet ac reuocet Christianũ, quod excusari se posse aliquis existimet beneficio filiorũ, quando in impensis spiritualibus Christum cogitare, qui accipere se professus est, debeamus, nec conseruos liberos nostros, sed Dominum præferamus.* & infra. *Si enim Dominus eleemosynis fœneratur, & cũ datur minimis Christo datur, non est quod quis terrena cælestibus præferat, & diuinis humana præponat. Quid plura?* Subnectit Cyprian. viduæ exemplũ. *Sic*, inquit, *vidua illa in 3. Reg. libro cum in necessitate, & fame consumptis omnibus de modico farre & oleo, quod superfuerat, fecisset sibi subcineritiũ panem, quo absumpto, moritura cum liberis esset, superuenit Helias, & petiit sibi prius ad edendũ dari, tum quod superfuisset, inde illam cum filiis suis vesci. Nec obtemperare illa dubitauit, neq; Heliæ filios mater in fame, & necessitate præposuit, imò in esurientibus liberis alienis prius pascitur, nec in penuria, & fame cibus ante quã misericordia cogitatur. Helias igitur typum Christi gerẽs, & quod ille pro misericordia vicem singulis reddat respõdit, & dixit; Fidelia farris non deficiet, & capsaces olei non minuetur vsque in diem, &c.* Et infra. *Non ergo filiis abstulit vidua, quod Heliæ dedit, sed magis cõtulit filiis, quod benignè, ac piè fecit.* Et perbreui verborum interstitio attexit. *Sic ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenã, & paternæ dulcedinẽ Charitatis, operari magis debes, vt filios tuos Deo iusta operatione cõmendes. Nec cũ liberis tuis cogites patrem, qui & tẽporarius, & infirmus est, sed illũ patrẽ pares, qui æternus, & firmus, filiorũ spiritualiũ pater est. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus serues: ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes iniurias seculares diuina maiestate protector. Patrimoniũ Deo creditũ nec respublica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit, in tuto est hæreditas, quæ Deo custode seruatur. Hoc est charis pignoribus in posterũ prouidere, hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere, secundum fidem scripturæ sanctæ dicentis: Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, neque semen eius egens pane. Tota die miseretur, & fœnerat, & semen eius in benedictione erit.* Cum Cypriano concinit Diuus Chrysostomus hom. 7. in Epist. ad Rom. *At me*, inquis, *liberorum chorus circumsistit, atque illos diuites relinquere aueo. Quorsum igitur illos potius pauperes efficis? nam illis omnia si reliqueris, rursus incertæ custodiæ tua omnia cõmittis, qui si illis relinquis Deũ cohæredẽ, & curatorẽ, infinitos thesauros relinquis.* & post pauca sic infert. *Si nostrã in filiis cogitatiuẽ fixerimus, desinit: Deus de illis curam habere, sin illi negotiũ totũ cõmiserimus, fiet, vt & diuitias nostras, & liberos stẽ in omni securitate collocet. Porrò quid admiraris, si in ipso Deo hoc vsu venit? etenim id ipsũ in hominibus euenire videmus. Nã si moriẽs propinquorũ suorũ neminẽ ad filiorũ suorũ tutelã suscipiendã vocauerit, ille etiam, qui tutelã suscipiendæ admodum cupiens est, pudore suffusus ad eam vltro suscipiendam occurrere non audet; quod si in illum curã hanc ex testamento reieceris is quidẽ, vt potè cui honos à te habitus fuerit, volũtati tuæ acquiescere, & filios tuos quàm diligentissimè curarẽ incipit. Itaque si liberis tuis magnas opes relinquere vis, Dei prouidentiæ relinquito. Nam cùm ille liberorum tuorum facultates vna cum ipsis liberis sibi impertiri viderit, nonne illis diuitias omnes adaperiet?* Et statim attexit exemplum viduæ, atq; iterum addit. *Quapropter si illos cum periculum relinquere vis diuites, relinquito illis Deum debitorem, ipsisque Deo has testamẽtarias tabulas porrigito.* Quid illustrius aut dici, aut excogitari poterat? sanè inde sic ex largitione eleemosynarum non solum donanti, aut liberis eius nullum imminere damnum, sed etiam secura, & copiosa admodum emolumenta comparari: atque adeò vsuræ nomine meritò appellari lucrum illud ingens, quod nulla damni emergentis obiectio ab ea censura excipit.

Cyprian.

Chrysost.

60 Denique obiicere aliquis potest periculum sortis amittendæ pro quo periculo, omni fœnoris, aut vsuræ nomine ablato, aliquid adeo ex iure accipere misericors homo potest. Cæterùm, vt ea præmia, quæ homo à Deo pro beneficentia in pauperes reportat, non impropriè fœnus, & vsuras dici amplius constet, addo illud esse exploratum apud morum officiorumque doctores, pro recuperandæ sortis periculo nihil vltra sortem exigi posse à mutuario, cùm sponsor locuples poscitur & pignus, & hypoteca, & cautio. At nihil horum in hac largitione desideratur, ratione cuius aut sors, aut lucrum discrimini subiiciatur. Audi Chrysost. in illa hom. in Psal. 38. *Videndum est, fratres, necessario alia ratione, cur Deus dixerit, Mihi fœneratur, qui miseretur pauperis; quoniam nouit auaritiã nostram ad maiora, & plura propensam (vt iam dixi) nec vnquam eum, qui pecunias, & diuitias habeat, velle sine fide, & quasi securitate credere. Petit enim creditor vel hypoteca, vel pignus, vel fideiussorem, hisque tribus quasi securitatibus fretus pecunias suas credit, vel fideiussorẽ, vt antea dixi, accipiens, vel rerum hypotecam. Quia igitur intelligit Deus neminem his rebus non existentibus solitum credere, nec humanitatis habere rationem, sed lucrum vnum spectare, pauperem autem ab his omnibus desertum, ac destitutum esse, cum nec hypotecam habeat, nihil. n. possidet: nec pignus ferat, nudus n. est: nec fideiussorem exhibeat; scit. n. eum propter inopiam non posse, & eum, qui pecuniis abundat, nolle propter inhumanitatem: Medium sed quasi sequestrem præstitit, pauperi quidem sponsorem, pignus autem, vel hypotecam creditori. Non habes, inquit, huic fidem propter inopiam, mihi crede propter copiam. Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo. Ne time, inquit, mihi fœneraris.* Hactenus Chrysost. Idem nomen sponsoris, ac fideiussoris pro paupere habet Deus apud Basilium loco citato. *Pauperi*, inquit, *diues fœnera, Deo crede, qui beneficia ea, quæ in oppressum conferuntur, tamquam in seipsum collata accipit, atque ipsam gratiam rependit, locuples est sponsor, vt qui vbique terrarũ, ac maris thesauros expansos habeat.* Sed absolutissimè de hac re August. in Psal. 36. *Cum autem pauper orat pro se, tamquam Deo dicit, Domine mutuum accepi; fide dic pro me, proinde, etsi non tenes pauperem redditurem, sed idoneum tenes fideiussorem. Ecce Deus de scriptura sua dicit, Da, securus esto, reddam. Quomodo solent dicere fideiussores? Ego reddo, ego accipio, mihi das. Christus item dixit, Esuriui, & dedisti mihi mãducare, & cùm illi dicerent: Quando te vidimus esuriẽtem? vt ostenderet se pauperum fideiussorem, omniũ membrorum suorum sponsorem, quia ille caput, illi membra, & cùm accipiunt membra, caput accipit. Cum vni*, inquit, *ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Eia auare fœnerator, &c.* Rursus Basil. in Psal. 14. *Qui pauperis miseretur, Deo fœnerat. Non vis vniuersorum Dominum tibi ad solutionem autoratum habere? Si quis in ciuitate diues tibi pro aliis spondeat, fideiussionem illius accipis, Deũ verò non admittis tanto se plura persoluturum pauperum causa pollicentem?* At, inquies, fideiussor quidem optimus est, ac locuples, sed vbinam cautio, aut libellus scriptus? Occurrit Ambrosius in lib. de Tob. cap. 16. *Fœnerate*, inquit, *Domino pecuniam vestram in manu*

Chrysost. August. Basil. Ambros.

manu pauperis, ille adstringitur, ille tenetur, ille scribit, quidquid egenus acceperit. Euangelium eius cautio est, ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem, quid dubitatis dare? Si quis vobis diues offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniã: pauper est vobis Dominus cæli & cõditor mũdi huius, & adhuc deliberatis quẽ ditiorẽ quæratis fideiussorẽ? Constat ergo ex dictis auctariũ illud mercedis, ac præmij, quod propter misericordiam erga pauperes homo à Deo reportat, aptissimè fœnus & vsuram dici, quia sortis quantitatem immenso interuallo superat, & ad aliud capiendum nullum lucri pereuntis, damni euenientis, vel periculi imminentis titulum diues afferre potest.

61. *Chrysostom.* Secundò, dicendum est de istarum vsurarũ quantitate. Chrysost. hom. in Psal. 38. *Ne time*, inquit, *mihi fœneraris. Quidnam lucri faciam cùm tibi fœneror? centuplum do, & vitam sempiternam.* August. supra. *Quid ergo, inquis, facio vt sim vtilis fœnerator? Attẽde quid facit fœnerator, minus vult dare certè, & plus accipere: hoc fac & tu, da modica, & accipe magna. Vide quàm latè crescat fœnus tuum, da temporalia & accipe æterna, da terrena, & accipe cœlum.* Et infra sic attexit. *Eia auare fœnerator, vide quid dedisti, & quid accepturus es, si dedisses pecuniã paucã, & is, cui dederas, pro parua pecunia tua dedisset tibi villã magnã, incomparabiliter amplius valentem quã tu pecuniã dederas, quãtas gratias ageres? quãta lætitia tollereris? Audi ergo quã possessionem det tibi Deus, quem fœnerasti. Venite benedicti patris mei, percipite. Quid? Quod dedistis? Absit, Percipite regnum, quod vobis paratum est,* &c. Ambr. verò sic scribit. *Non peribit quod pauper acceperit, & vobis, quod dederitis inopi sine custode seruabitur, quod si incrementũ vsurarum quæritis, in lege benedictio, in euangelio cœlestis est merces, Quid suauius benedictione? Quid maius est cœlo? si escarum desideratur vsura, eo quoq; præsto est, sicut legimus. Is.n. qui miseretur pauperum, ipse pascetur.* Vbi duas istius fœnoris partes assignat Ambr. aliã tẽporalẽ, æternã aliã, quia non solũ Deus spiritualia bona, quæ æstimatione sua tẽporalia longè superant, misericordibus retribuit, sed ipsa etiam temporalia cum auctario & incremento incredibili restituit. Subiiciendus denique

Nazianz. est Nazianz. in Tetrastico, cuius verba citat Damascenus in paralel. lib. 2. cap. 16.

Liuori, & atræ deme quid rubigini,
Ac debitorem prafer ommbus Deum,
Frusto rependit Sceptra qui cœlestia
Alis, tegisque, pauperes pascens Deum.

Mitto alia.

62. *Chrysost.* Tertiò, de tẽpestiua solutione disserit D. Ioan. Chrysost. hom. 15. in Matthæum. *Se igitur principalem debitorẽ tuũ, seq; vult esse vadẽ, præbens tibi innumeras occasiones exigendi: noli igitur tantã relinquere, tamque expositam, & promptã liberalitatem.* Itaq; Deus nõ solum ad solutionẽ sortis, atq; vsurarum semper paratus & expositus est, sed soluendi desiderio, cùm creditor ex incuria nihil poscit, innumeras illi exigendi occasiones immittit: nec more aliorum debitorum creditorum suorum faciem fugit, sed vltro se illis videndum, & flagitandum offert, pluris faciens debitum à nobis exigi, quàm dare. At, inquies, nonnumquam etiam solutionẽ vsurarũ diutius ducit? non inficior, sed tamen id fœnus & vsura est. Audi iterum Chrysost. hom. 7. in Epist. ad Romanos, vbi multa de his vsuris, ac tandem sic infit. *Cur non das ei, qui plura daturus? fortasse ob id, quod multo post tempore dat. Atqui in hac etiam vita dat, verus est.n. sermo ille, Regnum cœlorum quærite, & hæc omnia addentur vobis. Vides liberalitatis, ac munificentiæ magnitudinem, illa tibi, inquit, asseruata sunt, nec minuentur, scilicet æterna, cum interim huius sæculi bona, tamquam additamenti, & corollarij loco largior. Adde etiam his, quod redditum longo post tempore debitum opes tuas tibi auget: Nam fœnus tibi maius fit. Etenim in fœneratitiis pecuniis id vsu venire videmus, vt fœneratores libentius his expensum ferant, qui, quod mutuo acceperint longo post tempore reddituri sunt: nam qui protinus resoluit, is fœnoris cursum interrumpit, qui autem in soluendo serus est, is quæstum maiorem efficit: itane verò obærandis hominibus moram non ægre ferimus, sed & modis omnibus illa vt fiat excogitamus: obærando autem Deo sic nos pusillanimes gerimus, vt hoc nomine cunctemur, ac tergiuersemur?* His perquam similia scribit hom. 15. in Matthæum. Et non longo interstitio verborum iterum eandem sententiam inculcans subdit, *Iam verò si fortè aliena in terra ageres, nullos ibi famulos habens, neque in domum tranferre valens: & qui auri magnam summam deberet, polliceretur id se tibi vbi velles numeraturum, vtiq; magis precibus ab eo contenderes, vt tibi illud domi, non in extera regione persolueret: at verò spiritualia illa bona hic tibi numerari postulas? quanto quæso id dementia fuerit? Nam si hic accipis, mortalia prorsus accipis. Si tempus illud expectaueris, immortalia tibi & integra reddet. Si hic accipis, plumbum accipis, sin verò illic, aurum permultũ, purum, putum. Si hic accipis, transferre illud in patriam non potes: quidquid.n. hic accipitur, illuc transportari non potest: si illic accipis, in tuto est. Si deniq; hic accipis, per breuem voluptatem habebis: sin illic accipis, æternam.* Sed tamen post multa, circa finem præfatæ hom. quàm gratè, & beneuolè Deus creditores suos excipiat luculenter explicat Chrysost. *Si pecunias tuas Deo mutuas dederis, incolumis in posterum thesaurus tuus manebit, ac nullo certè negotio, aut iactura subsequetur mutui redditio: Nam gratiam habet Deus, & cum nobis debet, & cùm soluit, libentiusque fœnatores suos contuetur, quàm eos, à quibus nihil mutuo accepit: & quibus maxime ille debet, hos & maxime amat. Quapropter si perpetuam cum illo amicitiã inire vis, perficito, multũ tibi vt ille debeat, neque.n. sic delectatur debitoribus suis creditor, sicut Deus suis creditoribus. Quibus nihil debet, eos auertit, quibus autem debet, ad eos occurrit. Omnem igitur operã nauemus, vt illũ in ære nostro habeamus, hoc.n. tẽpus fœnerationibus accõmodatũ est, in quo Deus in indigentiis est, & si illi nũc nihil dederis, postea nõ indigebit, nũc enim sitit in sitientibus, in famelicis famem patitur,* &c.

Quartò, de nobilitate debitoris nostri aliqua ex 63.
Patribus depromam, quæ in hunc Salomonis locum coniecerũt. Primò, ex testimoniis, quę supra adscripsimus constat eos, qui benefici, ac liberales sunt in pauperes, Deum sibi obstringere, ac debitorẽ facere, sed conditiones huius tam præclari debitoris recenset Ambros. l. 2. Offic. cap. 25. his verbis. *Pauperes, quia non habent quod restituant cùm acceperint, remuneratorem faciunt Deum, qui se pro paupere obligãdum obtulit.* Deinde Ambros. beneficia diuitibus collata *Ambros.*
pulcrè extenuat, *Quia*, inquit, *diuites huius mundi dedignantur leuiora beneficia, & pudet eos debitores esse gratiæ; quin etiam id quod illis collatum est, suis meritis attribuunt, quia vel tamquam debitum accipiunt, vel ideò datum putant, quia is, qui dedit reddendum sibi à diuite vberius existimauit. Deus autem non ita, sed beneficium acceptat, & debitorem se sponte fatetur: ait.n. Sitiui, & dedistis mihi bibere, esuriui, & dedistis mihi manducarẽ.* Tandem, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Rursus leuissima quæq; dona magni facit, nam calicem aquæ frigidæ & duo viduæ obola in maximis donis numerauit, quamuis ea accipit, quæ sibi debita, imò ipsius propria sunt, & quæ ideo illi donamus, quia vberiori cumulo nobis restituenda nouimus: & nihilominus ea non suis, sed nostris meritis adscribit, ac se illis tantopere obstringi,

& obligari finit, vt liceat fic dicere, iudex nofter cũ fit fe his muneribus corrumpi,& tẽtari finat. Chryfoftom. in cap. 22. Lucæ. *Iudex nofter per pauperes corrumpitur. Fac ergo per pauperis manum iudicis pofticum pulfes, etenim ille munera tua per eum accipit, ac leges adulterat. Accipit,inquam,& veritati mifericordiam anteponit,ac cum peccatorum lance pauperum manum contra perpendit.* Ac rurfus in hom in Pf.38. *Si Deus à nobis fœnori accipit, ergo nofter eft debitor, vtrum ergo eum habere vis iudicem, an debitorem? Debitor creditorem veretur, iudex eum, qui in iudicium adducitur non veretur.*

Chryfoftom.

64. Reliquum eft, vt talibus inducti libenter bona noftra in pauperes profundamus, & velut telonio affidentes pecuniam noftram ad menfam demus ingentes vfuras inde expectantes: Et Beatum Paulinum audiamus fic fuadentem in Epiftola 32. *Excitemus ergo nos ab inertiæ fomno, & velut negligentiæ torporem difcutiamus, & auaritiæ vincula rumpamus, confule ipfa veritatis oracula & refpondebit tibi Propheta, Qui miferetur pauperis, Deum fœnerat. Cæleftis igitur trapezitæ hæc menfa eft, thefaurum vitæ ftruens, & ad margaritam negotiandam Dei fœnus exercens, qui.n. fœneratur pauperes Domini, praftolatur à Domino Deo retributionem mercedis æternæ.* Pergo ad alia.

Paulin.

18. *Erudi filium tuum,ne defperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuã.*

65. Erudi filium tuum, &c. Ex antiquis codicibus vulgatis aliqui habebant, *& ne defperes.* Sed tamen in correctioribus expuncta eft particula coniunctiua, *Et.* Heb. *Caftiga filium tuum,quia eft fpes, & ad fremitum eius ne eleues animam tuam.* Chald *Et ad mortem eius ne extollas animam tuam.* Septuag. *Erudi filium tuum, fic.n.erit bona fpes, & ad contumeliam eius ne eleues,*&c. Caiet. *Et ad rumorem eius ne eleues animam tuam.* Vox originalis eft המות, *Hamuth* i.*tumultus, fremitus, garritus,* fi ducatur à radice המה, *Hamah.* i. fonuit fremuit,tumultuatus eft. Nofter verò interpres Aquilam fequutus, vocem illam haufit ex radice, מות, vel מת.i.mori, quæ in Niphal, Poël,& aliis coniugationibus actiuam habet fignificationem,atque adeo fignificat interficere.

De fententia huius loci non eodem modo interpretes decernunt. Rodolph. exiftimat hunc verfum nectendum effe cum fuperiori,vt fit fenfus. *Erudi filium tuum, ne defperes,*&c.i.fpem concipe, & ne verearis fortunas tuas in pauperes fpargere, futurum ratus, vt exhauftis facultatibus liberi tui pauperes fint. Quinimo fi fapis, atque eos incolumes effe vis, exemplo tuo ad liberalitatem, & beneficentiam adhortare. Cæterùm nexum iftum duarum fententiarum parum cohærentem exiftimo. Reliqui interpretes verfum iftum à fuperiori exfoluunt, fed illum non eodem modo interpretantur.

66. Hebræi, qui, vt nuper dixi, verba fic extulerunt. *Caftiga filium tuum, quia eft fpes, & ad fremitum eius ne eleues animam tuam,* fic eadem edifferunt, Si filiũ habes proteruum,inobfequentem, feuerè admodum illum corripe, quia numquã non eft fpes illius emẽdandi, & ad bonam frugem conuertendi, quamdiu caftigatio,& correptio nõ intermittitur. Et licet correptionis impatiens fremitus, aut eiulatus miferabiliter edat, perge tamen,ac ne defiftas. Et quidem illud, *Ne eleues animam tuam,* iuxta hunc fenfum non vno modo accipi poteft. Aliqui ad attentionem referunt, quafi dicat, quamlibet infremat, atque eiuletur filius, ne animum aduertas, fed vrge correptionem. Alij ad commiferationem animi, hoc modo. *Ne apponas animam.* i.cor tuum, Pagnin. in Thefauro fic extulit. *Et ad fonitum eius, ne ex commiferatione parcas, ac fi dicat, ad fletum eius ne apponas cor tuũ, neque parcat anima tua.* Deniq; verba illa, *Ne eleues animã tuam,* alij de leuitate animi interpretẽtur, ac fi dicat, ne gemitus audiens, quos filij ante verbera emittere folent, ex leuitate animi caftigationem omittas, fed vrge, ac rem perage. Addo etiam tranflationẽ illam, *Ad fonitum eius ne eleues animam tuã,* ad verbera referri poffe. Nimirum etiam fi tunc cùm tunditur verberum ictus altiùs infonent, ne propterea animus tuus commiferatione tangatur. Itaque omnes iftæ interpretationes fuadent patri, vt in puniendis liberorum delictis paternum quodammodo exuat animum, ac nullis eorum gemitibus, lacrymis, vel clamoribus emolliatur.

Pagnin.

67. Sed ad vulgatam lectionem faciamus gradum, in qua exponenda vna ferè interpretum omnium mẽs, qui verborum fonum tenentes fic aiunt. *Erudi filiũ tuum, ne defperes, ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.* i. filij tui ingenium & mores eruditione,& correptione affidua excole: quod fi ftatim non emendatur, ne propterea fpem abiicias, fiet.n. vt fæpiùs caftigatus tandem aliquando refipifcat & vitia fua deponat. Quapropter numquam in animum tuũ inducere debes illum perimere, ac de medio tollere, aut mortem eius quoquo modo moliri defperans correptionem, ac difciplinam illi vnquã profuturã. Hæc eft vulgo celebrata interpretatio, quam habent Hugo, Ianfen. & alij recentiores. Addit verò Ianfen. vtramq; partẽ fingulari quodam fenfu donari poffe. Primam quidem hoc modo. *Erudi filium tuum, ne defperes.* i. filium tuum corripe, & omni difciplinæ genere ad pietatem exerce: ne defperes, ne fcilicet fi modo indulgeas, de illius emendatione defperare opus fit. *Ad interfectionem autem eius ne apponas animam tuam.* i. ne illi ex hac defperatione mortem optes, optanda quippè eft illorum correctio, non interitus.

68. Sed tamen licet hæc aptè videantur dicta, tamen aliam reor Salomonis mentem aptam magis & congruentem, hoc modo. *Erudi filium tuum.* i. filiũ tuũ cùm adhuc mollis eft, ac tenera ætate, fupplicio flecte, & omni difciplinæ genere ad pietatem excole. *Ne defperes,* ne fcilicet cùm adoleuerit, & vitia cum ipfo excreuerint, de illius emendatione, & refipifcentia defperare opus fit: ita enim euenire folet, vt mores praui adolefcentium à pueritia neglecti ęgrè deinde cõpefci poffint. Subdit. *Ad interfectionẽ autẽ eius ne apponas animã tuam.* Vel vt habent primitiua, *Ne eleues animam tuã.* i. fi filiũ tuũ feueriùs exercueris, ne propterea verearis futurũ, vt ocyùs moriatur, viuet, vtiq; ac faluus erit. Quafi dicat, in filium animaduerte, id cauens, ne parcas, vel indulgeas illius vitæ,& incolumitati metuens. Idipfum infra repetit Salom. cap. 23. n. 13. *Noli fubtrahere à puero difciplinã, fi enim percufferis eum virga, non morietur.* Atque in in eandem fententiam transfert D. Ambr. exemplum Halcyonis lib. 5. Hexam. cap. 13. Vbi poftquã huius auis mores defcripfit, quæ oua fua in littore maris deponit atq; ibidem pullos excludit, educatq; fubdit in hunc modum. *Nec interpellari tot diebus infidi maris tranquillitatem veretur, tentatq; meritum fuum natura iam folemnitate fundatum, & teneros fœtus non latibulis abfcondit, fed fluctibus verberandos exponit, nudo, & rigenti folo tradit, nec defendit à frigore: fed diuino fotu, quo magis cætera defpiciat, eò tutiores effe exiftimat. Quis verò noftrum filios fuos non veftimentis tegat, tectifque abfcondat? Quis non claudat eos feptis cubiculorum? Quis non ita diligenter vndique feneftras obftruat, ne qua poffit aura, vel leniter penetrare?*

Ambrof.

Quis

Quis eorumdem vitiis, & prauis moribus non indulgeat, & conniueat? Merito autem quos tam solicitè induimus, fouemus, ac impunes esse iubemus, exuimus diuinæ clementiæ inuolucro. Halcyon verò, quos nudos proiicit, eos diuino vestu amictu, & ideò pullos suos exponendo seruat. Cui adsimiles sunt optimi parentes, qui filios suos seuerè exercêtes cum bonæ educationis gratia salutem eorum, ac vitam discrimini obiicere videntur, tunc eorumdem incolumitati meliùs consulunt, & diuinæ clementiæ seruandam committunt. Ex aduerso molles quidam, & nimium indulgentes patres diuinæ prouidentiæ parum fidentes, cùm filios suos cautiùs curant, tunc certius illorum salutem in discrimen vocant.

69. Ad extremum subinferenda est translatio Sept. quæ non vnum tantum sensum capit. *Erudi filium tuum, sic enim erit bona spes, vel bonæ spei.* Huius prioris partis sententia perspicua est. i. filiuum tuum à pueritia flecte, sic enim bona tibi illius spes suberit, illum scilicet probum, ac frugi virum futurum sperare poteris. Quasi dicat, filius iste à parente correptus, & emendatus, euadet, vt aiunt, bonæ spei adolescens, de quo nihil non magnum, atque dignum expectare liceat: nam qui filio indulgentem se præbet, omnem futuræ probitatis spem exscindit. Attexit. *Ad contumeliam autem eius ne eleues animã tuam*, quibus verbis triplex sensus subesse potest. Primus ad hunc modum. Neu ad filiam contumeliosè conuitiandum assurgas. Noli cum illo veluti cum seruo contumeliis, ac probris agere. Itaq; docet Salomon filium seueriùs castigandum, & corripiendmm, correptionem autem honestam, decoram, & ingenuo viro dignam esse debere. Nam filius ingenuus à parente suo contumelia & decore affectus, si iniurias æquo animo perferat, seruile ingenium induit, sin autem detrectet, ad iracundiam concitari, & in parentem suum sæuire solet. Quod perspicuis verbis cauet Paulus ad Ephesios 6. *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Et ad Coloss. 4. iterum ait. *Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Quæ verba sic expendit. D.Thom. *Homines*, inquit, *retinent impressionem, quam à pueritia susceperunt, naturale est autem, vt qui in seruitute nutriuntur, semper sint pusillanimes.* Chrysost. autem sic ait. *Nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt multi faciunt eos abhorrentes, & abdicantes, vel eos grauantes, & prementes, non tanquam liberos, sed tamquam mancipia.*

Ad Ephes. 6. *Ad Colos. 4.* *D. Thom.* *Chrysost.*

70. Secundus sensus est. *Ad contumeliam autem eius ne eleues animam tuam*, ita vt contumelia transitiuè sumatur hoc modo, ne tam seuerè & rigidè cum filio agas, vt ad iram concitatus in te probra, & contumelias regerat, quod vulgò dicitur. *Castigale de manera que note pierdo el respecto.* Sic præcipit Ambr. in verba Pauli ad Colossens. 4. *Patres*, inquit, *in filios modesti esse debent, ne coarctati ab eis delinquant in illos, & Deum offendant. Ita enim inconsiderata res est in tantum, vt aliquando nec sibi ipsi parcat iratus.*

Ambros.

Tertius verò aptior, & ad sensum Vulgatæ lectionis propiùs accedens, expositio sic habet, *Et ad contumeliam eius ne eleues animam tuam.* i. filium seuerè ad nodum corripe, & prauos illius mores compesce, & licet aliquando ex indignatione aliquam in te contumeliam effundat (vti solent hi, qui maiores natu parentum correptiones aspernantur) ne propterea cesses, ne desistas; hoc enim filiorum proteruiam, & inobsequentiam plurimum alit, quin potius vrge, & filij impudentiam nouo supplicio vlciscere, donec acquiescat, & correctionem æquo animo ferat. Pergo ad alia.

19. *Qui impatiens est, sustinebit damnum; & cùm rapuerit, aliud apponet.*

QVi impatiens est, &c. Hebr. *Magnus iræ ferens mulctam, quia si erueris & adhuc addes.* Verbum 71.
גדל *Gedal*, actiuè sumpsit Caiet. atque nouato verbo sic extulit. *Grandiens iram sustinebit pœnam, quia si facies euadere, & adhuc addes.* Chald. *Vir iracundus suscipit pœnam, & quando exaltatur super onus suum addit.* Septuag. *Male cogitans vir multa damna patietur, si autem corruperit, & animam suam addet.* Theodotius, *Homo magnæ iræ, quoniam si eripueris, erueris.*

Hebræi, quos sequitur Caietanus, & alij recen- 72.
tiores, locum istum cum superiori consuendum putant. Et quidem Caietanus sic habet. *Grandiens iram sustinebit pœnam.* i. qui filium acerbius, quàm par est, ad necem vsque castigat, pœnam satis grauẽ perferet, dolorẽ scilicet illatæ necis: nam filij mors parenti valde acerba est. *Quia si facias euadere, & adhuc addes.* i. si ita filium punieris vt ex castigatione alius euadat, adhuc addes in eundem animaduertere, illum scilicet iterum, atque iterum castigare tibi integrum erit, & tandem ad resipiscentiam adducere. In hanc expositionem impulit quosdam interpretes particula causalis, *enim*, quæ in quibusdam codicibus legitur hoc modo. *Qui enim impatiens est*, &c. Sed tamen hæc à codicibus vulgatis hodie expuncta est, & in originibus omnino desideratur.

Quapropter cum his sentio, qui locum istum separatim legendum, & exponendum putant contra eos, qui iræ, & indignationi obsequuntur. Beda priorem partem de fraterna correptione exponit, quæ benignius, & suauius impendi debet: iuxta illud, *Eiusmodi instruite in spiritu lenitatis*, &c. hoc sensu. *Qui impatiens est, sustinebit damnum.* i. qui ex impatientia, & indignatione proximum corripit, non vtique reportabit à Deo præmium, sed pœnam. Quam interpretationem libentiùs probarem, si non præmio, aut pœna à Deo inferenda, sed de relatione gratiæ accipiatur, quæ inter homines versari solet, hoc modo. *Qui impatiens est, sustinebit damnum.* i. qui proximum corripiens indignationem, aut impatientiam præ se fert, non gratias propterea referet, sed pœnam potius, hoc est probra, & iniurias reportabit: nam in eos, qui nobis recta parum benignè suadent, haud leuiter furere solemus. Eapropter Chrysostomus hom. 44. in 1. Epistolam ad Corinth. præcipit his, qui proximos suos commonent, vti medicos imitentur, non hostes induant: illi enim sanitatem intendunt, isti verò iræ obsequi, & eius impetum explere volunt: ac demum ait. *Qui arguit, ne irascatur, non enim est correctio, sed passio, neque qui arguitur ægrè ferat, medicina enim non inimicitia est: si enim medicos, cùm vrunt, nemo in ius vocat, licet sæpenumero aberrent, quin potius vsti, sectique in tantis doloribus beneficos illos in se esse putant, qui tantam perturbationem suscitarunt: quanto magis hoc ipsum cum his, qui nos corripiunt, præstare debemus*, &c. Et quidem si hanc expositionem sequamur, locus iste sponte congruit cum superiori. Postquam enim Salomon patribus præcepit, neu seueros nimium in filiorum correptione se præbeant, statim omnibus in vniuersum consulit, ne alios admonentes indignationem, aut furorem ostentent. Subdit.

Chrysost.

Et cùm rapuerit, aliud apponet. In primitiuis occur- 73.
rit hîc particula causalis *quia*, hoc modo. *Quia si erueris, adhuc addes.* Beda ergo de futuro exponit, hoc sensu, qui proximi rem per furtum aufert, non tantum sortem ablatam, sed aliquid etiã longè maius reddet.

Nam etsi furtum illius homines latuerit, Deo tamen rei ablatæ rationem reddet. & pro forte animam ipsam restituet. Ac hunc sensum vocat Beda translationem Septuag. *Si autem corruperit, & animam suā addet:* nimirum qui pecuniam violentus acceperit, pro hac animam suam inuitus dabit. Cæterùm vt particula causalis, quæ in originibus est, aptè cadat, hemystichium hoc posterius sic explicare oportet, vt prioris sententiæ rationem offerat. Ergo pro verbo illo *rapuerit*, vel *eruerit*, subest in primitiuis תציל *Thatsil*, à radice נצל *Natsal*. i. expoliauit, diripuit. Latetque hîc non inelegans sententia qua suadet Salomon his, qui alios corripiunt, ne violenti, contumeliosi & immites sint, non solum quia iniurias & probra ab illis, qui corripiuntur vicissim reportare solent, sed etiam quia vbi mali aliquid ea ratione per vim & iniuriam ablatum & emendatum fuit, ad animum iniuriis lacessitum leniendum & mitigandum multa permittere & indulgere necesse est bonis moribus aduersa. Id sibi vult Salomon cùm ait, *Et cùm rapuerit, aliud apponet*. i. cùm mali aliquid per vim, & iniuriam abstulerit, rursus malum aliud grauius fortasse per indulgentiam & permissionem inuehet, vt subditum iniuria affectum leniat, & conciliet.

74\. Sed licet præmissa expositio eo modo, quo à nobis conformata est, apta & cohærens sit, nihilominus tamen Iansenius, Rodolphus, & alij interpretes recentiores, locum istum de ira, & indignatione in vniuersum exponendum putant hoc modo. *Qui impatiens est, sustinebit damnum*. i. qui iræ obsequitur, & ex indignatione vehementius furit, in multa pericula incidere, & pleraque damna sibi accersere solet, *Et cùm rapuerit, aliud apponet*. i. si ab vno damno, & incommodo eum liberari contigerit, tandem aliquando repetito furore damnum aliud sibi ipsi adiiciet. Huic expositioni fauet etiam verbum תציל *Thatsil*, non radix *Natsal*, significat etiam *euadere*, & *liberari*, Prouerb. 6. *Eruere quasi dama*, &c. & alibi passim. Quapropter vt nostra lectio huic interpretationi inseruiat, supplendum est pronomen, hoc modo. *Et cùm rapuerit se*, &c. i. cùm semetipsum ab vno damno vendicauerit, aliud sibi paulò post accersit damnum: nam sic ferè accidit his, qui ad iracundiam prompti, & faciles sunt. Itaque Salomon iracundum & ad furorem procliuem hominem, de damnis, & incommodis sibi imminentibus commonet, edocetque illum, ne si malum aliquod semel euasit, ab omni deinceps malo se immunem futurum putet; nam iracundus homo semper in discrimine versatur. Non placet.

75\. Sed iam de translatione Septuag. quid dicamus, *Male cogitans vir multa damna*. Græcè κακόφρων ἀνὴρ, id est, malæ mentis vir. Iansenius virum emotæ mētis, & insanum notari æstimat, iracundum videlicet, quia ira breuis quædam insania est, ita vt Septuag. nihil differant à nostro Vulgato. Ego verò mallem per virum *malæ mentis*, significari maleuolum eodem sensu. Itaque ait. *Maleuolus vir multa dāna patietur*. i. qui aliis ex indignatione mala vult, non tam aliis, quàm sibi ea mala velle dicendus est, nam mala aliis optando sibi accersit. *Si autem corruperit, & animam suam addit*. Græcè, ἐὰν δὲ λυμαίνηται id est, si *læserit*, *vitiauerit*, *corruperit*, &c. id est. Qui non modo apud semetipsum mala aliis inferenda versat, aut cupit, sed etiam reipsa infert, animam, id est vitam suam discrimini obiicit. Rursus alium sensum exhibet Paraphrasis Chaldaica. *Vir iracundus suscipit pœnam*, id est, ocyus suæ indignationis pœnas luit, *Et quando exaltatur super onus suum addet*, id est, quò magis ira percitus fuit, ac tumet, eò grauius sibi onus accumulat, hoc est maiorem perniciem sibi accersit.

Denique subiicienda est extrema expositio Bedę, quæ reliquis præferenda mihi videtur, *Qui impatiēs est, sustinebit damnū*. i. qui paupertatem & rei familiaris angustias iniquo animo fert, ipse sibi damnum creat: nam paupertas grauis & perniciosa non est, nisi inuoluntaria sit. *Et cùm rapuerit, aliud apponet*, id est, qui depellendæ paupertatis gratia furta, aut peculatus admittit, non leuat prius damnum, sed illud nouo incommodo conduplicat. Et sanè illos tantum paupertatis damna experiri, qui paupertatem ægrè ferunt docet Chrysost. in Epist. 1. ad Corinth. hom. 20. *Propterea, inquit, pauperes sumus, quia paupertatem formidamus, etiamsi talenta habeamus innumerabilia. Non enim qui nihil habet est pauper, sed is, qui horret paupertatem. Nam & in calamitatibus non eos deflemus, qui multa mala patiuntur, sed eos, qui ferre nesciunt*, &c. Ad hæc Seneca in Epist. 123. *Paupertas nulli malum est nisi repugnanti*. Quod si is, qui paupertatem sua repugnantia grauiorem reddit, illam furtis atque iniuriis depellere contendat, nouum sibi damnum & incommodum adauget. Aristoteles audiendus, in Problem. sect. 29. vbi cùm inquirit rationem, ob quam paupertas apud homines bonos potius esse gaudet, quàm apud malos: sic demum claudit: *An quia mala est nunquam se malis adiungit? Nam si ita mala erit, omnino malum irremediabile ipsa redditur*. Malos autem appellat eos, qui fortuna sua non contentos furta & latrocinia adire solent, hos enim paulò ante descripserat. 76.

20\. *Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis.*

77\. AVdi consilium, &c. Hebræa non dissonant. Chaldæus. *Vt sis sapiens in fine tuo*. Septuag. *Audi fili disciplinam patris tui, vt sis sapiens in nouissimis tuis*.

Ad iuniores hæc cohortatio dirigitur; itaque ait. Ausculta ô Iuuenis, quamdiu in ephebis es, monita salubria, & correptionem, castigationemque libenter suscipe, vt ea ratione ab initio bonis artibus imbutus, cùm ad canos veneris sapiētia atque prudentia polleas. Nemo enim in senecta prudentia, & sapientia affatim expletur, qui eam longo tempore velut fluuius è longinquo manans, collectis hinc inde riuulis, multorum annorum studio, atque industria non comparauit. *Sapientia* (inquit Plutarch. in Moral.) *affluere in senibus & exundare debet*. Quia non sibi solum sapientes esse, sed ex redundantia sapientiam & prudentiam in alios effundere debent. Atque adeo sicut flumina illa, quæ non longè à mari primam scaturiginem ducunt, exiguo semper alueo clauduntur, quæ autem è longinquo fluenta sua deriuant, confluentibus hinc inde riuis maximā aquarum vim cogunt, adeo vt nonnumquam alueorum fines exuperantia vicinos latè agros infundant & demergant. Non aliter de senum prudentia decernendum est, hi enim qui serò post multam ætatem resipiscunt, exiguam sanè prudentiam & sapiētiam colligant necesse est. Illi vero, qui à teneris annis addiscere & sapere cœperunt, ingentem sapientiæ, atque prudentiæ vim vndique coactam assequuntur, quæ supra propriæ necessitatis fines affluens latè exundat, & in proximos effusa eosdem implet. Quid enim aliud consilia & monita salubria, quæ à senibus in alios proficiscuntur, nisi quidam quasi ex redundantia ad alios manantes fluxus? Aptè ergo Salomon, *Audi consilium & suscipe disciplinam*,

nam, vt sis sapiens in nouissimis tuis. Septuag. Interpretes de parentum monitis auscultandis loquuntur, sed hoc leue dissidium est, atque sententiam minimè euariat. *Audi fili mi disciplinam patris,* &c. Et quidem nihil est, quod magis in filio sapientiam alat & promoueat, quàm patris sui monitis, & correptionibus à teneris acquiescere, atque adeò hæc libentiùs, & studiosiùs arripere oportet. Nam patrum præcepta consultiora, & ad rem, ingeniumque filiorum accommodatiora semper sunt.

---

21. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini in æternum permanebit.*

78. MVltæ cogitationes, &c. Hebr. *Et consilium Domini ipsum stabit.* Chald. & Septuaginta non dissonant.

Sententia est luculenta, quæ docet hominum animas variis consiliis & cogitationibus distineri, vt potè qui ea, quæ nunc prætulerunt, paulò post refutant, & ea, quibus nuper assentiebantur, iam nunc per dissensum respuunt. At Dei consilia, & cogitationes vice versa ratæ, firmæ & constantes sunt, iuxta illud Psalm. 33. *Consilium Domini in æternum manet, cogitationes autem eius in generatione & generationem,* sic vulgo interpretes. Vnus Rodolph. verba ista cum superiori sententia nectit hoc sensu. Præceperat, inquit, Salomon iuniori vti documenta à se ex diuino afflatu tradita libentiùs ebiberet, & sapientiam in canos & senectam transmitteret. Rationem verò attexit his verbis, *Multæ cogitationes in corde viri.* i. hominum documenta varia sunt, vt potè qui non semper eadem sentiunt, atque adeò non eadem præcipiunt; quapropter, qui eorum auscultant monita sapientes euadere non possunt: at verò consilia, & monita diuina eadem semper rata, & constantia, & opinionibus variis nequaquam obnoxia sunt. Quapropter qui ea obaudierit, illicò sapiēs erit, multamque sapientiam ad senectam vsque adducet.

Sed tamen in hoc versu Salomon id (ni fallor) suadere contendit, vti homines diuinam, & non humanam gratiam, & beneuolentiam aucupari velint. *Nam multæ,* inquit, *cogitationes in corde viri,* &c. Homines scilicet sententias, & cum sententiis mentem, animumque sæpiùs mutant, vnde illorum gratia nutat semper ac labat. Dei autem vna semper mens, ac sententia, atque adeò semper sibi constat, eiusque gratia firma, & rata est.

---

22. *Homo indigens misericors est, & melior est pauper quàm vir mendax.*

79. HOmo indigens, &c. Hebr. ad verbum. *Desiderium hominis misericordia eius, & bonus pauper præ viro mendacij.* Huic translationi hæret Chald. Sept. verò habent. *Fructus viri misericordia eius, melior est autem pauper iustus, quàm mendax diues.* Hanc diuersitatem peperit vox תאות *Thauaath*, ex verbo אוה *Auah.* i. *desiderauit*, vel ex אבה *Abah*, cui eadē significatio subest: nam *Vau*, ו atque *Beth*, ב permutatio non insolens est apud Hebr. Ergo ex radice *Abah*, fit אבה *Ebeh*, quæ vox concupiscentiam sonat, & aliquando etiam paupertatem adsignificat: rationem autem afferunt Hebræi, quia pauper omnibus carens omnia concupiscit, imo potiùs non ille pauper est, qui nihil possidet, sed qui siue parum, si-

A ue multum obtineat, plura exoptat quàm habeat. Audi Chrysost. in 2. concione de Lazaro. *Nec enim pauper est, qui nihil habet & possidet, sed qui multa concupiscit: nam mentis affectu, & non facultatum tantum paupertatem & opulentiam æstimare consueuimus. Quemadmodum ergo eum qui perpetuo sitit, non dixerimus bene valere, etiamsi copia rerum affluat, etiāsi iuxta fluuios & fontes accumbat: quid enim prodest illi aquarum copia, cùm affectus maneat insatiabilis, & insedabilis? Itidem & in diuitibus faciamus eos, qui perpetuo concupiscunt & sitiunt aliena, ne putemus esse sanos, nec vlla frui rerum copia,* &c. quam sententiam alibi pluribus illustrauimus. Rursus vox illa *Ebeh, poma, & fructus* aliquando sonat. Iob. 9. *Transierunt* Chrysost.

B *dies mei sicut naues poma portantes.* Sic noster interpres, pro quibus alij reddunt, *sicut naues concupiscentiæ.* Ergo Septuag. & Vulgatus, vtramque illam vocem *Abeh, & Auah,* pro eadem æstimantes, ille quidem fructum, hic verò paupertatem, & inopiam restituit, licet quispiam alius dicere possit Vulgatum nostrum nomine desiderij defectum, & indigentiam accepisse, vt Latinis solemne est, sed prior coniectura accommodatior, & cum linguæ sanctæ idiotismo congruentior est.

Rodolphus Hebræorum translationem sic exponit. *Desiderium hominis misericordia eius, sed melior pauper, quàm vir mendax.* i. Bene audire, misericordes, beneficosque vocat omnes impensè cupiunt, 80. Rodolph.

C adeò vt parci cùm sint, ac sordidi, aliquando misericordiam, & beneficentiam foris ostentent. Sed tamen præstat pauperem esse nihil aliis donantem, quàm diuitem misericordiam per ostentationem simulantem: sed tamen hæc interpretatio energia caret. Meliùs Caietanus, qui obseruat pronomen *eius*, ad Deum vtique referri posse, cuius Salomon meminerat in superiori versu, ita vt sensus sit. *Desiderium hominis misericordia eius.* i. præcipuum, ac maximum hominis desiderium est Deum misericordem experiri. Sed statim accommodatiùs dicit pronomen, *eius*, de ipsomet homine accipi, hoc modo. *Desiderium hominis misericordia eius.* i. hominis appetitio, & propensio suaptè natura in misericordiam, &

D beneficentiam fertur. Audi Chrysostom. hom. 54. in Matthæum. *Non voluntati solùm, & arbitrio humanitatem & misericordiam Deus commisit, verùm etiam eius non paruas partes naturæ ipsi inseuit, qui hanc non habet, à natura hominis decidet.* Ad hunc sensum vocari potest translatio Septuag. *Fructus viri misericordia eius.* i. sicut arbor quælibet proprium fructum sponte affert, sic etiam homo humanitatem, & misericordiam suopte nutu, tamquam proprium & genuinum fructum producit: sed quia Chrysost. insitionis meminit, liceat sic comminisci. Quemadmodum agricolæ, vt arbor proprios fructus suauiores, ac mitiores reddat, illam, excisis ramis, ex ipsamet, vel ex alia eiusdem speciei arbore accepto surculo Chrysost.

E inserere consueuerunt, quia ita experimento comparatum est, arborem quamlibet, postquam inserta est, fructus vberiores, ac mitiores producere. Sic etiam vti homo proprium, ac genuinum fructum, hoc est misericordiam vberem, magis mitem, ac dulcem proferat, humanitatem & misericordiam ipsi natura inseuit, ait Chrysostomus. Sed quonam modo? Hominem quidem primum Deus produxit, cui naturalis, ac propria est humanitas, & benignitas erga alios homines: ac nequid huic humanitati & benignitati, agreste, & acerbum inesset, sed omnia mitia & suauia forent, hominem sua sponte ad misericordiam propensum primò quidem (liceat sic dicere) ex semetipso quodammodo inseuit; tunc scilicet, cùm dixit, *Diliges Deum ex toto corde tuo,* &c.

G 4 *& proxi*

& proximum sicut teipsum. Nam vt fructus misericordiæ erga proximum suauior, & benignior esset, præcepit, vt homo semetipsum, quasi surculum quemdam sibi ipsi insigeret, vt quemadmodum nihil inmite, & acerbum contra se exequi potest, sic etiam erga proximum omnia mitia, & suauia proferret. Neque solùm hanc arborem ex semetipsa Deus inseuit ad fructus misericordiæ erga proximos edulcandos, & mitigandos, sed etiam ex alia simili, sed excellentiori, nimirum ex Christo homine simul ac Deo, hic enim in Euangelio sic ait, *Quod vni ex minimus meis fecistis, mihi fecistis:* quibus verbis Christus Dominus, liceat sic dicere, semetipsum veluti surculum quemdam homini inseuit, vti ex ipso, & per ipsum misericordiæ fructus vberiores, ac mitiores forent. Sed ad loci huius sententiam redeamus.

81. *Desiderium hominis*, ait Salomon, *misericordia eius*, homini scilicet naturalis quædam ad miserescendum propensio est, quid inde? *Melior est pauper, quàm vir mendax*, inde sanè fit longè melius, & honestius esse facultatibus carere, quàm diuitiis abundare, & ex his minimè benefacere. Nam pauper cùm nihil habeat, à beneficentia satis excusatur: at diues multa habens, & nihil largiens culpam contrahit, à qua seipsum purgare nequit. Neque enim licet illi quemadmodum in aliis vitiis aliquam naturæ propensionem in sordes, ac parcitatem ostendere, cùm potiùs natura ipsa ex se ad beneficentiam prompta, & proclinis sit. Sed tamen Caietanus mea quidem sententia cedit Iansenio, hic enim aptam & cohærentem magis expositionem in hunc locum conieeit, sic enim ait. *Desiderium hominis misericordia eius.* Quidam scilicet opes impensè cupere se dicunt, vt possint esse benefici ac liberales in egenos, & auaritiæ suæ hoc beneficentiæ & misericordiæ desiderium prætexunt, sed frustra. *Nam melior est pauper, quàm vir mendax.* i. longè melior est pauper sua sorte contentus, & nihil prætereà desiderans, quàm diues, qui mendaciter ad parandas diuitias concupiscentiæ, & auaritiæ suæ obtendit opera misericordiæ. Ad hunc etiam sensum allicere licet translationem Septuag. *Fructus viri misericordia eius, melior est autem pauper iustus, quàm mendax diues.* i. multi opes desiderant, quia ex his benefacere, & veluti fructus mites, ac dulces, misericordiæ opera proferre possunt, de quibus hoc asserere licet, hæc desideria & vota miserescendi flores tantummodo esse, quæ partis deinde opibus, & refrigescente charitate adusti marcescũt, & nullos misericordiæ fructus afferre solent: atque adeò præstat pauperem esse, & nihil desiderare, quàm diuitem, & benignitatis, & largitatis fructus mentiri potiùs, quàm reddere. Rursus translatio Vulgata eodem ferme sensu donari potest, quem iam subiicio.

82. *Homo indigens misericors est, & melior est pauper, quàm vir mendax.* Præmittere autem oportet beneficentiam, & misericordiam non profusis donationibus, sed affectu pensari. Nil certius: ob eam causam duæ viduæ minuta maximis denariis à Christo

Chrysostom. prælata fuerunt, Chrysostomus homil. 1. in Epistol. ad Hebræos. *Licet*, inquit, *ex paucis pauca danti superare illos, qui plura possident plura dantes, sicut illa vidua. Non enim ex eorum, quæ dantur mensura, sed ex vi, & potestate, & eorum, qui dant, instituto, & prompta voluntate iudicatur magnitudo eleemosynæ. Attendit enim Deus liberam voluntatem, non ea, quæ dantur, & si voluntatem viderit esse magnam, ei suum fert suffragium, & conuenienter ei iudicat.* I. pro illa suffragium, & iudicium fert. Salomon ergo ne quis falsum miserescendi desiderium auaritiæ suæ obten-

A dat dicens, se propterea in conquirendas opes omnẽ industriam conferre, vt eas copiosiùs in pauperes spargere possit, sic ait: *Non indigens misericors est*, i. hominis pauperis voluntas suapte natura ad beneficentiam, & misericordiam propensior est, quàm diuitis, quia experimento didicit indigentiæ, & angustiarum incommoda, atque adeò compassione acrius tangitur, & ex compassione & condolentia proximi subleuationem impensiùs optat. Vel, *homo indigens misericors est.* I, etiam si indigeat misericors esse potest ex paucis pauca donans. Quid inde? *Melior est pauper, quàm vir mendax.* Vel vt habent Septuag. *Melior est pauper iustus, quàm mendax diues*, melior scilicet & Deo gratior est pauper misericors (nã iu-

B stus hîc, quemadmodum sæpè alibi, pro misericorde ponitur) pauca possidens, & ex paucis pauca ex compassione proximi liberali studio, & voluntate donans, quàm vir diues plura largiens, sed non ex corde miserescens, & liceat sic dicere, misericordiam potiùs mentiens, quàm sentiens. Aliqui extremam clausulam alio sensu donant. *Melior est pauper quàm vir mendax.* i. satius est pauperẽ esse, quàm mendacem, & paupertas mendacio præferri debet. Nec immeritò. Nam pauper eget externis, mendax verò mente quodammodo, & corde eget, atq; adeò eius indigentia grauior est, sed tamen hæc expositio à contextu, & ab aliis lectionibus longè abhorret.

Redeat iterum translatio Septuag. *Fructus viri* 83.

C *misericordia.* Homo enim veluti genuinum, & naturalem sibi fructum sponte humanitatem affert, inhumanitas verò homini non naturalis, sed contra naturam inserta, veluti si oliuæ fructiferæ amarus oleaster inseratur. Cùm autem audis misericordiam esse fructum hominis, iam quidem sponte & ex animo fieri debere intellige, nulla enim arbor fructũ suum sponte non reddit: quod si aliquando fructus aliunde affixus, vel appensus est, fructus dici non potest, quò spectauit Chrysostom. hom. de pœn. 7. Chrysostom.

Vbi sic scribit. *Audi Prophetam dicentem, Sicut oliua fructifera in domo Domini, huiusmodi simus, neque enim satis est oliuam fieri, sed fructiferam, sunt enim qui miserantes parua dant, ipso anno labente, aut omni heb-*

D *domada, vel paruum quid exhibentes. Hi oliuæ quædam sunt non fructiferæ & veræ, sed aridæ, quod quidem miserentur olius, quod autem non promptè, aut ex animo, non fructiferæ.* Ad hæc D. Paulinus loco supra citato eos, qui eleemosynas eo animo faciunt, vt hominibus placeãt, perstringit exemplo vlmi, cui vitis maritata & implexa est, nam sicut hæc vuas non affert, sed alienas ramis suis appensas, tamquam proprias ostentat & venditat, sic etiam diues superbus non sponte, & ex animo eleemosynas, quasi proprios misericordiæ fructus profert, sed studio placendi, & ostentationis gratia: qui gloriam vnam misericordiæ quodammodo maritans, & implicans, fructus etiam illius eidem accommodat. *Et sterilem*, inquit,

E *misericordiam ad fructuum ostentationem componit.* i. misericordiam per se sterilem superbiæ, aut cænodoxiæ fructibus adornat. Et quidem non ineptè vitis cum cænodoxia componitur, sicut enim vitis per se humilis rectum, & sublimem populum nacta illi adhæret, & lapsu suo ad cacumen vsque pertingit: sic gloria vana cùm virtutis speciem tamquam altam & sublimem arborem nanciscitur; ipsi arctius copulatur, eiusque verticem & celsitudinem ambit. Virtus etiam illa, quæ cænodoxiam sibi adhærentem excipit, populus est infrugifera, virtutis vtique rectitudinem, & sublimitatem mentiens, fructus autem non afferens. Ex his constat misericordiæ fructus esse debere spontaneos ex humanitate, & cordis compassione natos, quorum nobilitatem eruditè describit

describit Chrysost. hom. in Psalm. 111. *Humana quidem omnia euelluntur, fructus autem eleemosynæ non potest marcescere, nec vlla difficultate temporum reprobari: nam: si dixeris pulchritudinem, ea morbo flaccescit, & senio consumitur: si dixeris potentiam, hæc sæpè mutatur: si diuitias, vel aliquid eorum, quæ in vita præsenti habentur illustria & clara, ea vel viuos relinquunt, vel mortuos omnino nudos, & destitutos dimittunt: sed misericordia non est eiusmodi fructus, non enim tempore consumitur, & non morte amputatur, sed tunc amplior & tutior redditur, quando ad portum illum, qui nullis agitatur fluctibus adnauigauit.* Hæc ille.

---

23. *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessima.*

84. Timor Domini ad vitam, &c. Hebr. *Timor Domini ad vitam, & satur pernoctauit, nec visitabitur malo.* Chald. *Timor Domini ad vitam, & qui satiabitur ab eo, pernoctabit, nec visitabitur à malo.* Schol. *Errans, & satur pernoctauit sine visitatione mala.* Sept. ab omnibus aliis discedunt, sic.n. habent. *Timor Domini ad vitam viro, carens autem timore morabitur in locis, vbi non consideratur scientia.* Et quidem si origines timemur, non erit arduum hanc translationẽ ab eisdem eruere. Nam pro pleno, aut saturo subest, שבע *Sabeang*, ex Sabangh, ita vt ש habeat punctum in sinistro cornu, quæ radix significat satiare, aut implere. *Saturum verò pernoctare*, perinde fuit sacris illis interpretibus, atq; in vtramuis aurem dormire, quod hominis est imperterriti, ac timore vacui. Rursus Septuag. pro voce illa רע *Rangh*. i. malus, legisse videntur, יד *Dangh*. i. sciens, ex ידע, hoc est *sicut*, *cognouit*. sed venio ad sententiam, quæ secundùm varias translationes varia est.

85. Translatio Chaldaïca illustrem sensum cohibet. *Timor Domini ad vitam & qui sanabitur ab eo, pernoctabit, nec visitabitur à malo.* i. Timor Domini vitam & incolumitatem affert, & qui timorem istum ad saturitatem vsque sumpserit, dulci sopore obrutus noctes placidissimè transiget. *Nec visitabitur à malo*, quidam hoc *mali* nomine cacodæmonem accipiendum putant, vt sit sensus, nec noctu inter quiescendum dæmonis insidias, vel incursus patietur. Solent enim Dæmones per quietem homines spectris, & phantasmatibus illudere, de quibus diaboli illusionibus multa apud Patres legere licet. Et quidem eiusmodi spectra his præcipuè obiici solent, qui spreto Dei timore impiè viuunt, & multorum scelerum sibi conscij sunt. Prudentius in Hymno ante somnum. *Prudent.*

Plerumque dissipatis
Mendax imago veris
Animos pauore mœstos
Ambage fallit atra.
Et infra.
Quem rara culpa morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux serena vibrans
Res edocet latentes.
At qui coinquinatum
Vitiis cor impiauit,
Lusus pauore multo
Species videt tremendas.
Et infra.
Procul ô procul vagantia
Portenta somniorum,
Procul esto peruicaci
Præstigiator astu.

A *O tortuose serpens,*
Qui mille per meandros
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda.

Accinit etiam Ecclesia, quæ in Hymno Completorij hoc idem precatur.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime
Ne polluantur corpora.

Has diaboli phantasias optimè describit Blesensis in Epistola 65. ad illa verba Apostoli. *Non ignoratis astutias Sathanæ.* in lib. 8. Moral. cap. 13. & lib. 4. Dialog. cap. 48. Sed expendenda sunt verba, *Et qui* B *satiabitur ab eo pernoctabit.* Videtur enim similitudo sumpta ab eo, qui salubri alimento pastus somnum captat suauem & placidum. Quasi dicat, homo timore Dei satur placidè dormiet, nam timor Dei omnes alios timores pellit, qui somnum interturbare solent. i. somnum capient adsimilem illi, qui hominibus euenire solet, cùm salutaribus alimentis pasti sunt. Nec immeritò, quia timor Dei alimentũ est salubre, quo nullum melius conscientia (quæ vt sup. cap. 3. vers. 12. ex Chrysost. Augustino, & aliis Patribus diximus, animi ventriculus est) decoquit, ac digerit. Quapropter sicut optimi alimenti propriũ est suauibus, ac placidis vaporibus ab stomacho excitatis caput inhalare, & somnos iucundos induce- C re: sic etiam timoris Dei maximè proprium est iucundos, & suaues motus ex bona conscientia, tamquam ex spirituali quodam stomacho in mentem regere, & quietem animi suauissimo cuidam sopori adsimilem efficere: vide plura de hac re supra c. 3. ad illa verba, *Sanitas quippè erit vmbilico tuo.* *Blesens.*

Translatio Septuag. aliam sententiam offert ad hunc modum. *Timor Domini ad vitam viro, carens autem timore morabitur in locis, vbi non consideratur scientia.* i. timor Dei salutem & vitam homini affert, qui autem hoc timore vacat, ad eos diuertit, qui boni & æqui nullam rationem habent, sed effrænatè in omne scelus ruunt. Quasi dicat, eiusmodi homo timoris Dei expers eorum, qui Deum timent con- D sortium vitat, ad illos autem, qui impauidi scelera admittunt, sese recipit, id sibi vult illud. *Et morabitur in locis, vbi non consideratur scientia*, &c. Loca illa libenter addit, vbi conueniunt quotquot probitatem, & iustitiam non considerant. Sic describit impauidos, & timore Dei vacuos homines; nam ex inconsiderantia oritur semper audacia transgrediendi & timoris defectus. Chrysostom. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura, timorem Dei ex scientia diuinorum proficisci multis suadet, ac demum sic infit. *Quod si scientia cessauerit, res nostra in deterius deducetur, nam sine scientia id etiam quod homines sumus amittimus. Deum enim metue, inquit Salomon, quoniam hoc est omnis homo: quod si homo non aliud scit,* E *quàm Deum timere, timor autem Dei non nisi ex scientia prodit, scientia priuati timorem Dei amittemus, & viliores, quàm animalia bruta euademus.* Mens autem Chrysostomi hæc est, quod quemadmodum in brutis audacia & proiecti illi impetus ad inuadendum, ex inconsiderantia, & defectu scientiæ procedit, propter quem sponte in venabula ruunt, & pleraq; alia animantia in retia & casses temerè veniunt. Sic etiam in homine procax illa, & timore vacua ad transgrediendum audacia, ex bruta quadam inconsiderantia prouenit: adeo vt qui timorẽ Dei exuit, mentem quoque, & rationem deposuisse, & brutam quandam temeritatem induisse credendus sit. Sed illud animaduersione dignum, quod initio præmisi, Hominẽ istũ imperterritũ, & ne Deum quidem pauentem

86. *Chrysost.*

pientem per eum notari, qui multis epulis satur in A
vtramuis aurem dormit: nam sicut ille, qui epulis, ac vino obrutus dormit, difficilè admodum excitatur, & menti redditur: sic etiam illum, qui timore Dei caret è somno vitiorum excitare, & ad pietatem capessendam acuere difficillimum est: Quotquot.n. à vitiorum sopore excitantur, non ab alio, quàm à timore Dei excitatur: quapropter sublato hoc timore omnis euigilandi spes exscinditur. Quemadmodũ è contra illi, quos timor Dei assiduo concutit, sicubi vitiorum illecebris allecti obdormiscunt, tanquam abstemij, & ieiuni leuem admodũ somnum carpunt, atq; adeò illos alloqui pauentes tenuissimus quilibet diuini verbi, aut humanæ commonitionis sonus exturbat, & ad resipiscentiam exacuit. Nil certius. Le- B
ctio quoq; Scholastica eundem fermè sensum exhibet. *Timor Domini ad vitam, errans, & satur pernoctauit sine visitatione mala.* Nimirum ex saturitate errans, i. ebrius, ac temulentus, sic.n appellat eum, qui timore Dei vacuus est, virum scilicet ex temulentia deerrantem, & collabentem: sicut.n. ebrius solutis membris obiecto obice offẽdit, impingit, ac proruit, sic etiam vir expers timoris Dei leuissimis tentationibus, aliquando etiam nullis, in ruinam impellitur. Hic ergo vir errans & satur, nimirum ex ebrietate deerrans, & labans, deniq; *pernoctauit*, i. dormit crapulam. *Sine visitatione mala*, hoc est absque terrore, & perturbatiore. Quasi dicat homo iste est timoris Dei expers, tamquam ebrius errabit, ac proruet: ac C
præterea ebrij in morem ab omni perturbatione, & terrore liber vitiorum somno profundissimo se dedet, à quo nullis vocibus excitari queat. Sed ad Vulgatam translationem gradum faciamus.

87. *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessima.* Primò igitur potest vtraq; hæc timoris Dei laus ad vitam sempiternam referri, hoc sensu. Timor Dei, qui hoc sæculo mortem, & interitum homini ob oculos semper ponit, vitam, & fœlicitatem perpetuam illi affert, & qui in hac vita perturbationem aliquam, & motum habere videtur, in futura tandem quiescet, & in bonorum omnium affluẽtia, & saturitate in æuum morabitur: ac deniq; qui semper in malorum expectatione erat, D
securus deget ab omni calamitate & infortunio immunis. Hoc sibi vult illud, *absque visitatione pessima*, sic enim legendum, non *pessimi*, vt quidam mendosi codices habent. Itaque iuxta hanc expositionem Salomon docet timorem Dei in futuro sæculo cõmutandum esse, ita vt mortem, & interitum, qui modo illi ob oculos est, perennis vita; & perturbationem temporalem, quies æterna; & malorum expectationem securitas perpetua tandem excipiat.

Aliter etiam de hac vita exponi potest locus iste, ita vt Salomon tria omnino bona homini ex timore Dei in hoc sæculo euenire dicat, hæc sunt, vita incolumis, rerum omnium copia, & securitas, ait enim *Timor Domini ad vitam* idest, timor Domini, & si mortẽ E
& interitũ ante oculos homini ponere videatur, tamen reuera vitam ipsi cõciliat. Subdit, *Et in plenitudine commorabitur.* i. licet hominem impellere, exturbare, & commouere videatur, tamẽ re vera illi quietẽ ab omni perturbatione liberam, & plenã quandã bonorũ affluẽtiam adducit, *Absque visitatione pessima.* i. quamlibet homo ex timore Dei in malorum expectatione degere semper videatur; tamen re vera illum hic timor vera, & stabili securitate donat, id enim timoris Dei proprium est, vt omnem alium timorem excludat. Ecclesiast. 34. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit & non pauebit, quoniam ipse est spes eius.* Diuus Damascenus ex Didymo in Paralip. cap. 4. *Fieri non potest, vt qui Dei timore praditus est*

Eccles. 34.

Damascen.

meticulosus sit. De qua re alibi non pauca me dixisse memini.

24. *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat illam.*

ABscondit piger, &c. Alij codices habent sub 88.
axilla. In originibus est בצלחת *Batsalachath*, quę vox scutellam adsignificat, vel leberem, vel ollam. hinc nata lectio Hebræis familiaris, *Abscondit piger manum suam in olla*, vel *in scutella.* Sed per trãslationẽ *sinum*, vel *axillam* notat, vt docet Rabbi Dauid. *Nam quemadmodum*, inquit, *absconditur quidpiã in lebete, aut olla, ita manus absconditur in sinu.* Cæterùm hæc accommodatio metaphoræ insulsa est. Satius est dicere similitudinem duci à figura & forma, quia axilla ab ima parte concauitatem quãdam scutellæ adsimilem habet. Rursus alij transferunt. *Abscondit piger manum suam ad frixorium.* Sept. à nostro etiam interprete tantisper abeunt. *Qui abscondit in sinum suũ manus iniustè, neq; ori quidẽ admouebit eas.*

Ergo ex Hebræis qui legunt, *Abscondit piger manum suam in olla*, &c. sic exponunt. Mittit vtique piger manum suam in ollam, vel scutellam, vt inde cibos trahat, & præ socordia, & tædio inde educere, & escas ad os perferre non conatur. Exaggeratio est cuiusdam eneruatissimæ pigritiæ, quæ in nulla re, quantumuis facili conatum adhibet. Caietanus primò sic exponit. Mittit piger manum suam in ollam Caiet.
calentem, atque eo fomento caloris delinitus non vult illam inde extrahere, neque ad os mouere. Cęterùm alij ex Hebræis huic sententiæ specialẽ quandam emphasim tribuunt: nam cùm legant, *Abscondit piger manum suam ad frixorium.* i. cùm cibi friguntur, ipse manum suam condit, sic.n. locum istum exponendum putat, eiusmodi homo socordia, atque pigritia solutus, cùm cibi in sartagine friguntur, manum suam abscondit, nec ad os perfert. Quid inde? sanè ea, quæ friguntur, cùm satis igni decocta sunt, nisi ocyus excipiantur aduri, atque perire solent. Ergo sensus est, virum socordia laborantem, etiam cùm cibi in sartagine frixi satis, & esui attemperati sunt, illos, ex sartagine excipere, & ori admouere piget, ac tædet, ex quo fit, vt ocyus per adustionem corrumpantur, & pereant. Quod perinde est ac si dicat, pigris, ac socordibus plurimas res valde vtiles perire, ac corrumpi, quia illis opportuno & accommodato tempore vti ex pigritia tęduit, quod satis exploratũ est. Hæc de Hebræorũ interpretationibus.

In translatione Septuag. obseruanda imprimis est 89.
particula illa, *iniustè*, quæ cùm non respondeat originibus à Septuag. illis sapientibus addita est, & mea quidem sententia, longè diuersum à reliquis translationibus sensum exhibet, *Qui abscondit manus suas in sinu iniustè, neque ori suo admouebit illas*, illud verò, *Abscondit manus iniustè in sinu*, ni fallor, ad eos spectat, qui aliena auferunt, vel quia in aliorum sinus manus mittunt, vt inde pecunias extrahant, vel quia ablatas ipsi in sinu suo abscondunt, & celant. Hi ergo, inquit Salomon, qui vi, & iniuria, alienas pecunias auferunt, ori suo nequaquam eas admouent, quia citiùs quàm illas in vsus proprios conuertere possint, ipsis peribunt: ita.n. experientia duce nouimus ablatas furto pecunias malè dilabi & perire solitas. Alias etiam accommodatior expositio conformari potest ad hunc modum. *Qui abscõdit manus suas in sinu iniustè.* i. qui pecunias ex auaritia celat, manus contrahens, atq; in sinum immergens, contra ius fasque, *Neque ori suo admouebit illas*, is profectò neque illas in vsus proprios expendere audebit: ita.n. fert

auarorum

auarorum ingenium, vt non modo pecunias suas alij non impendant, sed neque eisdem ipsi victitare ausint, auaritia. n. quæ largitiones in pauperes, vel amicos inhibet, sumptus etiam ad proprias vtilitates spectantes sordidissimè vetat.

Hunc ad sensum Vulgatam lectionem allici posse cuipiam videbitur, *Abscondit piger manum suam sub ascella*, ita vt Salomon auarum pigrum appellet. Sed tamen hæc sententia planè ad socordiam pertinet, quam Salomon venustè admodum exaggerat, dum ait, hominem pigritia laborantem tantopere dissolui, & eneruari, vt ne manus, quas fortasse ad prohibendum frigus in sinum abdidit, inde extrahere, & appositas escas ad os perferre nequaquam conetur. Sic ferè interpretes. Cæterum, ni fallor, alia est Salomonis mens, quæ sic habet. *Abscondit piger manum suam sub ascella*, ille scilicet, qui ex desidia brachia complicat, & manum vtramque in axillam colligit, hic. n. est pigritiæ habitus, neque ori suo admouebit illam. i. victu quotiano carebit. Hispani dicunt. *Noterna que llegar à la boca.* Itaque pigritiæ & socordiæ egestaté, & inediam minatur Salomon. D. Gregor. lib. 22. Moral. cap. 10. hæc verba in prædicatores & doctores conuertit, qui docent quidem, sed non faciunt. *Ægro* inquit, *labor est manum suam ad os porrigere, quia desidiosus quisque prædicator, nec hoc vult operari quod dicit, Manum. n. suam ad os porrigere est, voci sua opere concordare.* Hæc verba ex Gregor. transcripserunt Beda, & Salonius. Gregor. Gregor.

---

25. *Pestilente flagellato stultus sapientior erit; si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam.*

90 PEstilente, &c. Hebraicè לץ *Lets*, ex לוץ *Luts*, derisorem significat, vel illusorem, noster autem interpres sequutus est Sept. qui tum hic, tum alibi vocem hanc passim *pestilentem*, vertút. Igitur locus integer ex primitiuis expressius sic efferendus est. *Si percusseris derisorem, simplex astutus efficietur, & si increpueris intelligentem, intelliget scientiam.* Sept. habent, *Pestilente flagellato, stultus astutior fiet.* Subest autem יערם *Iaghrim*, ex ערם *Gharam*, quod verbum ad serpentis astutiam notandam propriè assumi alibi non semel ex Hebr. obseruationibus adscripsimus. Subiiciunt Sept. *Si autem corripueris virum prudentem, cogitabit sensum.* Aquila, Sym. & Theodotion, *cogitabit scientiam.* Chald. *Percute derisorem, & insipiens astutior fiet, & corripe pudentem, vt intelligat scientiam.*

91 Sententia vtique perspicua est, sed tamen aliqua subiiciam, quæ illam splendidiorem reddant. Duplex quidem hominum genus est, alterum proteruum, & indocile, cuius salus iam desperatur: alterum facile, lentum, ac docile, quod ad bonam frugem cohortationibus facile traducitur. Vtrumque ergo Salomon commonendum esse dicit, alterum quidem flagellis frangendum, alium verò verbis mitius corripiẽdum, nam in dissimiles mores dissimiliter animaduertendum est. Proterui vtique, atque indociles flagellis tundendi, & ictibus infringendi sunt. Nam licet ipsi propterea non resipiscant, eorum tamé castigationibus imperitus quisque sapit, & cautior efficitur, dum malo addiscens alieno, atque prudentiam serpẽtis indeptus, sibi deinceps astutissimè prospicit. Et quidem serpentis astum hic commemoraui, quia, vt nuper dixi, lectio originalis, cui subest, *Derisore flagellato stultus astutior efficitur*, serpentis astutiam ge- A nuinè significat: aptissimè autem ei, qui alienis malis cautior fit serpentis astutia datur, quia, vt docet Magnus Albertus in serpente, si forte locus aliquis à serpentibus infestatur, ad eos fugandos optimi remedij loco ducitur, serpentem aliquem deprehensum necare, aut igni tradere: nam totam latè regionem, ad quam adducti vel enecti colubri nidor, aut fœtor peruenit, reliqui è vestigio deserunt, & in alias plagas se recipiunt. Hæc ille. Quapropter hanc serpentum prudentiam imitari dixerim illos, qui alienis calamitatibus, aut suppliciis admoniti sibi deinceps consulunt, & non loca, sed mores vertunt, & ad bonam frugem se recipiunt: & sanè haud scio, an prudentiam istam homini ab initio indere voluerit B Deus. Nam cùm Adam admissi piaculi reum in aliorum hominum exemplum coërcere, ac punire vellet, serpentem priùs maledictione sua perculit eo consilio, vt reliquis deinceps hominibus suaderet, ad eum modum vnius protoparentis supplicio & exemplo cautos esse debere, quemadmodum serpentes vno, vel altero necato, seu adusto sibi cautissimè prospiciunt. Quantam verò vim habeant aliena mala, & supplicia ad edocendos, & commonendos simpliciores homines, ostendit Chrysostomus exemplo serpentis hom. 17. in Genesim. vbi sic scribit. *Cùm diabolus serpentis opera vsus malum dederit consilium, cur bestia illi pœna infligitur? est & hoc*, inquit, *ineffabilis misericordiæ Deus opus. Nam sicut clementis-* C *simus pater puniens eum, qui filium suum occidit, & gladium, & ensem, per quem filius suus occisus est, in multas partes comminuit, eodem modo Deus egit, quippè serpens tanquam gladius diabolicæ seruiuit malitiæ, vnde & perpetua ipsi pœna inuenta est.* & infra ipsum serpentem in Dei persona affatus sic addit. *Propterea quia te in his diabolus, velut instrumento vsus est, perpetuam tibi pœnam impono, vt per illa, quæ tibi fiunt & ille scire possit, quæ ipsum expectet pœna. Et futuri homines erudiantur non ministrandum diaboli consilio, neque illius fraudes accipiendas, ne in easdem incidant pœnas.* Et alia insuper attexit, quibus docet propterea Deum in Adamum atque Heuam mitiorem extitisse, ac leuiorem illis, quàm culpa ipsorum me- D ruerat, pœnam imposuisse. Quia præmisso serpentis supplicio per illud tam ipsos, quàm posteros eorum satis erudiendos, & commonendos spectabat: hoc. n. fuit ineffabilis misericordiæ opus de Adami supplicio, tantumdem detrahere, quantum serpenti priùs imposuerat, ait Chrysostom. nam quia ipsum alieno malo satis edocendum putabat, leuius malum illi intulit; & quidem ita Deus nobiscum sæpè agit, alios vtique seuerissimis pœnis exercet: & quia nos ipsorum calamitatibus, & suppliciis ad probitatem erudiendos sperat, mitiùs nobiscum agit, ita vt sæpiùs nobis id persuasum esse debeat grauissimas pœnas illis irrogatas, nobis vtique adeptas, Deo ita impunitatem indulgente, quia alienis malis nos edo- E cendos credit. Qua in re non prudentes solum, sed fœlices etiam putandi. Huc spectat illud peruulgatum. Chrysost.

Fœlix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Accinit illud Tibulli. Tibullus.

——————fœlix quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo.

Tribuitur etiam illud Cypriano. *Nimium præceps est, qui transire contendit vbi conspexerit alium cecidisse; & vehementer infrenus est, cui non incutitur timor, alio pereunte. Amator autem est salutis suæ, qui euitat alienæ mortis incursum, & ipse est prouidus, qui solicitus fit cladibus cæterorum.* Aliqui etiam ad hanc sententiam transferunt vulgarem illam parœmiam, *De alieno ludere corio.* Cyprian.

Si

Si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam, obseruat eruditionis discrimen: in pestilentem. i. procacem & indocilem hominem flagellis animaduertẽdum esse dicit, in eum verò, qui facilis, ac docilis est, correptione vtendum. Nam dura, & adamantina ingenia impactis ictibus domanda, mollia verò, & cerea leni impressione informãda sunt. Ergo Salomon, nullis delictis conniuendum, aut indulgendum esse docet, sed proteruos & indociles seuerissimè puniẽdos, quia etsi pœna seuerior nonnũquam illos ad resipiscentiam non adducat, ea tamen simplicibus, & ineruditis cautionem afferre solet: eos verò, qui dociles sunt, & morum facilitate præditi leniùs corripiendos, & commonendos, quia his correptio, & commonitio mentem exacuit, & ad probitatem animum erudit.

93 Quod si iuxta origines legas, *Derisore flagellato stultus astutior efficitur*, id solum obseruatione dignũ duxi, eum, cuius mores suppliciis, aut correptionibus informari non possunt, derisorem dici, & quidem apposité. Constat. n. eos omnes nullis maiorum correptionibus resipiscere, qui leues sunt, ac derisores, quibus solemne est omnem correptionis seueritatem lepidis quibusdam iocis eludere, & supplicij rigorem nugis emollire, de his fortasse loquitur Basil. in libr. de Spiritu sancto, cùm ait. *Quemadmodum in corpora valde mollia, cedentiaque, non possis egregiam plagam infligere, ita eos, qui palam insaniunt non possis forti, insigniique redargutione percellere*, & quidem ex multis, quorum mores inemendabiles æstimantur, vix pauci sunt, qui eo morbo non laborent.

26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, ac infœlix.*

94 QVI *affligit Patrem*, &c. Heb. sic conuertunt. *Expilans patrem, fugans matrem filius pudore afficiens, & erubescere faciens*, dissonat Chald. *Qui deridet patrem suum, & fugat matrem suam, filius est ignominiosus, & confusione dignus*. Septuag. etiam aliter extulerunt. *Qui inhonorat patrem, & expellit matrem suam, confundetur, & exprobrabilis erit*. Hanc dissimilitudinem lectionum peperit verbum שדד *Sadad*, quod propriè significat deprædari, & diripere, aliquando etiam affligere, Psal. 17. vers 9. *A facie impiorum qui me afflixerunt*. Aliquid referunt ad radicem שדד *Sadad*, cum puncto in sinistro cornu, quod propriè significat glebas cõtundere, & exterere, ita vt sensus sit, qui parentem suum proterit. j. qui illum contemnit, & glebæ in morem calcibus terit; atque hinc fortasse nata est translatio Sept. *Qui inhonorat patrem suum*, in quibusdam codicibus legitur, *& fugit matrem*, sed mendum est manifestum.

Sensus ergo iuxta Hebr. lectionem sic habet, *Qui patrem expilat, & fugat matrem, ignominiosus est, ac cõfusione dignus*. Nam licet verba, vt sonant sic conuertenda sint. *Filius pudore afficiens, & erubescere faciens*, vox tamen actiua pro passiua permutanda est. Vel cũ Caietano legendum. *Filius ignominia, & vituperij*. Itaque ait, filius, qui paterna bona decoquit, & dilapidat, & cum matre sua acerbius agit, adeo vt contra maternæ indulgentiæ leges, quæ filiis hærere, atque adesse impensè cupit, ab ipsis discedere & longe fieri eligat, *Is*, vtique filius, *ignominiosus est, & infœlix*, quia nimirum parentum pietatem ea ratione lædere ignominiosum valde, ac turpe apud homines habetur, & miseriæ, & infœlicitatis omen, ad præsagium certissimum est. *Vel filius ignominia, & vituperij*. j. cum honor. & generis splendor à parentibus ad filios manet, eiusmodi filius hæreditario honore seipsum exuit, ac A se degenerem omnino, & obscurũ factis prodit. Qui. n. ea ratione parẽtes suos violat, eorum se filium esse factis abnuit: nam cùm filij parentibus suis sponte, & ad nutum obsequi, atque illos ope, & opibus iuuare debeant, qui ex aduerso in illos contumaces sunt, atque illorum bona, & fortunas euertunt, se vtique filios esse abnuunt, atque adeo paternam gloriam iure hæreditario capessere non debent.

Translatio Sept. sic habet. *Qui inhonorat patrem, & expellit matrem suam, confundetur, & exprobrabilis erit*, 95
non solùm quia parentum dehonestatio ad filios vicissim transit, sed etiam quia quemadmodum nihil decorum magis filiis est, quàm parentum gloriam amplificare, sic etiam nihil æquè indecorum iisdem B est, quàm eorumdem splendorem, & gloriam denigare, vel labe aliqua vtcumque aspergere. *Qui inhonorat patrem*, per despicientiam, & contemptum, vt supra obseruauimus. j. qui illum pessundat, & proterit; ducitur. n. similitudo ab aratore infringente glebas. Quasi dicat, filius, qui patrem (liceat sic dicere) opprobriis arat, & maledictis proscindit, probra, & cõfusiones inde sibi metet: nam parentum probra quid aliud, nisi probra, & dedecora filiis parere, & germinare possunt: & quidem accommodatè satis Salomõ vsus est verbo illo שדד *Sadad* (quod est glebas cõtundere) ad significandas contumelias senioribus parentibus à filiis irrogatas, nam de viro senio confecto vulgo dici solet. *Que esta hecho tierra, o moton de tierra*, C nimirũ propter corporis imbecillitatem, & effœtas vires: aptè ergo Salomon dicit, si verborum vim exprimamus. *Qui parentem, veluti glebam proscindit*. j. qui illum præ senio veluti in terram glebam conuersum ex despicientia proterit, & illatis cõtumeliis infringit, contumeliam vtique, & ignominiam sibi ipsi parat; nam tellus illa imbecillis, & exhausta probris, & iniuriis proscissa, & exarata, probra, & iniurias filiis producit. Nam si spinas seris, quid inde nisi spinas metes? Chald. habet. *Qui deridet patrem*. Sed hæc lectio non dissidet à translatione Sept.

Vulgatus conuertit, *Qui affligit patrem*; vsus autem est verbo vniuersaliori, vt omnem vndequaque 96
profectam afflictionem, & angorem notaret, quæ parenti à filio inobsequente euenire potest, D ne sententiam hanc in angustias cogeret, & quidem aptè patri afflictio, vel inhonoratio iuxta Sept. & matri fugatio tribuitur. Subdit. n. *Et qui fugat matrem suam*, nam pater in publico versatur, ac latere non potest, atque adeo à filiis dehonestatus dedecus publicè sustinet, ac propterea grauiter angitur, mater verò in laribus degit, quapropter si quando à filiis dedecore affecta est, ad penetralia sese recipit, & hominum conspectum fugit, id sibi vult illud, *Et qui fugat matrem suam*. j. qui matri suæ dedecus inurens, illam in secessum, & lares compellit, ne foras progredi audeat. Aliqui præmissa verba sic extimant. *Et qui fugat matrem*. j. qui illam bonis omnibus spoliatam ad E exilium adigit, sed hoc non probo. Ille igitur filius, qui patrem, ac matrem ad hunc modum læserit. *Ignominiosus erit, ac infœlix*. j. non solum ignominiæ notam turpissimam sibi inuret, sed etiam infortunata omnia, & infelicia experietur. Hinc Xenophon apud Stobæum, serm. 79. vbi eos, qui in parentes iniurij sunt, Stobæus.
pluribus insectatus est, de hac filiorum ignominia sic demum addit. *Ab hominibus quoque cauebis, ne sentientes, quod contemnas parentes, pro nihilo te habeant, & priuatus amicis omnibus solus, & inglorius maneas, si. n. te arbitrabuntur erga parentes ingratum esse, nullus putabit te pro susceptis beneficiis fore in ferenda gratia memorem*. Infortunia verò & calamitates filiorum, qui parentes suos violant, alibi expendimus.

27. *Ne ceſſes audire fili doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ.*

97. NE *ceſſes audire*, &c. in primitiuis deſiderantur duæ negationes, ſic. n. verba vel iacent conuertenda ſunt. *Ceſſa fili mi audire doctrinam, ad errãdum ab eloquiis ſcientiæ.* Abſtinent quoque à negationibus Sept. ſed paulò aliter reſtituunt, *Filius omittens cuſtodire diſciplinam patris, meditabitur eloquia mala.* Placet coniectura Ianſenij, qui exiſtimat Vulgatum noſtrum in primitiuis ironiam agnouiſſe hoc ſenſu. *Ceſſa fili mi*, &c. i. miſſam fac doctrinam. Sed quid inde? *Errabis vtique ab eloquiis ſcientiæ*, quaſi dicat. Si ceſſaueris ab auſcultanda ſaniori doctrina ab eloquiis ſcientiæ prorſus aberrabis. Quam ſententiã noſter interpres additis negationibus, & indicta prohibitione non euariauit ſenſu, ſed verbis, dum ait. *Ne ceſſes audire fili mi doctrinam:* ſubdit autem, *nec ignores*, quidam legunt, *ne ignores*. Sed cùm ſenſus eodem recidat, & correctior textus Clementis habeat, *nec*, non ſunt audiendi. Chald habet. *Creſce fili mi, & audi diſciplinam, & non ceſſes à verbis oris eius.*

Ex Hebræis quotquot abſolutè legunt, *Ceſſa fili mi audire doctrinam, ad errandum ab eloquiis ſcientiæ*, quibus hærent Rodolphus, & Caietanus, ſic locum iſtum exponunt, *Abſtine iam omnino, & deſiſte ab auſcultandis pernicioſis doctrinis, hæ enim paulatim in multos errores te inducent:* nam ille, qui vel tantummodo eiuſmodi doctrinis aures accommodat, non paruum ſibi aberrãdi periculũ creat. Itaque iuxta hãc lectionem Salomon prohibet ſeriò audire falſa dogmata, quippe quæ, dum auribus inſonant, mentibus quoque impoſturam paulatim faciunt. Sicut. n. vox aſpera ac ſtridula, initio quidem aures lædit, ſed dum ſæpiùs auditur auribus ad habitum perductis minus abſurda, aliquãdo etiam grata videtur. Sic etiam falſa dogmata cum primum excipiuntur mentem ſono ſuo offendunt, quod ſi mens illis crebra repetitione aſſueſcat, paulò poſt placidè, & iucundè auſcultantur. Propterea ait, *Ceſſa audire doctrinã*. i. Si eã hactenus nõ audiſti, numquam deinceps illi aures accommodes, quod ſi aliquando illã accepiſti, abſtine deinceps, & aures tuas opprime, nam per aures tranſmiſſa animum excantat, & deludit. Cæterùm aliam eſſe Salomonis mentem, & priorem illam partem non de falſis dogmatibus, ſed de bona, & ſalutari doctrina capiendam eſſe non ſolùm Vulgata interpretatio, ſed etiam tranſlatio Sept. ſuadet, quæ ſic habet.

98. *Filius omittẽs cuſtodire diſciplinam patris meditabitur eloquia mala.* i. ſtatim atque filius ſalutaribus parentis ſui monitis audiens eſſe deſinit, deprauatas aliorum doctrinas haurire incipit. Qui enim patrem ſalutaria docentem non auſcultat, reliquos eadẽ præcipientes, velut à fortiori nõ audiet. Quapropter bene colligit Salomon, filium indocilem, qui parentis ſalutares præceptiones non accipit, prauis aliorum monitis omnino acquieſcere. Poſſet etiam aliquis extrema illa verba, *Meditabitur eloquia mala*, alio ſẽſu donare. i. meditabitur mala aliis dictare, & eloqui, malam ſcilicet, & pernicioſam doctrinam aliis ipſe tradet, quia non bonis ipſe ab initio imbutus dogmatibus, non bonas aliis inſtillauit doctrinas. Sed vt alia omittam, id tantum ex tranſlatione Septuaginta mihi ſumo, ſcilicet hunc verſum non de cuiuſcumque doctoris præceptis in vniuerſum accipiẽdum eſſe, ſed preſsè, & ſpecialiter de parentũ admonitione, & doctrina, atque inde lux comparatur Vulgatæ lectioni.

99. *Ne ceſſes audire fili doctrinam*, cuiuſnam? Parentis vtique. Quaſi dicat, nullo tempore vitæ tuæ, etiamſi adoleueris, & ſatis tibi ipſi ſapere videaris, ne propterea committas, vt patris tui monitis ſalutaribus non acquieſcas. Hunc ſenſum ſpirat Chald. paraphraſis cùm ait, *Creſce fili mi, & audi diſciplinã patris.* i. etiãſi creſcas, & ætate prouectus ſis, audi nihilominus patris tui doctrinam: tua depone; & illius conſilia libẽs ſuſcipe. Nam in his, quæ è re tua ſunt, & ad morum honeſtatem pertinent, meliora ipſe cõſulet, quàm tu ipſe ſapies, & propria conſultatione aſſequi poteris. Et quidẽ parentũ monitis tantumdẽ tribuendũ eſſe docet Plato, vt pro oraculis omnino haberi debeãt, nam cùm præmiſiſſet lib. 11. de legibus. *Nullum aliud tale, & tam efficax ſimulacrũ domi haberi poſſe, ſi recte, & vt decet, à filiis colatur*; addit, Patris reſponſa filiis oracula eſſe, à quibus decipi, & falli quodammodo impoſſibile ſit. Itaque qui ſua ſectatur conſilia decipi ſæpius poteſt; qui autem patris monitis, & præceptis acquieſcit, perrarò admodum aberrabit. Subdit Salomõ. *Nec ignores ſermones ſcientiæ*, quod ſic cũ ſuperiori hemyſtichio nectendũ eſt, parentis doctrinã omni tẽpore auſculta, nec ſermones optimos ignorare velis, quod perinde eſt ac ſi dicat, ſi optimos quoſq; & honeſtatẽ ſuadẽtes ſermones ignorare nõ vis, paterñ doctrinã audire nequaquã intermittas, ac detrectes.

28. *Teſtis iniquus deridet iudicium; & os impiorum deuorat iniquitatem.*

100. TEſtis iniquus deridet iudicium, &c. Heb. ad verbũ. *Teſtis Belyahal deridebit iudiciũ, & os impiorũ deuorat iniquitatem.* Caiet. paulò aliter reſtituit. *Teſtis Belial faciet interpretari iudiciũ*, &c. Chald. cõcinit cũ noſtro Vulgato. Hãc diuerſitatẽ peperit verbũ לוץ *Luts.* quod ſignificat, *deridere*, & *illudere*, aliquando etiã, *interpretari*, & *perorare*. Sept. ab aliis interpretibus longiſſimè abeunt. *Qui ſpondet puerũ imprudentem contumelia afficiet iuſtificationẽ, os autẽ impiorum deuorauit iudicia.* Quomodo autẽ hæc trãſlatio ab originibus nõ abhorreat infra dicemus. Aquila, & Theodotion. *Teſtis exlex*, denique extrema illa verba, *Et os impiorum deuorat iniquitatem*, alij ſic reſtituunt. *Et os impiorum abſcondit impietatem.*

101. Sed licet ſupra c. 6. aliquid de voce, *Belial*, adſcripſimus, placet hîc huius nominis origines, & ſignificationes ampliùs perſcrutari. Quidã exiſtimãt id nominis ex nulla radice manare. Sed rurſus alij radicẽ non vnam eruunt, eſt autem Hebr. בליעל *Belyaghal.* Ergo pleriq; in his Hebr cõponunt hoc nomẽ ex particula בל *Bal*, aut בלי *Beli*. i. *abſque*, vel *ſine*, & ex radice, עול *Ghanal*. vnde fit עול *Ghol*. i. iugum, nimirum *abſque iugo.* Sunt qui referant ad radicẽ יעל *Iaghal*. i. proficere, vel vtilẽ eſſe. Ita vt ſignificet virũ inutilẽ, nulli proficuũ, & omnibus noxium. Rurſus alij deriuant ex עלה *Ghalah*. i. *aſcẽdit, prouectus eſt*, ac perinde eſſe cenſent, ac non aſcendentẽ, vel non proficiẽtẽ, vnde Montanus non ſemel cõuertit, *Abſque profectu.* Cæterùm ſiue ex præmiſſis radicibus, ſiue aliũde fluat nomen hoc Belial, tamen reuera aliud eſt id, quod germanè, & propriè ſignificat, aliud verò id, ad quod ſignificandũ vſurpatur. Imprimis ergo non ſemel hoc nomen diabolo tribuitur hanc ſignificationẽ habere videtur apud Paulum 2. ad Corinth. c. 6. *Quæ autẽ conuentio Chriſti, & Belial?* & Pſal. 17. *Torrentes iniquitatis tenuerunt me.* D. Hieron. conuertit. *Torrẽtes diaboli.* 3. Reg. 21. *At illis ſcilicet, vt viri diabolici dixerunt contra eũ teſtimonium corã multitudine.* Hebr. *Vt viri Belial.* Rationẽ autẽ obtulit D. Hieron. ſuper illud ad Eph. 4. *Nolite locũ dare diabolo, Diabolus, inquit, ab Apoſtolo dicitur Belial, hoc eſt abſque iugo, quod de collo ſuo abiecerit ſeruitutem.* Ad hæc in variis

2. Cor. 6. Pſalm. 17. 3. Reg. 21.

Hieronym.

tiis scripturæ locis dissimiles habet significationes nomen hoc Belial, quas Vulgatus pro re nata accōmodauit. Iudic. 19. vers. 22. *absq; iugo*. Prou. 6. & apud Iob non semel, *Apostatam*, restituit. Psal. 101. iniustū, & alibi sæpe, *impiū*, & impietatē transfert. Nahum 1. c. 1. *præuaricatorē*, & c. 2. *dispersorē* conuertit, nescio an aliter aliis in locis Sept. interpretes persæpe, *pestilentē*, & *pestilentiā*, cōuertunt. 1. Reg. c. 1. *Filij Heli, filij Belial*. Sept. λοιμοὶ. i. *Filij pestilentes*, & c. 10. *Filij Belial dixerūt*, &c. Græcè λοιμοὶ & c. 1. *Sic reputes ancillā tuā, quasi vnam de filiabus Belial*. Græcè θυγατέρα λοιμὴν i. *Filiam pestilentem*. Ex quibus omnibus cōstat eo nomine, aut diabolū notari; aut cùm homini tribuitur, virū vtiq; diabolo deuotū, vel omnino nequā, summè sceleratū, profligatum, perditū, deploratū significari, cùm verò abstractè sumitur, nequitiam, & extremam improbitatem significare. Rursus constat non aliquā malitiæ, aut nequitiæ peculiarē, & signatā speciē, sed omnes, atq; singulas pro re nata, & loci in quo occurrit, exigentia significatione sua complecti.

Iudic. 19. vers. 22. Psalm. 101. Nahum 1. c. 1. & 2.

1. Reg. 1.

102. His ergo prælibatis Vulgatam lectionē facili sēsu donant interpretes. *Testis iniquus deridet iudiciū*. i. testis, qui falsa testimonio suo cōprobat, iudiciū despicit, & pro nihilo ducit, sed quia iudicium nō vno modo concipi potest, aliter atque aliter hæc verba æstimant. Nā plures iudiciū Dei. i. legē accipiūt, quæ falsū testimonium prohibet, cùm ait. *Non falsū testimoniū dices*, quasi dicat, testis iniquus legē Dei aspernatur, quæ falsū testimonium serio interdicit. Alij rursū extremū Dei sententiam intelligunt, qui falsos testes seuerissimis apud inferos pœnis subiicit, iuxta illud, *Testis falsus nō erit impunitus*. Itavt sensus sit, testis iniquus humanū iudiciū declinare tantumdē conatur, Dei verò extremū iudicium, cui deniq; sistendū est, irridet. Deniq; alij ciuile iudiciū notari autumāt hoc sensu. Testis iniquus publica iudicū arbitria, & sententias prorsus contemnit, & apud se ridens despicit, quippe cui fallacia, & error iudicātium notus est. Sed licet hæc apposite dicta sint, tamen alia est, ni fallor, Salomonis mens, quę primò de iudicio ciuili, & publico loqui cū aliis sentio: deinde obseruare iubeo, illi, *deridet*, in Primitiuis subiici, יליץ, *Ialis* in coniugatione Hephil, cuius coniugationis vis valde nota est, & hic à Caietano perspicuè adnotata. Itaq; si verbi illius sonum exprimamus, sic locus efferendus erit. *Testis iniquus deridere facit iudicium*. Quapropter sēsus hic erit. Testis falsa enuncians sanctissima iudicū arbitria, & sententias derídiculas, & contēptibiles facit; nā reū testimonio suo absoluens ridiculos illi iudices, & eorū sententias ridiculas reddit. Quid inde? ex contēptu iudiciorū audacia quædā proiectissima ad transgrediendū oritur. Propterea subdit, *Et os impiorū deuorat iniquitatē*: quasi dicat, impij sperantes, se falsi alicuius testis iureiurando absoluendos, ingētia scelera deuorāt. i. confidentissimè admittunt, cui adsimile est illud Iob. 15. *Qui bibit velut aquā iniquitatem*, nimirum sitim suam, & appetitum transgrediēdi exsatiat. Obseruat autem Lyra apposite dictū, *deuorat iniquitatem*, nā qui deuorat, inquit, cibos, non dētibus conterit; ex quo fit, vt cibi amaritudinem, nec dentium stuporem deglutiendo sentiat. Hoc verò accommodatissimè in eos quadrat, qui testibus falsis confisi scelera audacter perpetrant. Nam cùm præmisisset Salomon testes falsidicos derisibile, & contemptibile facere iudicium, attexit. *Et os impiorū deuorat iniquitatem*, id est, nullo amaritudinis sensu, nullo dentium stupore ingerit, hoc est, scelerum suorum pœnas nullas luunt, quia testibus conuinci non possunt. Aliter etiam accipi potest verbū illud *deuorat*, i. impij occultè scelera sua transigunt; quia scilicet testibus reuinci non possunt. Is. n. qui aliquid furtim. & in abscondito comedit studio latēdi, illud auidissimè vorare solet. Huc spectauit Habac. 1. *Exultatio eorū, sicut eius, qui deuorat pauperē in abscōdito*, atq; adeò sensus erit. *Et os impiorū deuorat iniquitatem*. i. ob defectū veraciū testiū impiis iniquitates suas abscondere, celare & in occulto peragere licet. Abac. 1.

Cæterùm alij magis aptè hæc extrema verba falsis quoq; testibus dedūt, hoc modo. *Et os impiorū deuorat iniquitatē*, nimirū os iniquorū testium diē celat, abscōditq; aliena scelera, neu cōprobari possint, ipsa deuorat. Sēsus verò ad hunc modū cōformari debet. *Os impiorū deuorat iniquitatē*. i. aliorū scelera, & noxas falsis attestationibus celātes sua faciūt, nā qui ea ratione delicta aliena dissimulat, aut iisdē se criminibus adstringi omnino declarat, aut certè dissimulādo, & celando alienorū criminū cōsors fit. Id verò accōmodatè significat verbū illud *deuorat*: nam quemadmodū qui cibos ingerit, eos decoquit, & in propriam transfert substantiam; sic etiam qui aliena scelera dissimulando occulit, sic facit, atque adeo aptissimè ea deuorare, & deglutire dicitur.

Ad hæc Rodolph. posteriorē istā clausulā de iudicibus exponit, quorum arbitrio causæ dirimūtur. *Os impiorū deuorat, vel operit iniquitatem*. i. iniqui iudices perperam iudicantes reos absoluunt, & eorū scelera dissimulādo cōtegunt. Itaq; sentit Rodolph. Salomonē nō solū in falsos testes, sed etiā in iudices iniustos inuehi, qui delicta grauia cōniuendo, & nō inquirēdo inulta relinquunt. Nā duæ sunt præcipuę iudiciorū corruptelæ, testium falsitas, *& iudicum iniustitia*; & quidē iuxta hanc interpretationē non insulsè accōmodari potest verbum illud, *deuorat*, nā quemadmodū qui cibos deuorat, non cōminuit, nec diuidit dentibus, sed integros, & indistributos in stomachū deuoluit: sic Iudex iniquus sceleratorū hominū causas non cōcidit, ac disquirendo discutit, sed integras quodammodo, indiscussas, & indigestas vorat. Nā (vt liceat aliquid proprio Marte cōminisci) testes in iudicio pro dentibus sunt, iudices palati, & linguæ vices gerunt; nā sicut lingua, & palatus de cibi sapore decernunt, dentes verò cibos cōminuunt, & concidūt, cōminuentesque, ac cōcidētes in lingua, & palato saporis sensum excitant: sic etiā iudices de causis sententiam ferunt; testes verò eas veluti cōminuentes, & distribuentes ipsarū sensum, & iustam æstimationē in iudicibus efficiunt. Quapropter iudex, qui ad dirimendas causas locupletes testes, & examē accuratū nō adhibet, similis est ei, qui dentibus nō vtitur, atq; adeò indistributas escas deuorat, nullo, aut exiguo earum sapore percepto, ac propterea verū & iustum de illis iudicium pronunciare non potest: sed licet duæ extremæ expositiones refelli non debeant, prima tamen oratio præferenda est. 103. Rodolph.

Reliquum est, vt expendamus nomen illud *Belial*, quo falsum testem Salomon sugillat. *Testis Belial*, inquit, *deridet iudicium*. Sed vt alia omittā, *Testis Belial, testē diaboli, vel testem diabolicū sonat*, quo nomine testes falsos cōpellauit Vulgatus loco sup. cit. 3. Reg. 21. *Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum. At illi scilicet, vt viri diabolici dixerunt contra eum testimonium corā multitudine*. Vtrobique autē subest vox *Belial*, nec immeritò filij diaboli, aut viri diabolici testes falsi appellantur, quia cùm diabolus sit omnis mendacij, & falsitatis parens, falsi testes ipsū imitantur, & ad ipsum pertinēt. D. Aug. in Ioan. 42. ad illa verba, *Cùm loquitur mendaciū, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius*, subdit, hominē quidē mendacem esse, diabolum autem mēdacij & falsitatis parentem. Hoc autem discrimē declarat his verbis. *Non omnis qui mentitur pater est mēdacij sui: Si. n. ab alio mendaciū accepisti, & dixisti: tu quidem* 104. 3. Reg. 21. August.

dem mentitus es proferendo mendacium, sed pater ipsius
mendacij non es, quia ab altero accepisti mendaciũ. Dia-
bolus ergo à seipso mendax fuit, mendacium suum ipse
genuit, quod à nemine audiuit. Quomodo Deus pater ge-
nuit filium veritatem, sic diabolus lapsus genuit quasi fi-
lium mendacium. Et infra sic attexit. *Nam fortè tu mē-*
dax es, quia mendacium loqueris, sed non es pater mēda-
cij, nam quod dicis mendacium, à diabolo accepisti, & il-
li credidisti, &c. Itaque Aug. sentit mendacia, & falsa
testimonia diabolo dictante sēper ab hominibus enū-
ciari, atq; adeo iure optimo, *testē falsidicum, testis Be-*
lial, vel testis diabolicus appellatur, qui scilicet dia-
bolo inspirante testatur. Ad hæc idē Aug. de ciuit. lib.
14. c. 3. & 4. omnes homines in duas factiones secat,
quarū altera secundùm *Deum* viuit, altera *secundùm*
hominem, vel quod idem est, secundùm diabolū, vtrā-
que verò per mēdacium vtiq; ac veritatē partiri di-
cit. Qui. n. ex Deo, inquit, sunt, & secundùm Deū vi-
uunt, secundū veritatē viuunt; qui autē ex diabolo,
& secundùm hominē agunt, mendacia sectantur. Et
rursus in libro de Mendacio ad Consentium, eos, qui
mentiuntur, *diaboli membra appellat.* Succedant ergo
Ad Eph. 4. memoriæ Pauli verba, ad Ephes. 4. *Propter quod de-*
ponentes mendacium loquimini veritatē, vnusquisque cū
proximo suo, quia sumus inuicē membra. Et paulò ante
sic præmiserat. *Veritatē autē facientes in charitate cres-*
camus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo to-
tum corpus cōpactum, & connexum per omnē iuncturam
subministrationis, &c. Ex quibus constat fideliū mē-
bra per veritatē, seu veracitatem inuicem inter se, &
sub capite suo Christo necti, & sociari. Quid inde?
sane falsiloqui, & mendaces huius corporis compagē
soluentes ab ipso auulsi Christo, mēbra esse desinūt,
& in diaboli mēbra trāseunt; ita vt meritò testis fal-
sus Belial, seu diabolicus appellari debeat, ipsi videli-
cet diabolo seu membrum quoddam agglutinatus.

105. Duas vtique res asserui, nimirum falsiloquos à
Christi corpore auelli, & eosdem in diaboli membra
demigrare, vtramq; probo. Sanè nihil vnius corporis
mēbris magis propriū, quā sibi inuicē veritatem assi-
Chrysost. duè testari, & insinuare. Audi Chrysost. hom. 13. in
Epist. ad Ephes. vbi illa verba, *Propter quod deponentes*
mendacium, &c. sic expendit. *Non fallit oculus pedem,*
neque pes oculum. Vt si sit fossa profunda, & super terrā
positis arundinibus, & terra opertis, in superficie præbeat
oculis opinionē terræ solidæ, an non vtitur pede, vt sciat
num sit inferius vacuum, an remittatur, & resistat, num
non fallat pes, & quod est renunciet? Quid verò si serpē-
tem viderit oculus, aut feram, num fallit pedē non statim
renunciatur? ille autē cùm ab eo didicerit, non amplius
pergit. Quid autē quando neque oculus, neque pars inue-
nerit, sed id solum sit odoratus, vt vtrum sit venenum le-
thale, an non? os non fallit odoratus. Quare? nam seipsū
quoque perdit, si fallat. Quid verò, lingua fallit ne stoma-
chum? nā cùm amarū quidem viderit reijcit, sin autem
dulce transmittit, vide curam, & prouidentiā corporis ex
veritate ortā. Ita nos quosque ne mentiamur, ne fallamus
si sumus alter alterius mēbra. Hactenus Chrys. qui ex
multis pauca mēbra numerauit, sed de reliquis eadē
ratio est, adeo vt certū sit omnem mēbrorum societa-
tē, & mutua auxilia ex veritate pendere, quā sibi in-
uicē insinuant. Vnde meritò Paulus inde veracitatē
omnibus suadet, quia sumus inuicem membra. Cæ-
106. terū ista veritas à Chrys. obseruata, quam mēbra sibi
inuicē annunciant, eam veritatē propriè notat, quam
fideles tamquam vnius corporis mēbra inter se inui-
cē in cōmerciis, & reliqua conuersatione asseruare
debent. Alia quidē in membris veritas est, quæ testiū
veracitati meliùs respondet, illa scilicet, quæ in qui-
busdā corporis partibus elucet, quas Medici indica-
tiuas vocant: hæ sunt arteriæ, quæ pulsatione sua sa-

A lutē aut morbos indicant; facies oculi, & alia, quæ
morborū, atq; omniū in vniuersum animi motuum
certissimi indices sunt: & quidē sicut in ore duorum,
aut trium testium stat omne verbū verum, ex diuina,
canonica, & ciuili dispositione: sic etiam in corpore,
vt autor est Galenus de partibus lib. 1. triplex quoq;
arteria est, quæ pulsatione sua Medico, tamquam va-
letudinis arbitro, testimonium reddit, duplex quidem
in duplici vtriusq; manus carpo, tertia in frōte supra
nares. Et quemadmodū iudex duos minimū ad sen-
tentiam ferendā testes interrogat, sic etiam Medicus
ex artis præscripto duas quoque arterias, dextrā, &
sinistrā pertētat, & explorat. Ergo ex eo, quod vnius
corporis mēbra simus, non modo seruandæ inuicem
B veritatis in cōmerciis, & reliqua vitæ conuersatione
debitū oritur, sed etiam vera testimonia apud iudices,
& superiores reddendi, vt quemadmodū arteriæ pul-
satione sua latentes corporis morbos Medicis pro-
dunt, sic etiam & nos occulta fratrū delicta vera at-
testatione ad iudices & magistratus referamus *Quia*
sumus inuicē mēbra. Ille ergo, cuius testimoniū à iu-
dice exquiritur, meminerit se in cōmunitatis corpore
arteriam quandam esse, cuius pulsu iudex Medici ad
instar de mēbrorum sanitate aut valetudine statuere
debeat, atque adeo veracem omnino esse oportere.
Quemadmodū. n. si morbo sæuiente pulsatio cesset
omnino, aut per interualla, salus ægri desperatur: ita
etiam cùm testes quæsiti ciuium delicta veraciter nō
C deponunt, reipublicæ salus periclitatur. Quid plura?
Aristot. in lib. de spiritu docet in omni corporis mē-
bro pulsationē aliquā esse, nā licet in tribus supra ad-
scriptis arteriis, manuum scilicet, ac frontis, pulsus
potissimùm vigeat; nulla tamē ex præcipuis corporis
partibus pulsu caret, adeo, vt pulsatio sit vitæ coæ-
ua, & nō nisi intermoriente mēbro omnino deficiat,
iā intelligis quò tendā. Tādiu profectò fideles, velut
mēbra viua sunt in corpore, cui caput Christus exi-
stit, quamdiu in illis pulsatio viget, quamdiu scilicet
quæsiti, & explorati, morbos latentes, hoc est delicta
proximorū occulta veraciter annunciant: si. n. pulsa-
tio isthæc, scilicet testificādi veracitas, desit, velut de-
mortua, & sensu catētia mēbra à corpore excindū-
D tur. Rursus alio ex capite falsi testes ad corpus Ec- 107.
clesiæ non pertinent, quia scilicet huic corpori vnū,
& singulare caput est, nēpe Christus Dominus, ait. n.
Paulus. *Veritatē autē facientes in charitate crescamus* Paul.
in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum cor-
pus cōpactū, &c. & quidē aptè, quia vt corpori vnum
sit caput, vna debet esse illi mēs, & vna sententia. Nā
quot sententiæ sunt, tot vtiq; capita esse dicūtur. Er-
go veritas vna cùm sit, pluriū sententias, & mētes in
vnam mentē & sententiā cogit, mendacium verò &
falsitas multiplex est ac multiforme, atq; adeo vnita-
tē soluit, plures, ac dissimiles sententias, & ex conse-
quenti plura capita inducit. Hinc est, vt ex his, qui
mendacia consectantur, vnū corpus sub vno capite
E coalescere nō possit. Vnde à D. Eph. mendaciū, *mul-* D. Ephrem.
tiforme, ac *multiceps*, meritò appellatur. Mendax ergo
ac falsidicus testis, vel ob hanc solā causam à corpo-
re Christi deficit, quia vnitatē capitis excludit, & ob
eandem rationē ad diaboli corpus trāsit: hoc. n. mul-
ticeps est. Quod nimirum Apocal. 13. Draco ille ma- Apoc. 13.
gnus adumbrat septena capita habens, ita vt meritò
August. falsiloquum, & mendacē testem, *diaboli mē-*
brū appellet, & Salomon Belial. i. diabolum nominet.
108. Sed quia supra diximus Belial ex germana sua si-
gnificatione idem esse, quod *absque iugo*, hæc vtiq; si-
gnificatio in falsū testē non ineptè cadit, non solùm
quia iugi expers cōparem excludit, sed quia omnia
legū iuga excutit, nā cùm leges diuinæ, & humanæ,
seu ciuiles, falsos testes seuerè coërceant, ipse vtrius-

que legis iugo decusso liberè transgreditur, nec solùm ipse hæc legum iuga à ceruicibus depellit suis, sed etiā in causa est, vt alij ab illdē minimè premantur. Quia ex legibus illæ potissimū iugi nomen ferūt, quæ pœnas irrogant delictis, hæc autem non, si post plenam testium cōprobationē vim suam sortiri possunt. Quapropter si testes quæsiti vere non renuncient, legum seueritas neminem premere, ac coërcere poterit. Meritò ergo Aquila in hoc loco pro *teste Belial*. j. iugi experte, *ἄνομον* j. *exlegem*, transtulit, quia nec legibus ipse premitur, nec alios ab eisdem coërceri, & contineri sinit. Mitto alias significationes nominis Belial, quæ nullo negotio falsis testibus adaptari possunt.

109. Succedat translatio Sept. quæ magna ex parte à B Vulgato nostro abhorret, non tamen ab originali lectione: hæc. n. proculdubio vtramq; capit. Noster habet, *Testis iniquus deridet iudiciū*. Sept. verò, *Qui spondet puerum imprudentem, contumelia afficit iustificationē*, pro teste ergo in originibus subest עד *Ghed*, quod Vulgatus traxit quidē ex radice עוד *Ghauad*, quæ significat *obtestari*, & *testificari*, ideo testē aptè conuertit. Sept. verò eandē vocem ex יעד *iaghad*, duxisse videtur, quod significat, *desponsare, promittere, & cōducere*, atq; inde עד *ghed*, despondens, vel promittēs. Rursus pro voce illa *iniquus*, in primitiuis, vt iam dixi, est, בליעל *Belyaghal*, quā plures cōponi dicunt ex particula illa בלי *Beli*, & ex radice עול *ghaual*: *beli* autem nō solum est particula negans, nimirū *sine*, & *absque* C sed aliquando idem est quod *nihil*: nisi malis beli esse nomen deductū ex radice בלל *Balal*, quæ significat miscere, & cōfundere, ita vt *confusum* sonet, quod ad mentē translatū ab *stulto* nihil differt. Rursus radix illa *ghaual*, ex qua supra עול *ghol*, fieri diximus, quod est *iugū*, ex propria, & germana significatione interpretatur *lactare*, ex qua etiam עול *ghul*. j. paruulus, vel *lactens*. Itaque vox illa superior anceps est, atque adeo æquè ad puerū significādum allici potest, & ad iugum notandum. Hactenus ex originibus deduximus priora illa verba, *spondens puerum stultum*, quibus aliqua difficultas inerat, reliqua facilia sunt; nam pro *deridebit*, subiiciunt Sept. cōtumelia afficiet, & pro iudicio, *iustificationem*, subest. n. in primitiuis, D משפט *Misphat*, quæ vox latissimam habet significationem, est iudicium, lex, ius, & in vniuersum omne Dei decretum, aut præceptum sonat. his præmissis.

110. Locus iste triplicem sensū capere potest; Prior est. *Qui spondet puerū imprudentē contumelia afficit iustificationē*. j. qui ex multis filiis vnū aliquē imprudentē & fatuum Deo affert aliis prudētioribus, & sanioribus sibi seruatis, contumelia afficit Dei sanctitatē, aut votū suum vtiq; abiicit, & dedecore afficit: quia doni indecentia, & indignitas Deum offendit, & donātis oblationē extenuat. Accidit. n. huic parenti, quod meritò in sacrificiis Cain incusat Deus ipse, Gen. 4. Gen. 4. Nā vbi nos habemus, *Nonne si bene egeris, recipies, sin autē malè statim*, &c. Sept. sic conuertunt, *Nōne si rectè offeras, non autē rectè diuidas, peccabis?* Quid est autē rectè offerre, & malè diuidere? sane vitio vertitur E Cain, quod nuper in Abel fuerat laudi datum: de Abel. n. ait scriptura, *Obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Ergo ideo carpitur oblatio Cain, quia cùm ex frugibus terræ Deo libasset, præstātissimos fructus sibi seruauerat, tenuesque & maximè infœlices Deo vouerat: hoc autē quid aliud est, nisi malè & perperam cū Deo ipso partiri? *Rectè igitur obtulit Cain, sed malè diuisit.* Sic etiam, qui ex multis filiis maximè fatuos, & ineptos, & ex filiabus maximè deformes Deo libat, malè vtique diuidit, atque adeo contumelia ipsum afficit. Ex filiis ergo, & filiabus maximè sani, prudentes, & elegantes Deo sunt

A offerēdi, vt Deo debitus honor præstetur, & vt oblatio sit perfecta & Deo accepta. D. Chrysost. de Annæ oblatione verba faciens, in hom. de pueri Samuelis educatione ad illa verba *Et nunc commodo eū Domino*, sic scrit. *Hæc dum loquitur seipsam cū puero suo primogenito, quem impensè diligebat, sed canit, quasi solido quodam naturæ affectu seipsam templo alligās, etenim si vbi est thesaurus hominis, illic est, & cor eius, multo magis vbi puer mulieris, ibi & mens illius erat, atque vterus illius simul implebatur benedictione.* Obserua optimam rationem propter quā sibi optima, & maximè dilecta Deus donari gratulatur, deteriora verò, & minus dilecta sibi offerri grauiter fert, quia cum illis animus etiam transfertur, his autē oblatis animus retinetur. Chrysost.

B Huic autē sentētiæ aptatur altera expositio illius loci, *Nōne si rectè offeras, malè autē diuidas, peccabis*, quā Patres passim vsurpant. j. si diuidas, seu distrahas, cor animúq; ab oblatione, id n. putāt esse malè diuidere.

Secunda expositio huius loci sic conformari potest, *Qui spondet puerū imprudentem*, vox originalis, vt 111. nuper admonui, *puerum lactentem* sonat, necdum rationis, & cōsilij vtura prǽditum. Ergo sensus erit, Qui puerum sensus, & rationis expertē Deo deuouet, nec expectato illius consensu, & libera voluntate, quæ succedente ætate accedit, contumeliæ exponit oblationem suam, nam postea ipse consilij. & rationis cōpos factus, resilire poterit, & votum omnino fallere.

Denique tertia & accommodatior interpretatio C ad nuptias spectat, nam, vt supra animaduerti, vox illa עד *ghed*, perinde est, ac *despondens*, vt sit sensus, Qui puerum consilij expertem antequam succedēte ætate de rebus statuere, & vitæ suæ statum deligere consultè possit, in matrimonium dat, contumelia, & dedecore afficit sanctitatem, atque illam defraudat. Fieri, n. potuit, vt is siquidē ad annos consilij, & adulteram ætatē liber peruenisset, meliora sapiens sanius aliquid decerneret, continentiam coniugio præferens, quapropter ob hanc solam rationem differenda iuuenum coniugia sunt.

D 29. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.*

PArata sunt, &c. Hebr. Et *percussiones stultorum dorso*. sed noster accommodatè trāstulit, *malleos*, nam vox originalis significat *grauē percussionem*. Chald. *Et verbera corporibus eorū*. Sept. *Parantur intemperantibus flagella, & supplicia similiter imprudentibus*. Theodotion. *Et confractiones dorso dementium*. Symmach. concinit cum nostra lectione.

Sensus in promptu est, hi scilicet, qui per risū operantur scelera, non abibunt impunes, non per risum, 112. sed serio pœnas dabunt. *Parata sunt derisoribus iudicia*: obserua oppositionem verborum, quid nugacius *derisore?* quid seuerius *iudicio?* hoc ergo derisori impendit. Et quidem hi derisores propterea temerè, & E per risum transgrediebantur, quia supplicia sua leuiora fore putabant; non ita, inquit Salomō, *Sed mallei percutientes stultorum corporibus*. j. grauissimi ictus. Vel certè allusio est ad crurifragium, quod his, qui in crucem agebantur dari consueuit, hoc enim malleis inferri solitum credibile est, vt sensus sit, *Mallei percutientes stultorum corporibus*. Vel vt habent origines, *Confractiones, vel contusiones stultorū corporibus*. j. crux, & crurifragium stultis illis derisoribus. Quasi dicat, adeo seuerè cum illis nugatoribus fiet, vt extrema supplicia, crucem videlicet, & crurium, totiusque corporis effractionem experiri cogantur. De crurifragio autem lege Lipsium, de Cruce lib. 2. cap. 14.

CAPVT

CAP. XX. SALOMONIS.



Vxurioſa res, vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens. 2. *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis: qui prouocat eum, peccat in animam ſuam.* 3. *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis.* 4. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi.* 5. *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri: ſed homo ſapiens exhauriet illud.* 6. *Multi homines miſericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet?* 7. *Iuſtus, qui ambulat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe filios derelinquet.* 8. *Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* 9. *Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* 10. *Pondus & pondus, menſura & menſura: vtrumque abominabile eſt apud Deum.* 11. *Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda, & recta ſint opera eius.* 12. *Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit vtrumque.* 13. *Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat: aperi oculos tuos, & ſaturare panibus.* 14. *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cùm receſſerit, tunc gloriabitur.* 15. *Eſt aurum, & multitudo gemmarum: & vas pretioſum labia ſcientiæ.* 16. *Tolle veſtimentum eius, qui fideiuſſor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.* 17. *Suauis eſt homini panis mendacij; & poſteà implebitur os eius calculo,* 18. *Cogitationes conſilij roborantur: & gubernaculis tractanda ſunt bella.* 19. *Ei, qui reuelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis.* 20. *Qui maledicit patri ſuo, & matri, extinguetur lucerna eius in mediis tenebris.* 21. *Hæreditas, ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit.* 22. *Ne dicas: Reddam malum: expecta Dominum, & liberabit te.* 23. *Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus: ſtatera doloſa non eſt bona.* 24. *A Domino diriguntur greſſus viri: quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam?* 25. *Ruina eſt homini deuorare ſanctos, & poſt vota retractare.* 26. *Diſſipat impios rex ſapiens, & incuruat ſuper eos fornicem.* 27. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris.* 28. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* 29. *Exultatio iuuenum, fortitudo eorum: & dignitas ſenum, canities.* 30. *Liuor vulneris abſterget mala: & plagæ in ſecretioribus ventris.*

---

1. *Luxurioſa res vinũ, & tumultuoſa ebrietas: quicũque his delectatur, non erit ſapiens.*

1.

Vxurioſa res vinum. Hebr. לץ היין *Lets haiayn. Deriſor vinum.* Fluit enim *Lets,* à radice לרץ *Luts,* id eſt, deriſit, illuſit, quod plerique ita exponendum putát, *Deriſorem fecit vinũ:* quia videlicet qui vino indulgent nimio nugaces, ac deriſores ſunt. Vinum quippè nimium effuſam nimis lætitiam cordi immittit, atque inde nugæ, & irriſiones aliorum. Huc ſpectat illud Homeri apud Stobæum: *Vinum quamuis ſapientiſſimum cantare, molliter ridere, & tripudiare impulit.* Alij melius *deriſor vinum,* id eſt, vinum eos, qui ſe ſe ingurgitant ridiculos facit: nam temulenti ob deformes motus, & geſtus ab omnibus irridẽtur. Huc ſpectat tranſlatio Chaldaïca, quæ ſic habet: *Ad illuſionem eſt vinum.* Plures etiam conuertunt, *Peſtilẽs vinum,* aut *peſtilentia vinum.* Solent enim Septuaginta, & Vulgatus ex voce illa לץ *Lets,* peſtilentem, aut

Stobæus.

A peſtilentiam paſſim transferre, Pſal. 1. *Et in Cathedra peſtilentiæ non ſedit,* & ſæpè aliàs. Sed tamen Septuaginta in hoc loco, aliam nobis tranſlationem offerunt, ἀκόλαστον οἶνος. Nomen autem ἀκόλαστος, multas habet ſignificationes, *intemperantem,* impudicũ, ſcortatorem, incaſtigatum, effrænatum, prodigum, & alia id genus multa ſonat. Hinc nata non parua tranſlationum diſſimilitudo. Alij enim cum Vulgato transferunt: *Luxurioſum quid eſt vinum.* Alij *incaſtigatum.* Alij *effrænatum.* Alij *indomitum,* ac demum S. Ambr. 2. officior. cap. 21. *Prodigum,* inquit, *eſt vinum.*

Et tumultuoſa ebrietas, Hebr. eſt: המה שכר *Homeh Secar.* Ex radice המה *Hamah.* i. ſonuit, tumultum, aut ſtrepitum dedit, ad verbum ſic efferri debet: *Tumultum, ſtrepitum, aut ſonitum dans ſicera.* Chaldæus tranſtulit: *Et inebrians ſicera,* Sept. *& contumelioſa ebrietas.*

Quicumque ea delectatur, non erit ſapiens. Hebr. *Et omnis errans in eo non erit ſapiens.* Sept. *Omnis autem imprudens talibus complicatur,* ſic in pleriſque codicibus. In aliis autem. *Qui commiſcetur his, non erit ſapiẽs,*

in reliquis: *Omnis autem qui se perdit, non erit sapiens.* Chaldæus nec latum vnguem recedit ab originali.

Huius loci perspicua sententia est. In temulentos, ac vinolentos inuehitur Sapiens, atque vini ebrietatisque damna commemorat. *Luxuriosa*, inquit, *res vinum.* Quid certiùs quàm vino Venerem nutriri, & irā stimulari? iræ autem proprium est tumultus, & rixas excitare. Luxuriosa profectò res vinum: sic Paulus ad
Ad Eph. 5. Chrysost. Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Chrys. in Psal. 43. *Ebrietas*, inquit, *fornicationū fons.* Et hom. 44. in Epist. ad Rom. *Fugite*, inquit, *fornicationem & matrem illius ebrietatem.* August. ad sacras Virgines:
August. *Ebrietas est flagitiorum omnium mater, procella corporis, naufragium castitatis.* Mitto alia, & reliquas lectiones libræ subiicio.

2. *Derisor est vinum.* Sic plerique Hebraïcam lectionem extulerunt, id est, vini immoderatus vsus vinolentos risui, atque contemptui vulgò offert. Nā cùm aliàs illorum, quibus ex morbo, aut aliunde insania laborāt, commiseratio homines semper teneat, ebrio-
Basil. rum insaniam omnes risu prosequuntur. Basil. in sermone de ebrietate. *Lymphatus*, inquit, *& cacodemone captus misericordia dignus est: Ebrius verò eadem ferre, & ipse patiens minimè misericordia dignus* (sed risu) *qui spontaneo seruit dæmoni.* Quàm verò ridiculos ebrietas vinolentos reddat, exposuit Chrysostomus cùm dixit: *Ebrij sobriis mancipium ridiculi*, id est, etiam serui, & mancipia Dominos suos ebrietate prostratos risu, & cachinnis prosequuntur.

3. Alia lectio habet, *Pestilens, aut pestilentia vinum.* Cui inseruit quoque Basilij sententia, quam Antonius Monachus in suam Melissam coniecit. Vbi temulentiam cum peste confert, ac præfert. *Nocumenta*, inquit, *pestis longiori tempore hominibus contingunt, aere ipso paulatim virus suum corporibus inferente, vini autem noxa illico ingruunt, & totum corpus velut ex tempore inficiunt.*

Sed ad lectiones alias veniamus, quas suprà ex translatione Septuaginta depromplimus. D. Ambros. habet, *Prodigum est vinum*, atque ita exponit. Qui indulgent vino, ac conuiuiis, prodigi sunt, facultates suas, & patrimonia cum vino simul exhauriunt. Putat autem Ambros. non solùm copias compotando insumi; sed etiam vini immoderatum vsum ad omnes alias effusas largitiones, & sumptus, vinolentos inducere. Quia vinum nimium animū immodica lætitia soluit, animus autem lætus, & hilaris ad donationes, & sumptus numquam non promptus est. Sed tamen potest hæc Ambrosij translatio alia interpretatione donari ad hunc modum. *Prodigum est vinum.* Vinum, scilicet, vbi primum aliquē sibi mancipauit, quidquid facultatū, aut bonarū dotium animo priùs inerat, ocyus profundit, ac dissipat, ipsumque in paupertatē maximā cogit. Hinc est illud August. loco citato: *Ebrius in summa mentis indigentia est*, vino scilicet sapientiam, cōsilium, atque alias animi dotes profundente. Rursus possunt isthæc verba alium ad sensum trahi: *Prodigum est vinum*, i. nihil arcani retinet, ac reseruat, sed statim omnia secreta prodigit, & publicè exponit, est enim vini præcipua vis animi arcana effundere. Lege Basilium loco supra citato, & infrà c. 23. ver. ., & c. 31. vers. 4.

Alij rursus Græcam vocem sic restituunt: *Incastigatum est vinum.* Vinum castigare apud Græcos est, illud aqua temperare, & diluere, aqua. n. meri vim, atque impetum obtundit. Possunt ergo præfata verba sic replicari, *incastigatum est vinum*, i. vinum merū, quod aqua infusa non castigat, simile est seruo incastigato. Quemadmodum enim seruus impunitus Dominis suis superbè insultat, sic etiam vinum, quod aqua non diluit, superiorem hominis partem, mentē scilicet inuadit, atq; illā sibi substernit. Hinc est illud Philemonis apud Stob. *Nullum*, inquit, *bene potum inueneris, qui non à potu tamquam seruus sit ex Domino.*

Alij præterea conuertunt: *Indomitum, vel inuictum est vinum*, i. vinum merum inuicti ad instar tyranni 4. Basil.
animi arcē occupat. Accipe verba Magni Basilij: *Cum enim multum meri infusum fuerit, quasi tyrannus quidā arcem petit, & à summo vertice ingentes tumultus animo prabet, nulli rei, nec Principi quidem parcēs, sed ipsā primum rationem in seruitutem adducit, deinde eā dispositionem, & ornatum, qui doctrina partus est, confundit, atque perturbat, risu indecoro, horrēda voce, ira præcipiti, libidine effrænata, œstro ac furore in omnem voluptatem.* Aliter etiam dici potest: *Inuictum est vinum*, i. A vino vtique abstinendum, ac temperandum est, nā si semel ex immoderato vsu victor extitit, & hominem sibi mancipauit, inuictum deinceps manet, ac de homine in singulos dies seriò triumphat. Vnde D. August. sermone 131. de Tempore: *Ebrietas*, inquit, August.
hominem fortiter sibi vendicat. Vbi tantopere difficultatē exaggerat, qua homines vinolēti ab immoderato potu reuocantur, vt de bibace, & ebrioso sic scribat: *Hic sanè cum grandi amaritudine clamat, & dicit malle se mori, quàm bibendi, vel inebriandi consuetudinem tollere*, tanta. n. est vini potestas in eos, quos sibi subdidit, vt eius iugum postea difficile admodū excutiāt.

Ad hæc alij conuertunt: *Infrænatum est vinum*, Galenus quidem, vt autor est Cornel. Celsus, aquam *vini frænum* appellauit, & quidē aptè, vinum enim quod aqua non temperat, ac diluit, fræno caret, atque adeò effrænati ad instar equi liberè excutit, sessoremque, hoc est rationem, & mentem illico sternit, ac deiicit. Quapropter ne mens, ratioque à vino deturbetur aqua multa infrænandum & cohibendū est. Sed subest etiam alia expositio his verbis, *effrænatum est vinū*, nimirum ab effectu, quia vinolentos homines effrænatos reddit. Huc spectant verba Aug. loco supracitato, vbi sic serit: *Vinolentus amissis modestia frænis, & insana ebrietate prostratus.* Itaque vinum, ex August. homini habenas remittit, vt abiecto modestię, & continentiæ fræno in omne nefas temerè ruat. Succedat alia pars huius sententiæ. 5.

Et tumultuosa sobrietas, rixas nimirū, & tumultus excitans, infrà cap. 23. *Cui væ, cui patri væ, cui rixa, cui sine causa vulnera*, &c. *Nonne his, qui commorantur in vino*, &c. Vide ibi multa de hac sententia, vbi quantopere vinum iram, & furorem exacuat, pluribus dabo. 6.
Interim accipe verba Chrysostomi, qui hom. 54. ad Chrysost.
populū, à vino, & ebrietate concitatos tumultus pereleganter describit his verbis: *Sicut enim hostibus vrbem subeuntibus, & obsidione facta, & perturbatione multus efficitur tumultus, ita fit, & in anima subrepente vino.* Et iterum in oratione Kalendis habita, vinum, atque verbum Dei inter se confert: *Oblectationē animi non vinum, sed verbum Dei facit; vinum enim tempestatem, verbum tranquillitatem creat; vinum tumultū introducit, verbum autem turbulētiam expellit.* Tumultuosa igitur ebrietas, non solum quia externas rixas, & contentiones excitat, sed etiam quia mentem exturbat, & internas pugnas, motus & tumultus in animis ciet. Nam vino animum subeunte concitantur passiones, ac veluti seditione facta aduersus rationem, & in se mutuo tumultuari incipiunt. Subdit:

Quicumque his delectatur, non erit sapiens, quasi dicat, vinum non modo libidinē alit, & iram accendit, 7.
sed etiam rationis, ac sapientiæ lumen extinguit: non solùm quia in ebrietate ratio, ac mēs exulat, sed quia bibaces etiam cùm sibi cōstant desipere solent. Hinc est peruulgatum illud Menandri dictum: *Multū merum pauca cogit sapere.* Causam attingit Galenus, quia vinum merum caput petere solet, ac cerebro immer-

sos

sos sensus nimia humiditate hebetat: unde est illud A Heracliti apud Stobæum sermone 5. de temperantia: *Homo vinosus vacillat, & ab impubere puero ducitur, animam habens humidam, ignarus quorsum eat, est autem anima sicca sapientissima, & optima.* Siccam animã appellat eam, cuius aciem vini humiditas nimia obtusis sensibus non hebetauit. Hebræa ad verbum sic habẽt: *Et omnis, qui errauerit in eo, non erit sapiens:* hoc est in vino. Subest autem verbum שגה *Sagah*, quod cùm punctum habet in dextro cornu, significat *errare*; aliquando etiam *oblectari*; si autem à dextro cornu in sinistrum transferat, significat *permiscere, & implicare.* Hinc nata lectionũ dissimilitudo supra adscripta, quę sentẽtiam parum diuersam reddit. Addo etiam ab aliquo interprete præfatum locum sic restitutum fuisse: B *Et qui dissonat in eo, non erit sapiens*, putat enim vim verbi, שגה *Sagah*, hãc esse, vt propriè, & germanè *errorem* notet, qui ex dissonantia vocum accidit, vt ad titulum Psal. 7. aliqui animaduertunt. Et quidem hæc translatio sentẽtiam claudit non absurdam, nam perturbatio illa, quam vinum efficit, nomine dissonantię optimè significatur, tum quia vini immoderatio vocem lędit, ex Augustino loco citato: *Vinolentus sermone longo superflua verba emittit, vana dicta componit, malè clamans, & benè sibi sonans.* Cui consonat Chrysostomus hom. 19. in Epistolam ad Ephesios. *Vinum benè significantem linguã nostra exscindit vocem, & vt balbutiamus efficit:* tum etiam quia internarum viriũ, ac potentiarum soluit harmoniam. Idem Chrysosto- C mus in homilia de ingluuie, & ebrietate hanc dissonantiam aptissimo cytharæ exemplo elegãter descripsit. *Nam vt in cythara cùm soni fuerint molles, & remissi, nec bene intenti, artis quoque præstantia succiditur, ac cythar ædus neruorum vitio seruire cogitur: ita & in corpore ex vinolentia accidit, acerbã seruitutem animus perfert.* Animus quippe Cytharœdi adinstar obtinet, sensus, ac reliquæ corporis facultates, seu potentiæ, cytharæ fides imitantur: vinum autem nimium huiuscemodi fides remittit, molles admodum, & laxas reddit, itaut illas nulla arte intendere, & in harmoniam concentumque cogere animus queat, atque adeò huic tãtæ, & tam absurdæ discordiæ, & dissonantiæ seruire compellitur. Rursus idem Chrysostomus hom. 19. in D Epist. ad Ephes. ex corpore nostro cytharam pangit, & quatuor qualitates, seu humores, quibus constat, cum quatuor vnius cytharæ fidibus componit, ac subdit: *Deus corpora nostra iusta symmetria prædita efficit, inde nos erudiens, quod nos idoneos fecit ad alteram vitam.* Nimirum quia cùm in hac vita plura sint, quæ hanc quatuor qualitatum symmetriam, vel harmoniam lædere, & perturbare soleant, fit quidem corpora nostra in proprio ac sibi connaturali loco nequaquam esse, atque adeò alteram vitam quærendam esse, in qua concentus ille humorum numquam violetur, & in dissonantiam abeat. At quid est, quod in hac vita prædictam corporis harmoniam aut maximè soluit, aut maximè temperat? Vinum, inquit E Chrysostomus: Nam si modicè, ac sobriè sumatur, discordias humorum componit. Hinc Paulus ad Timotheum, *Vtere*, inquit, *modico vino propter stomachum.* Si autem immoderatè intemperantèrque accipiatur, totam illam quatuor qualitatum symmetriam perturbat, & permiscet, & corpori morborum innumerabiles discordias immittit. Ait ergo Salomon, *Et qui dissonat in eo, non erit sapiens.* Tum quia sensibus, & aliis corporis facultatibus absurdè sonantibus, nihil consonum animus meditari potest: tum etiam quia quamdiu animus corpori hæret, ab humorum symmetria pendet: quapropter soluta quatuor humorum, seu qualitatum temperantia, operationes suas liberè exercere non valet.

Stobæus. Chrysost. Ad Timoth.

2. *Sicut rugitus leonis, ita & ira Regis: qui prouocat eum, peccat in animam suam.*

PRIOREM huius carminis partem superiori cap. 8.
exposuimus. Nam vers. sic habet: *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis.* Vide ibi multa. Posterior autem non est difficilis. *Qui prouocat eum*, &c. Hebr. ad verbum: *Succensens ei peccans in animam suam*, Pagninus habet: *Qui irascitur cum eo.* Septuaginta: *Qui irritat eum.* Aquila, Symmach. & Theodot. *Qui insultat ei.* Sed tamen D. Ambros. in Apolog. 2. Dauid, c. 3. integrum locum ad hunc modum expressit: *Non distat ira Regis ab ira leonis, sed qui stimulat eum, & admiscet, peccat in animam suam.*

Ad leonis generosos mores illud spectare aiunt, vt nisi irritatus, & stimulatus homini semper mitis, ac placidus occurrat. Sic Albertus nobilissimum leonis Albert. ingenium descripsit, & Plinius lib. 8. cap. 16. *Leoni* Plin. *tantum ex feris clementia in supplices, prostratis parcit: credit Lybia intellectum peruenire ad eos precum.* Qui autem supplicibus adeò beneuolè ignoscit, in eos, qui illum infestant, aut quoquomodo lædunt, atrociùs sæuit. Arist. de Histor. anim. lib. 9. cap. 44. *Percussorè, inquit, agnoscit, atque ex obseruato inuadit. Si quis etiam non percusserit, sed infestet, hunc si ceperit, non vnguibus lacerat, sed quatit solum, atque vbi ita terruit, dimittit.* Ait ergo Salomon, Rex ira incitatus non dissidet à leone frementi, & furenti: *Qui prouocat eum, peccat in animam suam*, quasi dicat, Rex leonem imitatur, quapropter quisquis illi cedit, ac supplicem se præbet, facilem illum, ac beneuolum experitur; qui autem illum stimulat, atque in se prouocat, necem sibi accersit. Nam Regum furor semper vitę insidiatur, hoc sibi vult illud, *Peccat in animam suam*, id est, peccatum admittit, quod statim in ipsius caput recidit. Et quidem satis appositè vsus est Salomon verbo illo, *peccat*, nam vox originalis grauem culpam sonat, innuens scilicet eos, qui Principum maiestatem vel leuiter violant, non leuiter delinquere, sed eorum æstimatione graue admodum crimen admittere, atque adeò non aliter nisi morte luendum. Itaque sensus sic conformandus est. *Qui prouocat eum*, id est, qui vel leuiter illi succenset (hæc enim est vis verbi originalis, vt supra admonui, *Succensens ei*,) haud leuiter delinquit, sed *peccat in animam suam*, id est, culpam dignam capite perpetrat.

Rursus aliter accipi potest verbum illud, *peccat*, 9.
nimirum ita vt Salomon tantũdem prohibeat Regibus ex culpa succensere, & obsistere. *Aliquando enim* vt admonet Chrysost. homil. 5. de verbis Isaiæ) *homo* Chrysost. *priuatus Regibus impunè insultat*, scilicet cum pia religiosaque ex causa illi obsistit. Sic enim de Azariæ Sacerdotis aduersus Oziam Regẽ constantia scribit: *Non aspiciebat Principatus fastũ, non expendebat quanta res esset animum cupiditate temulentum cohibere: non audiebat illud Salomonis, Minæ Regis, sicut ira leonis, sed sublatis oculis ad cælum, eaq́; pœnas considerans, illudq́; tribunal, & his cogitationibus sese muniens, impetum fecit in tyrannum. Nouerat enim, nouerat, inquam, certè, quod cõminatio Regis similis sit ira leonis, duntaxat his, qui terram spectarent. Verùm homini, qui cælum haberet præ oculis, quiq́; sic induxerat animum, vt vitam citius deponeret, quàm sacras leges conspiceret violari, quouis cane vilior erat ille. Nihil enim eo imbecillius, qui diuinas leges conculcat, & contra nihil potentius eo, qui leges diuinas defendit. Nam qui peccatum cõmittit, seruus est peccati, etiam si decem millia coronarum habeat in capite. Rursus si quis facit iustitiã, ipse Rege regalior est, etiamsi omnium fuerit infirmus.* Hæc Chrysost.

10. Aliqui hunc versum cum superiori nectendum putant, & Salomonem id præcipere aiunt, ne Reges nimio vino sese ingurgitent. Nam cùm per se ad iram proni sint, vino bilem accendente, furor absque mẽsura crescit. Et quidem secundùm hanc seriem posterius hoc hemistychium alio sensu donari potest, *Et qui prouocat eum, peccat in animam suam*; nimirum qui in vino prouocat. Nota est consuetudo, quæ in conuiuiis olim inoleuit, & ad nostra vsque tempora perducta est, adiurandi, & prouocandi amicos ad bibendum, quod vulgo dicitur *brindar se*. Huic adsimile est illud Eccles. 31. *Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum*, & cap. 9. *Cum aliena muliere ne sedeas omninò, nec accumbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum ea in vino.* Itaque Salomõ ait, Regis ira per se magna est, & leonis sæuitiam imitatur: cùm ergo tantam Regis iram lenire, & non incitare oporteat, *Qui prouocat eum, peccat in animam suam*, id est, qui illum ad bibendum lacessit, vel adiurat, grauissimè delinquit, vinum quippè bilẽ magnopere accendit, & iram mirum in modum inflammat. Propterea Salomon infrà cap. 31. sic præcipit, *Noli Regibus, ò Lamuel, noli Regibus dare vinum*, &c. Itaque sic accipio illa verba, *Peccat in animam suam*, id est, grauem admodum culpã admittit, *nisi* velis iuxta superiorem sensum accipere, *Peccat in animam suam*, delinquit scilicet in caput suum. Exemplo Cliti Alexandro Macedoni charissimi, ac fidelissimi, qui cùm eundem Alexandrum in conuiuio sæpius propinans inuitasset, ab eodem iam ebrio inter epulas confossus est, ita scilicet ex vino incalescente.

11. Ambros. D. Ambros. locum istum vsurpat in Apologia Dauid posteriori cap. 3. hisce verbis: *Non distat ira Regis ab ira leonis, & qui stimulat illum, & admiscetur, peccat in animam suam.* Et quidẽ Ambrosius, si verba ipsius calleas, pronomen *illũ*, non ad regem, sed ad leonem referendum putat, atque adeò totam sententiam de ipsomet Rege exponit hoc sensu. Ira Regis ab ira leonis non differt, quod perinde est ac si dicat, Rex leonem habet sibi ipsi immorantem, scilicet iratum animum. Quapropter cauere plurimum debet Rex, ne leonem istum aliquis stimulet neu lacessat, ac furorem eius quoquo modo exacuat. Ira enim potestatem nacta, crudelissimè, atque immanissimè sæuit. Et quidem D. Ambros. verbo illo, *stimulat*, putat adlusũ ad venationem. Nam qui leones insequuntur solent eos stimulando, & infestando in retia, & casses compellere: subdit enim Ambros. *Caue ergo ne aliquis stimulet potestatẽ, ne cassibus anima irretita vitio se nõ possit exuere.* Nimirum caue tibi, ò Princeps, ne animam tuam ira percitam, & potestate fultam, seu leonem quemdam furore incitatum aliquis stimulet, vel infestet, ne stimulata, & infestata, in retia, & casses tãdem veniat, ex quibus sese expedire, & extricare non possit. Suadet scilicet Regibus, ne vnquam iram suã vrgeri nimium sinant, sed vias excogitent, quibus iracundiæ, ac furori euadendi copia sit, nam si illam cogi, & vrgeri sinant, tandem leonis stimulati in morẽ in retia sese mittit, hoc est rationibus, & argumentis iram suadentibus sese implicat, adeò vt illam deponere, & ad mansuetudinem redire non possit. Hoc sibi voluit Ambros. cùm ait: *Ne cassibus anima irretita vitio se non possit exuere.*

Sed tamen licet hæc aptè dicta sint, translatio illa ab Ambrosio vsurpata facilem quandam sententiam offert ad hunc modum: *Nõ distat ira Regis ab ira leonis, & qui stimulat illum, & admiscetur, peccat in animã suam*, id est, non solùm qui Regem lacessit, sed etiam qui illi se adiungit, sibi ipsi perniciem accersit, quemadmodum à leone non modo ille tutus non est, qui illum stimulat, & proritat, sed etiam qui circa illum A hæret, imò, & qui ei ablanditur, & illi adulatur. Pergo ad alia.

---

3. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus; omnes autem stulti miscentur contumeliis.*

12. Honor est homini, &c. Hebr. ad verbũ: *Gloria est homini considere à lite, & omnis stultus miscebit se.* Itaque nomen illud, *contumeliis*, abest quidem reipsa ab originibus, inest tamen potestate. Septuaginta verò sic transferunt: *Gloria est viro auersari contumeliam, omnis autem stultus talibus complicatur.* Aquila: B *Supersedere à lite.* Sym. *Separari ab odiosa contentione*, extrema autẽ verba Symmac. sic restituit: *Omnis autem stultus reuelabitur.* Aquila verò concinit cũ nostro Vulgato. Chald. *Omnis, qui stultus est, deridet.* Hanc dissimilitudinem lectionum peperit verbum גלע *Galangh*, quod non inuenitur nisi in Hithphael. Id enim quibusdam est, *miscere se aliis*, aliis verò, *manifestare se*, aut reuelari, aliis demum, *abominari*, & *deridere.*

Occurrit sanè hæc sententia falsæ cuidam hominum opinioni, qui turpe sibi, & ignominiosum putant susceptas lites, & contentiones non vrgere, ac persequi: *Honor*, inquit, *est homini, qui separat se à contentionibus.* Hæc verba edisserenda sunt iuxta vulga- C rem illum loquendi modum apud Hispanos, inter quos, *Hacer apartamiento de vn pleito, ode vna querella*, perinde est, atque intentatam alicui litem intermittere, & ab illa desistere. Hanc enim vim habet lectio originalis, quæ sic ad verbum restituenda est, *Gloria est homini considere, aut supersedere à lite.* O vtinã hæc Salomonis sententia in mores, atque opiniones hominum trãsiret! fieret enim vt multæ passim controuersiæ feliciter finirentur, quas non alia de causa homines vrgent, ac persequuntur, nisi quia ignominiæ vertunt susceptas semel causas dimittere, & de concordia, & pace priores agere. Salomõ ergo ita suadet: *Honor est homini cessare, aut supersedere à lite*, id est, tantum abest vt hoc indecorum sit, aut D turpe, vt maximam potius gloriam, & honorem homini afferat. Quid enim gloriosum magis, quàm aduersarium animi magnitudine vincere? si quis autem aduersarium suum præuertit, atque illi pacem beneuolè offert, magnanimitate ipsum superat. Huc spectat illa sententia Musonij, qui suadens Philosophũ, si verè sapiat, nullam aduersus alium actionem suscepturum, *Satius est*, inquit, *& excelso viro dignius, iniuriam vincere, quàm litem.* Et quidem aptè, nam iniuria animi virtute vincitur, lis verò iuris auxilio. Et iterũ, *Magnanimus quisquis est litem exscindit, & aduersario parcit:* vir, inquit, magnanimitate præditus, non aduersario, sed liti potius irascitur, & data optione litẽ perimere mauult, quàm aduersariũ vlcisci. Huic ad- E simile est, quod de Christo Domino prædicat Paulus ad Ephes. 2. *Interficiens inimicitias in semetipso*, qui ad Eph. 2. cùm posset inimicum de medio tollere, gloriosũ magis duxit inimicitias ipsas interimere. Ideò verò gloria in eo ponitur, quia aduersarium vlciscens illum vtique vincit, inimicitiam verò exscindens, aduersarium, atque seipsum pariter vincit. Quam rationẽ attigit idem Musonius apud Stobæum serm. 19. de pa- Stobæus. tientia: *Quanto*, inquit, *satius fuerit, ita sibi præstantem videri Philosophum, vt parcat eis, qui aliquid aduersus ipsum admiserunt, quàm causas agẽdo, & accusando ita se vlcisci putare, re ipsa verò præter omne decorum sibi ipsi pugnare.* Pende illa verba, *Ita sibi præstantem videri*, id est, seipso maiorem, & celsiorem cunctis apparere. Nec non illa, *Reipsa præter omne decorum suum pugnare.*

pugnare. Reſpondent enim illis, *Honor eſt homini*,&c. Deinde ſignificat hic Philoſophus eos, qui cum aduerſariis ſuis cauſas agendo, & litigando cōtendunt, ſe cum ipſis potius ignominioſè confligere: quapropter, vt in hoc conflictu, & duello à ſemetipſo quis victoriam reportet, inimicitias vtique in ſemetipſo interimere neceſſarium eſt. Nam qui non ipſas inimicitias, ſed inimicum vlciſci vult, non tam vincit ipſe, quàm victus cadit.

13. Et quidem præſtantiſſima laus eorum, qui in cauſis,ac litibus primi cedunt,& aduerſariis ſuis vltro pacē offerunt,nam Deum ipſum imitari videntur, Deus enim quoties ipſi cum hoſte,hoc eſt, cū peccatore in gratiam redeundum eſt,primus vtique cedit,& maximam debiti partem condonans hominem ad reſipiſcentiam excitat. Nam cùm peccator culpa ſua debitum ſibi impoſuiſſet carendi omni Dei auxilio, ſine quo impoſſibile eſt gratiæ reſtitui: hoc ſanè debitum Deus indulget,ac concordiæ appetens homini ad reſipiſcendum auxilia, & excitationes immittit: ergo cum adeò glorioſum, atque decorum ſit à litibus ſuperſedere,& primum homini pacem, & concordiam offerre,quis idipſum homini turpe,& indecorum eſſe affirmet?Nemo.

14. Cæterum mea quidē ſententia alia eſt mens Salomonis,non enim tam ſuadet ſuſceptas iam lites intermittere,quàm ipſas ab initio nec ſuſcipere,nec intendere. Itaque ait: *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus*,id eſt,ſemper vtique fieri poteſt vt homo honeſtè, & decorè ſubnaſcētes lites componat: *Stultus autem miſcetur contumelys*. Septuaginta, *Talibus cōplicatur*, nimirum litibus, & contentionibus adeo ſe implicat,vt ab his ſeſe explicare,& expedire non poſſit. Audi Hugo: *Et bene dicit, miſcentur, quia ſeparari non poſſunt,mixtura enim eſt inſeparabilis commiſcio mixtorū*. Itaque Salomon ſtultitiæ inſimulat eos,qui cùm poſſint initio lites facilè, & honeſtè componere,illas perſequi,& vrgere malunt: vnde fit, vt poſtea ab his decorè reſilire non poſſint, vnde non ineptè ex Iuris peritis Conænus, litem ſimilem eſſe dixit ſerpenti,& aliis quibuſdam animantibus,quæ vbi caput in foramen aliquod immiſerunt, illac totum corpus percolant. Atque adeò cauendum, inquit maximè, ne lites caput inferant, ne ſcilicet exordium capiant, ne intēdantur,nam quæ ſemel intenditur,& conteſtatur lis, non amplius reuocari poteſt. Hanc igitur irreuocabilem litium naturam ſignificat Salomon illis verbis, *Stultus autem miſcetur contumelijs*: contumelias autem appellat prædictas cōtrouerſias,quia poſtquam cœptæ ſunt,contumelioſè deferuntur: alias verò lectiones hunc ad ſenſum allicere procliue eſt.

Chaldæus habet, *Omnis autem ſtultus deridet*, ideſt, omnis ſtultus initio litis deridet,& eas ſuſpicere non veretur, ſed poſtmodum leuitatem animi ſui deplorat Symmachus legit, *Stultus autem reuelatur,aut reuelatur*, ideſt, qui ſtultus eſt,ſtatim ſeſe prodit,& aduerſarium alteri offert.

4. *Propter frigus,piger arare noluit: mendicabit ergo æſtate,& non dabitur ei.*

15. PRopter frigus,&c. Hebr. *Poſtulabit in meſſe, & non*. Vulgata lectio imperfectam ſententiam compleuit ſic: *Et non dabitur ei*. Chal. *Et non habebit*. Pagninus: *Et non erit qui det ei*. Sym. *Et non inueniet*: ſed tamen Chald integrum locum aliter conuertit, *Penuriam ſuſtinet piger, & non tacet, & petet in meſſe, & non habebit*. Sept. verò ab omnibus alus tranſlationibus quàm longiſſimè abeunt: *Exprobratur piger, non confunditur, ſimiliter & qui fænore accipit frumentum in* A *meſſe*. Hanc diuerſitatē peperit vox חרף *Choreph*, quæ ſignificat hyemē, poteſt autem exigua punctorū mutatione eſſe Benoni, aut participium verbi, חרף *Charaph*, quod eſt exprobrare, aut dehoneſtare. Chal. verò, *penuriam ſuſtinet*. id enim probro dari ſolet, ideò Sep. verterunt, *Exprobratur piger*. Rurſum verbum חרש *Charas*, quod ſtatim attexitur, ſignificat *ſilere, obſurdeſcere, & arare*. propterea noſter cōuertit, *non arabit*. Chal. *Non tacet*. Et Sept. eodem ſēſu, *non confundetur*, vel non erubeſcet, qui enim verecundia ſuffunditur, verba opprimūt. Denique ſubeſt etiam verbum שאל *Saal*, quod ſignificat *rogare, & petere*, aliquando etiam mutuo accipere, aut dare, ideſt, Reg. c. 1. *Idcirco commodaui eum Domino omnibus diebus, quibus fuerit com-* B *modatus Domino*, vbi alij paſſim legunt, *Idcirco fæneraui cum Domino*. In originibus autem ſubeſt verbum *Saal*: hinc factus eſt locus lectioni Septuaginta, *Qui fænore accipit frumentum in meſſe*, &c.

Sanè verba iſthæc ſiquidem vt ſonant explicentur, facilem admodum ſenſum offerunt: *Propter frigus piger arare noluit*, id eſt, Ne ſcilicet hyemis iniurias experiretur, domi ſe continuit, nec ad arandos, conſerendóſque agros prodiit, ſed quid inde? *Mendicabit æſtate, ſed non dabitur ei*, id eſt, in æſtate, cùm alij horrea ſua illatis frugibus implent, ſtipem cogere, & victum oſtiatim rogare ipſi neceſſum erit, ac ſæpius non obtinebit. Sic plerique. Crediderim tamen non de ſtipe, aut eleemoſyna hic ſermonem fieri, ſed de C commodato, aut mutuo. Nam vt adnotat hic Salonius, pauperes æſtatis etiam tempore inueniunt, qui ſibi eleemoſynam largiantur. Itaque ſenſus erit Piger in æſtate quidem mutuo petet frumentum, nec facilè inueniet aliquem qui ipſi credere id velit, quia illud recuperari poſſe omnes diffident, ita exhauſtæ erunt pigri fortunæ.

Cæterùm ex interpretibus non pauci id allegoricè dictum putant, & Salomonem ſub iſtius parabolæ cortice aliquid aliud ſibi velle, à quibus ego non diſſentior. In his Salonius ſic ait: *Piger in hoc loco illum ſignificat, qui propter deſidiam, & huius mundi aduerſitatem (quæ per frigus deſignatur) in Dei ſeruitio negligit laborare, & idcirco in futuro Dei iudicio mendicabit,* D *quia non habebit opera bona, pro quibus accipere mereatur beatitudinem. Quia quidquid ſeminauerit homo, hoc & metet. Quemadmodum accidit fatuis virginibus, quæ oleo deficiente ad prudentes dixerunt: Date nobis de oleo veſtro, &c. Sed cur, inquies, dies iudicij, & regnum Dei æſtati cōparatur? quia tunc omnia noſtra triſtitia nubila tranſibunt, & vita illius dies æterni ſolis claritate fulgebit*. hæc Salon. Sed aptiùs D. Gregor. Paſtoralis curæ 3. p. admonitione 16. *Propter frigus quippe piger non arat, dum deſidia, & torpore conſtrictus, agere, quæ debet, bona cōſiderat, & diſſimulat. Propter frigus quippe piger non arat, dum parua ex aduerſo mala metuit, & operari maxima prætermittit. Bene autem dicitur, Mendicabit æſtate, & non dabitur ei; qui enim nunc in bonis operibus non exſudat, cum ſol iudicij feruentior apparuerit, quia* E *fruſtra regni aditum poſtulat nihil accipiens æſtate mēdicat*. Hugo Card. duas alias offert expoſitiones. Prior eſt, *Piger*, id eſt, tepidus, *propter frigus* charitatis *arare noluit*, ideo ſcilicet inſeruire in agro, ſeu vinea Eccleſiæ recuſauit, *E propter mendicabit æſtate*, in die videlicet iudicij. Poſterior ſic habet, vir frigore charitatis intepeſcens ſui cordis agrum aratro pœnitentiæ proſcindere non vult, & bonis operibus conſerere, *mendicabit ergo æſtate*. Nimirum inſtante iam morte, morbo ingraueſcente, & febre exæſtuante poſtulabit tempus pœnitentiæ, *Et non dabitur ei*.

16. (margin: Salon. — Gregor. — Hugo.)

17. Sed licet hæc appoſitè dicantur, tamen ſi verè in huius parabolæ cortice aliquid nuclei Salomon includere voluit, id ſanè non eſt aliud, quàm id quod dico,

dico. Suadere vult Sapiens misericordiam, & eleemosynam, hæc enim passim in scripturis cum aratione, & sementis satione conferri solet. 2. ad Corint. 9.
2. ad Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metit, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* & infrà: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrū, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Mitto alia. Itaque sensus erit, *Piger*, hoc est parcus, & sordidus homo, *propter frigus*, id est, frigore charitatis rigens, nimirum charitate deficiente, *arare*, hoc est, eleemosynas largiri, *noluit*, bona inquam sua in vberrimum, ac felicissimum agrum, id est, in manus pauperum, spargere detrectauit. Eapropter *mendicabit æstate, & non dabitur ei.* Quia nimirum in hac vita facultates suas mendicis erogare sordidè noluit, cõmutata fortuna in altera quidem mendicus erit, postulabitque obnixè stipem, sed non obtinebit. Quemadmodum contigit diuiti illi, qui epulabatur quotidie splēdidè,
Luca 16. Luc. 16. qui discissas panis micas Lazaro mēdico impendere nolebat, hic enim sepultus deniq; in inferno ex diuite pauper aquæ guttam à Lazaro flagitabat, eamque impetrare non potuit. Quod si hæc extrema verba, *Mendicabit æstate, & non dabitur ei*, nō de eleemosyna, sed de mutuo, & commodato capias, vt verè accipienda esse nuper monui, accommodatio parabolæ meliùs, & aptiùs cadet ad hunc modū. Is qui frigore torpescens hyeme ex socordia non serit, æstate quidem mutuo frumentum expetere opus habet, & sæpiùs non impetrat, quia ex his, qui in tellurē semina sparserunt sua, & messem fecerunt, quisque sibi collectam annonam in victum asseruat, ac ne fortè sibi necessaria non suppetant, aliis ea erogare non vult. Haud aliter de illo diuite dicendum est, qui ob parcitatem, & sordes in huius vitæ hyeme, refrigescente charitate, eleemosynas in pauperes non spargit: nam succedente morbo, exæstuante febre, & morte iam iam imminente, omni propria fruge destitutus ab aliis iustis illam mutuo rogare cogitur, hoc est ipsorū meritis sibi subueniri postulat, sed frustra; quia sancti merita sua in alios transferre non possunt. Id sibi vo-
Luca 10. luit decem virginum parabola Lucæ 10. vbi Christus olei nomine misericordiam, & eleemosynā intelligit, additque ex decem quinque fatuas, quæ sibi olei satis non comparauerant, ad quinque alias sapientes spōsi aduentu imminente dixisse, *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, quibus illæ sic occurrerunt: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Illud, *ne fortè*, non est addubitantium, & ambigentium, sed certò asserentium oleum suum, id est, eleemosynas, ac merita sua, non posse vtrisque sufficere, sed vnicuique propria merita comparanda esse.

18. Translatio autem Septuag. aliam reddit sententiā, *Exprobratus piger non confunditur, similiter, & qui fœnore accipit frumentum in messe*, id est, vir otio torpescens etiamsi socordiæ insimuletur, non propterea erubescit, & erubescentia excitatus ad laborandum exacuitur: *Similiter, & qui*, &c. id est; Exemplo sit vir, qui per socordiam hyeme tellurem non coluit, atque adeò frumentum mutuo accipere cogitur, messis tēpore restituendum postea cum fœnore. Nam licet hunc postea creditor vsuras exquirens seuerissimè exerceat, & contumeliosè admodum premat, non propterea resipiscit, & ad terram sequenti anno excolendam sese accingit. Itaque Salomon exaggerat socordiæ ac pigritiæ torporem, quem ne ipsa quidem verecundia, & confusio, quæ aliàs magnopere animum stimulare, & acuere solet, ad laborandum, & agendum potest excitare.

Denique lectio Chaldaica alium exhibet sensum: *Penuriam sustinet piger, & non tacet, & petet in messe, & non habebit*, id est, piger in maximas rei familiaris angustias venit, *& non tacet*, id est, paupertatem suam silentio tegere, aut dissimulare non potest, cogitur enim messis tempore ab aliis annonam petere, & indigentiam suam palam omnibus facere. Sæpius autem accidit, vt postquam omnes percurrit, & de sua indigentia admonuit, nullus sit qui succurrat: id sibi vult illud, *non habebit*.

---

5. *Sicut aqua profunda sic consilium in corde viri; sed homo sapiens exhauriet illud.*

SIcut aqua profunda, &c. Hebr. *Aqua profundæ:* 19.
numerus multitudinis pro singulari. Septuag. Chald. & alij interpretes concinunt cum Vulgato.

Difficultas imprimis occurrit, quid *viri* nomine significetur, an homo quilibet in vniuersum, an potius vir sapiens, & eruditus. Rodolph. Iansen. Hugo, & alij non pauci Hebræos sectantur, qui per *virum*, hominem sapientia, & eruditione præstantem capiendū esse censet, ex his autem plures priora verba sic edisserunt: *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri.* id est, sapiētia & doctrina, quę in corde sapiētis latet, similis est aquæ profundæ. i. aquæ in puteis altissimis scaturienti ob perennitatem. Nam aquæ ex fontibus erumpētes æstatis ardore exsiccatæ crebriùs deficiūt, puteorum verò scaturigines, quò altiores sunt, magis perennant. Quasi dicat, hi, qui sapientiæ & doctrinæ exiguam facultatem habent, similes sunt fontibus supra terram erumpentibus: nam quidquid animo cohibent, ore emittunt suo, & vbi pauca effuderūt, protinus velut exsiccatis meatibus deficiunt. Qui autem sapientissimi & eruditissimi sunt, puteos imitantur profundissimos doctrinæ suæ aquas occultātes, semper autem perenni doctrina affluentes. Alij verò ex Hebræis similitudinē hanc ad puritatē, & sinceritatē doctrinæ accōmodant, sicut enim aqua quò profundius manat, eò purior, ac limpidior fluit, quia nunquam à trāseuntibus conculcatur, vel exturbatur: ita etiam doctrina sapientis viri sincera est, & ab omni fæce immunis, vtpote profunda, ac nemini peruia. Hugo verò sic addit: *Comparatur consilium viri profunda aqua, propter ablutionem, propter irrigationem, propter fœcunditatem, propter refrigerationē.* Cæterùm cum his explicationib. necti nō potest secunda pars, quæ sic habet: *Vir autem sapiens exhauriet illud*, quæ significant solius sapientis esse consilium, ex corde viri ob nimiam eius profunditatem haurire. Hugo.

Hoc ratione adductus Iansenius existimat Salomonem hîc agere de consiliis ac rationibus, quibus vir sapiēs aliquid agere apud se statuit, vt sensus sit, Vir cautus, & prudens altissimè occulit consilia sua, atque adeò nullus ea eruere, & in apertum adducere potest, nisi sapiens alter, qui simili intelligētia præditus captatis indiciis, & attenta meditatione id assequi solet, quod alter animo voluit suo, sed tamen friget etiam hæc expositio. Iansen.

Quapropter aliam esse reor huius loci sententiam: 20.
si ergo cum præfatis autoribus per *virum*, eum accipiamus, qui sapientia, & intelligentia pollet, sensus sic conformandus est. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri.* i. sapiētia viri perdocti, & pereruditi nō est vulgaris, & obuia. sed recondita, & aquæ profundissimæ adsimilis, *sed homo sapiens exhauriet illud.* Hæc posteriora verba non ita accipienda sunt, vt sonant, sed aliquo modo permutāda, vbi sæpius in scriptura fieri aliàs docui, nimirū hoc modo. Homo ille, qui hanc doctrinā profundè absconditā multo labore exhaurit, is sapiens demum euadet: significat. n. sapiētiam, & doctrinam à doctissimis præceptoribus non sponte

ſponte ebibi, nec abſque labore arripi, ſed multo labore exhauriri quodammodo, & exantlari. Itaque in hoc loco admittitur figura illa Hyppalage dicta, cuius aliàs in ſcriptura multa ſuppetunt exempla; Iudicum 1. iuxta Hebræum dicitur: *Ciuitatem miſit in ignem*, id eſt, *ignem miſit in ciuitatem*. Et Pſal. 34. *Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui*. id eſt, laqueum interitus, vel ad interitum tendentem, & Iacob. 1. *Apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, id eſt, *obumbrationis viciſſitudo*: mitto alia. Ita etiam hæc noſtra ſententia, *Homo ſapiens exhauriet illud*, permutanda eſt ad hunc modum: *Homo exhauriens illud ſapiens erit*. Salomon ergo docet his verbis ſapientiam multo labore à præceptoribus trahi ſolitã, ita vt auditores his, qui aquã ex profundiſſimis puteis exhauriunt, per omnia ſimiles eſſe debeãt, quæ ſimilitudo valde appoſita eſt. Imprimis enim facultas, & ſapientia doctorum cum puteis componitur; ſicut enim putei ab imo ſcaturientes, quò plures ab his aquas extrahunt, eò amplius redundant, nam aquæ ad locum nuper exhauſtum ſponte decurrunt, itaut experientia ipſa compertum ſit quibuſdam exhauſtis, alias, atque alias aquas hinc, & inde ad puteum copioſiùs euocari. Sic etiam accidit doctoribus, nam quò plures ab his doctrinam, & ſapientiam hauriunt, eò maior, & copioſior in ipſis ſapiẽtia affluit. Itaque exẽplo hoc primò ſuadetur doctoribus, vt profundiſſima quæque ſuæ doctrinæ dogmata auditoribus libenter haurienda tradantur, ſic enim ipſis copioſiùs affluent, deinde auditores ſapientiæ ſtudioſi admonentur non eſſe obuium, ac facile doctrinam patere, ſed aquæ ad inſtar profundiſſimæ magno labore exhauriri. Et quidem is, qui aquam ex imo puteo extrahere vult, vas minimè pertuſum, & longum funem demittere, ac ſurſum deinde totis viribus conari debet, ita docet Auguſt. ad illa verba Ioannis, *Puteus altus eſt*. Ergo Plutarchus in lib. de officio auditoris, eum informans, qui præceptorẽ vtiliter audire vult, ſuadet ne cribra, aut vaſa pertuſa imitetur, itaut accepta dogmata ſtatim effundat, ſed ea potius retineat, & cohibeat. Quid autem ſit hauſta effundere ſtatim explicat, *Non impletur*, inquit, *vas, quod ſemper effundis; ita non impletur ſapientia eius, qui plura loquutur, quàm auſcultat*. Deinde præcipit, vt quemadmodum vas ad recipiendam aquam ſeſe deponit, & os demittit; ſic etiam diſcipulus ad audiendum docilis ac demiſſus veniat, ſic enim ait: *Vaſa ad accipiẽdum quod infunditur accommodant, & inclinant ſeſe; ſic qui diſcit, debet accommodare, & inclinare ſeſe vt capiat ea, quæ vtiliter dicuntur*. Hæc de Vaſe. Longus funis ad hauriendam ab imo doctrinam neceſſarius diſcentis perſeuerantia eſt, ſine qua nemo ſapientiam aſſequi poteſt: ſicut enim funis ad ima demittitur, & ad profundiſſima putei pertingit; ita etiã perſeuerantia diſcentis, quamcumque maximam doctrinæ profunditatem attingit, illamque exhaurit. Huius generis tute tibi commentari poteris.

Iudic. 1. Pſalm. 34. August. Plutarchus.

Ergo dum Salomom ait, *Homo ſapiens exhauriet illud*, ſiue vt nuper reſtituimus, *Homo exhauriens illud, ſapiens erit*, optimi auditoris pręcipua officia complectitur; ſilentium ſcilicet, ne effundat audita; animi demiſſionem, & docilitatem, vt diſciplinæ ſeſe adaptet, perſeuerantiam, vt ad profundiſſima ſapientiæ dogmata pertingat; conatum ac robur, ne langueſcat, & hæc omnia ad ſapientiam comparandam neceſſaria eſſe oſtendit.

21. Quod ſi cum Caietano priora illa verba, *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri*, minimè ad ſapientem referamus, ſed in vniuerſum de quolibet homine capiamus, qui conſilia & rationes ſuas penitus abſcondit, ſenſus quidem euadet facilis ad hunc modũ. Quodlibet cõſilium, aut arcanum in hominis animo inclusum aquæ profundiſſimæ adſimile eſt. (Nec verò ita accipio, vt cum aqua puteali conferatur, hanc n. haurire roboris eſt, non ſapientiæ, & ingenij, ſed comparatio ad illam aquam ſpectat, quæ intra terræ viſcera profundiſſimè deliteſcit, & occultiſſimè fluit, ac necdum defoſſa eſt, nam ad hunc modum conformata comparatione accommodatius cadit.) Ait ergo Salomõ: *Sed homo ſapiens exhauriet illud*. i. vir ſapientia præditus illud aſſequi ſolet. Quæ verba hunc ſenſum reddunt, conſilium, & arcanum à viro quopiam per aſtutiam celatum; ſimile eſt aquæ in terra penitus deliteſcenti, & profundiſſimè fluenti. Cæterùm ſicut hi, quos aquileges vocãt, Vulgo *Zahories*, aquas profundiſſimas, & in terra penitiſſimè abditas aſpiciunt, ſiue quia ipſorũ acies ad remotiſſimas illas partes penetrat, ſiue quia vapores ab aquis efflatos conſpicatur, conſpectas verò effodiunt, & exhauriunt. Ad eũdem modum, inquit Salomon, vir ſapiens, & cautus, aſtutorum hominum conſilia penitus abdita & ſubter animum labentia acie ſua attingit, & multis indiciis argumentiſq; deprehendit, deprehenſa euoluit, effodit, ac foras extrahit. Id ſibi vult illud, *Sed homo ſapiens exhauriet illud*. Vulgo diceremus. *Eſ zahori de los penſamientos*, in originibus ſubeſt. ידלנה ex radice דלה *Dalah*, quæ ſignificat haurire, aut eleuare, atque adeò fortaſſe etiam ibi latet ſimilitudo aliqua ducta ab inſtrumentis, quibus aquæ ex profundiſſimis puteis leuantur, & extrahuntur. Quæ quia arte & peritia hominum inuenta ſunt, non ineptè cordati viri in eruendis animorum conſiliis ſapientiam, & rationem notare poſſunt.

---

6. Multi homines miſericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet?

Vlti homines, &c. Hebræa ſic ad verba efferenda ſunt. *Multitudo hominis vocabit virum miſericordiæ ſuæ, ſeu gratiæ ſuæ. Et virum veritatum quis inueniet?* Et quidem pro multitudine ſubeſt רב *Rab*, quæ vox multitudinem, aliquando etiam magnitudinem ſonat, atque adeò licet etiam conuertere, *Magnitudo hominis*, &c. Cùm ergo verba hæc in primitiuis ancipitia ſint, interpretes diſtraxerunt. Cajetanus enim ſic reddit: *Multitudo hominum inuenitur, quorum vnuſquiſque gratiam laudabit*, à quo tantiſper diſcedit Pagninus. *Magni hominis prædicabit vnuſquiſque miſericordiam, & virum veracem quis inueniet?* Alij verò ſic reſtituunt: *Sunt multi homines, quorum vnuſquiſque prædicabit miſericordiam ſuam*. Chald. *Multi filij vocantur viri miſericordes*, &c. Septuag. *Magnum homo, & pretioſum vir miſericors, hominem autem fidelem opus eſt inuenire*. Aquila, Symmach. & Theodot. *Quis inueniet*. vt Vulgata. 22.

Cùm ex interpretibus alij miſericordiam legant, alij gratiam, aliter, atque aliter huius loci ſenſum inſtituunt. Quidam enim ad gratiarum actionem referunt hoc modo: *Multi homines vocantur viri gratiæ, ſed virum fidelem quis inueniet?* id eſt, Multi paſſim occurrunt viri, qui libenter collata in ipſos beneficia accipiant, & pro acceptis gratias habeãt, ſed qui fidei ſuæ commiſſas res fideliter tractet vix vnus eſt: putãt enim id à ſapiente ſuaderi, neu facile res noſtras aliis adminiſtrandas tradamus, quia pauci ſunt, qui id fideliter agere ſoleant. Quaſi dicat, alij quidem ex noſtris rebus nonnumquam donare debemus, gratiam inde ſperantes, id enim magnificũ eſt: attamen eaſdem aliis committere adminiſtrandas, vel aſſeruandas, & de ipſorum fide bene ſentire vix aliquando tutum erit. 23.

Rurſus in illis, qui nõ miſericordiam, ſed *gratiam* vertunt, nomine gratiæ beneficentiam, accipit Caietanus,

tanus, qui locum istum sic edisserit. *Multitudo hominum inuenitur, quorũ vocabit, vel laudabit quisque gratiã.* i. Multi passim inueniuntur homines, qui propterea laude digni sunt, quia de aliis bene merentur, & gratuita in ipsos beneficia conferunt: *Sed hominẽ fidelitatum, aut veritatum quis inueniet?* i. perrarus est vir verax. Alibi enim dicitur, *Omnis homo mẽdax.* Itaque cum beneficentia veritatem conferre existimauit Cajetanus. Quia inter multos beneficos ac liberales homines vix pauci veraces, & synceri reperiuntur. Sed tamen apud me versans qua ratione hæc duo veritas, & liberalitas inter se haud ineptè cõferri possent, cùm videantur inter se latissimè dissidere, nihil occurrit. Rursus alij accommodatiùs sic prædicta verba declarant: *Multi homines vocant virum gratia, sed fidelem virum quis inueniet?* i. multi sunt, qui aliorum in se beneficentiam deprædicant, & laudibus vehunt, sed vix vnus est qui in referenda gratia, & beneficiis compensandis fidelis sit.

24. Sed ad Vulgatam lectionem venientes hæc etiam non vno sensu donari potest. Prior sic habet: *Multi homines misericordes vocantur,* &c. i. multi sunt nomine tenus pij, & misericordes, qui tamen reipsa misericordiam non præstant, quia in ipsa exhibẽda fideles se non præbent; vel quia eorum misericordia ad laudem, quam habent, nequaquam peruenit, vel quia non ex animo leuandæ miseriæ alienæ, sed vanæ ostentationis gratia miserentur, siue aliis de causis, quæ opera misericordiæ vitiare solent. Sic Beda, Iansenius, & alij. Subiicio aliam expositionem, quæ mihi cæteris præferenda videtur. Præmittere autem oportet misericordiam & veritatem sæpiùs copulari in scriptura, vti suprà cap. 3. ad illa verba obseruauimus, *Misericordia, & veritas te non deserant.* Vbi etiã decreuimus nomine veritatis significari iustitiæ virtutem, illam scilicet, quæ suadet æquitatem seruare, & ius suum vnicuique reddere. Hæc verò duo propterea coniungit sacra pagina, quia eximia hominis iusti laus in fortunarum vsu, non est alia, quàm de suis vtique aliis liberaliter impertiri, & aliena non inuadere, nec apud se retinere. Ait ergo Salomon, *Multi homines misericordes vocantur.* i. multos passim reperire licet, qui misericordiæ, & beneficentiæ laudem, & nomen ferunt, quia de suis bonis in alios liberaliter effundunt. *Sed virum fidelem quis inueniet?* longè, inquit, difficilius aliquem inuenire, qui æquitatem seruans aliena non inuadat, nec apud se iniustè retineat. Itaque Salomon docet facilius esse ex propriis bonis liberaliter impendere, quàm aliena non accipere, & iniustè accepta Dominis suis reddere: quod quàm verum sit, experientia ipsa compertum habemus. Nonnumquam enim homines, qui aliena iniustè abstulerunt, libenter quidem ea indigentibus distribuunt, aut templis donant: & tamen Dominis suis minimè rependunt. Quod sæpè aliàs serio admodum prohibet Deus, sed tum maximè Ecclesiastici 34. ab illis verbis, *Dona iniquorum non probat Altissimus,* vsque ad illa, *Qui aufert in sudore panem,* &c. id ergo difficilius est, quàm illud. [Eccles. 34.]

25. Reliquæ lectiones suprà adscriptæ ex dictis lucem accipiunt, atque adeò his omissis translationem Septuaginta trutinæ subiicere libet: *Magnum homo, & pretiosum, vir misericors, hominem autem fidelem opus est inuenire.* Itaque homo ad miserendum propensus magni nomen fert, nimirum quia supra res omnes caducas exerit caput, dum eas ex contemptu distribuit. Nam si hæc despiciantur, & pedibus subiiciantur, eleuant quidẽ possessores suos, author est Augustin. [August.] *Eleuabunt nos, si fuerint infra nos,* &c. Sed audiendus est Chrysostomus [Chrysost.] homil. 4. in Epistol. ad Philipp. qui verba Salomonis expendens misericordis viri magni-

A tudinem magnoperè extollit: *Magnum quiddam est,* ait, *& præclarum homo misericors, hoc enim est hominem esse, vel potius hoc est Deum esse. Sed cur cùm Deus solus esset, tot Deos fecit? nonne propter benignitatem, atque humanitatem,* &c. Mens autem Chrysostomi hæc est, vir misericors verè homo est, nihil enim magis hominem decet, quàm humanitas, qui enim humanitate caret, ad feras potius, quàm ad homines spectat: sed tamen inferior est hæc laus, inquit Chrysost. nam virum misericordem Deum potius, quàm hominem libet dicere. At, inquies, Deus vnus est, si autem multos Deos inducimus, ipsi Deo iniuriam irrogamus: imò ex eo colligere licet, ait Chrysost. quantum Deo placeat misericordia, & humanitas, qui ne misericor-
B des vtique desint, Deorum quodammodo multitudinem induci patitur. Sed non modo *magnum quid,* homo misericors dicitur, sed etiam *pretiosum,* licet etiam conuertere *locuples.* Vnde ergo illi tantum, & tam locuples pretium? sanè ex ipsa miserescendi voluntate, qua nihil locupletius fingi potest; huius enim tantus est valor, vt minutissimæ cuiusque rei æstimationem tantumdem augeat, quantum velit. Chrysost. in serm. [Chrysostom.] de misericordia, & de duabus mulieribus: *Misericordiæ,* inquit, *haud definita sunt pretia, modica diuitijs maiora sunt, & diuitiæ paupertate superantur. Minimũ viduæ diuitem opulentias vicit, quia votum viduæ vota diuitum superauit.* Lege ibi plura ad hanc sententiam.

C

7. *Iustus, qui ambulat in simplicitate sua: beatos post se filios derelinquet.*

IVstus, qui ambulat. Hebr. *Ambulans in integritate sua iustus, beati filij eius post eum.* Pagninus: 26.
Ambulans in perfectione sua iustus. Septuag. *Qui conuersatur sine vituperatione in iustitia, beatos filios suos relinquet.* Chaldæus à nostro interprete vix dissidet: *Qui ambulat in simplicitate sua, iustus est, & beati filij post eum.*

Hic locus postulat vt priùs quid sit *simplicitas* decernamus. Aliqui existimant hîc sermonem haberi de simplicitate, & synceritate, quæ duplicitati, seu astu-
D tiæ opponitur. Sed non probo, quia non satis calleo qua ratione parentis synceri, & simplicis mores ad filiorum beatitudinem pertineant. Rursus alij nomine simplicitatis iustitiam intelligunt, quæ in contractibus versatur, & ab omni dolo, & iniuria abhorret, sensum autem sic quàm verisimilem instituunt: *Vir ambulans in simplicitate, seu integritate,* id est, vir ille, qui vt filiorum suorum patrimonia amplificet (quo nihil antiquius parentibus esse solet) alienis non inhiat, ac nemini irrogat iniuriam, *Beatos,* hoc est felices, & copiis omnibus affluentes, *filios post se relinquet,* quia parentis integritas fortunam, & felicitatem filiis promeretur. Nam patrimonia malè parta, quantumuis ampla, ad filios transmissa, ipsis quidem perire, &
E perperam dilabi consueuerunt, cùm ex aduerso perangusta hæreditas iustè parta filios fortunatos reddere soleat, de qua thesi alibi non pauca diximus.

Cæterùm præferendus est communis interpretum 27.
intellectus, qui per simplicitatem, seu integritatem, omne in vniuersum pietatis, ac virtutis genus notari autumant, hoc modo: *Vir ambulans in simplicitate,* id est, vir integritatem vitæ, ac morum seruans id sibi vult translatio Septuaginta: *Vir qui conuersatur sine vituperatione in iustitia,* id est, qui nihil agit vituperatione, aut censura dignum. Obseruanda etiam est energia lectionis originalis, quam notauit Rodolph. nimirum verbum, quod subest verbo illi *ambulat,* esse in Hiphil, adeò vt vis illius sic exprimi debeat: *Homo qui ambulare se facit in simplicitate,* id est, homo qui

qui cùm iuris ſui ſit, & nullius poteſtati obnoxius, (eiuſmodi enim eſt vir ſeu pater familias in domo) ſemetipſum ſponte admodum ad omnem virtutẽ,& honeſtatẽ impellit, ac mouet, hic ergo, *Beatos poſt ſe filios derelinquet:* Aliqui de beatitudine, quæ in virtute ſita eſt, hæc verba intelligũt. Quaſi dicat: vitæ ſuæ integritatem, & honeſtiſſimos mores ad filios trãsferet, quibus beati, ac fortunati ſint. Et quidem ita euenire ſolet, vt pater, qui non coactè, ſed ſponte, & iuxta animi ſui propenſionem, honeſtatem colit, filios gignat ſimili honeſtate præditos. Nam cùm aliæ parentum propenſiones, natura duce, ad filios tranſire ſoleant, hæc etiam ad ipſos peruenit, adeò vt Plato illum, qui parentibus bonis ſatus, non bonus euaſit, naturæ ipſi aduerſari, ac monſtro, ſeu portento ſimilẽ eſſe dixerit. Vel aliter, Patrem illum, qui ſemetipsũ ad virtutem mouet, filios quoq; bonos relicturũ dicit, quia is, qui tanta virtute pollet, vt ſibi ipſi bene viuendi legem imponat, & ad illam ſerio obſeruandam cogat, is etiam filios ad honeſtatem compellere rectè poterit; ſicut ex aduerſo qui ſeipſum coërcere non valet, filios etiam in officio continere non valebit: *Quomodo enim in liberis* (ait Plutarch. in Polit.) *parens oderit vitia, quæ in ſemetipſo non reprobat?* Hanc expoſitionem præfero. Plutarch.

18. Alij rurſus illa verba, *Beatos poſt ſe filios derelinquet*, de ea felicitate capiunt, quæ ad terrena ſpectat bona, hoc ſenſu: Pater, qui integritatem vitæ ſeruat, filiis à Deo felicitatem, & fortunam exorat, conſtat enim ex ſacra ſcriptura parentum merita liberis multa bona à Deo impetrare. Hinc eſt illud Pſalm. 111. Pſalm.111. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria, & diuitiæ in domo eius*, &c. Quibus verbis præcipua bonorum genera complectitur Vates, quæ patrum integritas liberis à Deo obtinet. Hæc ſunt. Imperium, *Potens in terra erit ſemen eius.* Gratia erga omnes, *generatio rectorum benedicetur*, &c. Honor & opes, *Gloria, & diuitiæ*, &c. Nomine autem *filiorum* in hoc loco, non liberos tantùm, ſed omnes poſteros accipit Salomon. Atque id ſibi vult lectio originalis, quæ ſic ad verbum efferenda eſt. *Beati filij eius poſt eum*, dicuntur autem *filij eius* omnes alij, qui ab eo originem deriuant, ſiue liberos, ſiue nepotes, & pronepotes. Poſſumus etiam aſſerere Salomonem ſignificaſſe his verbis iſtas omnes ſimul beatitudines, ſeu felicitates ſupra adſcriptas, filiis ex parentum integritate accidere, præſertim ſi adnotemus pro illo verbo *Beatos*, eſſe *beatitudines*, ita vt liceat ſic reſtituere, *Beatitudines filiis ſuis relinquet poſt ſe*, id eſt, non vnam, ſed omnes ſimul felicitates illis dimittet.

8. *Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.*

19. Rex, qui ſedet, &c. Hebr. *Diſpergens in oculis ſuis omne malum.* Septuaginta. *Cum Rex iuſtus ſederit ſuper thronum, non aduerſatur omne malum in oculis eius.* Sic legit Aug. in lib. de correptione, & gratia c. 3. Alij codices habent: *Non obuiat malum*, &c. Theod. *Diſſipat*, ſicut noſtra. Chald. *Diſſipat à facie ſua omnes impios.*

Locus iſte non vno modo exponi poteſt. Primò enim hunc ſenſum reddit. Rege pro tribunali ſedente, vt cauſas diſcutiat, omne malũ fugit oculos eius, hoc eſt videri non poteſt. Itaque Salomõ ſuadet Regibus, neu ſemper domi hæreant in throno ſedentes, ſed vrbes nonnumquam, ac regnum inuiſant, & explorent: aliter. n. pleraque ſcelera, & facinora à ſubditis admiſſa ipſos penitus latebunt. Huc ſpectare videtur trãſlatio Septuaginta, quæ ſic habet, *Cùm Rex iuſtus ſederit in throno, non obuiat malum in oculis eius.* i. non occurrit, quia videlicet conſpectum fugit. Eapropter Ægidius de Regimine Principum, ſolem à Principe imitandũ eſſe dicit, qui non ſemper in cœli apice ſuper verticem hæret, ſed inde ad occidentẽ ſe demittit, & vniuerſam terræ molem per circuitum ambit, ac radiis ſuis loca etiam maximè abſcondita introſpicit, aliquando etiam obiectis nubibus faciem obducit, inuiſus quodammodo omnia videt, ac luce ſua colluſtrat. Non aliter (inquit Ægidius) Rex ſapiẽs nõ ſemper throno inſidet, ſed inde etiam ad inferiora ſe deponit, regnum per ſemetipſum curioſiùs inuiſit, omnia diligenter explorat, nonnumquam etiam Regiam maieſtatem pannoſis veſtibus tamquam ſol nubibus occulit, atque inter vulgus ſeſe miſcet, vt tranſgreſſores liberiùs agentes deprehendat, ac de ſui apud vulgares homines fama, & exiſtimatione edoceatur. Hæc ille. Ægid.

Secunda expoſitio huic fermè aduerſa ſic habet: *Rex, qui ſedet in ſolio ſuo.* Rex nimirum, qui nõ vagatur per regnum, ſed in Regia ac throno ſuo ſemper aſſidet, iudicia inde exercens, & cauſas dirimens, *Diſſipat omne malum intuitu ſuo.* i. omnia inde videt mala, nihil enim mali rempublicam infeſtat, quod ad ipſum non deferatur, & oculis eius non ſubiiciatur, ipſe verò inde graſſantem perniciem compeſcit. Itaque iuxta hanc expoſitionem ſuadet Salomon Regi, ne hac illac diſcurrat, vt mala reipublicæ oculis ſuis obeat, hic. n. labor fruſtra impenditur: ad ipſum. n. in curia, & throno ſuo præſidentem vniuerſa mala miniſtri renunciabunt. Præfatus Ægidius haud ineptè, *Regem communem totius reipublicæ ſenſum* appellauit, qui ſanè nihil aliud ſibi voluit, quàm ſubditos ad vnam Principis ſentẽtiam ſeſe effingere debere, ita vt in tota republica vnus tantummodo ſenſus, & vna mens vigeat, ſed tamen ſi dictum illius ſapientis amplius ex licentia quadam extendamus, poteſt vtique alia de cauſa communis ſuæ reipublicæ ſenſus appellari Rex. Ariſtoteles. n. præter quinque externos ſenſus ſenſum alium internum, quem communem appellat, in animantibus eſſe dixit, atque illum in capite locauit. Huius autem munus, inquit, non eſt aliud, quàm omnes ſenſuum externorum notitias in ſe colligere, atque inter res ab illis cognitas diiudicare & diſcernere. Nihil. n. ab externo quolibet ſenſu concipitur, quod non ſtatim interiori renunciet. Internus autem ſenſus ab externis edoctus inter eorum obiecta iudicium fert. Rex igitur huic interno, ſeu cõmuni ſenſui, mea quidem ſententia, perquam aſſimilis eſſe debet, cùm reipublicæ ſuæ ſedulus præeſt. Quemadmodũ. n. communis ſenſus in capite ſitus eſt, ita etiam Rex in præcipua ac frequentiſſima totius regni vrbe, quæ caput ac Metropolis aliarum ſit, curiam, ac ſedem figere debet, vt ad illum reliqui omnes magiſtratus, velut externi quidam ſenſus, omnia, quæ alibi gentiũ geruntur, ocyus referant. ipſe verò de omnibus edoctus, de ſingulis decernere, de vniuerſali adminiſtratione iudicium ferre, & malis graſſantibus ſuccurrere poſſit. Sic accipi poteſt Salomonis ſententia, *Rex qui ſedet in ſolio iudicij.* i. qui non paſſim oberrat, ſed in metropoli iudicij ſui ſolium figit, *Diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Inde. n. omnia ille mala contueri, & agnita remouere & depellere poteſt.

Cæterùm, tertia Interpretatio mihi magis probatur, *Rex qui ſedet in ſolio iudicij, &c.* Suadet Salomon 20. Regi ne iudicia, & publicam adminiſtrationem aliis magiſtratibus prorſus cõmittat, ſed vti per ſe gubernationi interſit, ſolio inſideat, & quoad fieri poſſit cauſas agnoſcat, ac iudicet. Nã Princeps qui ea ratione publicæ rei præeſt, *Diſſipat omne malũ intuitu ſuo*, vel,

vel, *oculis suis*.i.prohibet omnia mala à regno suo, tū quia Rex liberiùs in sontes sententiam dicit, tū etiam quia omnes à perpetrandis sceleribus abstinent, ne fortè isthæc Principi nota fiant. Et quidem Regis oculi ad improbos & improbitatem coërcēdam plurimum valent. Primò quia, vt ait Plutarchus in Moral. aliorum magistratuum oculos gratia, fauor, aut dona nonnumquam perstringunt, & excæcant, iuxta illud, *Munera excæcant oculos iudicum.* at Regū oculi ab his omnibus liberi, ac puri esse consueuerunt. Deinde quia oculi Regum maximè terrifici, adeò vt Regis seueri, & minaces oculi, reos perimere nonnumquam soleant, (non pauci enim breuissimo tempore interierunt ex eo quod à Regibus sæuiori aut atrociori vultu conspecti sunt. Vnde non ineptè Regem cum Basilisco, aut Regulo plerique componēdum dicunt, quem aiunt sæpius oculis suis necē dare.) Denique quia acres magis sunt ad videndum Regum oculi, non solùm quia cùm ex editissimo loco adspiciant, hoc est, ex supremæ dignitatis fastigio, & solio liberiùs & clariùs cuncta vident, sed etiam quia maiori acie polleant. Nam cùm superiorū oculos lux, atque notitia à Deo inspirata & immissa, ad gubernandum & iudicandum acuere soleat: hanc certè lucem Deus clariorem & vberiorem Regibus adspirare & afflare solet, quàm priuatis. Atque hæc certè potissima causa est propter quam Reges per semetipsos, quoad fieri potest, respublicas gerere debent, ne illas hoc tam vtili auxilio lucis à Deo inspiratæ defraudent. Lege D.Thom. in opus de Regimine Princip. lib. 3. cap. 2. vbi non paucis declarat qua ratione Regum oculi maiori lumine collustrentur, quàm priuatorum hominum, exemplo Angelorum supremi ordinis, quorum aciem amplior, & vberior lux perfundit, quàm inferiorum.

31. Rursus legendus etiam D.Thom. in cap. 3. vbi huius luminis vim expendit, & qua ratione à Rege in subditos transeat, aptè explicat. Accommodat autem huic rei tres motus, quos D. Dionysius de Cœlesti Hierarchia Angelis dedit, rectum, obliquum, & circularem, atque illos ex Dei irradiatione prouenire dicit. Itaque sic ait D. Thom. *Irradiationis itā dictæ ad bonum regimen necessaria & in Principe, & in subditis motū circularem cognoscimus, rectum, & obliquum. Motus rectus ideò dicitur, quia fit per diuinam illuminationem super Principe ad benè regendum, & à Principe in populum meritis Principis. Sed obliquus, est quando per diuinam illuminationem sic subditos regit, quod virtuosè ipsi viuunt, & insurgit in eis diuina laus, & gratiarum actio, vt sit quasi quædam arcualis figura ex chorda recta, & arcu obliquo. Sed circularis motus diuinorum radiorū dicitur, quando diuina illuminatio irradiat Principem, & à Principe subditum, ex qua quidem eleuatur ad Deum contemplandum, & diligendum: qui ideo circularis motus vocatur, quia est ab eodem in idem: nam à Deo in Principem, ab hoc in subditos, ab his ad Deum reditur.* Hactenus D. Thom. Tantò igitur illustrati lumine Principum oculi, certiùs cuncta vident & de rebus omnibus meliùs decernunt. Denique Regum oculi vigiles magis sunt quàm priuatorum: nam cùm homines curæ excitare soleant, alienæ vtique curæ vigiles, propriæ verò insomnes reddunt. Alij magistratus alienam curam in se suscipiunt, Rex verò propriam gerit. Huc spectat vulgata illa Homeri sententia Iliade 2.

Non decet noctem integram dormire Principem virū,
Cui populi commissi, & tanta res curæ sunt.

Cùm ergo Principum oculi tot nominibus præstēt, operæ pretium est vt ipsi per se res inspiciant, causas cognoscant, in omnem publicam administrationem intenti sint, vt mala omnia à subditis suis prohibeant.

Eapropter Basilius Imperator inter capita illa quæ dictauit Leoni filio sic præcipit. *Obstringe te huic necessitati vt omnia tibi oculis inspicienda esse ducas, & nihil inspectum prætermittas. Quippè Imperator cùm sis in terris neminem superiorem habes qui te cogere valeat, sed Regem habes eū, qui dominatur in cœlis, cui sicut omnia curæ sunt, vt Deo necesse est, & tibi curæ esse, vt Regi. Nihil ergo per socordiam neglectum prætereas, cùm te scias esse sub Deo: quemadmodum.n.ea, quæ à te diligenter inspecta administrantur multum emolumenti capiūt, ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur, in magnam perniciem labuntur*, hæc ille. Qui inter alia suadet filio Deum imitari, qui ita omnia curat, vt nihil non ipse inspiciat; nihil etiam causis secundis gerendum committit, quod non ipse etiam simul gerat. Huc spectat etiam illud Diotogenis Pythagorici, apud Stobæum 46. de Regno. *Atqui iudicare, & cui suum singulis distribuere proprium opus est Regis, qui ceu Deus quidam in mundo est.*

Ad extremum locum istum Christo accommodāt Beda, Hugo, Salonius, Dionys. & alij. Christo, inquā, in extremo iudicio sententiam aduersus improbos ferenti, atque eos minaci vultu deterrenti. August. verò in lib. de correptione & gratia, de Christo etiam edisserit, qui modo ad patris sui dexteram sedens velut è solio quodam inde omnia mala intuitu suo cernit, etiam quæ hominum aspectum & oculos fugiunt. Cúmque ei placet ab oculis suis gratiæ radicem in animum librare, mox ex corde hominis dissipat, dispergitque omne malum.

9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum; purus sum à peccato?*

32. QVis potest dicere, &c. Hebræa ad verbum. *Quis dicet, mundaui cor meum, mundus sum à peccato meo?* Vel, *purgaui à peccato meo.* Chald. concinit cum nostra Septuag. *Quis gloriatur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis?* Sic legit D. August. de Sanct. Virg. cap. 48. sed D. Hieronymus contra Pelag. *Quis confidet, &c.* Symmach. verò integram sententiam sic extulit. *Quis dicet, mundaui cor meum, purus sum à peccato meo?*

Caietanus iuxta lectionem illam Hebraïcam. *Quis dicet, mundaui cor meum, &c.* de gratiæ necessitate exponit, quasi dicat, nemini vmquam id affirmare integrum fuit. *Egomet viribus meis cor meum expurgaui*, & illud à peccati sordibus purum reddidi, id quippè solius diuinæ gratiæ opus est.

D. Hieronym. contra Pelag. circa initium, huius loci sententiam eò deriuat, vt significet nullum esse, qui alicuius peccati sorde cor suum non inficiat, ita vt hæc sententia similis sit illi Ecclesiastici 7. *Non est homo iustus super terram qui faciat bonum, & non peccet.* Vtraque interpretatio vera est, & in verba ipsa apprimè cadit.

Sunt alij, qui verba illa expendentes. *Quis potest dicere*, his verbis innui volunt nemini satis compertum esse, vtrum omnium criminum labes eluerit, & in gratia Dei sit: ad hunc modum exponit Beda, Iansen. Rodolphus, & alij. Quæ sententia plura hæreticorum nostri temporis dogmata profligat, qui non aliter hominem à culpis omnibus emundari aiunt, quàm si semetipsum certo certiùs iustum esse credat. Cæterùm huic expositioni non admodum fidit noster Vasquez 1.2. disp. 200. c. 4. Quia licet hęc sententia de munditia ab omni mortifera, & capitali culpa accipi possit; tamen verba illa. *Quis dicet, &c.* non sic exponenda. *Quis id certo affirmauit.* Sed, *quis gloriabundus id prædicauit.* Itaque non tam hîc à Salomone

mone taxatur affirmatio, & affeueratio illius dicti, quàm inanis iactantia, & gloriatio, atque in hanc sétentiam benignè allicit Bedam, qui posteaquã dixit locum de culpis etiam grauioribus intelligendum, statim subdit. *Nec tamen se ipsum quisquam mundum corde absque temeritate pronunciet, stulta est namque, propria laudis iactantia, temerarium de sua quemque innocentia, vel iustitia gloriari.* Quibus verbis nõ meram affirmationem, sed ostentationem arcet. Adstipulantur Sept. qui sic vertunt? *Quis gloriabitur, &c.* Libens ergo assentior præceptori, atque ex hoc loco nihil satis robustum ad contraria dogmata euertenda produci posse arbitror, suppetunt. n. alia robustiora scripturæ testimonia, quibus Catholica sententia robustiùs fulcitur.

33. Augustin. D. August. loco citato de munditia ab omni sorde etiam veniali, & leuiori, verba ista edisserit, quasi dicat. Nemo quidem hoc sibi sumere, & arrogare audebit se nimirum ab omni crimine liberum esse: omnibus. n. illud dicere demandatum fuit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* sic August. ab Hieronymo non discedens: sed tamen cùm ibi de Virginitate sermonẽ habeat August. existimo illum non de munditie in vniuersum ab omni culpa, sed speciatim de puritate Castitatis loqui. Ita vt sensus sit. *Quis gloriabitur castum se habere cor?* j. Non pauci fortasse id sibi arrogare poterunt, quod ab omni labe turpitudinis corpus defẽderint: sed qui nõ corpus solùm, sed etiam cor ab omni prorsus macula libidinis vindicauerit, nullus certè, aut vix aliquis erit. Quis. n. ille, cuius mentem aliqua libidinis illecebra non attigerit? cuius animum aliqua, vel leuis turpitudo ex inconsiderantia, vel surreptione non incesserit? nec incesserit solùm, sed etiam infecerit? Ideo. n. subdit, *Aut quis gloriabitur mũdũ se esse a peccato?* Itaque prior pars ad turpes cogitationes pertinet, quas nullus ferme non experitur, posterior ad culpas leuiores ex libidine admissas, quibus viri etiã insigni pietate præditi, aliquando sese obstringunt. Sed quid inde? Hoc sanè Deo quidem prouidente fit, ne Virgines, haud inaniter superbiant, sed magis humilitatem & demissionem animi sui insinuent. Huc spectat illud. *Quis gloriabitur castum se habere cor? &c.* quasi dicat, cùm nemini liceat id sibi arrogare, quod nullæ libidinosæ cogitationes mentem eius incesserint, nec vllæ turpitudinis maculæ conscientiam affecerint, vnde fastus & tumor? Cùm potius hoc humilitatem parere debeat. Et quidem hanc sese demittendi rationem præscribit Virginibus D. Aug. in toto illo, atque sequenti cap.

34. Quod si legas, *Quis dicit, aut quis iactabit, mundaui cor meũ? &c.* tunc quidem sensus erit. Quis id iactare audebit, castitatem, aut virginitatem egomet mihi peperi, cum constet hanc Dei optimi maximi donum esse, iuxta illud, *Nemo potest esse cõtinens, nisi Deus det;* nimirum quia ob validissimam tẽtationum vim, ipsa, præ cæteris virtutibus, auxilio Dei speciali indiget. Vnde August. Virgines affatus sic addit in eo lib. cap. 41. *Hæc prima sit induenda humilitatis cogitatio, ea se sibi putet, Dei Virgo, esse, quod talis est, ac non potiùs hoc donum optimum desuper descendere à patre luminũ. Ita. n. ipse de continentia loquens Apostolus appellauit, cùm dixit, Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet a Deo.* Itaq; Salomõ his verbis superbiam, & fastum à Virginibus arcere volens duas sese per veram humilitatẽ demittẽdi optimas rationes offert. Hæ sunt, cogitationũ impuritas, leuioresque maculæ, nec non illa persuasio, quod castitas inter alias virtutes Dei donum est. Et quidem Virginibus & castis humilitatis incitamenta præsto esse debent, quia maximum illis semper ex su-

A perbia exitium impendit. Audi Aug. cap. 41. *Quod bonum quanto magnum video, tanto ei ne pereat futuram superbiam pertimesco. Custos ergo Virginitatis, Charitas, locus autem huius custodis, Humilitas, &c.* Lege ibi plurima.

10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile apud Deum.*

Pondus, &c. Hebr. *Lapis, & lapis, ephi & ephi abominatio Domini.* Lapis vtique pro pondere, non quia ex lapide olim põdera fierent, vt supra animaduerti cap. 6. ad illa verba, *Pondus & statera iudi-* 35.
B *cia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi,* id. n. rectæ administrationi aduersatur, adeò vt ab omnibus ferme rebus publicis lege cautum sit, neu põdera ex lapide fiant, quia lapis vsu exteri, & imminui solet, sed ex ferro, aut ære. Lapis ergo ab Hebræis dicitur quodlibet pondus, siue ex ferro, siue ex ære, siue ex alio solidiori metallo constet, quia Hebræos quamcumque auri, argenti, plumbi, vel alterius metalli solidam massam nec dum elaboratam, lapidẽ appellare solitos nemo ignorat. Chald. concinit cum nostra. Septuag. sic habent. *Pondus magnum, & pusillum, & mensura duplices immundæ sunt apud Dominũ.*

Huius loci sententia perspicua est. *Pondus, & pondus, &c.* Sept. vim huius clausulæ expresserunt. Pon-
C dus magnum & pusillum, magnum scilicet ad res accipiendas: pusillum verò ad easdem tradendas. Mensuræ item duplices, maiores scilicet, ac minores, eodẽ nomine Deo admodum inuisæ sunt. Hanc expositionem tradidit D. Gregor. hom. 4. in Ezech. & moribus Gregor. eleganter accommodauit. *Pondus, & pondus, &c. Scimus quia in negociatorum duplici pondere aliud maius, aliud minus est: nam aliud pondus habent, ad quod pensant sibi, & aliud pondus, ad quod pensant proximo: ad dandum quidem pondera leuiora, ad accipiendum verò grauia praparant. Omnis itaque homo qui aliter pensat ea, quæ sunt proximi, & aliter ea, quæ sua sunt, pondus & pondus habet. Vtrumque ergo abominabile est apud Deũ: quia si sic proximum, vt se diligeret, hunc ex bonis sicut*
D *se amaret: & si sic se, sicut proximum adspiceret, se in malis, sicut proxima iudicaret.* Sed tamen ad hanc sententiam illustrandam transferre oportet ea, quæ supra diximus c. 11. vers. 1. & c. 16. vers. 11. vbi sat multa dedimus de hoc argumento. Subdit Salomon.

11. *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda, & recta sint opera eius.*

Ex studiis suis, &c. Hebr. *Etiam in studiis suis cognoscetur puer, vtrum mundum, & vtrum rectum opus eius.* Pagninus. *Etiam in operibus suis cognoscetur puer.* In primitiuis est מעללין *Meghalalau,* ex radice 36.
E עלל *Ghalal,* duplicante secũdam, quæ significat *agere, moliri,* aut *conari*: itaque vox illa *conatum* propriè significat, noster optimè studia conuertit, non ita benè, qui *opera* simpliciter reddunt. Septuag. *In adinuẽtionibus suis compeditur adolescens cum sancto, & recta via eius.* Sanè illo verbo, *agnoscitur,* vel *intelligitur,* subest radix נכר *Nachar,* quæ significat quidẽ *agnoscere,* vel *intelligere.* Sed putant Hebræi eam radicem trahi ex verbo כרה *Charah.* j. *fodere:* itaque propria, & germana illius vis est, velut ex perfossione aliquid eruere, quod prius occultum erat; significat etiam *occultare,* aut *claudere,* ita vt perinde sit ac *defodere.* Hinc nata altera translatio Rabbi Ioseph, nostræ lectioni prorsus aduersa, *In studiis suis occultus erit puer, &c.* Rursus verbum *Nachar,* significat *alienare,* vel,

alienum se præstare, ex qua significatione lux parabitur translationi Septuag. de qua postea. Fluxit etiam inde alia Rabbi Himanuël ad hunc modum, *In operibus suis alienum se exhibet puer*,

37. Ergo Rabbi Ioseph locum istum, & propriam lectionem sic ediderit. *In studiis suis occultus erit puer, si recta, & munda sint opera eius.* Nimirum sæpiùs puer paruulus non talis agnoscitur, quia pueritiam occultat, dissimulatque suam, tunc scilicet, cùm recta, munda, & viro digna opera gerit, adeò vt in pueritia senectam quandam maturam adumbrare videatur, iuxta illud, *Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*. Hæc sanè extrema verba, *Vita immaculata*, respondent illis, *Si recta, & munda sint opera eius, &c.*

38. Rabbi Himanuël alteram illam lectionem, *In operibus suis alienum se exhibet puer, &c.* his ferme verbis exponit. Quanquam vt plurimi agnoscuntur pueri in tenera ætate, quales futuri sunt in senectute, interdum tamen inuenias illos ostendere in pueritia oppositum illius, quod futuri sunt, atque adeò ex pueritia non licet statuere, an postmodum rectam, & immaculatam vitam acturi sint. Sunt. n. inquit, non pauci qui in pueritia videntur bonæ indolis, solertes ingenio, & cor senile gerere, sed non respondent vltima primis: alij contra, &c. Itaque illa verba, *Alienũ se exhibet puer*, sic accipit Himanuël. j. pueritiæ studia & exercitationes nonnunquam diffident, & alienæ sunt ab studiis posterioris ætatis. Cæterùm mea quidem sententia longè meliùs, & cohærentiùs cum sequenti clausula diceret, *In studiis suis alienum se exhibet puer, si recta, & munda sint opera eius*. j. si puer rectè & immaculatè se gerat, & iam inde à pueritia studia ad honestatem prona ostendere videatur, alienum profectò se exhibet ab illa ætate, hoc est, rem præstat ab ea ætate prorsus alienam, & remotam, nihilo. n. minus ab ea ætate discrepat, distatque morum maturitas, quàm ipsamet senectus à pueritia. Sed tamen, cùm hi à Vulgata lectione longiùs abeant, audiendi non sunt.

Hæc ergo satis apertam sententiam claudit ad hũc modum. *In studiis suis intelligitur puer*. j. si puerum attentiùs spectes iam inde à tenera ætate quædam in illo futuræ vitæ semina spectare licebit. Nam studia, & conatus illius ætatis innuũt satis quales olim, cùm ad prouectam ætatem venerint, futuri sint. *Si munda, & recta sint opera eius.* Duplex vtique sensus, nimirũ an futura sint deinceps succedente ætate munda, & recta opera eius, iam tunc præmonstrant. Vel, ita vt hoc indicij loco ponatur, si videlicet iam tunc in pueritia mundæ, & rectæ sint actiones eius ad futuræ vitæ præsagium. Ego autem posteriorem sensum præfero. Aliquando certè sanè ex quibusdam non bonis puerorum studiis non malam in posterũ vitam sperare licet, audi Plutarchum. *Vt multa agrestia subnascentia in agro, mala quidem ipsa sunt, sed tamen signa fœlicis atque vberis soli: sic etiam in puero animi quidam affectus per se mali, arguunt ingenium nõ malum, si accidat recta institutio.* Cæterùm isthæc bona spes, quæ ex non bonis puero studiis aliquando accidit, dubia satis, atque anceps est. illa certior, ac constantior spes, quæ ex bonis & honestis puerorum conatibus capitur, *Si munda, & recta sint opera eius.* Huc spectat illud Tullian. pro Cœlio. *Non loquor*, inquit, *de sapientia, quæ non cadit in hanc ætatem, de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mẽtis ad gloriam, quæ studia in his iam ætatibus nostris cõtractiora esse debent, in adolescentibus verò tamquam in herbis, significant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges industria sint futuræ.* Est igitur in pueris permagnifaciẽdum bonæ indolis specimen. Qualenã? Prius

Plutarc.

Cicero.

A quidem, *Si munda opera sint*, hoc est, si casta, & pudica. Nullum. n. posterioris vitæ benè agendæ omen certius quàm casti, & pudici puerorum mores. Ratio autem est in promptu, quia libido omnia virtutũ semina æstu suo adurit, & probitatis radices excoquit, atque adeò de puero intemperante nihil vnquã boni fructus aut maturæ frugis sperare licet. Huc spectat illa Tullij vulgò trita sentẽtia. *Libidinosa, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti*. j. sterile & nullius frugis. Posterius bonæ indolis specimen est, *Si recta sint opera eius*. Heb. ישר quæ vox non solum æquum, & rectum significat, sed etiã placidum, & suaue. Et quidem ita reor in hoc loco *Iasar*, ad posteriorem significationem pertinere, ita vt sensus sit. *Si rectum opus eius* (sic. n. habent Origines.) i.
B si placidi ac dociles mores, non rigidi & proterui Nã rigidi & indociles pueri nihil etiam bonæ frugis in posterum pollicentur. Mihi quidem ita videtur teneram illam ætatem in flore esse, vt igitur flos ille succedente senecta maturos prudentiæ fructus reddat, libidinis æstus & morum indocilium rigor abesse debet, hæc. n. duo tamquam calor, vel frigus, per vices plurimum illum florem adurere solent. Et quidem Roterodamus, non bonus autor, sed benè de vana libidine in similitudinibus sic fatur. *Arbores quædam benè florent, verumtamen nullum afferunt fructum: ita quorundam puerorum ingenia magnam vitæ frugẽ pollicentur, sed succedente libidine falluunt expectationem*
C *omnium*. Idem verò de indocili, & rigido ingenio affirmare licet. Libido. n. calore suo, indocilitas verò rigore ac frigore primum illum iuuentæ florem adurit, atque adeò omnis futuræ frugis spes extinguitur.

Roterodam.

Sed tamen expendenda est vox originalis quæ subest illi verbo, *intelligitur*, quæ vt supra obseruaui, perinde est, ac *effoditur*, seu fodiendo inuenitur, quia metaphorica cùm sit, latentem similitudinem eruere iubet. Ego igitur similitudinem ab his ductam dicerem, qui venas auri & argenti in terris penitus abditas quibusdam externis indicationibus, signisve inducti effodiunt; vel etiam ab his, qui aquæ venas inquirunt, & indiciis etiam quibusdam edocti alicubi fossam ducunt. Itaque sensus erit, *In studiis suis intel-* 39.
D *ligitur, vel effoditur puer*. j. Quemadmodum certa quædam indicia sunt apud homines, quæ suadent auri, argenti, aut etiam aquæ venam alicubi latere, atque adeò terram effodere, & fossas magnis sumptibus agere: ita etiam studia, nimirum affectiones, aut propensiones puerorum exteriùs indicant, an nobilis ingenij, aut prudentiæ vena in ipsis delitescat, quam perscrutari, effodere, & elaborare oporteat. Itaque Salomon, ni fallor, parentes admonet, vti priusquam filios suis præceptoribus tradant, atque in eos erudiendos sumptus impendant, eorum indolem, & ingenium explorent, ne operas & sumptus perdant, similes his, qui nullis, aut fallacibus indiciis persuasi, auri, vel argenti venas maximis quidem expensis,
E nullo autem vsu aut emolumento altissimè effodere vellent. Cum autem subdit Salomon, *Si munda, & recta sint opera eius*, præcipua indicia adnotat, quæ de puero magnum aliquod sperare iubent. Alterum est, castitas & pudicitia, vt supra notaui, *Si munda sint opera eius*. Et quidem Georg. Agricola de re metallica lib. 1. ita docet, montem auri vel argenti venam penitus includentem non hebescere, nec virentia gramina afferre, sed sterilem, atque infecundam esse. Non aliud sanè aureæ indolis in puero latentis indicium & omen, quàm sterilitas, castitatem dico & pudicitiam, quæ prorsus infœcunda est, & luxuriantem carnis viriditatem exscindit. Alterum indicium, quod suadet plurimũ pueri ingenium effodere, hoc est disciplinis bonis excolere, docilitas est, & morum

& morum suauitas,id.n.sibi volunt illa verba, *Si recta sint opera eius*, vt nuper animaduerti. Prædictus igitur Georgius loco citato,illud venam aliquam effodere volenti cum primis cauendum esse dicit, ne duris vndequaque silicibus, aut saxis obducta sit, *Quia tunc*,inquit, *lucrum expensas non attingit*, indocilitas vtique ac rigor mentis in puero silex est, aut saxum indomabile,quapropter quicumque illud effodere & prærumpere velit,frustra insudabit,pluraque expendet, quàm parabit.

40. Ad extremum translationem Septuag. versare libet. *In adinuentionibus suis compeditur adolescens cum sancto,& recta via eius.* Regia & Complut.habet,*impeditur*,quæ verba ad sensum Vulgatæ lectionis allici non possunt. Sic autem interpretor. Si adolescens sua ipsius cōsilia & studia sequatur, aut de recto viuendi tramite omnino decedit, aut saltem vlterius non progreditur: si verò sanctum aliquem,& pium virum sectetur,rectam semper tenebit viam. Itaque iuxta hanc lectionem docet Salomon in adolescentibus non satis cōsilij,& rationis vigere, vt ex arbitrio suo res agant,sed consiliariis probis ac piis opus habere ad agendum. Cùm autem dicit,*impeditur*, significat adolescentem, qui consilio & arbitrio suo aliquid agendum susceperit, non posse illud ad exitum perducere,sed difficultatibus obuiam procedentibus impediri,& retro compelli. Pergo ad alia.

---

12. *Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit vtrumque.*

41. AVrem,&c. Hebr. *Dominus fecit etiam ambo ipsa.* Sept. *Auris audit,& oculus videt, Dominus fecit & vtraque.* Chald.cohæret cum nostra lectione.

Non vno modo locum istum versant interpretes: omnes autem putant hanc veluti maiorem propositionem à Salomone præscriptam, vt inde deducatur vtilis aliqua consequentia ad mores spectans, quam ipse data opera subiicit. Alij ergo sic inferunt, *Aurē audientem,&c.* Dominus quidem aurem & oculū fecit,ergo à fortiori,ipse & auribus,& oculis præditus est,quibus omnia audit & videt. Quo argumēto vsus est Dauid Psal.95. *Qui plantauit aurem nō audiet? & qui finxit oculum non considerat?* Fieri non potest, vt istorum sensuum artifex, non ipse etiam longè præstantiores,& acutiores habeat,quibus omnia vel audiat,vel aspiciat.

Secundò, alij ad hunc modum illationem conficiunt ex illo antecedenti. *Dominus quidem* aurem formauit,& oculū effinxit,non ergo effinxit solùm hæc organa,sed eorum etiam vsum ipse temperat, ac regit: Nam eiusdem est instrumentum aliquod efformare,illudque temperare,& ad vtilem vsum aptare. Nil certius. Hoc argumento vsus est Deus Moysem affatus,Exod.4. Nam cùm Moyses obiecisset se ineptum ad loquendum,occurrit Deus. *Quis fecit os hominis? & quis fabricatus est mutum,& surdum,videntē, & cæcum?* quasi diceret.Cùm eiusdē sit effingere os, & illud ad aptè loquendū temperare,quid hæresi?&c.

42. Tertiò,etiam nonnulli aliter consequutionem deriuant. Deus vtique aurem,& oculum effinxit, non ergo licet his abuti. Nam quidquid Deus fecit,bonū ad vsum præstitit.Quasi dicat,nemo oculis,vel auribus abutens, causetur hæc organa à Deo sibi indita: quidquid.n. Deus fecit,bonis & honestis vsibus accōmodauit;homo autē libertate sua in prauos detorquet.Quod autē Deus oculos,aures,& alia membra bonis tantum vsibus aptauerit,eruditè probat Chrysost.hom.22.in primam ad Corinth. *Ad probitatem,* inquit,*sumus aptiores,quàm ad vitium:quatenus virtus*

Chrysost.

A *quidem est quodam modo secundum naturam, & præter naturam vitium:sicut etiam ægrotare,& esse sanum.Nā, exempli gratia,oculos nobis dedit Deus,non vt impudicè aspiciamus, sed vt res ab eo creatas admirantes adoremus Creatorem.Quod autem hic sit proprius vsus oculorum,est perspicuum ex his,quæ videntur.Nam solis quidem,& cœli pulchritudinem liberam nobis fecit, vt vndecumque,& infinito aspiciamus interuallo. Mulieris autem pulchram formā vix è propinquo discernimus. Rursus aures fecit,non vt verba excipiamus impudica, maledica,& blasphema,sed vt dogmata salutaria. Propterea quidem certè quādo dissonum aliquid acceperint,torpescit animus,& ipsum corpus:Nam vt ait Ecclesiastes, Sermo periuri stare facit pilos. Et si crudele aliquid, &* B *immite audierimus, rursus horremus, si autem numerosum aliquid, humanum, & benignum acceperimus, & gestimus,& lætamur. Os quoque nostrum loquens turpia, efficit vt erubescamus, & ex pudore nos abscondamus: sin autem honesta, cum securitate, & omni libertate ea emittit:his autem, quæ sunt secundum naturā nemo erubuerit,sed his,quæ sunt præter naturam. Manus etiam quando rapiunt occultantur, & quærunt defensionem, si autem dederint eleemosynam etiam gloriantur.* Hactenus Chrysost.qui legendus etiam est hom.11.in Epistolam ad Romanos, vbi de hoc argumento multa etiam scrit,sed inter alia sic addit. *Si tam miles pro patria decertans,quàm sicarius contra domesticos armatur, non quidem armatura crimen hoc sustinebit,neque illius* C *artifex, sed is potiùs, qui illam in malum vsum conuertit. Idem de corpore nostro dicere possumus;etenim si alienam pulchritudinem curiosius perscrutatus fueris, tunc arma iniquitatis effectus est oculus; non quidem à propria efficientia:oculi. n. est videre,non impudicè videre, sed à iubentis cogitationis malitia; quod si illum retinueris, atque infrænaueris, tunc iustitiæ arma effectus est;eadem ratione,& in lingua & in manibus,& in reliquis aliis.*

Quarto etiam alij interpretes, (in his Beda, Hugo,Dionys.) putant hæc verba non ad externa oculorum,& aurium sensa,sed ad interna pertinere, hoc sensu. *Aurem audientem,&c.* Nemo scilicet ex eo efferri debet,quòd plura discit, aut plura mente com- D prehendit quàm alius:id.n. Deo potiùs adscribere debet,qui mentem ipsi indidit ad excipienda dogmata promptam, & ad rimanda mysteria acutam, & acrē. Itaque auris facultatem animi significat ad addiscēdum expeditam,oculus verò vim notat perscrutandi & speculandi. Vel aliter secundùm Bedam,comparatio fit inter auditorem,& doctorem, ita vt auris discipulum significet,oculus autem magistrum. Sensus autem sic instituitur, hæc sunt illius verba. *Aurem audientem dicit auditorem verbi obedientem, oculū videntem doctorem eruditum. Nemo ergo cùm se ad docendum viderit idoneum,despiciat simplicitatem fratris,qui & minus doctus ad prædicandum,non tamen minus prōptus est ad discendum, & ad implendum quæ didicit.* E *Imò recolat, quia qui sibi maiorem gratiam scientiæ dedit, ipse fratri ad excipiendam hanc scientiam aurē accommodabit, vt noueris se, non propter se tantummodo, sed propter fratris accommoda sapientiam nactum fuisse.* Itaque arguit illos, qui cùm sapientiam Deo donante adepti sint,quæ ipsi sapiunt aliis non tradunt, eo argumento.Quia qui oculum.i.doctorem speculandi peritum fecit,idem etiam aurem,hoc est auditorem promptum efficit, vnum videlicet propter alium,doctorem quidem propter discipulum, vt hic ex illius doctrina sapiat, discipulum item propter magistrum,ne hic otiosam & inutilem scientiam habeat,dum illam alteri non instillat.

43. Beda.

Sed licet hæc aptè dicta sint, nescio tamen an alia fuerit Salomonis mens,esto tu arbiter. Existimo. n. hæc

hæc verba cum superiori versu consuenda & innodanda Nam cum præmiserit Salomon ex primis studiis & conatibus pueri ingenium, & indolem deprehendi, an docilis ad audiendum, & acris ad speculandum sit; aptè quidem subdit. *Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit vtrumque*, quasi dicat, in his non intercedit consilium aut libertas, quod.n. quis ad audiendum sit docilis, & ad speculandum acris, pars naturæ est à Deo ipso creata, atque adeò in pueris etiam qui nondum consilij & rationis cōpotes sunt, non parum elucet, quod eleganter dixit Seneca in Epist. 96. *Vt dij immortales nullā didicere virtutem, cum omni editi, pars enim naturæ eorum est esse bonos, ita quidem ex hominibus egregiam ab ipsis inserti indolem, in ea, quæ tradi solent perueniunt sine longo magisterio, & honesta complectuntur, cùm primum audierint.* Quibus verbis docet bonam indolem naturæ ipsius partem esse, & hanc quidem à Deo inspirari, quæ ad faciliùs capessendas disciplinas, & optimas artes plurimum facit, & sine qua labor omnis & cura in eisdem parandis frustra impenditur. Non minus

Seneca. eleganter idem Senec. in lib. 4 de Benef. cap. 6. *Insita sunt nobis omnium ætatum omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia.* Vnde nō

Petrarch. malè Petrarcha Dialogo 81. de discipulo. *Omnes, qui sunt, & qui erunt, aut qui fuerunt doctrinis clari, nō possent vnum ingenium accendere, nisi aliquæ intus in animo scintillæ sint, quæ præceptoris spiritu excitatæ, & adiutæ generosum disciplinæ fomitem arripiant, alioqui algidum in cinerem nequidquam flabris, &c.*

---

13. *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat; aperi oculos tuos, & saturare panibus.*

44. NOli diligere, &c. Hebræa respondent omnino Vulgatis: cohæret etiam Chald. Sept. ab his omnibus longè abeunt. *Noli*, inquit, *diligere detrahere, ne extollaris, aperi oculos tuos, & implere panibus*, sic habet textus correctior. Quæ translatio desumpta est à S. Cypriano 3. testimoniorum, qui in plerisque codicibus sic legit, in quibusdam autem habet, *Ne eradiceris*. Regia & Complut. *Ne pereas*. Et quidē translationi Sept. ansam dedit vox שנה *Senah*, quæ si trahatur ex radice ישן *Iasan*. i. *dormiuit*, somnum significat: quod si referatur ad radicem שנה *Sanah*. i. *mutauit*, sonat vtique mutare, aut alterare. Septuag. verò legerunt *detrahere*, quia detractores ferè res commutant, hoc est, aliter referunt, quàm sunt. Et quidem solet hoc verbum ad sermonem etiam referri eo sensu, supra cap. 17. *Qui altero sermone repetit separat*, ad verbum. *Qui mutat in sermone, &c.*

Nostra ergo lectio facilem sensum offert. *Noli diligere somnum*. i. noli, inquam, te socordiæ & inertiæ addicere (hanc.n. nomine somni notat.) *Ne te egestas opprimat*: pendenda est energia verbi *opprimat*. i. ne super te ex improuiso recidat paupertas, ac inopinantem opprimat. Hebræa ad verbū *ne exhæres fias*, subest. n. verbum ירש *Iaras*, quod in Niphal significat exhæredari, bonis omnibus exui, & patrimonio priuari. Itaque sensus erit; Etiamsi magnam hæreditatē adieris, bonis omnibus decoctis, pauper eris. Subdit verò, *Aperi oculos tuos, & saturare panibus*. i. Euigila, insomnis esto, socordiam scilicet excute, & panis tibi suppetet ad saturitatem: nimirum rebus omnibus afflues, nam panis saturitas omnium fortunarum copiam sonat in scriptura. Exod. 16. *Comedent panem in saturitate*. Leuit. 26. *Comedetis panem vestrum in saturitate*. Ezechiel. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, &c. Superbia, saturitas panis, & abundantia.*

Exod. 16. Leuit. 26. Ezech. 16.

45. Aliqui exponunt locum istum spiritualiter de Eu-

A charistia. Beda verò sic scribit. *Noli diligere somnum peccati, & inertiæ, de quo Apostolus ait, Hora est iam nos de somno surgere, ne te si non benè vigilare nolueris, egestas opprimat in futuro, illa scilicet grauissima egestas, vbi nec stillam aquæ vnam sitiens inuenire queas, nec oleum extinctis lampadibus infundere. Aperi oculos tui cordis ad vigilias sanctas, & saturitatem tibi gaudiorum cælestium benè viuendo conquire.* Hæc ille. Beda.

De translatione Septuag. aliud est iudicium. *Noli diligere detrahere, ne extollaris.* Non scilicet per detractionem proximi tui famam, & bonam æstimationē lædere, ne illo depresso tu extollaris, & superbias. Est.n. solemne inuidiosis, & liuidis hominibus alios verbis suis de fastigio deponere, vt inde sibi super-
B cilium assumant. Itaque ait, nullum deprimas, ne hoc tibi extollentiæ, & arrogantiæ causa sit. Vel aliter, noli extolli & intumescere, ne per elationem alios deiicere studeas, vt sublimior appareas. Ita suadet D. August. ad Celant. *Nulli vnquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabiliorem videri velis: magis tuam vitam exornare disce, quàm alienam carpere.* August.

Adde etiam Hieronymum in Epistola ad Rust. *Vitium satis hominum est, & suam laudem quærentium, alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant. Et cùm suo merito placere non possint, placere volunt in comparatione malorum.* Sed obseruanda est vis verbi originalis, quod significat propriè *mutare, & inuertere verba*, innuit. n. detractores plerumque Hieronym.
C falsa dicere. Chrysost. hom. in Psal. 100 ad illa verba, *Detrahentem secreto proximo suo*, sic scribit. *Vox autem hæc, secreto, rei timiditatem, atque mendacium indicat. Nam si verum esset, quod obiicitur, in faciem obiurgare opera pretium esset, ac libera & aperta oratione pacem sancire. Sin autem clam id facis, proculdubio falsum crimen intendis, vt qui improbam opinionem aduersus proximum conflare velis, nec ea, quæ abs te obiiciuntur probare valeas. Quocirca optimum factu est, detractorem, tamquam mendacem, & furem, propellere.* Alij codices habent, *Ne eradiceris*, ne scilicet tamquam noxium gramen radicitus euaris, & quidem detractores cū carduis, spinis, aut zizaniis optimè conferuntur, quæ inter triticum subnascentes, illud crescere & attolli Chrysost.
D non sinunt. Ideò etiam vulgo dicuntur *Zizanadores*. Eò.n. præcipuè spectat detractorum cōsilium, & animus, ne probi & iusti homines extollantur, & eos operiant: sed ipsi contra aliis depressis velut zizaniæ caput exerant. Quocirca sicut agricolæ partes sunt zizaniam eradicare, vt triticum crescat: ita etiam ad Dei optimi maximi prouidentiam spectat improbos detractores radicitus extirpare, vt bonorum existimatio, & laus debitum sibi recipiat incrementum.

Sed tamen difficile est cum hac expositione prioris hemistichij posteriorem partem assuere. *Aperi oculos tuos, & implere panibus*, posset tamen aliquis sic 46.
comminisci. Verbum illud *detrahere*, non ad famam
E esse referendum, sed ad opes alienas, vt sensus sit, *Noli diligere detrahere, ne extollaris*, seu, *eleueris*, Græcè ἐξαρθῇς à verb. ἐξαιρέομαι, quod significat extollere & eleuare, aliquando etiam de medio auferre, vel in crucem agere, quia nimirum sontes acti in crucem suspenduntur, ac leuantur à terra. Ait ergo Salomon. Noli, inquam, opes alienas inuadere, & furto auferre, ne deprehensus capitis pœnas des, *ne scilicet extollaris, vel suspendaris*, id est, ne in crucem, aut suspendium agaris. Vel si locus sit alteri lectioni. *Ne eradiceris*, nimirum à terra viuentium, sublatus de medio. Quin potius, *Aperi oculos tuos, & saturare panibus*. i. euigila, inertiam, & somnum excute, & labore tuo victum quære; sic.n. fiet, vt diues, & copiosus sis tua industria.

14. *Malum*

14. *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor: & cùm receſſerit, tunc gloriabitur.*

47. MAlum eſt, &c. Hebr. ad verbum ſic habent. *Malum malum dicet emptor, & abiens ſibi, iactauit ſe.* Chal. *Socius ad ſocium dicit, quod emit, & tunc gloriatur, & prædicat.* Hanc lectionem peperit ambiguitas vocis, רע *Rangh*, quæ malum, atque ſocium ſonat. Abeſt hæc ſententia à textu Septuag. correctiori: habetur tamẽ in Complut, & Regio his verbis. *Malum malum dicit is, qui emit, &c.*

Sanè ipſa verba ſolemnem mercatoribus negotiadi morem ſignificant, qui aliquid mercis ab alio accepturi ſæpius id malùm, & inutile eſſe dicunt, & ſubinde multis reprehendunt, & calumniantur, vt viliùs emant: poſtquam autem mercem acceperũt, non ſolùm gaudent, ouantque, quia illam viliùs emerunt: ſed etiam eandem commendant extolluntque, vt cariùs vendant. Meminit huius aſtus mercatoribus familiaris Atheneus lib. 6. vbi coquum quendam inducit piſces vilis mercandi artem perdocentem, & ſic ad venditores aſſantem.

Athen.

Mormylus litoralis piſcis malus eſt, numquam bonus,
Amiam autumno mercare, nunc autem ver eſt.
Ceſtreum admirandum hyems, cùm acceſſerit, nunc autem ver eſt.

Et huiuſmodi alia ſubnectit, quibus piſcatores ſummotis licitatoribus aliis piſces viliùs diuendere coguntur. Sed tamen ipſa huius ſententię facies ſatis prodit non eſſe dignam vt reliquis insereretur, niſi aliquid nuclei ſub vaſto cortice incluſerit.

48. Salon. Salonius ergo hunc locum excutiens aliquid huius nuclei dedit his verbis: *Secundum literam ſolet emptor vituperare quod emere deſiderat, & dicere: Malum eſt, malum eſt, veruntamen ſi bene emerit gloriabitur cum receſſerit. Spiritualiter autem quomodo intelligis? Ille veraciter eſt emptor, qui ſibi in cælis æterna præmia comparare deſiderat, ipſe nimirum emere ſtudet terrenis cæleſtia, caducis manſura, temporalibus æterna. Talis ergo emptor quicquid patitur in præſenti, malum eſſe dicit: quia malum eſſe intelligit, hoc eſt laborioſum, & moleſtum. Attamen quia omnia aduerſa patienter ſuſtinet, cum receſſerit de mundo, tunc gloriabitur, quia perueniet ad beatitudinem.* Hæc ille. Huc ſpectat etiam gloſſa: *Qui æterna præmia deſiderat, malum eſt, malum eſt dicit, quia in præſenti debet ſuſtinere vt cùm receſſerit de mundo glorietur, perſpiciens quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Accinit etiam Hugo Cardinal. qui ad præmiſſa verba ſic fermè ſcribit, non tam ad laborum tolerantiam, quàm ad pænitentiam ſpectãs. Myſticè, inquit, exponitur de his, qui nummo pœnitentiæ merces emit cœleſtes, malum eſt dicit, id eſt, nimis carum, nimis moleſtum pœnitere; & cùm emptor, id eſt, pœnitens, receſſerit à foro pœnitentiæ in domum cæleſtis patriæ, tunc ſane gloriabitur, quia bonum forum habuit. Addit etiã merces cæleſtes non tam ideò caras videri, quia multis conſtent laboribus, quàm ex eo, quia nondum explicatæ ſunt. Quapropter in Trãſfiguratione, vbi harum mercium aliquid explicatum, & publicè expoſitum eſt, Petrus ſubiecit. *Faciamus hic tria tabernacula, &c.* Id verò obſeruatione dignũ, inquit Hugo, Petrus non petit ſibi ac ſociis tabernacula, ſed Chriſto, Moyſi, atque Heliæ. Nimirum vt ſe, atque ſocios mercatores gloriæ eſſe ſignificaret, illos autem venditores, hi enim ſuas in nundinis merces in tabernaculis exponere, & explicare conſueuerunt. De mercibus autem diaboli cõtrarium omnino iudicium ferendum eſt. Omnis enim qui eas comparat, bonum eſt inquit, dum emit, ſed cùm receſſerit è vita, tunc dolebit, &c.

Rodolphus verò, cui hærent alii recentiores, aſſerit Salomonem mercatorum exemplo ſuadere in vniuerſum, vti in diſciplinis, atque aliis rebus parandis laborum exitus, & metas, non initia ſpectemus: omnis enim, qui rem aliquam vtilem aggreditur, initio quidem laborem expertus, malam, atque moleſtam eſſe dicit, ſed tamen cùm eam denique ſibi peperit, tunc quidem recedens mirum in modum exultat, & geſtit. Cæterùm in eiuſmodi expoſitionibus hoc difficile eſt: quod ſi verba expendas, planè agnoſces Salomonem loqui de mercatore, & qui etiamſi mercis iuſtam æſtimationem probè norit, tamen ex quadam verſutia eas contemnit, & vituperat, vt venditor aliquid de pretio detrahat. itaque mercatore impoſturam facere volenti intelligenda eſſe hæc verba, atque adeo in malam potius, quàm bonam in partem accipienda videntur. 49.

Ita quidem accipit Ianſenius, qui ſententiam iſtam de illis enunciari exiſtimat qui aliena vituperãt, propria laudant. Adeo vt eaſdem omnino res, & actiones cùm apud alios vident audacter damnent, cùm verò in ſeipſos tranſlatas conſpiciunt, laudent, atque extollant. Quæ expoſitio mihi magis probatur, atque ad illam mercatoris comparationem præfatam ſic adapto. Qui ſuas res commẽdant, ex communi modo loquẽdi, eaſdem vendere, aut venditare vulgo dicuntur, adeò vt in tritas olim parœmias illa etiam circumferatur, *Merces ſuas vendere*, id eſt, res ſuas laudare: cui affine eſt illud Hiſpanicum, *Cada buhonero alabaſus aguias.* Ergo ſenſus erit. Ferè ita accidit, vt aliis res ſuas venditantibus, & oſtentantibus, auditores, velut aſtuti quidam emptores, non ſolum probent, ſed etiam verbis ſuis extenuent. Hi verò, qui ea ratione alienas res extenuant, ſi forte earũ aliquam adepti ſunt, non ſolùm apud ſe glorientur, & geſtiunt, ſed etiam illam ſimili modo venditare, & aliis commendare maximè adnituntur. Itaque his verbis Salomon improbam quorumdam hominum propenſionem ad ſuas res laudandas, alienas verò aſpernandas & extenuandas mercatorum exemplo damnat. 50.

Niſi quis velit Salomonem verſari in materia iuſtitiæ, & mercaturæ, atque negotiatores ipſos iniuſtitię inſimulare, qui ab imperitis venditoribus optimas quaſque res ementes, dum valorem & ęſtimationem rei valde extenuant, viliùs quidem emunt, quàm par eſt. Et ipſi rurſus aliis etiam ignauis, & inexpertis nullius pretij merces venundantes, dum earum valorem exaggerãt, cariùs longè vendunt, quàm ęquitas poſtulat, quod apud negotiatores valde improbum eſt, atque adeò illud carpere, & inſectari, Salomonis haud indigna ſententia eſt.

15. *Eſt aurum, & multitudo gemmarum; vas autem pretioſum labia ſcientiæ.*

EST aurum, &c. Hebr. concordant omnino cum vulgatis Septuag. verò ſic habent: *Eſt aurum, & multitudo in timorem, vas autem, &c.* Hanc tranſlationem peperit vox פנינים *Pheninim*, de qua alibi diximus, ex genuina ſua ſignificatione *intima*, notari, atque inde ad *margaritas* ſignificandas aſciſci, quia hæ ex intimis pelagi ſinibus trahuntur, &c. Aliàs verò eius vocis ſignificationes expoſui ſupra c. 3. verſ. 15. Chald. *Eſt aurum, & multitudo margaritarum bonarũ, vaſa autem pretioſa labia ſcientiæ.* In quibuſdam Vulgatis codicibus aufertur particula, *autem*, & ſubiicitur coniunctio *&*, hoc modo, *Et vas pretioſum, &c.* quam lectionem etiam capiunt Primitiua. 51.

Ergo posteriorem hanc lectionem sequutus Caietanus sic locum istum edisserit. *Est aurum, & multitudo gemmarum, & vas preciosum labia scientia*.i.omnibus his adsimilantur labia scientiæ; per huiusmodi autem scientiæ labia significatur vtique eloquentia doctoris cum scientia coniuncta. Primò *igitur aurum*, inquit Salomon, *sunt labia scientiæ*, & quidem aptè; quia eloquentissimis, & sapientissimis, doctorũ labiis aurum aliquando nomen dedit. Nam D. Ioannes Antiochenus ob eloquentiæ vim dictus *Chrysost*. i. os aureum, & D. Petrus Rauennas ob similem dicendi peritiam, appellatus est, *Chrysolog*.i.sermo aureus, & apud prophanos, *Dio* quoque dictus est Chrysost. & quidam aiunt Platonem id nominis priùs adeptum fuisse. Nominis autem ratio hæc est: quia quemadmodum aurum tanto in pretio habetur, vt nihil illius excidere, ac perire debeat, etiam ramenta, & minutissimæ particulæ: sed hæc omnia ad trutinam venire, & attentissimè expendi solent: sic etiam ex oratione doctoris, qui sapientiam cum eloquentia copulauit, nihil intercidere debet, sed verba singula attentissimæ cogitationis amussi expendenda & libranda sunt. Rursus D. Chrys. in serm. de Lazaro cùm idem argumentum, quod in superiori concione disceptauerat, iterum versare vellet, sic orsus est. *Etenim qui in metallis operantur, vbicumque viderint multas auri venas, illic fodiunt acrius, & tamdiu venas persequuntur, quoad omne, quod reperiri potuit, exhauserint: ita & nos idem argumentum identidem tractantes*, &c. Haud aliter de illis doctoribus dicendum est, qui ob insignem eloquentiæ & sapientiæ vim Chrysostomi, & Chrysologi nominantur, illos.n. sæpius adire, atque latentes eorum in ore mente auri venas assiduis interrogationibus effodere, atque eò vsque persequi oportet, quò auditoris captus, & ingenij acies scrutando peruenire potest. Ad hæc, quemadmodum amnes quidã auriferi sunt, hi scilicet, qui per loca fluunt aureas venas passim includẽtia, quas præterlabendo exterunt, & cum arena pariter vellunt: sic etiam ex quorumdam præceptorum ore oratio fluit aurifera, ex his nempe, quorum mens sapientiæ copiosas, & prædiuites venas alit, quas sermo exundãs lapsu suo diripit, & in vulgus spargit. Sed tamen sicut hi, qui ex amnibus aurum legunt, arenas multò labore excernunt, & auri particulas asseruant, ita etiam prudens auditor eloquentis doctoris verba excernere, & sententias animo retinere debet. Hæc de auro subdit Salomon.

Chrysost.

52. *Et multitudo gemmarum*. Hebr. *Margaritarũ*. Sententias ab eloquẽte doctore prolatas margaritas appositè dicit Salomon. Nam sicut hæ auribus appendi, sic etiam illæ auribus imprimi consueuerunt. Sed margaritæ istæ non sunt vtique profanis auribus committendæ (ait Nazianz.) ita enim Christus Dominus suasit cùm ait. *Nolite margaritas mittere ante porcos*. Cæterùm sicuti ad hunc locum obseruauit nouus interpres, cum ait Salomõ, *Et multitudo margaritarum*, aliquem maris sinum margaritis abundãtem notare videtur. Quod si quidem ita sit, bene dicendi difficultatem hac similitudine non parũ exaggerauit. Quia quemadmodum margaritas nõ passim in quibuscumque amnibus, sed in profundissimis pelagi sinibus reperire licet, neque maria etiam quælibet, quamuis profundissima, margaritas continent, sed vix pauca: sic etiam eloquenter simul ac sapienter dicere non est cuiusuis, sed profundissimi tantum ingenij, neque verò omnia profundissima ingenia eloquentiæ cum sapientia coniunctæ margaritas ferunt, sed ex multis pauca. Rursus auditorem ea similitudine docet, qua ratione sapientissimi doctoris optimas quasque sententias trahere debeat, vtpotè qui

Nazianz.

A Vrinatorem imitari oporteat, hoc est non in externis tantum vocibus hærere, sed ad profundissima præceptoris sui sensa peruadere, vt latentes penitus in mente eius sententias haurire, & exprimere possit. Subiicit Salomon.

Et vas preciosum labia scientia. Eloquens sermo doctoris cum vase precioso & eleganti aptè confertur; ex hac.n. similitudine non pauca præcepta tam doctori, quàm auditori vtilia excerpere licet. Aug. lib. 5. confess. cap. 6. hunc sermonem ornatum ab inelegãti & impolito sic distinguit. *Iam ergo abs te didicerã, nec ideo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur, nec ideo falsum, quia incompositè sonant signa labiorum. Rursus neque ideo verum, quia impolitè* B *enunciatur, nec ideo falsum, quia splendidus sermo est, sed perinde esse sapientiam & stultitiam, sicuti cibi vtiles, & inutiles, verbis autem ornatis, aut inornatis, sicut vasis vrbanis, aut rusticanis vtrosque cibos posse ministrari*, quibus verbis August. orationem ornatam cũ vase contulit vrbano, hoc est eleganti & splendido. Huc spectant etiam verba Plutarch in lib. de officio auditoris, vbi aduersus eos, qui ad audiendam orationem non inducuntur, nisi ornata sit, atque eloquens etiamsi vtilis, ac salutaris sit. *Porro* (inquit) *si quis ab exordio orationis nihil ad rerum dignitatem attentus Atticam eloquentiam requirat: ille nihil mihi distare videtur ab eo, qui antidotum liberè recusat, nisi in vase ex Attica veneris figlina adducto præbeatur*. Et C rursus, vt suadeat auditori priùs vtilia orationis documenta animo perhibere, ac tunc demum eiusdem ornatum, & veneres contemplari, sic addit. *Quemadmodum oratoris est non prorsus ad veneres orationis esse attentum, sed potissimum ad persuadendum: ita iuuenem decet, vt neglecto priori, ad posterius aliud totus incumbat, non aliter atque potatores faciunt, qui, sedata primũ siti, tunc demum pocula versant manu, & sculpturas admirantur*. Et quidem aptè verba ornata doctoris cum precioso vase aut cratere componi videntur. Sicut. n. crateris lauta pulchritudo bibendi voluptatẽ quodammodo immittit, eiusdem verò sordes tædium bibendi afferunt; ita etiam verborum ornatus & splendor ad perhibenda sanipra documenta in his con- D tenta excitat plurimum; eadem verò si sordida sint, atque humilis doctrinæ in his inclusæ, mirabile fastidium immittunt.

53. *August.* *Plutarch.*

Cæterùm licet præmissa expositio non sit inconcinna, tamen energia textus vulgati, ni fallor, aliter exponi debet. Ita.n. postulare videtur particula, *autẽ*, quæ aduersatiua cùm sit, posteriorẽ clausulam priori opponit. *Vas autem pretiosum labia scientia*. Iansenius ergo Vulgatæ lectioni hęrens sic locum exponit. Aurum certè, atque gemmæ magno in pretio sunt, sed præstat his labiorum eloquentium vas. Sed tamen nec dum vim huius sententiæ exhaurit. 54.

Ergo si quis diceret nomine vasis non craterẽ aut cyatum, sed in vniuersum quodcumque preciosum E ornamentum notari, haud ipsi aduersarer, apud Hebræos.n. nomen vas latiorem habet significationem, & quãlibet supellectilem, vel ornamentum notat, vt aliàs obseruauimus. Salomon igitur vt ostendat eloquentiam non tam in rerum dicendarum copia, quàm in modo, ordine, & accommodata totius orationis structura spectari, iuxta illud Marci Tullij, *Non tam copia, quàm modus in dicendo quærendus est*, sic addit. *Est aurum, & multitudo gemmarum*, nimirum auri solida massa est, & gemmæ etiam plurimæ in aceruum congestæ; sed tamen eloquentiæ cum sapientia coniunctæ pulcritudinem non attingunt. *Vas autem pretiosum labia scientia*. i. sermo eloquens simul, atque doctus, vasi aureo, & gẽmis inclusis pulcrè admodum distincto adsimilis est, siue craterem intelligas

Cicer.

intelligas affabrè elaboratũ, siue aliquod aliud ornamentum ex auro, & gemmis pulcrè conflatum. (id enim non curo.) Nam quemadmodum in eo vase non materies tantum pretiosa est, sed etiam forma, & structura; ita etiam eloquẽs oratio non tãtum doctis sententiis constat, sed etiam modo, & constructione eleganti. Luculentiùs dicam. Sicut auri massa antequam formam aliquam pulcrã excipiat, & gemmæ in aceruum coniectæ antequam suis locis includantur, sordent quodammodo & specie carent: ita etiam oratio, quæ structura caret, & sententiæ quæ suis locis opportunæ impressæ non sunt, splendorem non habent. Hanc sententiam simili alia comparatione colorum inducit August. lib. 4. de doctrina Christiana. *Nam vt colores, inquit, per se singuli non efficiunt pulcritudinem, sed suis locis mixti, & temperati, speciem & decorem reddunt, ita etiam in oratione contingit*, &c. — *August.*

16. *Tolle vestimentum eius, qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.*

55. TOlle vestimentum, &c. Hebr. extrema verba sic habẽt. *Et pro extraneis in pignus tolle illud*. Caiet. *Et pro extraneis pignora illud*. Chal. *Tolle vestimentũ ab eo, qui fideiussor stetit pro aliena & pro extraneo pignora illud*. Absũt hæc verba à textu correctiori. Septuag. tamen legere licet in codicib. Compl. & Regio adhunc modũ. *Tolle vestimẽtũ spondentis pro alieno, & pro aliena accipe pignus ab eo*. Sed tamen in scholiis ad trãslationem correctiorem ex vetusto codice Græco sic locus restituitur. *Tolle vestimentum eius, qui fideiussor extitit alieni, & pro extranea oppignorauit se*. Nec verò decipiat te genus fœmininũ, latet enim Hebraismus: nam cùm Heb. careant genere neutro, fœminina vsurpant pro neutris. Itaque illud pro *aliena*, vel pro *extranea*, perinde est, ac si dicat, pro *alieno*, pro *extraneo*, id est, pro aliena re.

56. *Deut. 24.* Imprimis illud obseruatione dignum est. Deuter. 24. sic caueri. *Sin autem pauper creditor fuerit, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi*, & infra. *Nec auferes pignoris loco vestimentum viduæ*. & rursus Exo. 22. *Si pignus à proximo tuo acceperis, vestimentum, ante solis occasum reddes ei: Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentũ carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat*. Ex his autem præceptis aliqua excipere licet notatu digna. Prima quidem, inde constat non in vniuersum præcipi à Deo ne pignoris loco vestimẽtum ab aliis ablatum diutius retineatur, nisi tantum cùm debitor pauper est, aut debitrix vidua. Lex enim, quæ Exod. 22. absolutè denunciata videtur, determinatur per eã, quæ lata est Deut. 24. Rursus inde colligitur, nomine, *vestimenti*, non corporis indumenta, sed lecti stramenta ad dormiendum notari, at verba ipsa præ se ferunt, in quibus de somno agitur. Aliqui etiam dicunt eam legem Exod. 22. de non retinendis pignoris loco lectulo, & stramentis à domo pauperis acceptis tantumdẽ locum habere in debitoribus, non autem in fideiussoribus, putant enim fideiussores ea immunitate propterea minimè donatos fuisse, ne homines temerè vades se offerant pro debitis. His præiactis,

57. Locum istum sic interpretari licet. *Tolle vestimenmentem eius, qui fideiussor extitit alieni*, &c. idest, lectuli ipsius, in quo dormit, totam supellectilem diripe. *Et pro extraneis aufert pignus ab eo*, idest, hanc supellectilem pro alienis debitis pignoris loco accipe ab illo. Expẽde verbum illud, *aufer*, præscindit enim reddendi spem, id est, pignus absque restitutionis onere A accipe: nam lex restituẽdi pignus ante solis occasum ad fideiussores non extenditur. Itaque sententia hæc aduersus eos pronunciatur, qui temerè fideiubẽt pro aliis, quos eleganter vellicat ac pungit Salomon, suadens ipsis creditoribus, vt vtantur iure suo, atque illorũ bona decipiant: Quasi dicat, qui rem hanc inconsideratè præstiterunt, talia vtique meritò perferant. Rursus appositè ad hanc sententiam suadet creditori, vt lecti stramenta ab illo auferat, *Tolle vestimentum*. ita enim decet, ne amplius dormiat, sed euigilet, & deinceps sibi consulat: nam qui temerè spondet pro alio, dormire in vtramuis aurem videtur. Ideo enim supra c. 6. suadens Salomon sponsori, vt ab sponsione sese vindicet quamprimùm possit, *Discurre*, inquit, B *festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ*, vide plura eo loco. Quod si cum aliis sentias, legem illam de non auferendis pignoris loco stramẽtis ac lecto, etiam ad fideiussores extendi, dicendum est Salomonem, id per quãdam exaggerationem creditori suadere, non quia ipsi id facere fas sit, sed quia sponsor ita mereatur. Quasi dicat, *Tolle vestimentum*, &c. idest, Accipe ab illo lecti stragula, nam etsi hoc facere lex prohibeat, tamen qui temerè spopondit, dignus est hac pœna.

Quidam putant Salomonem ad creditorem potiùs quàm ad sponsorem sermonem intendere, atque illum ad suas res diligenter recuperandas excitare, itavt cùm debitor soluendo non fuerit, fideiussorem C perurgeat, vsque dum ab illo lecti stragula pignoris loco accipiat, sic enim fiet, vt ille ocyus debitum pẽdat necessarium ad dormiendum supellectilem recuperaturus. Sed tamen priorem interpretationem antepono, nam eius sententia digna est, quæ ab Spiritu sancto præcipiatur. Hæc non si ita, non probo. 58.

Extrema verba alii sic restituunt, *Et pro extraneis pignora illud*, id est pignori da, quæ translatio hunc sẽsum reddere videtur, acceptum vestimentum apud alterum pignoris loco pone, & pecuniam ab illo recipe, ne si pignus retineas, sponsor autem recuperare nolit, vacet pecunia tua, displicet quoque hæc interpretatio.

Ex his qui spirituales sensus rimantur, alii locum D istum Prælatis, alij Christo tribuunt; & sanè in Christum aptissimè cadit, ab illo enim, quia seipsũ pro debitis nostris sponsorem obtulit, pater sponsionem recipiens pignoris loco etiam ipse lecti stramenta abstulit ita enim ipse fatetur, *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*. Et quidem sublatis stragulis nil vltra superest præter ligna, & trabes lecti, atque his denique exceptus fuit Saluator in cruce obiens, &c. De Prælatis verò ita scribit Hugo. *Tolle vestimentum, idest, curam sæcularium, eius, qui fideiussit pro animabus, & pro extraneis* &c. *Hugo.* Accommodatiùs verò in eos cadit nostra interpretatio, tolle scilicet ab ipsis lecti stragula delicatiora, ne dormiant, sed magis vigilent, & insomnes E sint, nam Prælatos, qui pro animabus proximorum fidem suam obstrinxerunt, austerior vita, vigiliæ decent, & caumeniæ, expositionem D. Gregorij habes.

17. *Suauis est homini panis mendacij: & postea implebitur os eius calculo.*

SVauis est homini, &c. Hebraïcè non dissident, 59.
Chaldæus etiam concinit. Absunt etiam hæc verba à textu Septuag. correctiori, sed tamen leguntur in Scholiis, & in codicibus Compl. & Regio inseruntur textui hoc modo. *Dulcis est homini panis mẽdax, & postea implebitur os eius silicibus*. Vsurpauit etiã hæc verba D. Hieron. semel & iterum: semel quidem *Hieron.*

contra

contra Rufinum, & iterum lib. 1. contra Pelag. Pro calculo Hebr. subest. חצץ Chatsats, ab asperitate dictum putant. Kimhi autem docet ea voce significari lapillos concisos instar arenæ. Notat etiam Caietanus ea voce significari lapillos, seu scrupos, quibus res minutissimæ ponderantur, hoc est minima pondera: aut etiam illos, qui in rationibus, & supputationibus adhiberi solent. Et quidem hæc significatio ni fallor peperit translationem vulgatam Threnorum 3. nam vbi nos legimus, *Fregit ad numerum dentes meos*, in originibus est, *Fregit lapillo dentes meos*, sumpsit autem Vulgatus *lapillum* pro certo numero.

Thren. 3.

60. Ait ergo Salomon, *Suauis est homini panis mendacij*. Panis nomine in scriptura opes quaslibet in vniuersum notari supra non semel dixi. Itaque sensus est, dulces admodum, ac volupes opes sunt, fraude, & iniuria quæsitæ, cum quis illis vtitur. Nam vt iam inde supra idem Salomon, *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior*. Ideò verò dulciores homini accidunt, quia in his parandis nullum laborem ponit. *Sed postea implebitur os eius calculo*. Metaphora sumitur ab his, qui panem præ duris lapillis plenum comedunt, qui inter mandendum dentes magno cum dolore rumpunt, & extrudunt; sic ferè interpretes omnes. Caietanus hunc locum peculiari sententia donat, nã cùm doceat his calculis subductionis numeros aut minima pondera notari, quibus res leuiores librantur, sic ait *Suauis homini*, &c. id est, Nonnulli sunt, qui cùm fraudibus imposturisque faciendis delectentur, tamen plenis buccis loquuntur de iustis exactisque ponderibus, aut de iustis supputationibus. Quod ad significationem calculorum attinet, assentior Caietano; existimo enim Salomonem vel ad numeros, vel ad pondera adlusisse, sed tamen alio sensu, duplicem ad sensum vocari potest, aut enim de extremo supplicio accipi potest, aut de temporali in hac vita. Si ergo de temporali pœna sermo sit, sensus sic conformandus erit. Loquitur Sapiens de illis, qui alienas facultates administrant, his enim ferè ita vsu venit, vt quamdiu eas apud se habent, illis nequaquam parcant, sed in proprios vsus magna cum voluptate insumant: *Dulcis ergo*, inquit, *his panis mendacij*, id est, non proprius, atque adeò mendax. Sed posteà dum mandunt, & comedunt, eorum ora implentur calculis. (Puto autem Salomonẽ ad calculos adludere, quibus olim supputationes cõficiebantur, à quibus multi familiares dicendi modi profecti sunt, nimirum. *Calculari*, ad *calculos vocare*, aut, *reducere*, *calculos subducere*, & id genus alij.) Itaque sensus erit, Tandem aliquando hi ad rationẽ rei administratæ vocati, dum data, & accepta in partes concidunt & distribuunt, ipsorum ora calculis implentur, id est, numeris, & ratiociniis, quibus rẽ alienam defraudârunt, quos iam tunc partiri, ac digerere non possunt. Itaque iuxta hanc interpretationem suadet Salomon his, qui alienas facultates administrant, ne expendendi & profundendi voluptate illecti plura insumant, ne ad reddendam rationem vocati grauiter doleant. Eodem modo exponi possunt etiam de his, qui plura insumentes quàm ipsorum facultates, ac fortunæ sustineant, ære alieno seipsos onerant, qui tandem ad rationes vocati cùm vident suarum opum dispendia, & iacturas, mirum in modum cruciantur.

Caiet.

61. Quod si de extremo supplicio sermo sit, quod alieni suppilatores in fine vitæ subire cogentur, eodem modo metaphora accommodanda est rationi, quæ Deo de omnibus reddẽda est, vt sit sensus, Dulcis modo panis mendacij, dulces scilicet opes iniustè partæ, sed instante morte cùm rationes apud Confessarium subducendæ, & contra fas quæsita Dominis suis restituenda sunt, vel post mortem obitã, cùm apud Deum comparere necessum est, & de singulis rationem reddere, os calculis impletur, id est, rationũ malè habitarum numeris, vel supputationibus conscientia læditur. Quod si per calculos non eos intelligamus, qui ad supputandum adhibentur, sed dicamus Salomonem ad eos adlusisse, quibus dies notare solebant veteres (quod Hebræis etiam solemne fuisse quidam autumant, ad illa verba Apocal. 3. *Dabo ei calculum candidum*, &c.) similis sententia euadet. Nota autem est illa veterum consuetudo, qui dies illos, quos arbitrabantur fœliciter abiisse, candidis lapillis in vrnam missis signabant, inauspicatos verò nigris calculis adnotabant. Meminit Plin. l. 7. c. 40. & Iuuenalis ait. Plin. Iuuenal.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo. 62.

Si ergo Salomon ad eiusmodi calculos spectasse dicamus, sensus erit, *Et postea os eius implebitur calculo*, & si quis acceptis contra fas opibus suaues ac voluptate plenos dies transegit, ita vt singulos candidis lapillis adnotare possit, tandem aliquando dolebit, tunc scilicet, cùm morti proximus, aut post mortem iam damnatus, anteactos dies, & rapinas, furta & peculatus in his admissos memoria repetet, versabit, distribuet, concidet. Nam calculos mandere, & conterere, nil aliud est, nisi dies superiores in deliciis actos memoria voluere & recolere. Rursus aliqui ad ea verba Apocalyps. exponenda veterem morem accommodant ferendi suffragia, & sententias, calculis in vrnam missis, ita vt perinde sit, *Dabo ei calculum candidum*, ac si dicat, pro ipso sententiam feram, vel ipsum sententia mea absoluam: nam candidus lapillus absolutionis, niger verò damnati rei nota erat. Et quidem reos calculis iudicum damnari solitos comprobant Apulei verba lib. 6. de Asi. vbi sic ait. *Certè calculo cunctorum vtcumque mors ei fuerat destinata*. Mitto alia. Potuit ergo Salomon in hoc loco, ad eum morem spectare, ita vt sensus sit. *Et postea os eius implebitur calculo*, id est, succedente morte non tantum Dei arbitrio damnabitur, sed aliorum etiam iudicum sibi assidentium calculis. His verò calculis, vel sententiis seuerissimorum iudicum os eius implendum esse dicit, qui pane mendacij, id est fortunis alienis sese explet, significans ex vsu diuitiarum, quas cõtra ius fasque vsurpauit id sibi reliqui futurum, quod memori cogitatione, tamque animi quodam ore sẽper masticet, semper conterat. Et sanè aptissimè illorum iudicum Christo assidentium calculos, & sentẽtias aduersus diuites aliena diripientes, Salomon obiicit, illi enim iudices ex his futuri sunt, qui propria bona ex despicientia reliquerunt, iuxta illud: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël*. Quapropter nihil aptius obiici potuit illis, qui aliena auferunt, quàm hi, qui propria bona reliquerunt, & factis suis, veluti quibusdam calculis auaros damnarunt, quos vtique calculos, vel sententias auari apud inferos incredibili dolore semper memoria versabunt. Apuleius.

Ad hæc, vt supra animaduerti, vox originalis, quã noster *calculum* transtulit, scrupulos significat, seu minora pondera, quibus leuiora momenta librari solent. Ergo si aliquis dicat ad hæc Salomonem spectasse cùm ait, *Et postea os eius implebitur calculo*, non reluctabor, tunc enim sensus erit, Qui aliena rapit, & sibi vsurpat, magna cum voluptate his vtitur, ac vescitur, sed tandem aliquando morte instante, succedunt memoria anteactæ vitæ delicta, & scrupulis conscientia obruitur. Potest autem hoc de proprio auari animo sua delicta tunc exactius libranti, aut de Deo intelligi auari opera ad trutinam vocanti. Si ergo ad

go ad proprium animi examen hoc referatur, sensus erit. Animus, qui prius ne maxima quidem scelera, magnis, vt ita dicam, ponderibus librabat, iam tunc morti proximus scrupulis vti incipiet: Nam metu mortis concussus leuissimas culpas cogitationis libra expendet. Ex his intelliges, cur illorum conscientiæ, quibus leuiores culpæ, aliquando etiam nullæ magnam curam incessunt, scrupulos habere dicũtur. Metaphora enim sumitur ab aurificibus, aut medicis, qui ad res pendendas minutissima adhibent pondera: nã sunt aliqui timoris expertes, apud quos ne grandia quidem crimina in lancem veniunt, qui ad hæc etiam libranda, põderibus, hoc est, iusta æstimatione carẽt: similes his, qui in prægrandis stateris res vastiores appendunt, apud quos semilibræ, vnciæ, drachmæ, aut aliorum his similia pondera ne audiuntur quidem. Alij verò sunt timore Dei prædìti, qui aurificum in morem in paruis admodum tenuissimarum conscientiarum staterulis non vncias solùm, semiuncias, & drachmas, sed scrupulos, & grana ad leuiores culpas pendendas adhibent, propterea scrupulosi dicuntur. Salomon ergo aduersus eos, qui alienas opes auferunt, & his deliciosè viuunt, qui in diripiendis aliorũ facultatibus & fortunis, liceat sic dicere, vastissimis vtebantur stateris, sic futurũ decernit, vt hi, qui priùs timorem Dei abiecerant, apud quos etiam magna furti crimina nihil olim momenti habebant, imminentis iam mortis metu perculsi non magna solùm delicta, sed leuissima etiam scrupulis expendant, ita vt eorũ pondere obruantur. Sic enim ferè euenire solet, vt qui inter viuendum laxioris conscientiæ fuêre, instãte morte eiusdem angustias sentiant: quemadmodum è contra hi, quibus arcta olim, & angusta fuit conscientia, tunc laxam experiuntur. Quod si hæc verba ad iudicis supremi examen referantur, sensus erit, *Et postea os eius implebitur calculo*, id est, pristinæ voluptatis, & deliciarum, id tamem reliqui manebit, experientia scilicet seuerissimi cuiusdam examinis, in quo iudex non modo ingentia furta, & rapinas arbitrij sui libra expendet, sed etiam scrupulis, hoc est minutissimis ponderibus vtetur, vel leuissimas culpas trutinet.

64. Regia, & Complutensis, vt supra adnotaui, translationem Septuaginta sic extulerunt, *Et postea os eius implebitur silicibus*, quod ad duritiem, & vehementé dentium dolorem notandum additum videtur. Interim autem significatur in his dolorem illum externũ non esse contritionem (hic enim contritionis dolor non corda solùm, sed delicta etiam conterit & comminuit) sed alium aliquem angorem animi degeneré, qui integris præ duritia delictis concientiam pungit, ac lacerat. Addo etiam à quibusdã per eiusmodi calculos, aut lapillos, vitri contusi & concisi globulos accipi, quos Vulgo vocant *Zarazas*, idque sibi ex ipsa Hebraica radice aucupari videntur, quia vox illa חצץ *Chatssath*, à pungendo, aut figendo dicitur, ita vt sensus sit, *Et postea os eius implebitur calculo*, hoc est de *Zarazas*, quæ ab ore ad stomachum traductæ hominem ocyus disrumpere solent, Quasi dicat, suaues vtique sunt, & deliciarum plenæ fortunæ à proximis ablatæ; at postquam eas qui deuorauit animum distẽdunt & desigunt, conscientiamque pungunt & lacerant. Denique illa translatio, *Et postea os eius implebitur arena*, non dissidet à superioribus.

---

18. *Cogitationes consilijs roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.*

65. Cogitationes, &c. Hebr. *Cogitationes in consilio firmantur, & in industrijs fac bellum.* Alij rursus A habent. *Et in consilijs fac bellum.* Caiet. *In ingenijs.* Chald. *Cogitationes consilio diriguntur, & in gubernaculo bellum gere.* Sept. *Et in rationibus gubernandi fac bellum.* Hæc etiam verba absunt à correctiori textu, sed leguntur in Complut. Regio & aliis. Pro gubernaculis in primitiuis subest vox תחבלות *Thachbuloth*, de qua supra ca. 1. vers. 5. fluit enim ex radice חבל *Chabal*, vnde multa ad nauticam spectantia; hæc sunt חבל *Chibel, Malus, rudentes, funes, anchora* &c. & חובל *Chobel* magister nauis. Itaque Thachbuloth cõsilia & gubernandi rationes significat, sũpta similitudine à re nautica. Rursus pro illa voce *Consilijs*, adest, עצה *Ghetsah*, quæ *consilium*, seu, *deliberationem* sonat, existimo autem ex eo dissidere à Tachbuloth, quod B *Ghetsah* ad internam deliberationẽ pertinet, Thachbuloth verò ad externam rerum directionem.

Sensus planus, docet enim Salomon, neminem per se satis prudentem esse nec ad res deliberandas, neque ad res perficiendas, sed ad celibe rationem alios esse cõsulendos, ad executionem etiã viros industria & ingenio præditos adhibendos esse. Itaq; ait, *Cogitationes consilijs roborantur*, nimirum cogitatio omnis, aut decretum animi instabile est, mutationi, pœnitentiæque subiectum, nisi pluribus aliis consultis decernatur, nam prudentum consilia cuiuslibet rei gerẽdæ cogitationem alioqui mobilem plutibus nominibus obfirmant & roborant. Primò, quia multorum mentes omnes rei gerendæ causas & rationes attingunt: C atque adeo opus non est vt ob nouas rationes propositum animi mutetur. Secundò, quia cogitationes de alienorum consilio susceptas, audacius exequimur, quia vel erroris discrimen nullum occurrit, vel si errori subiecta res est, hunc sibi minùs adscribendum putat is, qui rem molitur. Ad hunc modum consilia nostris deliberationibus robur & firmitatem parent, subdit Salomon.

Et gubernaculis tractanda sunt bella. Aliqui sic exponunt, bella non viribus, aut lacertis, sed ingenio, industria, & stratagematis regenda, & administranda 66.
sunt: accommodatur autem bene huic expositioni similitudo ducta à nautica, sicut enim nauem ingẽtem clauo absque magna virium contentione nauclerus D quoquouersum impellit: sic etiam Imperator industrius non militum robore, aut exercitus magnitudine, sed consilio, & astu bellum regit.

Cæterùm vt hæc posterior clausula priori respõdeat, per gubernacula duces intelligo militaris artis peritos, sumitur enim abstractum pro concreto, gubernaculum pro gubernatore, de quo vsu sæpe aliàs diximus. Itaque sensus erit, ad bella etiam gerenda adhibendi sunt duces strenui & periti: existimo enim ad Principem aliquem sermonem haberi in hoc versu, vt scilicet in pace quoties de publica & politica administratione agitur, consiliarios sibi adiungat legum iurisque publici peritos, in prælio autem cùm de bello inferendo deliberatur, duces alios militarem E artem probè callentes in consilium vocet: quod perinde est, ac si dicat: *Que el Rey adetener consejo de gobierno y consejo de guerra*, vt imperium fœliciter administret.

Et quidẽ duces strenui, & rei militaris gnari, aptè 67.
dicuntur, *Thachbuloth*, ducta similitudine ex re nautica, siue eo nõmine clauos intelligas, siue etiam malos, aut anchoras. Imprimis enim cùm populi, aut Regna bellis mutuis impelluntur, pelagi vndas imitantur. Chrysost. in Matth. *Quemadmodum concurrentibus in se inuicem ventis mare concutitur, & mirum in modum intumescit: sic etiam Regibus sibi aduersantibus populus regnumq; vexatur.* Dux ergo in tantis vndis bellum quasi nauem quandam moderatur, impellit, continet, clauus est, malus est, anchora est; anchora scilicet,

Chrysost.

ſcilicet, cùm exercitum continet, ne in bellum præceps ruat, tempus aptum, & accommodatũ ad ſigna conferenda expectans, Malus, cùm eundem in hoſtes mouet, & quaſi nauem panſis velis ad irruendũ impellit; Clauus, cùm ſibi ſponte obtemperantem regit. Hos ergo prudentes atque expertos duces ad bella tractanda conſiliarios adhibere debet Rex ſapiens, ſi velit ſibi res fortunatè cedere, ac militiam rectè adminiſtrari. Vnde Alexander rogatus aliquando quonam modo tam breui tempore orbem debellaſſet: occurrit. *Conſiliis, eloquentia, & arte Imperatoria*, ſic tradit Stobæus ſer. 54. & Veget. inter alia præcepta rei militaris ſic ſcribit lib. 3. cap. 9. *Præcipua res & vtilitas ducis eſt, vt adhibitis ex vniuerſo exercitu ſcientibus belli, & ſapientibus viris, de ſuis & hoſtium copiis ſæpius tractet, omni (quæ plurimum nocet) adulatione ſemota:* & infra. *Dux itaque vigilans, ſobrius, prudens, tanquam de ciuili cauſa inter partes iudicaturus, adhibito conſilio de ſuis, & de aduerſarij copiis iudicet.* Et Lampridius in vita Seueri Imperatoris, narrat illum, quoties de re militari negotium aliquod incidebat, milites veteranos, & ſenes bene meritos, locorum, bellorũ, & caſtrorum peritos, & maximè eos, qui Hiſtoriam norant, conuocare ſolitum, ac requirere ab illis, quid Romani, vel cæterarum gentium Principes, in re, qualis tunc in diſceptationem venerat, ſequuti eſſent, ſtatuiſſent, feciſſent.

Stobæus. *Veget.* *Lamprid.*

---

19. *Ei, qui reuelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis.*

68. EI qui reuelat, &c. Hebr. ad verb. *Et, qui reuelat ſecretum, & qui vadit delator, & qui pellicit labiis ſuis, non miſcebis te.* Caietan. verò ſic conuertit. *Reuelans myſterium ambulat explorator*, &c. alij ruſus. *Reuelat myſteria ambulans explorator.* Abſunt etiã hæc verba à textu correctiori Sept. ſed leguntur in Scholiis, in Complut. & Regio. Scholia verò ſic habent, *Reuelans myſterium ambulat fraudulenter, & ſeducenti labiis ſuis ne commiſcearis.* Regia & Complut. paulò aliter *Reuelans conſilia in conceſſu vadit duplex lingua, & cũ extendente labia ſua, ne miſceare.* Chald. *Et ei, qui allicit verbis ſuis, ne admiſceare.* Verbũ originale פתה *Phathah*, quod ſignificat allicere, pellicere, aliquando etiam *lactare*, hinc nata etiam lectio *& lactanti labiis ſuis*, &c. Sunt etiam, qui ſic reſtituũt, *& blando labiis ſuis.* Mercerus noſtræ lectioni nõ admodum beneuolus, dicit ſignificationem *dilatandi* Syriacam potius eſſe, quàm Hebraïcam, ſed conſenſus noſtri, & Septuag. interpretum ſatis prodit eam eſſe germanam illius verbi ſignificationem. Adde etiam Rabbi Leui, qui eandem etiam lectionem prætulit. Illud verò anceps eſt inter Hebraïzãtes, an vox לפתות *Lephotheth*, fluens ex illa radice Phatah, tranſitiuè accipienda ſit, an intranſitiuè. Plures quidem tranſitiuè capiunt, de quibus ſupra, ſed Mercerus Rab. Abraham, & Abenhezra, intranſitiuè potius ſumendam eſſe docent. Itaque Mercerus, ſiquidem locus ſit ſignificationi *dilatandi*, hæc verba ſic efferenda eſſe dixit, *Et ei, qui latus eſt labiis, ne miſcearis.* Duo verò alij, cùm ſignificationem ſeducendi reliquis prætuliſſent, ſic reſtituunt, *Et ei, qui facilè decipitur, ne miſcearis.*

69. Cùm tam diſſimiles ſint huius loci tranſlationes, diſſimiles quoque interpretationes excogitare oportet, hæ autem ex modo pendent, quo verba inter ſe conſeruntur. Primò ergo circa prius hemiſtychium, qui auferunt coniunctionem & duplici modo verba

A nectunt. Prior eſt, *Reuelans myſteria ambulat explorator, vel delator.* i. qui ſecreta ſibi commiſſa aperit, hic non tam amicus, quàm delator, aut conſiliorum explorator eſt. Vel aliter, *Reuelat myſteria ambulans explorator.* i. Qui non amicus beneuolus, ſed callidus explorator eſt conſiliorum, ex eo dignoſcitur, quod commiſſa ſibi ſecreta ſtatim prodit. Huc ſpectat trãſlatio Septuag. *Reuelans conſilia in conſeſſu vadit duplex lingua*, id eſt, qui conſilia ab inimico ſecretè accepta in plurium conſeſſu aperit, hic duplici lingua præditus eſt, duplici, inquam, id eſt, callida, & aſtuta, vel quia coram amico aliter loquitur, aliter verò cum abeſt.

Noſter verò interpres coniunctionem addit, &
B vtramque partem inter ſe & cum poſteriori ſic nectit. *Ei, qui reuelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis.* Quaſi dicat, Illũ caue, qui hæc omnia ſimul vitia, aut eorum quodlibet in ſe cohibet. Abſtine ſcilicet ab illo, qui *reuelat myſteria.* i. qui arcana ſibi commiſſa detegit: ab eo etiã tibi caue, *qui ambulat fraudulenter.* i. qui non ſyncerè tecum agit, ſed veteratoriè, (loquitur autẽ de ea fraude, quæ in delatione accidit, quia vox originalis, vt ſupra obſeruaui, delatorem ſonat.) Et quidẽ ea, quæ amicus amico ſuo ſecreto committere, ac fidere ſolet, ad hæc capita referri poſſunt, aut. n. bona ſunt, aut communia, aut etiam mala. Ergo ſenſus eſt, Si quis eſt, qui non ſolum bonas, vel communes res,
C quas illi ſecreto tradidiſti, paſſim detegit, ſed ſiquid etiam apud illum mali admiſiſti, vel admiſſum ipſi denudaſti, hoc defert & renunciat, ab eo prorſus abſtine. At quomodo, inquies, hunc vitare licebit antequam mala iſthæc experiri oporteat? Subiicit Salomon. *Ei, qui dilatat labia ſua ne commiſcearis*, illi. ſ. qui multa effusè loquitur ne adiungas te, (nam dilatare, vel extendere labia nihil aliud eſt, quàm verboſum eſſe, & multa paſſim ſine delectu loqui.) Et quidem Philoſophus in Phyſiognomicis docet eos, qui labra extenta, & magnum oris rictum habent, eſſe loquaces nimirum, ac mordaces, & ad canes referri. Addit verò Albert. Magn. eoſdem eſſe ſecreti reuelatores, hæc. n. duo ſibi ſemper inuicem hærent, multum lo-
D qui, & nullum ſecretum ſeruare. Ita docet Plutarch. in lib. de Garrulitate, vbi garrulis, ac loquacibus hæc duo vitia familiaria eſſe dicit, arcana detegere, & ſermonibus ab aliis acceptis ſemper aliquid addere. Et quidem tantus ineſt in garrulis ad ſecreta reuelanda impetus, vt ne ſibi quidem nonnumquam parcant. *Viperas* (ait Plutarch.) *proprij rumpunt fœtus: ſic homo garrulus, cum vel ſua promit arcana.* cui aſſimile eſt illud Caſſian. in Pſalm 39. *Difficile eſt linguam in lubrico ſaucium conſtitutam ſecreti rigidè tenere menſuram, cui ſi incautè fræna laxentur frequenter contra ſe loquitur.* Quomodo autem loquacitas nimia ad ſecreti reuelationem ſenſim adducat docuit Senec. Epiſt. 110. ad Lucilium. *Nihil æque proderit ad quietem com-*
E *modam retinendam, quàm minimum cũ aliis loqui, plurimum ſecum. Eſt quædam dulcedo ſermonis, quæ irrepit, & blanditur, & non aliter quam ebrietas, aut amor ſecreta producit.* Ad hanc ſermonis blandientis lubricã conditionem ſignificandam allici poſſunt quædam aliæ huius loci lectiones, hæ nimirum, *Qui blanditur, vel blandus eſt labiis, qui allicit, vel pellicit labiis.* Ait ergo Salomon, duo iſthæc vitia inter ſe plurimum cohærent, loqui multum, & ſecreta pandere. Abſtine igitur ab eo, qui labia ſua dilatat, laxatque multa paſſim loquendo, ac ſic virtutis arcanorum reuelator eſt.

Plutarch. *Caſſian.* *Seneca.*

Sed quamuis hæc aptè dicta ſint, poteſt tamẽ hæc 70
poſterior clauſula aliter cum ſuperioribus coniui. Nimirum ita vt ſignificetur tertium aliud hominum vitium,

vitium, vel tertium aliud genus hominum, à quo abſtinere iubet Salomon, *& qui dalatat labia ſua*, &c. Ianſen. illum intelligit, qui ſimulatis verbis ad decipiendum vtitur. Alij *mordacem hominem*, alij *detractorem*, alij *adulatorem*, & quidem hæc ferè ſunt vitia, quæ loquacitati, & garrulitati hærere ſolent, falſitas, maledicentia, detractio, & adulatio, atque adeo per extenſionem, ſeu dilationem labiorum ſingula, vel omnia ſignificari poſſunt, atq; lectiones initio præmiſſæ his omnibus vitiis accõmodari. Sed tamen cum præmiſiſſet Salomon ad res omnes ſiue in pace, ſiue etiam in bello gerendas, & fluctuantes cogitationes confirmandas, cõſiliarios adhibendos eſſe, non ineptè quis dixerit appoſitè ad hæc nunc ſubdere, minimè tutum eſſe quibuſuis paſſim abſq; delectu vti, quinimo ſecretorum reuelatores, delatores, & verboſos à conſiliis omnino arcendos eſſe, hi enim à Regum conſiliis longius arcendi ſunt. Adde etiam, ſi placet, adulatores, habes enim ſupra ex Veget. illud, *Omni quæ plurimum nocet, adulatione ſummota.*

---

20. *Qui maledicit patri ſuo, & matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris.*

71 QVI maledicit, &c. Hebr. *Maledicentis patrem ſuum, & matrem ſuam extinguetur lucerna eius in nigredine tenebroſitatis.* Chal. *Extinguetur lucerna eius, ſicut caligo tenebrarum.* Sept. *Maledicentis patrem, aut matrem extinguetur fax, pupillæ autem oculorum eius videbũt tenebras.* Symmac. *Extinguetur fax eius ἐν σκοτομήνῳ*, i. *in obſcurilunio vel in nocte illuni.*

Inſectatur Salomon filios impios, qui *maledicunt patri ſuo, & matri*, particula *&* non tam connectit, quàm ſeparat: perinde ac ſi dicat, *Qui maledicit patri*, vel *matri* (nam vſum coniunctionis, *&*, pro, *vel*, non ſemel aliàs obſeruauimus) id eſt, qui in patrem, aut matrem maledicus eſt, atque illos probris, aut conuitiis quoquomodo inceſſit, vel alia quauis ratione violat, *Extinguetur lumen eius in mediis tenebris.* Hic nodus. Præmittere autem oportet lumen, aut lucernam in ſacra ſcriptura plura ſignificare. Inprimis. n. accipitur aliquando pro liberis & prole. 3. Reg. 11. *Filio* (3. Reg. 11.) *autem eius* (hoc eſt Salomon) *dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid ſeruo meo cunctis diebus coram me in Hieruſalem.* i. vt ſemper aliquis regnet ex eius liberis, aut nepotibus, & c. 15. *Propter Dauid dedit ei* (3. Reg. 15.) *Dominus Deus ſuus lucernam in Hieruſalem, vt ſuſcitaret filiũ eius poſt eum.* huc ſpectat illud. 2. Reg. 14. vbi (2. Reg. 14.) fœmina Thecuitis ſic Regem alloquuta eſt. *Quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt*, &c. i. filium meum de medio tollere. Memini Lucretiũ, Platonem, & alios, qui veterum curſorum morem ſibi inuicem tędas, aut lampades ardentes tradentium, ad familiæ ſucceſſionem accommodant, Lucretius. n. ſic ait.

72 *Et quaſi curſores vitai lampada tradunt.*

Plato. Et Plato l. 6. de legibus, *Parentes*, inquit, *habitent liberos generando, & educando, & vitam, quam ab aliis acceperunt, tamquam tædas ardentes*, &c. Hæc autem erat peruetus conſuetudo, vbi curſores in ſtadium conuenerant, curriculi præfectus tædam accenſam vni tradebat: hic emenſo iam ſpatio alteri eandem donabat, is autem cuius in manu fax denique reſtinguebatur, turpe, & inglorium hoc putabat. Haud aliter, inquit Plato, parentibus accidit, hi. n. à maioribus vitam accipientes poſteris tradunt, illi autem in quibus ſucceſſio, & poſteritas deficit, turpe hoc etiam, & ingloríum arbitrãtur. Sed quæres an etiam ſcriptura ſacra ad hunc antiquum morem ſpectauerit, cum filios lucernas appellat. Aliqui aſſentiuntur, mihi verò aliter

A videtur. Illi. n. curſus in deorum cultum exhibebantur, vt ex Plato. colligitur loco citato, quod à populo Dei prorſus alienum erat. Dicti ergo ſunt filij lucernæ, non alia de cauſa, niſi quia in his gloria & ſplendor maiorum, imò & vita ipſa viuit, & alij ad alios non ſecus familiæ gloriam & vitam transferunt, quã lumen vnius lucernæ in alteram migrat, cum ex illa inflammatur. Quemadmodũ. n. lãpas nihil in ſe ignis habens, ex lãpade accenſa ignem ocyus rapit, ſic etiã filij, qui nihil adhuc glorioſum, aut ſplendidum geſſerunt, ex parentibus ſuis ſplendorem & gloriam trahunt. His præmiſſis prima interpretatio ſic habet. *Extinguetur lumen eius in mediis tenebris.* Sane cùm ait, 73
lumen eius, poteſt duplici ratione explicari, vel itavt
B ſignificetur lumen ipſius filij, qui parentes ſuos violauit, vel filiorum eius, qui ab ipſo etiam lumen mutuantur. Si quidem de ipſo filio accipiatur, qui patrẽs læſit, ſenſus erit. Filius qui in parentes ſuos impius fuerit, extinguetur lumen eius. i. peribit ipſe morte correptus immatura, antequam filios alios generet, in quibus generis ſui ſplendor luceat, & vita perennis fiat. Hoc ſibi vult illud, *in mediis tenebris.* i. poſteritate genus ſuum priuans, atque adeo tenebras perpetuas illi offundens. Caiet. etiam hoc ad mortem præcocem retulit, ſed tamen illud, *in mediis teneb.* aliter Caiet.
expoſuit, nimirùm in iuuentute ſua interibit, cum vitia maximè vrgere ſolent, nam lucernam, ait, *extingui in mediis tenebris*, quid aliud eſt, quam tunc extin-
C gui, cum lucerna maximè opus eſt? ita etiam hic tunc mortem obiuit, quando maximè ipſi vita opus erat, hoc eſt in iuuentute. Et quidem eundem ſenſum ad familiæ ſucceſſionem transferre licet hoc modo; filij, qui patrem violauit, *lumen extinguetur in mediis tenebris*, tunc ſcilicet peribit, cùm ipſum viuere oportebat, quia generis ſui tota gloria, & poſteritatis ſpes, ad illum vnum redacta erat: quod perinde eſt ac ſi dicat, etiamſi vnicus ſit, & tota generis gloria ex ipſo pendeat, nihilominus ob violatos parentes præcoci morte rapietur. Quomodo autem mortem immaturam ſupplicij loco exigere ſoleat Deus ab his qui in parentes impij ſunt, ſæpe aliàs diximus.

Quod ſi verba illa, *lumen, aut lucerna eius extingue-*
D *tur*, non de ipſo, qui parentes læſit, ſed de eius prole 74
ac poſteritate accipiantur, ſenſus erit, eius, qui parentes ſuos iniuria affecit, ſoboles peribit, ita vt nullus ſit ſuperſtes filius, qui vitam & gloriam, ſplendoremque eius ad poſteros traducat. Nam vt aliàs diximus, filij in parentes impij nulla dignior pœna eſt, quàm mors & interitus, quia is, qui vitam à parente accepit, & eidem poſtea iniurius eſt, vita ipſa accepta indignus fit. Sed quia homo non tantum in ſemetipſo viuere dicitur, ſed etiam in liberis (iuxta illud, *Mortuus eſt, & quaſi non eſt mortuus, reliquit enim ſimilem ſibi poſt ſe* Eccl.) ne putet ſibi aliquid vitæ poſt mortem reliquum fore, non tantum proprius illi indicetur obitus, ſed etiam filiorum, vt mors illius integra ſit, ideò
E aptè dicit, *Extinguetur lumen eius in mediis tenebris.* i. ſublata poſteritate omnis eius ſplendor & lux in tenebras, hoc eſt in perpetuam obliuionem abibit, nam ſi ipſo emortuo filij ſuperſtites eſſent, aliquid luminis ipſi adhuc reſtaret, his autem ſublatis denſiſſima tantum obliuionis caligo ipſum manet.

Sed licet præfatam interpretationem reliquis antepono, ſubiiciam tamen aliam atque aliam. Secunda 75
igitur interpretatio ſic habet, *Extinguetur lumen eius in mediis tenebris.* Per lumen, aut lucernam intelligũt aliqui rationis ſplendorem, atque vſum: hunc. n. naturale lumen appellare conſueuimus; atque adeo ſenſus erit. Qui parentes ſuos violant, *extinguetur*, &c. (futurum pro præterito, nam horum temporum commutatio familiaris admodum eſt Heb.) i. lumen

naturale restinguũt, omnem scilicet rationis vim; quia cùm nihil sit lumine ipso naturali notius, quàm parentibus deferendum esse, qui eosdem lædit, lumine hoc carere videtur. Hinc Plato lib. 11. de legibus. *Parentes*, inquit, *negligere, nec Deus, nec homo mentis compos alicui consulet, sed sicut de cultu Deorum ignorare non oportet, ita etiam de cultu parentum, imò illud ad honorandum parentes, veluti proœmium est*. Itaque ait, hæc duo, natura duce, omnibus explorata & comperta sunt, Deos nimirum, ac parentes esse colendos, & quamuis Deo deferendum esse notius sit, hæc tamen notitia ad alteram veluti proœmium est. Huc spectauit etiam Arist. lib. 8. Topic. c. 1. Qui igitur hæc notissima naturæ iura ignorat, *hic sane in mediis tenebris est:* quia nullum illi superest lumen, qui lumen naturale restinxit, vel vt habet Symm. *In nocte illuni*. i. sine luna. Duplex vtique notitia hominem imbuit, altera naturalis, supernaturalis altera, has D. Tho. in opusc. de Regimine Principis cum sole cõtulit, ac luna. Supernaturalem notitiam cum sole conferendam esse dixit, propter nimium eius splendorem, naturalem autem cum luna composuit, ob luminis tenuitatem. Ergo cùm ait Salomon, *Extinguetur lumen eius in nocte illuni*, is erit sensus; Omne lumen in eo deficiet non supernaturale solum, quod ex fide promicat, sed etiam tenue illud naturale lumen, quod ratio emittit, quam lunæ adsimilem esse diximus.

Plato. Aristot.

76 Tertia interpretatio postulat vt aliquid etiam de significatione luminis, aut lucernæ, præmittamus. Ergo in scriptura lux, & lucerna, fœlicem fortunam sæpius innuit. Iob. 18. *Lux obtenebrescet in tabernaculo eius, & lucerna, quæ super eum est extinguetur*, & c. 29. *Quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris*. Ad hanc etiam sententiam allici potest locus alter 4. Reg. 8. *Noluit Deus disperdere Iudam propter Dauid seruum suum, sicut promiserat ei, vt daret illi lucernam, & filiis eius cunctis diebus*. i. regni fœlicitatem, & gloriam. Hæc igitur luminis, ac lucernæ significatio aliam offert expositionem. *Et lucerna eius extinguetur in mediis tenebris*. i. Filij in parentes suos impii fortuna, & fœlicitas, prorsus deficiet, & in miseriam extremam recidet, hanc. n. tenebræ illæ omnis luminis expertes notant, aut *nox illunis*. Veteres nãque fortunam, & fœlicitatem cum luna passim componebant, propter eius instabilem, & numquam sibi similem conditionem. Itaque ait, *In nocte illuni*, non solum lunæ ad instar decrescet illius fortuna, sed nulla erit. Sed redeo ad verbum illud, *extinguetur*, cui subest in *primitiuis*, דעך *Daghab*. cuius energiam aliqui obseruarunt, significat. n. conterere, & opprimere. i. conterendo, vel opprimendo restinguere, & quidem id maiorem vim habet quàm extinguere, ita adnotauit Nonius Marcellus ex Tullio de Amicitia, vbi sic habet. *Quamobrem primum danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant, sin tale aliquid euenerit, vt extincta potius amicitia, quàm oppressa videantur*. Ducitur, ni fallor, metaphora ex funali, aut lucerna ardenti, quæ cum flatu extinguitur, alio rursus flatu inflammari solet, cum autem opprimitur, & obruitur, non ita. Ait ergo Tullius, amicitiæ restinguendæ sunt, vt si libuerit, paulo post facile inflammentur, & redintegrentur, non opprimendæ, & obruendæ, ita vt ad veterem gratiam difficilis sit regressus. Si igitur huius verbi totam vim huic loco accommoderemus, similis erit sententia. *Conteretur, vel opprimetur lucerna eius in mediis tenebris*. i. fortuna illius ita deficiet, vt nunquam rursus instaurari & refici possit. Rursus dum ait, *Opprimetur*, *aut conteretur*, subitam fortunæ commutationem innuit, quasi dicat, Hæc fœlicitatis lucerna non paulatim pabulo deficiente, sed subitò oppressa restinguetur; subita. n. magis animum percellũt. Ad hæc aliqui vim verbi expendentes putant non quæcumque luminis extinctionem significare, sed eam, quæ conuerso & telluri adacto funali fit: suadet autem hoc, inquit, translatio Hieron. Isai. 53. *Contriti sunt sicut linum, extincti sunt*, &c. vbi voci illi *contriti sunt*, subest verbum *Daghab*. Quorsum hæc? vt significetur humilis valde, & obscura rerum commutatio, homine scilicet ex sublimi, & edito loco ad terram depresso. Denique aliqui obseruant verbum hoc esse transitiuum, atque adeo sic restituendum. *Et lucerna eius extinguet se*. Id etiam calamitatem filii huius exaggerat, vtpote cui non alius, sed ipse sibi tantæ perniciei autor futurus dicatur; quasi dicat, si vel alius desit, ipse sibi aderit damni proprii artifex. & quidem ita decet patrem, vel matrem, non tanquam aliquid à se diuersum, sed tanquam aliquid sui, idque digniùs, ac præstantiùs cogitare debet filius. Quapropter eius, qui semetipsum (liceat sic dicere) in parentibus non satis agnouit, ac coluit, atque adeo in iisdem sibi iniurius esse non dubitauit, digna vtique ac decens pœna est, vti se etiam in semetipso non agnoscat, atque adeo sibi aduersarius sit, & sibi damna, & perniciem inferat.

Iob. 18. Iob. 29. 4. Reg. 8. Nonius Marcel.

77 Ad extremum expendenda est translatio Sep. quæ sic habet. *Maledicentis patrem, aut matrem extinguetur fax, pupilla autem oculorum eius videbunt tenebras*, quæ verba ad priorem interpretationem, quam reliquis præferendam esse dixi, referri debent: sed notandum est pupillas in Græcis esse, κόραι, quæ vox puellas etiam paruas & innubas sonat. Sensus ergo erit. Fax eius, id est, filii, (hi. n. facem generi præferunt, & splendorem eius ad posteros transmittunt) *extinguetur*, præcoci morte sublati, *& pupilla oculorũ eius*, &c. i. filiæ eius in puellari ætate ante nuptias peribunt, atque adeo illi nulla posteritatis spes reliqua erit. Addo etiam Symmachi translationem ad hanc etiam sententiam accommodari posse, *extinguetur fax eius in nocte illuni*. Nam vt ex illo Iosephi somnio Gen. 37. colligere licet, vbi ait, *Vidi quasi solem & lunam, & stellas vndecim adorare me*, sol patrem, lunam verò matrem adumbrat. Quapropter filius, qui patre caret, sole vtique caret, atque adeo in nocte versatur; si tamen illi mater superstes sit, lunæ solatium habet; quod si vtrumque amiserit, in nocte atra & illuni vitam degit. Patris. n. consilia & documenta tamquam solis radii filio lumen, & gaudium inspirant: cùm verò pater velut sol occubuit, matris monita salubria non parum lucis & solatii afferre solẽt. Ait ergo Sapiens. *Extinguetur fax eius in nocte illuni*, id scilicet supplicii pro meritis referet, vt vtroque simul parente, atque sole ac luna priuetur, *y seque de commodi con aluenas nocces*. Addo etiam illum, qui nec dum parentes suos amisit, eos tamen à se probris, & maledictis repellit, eorumdem luce, ac splendore perinde priuari, ac si non haberet, atque adeo in quadam nocte illuni versari. Ego per *lumen*, seu *lucernam*, rationem, & consilium intelligo, hæc enim facem rebus agendis præferunt. Salomonem autem sic interpretor, Filius qui parentes violat, ipsosque maledictis, ac conuitiis à se longiùs pellit, *extinguetur fax eius in nocte illuni*, id est ratio & consilium in ipso deficiet, & in nocte atra versabitur: Quia is, qui proprio consilio caret, & patris, matrisve ad exhortationes, documentaque præsto non habet, in nocte agit sine sole, sine luna, & sine face. Et quidẽ eius, qui parentes læsit, decens vtique pœna est, defectus consilij, & rationis. Is enim, qui humanitatem omnino exuit, & ad feras quodãmodo per immanitatẽ desciuit, dignè mulctatur in his bonis, quæ maximè hominem à feris discernunt, scilicet in ratione & consilio. Vel

Sept. Symm. Genes. 37.

Vel aliter, Filium maledicum Salomon coërcet, indicens illi non solùm filiorum amissionem, quæ per restinctam facem significatur, sed etiam parentum mortem, quæ notatur per absentiam solis & lunæ. Quasi dicat; Qui filius cùm sit, patrem probris & maledictis appetit, dignus vtique est, vti nec ipse pater sit filiis extinctis, nec filius parentibus amissis. *Porque nosa besor bijoni merue ser padre.*

21. *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.*

78. HÆreditas, &c. Hebr. *Hæreditas festināns in principio, & nouissimum eius non benedicetur.* Chald. B *In fine non benedicetur.* Sept. *Pars festinata in primis in nouissimis non benedicetur,* Symmach. & Theodot. *Hæreditas festinata*, pro *hæreditate*, subest in primitiuis נחלה *Nachalah*, quæ vox patrimonium sonat à parentibus legatum. Rursus verbum etiam, quod subiicitur illi *festinatur*, præcipitem quandam accelerationem sonat, vt notant Hebræi.

Communis expositio huius loci, nomen *hæreditatis* in vniuersum accipit pro diuitiis, & facultatibus, vt sit sensus. Fortunæ, quæ nimis celeriter parantur, id est, quæ contra ius & fas quæruntur (ita enim ferè contingit, vt quisquis apud se decreuit ocyus ditescere, plura iniustè conquirat, nam incrementa fortunarum cum iustitia coniuncta, lętè semper, & paulatim assurgunt) fortunæ inquam istæ, *in nouissimo benedictione carebunt.* Benedictio in scriptura abundantiam sonat, primæ ad Corinth. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, id est, qui abundanter seminauerit, etiam abundantem messem percipiet. Itaque ait, *In nouissimo benedictione carebūt*, id est, quamuis initio augeri plurimum videātur, sed tamen in fine decrescent, & imminuentur: quod ipsamet experientia quotidie docet, videmus enim multorum facultates initio quidem præter modum excrescere, ac non multò post omnia simul dilabi, & perire: ita vt quibusdam ne ad funera ipsa persoluenda sumptus suppetant.

79. Non displicet hæc interpretatio. Sed tamen nomē *hæreditatis*, quo Vulgatus vsus est, & *Nachalah* Hebraïcum, quod patrimonium à parentibus hæreditario iure acceptum sonat, suadent vti alias expositiones excogitemus his nominibus accommodatas, & quidem tres omnino occurrunt. Prima quidē ab ea, quam præmisimus nō multum abit, hoc modo. *Hæreditas, ad quam festinatur*, &c. i. qui fortunas suas ocyus amplificare contendit eo consilio, vt amplam hæreditatem filiis suis legare possit, deficiet tandem, ac nihil habebit, quod filiis patrimonij loco relinquat. Ratio autem petenda est ex iam dictis, quia nimia cupiditas amplificandi patrimonia filiorum, rapinas & furta hominibus suadere solet, ea autem, quæ sic parantur, ocyus dilabuntur. Hanc interpretationē commendant extrema illa verba, *benedictione carebit*, nam *benedictio* in scriptura, non semel significat portionem, quæ filio legitimè euenit à parente. Vt sit sensus. *In nouissimis*, i. cùm extremum diem obierit carebit bonis omnibus, ita vt filij nihil ab illo hæreditario iure capere possint.

Caiet. Secunda expositio est Caietani. *Hæreditas, ad quā festinatur in principio.* i. hæreditas ante tempus expetita, & accepta, puta cum hæres ante mortem patris portionem suam postulat (quod fortasse licitū erat antiquis Hebræis, vt ex parabola filij prodigi colligere licet, qui hæreditatis partem à patre accepit, & ocyus decoxit:) hæc igitur hæreditas, ad quam festinatur, & ante tempus captatur, citius perit, inquit Sa- A lomon, sic. n. Deus iustè punit hæredipetas, & patrimoniorū præcoces occupatores, ad quos dicta vulgaris illa parœmia. *Si vultur es, expecta cadauer.* i. si vis exsatiari, & famem diuitiarum explere, vulturem imitare, qui nullum animal, quantumuis imbelle, insequitur, aut occidit, tantum cadauera, quæ vel sponte interierunt, vel ab aliis perempta sunt depascitur: quasi dicat, noli patrimonium ante mortem parentis captare, noli etiam mortem patri optare, ne dicam inferre, æmulus illius de quo cecinit Naso,

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Sed vulturis in morem hæreditatem post mortē illius inuade; nam si aliter feceris haud percipies illam cum paterna benedictione. *Esto es nola lle bar.a con bendicion,* atque ea benedictione carens eiusmodi hæreditas in nouissimo dilabetur. Hæc interpretatio Caietani, cui hæret etiam Rodolph. mihi valdè probatur: tamen, ni fallor, ad parentes potius, quàm ad filios sermo est, ne scilicet liberis suis aliquam hęreditatis partem tribuant, antequam grandiores natu sint: nam cùm iuuenes inexperti, & insolentia rerum noui patrimonia capessunt, citius illa dilapidant, & in senectute esuriunt. Itaque ait Salomon, hæreditas ad quam capessendam filius in principio, i. in iuuentute, Sept. in primis, nimirum in primis annis ante ætatem maturiorem, in nouissimo, benedictione carebit. i. in senecta deficiet. Quod si Salomon ad filios verba faciat, vtique intelligendus est post aditam hæreditatem. C

Hæc autem est 3. expositio, quæ mihi ante alias probatur. *Hæreditas festinata in principio*, sic habent primitiua. i. hæreditas quælibet, quantumuis ampla & copiosa, si à principio profusis sumptibus insumitur, breui deficiet: sic intelligo vocem illam, *festinata*, si vulgarem modum dicendi, iuxta quem, *Dar prisa à vna cosa*, perinde est, ac si dicat, illam citiùs consumere. Igitur sensus erit. *La mayor hazienda si se le da prissa presto se acaba.* Itaque hæreditati, & patrimonio parcēdum esse docet Salomon ne breui exhauriatur. Denique ista verba ad allegoricum sensum transtulit Gregorius curæ Pastoral. Parte 3. Admonit. 11. *Ex hac quippe vita initium ducimus vt ad benedictionis* D *sortem in nouissimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditare festinat, sortem sibi in nouissimo benedictionis amputat.* Lege Salonium in expositione mystica, Rupertum lib. 4. in Gen. cap. 10. & in 4. Euangelia lib. 1. cap. 11.

Ouid.

Gregor.

22. *Ne dicas, reddam malum: expecta Dominum, & liberabit te.*

NE dicas, reddam malum, &c. Hebræa non differunt. Septuag. *Ne dixeris, Vlciscar inimicum, sed sustine Dominum, vt auxilio sit tibi.* 80.

Hæc verba perspicua sunt adeo, vt interprete non E egeant, non enim dissident ab illa Pauli sententia ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et rursus. *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ, scriptum est. n. Mihi vindicta, & ego retribuam.* Sed aliqui obseruant Salomonem in hoc loco non solum ipsam mali redditionem, aut reciprocationem cauere, sed etiam animi decretum, & propositum, ait enim, *Ne dicas, reddam malum*, &c. ne scilicet apud te id cogites vel statuas. Addo etiam illud, *Ne dicas*, ad externam dictionem referri posse, ne scilicet exterius pronuncies, ac te in eo animo esse significes, nam postquam quis hoc se facturum exterius protulit, nescio quæ religio sui asserti illum ad exequēdam rē vrget. Rursus cùm ait, *Ne dicas, reddam malum*, perinde est, ac si dicat, noli accepti mali redditor esse, id enim, Ad Rom. 12.

inquit Anselmus, iustitiæ aduersum est. Nam qui bonum accepit, bonum vtique restituere debet; tu autem qui ab alio læsus fuisti, non mali, sed boni acceptor es, si sapis: læsor enim sibi malum intulit, tibi autem bonum, atque adeo vel ex eo illi debitor existis, quia malo suo tibi bonum comparauit. Hæc ille satis acutè. Ideo Paulus postquam dixit, *Nulli malum pro malo reddentes*, breui interstitio subdit. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c. *noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Illud *vince*, aliqui ad personam referunt. Contende scilicet, vt ipsum, qui tibi malum intulit, beneficiis non vincas solùm, sed tibi deuincias. Alij ad malum illatum reuocant, hoc sensu, *Vince in bono*, hoc est, beneficiis, ac meritis malum, quod tibi aduersarius dedit, ita nimirum, vt maiora sint tua erga illum officia, quàm eius erga te demerita, ita enim de te meritus est ille (inquit Anselmus) qui detrimẽto suo tibi bene fecit, præsertim cùm tu ex eo, quod ipsi malum inferenti benefacias, lucrum tam amplũ capias: vt ergo benefaciens lucro tuo ei, qui detrimento suo tibi benefecit, acceptã gratiam exæques, longe maiora in ipsum beneficia conferre debes quàm ipse tibi bona nocendo dedit. Subdit Salomõ.

81. *Expecta Dominum.* id est, ne præceps ad vltionem sumendam ruas, sed Dominum expecta, qui etsi differt, non aufert auxilium. At cur, inquies, diutius differt auxilium, & nõ statim eripit, vendicatque ab aduersario? iam subiicio. In originibus est verbum קוה *Kauah*, quod significat propriè in aliquem respicere & intendere, vel se spectandum illi præbere, & exponere. Itaque illa verba, *Expecta Dominum*, non tantum significant ipsum spera, sed ipsũ etiam adspecta, & intentis oculis aspice. Addo etiã, illud *expecta*, perinde est ac si dicat, spectandũ te ipsi offer: igitur propterea Deus, eius, qui ab aduersario opprimitur, auxilium differt, quia gaudet se ab illo spectari, atque illũ spectare. Ait ergo Salomon, *Expecta Dominum*, non quidem otiosè, sed interim dum expectas, illum intuere, & te illi inspiciendum præbe, illum, inquam, intuere, non hominem, à quo læsus es: Deus, n. læsorem in te destinauit. Quod Dauid satis agnouit cùm de Semei dixit. 2. Reg. 16. *Dimitte eum, vt maledicat, Dominus. n. præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Et quidem ea ratione in Deum inspiciebat Stephanus inter lapidũ ictus, nec. n. canino (liceat sic dicere) ingenio in lapides irruebat, aut in eos, qui corde lapideo lapides in ipsum iactabant, sed in Deum ipsum, qui lapidum ictus regebat: interim autem dum ipse in Deum tanta animi sui contentione intuebatur, Christus è cœlo se ipsi visendum obtulit, vt eum, quem prius animo intuebatur, oculis etiam obiret.

82. Rursus cùm ait Salomon, *Expecta Dominum*, perinde est ac si dicat, tui ipsius spectaculum maximè iucundum illi exhibe, nullum. n. Deo gratius spectaculũ offerri potest, audi Senecam. *Haud scio*, inquit, *an aliud spectaculum habeat in terris, Deus quod iucundius aspiciat, quàm virum fortem, decertantem cum aliqua calamitate.* Verba alibi dedimus. Sed vnde tanta huius spectaculi voluptas? sanè non aliunde, nisi quia in aliis certaminibus cũ athletæ pugnant, *vincit manus*, inquit Chrysost. *sed iacet animus* (ab ira victus:) *in hoc autem viri tolerantis certamine homo vtique dat manus, sed animus vincit, ac triumphat*, dignior autem est animi, quàm corporis victoria, vt Dei oculos ad se conuertat. Quapropter huius stadij, in quo iã nobile Deo exhibetur spectaculum, leges sic statim describit hom. 27. in Epist. ad Rom. *Ex diabolicis legibus est male faciendo vincere, propterea in Olympicis certaminibus diabolo consecratis ad eum modũ vincunt quotquot illic decertant in stadio verò Christi non est ea certandi lex, sed omnino contraria: Hic. n. non eum, qui percutit, sed eum, qui percutitur, coronari decretum est: tale siquidẽ Christi stadium est, vt contrario modo habeant, quæcumque illi ordinata statutaque sũt, vt nõ solùm ipsa victoria, sed & ipso etiam victoriæ modo fiat, quod maius habeat miraculum: quando enim ea, quæ alibi fragilia deuictaque videntur, talia redduntur, vt ea ipsa vincere deprehendantur, illud demum diuinæ virtutis, illud cæleste stadium, Dei & Angelorum illud Theatrum est.* Ideo Paulus ait, *Vince in bono malum*, hæc. n. victoria diuinis oculis digna est. Sed quatenus expectandus est Deus? vsque dum ipse iudicet, atque vindictam sumat, ipse. n. ait Deuter. 33. *Mea est vltio, & ego retribuam*, & ad Hebr. 10. *Mihi vindicta, & ego retribuam:* & Eccl. 28. *Qui vindicari vult à Deo, inueniet vindictam.* Non quasi vindictam à Deo postulare integrum sit, sed quia ipsi Deo id committendum, omni cura deposita. Illud tamen nobis enixè postulare licet à Deo, vt nos ab hostis iniuria liberos esse iubeat. propterea subdit Salomon.

Et liberabit te, Non dicit vindictam ab aduersario tuo expetet, sed, *liberabit te*, hoc. n. tibi velle, & exoptare, & contendere à Deo licet, eripi scilicet ab aduersario, & ab eius iniuriis tutum reddi.

23. *Abominatio apud Dominum pondus & pondus: statera dolosa non est bona.*

Abominatio Domini, &c. Hebr. *Et bilances doli non bonum.* Septuag. *Est statera dolosa non bonum coram eo.* Chald. *Non placet coram eo.* 83.

Prior pars huius sentẽtiæ occurrit supra in hoc ipso c. vers. 10. posterior autem c. 11. vers. 1. vide ibi plura.

24. *A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viã suã?*

A Domino diriguntur, &c. Hebr. *A Domino gressus viri.* Septuaginta. *Mortalis autem quomodo cogitauerit vias suas.* 84.

Vis huius sententiæ est etiam aperta. Domini est regere gressus, hoc est, studia, & consilia hominis, supra c. 6. *Domini est dirigere gressus eius*, & Hierem. 10. *Scio Domine, quod non est hominis via eius, nec viri vt dirigat gressus suos.* Et quidem hoc ita proprium Dei est, vt nec ipsemet homo satis agnoscere queat viam suam, id est, studia sua nedum dirigere, & ad aliquid destinare, vel nescit quò tandem euasura sint sua studia, nam eius est finem cuiuslibet actionis statuere, cuius est dirigere & ordinare. Hæc sanè verba prædicant Dei gratiam, tam præuiam, & antecedentem, per quam voluntas in recta opera intenditur, quàm subsequentẽ, per quã executioni expeditur via. Rursus possũt hæc verba non de singulis actionibus honestis, ac piis; sed de toto vitæ curriculo explicari, qui sensus mihi accommodatior videtur ad hunc modũ. *A Domino regũtur gressus viri*, id est, totius vitæ actiones Deus moderatur, atque adeo quò tandem via, id est, vita hominis euasura sit, & quẽ finẽ habitura, nemo assequi potest, neque enim licet ex anteactis, aut præsentibus futura statuere. Existimo autem his verbis suaderi timorem Dei, & gratiæ necessitatem.

Symmach. pro *via*, habet τροχιαν, id est, *viam curulẽ*, seu *orbitam*, quæ vox emphasim habet in hoc loco, exaggerat. n. hominis ignorationem, qui non semitã aliquam auiam, & deerrantem, sed quod mirabile est, viam suam curulem, & tritam, id est, modum viuendi consuetudine, & vsu tritum non satis cognoscit, & fines eius ignorat. 85.

Vel

Vel aliter. *Non intelligit τροχιάν.* i. viam curulem, Regiam, & certam ſibi inuenire, quę ipſum ad finem optatum deducat, nullus hominum poteſt, *Sed Domini eſt greſſus regere,* & hominem in orbitam, id eſt, in eam viuendi rationem inducere, qua expeditè & celeriter, quaſi per viam quandam curulem ad finem pergat. Hanc extremam interpretationẽ reliquis antepono, atque inde colligo neminem ab ea via, in quam à Deo vocante, & impellente inducitur, exorbitare debere, hæc.n. illi curulis, & facilis, & procliuis ad deſtinatum finem, hæc, inquam, illi *τροχιάν.* j. currus via, quia per illam nõ tam incedit, quàm vehitur, quo nihil ſuauius, ac iucundius, reliquæ verò viæ, quas homo non ex Dei impulſu, & afflatu, ſed ex proprio conſilio ſectatur, difficiles illi, accliues, ſalebroſæ, & deerrantes, & ad præcipitia ferentes, &c.

25. *Ruina eſt homini deuorare ſanctos, & poſt vota retractare.*

86. RVina eſt homini, &c. Hebr. *Laqueus hominis deuorauit ſanctitatem, & poſt vota inquirere.* Vox.n. Hebraica, quæ ſubeſt *ruinæ* laqueum ſonat: pro ſanctis autem eſt קדש *Kodes.* j. ſanctitas. Solent autẽ ſumi in ſcripturis paſſim abſtracta pro concretis, *ſanctitas* ſcilicet pro *ſancto,* beatitudo pro beato, iuſtitia pro iuſto. Accipi etiam ſolet *Kodes,* pro ſanctuario: hinc nata tranſlatio Chaldaica. *Laqueus eſt homini, qui deuouit ſanctuario, & poſtea tangit eum anima ipſius.* Septuag. verò ſic habent. *Laqueus verò cito quid ex propriis ſanctificare, poſtea.n. quam voluerit euenit pœnitere.* Origen. hom. 11. in Leuiticum ſic extulit priora verba. *Laqueus eſt viro forti, &c.* Huic loco in antiquis codicibus Vulgaris non vnum irrepſerat mendum, in quibuſdam enim erat, *Ruina eſt homini deuorare ſanctos,* in aliis verò *deuotare ſanctos,* rurſus etiam in aliis *deuorare,* aut etiam *deuotare ſancta*: ſed noua correctio locum purgatum nobis dedit. Et quidem loco illius verbi, *Deuorare,* occurrit in primitiuis ילע *Ialagh,* ex verbo לוע *Luangh,* quod eſt *abſorbere,* apud aliquos etiam *præcipitare,* Iob. 9. *Vnde, & verba mea dolore ſunt plena,* alij legunt, *Vnde, & verba mea abſorpta,* vel *deuorata fuerunt,* alij *præcipitata,* ſumitur metaphora ab illis, qui aliquid abſorbent, aut deuorant, aut qui è faucibus illud ad ſtomachum ocyus deuoluunt, & præcipitant.

87. His præmiſſis aliorum interpretationes perſtringam, ſunt.n. multæ. Primò, qui mendoſam olim lectionem ſequuti fuerunt, ſic locũ ediſſerebant, *Ruina eſt homini deuotare ſanctos.* Quidam verbum *deuotare* barbarum, & inuſitatum eſſe dicunt, ſed falluntur, quando quidem illo vſus eſt Cicero in Paradoxis, vbi ſic habet. *Que patrem Decium, que filium deuotauit, & immiſit in armatas hoſtium acies.* Et Apuleius lib. 9. Metamorph. *Cœli numina, quæ deierando ſubito deuotaſti.* Ergo lectionem iſtam ſatis antiquam, Salonius, Lyra Beda, Gloſſa, Dionyſ. Hugo & alij ſic exponunt. *Deuotare* eſt ſeſe ad aliquid faciendum deuouere. Olim.n. deuotio appellabatur, cùm vnus, aliquis vel plures nihil cibi, aut potus ſe ſumpturos vouebant, donec rem aliquam ſuſceptam conficerẽt. Huius generis aliquæ deuotiones occurrunt in ſacris 1. Reg. 14. *Adiurauit autem Saul populum, dicens, maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis.* Et actorum 23. *Quadraginta viri deuouerunt ſe nihil manducaturos, aut bibituros, donec occiderent Paulum.* Itaque ſic locum iſtũ exponunt. *Ruina eſt homini, &c.* j. in maximum labitur peccatum quiſquis ſeſe deuouet ad inferenda ſanctis mala, voto autem emiſſo, aut deuotione facta non tenetur rem præmiſſam exequi, ſed potiùs reſcindere, & retractare.

Cicero. Apuleius. 1. Reg. 14. Actor. 23.

88. Secundò, alij verbi *deuotare,* germanum ſenſum ignorantes ſic exponunt, vt præpoſitio, *de,* in compoſitione ſignificet priuationem, ac ſi diceremus vulgò, *Deſuotar lobotado.* j. votum emiſſum reſcindere, aut etiam de illo dubitare iterum tractando, aut inquirendo an obliget, nec ne, grauis in culpam lapſus eſt. Sed tamen cùm iſta lectio aliena ſit, & mendoſa, vt ſupra diximus, non admodum curanda, aut euoluenda eſt. Miſſam facio etiam alteram lectionem, *Ruina eſt homini deuotare ſanctos,* quam aliqui ſic exponunt. Perniciosum homini eſt viros pios ac ſanctos in votis noſtris denigrare, ac famam eorum lædere, eſt.n. mendoſa, & corrupta.

89. Tertiò, igitur ex Hebræis, qui ſacrificia, & victimas plures Deo vouere, & mactare ſolebant, non pauci locum iſtum exponunt ad hunc modum. *Ruina eſt homini deuorare ſancta,* (ſic.n. legunt) & *poſt vota inquirere.* j. piaculum eſt magnum ouem, arietem, bouẽ, aut quodlibet aliud mundum animal ex voto Deo mactandum domi deuorare, & inſumere, ac poſteà rationem aliquam veſtigare, qua te ab obligatione voti exoluas. Et quidem ad hanc expoſitionem allici etiam poteſt Vulgata tranſlatio, ſi quidem per *ſanctos* ſancta accipiamus, ſumpto genere maſculino pro neutro, quod aliàs non eſt inſolens ſcripturæ, vt docet Hieronymus in cap. 7. Eccleſ. Geneſ. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* In primitiuis eſt, *Non eſt bonus hominem eſſe ſolum.* Et eadem ratione in Pſal. 118. iuxta Hebraïcam lectionem ſic habetur. *Bonus mihi lex oris tui,* & Micheæ 5. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda,* quod aliqui ſic accipiunt, Parum eſt te eſſe, ac numerari inter millia Iuda, ergo ad eundem modum licebit in hoc loco per *ſanctos* ſancta accipere, atque adeò idem ſenſus euadet.

Hieronym. Pſalm. 118. Michea 5.

90. Quartò, Caietanus per *ſancta* intelligit decimas, primitias, & alia tributa, quæ Leuitis ex religione perſoluenda erant, ita vt ſenſus ſit. *Laqueus eſt homini deuorare ſancta, aut ſanctitatem,* &c. ſic.n. ipſe legit, ille ſcilicet ſe magno ſcelere obſtringit, qui decimas, primitias, & alia Sacerdotibus debita munera deuorat, & inſumit, & poſteà addubitans de ſua obligatione ſedulò inquirit modum quo illam excutiat. Licet etiam aliter extrema illa verba replicare, & *poſt vota inquirere:* nimirùm poſtquam ſuos fructus deuorauit ac conſumpſit inquirere, & veſtigare vnde ſoluat, ita vt illud. *poſt,* ſit loco aduerbij *poſteà,* & nomen *vota* ſit caſus verbi, *inquirere,* expoſitionem hanc recipit etiam Origenes.

Caiet.

Quintò, ex Hebræis alij ſic legunt. *Ruina eſt homini loqui ſanctitatem, & poſt vota inquirere,* putant.n. verbum illud *Luangh,* hanc etiam inter alias ſignificationes recipere. Loqui autem ſanctitatem perinde eſſe dicunt, atque rem aliquam Deo verbis propriis conſecrare, & deſtinare, atque hæc interpretatio, quod ſpectat ad prius hemyſtichium, à ſuperioribus non abit, ſed tamẽ circa poſterius aliquo modo euariant: ſic.n. aiunt. Homini ſanè exitiale eſt aliquam rem deſtinatam, & certam diſertis verbis Deo conſecrare, *Et poſt vota inquirere.* j. poſt vota nuncupata aliam deteriorem veſtigare, vt eam loco prioris ſupponant. Quaſi dicat, homini non ſolum integrum non eſſe vota reſcindere, ſed etiam commutare poſtquam fidem ſuam Deo adſtrinxit. Ad has omnes interpretationes haud coactè allici poteſt vulgata tranſlatio, ſi tamen per ſanctos ſancta concipiamus, vt ſuprà obſeruaui.

91. Sextò, eodem modo aptari poteſt Vulgatæ lectioni interpretatio Septuag. quæ reliquis, mea quidem ſententia,

Septuag.

ſententia, anteponenda eſt. *Laqueus eſt cito quid ex propriis ſanctificare, & poſtquam vouerit euenerit, pœnitere.* Sed expende prius emphaſim huius lectionis. Sanè rem aliquam *deuorare* tunc dicimur, cùm eam dentibus non terimus, aut comminuimus, ſed integram in ventriculum deuoluimus: Cùm verò iſtud verbi ad animum transfertur, ſignificat res ſine præuia diſcuſſione ac præmeditatione temerè aggredi, aut perficere ſicut etiam ex aduerſo ruminare, & dẽtibus conterere, cùm ad animum aptatur, ſignificat attentiùs meditari, & cogitare. Quapropter *Sancta deuorare*, iuxta hunc ſenſum nihil aliud eſt, quàm eadem integra, & indiſcuſſa tranſmittere, nimirum vota ſua temerè, & inconſideratè abſque præuia conſideratione, & conſilio Deo nuncupare. Huic ſignificationi accommodauit verbum deuorandi Tullius

Cicer. in Bruto, *Itaque*, inquit, *eius oratio nimia religione attenuata, doctis, & attentè audientibus erat illuſtris, à multitudine autem, & à foro deuorabatur.* Ergo Sept. metaphorã ſoluentes ſic aiunt. *Laqueus eſt cito quid ex propriis ſanctificare*, &c. i. homo, qui temerè, & inconſideratè rem aliquam Deo vouet, ſemetipſum illaqueat, obſtringitque arctiùs vota enim ſtrictiſſimè obligant. Vel, *laqueus eſt*. i. conſcientiam ſuam deuincit, & ſibi ipſi laqueum iniicit, necdum enim votum concepit, cùm è veſtigio vouiſſe pœnitet, atque adeò votum tranſgredi ſæpius cogitur. Hunc ſenſum capit etiam Vulgata lectio, ſi tamen per *Sanctos* ſancta accipiamus, vt ſupra dixi.

92. Cæterùm licet hæc aptè dicta videantur, adhuc tamen aliud aliquid animus optat, quod in Vulgatã lectionem aptiùs cadat. Dicam ergo quid animo ſederit meo. Igitur illud *retractare*, non ſolùm ſignificat apud Latinos aliquid reuocare, & reprobare, ſed ſæpiùs etiam ſonat iterato verſare, & retractare, ſeu

Cicer. Iterat. refricare. Cicero ad Atticum. *Sed hæc omittamus, augemus enim dolorem retractando.* Horatius.

Sed ne relictis Muſa procax iocis
Cæa retractes munera Næniæ.

Et paſſim alibi inuenies verbum iſtud in ea ſignificatione, ad quam pertinere videtur lectio originalis, quæ ſic habet. *Et poſt vota inquirere.* i. curioſiùs quærere, & rem apud ſe verſare. Ait ergo Salomon, *Ruina eſt homini deuorare ſanctos.* i. lapſus eſt grauis, & piaculum ingens, viros ſanctos, & iuſtos minimè repugnantes ſpoliare bonis ſuis, & poſteà ex his bonis vota Deo nuncupare, hoc ſibi vult, & *poſt vota retractare*. i. poſt modũ de muneribus Deo libandis apud ſe tractare & decernere. Itaque verbum *retractare* ad vota referendum eſt, & particula, *poſt*, aduerbialiter ſumenda. Hanc expoſitionem commendant ſimiles

Abac. 3. aliæ ſcripturæ loquutiones. Abacuc 3. *Exultatio eorum, ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito.* i. qui illum fortunis ſuis ſpoliat. Et cap. 1. *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorẽ ſe?*

Pſal. 34. Et Pſal. 34. *Ne dicant deuorabimus eum.* Si verò verbum illud *retractare*, idem ſit quod *reuocare*, & reprobare, ſenſus etiam ſic inſtitui poteſt, *Ruina eſt homini deuorare ſanctos*, pios ſcilicet, ac probos viros fortunis ſuis priuare, homini pernicioſum eſt. *Et poſt vota retractare*, nimirum poſtea quàm vota emiſſa ſũt eadẽ reuocare, & refellere: quaſi dicat, hæc duo valde inter ſe ſimilia, & ſimili quoq; modo homini pernicioſa, & Deo inuiſa, ſanctos ſpoliare bonis ſuis, & Deum etiam ſuis: nam is, qui Deo vota conſecrata non exſoluit, Deum etiam quodammodo bonis ſuis priuat, cui non eſt diſpar ille, qui iuſti, atque pij hominis fortunas diripit, quia ſancti cuiuſcumque, ac probi hominis bona omnia Deo cõmiſſa, & ſub eius patrocinio ſunt, atque adeò non ab ipſo tantum iuſto, ſed à Deo quodammodo auferri dicenda ſunt.

---

26. *Diſſipat impios Rex ſapiens, & incuruat ſuper eos fornicem.*

Diſſipat impios, &c. Hebr. *Spargit impios Rex ſapiens, & redire facit ſuper eos rotam.* Chald. ſimili modo *Et voluit ſuper eos rotam.* Sept. *Ventilator impiorum Rex ſapiens, & immittet illis rotam.* D. Auguſt. in Pſal. 11. ſic addit. *Et immittet illis rotam malorum.* Et quidem vox originalis, quæ hîc occurrit loco *fornicis*, eſt אופן *Ophan*, ſignificatque rotam, & circumferentiam cuiuſlibet rei, atque adeò noſter interpres ſatis aptè fornicẽ conuertit, vt ex dicendis conſtabit. 93.

Imprimis ergo licet euoluere tranſlationem illam Hebræis familiarem, quã Septuag. etiam amplectuntur: illam, inquam, quæ pro fornice rotam ſubiicit ad hunc modum *Diſſipat impios Rex ſapiens, & voluit ſuper eos rotam.* Igitur inter Rabinos aliqui exiſtimant in hoc loco ſatis perſpicuè adluſum ad ſtragem, quã Dauid edidit in Ammonitas 1. Reg. 12. ad hunc modum. *Populum quoque eius adducens ſerrauit, & circum egit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitque cultris, & traduxit in typolaterum.* Ita vt ſenſus ſit, Rex quilibet ſapientia inſignis Dauidicum illud facinus imitari debet, & ſimili ſtrage impios euertere, deuolutis deſuper eos rotis ferratis, & præacutis. Non probo. 1. Reg. 12.

94. Isai. 28. Alij rurſus putant ſimilitudinem duci hîc à meſſis trituratione, quam rotis ſuper ipſam deuolutis olim fieri ſolitam comprobat locus Iſaiæ 28. *Non. n. in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper Cyminum circuibit.* Et infra. *Verum non in perpetuum triturans triturabit illud, neque vexabit eum rota plauſtri.* Sẽſum autem ſic conformant. *Diſſipat, aut diſpergit impios Rex ſapiens*, &c. nimirum impios ex locis, in quibus degunt, tamquam improbam meſſem demetet, aut euellet, & immiſſis rotis eandem conteret, & comminuet. Huc ſpectare alicui videbitur tranſlatio Sept. quæ ſic habet, *Ventilator impiorum Rex ſapiens, & immittet illis rotam.* Sed iſthæc verba aliam venuſtiorem ſimilitudinem offerre mihi videntur. i. Quemadmodum peritus agricola plauſtri rotas ſuper meſſem voluit, deinde paleas contritas euentilat, triticum adſeruat: ſic etiam Rex prudens impios ciues ſeueriſſimis pœnis conterit, & poſtmodum illos, ſeu paleas inutiles euentilat, & è regno ſuo expellit. Hæc fortaſſe fuit etiam mens Prophetæ Pſal. 82. *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* i. illos, ſeu paleas ſtipulaſque rota cõtere, ac poſtmodum, *Ventis expone, ſeu euentila.* Probos autẽ ciues ab his ſecernit & ſegregatos, ſecretoſq; apud ſe retinet. Pſal. 82.

95. Ad hæc nonnulli hanc rotæ ſimilitudinem de fortunæ conuerſione, & mutatione exponunt hoc modo. *Diſſipat impios Rex ſapiens, & conuertit ſuper eos rotam.* Rex nimirum ſapientia, & prudentia præſtans, impios ciues non ſinit diu fœlices eſſe, ſed voluit rotam fortunæ ſuper eos, & è faſtigio ſupremæ dignitatis, ad infimam cõditionem deponit: hoc. n. ipſi Regi auctoritatem ſummam conciliat, & impiorum audaciam magnopere coërcet. Huc ſpectauit ille quiſquis dixit, Reges his adſimiles eſſe, qui rotas vertunt ſuper ciſternas, aut puteos, qui alios viciſſim extollunt, alios deponunt, alios implent bonis omnibus, alios verò quos ad ſuprema dignitatum faſtigia plenos, ac redundantes extulerunt, exhauſtis bonis omnibus deiiciunt, ac deuoluunt. Vnde Seneca de Clementia lib. 2. ad hanc ſimilitudinem rotæ ſuper aquã conuerſæ planè adludens ait. *Faſtigia potiùs time quàm ama, ne te inde vacuũ, & inanẽ fortuna rota vertente demittat.* Princeps ergo, qui priuatorum fortunam quodammodo regit, eam rotam aſſiduò voluat, Seneca.

vt

vt bonos in officio contineat, & impiorum audaciam compeſcat.

96. Cæterùm, licet hæc haud ineptè huic ſententiæ accommodètur, tamen per rotam hic ſignificari puto tormenti genus, quod Græci τροχὸν appellant, quod noſter Ioan. Ludou. de la Cerda in libr. 6. Æneid. eruditiſſimè deſcribit. eiuſque immanitatem, & formam omnem latiſſimè proſequitur. Huius rotæ non ſemel ſcriptura meminit. Imprimis enim Ioſephus ſeptem fratrum Machabæorum glorioſam necem narrans aſſerit tertium, & quartum fratrem neſcio an alios in rotam actos & diſtentos fuiſſe. Ad hæc interpretes ad illa verba Iob 15. *Terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum, ſicut Regem qui præparatur ad prælium.* Expendunt vocem Hebraicam כידור *Cidor*, ac per illam eiuſmodi rotam ad torquendos reos inuentam notari affirmant. Aliqui etiam adducunt Dauid de hoc loquutum ſupplicio Pſal. 82. cum ait, *Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Rurſus de hoc tormenti genere accipi debet Iacobus in Canon. Epiſt. cap. 3. vbi linguæ perniciem exaggerans ait. *Et inflammat rotam natiuitatis inflammata à gehenna.* Vbi rotam natiuitatis appellat, idest, rotam innatam, ſeu à natura cuilibet homini inditam. Hæc autem eſt propria cuiuſlibet hominis conſcientia, in qua animus velut in rota ſuſpenſus toties torquetur, quoties delinquit: At, inquies, quorſum Iacobus dicit *inflammat*, id enim alienum à rotæ ſuplicio? Imo potiùs cum ipſo maximè conforme: quia, vt acutè obſeruauit noſter Cerda, rotæ carnificina non hebat ſine igne, Apulei lib. 3. *Nec mora cum ritu Græcienſi ignis, & rota inferuntur.* Sed luculentiſſimè Ioſeph. loco citato, *Præparatur incendium, & vt erat affixus rotæ, igni vt cataſta obijcitur, atque ita tendentibus corpus radijs, & contrahentibus è contra flammis, coſtis deinde parentibus laterum vitalia rumpuntur.* Quibus verbis rationem attigit, cur ignis ſubijci ſoleret his, qui in rota diſtendebantur. Ad hæc Euripides reum è rota ſolutum deſcribens ſic addit:

Ignitam [illegible] terram cadit cadauer.

Et Tull. in libr. de pudicitia. *[illegible] incendio* adſtricto. Hæc omnia ex Cerda libenter, quæ hunc locum Iacobi valde illuſtrem reddunt. Sen[s]us itaque illius admodum ſincerus hic, eſt lingua pernicioſum vtique, atque execrandum membrum eſt, quæ ſæpius delinquens, ſæpè etiam animum noſtrum in rotam illam à natura hominibus inditam, nempe conſcientiam propriā agit, æſtúmque velut immiſſo igne torquet, ac [illegible]. Quid enim conſcientiæ magis proprium quam [illegible] reum id eum modum excruciare, & torquere? hoc illud eſt quod, *Inflammat rotam natiuitatis inflammata à gehenna*, ipſa ſcilicet à gehennali igne [illegible] conſcientiæ rotam eodem igne accendit; ſed de hoc loco nonnihil etiā alibi diximus. Ad rem.

97. Salomon ergo ſuadet Regi, ne mitius agat in ſceleratos, ſed vt eos rotis affigens ſæuiſſime torqueat. Sed obijcies, reos in rota ſuſpendi, aut leuari ſolitos, vt [illegible], qui hoc ſupplicium ſuſtinebant rotam inſcendere dicebantur: hinc Tullius c. Tuſcul. *[illegible] endere,* quomodo ergo Salomon ait. *Duxit ſuper eos rotam.* Subijcio. Quamlibet ſæpius ij, qui in rotam agebantur, ipſi quidem affigi & ſubiecto igne velociter conuerti, aliquando etiam flagris cædi ſolerent, tamen nonnumquam rei rotæ [illegible], ab edito & prærupto loco in præceps agebantur, vel per latam campum trahebantur, rota ipſos viciſſim eleuante, & [illegible] premente: adi Cerdam loco citato. Rurſus aliqui obſeruant Salomonē hic nō de plebeis, & deterioris notæ hominibus, ſed de régni proceribus, iudicibus, ac magiſtratibus agere, hos enim impios appellat, qui ſua poteſtate abutentes alios opprimunt. His aſſentior. Sic [illegible] cadit verbum [illegible], aut [illegible], iacit. Rex itaque ſapiens vices commutet, & rotæ ſupplicium, quo impij magiſtratus in miſeros, inualidos [illegible] exequi parabant, ſuper ipſos conuertat, & deuolu[at] exemplo Aſſueri, qui ex ligno, in quod Aman Mardochæum agi curauerat, ipſummet ſuſpendi iuſſit. hæc de tranſlatione Septuag.

Venio ad Vulgatam lectionem. *Et curuauit ſuper eos fornicem.* Interpretes communiter intelligunt de fornice triumphali. Solebant enim Hebræi de [illegible] hoſtibus molem aliquam ſubſtruere in fornicis ſimilitudinem, captoſque aduerſarios per illam traducere in ſeruitutis documentum. Locuples huius rei teſtimoniū extat Reg. 15. vbi ſubiugatis Amalecitis, Saul erexit *fornicem triumphalem.* Apud prophanos autem paſſim horum fornicum mentio occurrit. Tullius in libr. 2. de Orator. Fabiani fornicis meminit, quem Fabius, teſte Aſcon. Padian. lib. 1. victis Allobrogibus ex marmore ſibi ſubſtruxit ad triumphum. Plutarchus etiam in vita Græcorum commemorat Calphurnij fornicem Itaque ſenſus eſt Rex ſapientię laude celebris, coacto exercitu impios, & ſeditioſos ciues debellat, & ſuper ipſos triumphalem fornicem adſtruit, hoc eſt, in ſeruitutem redactos per triumphalem arcum tranſmittit. Licet autem interpretationem iſtam ſic excitare, & acuere, ita vt non ſignificet quid Regem facere oporteat, aut tenetur contra impios ciues, ſed quid illud rei ſapientem, & audentem, euenire ſoleat, demonſtrat. Itaque ait, *Diſſipat impios Rex ſapiens*, &c. idēſt, Rex prudentia inſignis, qui nō verebitur ciues improbos, ſed audacter illos petere & inuadere non dubitauerit, victoriam certiſſimam ab illis reportabit, atque illis debellatis, fornice ſubſtructo, triumphum agere ipſi licebit Itaque Salomō Regi ſeditioſos expugnanti certiſſimam victoriam, & triumphum pollicetur. Hanc expoſitionem Chriſto Domino accommodauit Beda, ipſum adi.

99. Sed licet hæc interpretatio appoſita videatur, aliā nihilominus ſubijciam, quæ neſcio an aptior videri debeat ad hunc modum, *Et curuauit ſuper eos fornicē.* Per fornicem intelligo, aut magnifica ædificia, aut moles, ſeu mauſolæa ſepulchrorum, quæ veteres ſibi ædificare ſolebant. Vtriuſque rei non pauca exempla ſuppetunt in ſacris. Et quidem eiuſmodi moles fornices appellari nemo ignorat. De ſepulchris ſupra cap. 2. verſ. 18. vbi pellices ex eo fornicarias nūcupari diximus, quia in ſepulchrorum fornicibus degebant. Rurſus quodlibet ædificium concameratum, & excelſum fornicis nomine cēſeri Seruius autor eſt. Mēs igitur Salomonis hæc eſt: Rex ſapientia, & prudentia clarus impios de medio tollit, ac ne ipſorum memoria ad poſteros decurrat, ſi quas ſepulchrorū moles aut mauſolæa ſibi in poſteritatis monimentum ſuſtulerunt, hæc quidem deuoluit, aut decuruat ſuper eos, idēſt, diruit, ac ſolo exæquat, quemadmodum Ioſias feciſſe fertur 4. Regum 23. hic enim eorum, qui in ſaltibus, & lucis dijs adolebāt, ſepulchra deiecit, & oſſa in cineres redegit. Vel aliter, Rex iſte ſapiens non ſolùm impios exſcindit, ſed etiam eorum palatia, & moles diruit, quam pœnam hodie in proditores leges ſtatuunt, vt ſcilicet ipſorum ædes ſolo æquentur, & ſale adſpergantur, ne quod ipſorum monimentum extet.

---

27. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris.*

100. Lucerna Domini, &c. Hebr. *Lucerna Domini mēs, vel animus hominis inueſtigans omnia intima ventris.* Alij legunt. *Omnia cubicula ventris.* Chald. *Lucerna*

cerna Domini spiraculum filiorum hominis, &c. Sept. *Lux Domini spiraculum hominum, qui scrutatur secreta ventris.* Schol. *Fax Domini spiritus hominis*, &c. Est autem pro spiraculo in primitiuis נשמת *Nismath*, ex verbo *Nasam*. i. spirare, aut spiritum trahere, sumitur pro anima. Et quidem inter נשמה *Nesamah*, & רוח *Ruang*, id discriminis interesse docent Hebræi, quod *Nesamah*, animam tantum significat, & mentem rationis participem; *Ruangh* verò latius patet. Addit etiam Rabbi Dauid in lib. radicum, eo nomine sermonem etiam notari, quia sermo aëre percusso fit. Hinc nata extrema lectio, *Lucerna Domini sermo hominis*, &c.

Hebræi ergo, qui posteriorem hanc interpretationem recipiunt, sic locum istum edisserunt, *Lucerna Domini sermo hominis*. i. oratio hominis docti, ac pij, *Lucerna Domini est*. i. clarissima, & splendidissima lux est, (solemne Hebræis est res magnas, & præstantes sic notare, nam Cedros Dei, & Montes Dei. i. cedros, montesque permagnos appellant) quæ ad aures trāsmissa auditoris beneuoli, ad animum vsque penetrat, atque illius intimos recessus luce sua complet. Vel aliter, *Lucerna Domini est sermo hominis*, &c. hoc est, sermo cuiuslibet hominis splendidissimæ cuiusdam lucernæ ad instar obtinet, per quam animi penetralia & intimas cogitationes dispicere, & intueri licet non solùm quia ea, quæ animo concipimus, sermone depromimus, sed etiam quia ex verbis, & modo loquendi studia, & consilia hominum dignoscere solemus. Philo Iudæus in lib. *Quod omnis iustus liber. Sicut ea*, inquit, *quæ in tenebris abdita sunt celantur, donec lux affulgens ea indicet: ad eundem modum cogitationes meas recondit animus in loco inuisibili donec vox lucis more ea illas retegat.* Atque idem iudicium ferendum est de studiis, & affectionibus animi, quas sermo familiaris lucernæ in morem detegit. Vnde aptè Hieronymus in Ezechiel *Mens & conscientia lucet in ore, & pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia. lucet*, inquit, *in ore*. i. os atque sermo illam latentem in lucem profert.

101. Secunda expositio satis vulgaris apud interpretes, per spiraculum hominis intelligit Dei inspirationē, & afflatum, sic Gregor. Magnus, Beda, Hugo, & alij: ex his autem Gregor. Moral. lib. 9. c. 25. sic scribit. *Sciendum est, quod in sacro eloquio ventris vel uteri nomine mens soleat intelligi, hinc est. n. quod per Salomonem dicitur, Lucerna Domini spiraculum hominis, &c. Lux enim gratiæ spiraculum hominis præstat ad vitam, quæ videlicet lux omnia secreta ventris inuestigare dicitur, quia occulta mentis penetrat, vt ea, quæ de seipsa latebant animam, ante eius oculos flenda reducat.* Et rursus in 3. parte curæ pastoralis cap. 13. sic habet. *Quia venter mens dicitur ea sententia docetur, qua scriptum est, Lucerna Dei spiraculum hominis, &c. ac si diceret, Diuini afflatus illuminatio cùm in mentem hominis venerit, eam sibimetipsi illuminans ostendit, quæ ante Spiritus sancti aduentum cogitationes prauas portare poterat, & pensare nesciebat.* Itaque D. Gregor. hæc verba duplici sensu donauit: nam in priori testimonio accepit quidē pro supposito, aut subiecto, *Lucernam Dei*, & pro prædicato, spiraculum vitæ, hoc sensu, Lucerna Dei homini pro spiraculo est, ait enim, *Lux. n. gratiæ hominis spiraculum præstat ad vitam.* In posteriori autem vice versa spiraculum pro supposito, & lucernam Dei loco prædicati sumit, ita vt sensus sit, spiraculum hominis. i. afflatus, quo Deus homini inspirat, lucem præstat & splendorem animis effundit, sic. n. subdit. Diuini afflatus illuminatio cùm in mentem venerit eam sibimetipsi illuminans, &c. Vtramque autem interpretationē capit lectio Vulgata (est. n. stylus anceps, & ambiguus) quæ etsi parum inter se dissidere videantur, tamen vnaquæque propriam quandam energiam habet. Prima enim docet gratiam Dei, quam lucernæ nomine accipit, homini pro spiraculo esse ad vitam: quod dupliciter capi potest, nimirum homini esse pro vento illo cuius vsura viuit, vel pro spiritu, & anima, cuius infusione animatur. Et quidem vtrumque satis accommodatè de diuina gratia enunciari potest. Primò enim hæc gratia animæ, liceat sic dicere, pro respiratione est; nam quidquid respiratio corpori præstat, hoc diuina gratia præstat animæ. Succedat memoriæ id, quod alibi dedimus ex D. Cypriano oratione 5. in Pentecostem, depromptum ex isto spiritu quem ducimus, *Fieri respirationem, adspirationem, suspirationem, expirationem, inspirationem*, respiratio vitam, expiratio mortem sonat, adspiratio effusum ad superiora halitum, inspiratio immissum ad interiora flatum significat, suspiratio verò interruptum dolore anhelitum adumbrat. Ergo cùm ait Salomon Dei gratiam pro spiraculo animis esse, vtique innuit hanc illi adinstar respirationis esse, quia ex eius vsura viuit animus, & ipsa deficiente perit.

Et quidem ista diuinæ gratiæ aura persimilis est huic auræ communi quam ducimus: sicut enim hæc semper, & vbique ori admota vt ipsam trahere, & haurire possimus, & trahentes, haurientesque mirabili quadam docilitate sponte sequitur: sic etiam gratia Dei, & inspiratio illius, semper homini præsto est: quapropter si quando homo perit non ex defectu illius diuinioris auræ perit, sed quia immissum à Deo spiritum rapere, ac per ipsum viuere non vult. 102. Rursus ex eo diuinæ gratiæ spiraculo fit in homine expiratio, & mors carnis. Paulus ad Rom. 8. *Si enim secundum carnem vixeritis moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et 1. Petr. 3. *Vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu.* Vel vt habet correctior textus. *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.* Itaque ex his liquet in eo, qui diuinæ gratiæ auram trahit, viuente, & respirante animo carnem quodammodo expirare. In causa est illius auræ subtilitas, & tenuitas. Aiunt enim hi, qui Americæ plagas emensi sunt, in sublimioribus quibusdam Peruanæ prouinciæ montibus id passim viatoribus euenire, vt cùm ad cacumen deuenerint, deficiente spiritu exanimentur: ratio autem est tenuitas & subtilitas aëris, quæ non satis crassam respirationi materiam offert vt gutture rapi, vt rapta viscera reipsa refrigerare, & reficere possit. Ad eundem modum de carne nostra pronunciare audeo, quæ cùm crassiori aura pasci soleat, vbi subtilis, ac prætenuis diuinæ gratiæ spiritus ipsi offertur, statim exanimatur, & expirat: animus autem eo spiritu naturæ suæ accōmodato viuit, atque agit. Sicut etiam è contra, si crassior illa voluptatum, libidinum, & aliarum affectionum aura carni offeratur, caro vtique viuit, animus verò interit: nam tenuis cùm sit, crassiori illo & immundo spiritu vesci non potest. Ad hæc ex diuino illo gratiæ supernæ spiraculo perficitur adspiratio: nimirum spretis caducis & terrenis ad superiora adspiratio. hinc Dauid Psal. 50. *Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Et infra. *Spiritu principali confirma me.* Vel vt alia lectio habet, *Spiritu principum*, qui ad magna semper adspirat. Sed expendere libet verba illa, *Spiritum rectum innoua.* Philosophus in lib. de respiratione, quod homo erectus incedat, & vultus ad sublimiora elatos habeat, adspirationi tribuit. Nam aura hic communis quam ducimus, ad viscera transmissa calore extenuatur, vbi autem subtilior effecta est, ad superiora vi sua adnititur, totumque similiter corpus ad superiora impellit. Huc ergo spectans Vates ait, *Et spiritum rectū innoua in visceribus meis*. i. spiritum illum tenuem, & subtilem

subtilem gratiæ tuæ in animum immitte meum, qui me à caducis ad suprema erigat, & vultus olim demissos, & pronos, ad æterna, & cælestia conuertat. Quid plura? Ex eo diuinæ gratiæ spiraculo euadit etiam suspiratio: nam suspiria, & gemitus pœnitentiæ ex diuinæ gratiæ inspiratione eueniunt, nihil enim magis diuino spiritu proprium, quàm suspiria, & gemitus in animis nostris ciere. Paulus ad Rom. 8. *Non solum autem illa, sed, & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Et infra de eodẽ spiritu gratiæ verba faciens addit. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* &c. Denique illud ipsum diuinæ gratiæ spiraculum est inspiratio, quia nimirũ Deus ipse illud in animæ nostræ penetralia immittit: atque eo sensu accipienda sunt verba Salomonis, *Quæ inuestigat omnia secreta ventris,* ducta similitudine ab aura, quam respiramus. Sicut enim hæc aura ad intimos viscerum recessus penetrat, & ea ratione cor euentilat, & æstum illius refrigerat: sic etiam diuinæ gratiæ inspiratio ad internas animi potentias peruadit, mentem confirmat, memoriam instruit, & voluntatis ardores temperat.

Ad Rom. 8.

103. Posterior acceptio prioris expositionis, in qua spiraculum habet rationem prædicati, hæc est. *Lucerna Domini spiraculum homini.* i. diuinæ gratiæ inspiratio pro anima est homini ipsi: luculentiùs dicam, ipsius animæ quædam anima est, quæ illam inanimat, & viuam reddit. Et quidem iuxta hanc acceptionem, per spiraculum hominis non sancta inspiratio, sed gratia ipsa habitualis intelligi debet, quæ verè ipsius vitæ vita, & animæ anima dici potest. Huc spectauit D. August. in libr. de genesi contra Manich. ad illa verba, *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem:* nam cùm per hanc Dei inspirationem non solum inductionem animæ in corpus, sed etiam gratiæ in animam intelligat, expendit quidem illa verba, *Factus est homo in animam viuentem.* Nã cur, inquit, *viuentem* addidit, cùm satis esset *in animam* dicere? nimirũ vt ostenderet animæ naturali vita præditæ aliam insuper animam, & vitam supernaturalem aduenire posse, nempe gratiam Dei, sine qua anima ipsa demortua est.

August.

104. Si verò secundam interpretationem Gregorij sequamur, quæ *spiraculum* loco subiecti accipit, ac de illo lucernam enũciari dicit, hoc sensu, Diuinæ gratię inspiratio pro lucerna est, alia vtique erit huius sententiæ energia. *Lucerna Domini spiraculum hominis,* &c. idest, diuini afflatus gratia, quam Deus homini immittit, lucernæ ad instar obtinet, cuius splendor animum complet, & omnes interni cordis tenebras discutit. Ergo quemadmodum superior expositio eò intendebatur vt gratiam Dei spiritui, vel auræ similem esse diceret, ita etiam hæc eò spectat, vt eandem cum lucerna componat. Huius autem comparationis vis in promptu est. Et quidem gratia, & auxilium Dei ob innatum splendorem à Patribus aliquãdo Soli exæquatur, qui in minori mundo, idest, in homine, splendidè lucet; sic Macharius hom. 7. Aliquãdo luci in vniuersum, Fulgentius ad Theodorum Senatorem, vbi gratiæ necessitatem ea similitudine perelegantur expressit. *Oculus enim,* inquit, *factus est vt videre lumen possit, sed videre non potest, nisi illi lumen adsit; ita bonum, quod facis, gratia ad scribendum: nam quod vides oculus, beneficium est luminis, quo si careat, cæcus remanebit in tenebris.* Sed licet præfatæ similitudines appositæ sint, tamen lucernæ comparatio, ni fallor, aptiùs in illam cadit. Lege Chrysost. in hom. 11. in priorem Epistolam ad Thessal. ad illa verba. *Spiritum Dei nolite extinguere,* vbi illam latè cum lucerna cõponit, & modos omnes, quibus lucerna restingui potest, venustè admodum gratiæ diuinæ accommodat. Interim autem in verbis Pauli obseruare licet eandem energiam, quam in Salomonis sentẽtia hactenus vidimus. *Spiritũ Dei nolite extinguere.* quod enim extingui potest, lucerna est, Dei ergo spiritum cum lucerna etiam comparat Apostolus. Et sanè lucernæ nomen aptissimè in gratiæ spiritũ cadit. Primò, quia per eam significatur infirmitas hominis, qui gratiæ lumen facilè amittit, quia vt ait Gregor. *Lucerna est lumen in testa fictili.* ita etiam gratia, & splendor quidam in homine, seu in luteo quodam vase, atque adeò fragili, micãs. Rursus innuitur gratiam omnem à Deo esse, alioqui non esset gratia. August. in Psal. 18. *Quidquid promisit, indignis promisit, vt non quasi operibus merces tribueretur, sed à gratia, à nomine suo gratis daretur, ab illo enim fit homo iustus, qui numquam potest esse iniustus: sicut enim lucerna non à se ipsa accenditur, sic nec anima humana sibi præstat lucem, sed clamat ad Deum, tu illuminas lucernam meam Domine.* Mitto alia, quæ de hac similitudine passim occurrunt apud Patres.

Macharius. Fulgentius. Chrysost. Gregor. Psalm. 18.

105. Subdit Salomõ. *Quæ inuestigat secreta ventris,* quia diuinæ gratiæ splendor ad internum animum peruadit, & secreta, seu recessus, seu cubicula, hoc est animi potentias, & vires, discussis ignorantiæ tenebris luce sua collustrat, & ad rectè agẽdum informat. Sed si verbum, *inuestigat,* in lancem mittas, metaphoram ab eo sumi dicemus, qui accepta lucerna aliquid curiosiùs vestigat, atque eo consilio totã domum euoluit, & intimos recessus perlustrat. Ad eundem modũ animus vbi gratiam Dei excepit, se ipsum, & potentiarum suarum cubicula, recessusque intimos curiosè lustrat, omnia denique euoluit, ac disquirit. Quorsum? Caietan. *vt semetipsum inueniat,* nihil enim difficilius: reliqui, vt elapsæ vitæ culpas, & crimina deprehendat, sed tamen hæc minora sunt.

106. Denique subscribenda est tertia interpretatio, cui ego etiam plurimum tribuo, hæc autem per *spiraculũ hominis* mentem ipsius accipit. Suadet hoc nomen ipsum Hebraïcum, quod, vt supra adnotaui, mentem sonat, ipsa etiam sententiæ structura, dicitur enim *spiraculum hominis:* gratia autem non hominis, sed Dei potiùs adspiratio dici debet. Ait ergo Salomon, *Lucerna Domini spiraculum hominis,* idest, mens quidem lux est à Deo homini immissa, vel certè lux magna, & splendidissima iuxta modum illum loquendi Hebręis familiarem, quẽ supra adnotaui, lucerna scilicet alias omnes lucernas vincens, est mens humana: nam aliarum splẽdor lucernarũ obiecto quouis corpore opaco deficit, & vlteriùs non peruadit; at mens omnia penetrat, adeò vt nec crassissimi corporis obiectu cõtineri possit, quominus eius lux ad interna, & arcana cordis perueniat, & latentes in animis aliorum cogitationes deprehendat. Et quidem licet aliæ expositiones aptæ sint, hæc tamen mihi magis probatur.

---

28. *Misericordia, & Veritas custodiunt Regem; & roboratur Clementia Thronus eius.*

107. *Misericordia, & Veritas,* &c. Heb. *Et fulsit in misericordia thronum suum.* Chald. *Et præparatur in Clementia Thronus eius.* Sept. *Misericordia, & Veritas tutela Regi, & circuibunt in iustia sedem eius.* Aquila, & Sym. *Misericordia, & Veritas conseruabunt Regem.* Lucifer pro S. Athanas. integram sententiam sic extulit. *Misericordia, & Veritas tutela est Regi, & circuibunt iusti sedem eius.* Et quidem vox primitiua, quæ subest illi verbo *roboratur,* est סעד *Saghad,* quę propriè significat stabilire, & cõfortare, apud quosdam etiam fundare. Caiet. & alij pro misericordia *gratiam* reddunt.

108. Sententia est perspicua, nam vt sæpè aliàs monuimus,

mus, quoties misericordia, & veritas simul occurrunt in hoc libro, per misericordiam significantur omnia officia beneuolentiæ, & gratiæ proximo exhibita, per *Veritatem* verò significatur iustitia, & æquitas: atque adeò sensus est, *Misericordia & Veritas custodiunt Regem*, &c. id est, beneficientia, & Clemētia erga probos, & iustitia seueritásque erga improbos Regem seruant: beneficentia enim probos erigit, ac Regi deuincit. Iustitia verò improbos deprimit, & longiùs arcet à Principe. Sed licet vtraque virtus Regi maximè pernecessaria sit, sed Clementia imprimis: hæc enim roborat Thronum eius, ac stabilitate perpetua illum donat.

108. *Misericordia*, inquit, *& Veritas custodiunt Regem*, in primitiuis est יצרן *Istru*, à radice נצר *Natsar*, quæ sæpiùs ad militiam pertinet, vt obseruant ex Rabinis non pauci: significat enim custodiam militū aut excubiarum; quapropter licet vtroque modo exponere. Misericordia nimirum, & Iustitia, tamquam milites duo fortes, ac strenui, satellitium illi præstant, vel tāquā duæ excubiæ Regi asseruando inuigilant. Et quidem Iustitia, & Clementia duo sunt fortissimi Regiæ maiestatis satellites, qui latera ipsius obsidentes omnem vim ab ipso prohibent. Nam Clementia Principis hostes ad mansuetudinē adducit, eos autem, quos Clementia non liniuit, Iustitia vlciscitur, ac de medio tollit. Iustitia, inquam, non crudelitas: nam iustitia aduersarios aufert, crudelitas verò multiplicat. Iustitia quippe maleuolos vlciscitur, amicos autem beneuolósque ciues non irritat, sed continet: crudelitas verò etiam amicos ad odium conuertit. Quapropter aptè ad hanc satellitij similitudinem Seneca in lib. de Clementia. *Non est opus latera montiū abscondere multiplicibus muris, ac turribus sæpire, saluum Regem Clementia in aperto præstabit, crudelitas hostes multiplicat.* Quomodo autem crudelitas aduersariorum numerum adaugeat, venusta similitudine declarat. *Quemadmodum præcisæ arbores pluribus ramis repullulant, & multa satorum genera, vt densiora surgant, rescinduntur; ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo.* Mens igitur Salomonis hæc est, *Misericordia & Veritas custodiunt Regem.* i. si qui fuerint Reges, qui crudeliter in suos desæuiant, hi sanè multis satellitibus indigent ad tutelam, qui vero Clementiā, & Iustitiam erga suos exercent, multis præsidiis opus non habent: nam istæ duæ præstantissimæ virtutes ipsos tutiores, ac securiores esse iubent, quàm si multæ militum manus satellitium eisdē præstent. Et quidē duo illi satellites Clementia, & Iustitia, sic regium latus præcingere debent, vt Iustitia semper exarmata, Clementia verò semper in procinctu sit. Eam legem Principi indixit Publius Mimus, *Seueritatē*, inquit, *abditam, Clementiam verò in procinctu habe.* Iubet autem seueritatem, & Iustitiam concludere, & exarmare, ne prima prosiliat ad pugnam, sed locum Clementiæ semper faciat, interimque dum clementia Principis aduersariorum animos bene merendo expugnat, seueritas arma capessat, vt eos, quos Clementia non vicit, ipsa prosternat, atque euertat.

Seneca. Pub. Mim.

109. Rursus si verbum illud, *Custodiunt*, perinde sit atque, *excubant*, sensus erit, Misericordia, & Veritas custodiunt Regem, id est, tamquam duo excubitores peruigiles illum adseruant, & muniunt. Hæc sunt, quæ Regibus somnum eripere possunt, publicæ administrationis cura, & proditorū perfidia. Eapropter Homerus (cuius verba supra dedimus) Reges admonet, ne totā noctem dormire velint. Et Senec. in lib. 3. de Ira, Imperatorem numquam suauem, & placidum somnum captare posse dicit. Aptiùs Salomō, qui ex aduersó docet fieri posse, vt Princeps totam noctē toto dormiat, & somnum placidè carpat, si videlicet ipse sibi duos excubitores præficiat, scilicet Clementiam, atque Iustitiam: istæ enim duæ virtutes ab administrationis publicæ curis, & metu perfidiæ, quæ Regum quietem exturbare consueuerunt, eiusdem animum securum esse iubent: Clementia enim perfidiam aduersariorum ad fidem adducit, Iustitia verò publicas curas aufert.

Misericordia, & Veritas, inquit, *custodiunt Regem.* 110.
i. illum ab interitu vendicant. D. Thom. in titul. de Principis eruditione lib. 1. c. 15. expendens ista verba sic ait. *Multum necessaria est Principi Misericordia, custodit. n. illum, ne ignis zeli, & iracundia illum destruat. Vnde* Prouerb. 20. *dicitur, Misericordia, & Veritas custodiunt Regem: ignis zeli ardere debet in oleo misericordiæ; deficiente vero hoc oleo ignis zeli destruit Principes, sicut ignis, si desit oleum materiale, lampadem effringit.* Gregor. *super Ezechiel. Sancti Zeli destructio de virtute Misericordiæ necesse est vt ardeat.* Hactenus D. Thom. qui præfatis verbis alium modum accommodat, quo Clementia cum Iustitia coniuncta Regem tutum reddit: quia nimirum Iustitia & zelus, si absit Clementia, Regi perniciem affert; si autem Misericordiæ atque Clemētiæ oleo innutriatur, sine detrimento ipsius Principis ardet, ac flagrat. Nam ei qui tunc cùm oportuit clementem se præbuit parcendo, sine aliqua populi inuidia aut odio, etiam cùm opus erit, irasci ac sæuire puniendo licet. Subdit Salomon.

D. Thom.

Et roboratur Clementia Thronus eius, quibus verbis 111.
significat duas illas virtutes, quæ Principi adesse debent, Clementiam & Iustitiam, sic temperandas esse, vt animus Regis semper in Clementiam pendeat. Sic vtique suadet Regi Seneca apud D. Thom. loco citato. *Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli parcere, modum enim tenere debemus: sed quia difficile temperamentum est, quid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderet*, id est, cùm res tantisper ab æquilibrio Iustitiæ detorquenda est (non. n. semper summo iure vti oportet) animi tui pondus. i. studium, & affectio, Misericordiæ, atque Clementię lāncem oneret. Sed rursus idem D. Thom. cap. 16. docet Principem Dei vices agere, atque eius personam sustinere, atque adeo eiusdem Dei mores ipsum imitari oportere, sed tum maximè in eo, quod sponte sua semper ad misericordiam propendet, Iustitiam verò, & seueritatem nostra illi malitia semper extorquet. Sed cur Clementiam tanto studio amplecti debet Princeps? quia *Clementia roboratur Thronus eius.* Regna quidē vis & arma parant, sed Clementia tuetur, & seruat: hęc. n. subditos Principi deuincit, & fideles pręstat, vnde Tullius lib. 2. Officiorū. *Malus*, inquit, *custos diuturnitatis metus, cōtraque beneuolentia fidelis est, vel ad perpetuitatē.* Et quidē Gregor. ad illa verba Psal. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, pręcipuā causam propter quā Deus regnū Dauid, ac Thronū eius stabilem, & perpetuum esse iussit, mansuetudini, & Clementiæ illius adscribit: hac n. Dauidis Clemētia promeritus Deus, inquit Greg. dixit ad illū, *Thronus eius, sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternū, & testis in cœlo fidelis.* Itaque nō solū ipsa per se Clemētia regnis stabilitatem cōciliat, quia subditos Principi deuincit, sed etiā quia Dei gratiam inire solet, cuius est regna cōfirmare, & constabilire. Et quidē per Clementiam, & mansuetudinē hoc obtinet Princeps, vt nullū omninò hostem, vel insidiatorē habeat: non homines, quia lenes Principū mores illos ad beneuolentiā adducit: non Deū, quia illum maximè conciliat Clementia Principis: non seipsum, quia per mansuetudinem, & Clementiam Princeps seipsum quoque deuincit, ac sibi substernit, sic Tullius ad Cæsarem in oratione Marc. *Veruntamen seipsum vincere, iracundiam cohibere*, &c.

Cicer. Gregor. Cicer.

Qui

Qui enim iram frænat, & mansuetudini reddit, is quidem à semetipso nobilissimam victoriam reportat, & nihil habet vnde seipsum metuere possit: nullus enim homini grauior hostis, quàm ipsemet cùm iracundia armatus furit; nullus deterior proditor cùm eadem iracundia suadente omnibus aliis effrænatis motibus animum expugnandum committit. Quapropter cùm Princeps clementia, & morum lenitate præditus nullos omninò hostes numeret, quorum insidias, aut perfidiam metuere possit, nihil est quod regnum illius, ac thronum labefactare, aut subuertere possit. Sed quia inter infensissimos Principis hostes ipsummet Principem recensui, addo nullum insidiatorem, aut proditorem alium cum eo esse conferendum: luculentiùs dicam, alij quidem hostes publici sunt, hic proditor, quia cùm domesticus sit familiaris & amicus (vt nemo magis) tamen fœlicissima, & fortunatissima regna subuertere, & hostibus prodere solet. Rex enim nemini magis fidit quàm sibi, cùm autem ipse ex ira sæuit, ac furit, nec semetipsum per clementiam & mansuetudinem coercet, ac vincit, ipse quidem sibi infensus, & hostis, tot aduersarios milites contra se euocat, quot nimia seueritate seu crudelitate sibi infensos ciues reddit. Rursus etiam ipse sibi in hoc ciuili, vel potius domestico bello, consilium eripit, atque hostium insidiis exponit. Meritò ergo Salomon docet Regum thronos clementiâ roborari, & stabiliri, non solum quia Deum, atque homines Principi obstringit, sed etiam quia ipsummet Principem sibi mancipat, & subiicit, ne contra se ipsum arma moueat.

112 Cæterùm licet hæc expositio accommodata sit, quæ per misericordiam, & veritatem, clementiam, & iustitiam accipit, tamen nescio an aptiùs sit per veritatem ipsissimam veritatem intelligere, per misericordiam verò, seu gratiam, (sic enim habent origines, vt supra animaduerti) clementiam in suos. Hunc sensum sequitur Athanas. in Apolog. ad Imperatorem Constantium, vbi sic fatur. *Ita rem examina, quasi Veritas tibi in consilio adsit, quæ Regum, & imprimis Christianorum, tutela est, cum ea vos regna administrare tutissimum est, cùm dicat sacra Scriptura, Misericordia, & Veritas Regi custodia est, & circumdabit iustitia thronum eius. Hanc enim cùm Zorobabel ille sapiens cæteris anteferret, victoriam retulit, & acclamatum est ab vniuerso populo, Magna res est Veritas, & præualet omnibus*, &c. Hæc ille. Itaque Athanasius per veritatem ipsammet veracitatem accipit, non eam quidem, quam ipse Princeps eloqui semper debet, licet illi etiam pernecessaria sit, sed eam, quam alij apud ipsum dicere tenentur. Et quidem hæc Veritas non minus Regem seruat, quàm clementia, atque adeo eam Princeps libenter dictam audire, indictam verò diligentissimè vestigare, & indagare debet. Præmittit autem Salomon misericordiam, seu clementiam, Veritati, quia clementia, & lenes Principis mores subditos erigunt vt vera audaciùs ipsi renuncient, immanitas verò & crudelitas ciuium ora obstruit, ne vera ad ipsum audacter deferant, & adulationi tantùm, & lenociniis locum facit. Quantam verò perniciem Regnis, ac Regibus adulatio assentatorum, & mendacia obloquutorum afferre soleant, nemo ignorat. Ergo D. Athanas. Constantium ex hoc Salomonis loco ad inquirendam veritatem comparans sic addit, *Item cùm apud te calumniam mihi ausi sunt intentare, ad quem à te quæso appellare potero, nisi ad patrem eius, qui dicit, Ego sum Veritas, vt ille cor tuum ad placabilitatem inclinet?* Obserua vim sententiæ, vt enim Imperator veritatem libenter vel audiat, vel inquirat, illi quidem à Deo placabilitatem, & animi lenitatem priùs deprecatur; atque ita subdit. *Domine omnipotens pater Domini nostri Iesu Christi, tu per Verbum tuum Imperium famulo tuo Constantio dedisti, tu illumina mentem illius, vt cognitis calumniis beneuolenter accipiat meam excusationem* (adhuc beneuolentiam inculcat) *omnibusque clarum reddat, quàm aures habeat confirmatas communitasque Veritate, solumque sibi, vti dictum est, accepta esse labia iusta, ita enim solum regni fortunatum fieri per Salomonem pronunciasti. Quapropter omnino omnibus modis percunctare, intelligantque quadruplatores (Arriani) tibi non deesse curam indagandæ veritatis, & obseruatum vultu quoque sycophantiam prodant, vultus enim index est conscientiæ*, &c. Hæc ille. Et sanè in hanc veritatem etiam apprimè cadunt ea, quæ supra diximus de iustitia, & clementia, Regibus nimirum esse pro satellite, & pro excubitore. Constat enim apud quasdam nationes lege cautum, vt quicumque sciës, & volens, in re alicuius momenti Regi falsa renunciasset, proditoris pœnas sustineret: nimirum hoc sibi persuaserant, omne mendacium Principi dictum ad proditionem viam sternere; Lege Petrum Gregor. in Syntagm. Iuris lib. 9. capite 6. Si ergo mendacium, quod ad Principem defertur (liceat sic dicere) proditionem semper cogitat, aptè quidem Veritas dicitur satelles, & excubitor aduersus eiusmodi proditorem semper accinctus, ac peruigil. Adscribit etiam illi Athanasius consiliarij munus. *Ita*, inquit, *rem examina, quasi veritas tibi in consilio adsit.*

Sed non tantùm accipi possunt hæc verba de Veritate, quam Rex ab aliis audire tenetur, sed etiam de illa, quam ipse semper dictare, & eloqui debet, hæc enim securitatem ipsi haud minorem præstat. 113
Audi Basilium Imperatorem inter alia capita filio Leoni sic suadentem. *Maximè pendito veracem te esse in sermone, & veraces homines in familiaritatem admittere, ita enim firmus, & constans in omnibus factis, ac dictis æstimaberis, & veram, ac non suspectã tuorum erga te beneuolentiam sustinebis. Si autem vanitatis, & mendacitatis in suspicionem veneris, indigna facere Imperatoria maiestate, qua auctus es, conuinceris, efficiesque, vt subditi semper formidolosi, rerumque omnium incerti, & titubantes vacillent. Quanto enim veritatis oratio amabilem Principem reddit, tantum mendacij deprehensa, aut etiam suspecta, odiosum qui ea vtitur facit.*

Hæc ille. Addo etiam nomine Veritatis hîc fortasse accipi debere veram religionem erga Deum, ita vt misericordia, seu clementia ad subditos spectet, veritas verò ad Deum, vt sit sensus. *Misericordia & Veritas custodiunt Regem.* id est, clementia, & lenitas erga subditos, & veræ religionis professio ergo Deum, Principem vndique tuentur, ac muniunt: nam clementia illi subditos conciliat, religio autem vera illi Deum deuincit; atque adeo nullum illi alicunde malum impendet. Nec minus etiam religioni quàm aliis congruit satellitis excubitoris, aut etiam optimi consiliarij munus. Quod videre est in Principibus Catholicis Hispaniæ, & aliarum gentium, apud quas fides viget, quibus ipsamet fides ac religio satellitium tutissimum præstat, adeo vt aliis prætereà satellitibus aut præsidiis opus non habeát, aliquando etiam non vtantur, super quos fides quoque ac religio excubias agit, hostes eminus prospectans, insidias proditionesque aduersariorum auertens, quietem, & tranquillitatem regnis afferens. Ac denique ipsis quoque vera religio consiliarij in morem ad omnes tum belli, tum pacis res secundùm iustitiam & pietatem administrandas præsto est. Frustra hic multis de hac Christianorum Principum fœlicitate, quos, quia Deo fidem integram præstiterunt, suorum quoque subditorum erga se fidem expertos semper fuisse experiẽtia ipsa compertum est.

Aliæ

114 Aliæ verò lectiones, quas supra dedimus, non admodum curandæ sunt, nam translatio Septuaginta ad Vulgatæ sensum allici potest. *Misericordia, & veritas tutela est Regi, & circuibunt in iustitia sedem eius.* Et quidem si extrema expositio (quæ mihi ante alias probatur) lectori arrideat, sensus est facilis. i. clementia, & religio Regi tutelam, & custodiam offerunt, atque eædem iustitiam sibi sociam adhibentes Regis thronum vndique obsident, ac suis præsidiis vallant, tutissimumque reddunt. Vel aliter exponi potest, ita vt prædicta versio concinat cum translatione D. Athanasij, *Misericordia & veritas*, &c. i. clementia & veritas (accipio autem veritatem vti sonat, vel pro iustitia, vel etiam pro religione) Regem vndique tuentur, & securum esse iubent, *Et circuibunt in iustitia sedem eius*, illud *circuibunt*, non ad duas illas virtutes veritatem, & clementiam referendum est, sed ad ministros eius; vt sit sensus, Princeps clemens, ac veritatis amator, non solum sibi ipsi securitatem præstat, sed etiam id efficit, vt omnes alij quotquot illius sedem ambiunt, & ministri eius sunt, ipsi quidem in iustitia, & officio sese contineant, & alios etiam secundùm iustitiam gubernent. Huc spectat translatio Athanasij, qui extrema illa verba sic extulit, *Et circuibunt iusti sedem eius*, iusti, nimirum ministri, & magistratus, hi enim fere Principis mores in se exprimunt.

---

29. *Exultatio iuuenum, fortitudo eorum: & dignitas senum canities.*

115 Exultatio, &c. Heb. *Gloria iuuenum, fortitudo eorum, pulcritudo senum canities*, pro canitie subest, שׂבה *Scebah*, quam vocem Hebræi amplius aliquid quàm senectam significare volunt, sic scilicet, vt זקנה *Ziknah*, j. senectus, ab annis quinquaginta ad vsque sexaginta perueniat, canities verò inde vsque ad obitum. Septuaginta verò sic habent: *Ornatus adolescentibus sapientia, gloria autem seniorum canities.* Aquil. Symmach. & Theodot. *Ornatus iuuenibus fortitudo.* Sed notandum est Septuaginta extremo loco habere πολιαί. i. *canities*, de numero plurali. Chald. *Et latus senum canities.*

Huius sententiæ scopus difficilis, verba autem perspicua sunt. Cajetanus nihil amplius huic sententiæ subesse dicit quàm verba sonant. Iansenius, & Rodolphus putant Salomonem his verbis assignare vtriusque ætatis duo præcipua ornamenta, quibus Respublicas decorant, & honestant, iuuenes enim robur commendat, senes verò ob canos reuerentia, & obsequio digni sunt. Quamuis enim iuniores experientia rerum careant, tamen viribus pollent, & licet senes viribus destituti sint, & lacertis, in eis nihilominus experientia, consilium, & autoritas viget, vtraque autem vtilia Reipublicæ, & sibi inuicem magno adiumento sunt: Nam iuniores consilio, atque sapientia seniorum indigent, ne vires suas temerè impendant, & senes item, quibus vires non suppetunt, iuniorum opera, & labore vti coguntur, atque ea ratione vtræque ætates se inuicem mutuis auxiliis fouent, & Respublica mirum in modum iuuatur. Nam, vt ait Plutarchus, dum senes cum iunioribus commorantur, id accidit in Republica, quod Plato dixit de mero aqua miscendo, *Deum furentem ab alio Deo sobrio temperari:* Nam furor & temeritas iuuenilis senum moderatione comprimitur, & rursus nimia senum modestia per iuuenilem ardorem acuitur. Addo etiam his verbis iunioribus suaderi vti vires quibus pollent, agendo, & laborando strenuè exerceant, hoc n. ipsis gloriosum: ad senes autem dici, vt ipsi iam quiescant, & à laboribus ferientur, atque iuuenum opera, & obsequio vtantur: sicut n. iuuentutem decet labor, & exercitatio, ita etiam senectam quies, & relaxatio: sed expendenda sunt verba singula.

Exultatio iuuenum, fortitudo eorum. Hebr. *Gloria iuuenum, dignitas senum canities.* Hebr. *Pulchritudo, vel honor senum.* Et quidem aptissimè singulis singula accommodantur: nam iuuenes quidem nec dum honore digni sunt, ipsos autem addecet gloriam studiosè aucupari, quæ rebus bene gestis parari solet; senibus autem propter solam canitiem honor debetur, ac reuerentia, ipsa enim per se canities obsequio digna est, iuxta illud Leuit. 1. *Coram cano consurge, & honora personam senis.* Ex quo colligit Salomon iuuenes quidem fortiter ac strenuè agere oportere, senes autem feriari posse; hi. n. ob solam canitiem in honore sunt, illos verò nisi fortiter se gerãt, inglorios prorsus esse necesse est. Hanc verò expositionem posteriorem ideo alteri præfero, quia per canitiem non consilium, vel experimentum, sed ipsosmet canos, vel senectam accipit, ita enim textus ipse postulare videtur.

116 *Dignitas*, inquit, *senum canities*, nomen illud dignitas sumendum quidem vt sonat, *Es dignidad*. i. principatus quidam. At qualis, inquies, hæc senum dignitas? non alia sane nisi regia, aut si placet etiam, diuina. Regia vtique, quia vt ait Chrysostomus, *Regem honoramus, & purpuram, & diadema, quoniam sunt signa imperij; non aliter & senem, & canos, honore prosequimur*, causam si postules ea est, quia canities sapientiam, & consilium præ se fert, quæ senibus imperium, & principatum in iuniores confert. Subdit autem Chrysost. *Senex enim est Rex si vellet, & eo, qui est indutus purpura, magis regalis, si imperet animi perturbationibus, & vitia tamquam satellites sibi subiiciat.* Ex quibus constat senem duplici nomine Regem esse, & duplicem potestatem sortiri; alteram quidem in iuuenes, ob sapientiæ & consilij præstantiam; alteram verò in seipsum, ob deuictas, & subitas animi passiones, & affectiones. Obserua illud, *Tamquam satellites sibi subiiciat*, id. n. moderatæ atque temperatæ senectæ proprium est ex vitiis sibi satellitium construere. Nam affectiones illæ, quæ in iunioribus vitiosæ sunt, vbi ætate frigescente deferbuerunt, senibus præsidio esse solent, quibus stipatus, ceu Rex, sibi atque aliis imperitat. Non solum autem regia, sed etiam diuina quodammodo dignitas in senibus est. Hinc est illud Iunci apud Stobæum serm. 116. *Hoc maximum, & pulcherrimum à Diis donum hominibus esse datum reor, per quod diuinæ naturæ quodammodo similes fiant.* Et infrà. *Senectus diuinæ moderationis imitationem quandam in se exprimit.* Huic verò diuinos honores deberi docuit Macrobius lib. 2. Saturnal. *Senectus*, inquit, *nobis si sapimus adoranda est*, eorum autem consilia, & monita veluti oracula, & deorum responsa accipienda esse ibidem docet, vtpotè quæ certitudinem quamdam ab omni errore immunem continent, ei adsimilem, quæ oraculis inesse solet.

Chrysost. Stobæus.

117 Id etiam, quod diuinissimum vulgo habetur, scilicet futura prædicere, senectutis proprium est, nam senes ex magno præteritorum periculo, & vsu, de futuris certissimè coniectari consueuerunt; est ergo senectutis, & canitiei dignitas regia, & quodammodo diuina. Discant ergo iuuenes eam ætatem colere, & vereri, & senes etiam ipsi sibimetipsis deferre discant, si quidem ab aliis debitum honorem referri velint. Optimè enim Chrysostom. loco citato. *Tu quidem, ô senex, canos tuos prior reuerere: si autem tuos non reuerearis, idque cum sis senex, quomodo æquum censes,*

Chrysost.

censes, vt iuuenes eos reuereantur, tu quidem non reueris canos, sed eos probro, & dedecore afficis: Deus te honorauit candore pilorum, magnam tibi dedit praerogatiuam, cur prodis honorem tuum? Quomodo te reuerebitur iuuenis, quando es eo longè proteruior, & lasciuior? canities enim tunc est reuerenda, quando agit quae sunt canitiei: quando verò agit quae sunt iuuenum, magis erit ridicula, quàm iuuentus. Hactenus Chrysost. Ergo cum ait Salomon, *dignitas senum canities,* non solum iunioribus, sed ipsismet etiam senibus eam colendi, & reuerendi necessitatem indicit. Iuuenes enim honorē canis debent, senes autem ipsi aliquid etiam canis debent, nimirum vt sapientiam, consilium, & modestiā, quam capillorum candor prae se fert, verè in se exprimant, *Canos enim* (inquit Chrysost.) *ideo honoramus, non quia album colorem nigro praeferimus, sed quia candor ille est signum vitae, quae ex virtute agitur, & vel videntes internos canos ex eo coniicimus,* vbi duplicem canitiem distinguit, aliam quidem capillorum, aliam animi, iuxta illud. *Cani sunt sēsus hominis*, Sap. 4. Priorem autem, si absit posterior, nullo obsequio dignam esse dicit. Ea propter Septuaginta non sine emphasi legerunt πολιαὶ. i. canities in numero multitudinis; vt vtramque capitis, & animi canitiem complecterentur, quia vna sine altera nomine *dignitatis* indigna est. Audi Ambros. in Epistola ad Anysium lib. 8. c. 60. *Verè senectus illa venerabilis, quae non canis solum, sed meritis albescit: ea est enim reuerenda canities animae in canis cogitationibus, & operibus effulgens.* Ambros.

118 Alia lectio habet, *Pulchritudo senum canities*, atque adeo indecorè agunt senes illi, qui naturalem illius aetatis pulchritudinis inductis aliis coloribus dehonestant. Quid floribus pulchrius? at cani flores sunt. Hippothaeus apud Stobaeum: *Cana senecta flores sunt inter homines.* Cuius autem fructus hi flores sint, docuit Democritus apud eundem, *Canities autem flos est temperantiae, & prudentiae.* Et quidem ea florum similitudine vtitur scriptura Ecclesi. 12. vbi senectam describens Salomon, illa verba ad canos retulit, & *florebit amygdalus.* Chaldaeus legit, *Laus senum canities,* hoc est, cani senes commendant, & apud omnes celebres reddunt, &c. Stobaeus. Ecclef. 12.

---

30. *Liuor vulnerum absterget mala, & plaga in secretioribus ventris.*

119 Liuor vulnerum, &c. Heb ad verbum sic habent. *Liuores vulneris detersio in malo, & plaga in cubiculis ventris.* Alij, *mundatio in malo* Alij, *Medicina in mala.* Caiet. *Percussiones capitis mundabunt malum*: & quidem pro vulnere sub est, פצע *Petsangh.* i. vulnus. Quid autem Caietano in mentē venerit, vt pro vulnere caput subiecerit, ignoro. Septuaginta: *Liuores, & contritiones occurrunt malis, plaga autem in secreta ventris.* Aquil & Theod. *Liuores vulnerum.* Chald. *Pauores, & plagae occurrunt malo, & puncturae acus in interioribus ventris eius.* Hanc translationum dissimilitudinem peperit anceps significatio aliquarum vocum Hebraicarum. Nam imprimis vox חבורה *Charuburoht*, tum liuores, tum pauores significat. Rursus illi verbo *absterget* subest תמריק *Tamerik*, quod abstersionem, purificationem, & medicinam sonat, atque adeò id quod aiunt Septuag. & Chald. *occurrūt malo*, perinde est, ac si dicat succurrūt, vel medentur malo.

120 Ex Hebraeis Abenezra putat hunc locum, cum superiori nectendum esse ad hunc modum. Iuniorum gloria in fortitudine, & seniorum honor in canitie situs est, quemadmodum liuor, & purulentia in vulnere est munditiess, & purgatio ipsius. Nimirum sicut vulnus emuncto, aut deterso pure coalescit, & cicatricem praedurum contrahit, adeo vt nullum vulneris vestigium remaneat: ad eundem modum fieri potest, vt iuuenes, qui intemperanter prius vixerunt, postmodum in virili aetate, detersis vitiis, vitam suam, & mores ita componant, vt nullum in illo pristinae improbitatis vestigium reliquum sit. Nec non etiam eodem modo fieri potest, vt senex, qui anteactam vitam in vitiis extriuit, tandem aliquando detersa vitiorum purulentia, cùm ad canos peruenit, resipiscat, & prioris vitae culpas ita emundet, vt nulla pristinae intemperentiae signa remaneant. Itaque iuxta hanc interpretationem Salomon docet quaedam esse vitia adolescentiae propria, quae virilis aetas emendat, & emundat: ac rursus alia esse, quae virili aetati semper haerent, atque illa superueniens senectus abstergit, & emaculat, itaut nullae vel leues ipsorum notae superesse videantur. Caeterùm haec interpretatio vim textui afferre videtur.

Antequam alias expositiones subscribam, praemittere libet hîc pro *Liuore esse* חברה *Chaberah*, quae vox saniem aliquando significat. Isaiae 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens:* aliquando etiam obductam iam cicatricem supra vulnus nec dum sanatum. Psal. 37. *Putruerunt, & corruptae sunt cicatrices meae.* Heb. *Chaburoth.* item accipi solet pro vibice, seu pro macula illa, quae sanguine concreto ex percussione relinquitur, vt docēt vulgo Hebraizantes. Eas verò significationes capit etiam nomen *liuor* apud Latinos, vt ex Dictionariis colligere licet. Rursus notandum est, duplici modo locum istum ab interpretibus versari: nimirum, ita vt similitudo quaedam sit à plagis corporis ad mentis vulnera translata: adeò vt prius hemystichium de corporis liuore, posterius verò de animi plagis accipiatur. Vel aliter, ita vt pars vtraque ad animi vulnera per metaphoram referatur, vt statim patebit. Ad rem. 121

D. Gregor. in locum istum semel, & iterum incidit, semel quidem lib. 23. Moral. c. 13. vbi sic scribit: *Per liuorem quippè vulneri disciplinam insinuat corporeae percussionis: Plagae verò in secretioribus ventris, sunt interna mentis vulnera, quae per compunctionem fiūt. Abstergunt igitur mala, & liuor vulneris, & plaga in secretioribus ventris, quia disciplina exterior culpas diluit, & internam mentem compunctio poenitentiae visione transfigit. Sed hoc inter se vtraque differunt, quod plagae exteriores dolent, lamenta compunctionis sapiunt, illa affligentes cruciant, ista reficiunt dum affligunt.* Haec ille. Gregorij expositionem sequutus videtur Chaldaeus, qui sic ait, *Pauores, & plagae occurrunt malo, & punctura acus in interioribus ventris eius.* vbi animi, vel conscientiae compūctionem internam aptè satis cum acicularum puncturis contulisse videtur: est autem sensus. Pauores, seu metus exterius incussi, & plagae etiam exterius illatae. i. afflictiones, & labores, qui ab externis rebus eueniunt, & ipsiusmet conscientiae assiduae puncturae hominem ad resipiscentiam adducere solent. Itaque tria enumerat, quae maximam vim habent ad morum correctionem. Illa autem verba, *Occurrunt malo*, duplici sensu donari possunt. Alter est, succurrunt, vel subueniunt malis, ea videlicet ad sanitatem adducēdo. Alius verò, *occurrunt malo*. i. homini improbo semper haec tria obseruantur, vel potius illum insectātur, pauores scilicet, affectiones externae, atq; intimae conscientiae puncturae, seu admorsus. Potest etiā alio sensu donari translatio Chaldaica, hoc modo. Magni quidem pauores, & insuper plagae multae, & non leues eueniunt homini scelerato, quas Deus ipsi immittit, vt illum ad resipiscentiam adducat, sed tanta est cordis obstinatio, & durities, vt haec omnia cùm ad animum eius peruenit ab acicularum leuissimis puncturis non dissideant. i. haec omnia 122 Gregor. Chald.

omnia nihili facit, & obdurato animo priora scelera persequitur. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem cordis humani obstinationé declarat,& externæ correptionis exiguam vim ad emendanda scelera ostendit, nisi adsit interna gratia, sæpè enim contingit, vt vulnus magnum exterius illatum leuissimam quidem aciculæ puncturam animo imprimat. Sed redeo ad Gregorium.

Gregor. Hic. n. Pastoralis curæ 3.parte admon. 13.Salom. verba sic expendit: *Admonendi, inquit, sunt ægri, vt considerent quanti sit muneris molestia corporalis,quæ & admissa peccata diluit,& ea, quæ admitti poterant compescit,vtpote quæ sumpta ab exterioribus plagis concussæ menti pœnitentiæ vulnera infligit; vnde scriptum est, Liuor vulneris abstergit mala,& plaga in secretioribus ventris. Mala enim liuor vulneris abstergit,quia flagellorum dolor,vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit: Et plaga in interioribus ventris,quia dum exterius percutimur, ad peccatorũ nostrorum memoriã taciti afflictique reuocamur,& ante oculos nostros cuncta, quæ à nobis sũt malè gesta reducimus,& per hoc,quod foris patimur,magis intus, quod fecimus, dolemus.* Greg. verba perspicuam sententiam cohibent,sed tamen illius mentem tantisper vrgere volo. Plagæ, inquit, externæ anteactæ vitæ scelera in memoriam adducunt, quia cùm Deus externas afflictiones sæpius propter scelera immittere soleat,statim atque homo vexari foris incipit, ad scelera sua cogitanda conuertitur, & inde fit, vt plaga externa ad animum ipsum peruadat,& illi pœnitentiæ vulnus infligat: hoc sibi vult Salamon cùm ait, *Et plaga in secretioribus ventris.*

123 Septuag. Tertiam expositionem offert nobis translatio Septuaginta, quæ sic habet, *Liuores & contritiones, seu vulnera occurrunt malis, plaga autem in secretiora ventris, malis*, inquam. i. sceleratis hominibus; vt sit sensus, Deus quidem improborum hominum scelera vlciscitur, atque vt eorum mores corrigat, primum liuorem incutit, aliquem scilicet ex leuiori plaga vibicem: quod si eo ictu non resipiscit vulnus eidem infert grauius (hic enim contritio pro vulnere est:) sin verò sic quidem ad meliorem frugem reuocatur, immedicabilem plagam illi infligit, quæ videlicet ad interna viscera penetret. Et sanè huic loco tres modos haud ineptè accommodare licet, quibus gladius percutere solet; aut enim, liceat sic dicere,ex plano percutit,& tunc quidem liuorem imprimit;aut ex acie ferit, tunc verò vulnus infert; aut cuspide pungit, ac tunc demum penetrantem plagam infligit, quod vulgo dici solet,*Dar de llano, o dar cuchillada, o dar estocada.* Ad hunc modum Deus gladium iræ suæ contra improbos vibrat, primum quidem ex plano, deinde cæsim, tandem punctim eos ferit,liuorem primum,deinde vulnus,ac demum plagam profundam, & interna viscera penetrantem infligens. Quos enim liuor non coercet vulnere petit, illis autem, quos vulnus non cohibet, gladium profundissimè in viscera immergit. Itaque Salomon gradus recenset, per quos ira Dei contra sceleratos exardescit.

124 Præter dictas interpretationes sunt aliæ, atque aliæ non inelegantes, quæ in Vulgatam lectionem aptiùs cadunt: si ergo per liuorem, saniem intelligamus, vt placet Rodolpho, & aliis, & similitudinem à corpore ad animam duci putemus, prior quidem pars corpori, posterior animæ tribuenda est: sed tamen quia priora verba corpori accommodata non vnum sensum reddere possunt, & similitudo inde ad animum transfertur, non vna huius sententiæ interpretatio est. Rodolph. Rodolphus ergo sic habet, *Liuor vulneris abstergit mala,& plaga in secretioribus ventris* i. Quemadmodum in corpore cùm vulnus saniem A collectam, & decoram prodit, ocius tergitur, & ad cicatricem venit,sic etiam accidit in animo;nam cùm is peccatorum suorum saniem in memoriam pœnitudine decoctam per confessionem egerit, eius vtique vulnera ocius coalescunt, & sanantur.

Potest etiam aliter similitudo efformari, itavt hic sit locus illi figuræ, quam Hippallagen vocant,*Liuor vulneris abstergit mala*. i. *vulnus liuoris*, quemadmodum Iacob. 1. *Vicissitudinis obumbratio*. i. vicissitudo obumbrationis,& alia passim, vt sit sensus Liuor purulentus non aliter sanari potest, nisi profundè vulneretur,& collectam saniem expellat, sic etiam peccatis non aliter subueniri & mederi licet, nisi animus etiam profundo pœnitentiæ vulnere confodiatur, & B collectam peccatorum purulentiam extrudat. Possumus autem hoc loco *liuoris*,nomine obductam cicatricem supra vulnus, nec dum sanum accipere, vt nuper diximus, ac tunc quidem aptissimè in eum quadrabit sententia Eliæ in orationem primam Nazianzeni,vbi sic ait: Elias. *Verum perinde afficimur,dum eiusmodi vulnus occultamus, nec medicis detegimus, atq; is, qui vulnus habeat, quod extra cutim quidem,velut cicatricem duxerit,ac continuitatis integritatẽ acceperit, intus autem, atq; in imo pectore saniosum sit, ac putredinem horrendam afferat.Vt enim illud ob externam continuitatis speciem medicorum oculos fallens temporis progressu eiusmodi redditur, vt vix omninò,aut etiam nullo modo curari possit,ita etiã nobis accidit, cùm anima no-* C *stra vulnera declarare,& aperire nolumus* Ergo quemadmodum is, qui plagam aliquam eiusmodi excipit, si quidem eam sanari velit, accepto denuò vulnere obductam superficiem abrumpere sinit,vt sanies inclusa foras effluat,& plaga detersa coalescat; sic etiã qui peccatum aliquod pudore,veluti male sana quapiam cicatrice obduxit, & celauit, non priùs sanitatem recuperabit, quoad abrupto pudore, & excissa dolore conscientia peccati sanies foras effluat; sic enim fiet, vt abstersa conscientia accepta olim plaga ita coalescat,vt nullum illius vestigium, aut cicatrix reliqua sit. Hæc enim est pœnitentiæ vis. *Pœnitudinis pharmacum* (verba sunt Chrysost.) Chrysost. *maximum est vulnerum nostrorum remedium: sic animarum vlcera cu-* D *rans, & abolens, vt neque cicatrix, neque verruca apparitura sit*, &c.

Rursus aliter etiam similitudo ex hoc loco conformari potest, *Liuor vulneris abstergit mala*. i. sanies ex vulnere fluens. Fieri enim solet non semel vt purulentia per vulnus aliquod antiquum assiduè fluens totum corpus expurget, & valetudinem illi comparet, *Et plaga in secretioribus ventris.* Quasi dicat. Ad eundem modum in animo accidit, sæpius enim plaga aliqua interior, inueterata scilicet tentatio, tristitia,aut labor aliquis peruetus vndecumque eueniens eadem ratione sanitatem illi affert, quia nimirum quidquid sordium, aut culparum animus aliundè contrahit per illam expurgatur, atque eluitur. Qua- E propter eiusmodi inueteratis vulneribus mederi, & cicatricem obducere nemo prudens velit: quinimò eadem refricari, & instaurari sapientes optant, aliter enim animi sui valetudinem in discrimen vocari sciunt, quemadmodum etiam illius salus periclitari solet,qui per antiquum aliquod corporis vulnus obducta cicatrice conclusit.

Denique potest etiam similitudo sic construi. *Liuor vulneris abstergit mala*,i. vulnus,quod liuidum, ac saniosum sit,difficilè admodũ sanatur,nam pro illis verbis *abstergit mala*,in originibus est, *Detersio in malo*, quod ex Hebræis aliqui eo sensu accipiunt, *malo scilicet detergitur*, aut emaculatur. Ita enim fere accidit, vt calente adhuc sanguine vulnera facilius coeant,vt vix aliquod cicatricis vestigium relinquãt: sin

sin verò dilata curatione saniem traxerint, & difficilius sanantur, & turpem magis cicatricem obducunt. Eodem modo de animi vulneribus decernendũ est, *Et plaga in secretioribus ventris*. Audi Augustinum in sermon. 88. de Tempore. *Sine ulla mora medicamentũ eleemosynæ, vel pœnitentiæ festinemus animæ nostræ vulneribus prouidere, vtiliter enim malagma, vel fibula calidis adhuc vulneribus apponitur, & citò ad sanitatem vulnus reducitur, quod putrescere longa abusione non finitur.* Et iterum sermo 102. *Et quia calidis vulneribus solent medicamenta celerius subuenire, quotiescumque peccauerimus, non expectemus mortifera securitate vulnera ipsa putrescere, ne iterum vulnera vulneribus augeamus; sed continuò ad spiritualem medicum recurrentes salutem recipere festinemus. Et ideò quomodo quando in corpore vulnus accipimus, si statim medicamenta requiramus, cito sanitatem recipere poterimus, & si moram fecerit, necesse est vt tardius ad sanitatem plaga ipsa redeat, aut aliqua fœda cicatrix in corpore nostro remaneat: si ergo hæc in corpore facimus, quanto magis eadem in anima vulneribus adhibere debemus, vbi ad imaginem, & similitudinem Dei facti sumus.*

Ad extremum audiendus est Caietanus, qui locum istum sic extulit: *Percussiones capitis mundant malum, & vulnera cubicula ventris*, qui ad hunc modum exponit. Deus optimus maximus nonnumquam mitiùs agit cum homine improbo, aliquando etiam seueriùs eundem punit, nam percussiones capitis minora, inquit, supplicia sunt; plagæ autem, seu vulnera ad interna viscera penetrãtia, maiora, & grauiora. Vel aliter dici potest, capiti cognitio tribuitur, amor, & studium cordi, quapropter capitis percussio ignorantia erit, quæ cognitionem lædit, cordis autem confossio, intemperans, & inordinata quælibet affectio; atque adeò sensus erit. Tunc Deus in improbos homines seuerissimè animaduertit, cum caput grauiter percutit, & viscera profundè confodit, hoc est, cùm ignorantiam capiti immittit, & inordinatas affectiones ad cor peruadere sinit. Hæc enim sunt seuerissima diuinæ indignationis supplicia, excæcatio in capite, & obduratio, seu obstinatio in corde.



CAP. XXI. SALOMONIS.

1. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* 2. *Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus.* 3. *Facere misericordiã & iudicium, magis placet Domino, quàm victimæ.* 4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis: lucerna impiorum peccatum.* 5. *Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger semper in egestate est.* 6. *Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* 7. *Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium.* 8. *Peruersa via viri, aliena est: qui autem mundus est, rectum opus est.* 9. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi.* 10. *Anima impij desiderat malum, non miserebitur proximo suo.* 11. *Mulctato pestilente sapientior erit paruulus: & si sectetur sapientem, sumet scientiam.* 12. *Excogitat iustus de domo impij, vt detrahat impios à malo.* 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis & ipse clamabit, & non exaudietur.* 14. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* 15. *Gaudium iusto est facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem.* 16. *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.* 17. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* 18. *Pro iusto datur impius: & pro rectis iniquus.* 19. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.* 20. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti: & imprudens homo dissipabit illud.* 21. *Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam.* 22. *Ciuitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiduciæ eius.* 23 *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.* 24. *Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.* 25. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari: tota die concupiscit & desiderat: qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit.* 27. *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.* 28. *Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam.* 29. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam.* 30. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* 31. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.*

1. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.*

1. SIcut diuisiones, &c. In originibus desideratur nota comparationis, sed tamen eam appositè præmisit Vulgatus, subest autem פלגי מים *Phalge-maym*, פלג *Pheleg* autem fluit ex verbo *Phalag*, quod est *diuidere*, ac partiri. Aliqui ergo sonum huius nominis sequuti sic conuertunt. *Sicut pelagi aquarũ, ita & cor Regis*, &c. Alij rursus significationem eius spectantes Vulgati lectionem amplectuntur, *sicut diuisiones aquarum*, &c. sed addunt Salomonem accipiendum esse de diuisione illa aquarum cælestium ab his, quæ sub cælo sunt, sic Lyra, Hugo, Dionys. & alij prisci. Alij præterea per *diuisiones aquarum*, diuersas pelagi regiones, & tractus accipi volunt, in quibus mare aliter, atque aliter se habet; in quibusdam enim æstu omnino caret, in aliis semel crescit, & decrescit, in aliis bis, ter, quater, & sæpius intumescit, ac detumescit. Ad hæc Beda, per *diuisiones aquarum*, intelligit omnia flumina, quæ ex mari quidem fluunt, & vniuersam latè terram infundunt.

Septuaginta verò integrum locum sic restituunt, *Sicut impetus aquarum, ita cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit innuere illuc, inclinabit illud:* & quidẽ Septuaginta prædictam vocem *Pheleg*, alibi etiam ad impetum aquarum notãdum asciscunt. Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et Psal. 1. *Et erit tamquam lignũ, quod plantatũ est secus decursus aquarum.* Itaque sacri illi interpretes à flumine aliquo, quod magno impetu per decliuia fertur, similitudinem duci existimarunt. Denique Chaldæus, Cajet. Pagnin. & alij passim interpretes sic legunt, *Sicut riui aquarum, ita cor Regis in manu Domini*, per riuos autem intelligunt ductos ex magnis fluminibus alueos ad terram irrigandam, & infundendam. Ex his autem Pagninus separatos à fonte suo riuulos intelligit. Has verò tam dissimiles illius vocis acceptationes ideo præmisi, quia cùm singulæ similitudinẽ euarient, valde diuersas nobis interpretationes offerunt.

2. Beda igitur, Hugo, & alij in hunc locum existimãt per Regem quemlibet virum pium, & sanctum intelligi, qui sibi, & affectionibus suis imperat. Ego quidẽ non inficior verba ista per accommodationem, cuilibet homini iusto tradi posse, sed tamen iuxta litteram de Principi accipi debere non dubito. Quapropter omnes illas acceptationes à me præmissas percurrã, & ex illis latentes interpretationes excitabo. Illi ergo, qui per has diuisiones aquarũ intelligunt separationem, quam Deus in mundi conditione perfecit, aquas super nos ab inferis secludens, sic locum istum exponere possunt: *Sicut diuisiones aquarum, ita & cor Regis in manu Domini*, &c. i. sicut Deus aquas illas diremit, alias quidem sursum eleuans, alias verò deorsum premens, ita etiam cor Regis vel sursum ad magna impellit, vel deorsum ad infima deiicit nutu suo. Hoc sibi vult illud, *& quocumque voluerit inclinabit illud.* Vel aliter. Quemadmodum Deus aquas illas disclusit, & alias quidem in sublimem locum euexit, alias verò ad infima demisit, sic etiam ex hominibus Principes quidem ad regni thronum extulit, populos autem illis subiecit. Salomon ergo Principes istos nõ vsque adeò sublimes esse dicit, vt omnem potestatẽ excusserint: nam sicut aquæ illæ supercælestes ab infimis diuisæ, etiamsi ab omni inferiorum corporũ vi liberæ sint, eas tamen Dei manus impellit, ac mouet, ita etiam Regũ voluntates, etsi per se sublimes sint, & à subditis cogi non possint, tamen à Deo impelluntur, & reguntur. Itaque secundùm hanc expositionem, per *diuisiones aquarum*, aquæ illæ supramundanæ accipiendæ sunt ab inferioribus separatæ, & seclusæ. Duæ autem sunt probabiles sentẽtiæ de hac aquarum separatione, quam Deus in ipso mundi primordio molitus est. Altera docet aquas, quæ super cælos sunt, nubes imbriferas esse. Hæc enim super cælos. i. super aëra leuatæ, huc illuc ventorum impulsu feruntur. Per cælos autem aëream regionem accipi solitam nemo nescit. Si ergo per diuisiones aquarum, seu diuisas aquas, ita nubes accipiamus, sensus erit: *Sicut diuisiones aquarum, ita & cor Regis in manu Domini.* i. quemadmodum in Dei potestate est nubes roriferas in sublime euectas, in hanc vel illã regionẽ exiguo flatu absque vlla repugnantia permouere, ita etiã sublimes, & elatas Regũ volũtates, & studia afflatu suo in quãcumq; libuerit partẽ flectere ipsi integrũ est, vt his potius quàm illis gratiæ, ac beneficiorum suorũ pluuias impendant, aut indignationis suæ fulmina iaculentur. Vel certè verba ista ita ad Principẽ adaptare oportet, vt non significent quanã ratione Deus illius voluntatẽ pro nutu regat, ac impellat, sed innuant potius quonam modo Rex suam voluntatem, & studia diuinæ voluntati permittere debet, vt ab illa regatur, ac moueatur. Ita vt hæc verba exhortationẽ cohibeãt, qua edoceãtur Principes modũ, quo eorũ voluntas, aliàs libera, & indocilis, Deo demitti, & voluntati eius ad nutum subdi debet. Ad id verò appositissimũ est exemplum nubiũ, quas flatus exiguus, in quãcumq; partẽ incũbit, illuc mouet agitatque. Alia sententia docet aquas hic dici quælibet in vniuersũ liquida corpora, vt à solidis distinguuntur, atque adeò per aquas inferiores liquida elemẽta sublunaria intelligit, per aquas verò supercælestes liquidũ etiam, & prætenue corpus inter Empyreum, & alios cælos fluens, ita enim ipsa cælorum cõpago postulare videtur. Nam cùm cælum Empyreum immotũ semper sit, non potuit sanè aliis cælorum mobilibus sphæris proximè hærere: quia si ita alicui sphæræ mobili adhæresceret, ab ea vtique raperetur. Quẽadmodũ ergo vt terra immota esset, & ab orbibus cælestibus non impelleretur, liquidã aëris naturã intercedere oportuit, in qua illorũ orbiũ impetus cluditur, atque hebescit: ita etiã cælũ Empyreum, vt naturaliter immobile sit, ac mobilium sphærarũ vis ad ipsum nõ perueniat, opus est vt liquidũ aliquod corpus interueniat, in quo similiter sphærarũ mobilium impetus hebetetur. Sed de hac re latiùs diximus c. 8. vers. 28. Ad rem: *Sicut diuisiones aquarũ, ita & cor Regis in manu Domini* (inquit Salomon.) j. sicut solidæ cælorum sphæræ inter corpora liquida facile rotantur, & versantur, nihil est enim quod obsistat, ac motum retardet, vt dictum est: ad eumdem modum absque vlla repugnantia Deus cor Regis agit, & in omnem partem torquet: ita nimirum Regis voluntas, cui omnia priuatorum hominum arbitria obsistere non possunt, ipsa quidem Deo sponte obsequitur, & illius nutui sine resistentia paret, vel obsequi & parere debet. Sed enim licet iuxta priorem istam expositionem, hæc & alia excogitari possint, tamen mens illi nequaquam acquiescit.

Secundò ergo alij per diuisiones aquarum maria diuersa intelligunt, adeo vt ex his non pauci legendum putauerint; *sicut pelagi aquarum, ita & cor Regis*, sensus autem secundùm eam acceptionẽ conformari potest ad hunc modum. Cor vtique Regis variũ, dissimile, numquam idem, tumidum, vadosum, vndosum, 3.

ſum, atque mari per omnia ſimile: ſed ſicut maris immenſæ regiones in manu Dei ſunt, & eas pro nutu ſuo, vel ſedat, vel impellit: ſic etiam cor Regium Deus arbitrio ſuo temperat, & aliquando illi quandam malaciæ ſimilem clementiam, & lenitatem, aliquando verò quandam tempeſtati parem indignationem inſpirat. Hoc ſibi vult, cùm ait, *quocumque voluerit inclinabit illud*, vel ad clementiam, vel ad indignationem. Prædicta verò maris ſimilitudine Salomon regalis animi elationem optimè declarat. Nam ſicut mare eiuſmodi eſt vt Dei tantum leges reuereatur, & ab alio coerceri non poſſit; ita etiam animus Regis Dei tantùmodo leges excipit, eiuſque ſolius iura cognoſcit. Rurſus Dei ſuprema poteſtas innuitur, quæ Regis animum contumacem, & maris in morem furentem nutu ſuo regit, ac temperat, & legibus ſuis adſtringit, his nimirum, quibus mare ipſum deuinxit; *Et legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* & rurſus: *vſque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos*, atque aliis ſimilibus, quæ Regibus etiam accõmodatè adaptari poſſunt. Quod autem non pelagus, ſed *pelagi*, dixit, de numero multitudinis, vel vt habet noſtra lectio, *diuiſiones aquarum*, ſpecialem energiam habet. Significat enim Regis cor, aut animum non vnius tantùm maris ſinũ imitari, ſed omnium omnes æſtus, vndas, & turbas in ſe exprimere, amplificaturque Dei poteſtas, quæ tot æſtus, vndas, & turbas Regij cordis tam facilè moderatur. Poteſt etiam aliter hæc maris ſimilitudo referri ad modũ quo Deus regiam voluntatem temperat; nam mare quidem in eo differt à fluminibus, quod ipſum quodammodo totũ ſtagnat, & nullam in partem ſponte ſua fluit; at flumina aliquam in partem ſemper decurrunt. Ait ergo Salomon, *Sicut pelagi*, vel *diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini*, hoc eſt, in poteſtate ipſius. Nã ſicut mare ex ſe quodammodo anceps, & in nullam partem procliue, Deus immiſſis ventis, in eam, quam vult, regionem impellit: ſic etiam Regis voluntatem ex ſe indifferentem Deus afflatu ſuo ad ea conuertit, & inducit, quæ ipſi maximè placent. Sed licet aliquid etiam de hac ſecunda ſimilitudine luſerim, tamen mihi etiam nequaquam arridet.

4\. Beda. Tertiò, ergo Beda per diuiſiones aquarum cuncta flumina accepit, quæ ex mari erumpunt, & totam latè terram fluentis ſuis inundant. Subdit verò per iſtiuſmodi diuiſiones aquarum gratiarum quaſcumque diuiſiones notari, quas Deus arbitrio ſuo diſpẽſat, iuxta illud, *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem verò Deus.* Et quidem Beda Regis nomine iuſtum intellexit hoc ſenſu; Quemadmodum diuiſiones aquarũ. i. flumina in Dei poteſtate ſunt, vt illa arbitrio ſuo diſtribuat, ita etiam cor iuſti hominis in poteſtate ipſius eſt, vt aliquod ſuæ gratiæ flumen in illud deriuans, in eã, quæ ipſi libuerit, partem flectat, hæc ille. Si tamen de Principe iuxta litteram exponamus hæc verba, præfata fluminum ſimilitudo aliter accõmodari poteſt: *Sicut diuiſiones aquarum, ita & cor Regis*, &c. i. ſicut flumina ex mari quidẽ Deo authore fluũt, & rurſus eodem quaſi libratore longiſſima telluris ſpatia percurrunt, abluunt, & infundunt, & tandẽ in mare relabuntur: ſic etiam Regis arbitria, imperia, & leges iuſtæ ex diuinæ voluntatis, & imperij pelago deriuantur, & in ſubditos ceu flumina quædam inde tranſeunt. Adeo vt bona Principis voluntas quædam diuinæ volũtatis inſinuatio, & deriuatio dici debeat, cui contraire nefas ſit. Id ſibi vult illud, *Quocunque voluerit inclinabit illud*, i. in eam partem voluntas eius feretur, in quam voluntas Dei pendet: ita vt iuſta Principis arbitria quædam diuinæ voluntatis deriuationes & defluuia ſint, quæ vbi magnas latè regiones abluerunt, ad mare eiuſdem voluntatis diuinæ ſeſe

A referunt. Itaque Salomon ſecundùm hanc expoſitionem, obſequium, & obedientiam erga Reges ſuadet ſubditis, quia Deus eorum corda, & ſtudia regit, ac per ipſos ſuam voluntatẽ ſubditis denuntiat. Vel aliter ſimilitudo ſic inſtitui poteſt; Quemadmodum autore Deo, & libratore, flumina in has potius, quàm in illas regiones feruntur, ex quo fit, vt aliæ aridæ, ac ſteriles, aliæ verò aſſiduis irrigationibus madefactæ vberes, & fœcundæ ſint: ita etiam Principum gratia, & fauor à Deo regitur, vt hos potius quàm alios inundet, felicitet, ac beet. Quod ſi hæc interpretatio poſterior alicui non diſpliceat, licebit vtique per diuiſiones aquarum, gratiarum diuiſiones, & diſtributiones capere, vt ſenſus ſit. Quemadmodum Deus

B ſuarum ipſius gratiarum, & auxiliorum diuiſiones in manu. i. in poteſtate ſua retinet, *ita etiam cor Regis in manu Domini*. i. fauor, & gratia Regis in Dei poteſtate ſita eſt, vt illam arbitrio ſuo his potius, quàm aliis diſpenſet. Quæ ſententia manifeſtè innuit Dei gratiam illi prius ineundam, & conciliandam, qui Principum fauorem, & gratiam promereri vult.

Quartò lxx. interpretes, qui à fluminibus etiam ſimilitudinem hanc peti exiſtimarunt, ad impetum eorum retulerunt hoc modo: *Sicut impetus aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit innuere, illuc inclinabit illud.* Et quidem Regiæ voluntatis in aliquam partem propenſæ, vim alibi etiam cũ fluminis labentis impetu contulit ſcriptura. Eccleſ. c. 4. 5. Septuag.

C *Noli* (inquit) *reſiſtere contra faciem potentis: nec coneris contra ictum fluuij*: ergo Salomon in hoc loco duplicẽ ad ſenſum ſecundùm eam lectionẽ vocari poteſt. Prior eſt Ianſenij, & aliorum ad hunc modum. Indignatio Regis ſimilis eſt flumini ex alluuione exundante, & impetu maximo labente: hæc autem in manu Dei eſt, vt illam in eos quos voluerit effundat. Itaque hæc expoſitio ſignificat, Deũ Opt. Maxim. Principis indignatione ad coercenda ſceleratorum crimina arbitrio ſuo vti, atque illam in eos, quos punire decreuit, non ſecus immittere, quàm fluuium aliquẽ rapidiſſimum, qui etiam obſiſtentes, & repugnantes ſecum aufert, & fluctibus ſuis inuoluit. Poſterior ſẽſus eſt D. Auguſt. in lib. de gratia, & libero arbitrio August.

D c. 21. vbi ſic habet, *Deus tranſtulit indignationem Regis Aſſueri in lenitate, ſcriptum eſt. n. in libro Prouerbiorum, Sicut impetus aquæ, ſic cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit declinabit illud*, &c. quaſi dicat, Regis indignatio ſimilis eſt flumini rapidiſſimo: ſed tamen eius impetus, ac vis, diuinæ voluntati abſque vlla reſiſtentia cedit, & ab ea ſe coerceri ſinit. Illa autẽ verba, *quocumque voluerit declinabit illud*, pulcrã quandã energiam habent: eſt enim ſenſus. Regis voluntatem fluminis in morem in vnam partem impetu maximo ruentem, etiam in aduerſa Deus facile conuertit, & torquet, ita vt ſimili impetu in eam feratur: Hanc n. vim habere videtur verbum, *declinauit*, quo vſus eſt Auguſtinus, quaſi deorſum inclinauit, vt procliui lapſu decurrat: quaſi dicat, Regis voluntas tanquã ra-

E pidum flumen præcipiti lapſu fertur, atque adeò illi contraire & aduerſari, perinde eſt atque contra fluminis ictum conari; ſed hæc maxima vis, quæ omnes aliorum hominum voluntates facile poſt ſe aufert, & quæ vel ex eo tanta rapiditate labitur, quia velut flumina collectis hinc, & inde riuulis augentur, & maiori impetu fluunt: ſic etiam regiæ voluntatis impetus omnibus aliorum voluntatibus in eam confluentibus accreſcit quodammodo, & violentior fertur: hæc, inquam, tanta vis à Deo in diuerſum commutari ſolet. Quod diuinam potentiam maximè commendat; eſt enim res quædam per ſe maior ac dignior, quàm flumen rapidiſſimum aduerſo alueo in contrariam partem impellere.

Quintò, Alij similitudinem ab eo ductam putãt, qui riuos ex magno flumine ducit, vt per eos aqua ad fundos irrigandos,& infundendos regatur. Potest autem iuxta hanc metaphoram triplex sensus excogitari. Primus apud interpretes vulgaris sic habet, *sicut diuisiones aquarũ, ita cor Regis in manu Domini.* i. sicut ductis fossis, aut defossis alueis, aqua ex flumine deriuatur, ipsa verò in eam partem sponte fluit in quam ab agricola regitur: ita etiam cor,& voluntas Regis, quæ præ cæteris libera,& sui iuris est, à Deo opt. max. tẽperatur & in hæc, vel illa opera pro libito mouetur. Iansen. Rodolph. & alij existimant sententiã Salomonis eò spectare, vt dicat Regis voluntatẽ, & studia vel ad perniciem, vel ad cõmodum Reipublicæ à Deo pro libito impelli. Ego verò sententiam latiùs patentem in eas angustias coniiciendam minimè esse puto, sed absolutè diuinæ voluntatis vim in eo poni, quod non vi, aut coactè, sed spõtè, ac liberè omnis humana voluntas sequitur: exprimitur autem hîc Regis volũtas, quia cùm primis libera, & iugi expers est. Similitudo etiam in eo sita est, quod sicut alueo prærupto,& effosso, aqua sponte influit, ita etiam humana voluntas aquæ instar liquidæ vbi Deus immissa cogitatione sancta mentem instruxit & (liceat sic dicere) fossam aperuit, sponte ad has, vel illas actiones fluit. Sed tamen adhuc nescio quis scrupulus restat: quia hic prædictus modus mouendi voluntatem Regi, atque aliis hominibus priuatis communis est, locus autem de Rege tantum loquitur.

7. Quapropter existimo Salomonem de gratia hîc & fauore Principum sermonẽ habere, hoc modo, *Sicut diuisiones aquarum, ita & cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit inclinabit illud:* & sicut Agricola per alueos suos aquam ducit,& in hanc vel illã partem ipsismet alueis subiectam & substratam pro libito suo regit: ita etiam Deus gratiam, & fauorem Principum prout placet in hos vel illos subditos deriuat. Atque adeo quicumque Regum gratiam promereri impensè cupit, Deum sibi obstringere debet, atque illius gratiam prius inire. Hanc existimo verã, & sinceram huius loci expositionem, vel dicendum omnino iuxta notationem suprà traditam, verba ista exhortationem quandam continere, qua monetur Princeps vti suam voluntatem, & studia diuinæ voluntati subiiciat, ita vt non aliter eius nutum sequatur, quàm solet aquæ liquor ad Agricolæ fossas ducentis nutum fluere.

---

2. *Omnis via viri sibi recta videtur; appendit autem corda Dominus.*

8. OMnis via viri,&c. Hebr. *Omnis via viri recta in oculis eius, ponderans autem,*&c. Cajetan. *Adaptans autem corda Dominus.* lxx. *Omnis vir iustus sibi videtur: dirigit autem corda Dominus.* Chald. etiam habet, *dirigit autem corda Dominus,* subest autem verbũ תכן *Thachan*, quod significat adaptare, ponderare, numerare, & dirigere. Hinc etiam nata alia lectio, *Numerans autem corda, Dominus,* atque, vt aliàs notaui c. 16. num. 1. verbum illud thachan non solum ad pondera,& mensuras, sed etiam ad vias referri solet. Nam *Librare vias,* idem est quod eas libella exæquare. Locus iste videtur omnino similis illi, *Omnis via viri munda in oculis eius: sed spirituum ponderator est Dominus,* supra c. 16. num. 2. atque adeo aliqua ex his quæ ibi diximus, huc etiam transmitti possunt. Sed tamen aliquid dissidij inter vtrumque intercedit, ibi enim via זך *Zach*, i. munda dicitur, hic verò est ישר *Iasar*, i. recta,& æqualis,& plana. Rursus in eo loco posterius hemistychium habet רוחות *Ruchot*. i. spiri- A tus, in hoc verò subest לבות *Libuth*. i. corda,& quidem, ni fallor, alia est Salomonis mens in hoc loco, quam expedire aggrediar.

9. Caietanus, Iansenius, & alij de huius loci veritate disceptant, nam quî inquiunt, dici potest omnẽ viam rectam,& honestam homini videri, cùm sæpius homo sciens,& volens mala perpetret, quæ mala esse nouit? occurrit Iansenius prouerbiali modo, id quod fere ita cõtingit, vniuersaliter affirmari. Quidã etiam affirmant hîc de iusto bene operante sermonem esse, ita vt illud, *omnis via,* sit restringendum, omnis videlicet via, quæ bona est, viro bona videtur, quasi dicat. Quisquis bene agit, boni illius, quod agit, sibi conscius est. Caietanus verò ad commune illud pro- B loquium sese recipit. *Nemo ad malum respiciens operatur,* quisquis enim mali aliquid perficit, falsa quadam existimatione boni inducitur: Dici etiam potest tunc cùm Salomon ait; *Omnis via viri recta sibi videtur,* non de omni viro collectiuè, sed distributiuè locutum fuisse, id est, nulla est via, quam aliquis hominum non probauerit, ac rectam duxerit, nam furta & homicidia à quibusdam honesta sunt existimata: & vel ipsa idololatria aliquibus probata est,& idem iudicium est de aliis. Hæc igitur responsa, quibus interpretes occurrunt præmissæ quæstioni, diuersas huius loci pariunt interpretationes.

10. Si cum his sentiamus qui commune illud proloquium obiiciunt, *Nemo ad malum respiciens operatur,* C sensus sic instituendus est, *Omnis via viri recta sibi videtur.* i. quicumque mali aliquid admittunt, falsa quadam boni opinione inducti faciunt. *Appẽdit autem corda Deus,* hoc est, Deus conscientiam penitus inspicit, & examinat: hanc enim semper malitiæ notitia imbuit, vel potius mordet. Itaque Salomon docet boni speciẽ, qua homines inducti delicta admittunt, non excludere eorum delictorum malam conscientiã quã Deus examinis sui libra trutinat. Ad hãc verò interpretationẽ non ineptè accommodari potest metaphora hîc delitescens: *Omnis via viri recta sibi videtur.* i. plana & æquabilis (hanc enim significationẽ subesse voci primitiuæ nuper dixi) appendit autẽ, seu librat corda Deus: nimirum libella explorat, & D examinat. Cogita ergo operi malo quandã viã quasi sterni ad extra, per quã quodammodo incedit, & ad executionẽ peruenit: hæc autẽ via sæpius plana, imo etiam procliuis & facilis est: ac rursus cogita animi propositũ, quo quis malum committere apud se decernit. Aliam etiam ad intra viam habere per quã ad consensum tendit; hæc verò nunquã plana,& æquabilis est, semper enim conscientiæ malæ impedimenta,& salebras experitur. Ergo ait Salomon, homini quidem plana & procliuis videtur via, quæ ad executionem mali tendit, quia videlicet delectabilis est, sæpius etiam expedita,& nullis impedimentis difficilis. Deus autem non hanc externam viam, sed inter- E nam illam qua itur ad consensum, libella sua examinat, atque in illa insuperabiles malæ conscientiæ cliuos inuenit.

11. Secundò locus iste aliter exponitur iuxta secundam præmissi dubij solutionem: nam *librare vias* non solum est illas perpendiculo examinare, sed etiam deiectis cliuis exæquare,& complanare (vt aliàs obseruauimus:) cogita ergo non duas, sed vnam,& eandẽ viam, ab animi proposito ad consensum,& à consensu ad operis executionem. Ait ergo Salomon, *Omnis via viri recta sibi videtur*, Omnis scilicet via, i. actio bona,& honesta, operanti honesta videtur: nemo. n. agere potest, nisi eius boni, quod agit, sibi conscius sit. Metaphora autem illa à libratoribus viarum petita, huic sententiæ sic aptanda est. Bene agere planum, ac procliue est, nã bona omnis actio, quæ veluti via

via quædam ex animi proposito per consensum ad operis executionem pergit, ab initio vsque ad finem plana, & æquabilis est. *Appendit autem* seu *librat corda Deus*: conscientia nimirum, quæ in omni malo opere veluti cliuus insuperabilis sese objicit, adeo (liceat sic dicere) complanatur, & ad admirabilem æqualitatem adducitur, per claram & manifestam boni gerendi cognitionem: hæc enim omnes conscientiæ cliuos sternit, & in viam facilem ad bona opera expedit, quemadmodum mali cognitio insuperabiles montes objicit, & difficilem ad delicta viam reddit.

12. Tertia interpretatio ex alia illius quæstiunculę solutione pendet, *Omnis via viri recta in oculis eorum.* Nullum scilicet tàm indecorum & turpe vitium est, quòd alicui saltem homini bonũ, & rectum nõ appareat. Ratio autem est, quia inordinatæ affectiones rationem, iudiciumque detorquent, vt de rebus rectè sentire ac discernere non possit, *sed appendit* (inquit Salomon) *corda Deus*: quod nõ intelligo, quasi corda trutina sui iudicij examinet: sed quod ipsammet rationem velut stateram quandam, vitiorum pondere à rectitudine sua deflexam ad æquilibrium, & amussim reuocet, vt de bonis ac malis, de virtute ac vitio iudicare, ac rectè definire possit. Itaque illud *appendit*, non ad ponderum æqualitatem, sed ad ipsius trutinæ æquipondium referri debet, idest, stateræ in modum iustæ rationem iudiciumque conformat, ad bona malaque examinanda, & ponderanda. Et quidem rationem aptè admodum cum statera componi non semel aliàs diximus; sed succedant memoriæ verba Basilij ad illum locum Psalm. 61. *Mendaces filij hominum in stateris. Cuilibet nostrûm*, inquit, *statera à conditore omnium apparata, per quam rerum naturam possit probe discernere, Posui* (inquit) *ante faciem tuam vitam, & mortem, & bonum, & malum, duas inter se contrarias naturas, has tu examina, & diligenter expende quid vtilius sit*: & infra sic habet, *Tibi namque propria datur libra, quæ sufficiens discrimen boni, & mali demonstrat; corporea namque pondera in libra lancibus probamus, quæ vero ad instituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium decernimus, quod momentum æquale ad vtrũlibet possis capere.* Hæc ille. Addo etiam verbum Hebr. ex germana sua vi eam significationem recipere posse *appendit* i. veluti lances ad æquilibrium redigit.

13. Cæterùm subiiciam quartam expositionem quæ ex alia illius dubij solutione dependet *Omnis via viri recta sibi videtur*, id est, omnes ferè homines per vitium philautiæ sibi ipsis placent, & suam viuendi rationem probant. *Appendit autem corda Deus*, id est, Cùm homines sui cordis motus haud satis perspectos habeãt, & Deus tantummodo corda penitus calleat, homines de seipsis nihil certi constituere possunt: solius enim Dei est corda hominum lance suæ existimationis explorare. Potest etiam secundùm hanc expositionem similitudo peti ab his, qui aurum, vel argentum igne, ac libra probant, atque adeò sermo erit de tribulationibus, quibus Deus probitatem examinat, ita vt sensus sit. *Omnis homo videtur sibi iustus*, sic habent lxx. Sed tamen Deus hanc hominis iustitiam appendit, hoc est, tanquam aurum tribulationũ igne excoquit, & statera iudicij sui examinat. Ad hũc modum se probatum, & appensum affirmat Dauid in Psalm. 16. *Probasti cor meum, & visitasti nocte; igne me examinasti*; igne verò examinatum ad libram iterum vocasti, *& non est inuenta in me iniquitas*, id est, inæqualitas nulla in me deprehendi potuit; nam ante, & post tribulationem idem omnino perstiti. Vel si in stateræ similitudine persistamus, aliter dici potest, *Appendit autẽ corda Deus*, verbum illud, *thachan*, vt alibi diximus, non solùm significat librare, nimirum pondus cum pondere in statera componere, sed etiam simpliciter, pondus imponere, vel aliquid iniecto pondere degrauare, atque adeo sensus sic confirmari potest. Homo quidam sibi placens in suæ æstimationis statera vanæ elationis leuitate efferri solet: sed tamen Deus tantam cordis leuitatem solet immisso pondere degrauare, & (liceat sic dicere) sublimem lancem, quam sui existimatio extulit, ad terram deponere. Quod duplici modo præstare potest, humilitatis videlicet, aut etiam humiliationis onere imposito, vtrumque enim animi elationem deprimit, & fastum deijcit.

14. Quod si locus sit illi metaphoræ, quam initio præmisimus, desumptæ ab his, qui viam libella examinant, exæquant, & opplanant, sensus erit. Omnis via viri recta sibi videtur, idest, plana, & æquabilis viuendi ratio (hæc enim est vis vocis originalis) sed tamen Deus corda appendit, idest, suæ cogitationis perpendiculo examinat, atque tumoris cliuos deijcit, & corda per humilitatem, aut humiliationem conplanat modo dicto.

Possunt etiam ad hunc sensum vocari reliquæ translationes, nimirum illa: *Deus autem corda dirigit*, quam secuti sunt lxx. Chald. & illa, *Deus corda adaptat*, quæ Caietano, & alijs perplacet, nec non etiam illa, *numerat autem corda Deus*, quam Pagninus refert ad cogitationes, quasi dicat. Deus non opera tantum externa adspicit, sed etiam cogitationes cordis singulas subducit, atque adeo sæpius opera, quæ exterius honesta videntur, propter mentis elationem repudiat. Aliter etiam dici potest, *numerat autem corda Deus*, placet vtique Deo cor rectum, & simplex: duplex autem cor illi magnopere displicet. Eccles. 2. *Væ duplici corde, & labijs sceleratis.* Iacob. 1. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*, & cap. 4. *Purificate corda, duplices animo.* Est autem duplicis animi vir, teste D. Thom. ille, qui alium quidem animum opere ipso exterius prodit, alium verò deintus condit. Ergo ait Salomon, Deus equidem corda enumerat, an scilicet vnum tantum cor homini ad sit, an duplex, attentè explorat; id enim ipsi inuisum, illud verò gratissimum accidit.

---

3. *Facere misericordiam, & iudicium; magis placet Domino quàm victimæ.*

15. Facere misericordiam, &c. Hebr. *Facere iustitiam, & iudicium electum Domino præ sacrificio.* Ex vulgatis etiam codicibus non pauci ante correctionem Clementis habebant, *iustitiam* pro *misericodia.* Chal. *Qui facit iustitiam, & iudicium, complacet sibi in eo Deus, magis quàm in sacrificio.* lxx. verò sic extulerunt, *Facere iusta, & vera esse, placent apud Deum magis quàm hostiarum sanguis.* Cæterùm, vt aliàs non semel monui, misericordia, & eleemosyna in scriptura passim iustitiæ nomine donantur.

Hanc sententiam vsurpauit etiam Oseas 6. *Misericordiam, ait, volui, & nõ sacrificium, & scientiam Dei, plusquam holocausta.* Atque eius etiam meminit Christus Dominus apud Matth. c. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Præferuntur ergo misericordia & iudicium, seu veritas, sacrificio: de singulis aliquid dicã. Præstat victimis misericordia, quia victimas Deo mactamus, inquit D. Thom. vt ipsum viuere, & totius vitæ fontem identidem existere profiteamur: nam perempto ad ipsius cultum animali, vita illi cõsecratur; vel potius quodammodo restituitur, & accepta refertur. Ex hoc ergo sacrificij obsequio colligere mihi videor misericordiam illi omnino præferendam esse: si enim is, qui propter Deum, & ipsius gratia ani

animanti cuipiam rationis experti vitam adimit,Deū
vitæ fontē,& autorē esse profitetur,longè vtiq; me-
lius id testatur,qui pauperis vitā suis fortunis nō au-
fert,sed alit,& tuetur:nam Dei ius,& potestas in vitā
magis proditur, quando illam per misericordes ho-
mines consecuat; quam tunc cū eandē per sacrificu-
los tollit. Rursus si ex eo sacrificij obsequium Deo
pergratū est,quia significat Deum ipsum viuere,lon-
gè gratior illi misericordia esse debet,quæ non tantū
ipsum viuere adsignificat, sed vitā etiam illi quodā-
modo tribuit:non equidē quatenus in semetipso vi-
tam diuinā agit,sed quatenus in paupere esse,viuere,
atque adeo pasci,& nutriri se fatetur; cum ait, *Esu-
riui.n.& dedistis mihi manducare;sitiui, & dedistis mi-
hi bibere*,&c.ac demum, *Quod vni ex minimis meis fe-
cistis,mihi fecistis*.Ad hæc misericordia cum sacrificio
confertur,quia misericordia etiam hostia quædā est,
Ad Hebr. 13. ac sacrificiū Deo iucundū,Paul.ad Hebr.13. *Benefi-
centiæ*(inquit)*ac gratiæ nolite obliuisci, talibus.n.hostiis
promeretur Deus*.At quomodo,inquies,hostiæ nomē
in misericordiam cadit? subiicio, Imprimis Apostoli
suarum constitutionum lib.3.c.14. pauperem cū al-
tari contulerunt. *Vidua*,inquiunt,*pauper precetur pro
eo,quicumque illi dedit, cùm sit ipsa sanctum quoddam
altare Dei*. In hoc ergo altari vel ara pauperis, non
belluarum rationis expertium, sed suum ipsius san-
guinem fundit vir misericors, nam (vt aliàs diximus
ex Chrysost.& Tullio)diuites pecunias suas sangui-
nis loco ducunt, atque adeo cùm illas in pauperem
profundunt,sanguinem quodammodo suum in pau-
peris ara reddunt. Audi de hoc sacrificio elegantem
Chrysost. Chrysost.orationem in Epist.ad Hebr.Homil.13.vbi
misericordiam cum martyrio venustè cōponit, *Sunt*
(inquit) *aliæ quoque hostiæ verè holocausta,nempe mar-
tyrum corpora,illic enim,& anima,& corpus magnū ha-
bent odorem suaueolentiæ:potes tamen tu quoque,si velis,
tale offerre sacrificium. Quod enim? si igne corpus non
combusseris, sed potes alio igne, vtpote igne paupertatis
voluntariæ, igne etiam afflictionis. Licere enim delicatè
lauteque,& splendidè vitam agere, & tamē laboriosam,
& acerbam vitam eligere,& corpus morte afficere, an nō
est oblatio holocausti?corpus tuum morte affice,& cruci-
fige,& ipse etiam percipies coronam huius martyrij. Nā
quod illic operatur ensis, hoc hic faciat prompta animi
alacritas ad dandum:non vrat,neque detineat amor pe-
cuniæ;sed vratur,& trucidetur nefaria cupiditas,conci-
datur gladio spiritus. Hoc est pulchrum sacrificium,quod
inferne quidem peragitur, superne autem confestim as-
cendit*.Hæc ille.Si ergo eleemosyna sacrificium est,&
martyrij præstantissimam hostiam quodammodo in
se exprimit,haud mirandum si antiquis victimis an-
teponatur à Salomone.
16. Sed illud etiā addere libet,in paupere nescio quid
sacrificij omnium præstantissimi,aut clarissimi,vide-
licet Eucharistiæ,adsimile reperiri;sicut.n.in Eucha-
ristia sub specie panis Christus est, excipitur, atque
adoratur,sic etiam in paupere idem Christus in spe-
cie pannosi,& vilis hominis latere,atque excipi à no-
bis dicitur.In Synaxi sacra adumbratur,ac recolitur
Christi passio,in paupere etiam Christus patiens, siti
videlicet enectus,famelicus nudus exhibetur. Qua-
propter ille,qui pauperem benignè excepit,& illi ex
animo succurrit, siue misericordiæ viscera aperiens,
nescio quid agit illi adsimile,qui Eucharistiam colit,
ac dignè recipit:Atque adeo misericordia nō imme-
ritò apud Paulum loco citato communibus cum Eu-
charistia gaudet nominibus, vtpote quæ, *communio*,
atque *hostia* ab ipso appellatur; *Beneficentiæ*(inquit)
*ac communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis pro-
meretur Deus*. Cæterum si quæras rationem propter
quam misericordia sacrificio præfertur, cùm sacrifi-

A cium Deum respiciat, misericordia verò ad pauperē
spectet:Respondeo sacrificium per se ad nobiliorem
virtutis speciem præferri: misericordia.n.cedit reli-
gioni:tamen quia ex sacrificio nihil vtilitatis ad Deū
peruenit, & eodem sublato nihil detrimenti capit:
per misericordiam verò pauperis necessitas subleua-
tur,qui alioqui ex inopia periret, propterea hæc ar-
ctius obstringit homines, quàm illud,adeo vt non-
nunquam liceat vasa sacra absque iniuria religionis
effringere, & conflare, vt pauperum angustiis sub-
ueniatur.

Misericordiæ addit Salomon *iudicium*, quod no- 17.
men,vt aliàs non semel obseruaui,misericordiæ can-
cellos assignat, vt scilicet ex propriis ac iustè partis
B eleemosyna impendatur. In Hebræo textu est,*facere
misericordiam,& veritatem*.&c.Si verò per veritatem
id accipias,quod sonat,dicemus quidem hanc etiam
à Salomone victimis præferri,quia per victimas ani-
malia rationis expertia mactantur,per veritatem au-
tem seu veracitatem, seipsum homo victimandum
quotidie exponit. Quicunque enim veritatē passim,
& audacter dicere, & profiteri apud se statuit, sese
proculdubio passim quoque neci deuouit, & vitam
suam in discrimen adducit:veritas.n.multos sui oso-
res habet.Annon Ioannes,imò potius vniuersa mar-
tyrum cohors, atque martyrum caput Christus Do-
minus,veritatis victimæ fuerunt? Ita.n.appellare li-
cet omnes illos quotquot pro tuenda veritate vitam
C profuderunt.

---

4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis:lu-
cerna impiorum peccatum.*

EXaltatio oculorum,&c.Hebr. *Exaltatio oculorū,* 18.
& latitudo cordis.Sed aptè noster interpres ver-
bum substantiuum inseruit, *& nouale impiorū pecca-
tum*:nam pro *lucerna* subest נר *Nir*,quæ vox vtrum-
que sonat, *lucernam,nouale, orationem,sulcum*, & al-
ueum,per quem flumen labitur. Aliqui etiam cande-
labrum vertunt, sed tamen hoc non est נר *Nir*, sed
מנורה *Menorah*, hinc natæ dissimiles valde transla-
D tiones.Rabi Dauid conuertit,*Aratio impiorum pecca-
tum*.Caiet.*Sulcus impiorum*. Ex recentioribus Hebr.
aliqui,*alueus impiorum peccatum*. Alij rursus *candela-
brum impiorum*.lxx.integram sententiam sic restituūt.
*Magna sapiens in contumelia audax corde: fax autem
impiorum peccatum*,sic habet textus Vaticanus:Com-
plutensis verò,& Regius tantisper dissidet,*Magnani-
mus in iniuria audax,fax autem impiorum*,&c.

Exaltatio oculorum est dilatatio cordis.Ex interpre-
tibus nonnulli suadent abiiciendum esse verbū sub-
stantiuum,*est*,& coniunctionem, *&*,supponendā:at-
que adeo verba sic nectunt. *Exaltatio oculorum,& di-
latatio cordis,lucerna impiorum peccatum*, duo nimirū
vitiā,superbia,& auaritia,quæ appositiuè lucerna sūt
E impiorū,per quæ videlicet splēdent,ac micāt impro-
bi apud homines,hæc,inquam, duo vitia, peccatū. j
peccata sunt,ac peccandi magnam licentiam offerūt.
Sic Iansenius,& alij recentiores:sed tamē cùm Cor-
rectior textus Clementis verbum substantiuum ne-
quaquā expunxerit,sententia aliter conformanda est.

Ex antiquis Hugo,Diony.& alij priorem huius lo-
ci partem bonum ad sensum allici posse existimarūt,
hoc modo, *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis*, id
est,charitas,quæ per animi,& cordis dilatationem si-
gnificari consueuit. *Os nostrum* (inquit Paulus) *patet
ad vos,ô Corinthij,& cor nostrum dilatatum est*,& Psal. Cor.
118.*Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti* Psal. 118.
cor meū:aut etiā spes futuræ fœlicitatis, quæ similem
admodum animum dilatat, & explicat: hæc, in-
quam,

quam,oculos ad superiora attollunt, & terrenis despectis, ad cœlestia erigunt: sicut ex aduerso mens culparum rea,& desperans, oculos deprimit, iuxta illud, *Oculos suos statuerunt declinare in terram*.

Cæterùm reliqua interpretum turba vtramque clausulam malam in partem rapit;de sensu tamen nõ liquet. Plures enim per exaltationem oculorum superbiam, & fastum intelligunt. Eccles.27. *Extollentiam oculorum ne dederis mihi*, & supra.c.6. *Oculos sublimes,linguam mendacem*,&c.& infra c.30. *Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrecta*, & sæpe alibi. Potest etiam oculorum exaltatio aut eleuatio ad auaritiam referri infra c.23 *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes*, &c. Nescio an alibi: Tota dubitatio in eo posita est,quid sibi velit dilatatio cordis.Plures ad insatiabilem auaritiæ cupiditatem reuocãt, suadetque hoc locus Psalmi 100.nam vbi LXX. habent, *Superbo oculo,& insatiabili corde*,in primitiuis est ad verbum. *Excelsus oculis, & latus corde*.Rabi autem Abraham sic scribit, *Latus corde est,qui dilatat cor suum ad ferendũ aduersa,& ne ab ipso quidẽ Deo timet*. Potest etiam latitudo cordis de quaquam transgrediendi temeraria confidentia,siue perturbatione conscientiæ accipi, vulgò dicitur, *Anchura de consciencia*.Denique Rabbi Leui dilatationem cordis ad intellectum refert,ita vt significet rerum omnium ac scientiarum vniuersalem quandam, amplamque notitiam. Mitto interpretationem lxx. de qua postea plura dicam.

Eccles. 27. — 17 — Psalm. 100.

20. Ex his ergo dissimiles valde huius loci interpretationes conformari possunt iuxta dissimiles vtriusque clausulæ acceptiones.Si enim per exaltationem oculorum opum cupiditatem accipiamus, sensus sic institui potest. *Exaltatio oculorũ est latitudo cordis,idest*, appetitio diuitiarum est cordis quædam extensio,seu expansio:nam quo quis plura obtinuit,eò plura veluti dilatato, & expanso animo appetere incipit. Sane cùm quis nihil possidet,vix pauca desiderat corde veluti in angustias coacto: at postquam habere incipit, quò plura in dies obtinet, eò plura dilatato corde exoptat.Quapropter fortunarum cupiditas haud ineptè dilatatio cordis appellatur. Quod quidem ita intelligo,vt suadeat Salomon, ne quis ad opes appetẽdas oculos suos erigat; nam cupiditas,vbi animũ obtinuit,contineri non potest,sed in dies dilatat,extenditque cor ad plura expetenda.

Potest etiam hæc cordis latitudo ad conscientiam referri iuxta hanc expositionem ad hunc modum. Cupiditas diuitiarum inordinata conscientiam dilatat, vt per fas, vel nefas, eas auarus vndecunque sibi acquirat. Et quidem appositè ad hæc subnectitur, *lucerna impiorum peccatum*:hæc nimirum habendi illecebra,& cupiditas facem præfert ad innumera peccata,nam *qui volunt diuites esse,incidunt quidem in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa*, &c.Vel aliter:*lucerna impiorum peccatum*,i.peccatum eorũ lucerna est,ita vt lucerna locũ habeat prædicati, quasi dicat.Peccata eorũ,qui ex illa insaturabili appetentia opes,& fortunas dilatato corde cõtra fas conquirunt, veluti lucerna conspicua, & omnibus manifesta fiunt;nam illorum iniustitiam,& fraudes vulgus deprædicat. Aliqui etiam ex Hebræis adnotant per vocem illam נר *Ner*, aut *Nir*, quæ hic subest,ex germana significatione eas lampades seu faces notari,quæ in defunctorum funeribus,& in feriis præferri solebãt.Itaque sensus sic institui potest,*peccata impiorum lucerna*, quia videlicet furta, & vsurpationes rei alienæ quæ ex illa copiarum insatiabili cupiditate aggrediuntur, auari ante obitũ suum minime expiabunt:quinimo hæc illos,veluti lampades,ac faces ad sepulcra vsque comitabuntur. Potest etiam huic in-

A terpretationi aptari illa translatio, *Aratio*, vel *nouale impiorum peccatum*.Hic scilicet inordinatus fortunarum appetitus, earum comparandarum diligentiam, & curam acuit,atque tantus quæstui labor impenditur,vt labor iste ab aratorum labore non dissideat;sed tamen hæc tam laboriosa impiorum hominum aratio, prouentuum loco, peccata innumera progerminat, quibus passim se obstringunt auari.Vel aliter,ipsa diuitiarum inordinata appetentia peccatum quoddam est nouali adsimile: nam sicut noualia messium feracissima esse solent:ita etiam illud cupiditatis inordinatæ peccatum aliarũ culparum copiosissimam messem profert:ita enim infra habes ca. 22. ver. 8. *Qui seminat iniquitatem,metit mala*. vide ibi plura,&c.

B Secunda interpretatio sic concinnari potest. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis*:per oculorum exaltationem superbiam intelligo,vt sit sensus:Superbia, & fastus, quædam est cordis dilatatio, & distensio; ideo enim superbi,& arrogantes tumidi appellantur, velut ex tumore distenti: & apud nostrates, cùm aliquis de se superbè concipit, vulgo dicitur, *que se ensancha*, & quidem aptè ad hæc subnectit, *& lucerna impiorum peccatum*, lucerna etiam hîc prædicati vim habet,idest, peccatum eorum est lucerna,vel quia ex eo quidem peccant,quod splendescere,& prælucere reliquis ex fastu volunt:vel quia dum sese per superbiam extollunt, & eminere reliquis cupiunt, eorum peccata lucernæ ad instar promicãt,omnibus scilicet C conspicua & aperta sunt. Ita.n.ferè accidit, vt vulgus superborum culpas magis obseruet,quàm aliorũ. 21.

22. Quod si verbum substantium *est* non identitatem significet; sed quandam vitiorum communionem,& societatẽ tertia interpretatio euadet in hunc modũ, *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis*. Superbia scilicet pessimam illam animi latitudinem inducit, quæ iuxta Rabbi Abraham timorem Dei excludit,& iuxta alios timoratam conscientiam. Nam timor Dei, & pauida conscientia(liceat sic dicere)cor nostrum in angustias cogunt,his autem sublatis animus ad quodlibet audendum dilatatur. Et quidem superbiam timorem Dei à se longiùs remouere ex eo conuincitur, quia nihil magis superbiam deponit,quã timor, teste D Apostolo. *Noli altum sapere,sed time*.Rursus superbia conscientiæ libertatem gignere ex eo liquet,quia,sublato timore, nihil est quod conscientiam coercere, & coarctare possit. Deinde quia superbia ex natura sua omnes culpas leues reddit,culpæ enim grauitatẽ ex nostra vtilitate metiri solemus:nam quò vilior,& demissior putatur persona offendens,eò grauior censetur offensa:ergo cum vir superbus sublimem se,atque magnum æstimet, nullum à se graue delictum admitti posse vanè præsumit.Hinc fit vt superbia conscientiæ angustias excludat,& eius angore nunquam ferè experiatur.Subdit ergo Salomon appositè ad dicta, *Lucerna impiorum peccatum*, (per impios intelligit superbos)quasi dicat;tãtum abest,vt superbi pec- E cata sua agnoscant,& doleant,vt ipsa potius ostentare,ac vẽditare soleant,& veluti lucernam conspicuã, & claram in omnium oculis portent. Potest etiam huic sententiæ aptari expositio supra adscripta de facibus,& lampadibus,quę defunctis olim præferri solebant.Rursus etiã licet eidem accommodare lectionem illam,quam vulgus Hebraïzantium sequitur,& *aratio nouale*,aut,*sulcus impiorum peccatum*.Nam Hebræi per arationem cogitationem metaphoricè notari autumant,mens enim(inquiunt)cùm rem aliquam attentiùs meditatur,illam quodammodo cogitationis suæ acumine sulcat,& proscindit.Quapropter Pagninus locum istum sic extulit,*Cogitatio impiorum peccatum*.Est autem verissimũ,nam cogitatio superborum, qua sibi plurimum sumunt,& alios præ se dispiciunt, omnium

omnium peccatorum colophon existit. Atque de hac
22. superba cogitatione intelligendus est Vates cùm ait. *Decidant à cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle illos* &c. Non solum autem eiusmodi cogitatio peccatum est per se grauissimũ, sed omnes etiam hominis superbi actiones vitiat: nã illa mentis sui existimatio in causa est, vt quidquid boni agit, aut sibi ipsi arroget, aut vanæ gloriæ captandæ gratia exequatur : hæ autem animi intentiones omnia opera corrumpunt. Atque ob eã causam eiusmodi cogitatio non ineptè *aratio* dicitur, aut *nouale*, quia innumerabiles culpas germinat. Malim tamen prædicanti loco *arationem* accipi, vt supra de lucerna decreui, vt sit sensus, *aratio impiorum peccatum*. i. peccatum superborum aratio quædam est, aut *nouale*: tum quia labore multo subigitur, (est enim arationis ingens labor) tum etiam quia velut si in terram subactam, & molitam deciderint, ex vno multa delicta pullulat.

23. 4. Etiam aliter locus iste exponi potest secundùm translationem lxx. ad quam nostram etiam lectionẽ benignè allicere integrum est. In Græcis autem originibus sic habes, μεγαλόφρων ἐν ὕβρει θρασυκάρδιος; cogita ergo vtramque dictionem, θρασυκάρδιος, & μεγαλόφρων, ancipitem esse : aliquando enim bonam in partem, aliquando in malam capiuntur, nam μεγαλόφρων, magnanimum significat, & ad magna natũ : aliquando etiam superbum & per elationẽ animi magna meditantem. Item θρασυκάρδιος, audacem corde significat, quod aliquando virtuti inseruit, & in præferendis malis fortẽ sonat; aliquando etiã vitiis adscribitur, & petulantem, seu procacem adsignificat. Hinc natum dissidium nam Complutensis, & Regius codex hæc verba ad virtutem referunt hoc modo, *Magnanimus in iniuria audax*. i. vir magnanimitate præditus fortis est in perferendis contumeliis. Et quidem ad eum sensum vocari etiam possunt vulgata verba, *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis*; Nam per *dilatationem cordis*, longanimitatem accipere licet ; *exaltatio* autem *oculorum*, ad animi magnitudinem referri potest, quæ nimirum ad sublimia semper adspirat, & velut ex alto, atque edito loco perturbationes despicit; vt sit sensus: vir magnanimus, aut μεγαλόφρων. i. magna, & sublimia sapiens (hæc enim est vis huius nominis) iniuriis, ac contumeliis non premitur, sed has corde latissimè patente contemnit. Ita enim natura comparatum est, vt omnes dimensiones in hominis probi animo, liceat sic dicere, iustæ, ac secundum artem sint: ars enim ita postulat, vt in columna, verbi gratia, aut alio quolibet corpore affabrè elaborato, latitudinis mensura cum altitudine congruat, ita vt quò altior, eò etiam latior sit. Ita etiam de animo decernendum est: nam quo animus per mentem altiùs adsurgit per cogitationem supernarum rerum, eò magis idem protensa voluntate latè patet, tolerãtia, & perpessione laborum, ita vt sublimitas mentis semper in latitudinem voluntatis redundet. Hæc autem latitudo tanta est, vt non modo ad tolerandas iniurias patientiam, sed etiam ad easdem inuadendas audaciam. & alacritatem suppeditet. Hoc sibi vult nomen illud quo vsi sunt lxx. θρασυκάρδιος. i. audax vel alacris corde ad aggrediendum. Huic verò interpretationi non facilè subseruit posterius hemistychium, *lucerna impiorum peccatum*. Nisi dicamus per lucernam oculos intelligi, in Euangelio enim sic habes, *Lucerna corporis tui est oculus tuus* Matth. 6. & Latini etiam oculos *lumina* appellãt; itaque sensus erit. Impiorũ oculi semper demissi, & deiecti ad peccatũ intuentes, atque adeo cum nihil sublime sapiant, cor vtique arctissimè contractum, & angustum habent. Vel aliter, *lucerna impiorum peccatum*; quæ verba opponi possunt audaciæ illi, quam magnanimitas cordi inspirat, vt sit sensus. Impij semper peccata sua tanquam lucernã aliquam ob oculos habent: hæc autem animum valde coarctant, & vrgent, vel potius eos pusillanimes reddunt. Satis compertũ est accipitres, & alias feroces aues, lucerna ob oculos posita animositatẽ amittere, & audaciam deponere. Ergo quod in hisce volucribus feris lucerna obiecta oculis, id prorsus in sceleratis hominibus præstãt peccata memoriæ obseruata. Cæterum correctior textus Sixti verba illa ancipitia ad vitium reuocans, sic extulit, *Magna sapiens in contumelia audax corde*. i. superbus (hic enim magna, & sublimia sapere, & meditari aptè dicitur) superbus inquam ad iaciendas contumelias audax, imo temerarius, ac procax est. Superbia enim, & fastus ad contumelias, & probra semper prompta sunt. D. Greg. in Moralibus aliàs à me citatus. *Superborum*, inquit, *mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad perferendas infirma*. Addit autem Salomõ, *Lucerna impiorum peccatũ*, hoc est, iidemmet superbi peccata, & delicta sua venditant, & ostentant: quasi dicat; Sic fert superborum ingenium, vt aliorũ delicta contumeliis, & probris acriùs insectentur, sua verò peccata celebrent, & ostentent ; adeò vt tenebras suas lucem splendidissimam appellare non vereantur : & quidem ad hunc sensum Vulgati etiam verba allicere integrum est.

Gregor.

24. Denique si quis per *dilatationem cordis* amplam illam rerum omnium notitiam significari velit, quam Rabi Leui ad hæc verba commentus est, non inepta emerget sententia, si tamen, *exaltatio oculorum* prædicati locum habeat, hoc modo; *Exaltatio oculorũ est dilatatio cordis*. i. rerum multarum amplior, latiorque notitia est oculorum exaltatio. i. superbiam, & fastum gignit: nã *scientia inflat*, teste Apostolo, & fastus plerunque inest doctis, *lucerna impiorum peccatũ*. In originibus peccati loco subiicitur חטאת *Chataach*. i. error, deuiatio, ex radice חטא *Chata*, quę significat propriè deuiare vel aberrare à via, vt sit sensus. *Superborum* scientia, & doctrina quibus prælucere aliis sibi videntur, merus error est: ita enim experientia compertum est, superbiam omnes errores, atque hæreses genuisse, illam enim omnium hæreseωn matrem Augustinus appellauit. Ideo enim ait, *Superbi magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli esse nolunt*. Pergo ad alia.

---

5. Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger semper in egestate erit.

25. *Cogitationes robusti*, &c. Hebr. *cogitationes soliciti verè ad abundantiam ; & omnis festinus verè ad defectum*. Caiet. habet. *Cogitationes solicitι tantum ad abundantiam*, &c. Chald. *Cogitationes collectæ ad abundantiam : & pes festinus ad egestatem tendit*. Absunt hæc verba à correctiori textu lxx. Sed tamẽ habentur in Complutensi, ac Regio codice hoc modo. *Cogitationes fortis in satietatem: omnis autem festinans tantum in minore*. In scholiis autem textus Vaticani sic legitur. *Cogitationes collecti tantum ad abundantiam: omnis autem festinans tantum ad inopiam*.

26. Nihil obuium magis in hoc libro, quàm pigritiæ accusationes, & sedulitatis, seu industriæ laudes. Vide quæ diximus supra c. 10. vers. 8. ad illa verba, *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat*. Nã eadẽ vox, hic pro robusto, & ibi pro forti occurrit, quæ, vt inibi animaduertimus, sedulũ, & industrium virum sonat. Sed illud in hoc loco difficile est, nostram scilicet cum originali lectione adducere in concordiam, Nam quem Vulgatus pigrum,

pigrum, Hebræus codex אץ *Aſt*. i. feſtinum dicit ex radice אוץ *Vſt*, *feſtinauit, properauit*. Sed facilè huic dubitationi occurri poteſt, ſi dicamus hìc admitti figuram antiphraſin, atque feſtinum dici contrario ſenſu, id eſt, non feſtinum, quemadmodum lucus dicitur, quia non lucet, & alia huiuſmodi: vel aliter dici poteſt pigrum feſtinum appellari, quia ſedentarius, atque otioſus vir, dum ſedet, atq; otiatur, ad paupertatem ocyus contendit: ipſum quippe otium, & quies curſus eſt citiſſimus ad inopiam: germanam magis huius rei rationem ſub finem dabo. Noſtræ ergo lectionis perſpicua admodum ſententia eſt. *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia*, quod non ita intelligo, qui ſemper de copiis, & abundantia cogitet, hoc enim vitio potius, quàm virtuti vertendum foret, ſed quia ſedulus conſilia init ſemper bona, & opportuna ad augendam rem ſuam, quæ videlicet ipſi ſemper proſperè cedunt. Piger autem numquam non *in egeſtate erit*: quia vel nullus homo piger eiuſmodi conſilia capit, vel capta non vrget. Quemadmodum enim induſtria optima ſuadet conſilia amplificandæ rei, ita etiam inertia, & pigritia, vel nullas, vel minimè opportunas parandarum opum rationes conſulit.

27 Aliæ verò lectiones ad hanc ſententiam allici debent. Caietanus, & Chaldæus ſic reſtituunt, *Cogitationes collectæ ad abundantiam*. i. non effuſæ & amplæ nimis, ſed contractæ, & anguſtæ: ille enim effuſas, & peramplas cogitationes habet, qui ad ingentes opes adſpirat: contra verò ille cogitationes ſuas colligit, & adſtringit, qui ad copias non valde affluentes anhelat. Ait ergo Salomon, cogitationes iſtæ collectæ ad abundantiam tandem euadunt, quia per eiuſmodi cogitationes copiæ paulatim, & ſine diſcrimine aliquo augentur. *Omnis autem feſtinus ad inopiam*. Omnis ſcilicet, qui ad ampliſſimas opes animum contendit, inopiam tandem ſibi accerſit. Ratio autem eſt, quia diuitias paulatim augere volens negotiationem ſic moderatur, vt partas periculis non exponat: qui autem ingentes opes cogitat, ſæpius quidem, vt ad illas ocyus perueniat dum negociationem amplificat, partas obiicit diſcrimini.

LXX. habent. *Cogitationes collecta tantum ad abũdantiam*. Græcè, τέμνοντος. i. præcidentis, ſeu concidentis, i. conſilia, & rationes eius, qui non ſpargit, imò parcit bonis ſuis, & qui ſumptus præciſos tantummodo facit, ad abundantiam euadunt: *Omnis autem feſtinans tantum ad inopiam*, id eſt, qui profuſè opes ſuas expendit inopiam ſibi accerſet, eo ſenſu quo capite ſuperiori expoſuimus verba illa. *Hæreditas feſtinata in principio, in nouiſſimo benedictione carebit*. vbi diximus hæreditatem feſtinatam dici eam, quæ ocyus inſumitur, iuxta familiarem illum modum dicendi, *Dar prieſa a vna coſa*, id enim perinde eſt, atque illam celeriter conſumere. Fortaſſe autem ob eam cauſam Vulgatus pro feſtinante pigrum reſtituit, nam homo otioſus cùm in reliquis cunctator ſit, atque iners, in conſumendis tamen ac decoquendis opibus perquam feſtinus exiſtit. Sed de hac theſi multa diximus citatis locis.

6. *Qui congregat theſauros lingua mendaci, vanus, & excors eſt: & impingetur ad laqueos mortis.*

28 QVI congregat, &c. Heb. *Opus, vel operatio theſaurorum in lingua mendacij, vanitas expulſa, quærentes mortem*. Pagn. *Eſt vt ſtipula populſata*. Theod. *vapor agitatus*. Alij, *fumus expulſus*, ſubeſt hìc vox illa הבל *Hebel*, de cuius vi aliàs multa diximus, & prædictas omnes ſignificationes capit. lxx.

A integrum locum ſic exulterunt, *Qui operatur theſauros lingua mendaci, vana ſectatur in laqueos mortis*. In quibuſdam codicibus eſt, *vana ſectatur, & venit in laqueos mortis*. Alij habent, *& venit in profundum inferni*. D. Hieron. aduerſus Ruffinum, *veniet*, Chald. longè aliter. *Opera cellariorum in lingua mendacij, & diſſipabuntur, & euellentur illi, qui quærunt mortem*. Igitur Vulgatus & lxx. pro eo, quod hodie legimus in Heb. nempe, מבקשי *Mebakſe*, id eſt, *quærentes*, videntur olim legiſſe מוקשי *Mokſe*, i. laqueos. Caietanus ſic habet. *Vanitas impulſa quæſtores mortis*.

Ex pluribus modis, quibus lingua mendax theſauros comparare, & cogere poteſt, quatuor præcipuos enumerant interpretes in hunc locum: hi ſunt, B falſum teſtimonium, cùm teſtis fidem ſuam vendit: iniqua ſententia, cùm iudex corruptus muneribus fert: aduocatio, ſeu patrocinium etiam iniuſtum, cum Cauſidicus cauſam non bonam quæſtus gratia defendit; & adulatio, quæ plerumque etiam ad quæſtum, & lucrum compoſita eſt. Hæc ergo omnia complectitur Salomon his verbis, *Qui congregat theſauros lingua mendaci*. Concinit autem hic verſus cum ſuperiore: nam ibi hominem induſtrium commemorat: docet autem impigrum, & ſolicitum virum optimis conſiliis, & artibus rem ſuam amplificare ſolitum, *Cogitationes robuſti ſemper in abundantiam*: huic ergo opponit eum, qui non induſtria, & arte, ſed dolo, & artificio; nõ labore, ac manibus, C ſed lingua, & verbo opes augere contendit: atque de illo, qui prædictis modis diteſcit, ſic decernit. *Vanus, & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis*, ſingula expendamus.

Vanus, & excors eſt, in Primitiuis eſt הבל נדף *Hebel Nidaph*, Hebræi verò tam recentiores, quam antiqui, vocem illam *Nidaph*, adiungunt voci Hebel, & cum illa ſimul conſtruunt. Noſter interpres non ita: ſed iuxta familiarem ſcripturæ phraſim, *vanitatem* pro *vano* accepit, abſtractum, ſcilicet, pro concreto, atque *Nidaph*, excordem aptè reddidit, propriè enim eum ſignificat, qui facile impellitur, ac mouetur: ſi enim origines adeas, inuenies quidem verbum נדף *Nadaph*, de ſtipulis, foliis arborum, D fumo, ac tenuiſſimis vaporibus dici, quæ facilè impelluntur, & diſſipantur. Homo igitur ille, qui lingua mendaci opes congregat, *vanus* (inquit Salomon) *& excors eſt*, vanus, inquam, id eſt vacuus, ac leuis homo, ſcilicet nullius momenti, ac ponderis, atque adeò *excors*. Vel ſi vim Hebraici verbi exprimere volumus, *facilè mobilis*, neceſſe enim eſt, vt quod leue, & nullius ponderis exiſtit facilè impellatur. Quæ omnia aptiſſimè quadrant in eos, qui ſuprà dictis modis per dolos, & mendacia quæſtum faciunt: hos enim præ ſua leuitate quælibet lucri ſpes, aut opinio, tanquam aura, in hanc vel illam partem impellit, vt modo hæc, modo illa pronuncient. Nimirum tanquam ſtipulam, tanquam folium, E tanquam fumum, & tanquam vaporem leuem, hæc enim quatuor ſunt, de quibus verbum illud *Nadaph*, enunciari conſueuit: & quatuor illis, adulatori, aduocato, teſti, iudici accommodari poſſunt. Illum autem, quem tam facilè ob leuitatem animi quæſtus mouet, vt modo hæc, modo illa pronunciet, Vulgatus *excordem* dixit, id eſt, ſine mente virum (vt adnotat hìc Iãſenius:) qui enim mentẽ adeo facilem, & lentam habet, vt cõtra illam quidquid libuerit, aut dicat, aut faciat, (id n. eſt mentiri contra mentem iræ) eam quidẽ perinde habet, ac ſi non haberet. 29

30 Reliquæ lectiones hæc verba non ad mores eorũ, qui lucri gratia mendacia adinueniunt, ſed ad theſauros referunt, quos dolis, artificio, & mendaciis linguæ congerunt; ſic enim habent: *Operatio theſaurorum*

rorum lingua mendacij vanitas expulsa: vel *stipula propulsata*, vel, *fumus*, aut *vapor expulsus*, seu *agitatus*
(hæc enim ferè sunt omnes Hebræorum variæ trãslationes;) sensus autem valdè obuius sic habet. Lucra, & quæstus quantumuis amplissimi, qui mendaciis, & artificio linguæ parantur, ocyus dilabuntur: similes enim sunt *vanitati expulsæ*.i. vacuitati, vel inanitati, quæ expulso corpore manere solet in vase aut dolio (vt quidam exponunt) quasi dicat, illud lucrum totum diffluet, ac nihil illius reliquum erit. Vel aliter, thesauri illi, *stipulæ* ad instar *propulsatæ*, obtinebunt, fumi, & vaporis in modum dissipabuntur. Et quidem thesauri, & opes mendaciis quæsitæ aptissimè cum his rebus conferuntur, quæ à vento tam facilè difflantur ob incredibilem eorum inconstantiam, & mobilitatem: quippe quæ eius naturæ sunt, vt nulla ratione contineri possint.

31. LXX. habent, *Qui operatur thesauris lingua mendaci, vana sectatur.* Quæ verba non dissident ab his, quæ supra expendimus cap. 1. vers 4. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos.* vide ibi multa, *vana*, inquam, *sectatur*, i. fluxa, ac labia bona. Chaldæus transtulit. *Opera thesaurorum in lingua mendacij, & dissipabuntur, & euellentur.* Verbum illud, *dissipabuntur*, referendum est ad metaphoram illam fumi, aut vaporis, qui à vento difflatur, ac si diceret, *Euanescent, & euellentur*, vt sit sensus. Quæstus omnes, omniaq; bona per linguam falsiloquam prædictis modis parta, euanescent, & euellentur, duo enim sunt genera bonorum, alia mobilia dicuntur, alia verò immobilia, quæ vulgo appellantur, *muebles y rayces.* Ergo illa duo verba his duobus bonorum generibus aptari possunt, hoc sensu. Bona vtique mobilia euanescunt, & fumi, seu vaporis in morem dissipabuntur; immobilia verò seu radices euellentur, vt perfectam omnium bonorum spoliationem significent.

Subdit Salomon, *Et impingetur ad laqueos mortis.* i. non solum amissione malè partæ rei mulctabitur, sed etiam in mortis vincula, & laqueos pedes inseret, ex quibus sese expedire non possit.

32 Cæterùm nescio an illud, &, positum sit pro, *vel*, nimirum particula cõiunctiua pro disiunctiua, quod aliàs in scriptura euenire non semel obseruaui. Si ergo iuxta Vulgatam lectionem illa verba, *vanus*, & *excors*, ad mores referamus hominis falsiloqui, particula, &, poterit habere vim coniunctionis hoc sensu. Quicunque artificio mendacis linguæ opes suas cumulat, leuis, ac nullius ponderis vir est, & ex nimia leuitate inconstans semper, & in omnem partem mobilis; & insuper in laqueos æternæ mortis pedes inseruit, ex quibus vix illos poterit exerere. i. æterni supplicij debitum incurrit, à quo debito vix vnquam liberari poterit. Et quidem diuitiarum in vniuersum proprium est animum vincire, & arctius alligare. Potest autem triplex genus vinculi excogitari, quo animus auari diuitis vincitur. Primum est illud, quod aduersarius captum hostem adstringit, manus post terga reuinciens. De hoc vinculo Chrysost. hom. 13.
Chrysost. in Epist. ad Corinth. *Quando autem diuitiis fuerimus alligati, quomodo vincemus aduersarios? sunt enim manuum vincula diuitiæ, vincula grauia his, qui vti nesciunt.* Secundum vinculorum genus est compedes,
August. & catenæ quibus reus illigatur; de his Aug. serm. 25. de verbis Domini. *Patrimonij tui, quo es ligatus, compedes in hac vita resolue, abijce à te diuitiarum onera, abijce vincula voluntaria.* Denique tertium vinculorum discrimen est laquei, ac nodi arctissimi, quibus sontes in equuleo, aut in catasta coërcentur,
Chrysost. de his iterum Chrysost. hom. in Psalm. 49. *Tortor (inquit) corpus vincit, diuitiæ verò animum vinciunt, vides enim vinctum, nec illius te miseret: eum propterea odi, quod vincitur, non necessitate, sed consultò, & quod ipse vincula sibi attraxit.* Et his constat diuitias quascumque, siue hæreditarias, siue etiam iustè partas, vincula & nexus esse pluribus modis. Sed tamen hæc vinculorum similitudo longè aptiùs cadit in opes fraude, & dolis quæsitas: his enim aduersarius noster captiuos homines reuincit, vt deinceps veluti mancipia ipsi obseruiant, nec ad libertatem amplius aspirare possint. Nam cum isthæc vincula non aliter exsolui, aut rescindi possint, nisi bona contra fas vsurpata Dominis exsoluantur, hoc certè inter multas hominum myriadas vix vnus, aut alter facit. Rursus appellantur eiusmodi opes malè partæ, catenæ, & compedes, quia sicut vincula, & catenæ illis præcipuè sontibus imponi solent, qui scelus capitale admiserunt: qui nimirum ex ipsismet vinculis tandem aliquando ad supplicium exportãdi sunt: sic etiam illi quos diuitiæ contra fas quæsitæ adstringunt, ad certam quodammodo mortem destinati, nescio quo fato, non priùs vincula illa deponunt, quàm ex huius corporis carcere ad æternum supplicium exportentur. Denique tertium vinculorum genus in opes iniustè congestas apprimè quadrat, quia sicut vincula illa reum in catasta distentum arctissimè vinciunt, & reductis funibus sæuissimè cruciant: sic etiam opes illæ contra ius partæ, earumque recordatio, hominis animum in malæ conscientiæ equuleum actum incredibili sæuitia distendit, ac torquet, & tamen vix aliquis est, à quo veram suorum criminium confessionem, & propositum rei alienæ restituendæ tam sæuus cruciatus extorqueat.

Hæc de vinculis, ac laqueis mortis. Alij ex Hebræo reddunt, *quærentes mortem*. i. vltro se morti deuouentes. Caietanus, *quæstores mortis.* Dicebantur autem olim quæstores, qui vectigalia publica cogebant: nihil autem est quod morti vectigalia pendere propriùs dici possit, quàm culpa, hæc enim (liceat sic dicere) pro tributis morti pœnas dat. Locus ergo integer apud Caiet. sic habet. *Operatio thesaurum in lingua falsitatis, vanitas expulsa, quæstores mortis.* Itaque illud, *quæstores mortis*, ad thesauros iniustè quæsitos referri debet, qui non incongruè *quæstores mortis* dici possunt, quia nimirum auarum hominem tandem aliquando morti æternæ sistunt, vt pro innumeris delictis, quæ in illis parandis amisit, æternas pœnas vectigalium loco ab ipso exigant. 33

Denique alia lectio habet, *Et venit in profundum inferni:* hoc est suoptè pondere descendit: nam quemadmodum inter corpora illa, quæ grauiora sunt, aliis leuioribus substerni postulant, terra scilicet aquæ, & aqua aëri, &c. Sic etiam in inferno hi, qui grauioribus delictis premuntur, sub aliis atque aliis profundissimè sternentur. Ergo dum ait iudicem iniquum, falsum testem, causidicum iniustum, adulatorem simulatum, qui ex mendaciis, atque dolis quæstum faciunt, ad profunda inferni venturos, satis indicat eorum delicta grauissima esse, & pœnas delicti sui pares apud inferos daturos, aliisque damnatis subiiciendos, ac substernendos fore. 34

---

7. *Rapinæ impiorum detrahunt eos, qui noluerunt facere iudicium.*

RApinæ impiorum, &c. Hebr. *Rapina impiorum terrebit eos.* Pagninus, *adducet eos*, Chaldaïca. *tollet eos.* Hæbrea יגורים i. *Iegurim*, referri potest ad radicem גרר *Garar*, quæ propriè significat *Serrare* & *exscindere*: sic Pagninus in thesauro. *Rapinæ impiorum exscindent eos*, vel *serrabunt eos*: potest etiam reuocari ad radicem גור *Gur*, id est, *peregrinari*, *incolere*: aliquando 35

aliquando etiam *formidare*, sæpiùs *trahere & contrahere*. Hinc natæ lectiones supra adscriptæ, *Rapina impiorum detrahet, tollet, terrebit, deducet eos*, atque inde etiam profecta est translatio LXX. quæ sic habet. *Perditio impiis hospitio suscipietur*, vel, *apud impios hospitabitur, non enim volunt agere ista*. Symma. *Rapina impiorum diruet eos*.

36 Hunc locum de iniquis iudicibus, ac magistratibus exponunt vulgo interpretes: nostræ autem lectionis perspicua est sententia. *Rapina impiorum detrahet eos, qui noluerũt facere iudicium*, id est, quæstus, qui propter iniqua iudicia & iniustas sententias parãtur, magistratus deiicient, & de supremo suæ dignitatis fastigio deponẽt. Itaque illud *detrahent*, perinde est, ac deorsum trahent: latet autem, ni fallor, hîc similitudo quædam alicuius rei, quæ è sublimi loco cadens, ea quæ proximè illi hærent impellit, ac secum rapit: ad eum modum, inquit Salomon, copiæ rapinis & fraudibus cumulatæ decident tandem, ac dilabentur, atque dominum suum illis toto animo adhærentem è sublimi sede deiectum impetu suo etiam deuoluent. Ad eundem sensum vocari possunt illæ lectiones, *Rapina impiorum deducet*, vel *tollet eos*.

37 Hanc verò posteriorem lectionem alij sic exponunt. *Rapina illorum tollet eos de medio*, hoc est ocyus illis mortẽ afferet: quod quidem vno, vel altero modo accipi potest: aut enim ait rapinas eos ad mortem vsque sæpiùs comitari, & insequi, ob difficultatem restitutionis (vt quidam volunt) vel illis mortem præsentem inferre, quod non semel contingit. Audi Chrysostom. in orat. de diuitiis, & paupertate. *Dicebam tibi assiduo fugitiuas esse diuitias, tu verò non ferebas. Dicebam improbum seruum eas esse, tu verò nolebas credere. In rebus ipsis experientia monstrabit, non solum fugitiuas, & improbas esse, verùm etiam homicidas: hæ namque te nunc tremere, & formidare fecerunt*, Rursus homil. in illud, *Astitit Regina à dextris tuis, &c. Videte*, inquit, *diuitias quas semper vocabam, seruum fugitiuum, nec fugacem modò dixerim, sed & viricidam, non enim se possidentes deserunt solùm, sed & ipsos iugulant, cùm enim eas quis solerti magis studio coluerit, tunc vel maximè proditionem moliuntur in sui cultorem.* Sed licet hæc de diuitiis in vniuersũ affirmet Chrysost. sed tum maximè in eas cadunt, quæ contra ius fasque retinentur; nam eiusmodi opes apud possessorem iniustum per vim captæ, imo captiuæ sunt, atque adeo, sicut captiuus aliquis seruus patriã assiduo cogitat, & eius reuisendæ desiderio fugam meditatur semper: sic etiam diuitiæ per vim ablatæ fugàm quidem à violento retentore, reditum verò ad iustum possessorem tamquam ad propriam sedem numquam non moliuntur. Neque fugam tantum capessunt (inquit Chrysost.) sed raptorem ex fuga perimunt plurimis eum lethalibus vulneribus confodientes: tot enim illi vulnera infligunt, quot peccata capitalia eidem suadent.

Chrysost.

38 Sunt etiam aliæ duæ lectiones similes, *Rapina impiorum exscindet eos*, vel *serrabit eos*, id est, tamquam serra diuidet. Ad animum referri potest, vt sit sensus. Animus curis maximis, & sollicitudinibus tanquam serris concidit atque in plures veluti partes distrahit. Et quidem insecabilem alioqui animum diuitiæ scindunt, & dissecant, diuitiæ, inquam, malè partæ, non solum quia per dissimiles curas distrahunt modo dicto (id enim omnibus in vniuersum diuitiis commune est) sed etiam quia mentis malæ sibi consciæ angor animum veluti serrat ac resecat: verbum *serrare* auget significationem, nam res valdè solidas, & præduras, quæ alia respuunt ferramenta, serra paulatim exterens discindere solet; ita igitur concipe, id furtis, & rapinis proprium esse, vt animos etiam valdè duros, quos aliorum criminum conscientia non rumpit, rapinarũ conscia mens serræ adinstar secet, ac scindat; nescio enim qua ratione ex hoc crimine animus noster grauius mordetur, ac pungitur quàm ex aliis. Habet etiam aliquid aliud serræ adsimile furti conscientia, quia, vt tradunt Chirurgicæ artis periti, vulnus, quod serra aperuit difficilè coalescit; quia extritæ, & admorsæ serratis dentibus carnes non coëunt. Ita etiam de vulnere cogita, quod animis infert furti conscientia: hoc enim vix aliquando restitutis iusto possessori ablatis rebus, sanatur, & ad cicatricem redit.

Alij habent *terrebit eos*, quod ad terrores etiam conscientiæ referri debet; Lectio etiam LXX venustum habet sensum. *Perditio impiis hospitio suscipietur*, perditionis autem nomine bona etiam intelligo iniustè quæsita: solent enim L X X. id nominis ipsis aliquando dare, vt alibi notaui. Itaque perinde est, ac si dicamus, rapina impiis hospitio suscipietur, id est, fortunæ fraudibus paratæ non diu apud improbos morantur, sed hospitis adinstar, seu peregrini in diuersorio manentes ocyus discedunt, & ad alios diuertunt, tamdiu quidem per hospitia & diuersoria peterrantes, quoad sedem, ac regionem sibi propriam nanciscantur: quoad nimirum ad aliquem perueniãt, qui ipsas iustè, & sine fraude acquirat, ibi enim diutius hærẽt, & tamquam incolæ in patria sua morãtur.

---

8. *Peruersa via viri aliena est: qui autem mundus est, rectum opus eius.*

PEruersa Via, Alij *inuersa*. Alij *tortuosa* seu *obli-*
qua. Hebraïca lectio anceps est, potest enim sic 39
textus restitui. *Peruersa via viri aliens*: sic legunt Pagninus, Montanus & alij. Caietanus habet, *vertens viam vir extraneus*. Proximè hæret Chaldæus. *Qui peruertit viam alicuius, extraneus est*. Et quidem pro extraneo vel alieno, subest זר *Zar*, ex radice זור *Zur*, quæ dissimiles valdè habet significationes, sed vt notant peritiores linguæ, vox *Zar*, propriè virum significat *extraneum*, vel *separatũ* omnino ab omni societate, & cognatione sanguinis, habitationis & patriæ. LXX. locum istum sic extulerunt. *Ad peruersos peruersas vias mittit Deus, munda enim & recta opera eius sunt.*

Qui autem mundus est, &c pro *mundo* subest hoc nomen זך *Zach*, quod, vt aliàs monui, significat purum, pellucidum, vitreum.

Nostra vtique lectio priùs edisserenda est, *peruersa via viri aliena est, &c.* vt sit sensus. Mala agendi, aut viuendi ratio aliena est, non ab alio, inquiunt, nisi à Deo, quem iniuria afficit, & quidem in aliquibus codicibus ita expressum erat, *aliena est à Deo*, sed noua correctio illud expunxit. Quapropter alij meliùs sic exponendum putant. Mala omnis agendi, aut viuendi ratio aliena est ab ipso homine, & à natura eius rationali: nihil enim rationali naturæ magis aduersum, ac dissonum, quàm malitia, & improbitas: imo potiùs nihil aliud malitia est, nisi dissonantia operationis, vel operatio à natura rationali dissentanea. Hanc expositionem præferre videtur Iansonius, atque ex Beda illam hausit.

Cæterùm mihi interpretatio Rodolphi arridet ma- 40
gis, quæ per *viam peruersam*, eiusdem astutiam intelligit, astuti enim, atque callidi in posteris actio omnis, & viuendi ratio peruersa, inuersa, & obliqua iure optimo appellatur, tales enim sunt illiùs mores obliqui, inuersi, & peruersi. Hanc igitur viam alienam dicit esse Salomon, alienã, inquam, ab ipsomet homine: quia vir callidus nunquam sibi similis est, sed à seipso

Rodolph.

passim diffidet, ac secum pugnat, iuxta illud, *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*: modo hæc, modo illa agit, ac sentit: & à nullo magis, quàm à semetipso discors existit. Ad hunc sensum vocari potest translatio altera Hebræis familiaris. *Peruertens viam viri alieni*, vel *extranei*, nempe *à seipso*, ita enim aliqui restituerunt, sensus autem est. Qui ex astutia peruertit, aut in diuersum regit viam suam, à semetipso tam extraneus, & alienus est, quàm homo aliquis separatus omnino à cognatione, societate, & conuictu: hoc enim sibi vult vox illa *Zar*. Itaque cùm nihil sit tam coniunctum, imo vnum, quàm homo ipse sibi, per astutiam, & fallaciam tam fit à seipso diuersus, & alienus, homo, vt nihil magis separatum, & alienum sit. Non enim sibi cognatus, non socius, non etiam conciuis, neque eiusdem regionis incola dici potest. Sed quid mirũ cùm aliquando naturam etiam ipsam, atque genus permutare homini astuto opus sit? Præstantissimum quidem apud veteres astutiæ symbolum fuit, teste Nazianz. orat. 12. Proteus ille versipellis, aut multiformis, quem ex homine in leonem, tigridem, serpentem, & alia quædam animantia, ab his verò in aquam, aërem & ignem migrare solitum fingebant: atque eo symbolo astuti hominis ingenium significari volebant, qui cùm è semetipso ad aliquid aliud transit, non tantum in hominem diuersum demigrat; sed à natura sua, & specie dissiliens, in Leonem, aut serpentem: & à genere quoq; extractus in aquam, aut ignem discedebat, ex contrario videlicet in maximè contrarium traductus. Similes profectò versipellis, & astruti hominis metamorphoses. Hinc autem intellige quàm ineptè quidã viros callidos, vafros, & astutos inter sapiẽtes numerent, exemplo tibi sit hic versipellis Proteus, quem passim sua ipsius astutia in bruta rationis expertia, imo ab his ad insensibilia abire compellebat. Cæterũ licet hæc aptè dicta sint, tamen censeo verbum illud *extraneus*, non extraneum à se ipso, sed ab aliorum hominum consuetudine & vsu alienum notare: & idem iudicium est de nostra lectione; *Peruersa via viri aliena est*, vt sit sensus; homo astutus non pergit via ab aliis hominibus trita, sed alias init vias, & rationes longè diuersas, astutia enim dum latere vult, ac minimè deprehendi, viam communem deserit, ac per auia semper incedit. Addit.

41 *Qui autem mundus est, rectum opus eius*, mundum appellat hominem simplicem, & candore animi præditum, id enim sonat vox ipsa originalis זך *Zach*. id est pellucidum, & vitreum, qui scilicet nihil per astutiam celat, sed diaphani instar crystalli, quidquid intus cohibet, foras prodit. Huius ergo simplicis, ac candidi viri *rectũ opus* id est actiones minimè obliquæ, vel indirectæ, sed recta semper ad propositum tendentes.

Lectio Chald. sensum alium reddere videtur, sic enim ait, *Qui peruertit viam alicuius, extraneus est*, id-est, qui alium rectà incedentem, ac honestè viuẽtem, à via sua in diuersum agit, *Extraneus est*. Hoc sanè nomine apud Hebræos significari solebant alienigenæ, atque Ethnici, cum quibus ipsis conuersari nefas erat. Quasi dicat; Quicumque ea ratione aliquem ab honestis moribus dimouet, Ethnicus est, idest, non aliter eius familiaritas, & conuictus vitandus, quàm si Ethnicus esset: similis enim videtur hæc sententia ei, quam Christus protulit aduersus pertinacem, qui correptioni non acquiescit. *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi quasi ethnicus, & publicanus*, &c. subdit verò appositè: *qui autem mundus est, rectum opus eius*. Illi quidem Ethnici, cum quibus conuersari non licebat Hebræis, extranei, & alieni, adde etiam immundi dicebantur, Isai. 52. *Vt non transeat per illam omnis incircuncisus, & immundus*, & sæpè alias. *Mundus*

A ergo hîc ex aduerso contra Ethnicum dicitur, vt sit sensus; *qui autem mundus, rectum opus eius*, eum scilicet tamquam hominem mundum ad familiaritatem, atque vsum tantummodo adhibere licet, qui rectè atque honestè agit, cuius mores probi sunt.

Et quidem iuxta hanc expositionem, quam ad Chaldæi mentem propiùs accedere existimo, potest etiam nostræ Vulgatæ lectioni lux afferri, *Peruertens vias suas alienus*, vel *extraneus est*, j. qui turpiter viuit, ipse quidem tamquam Ethnicus, & immundus, atque eius similiter vita, & conuersatio, tamquam ethnica, & immunda caueri debet; *qui autem mundus, rectum opus eius*, ille videlicet mundus tantum vulgo haberi debet, cuius familiaritate vti liceat, qui rectè
B agit. Itaque docet Salomon improborum societatem tanta religione homini vitandam esse, quam ipsi Hebræi tunc temporis ab Ethnicis, & immundis hominibus abstinebant, ne ex illorum consortio sordescerent.

Denique lxx. locum istum sic extulerunt, *Ad peruersos peruersas vias mittit Deus: munda enim, & recta opera eius*. Hæc verba ad Dei prouidentiam spectant, 43
qui hominum delictis supplicia digna, & accommodata imponit, hoc sensu: Deus optimus maximus sic animaduertit, vt qui aliis dolos, & insidias ex astu intendunt, ipsi quidem dolos, & technas aliorum experiantur. *Munda enim*, inquit, *ac recta sunt opera eius*. i. ipse quidem *mundus*, hoc est, candidus, ac simplex,
C nihil per astum, & calliditatem faciens, & alioqui rectus, & iustus; quasi dicat. Ipse quidem simplex, atq; adeo duplicitas, & astutia illi mirum in modum displicet: idemque iustus, ac rectus, atque adeo huic delicto pœnam conuenientem imponit, vt scilicet qui dolos alteri struit, dolo ipse malo pereat.

---

9. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm habitare cum muliere litigiosa in domo communi.*

MElius est sedere, &c. Heb. *Melius est habitare* 44
D *super angulo tecti præ muliere contentionum, & domo societatis*. Pagninus, *in domo ampla*. Similis est trãslatio Chaldæi. *Melius habitare in angulo tecti*. Lxx. paulo aliter. *Melius est habitare super angulum sub dio, quàm in calce ditis cum iniquitate, & in domo communi*. D. Hieron. in Sophoniam absolutè sic habet. *Melius est habitare sub dio*. Aquila, Sym. & Theod. concinunt cum Vulgata, habent enim *in angulo domatis*. Illa autem verba *in domo communi*, Hieronym. transtulit, *in domo noua*. Symmach. & Theod. cùm de cætero non discedant à Vulgato interprete, hæc extrema verba sic extulerunt, *in domo sodalitia*, aut *meretricia*.

Sed notandum est hanc vocem δῶμα, propriè significare supremum domus tectum: de hac enim sic
E Hieron. in Epist. ad Sunniam, Δῶμα, inquit, *in orientalibus prouinciis ipsum dicitur, quod apud Latinos, tectum*. vide ibi multa de vi huius nominis. Passim autem legas apud interpretes hanc obseruationem, scilicet in Palæstina, aut in Egypto, non fuisse in tectis culmina, sed plana solaria paulũlum deuexa, vt pluuiæ defluerent, qui inde lucem afferunt illis verbis Actorum. 10. *Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam*. Græcè ἐπὶ τὸ δῶμα, id est, *super tectum*, & Matth. 10. *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*; Græc. ἐπὶ τὰ δώματα. Nam cum tecta essent plana, solebant, inquit, Iudæi, hyeme quidem interdiu ad solem excipiendũ, æstate verò sub noctem ad auras captandas solaria domorum inscendere, atq; inde Actor. 10.
cum

cum vicinis, ac proximis confabulari, hinc fiebat, vt quælibet fabella ab his ad alios perlata facile vulgaretur. Cæterum vide an potiùs dicendum ſit, apud Hebræos, olim ſuggeſtus ſeu pulpita ex ædium, ſed tum maximè ex templi tecto proſtare, ſolita vt ex his doctores, & ſcribæ ad plebem verba facerent. Hæc verò loca edita ab Hebræis פנה *Pinah* dicebãtur. Conſonat hiſtoria illa minoris Iacobi quem tradunt à Iudæis in pinnaculum templi ſublatum, vt inde plebem dedoceret, quę longo tempore tradiderat; ac demum, cùm ipſis non acquieuiſſet, ab eiſdem è ſuggeſtu deturbatũ, ac fullonis fuſte percuſſum fœliciter obiiſſe. Ad hunc etiam locum fortaſſe tranſlatus fuit à Diabolo Chriſtus Dominus, Matth. 4. *Tunc*, inquit, *aſſumpſit eum Diabolus, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi.* Nam cùm per tentationem illam Chriſtum ad ſuperbiam, & tumorem animi Diabolus impellere vellet, locum huic tentationi aptum delegit, ſcilicet cathedram & ſuggeſtum doctorum: cupiebat enim Diabolus, vt Chriſtus in magna populi frequentia, cùm plebs ad illum audiendum ex ſuggeſtu dicentem confluxiſſet, ſeſe præcipitem daret, id enim erat tentationis conſilium, vt cathedra primo ipſum inflaret, ac deinde faſtus & ſuperbia præcipitem ageret. Ergo iuxta hunc ſenſum exponenda ſunt verba illa Matth. *Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*, id eſt, ſuper pinnacula ex ſuggeſtibus, & cathedris. Hunc etiam ad ſenſum vocare licet illa verba Iſai. 2. *Quidnam quoque tibi eſt, quia aſcendiſti, & tu omnis in tecta clamoris plena* LXX. ἐπὶ τὰ δώματα μάταια: id eſt *in tecta vana*, vox autem *vna*, nec non etiam illud *clamoris plena*, non ad tecta referri debet, ſed ad ipſam, quæ aſcendit: quaſi dicat. Quidnam eſt id, quod te tãtopere extulit, & quod te tandem permouit, vt publicos ſuggeſtus aſcenderes, *clamoris plena* ad prædicandam inde gloriam tuam, *& vana* ad iactantiam. Rurſus mihi etiam perſuadeo vocem δῶμα non tantum ædium tectum, aut tabulatum ſuperius apertum notare, ſed etiam ſupremam domus cameram extremo tabulato opertam, in qua ſolent eſſe ſpatia illa multis hinc inde feneſtris ad perſpiciendum patula, quæ vulgo dicunt *Galerias*. Ita expreſsè adnotant Pollux, Budeus, & alij Lexicorum autores: quapropter dicere etiam licet D. Petrum non in tectum apertum, ſed in extremam domus cameram aſcendiſſe ad orandum.

46. Rurſus illud etiam mihi exploratum eſt, apud Hebræos non omnia tecta fuiſſe plana, ſed pleraque etiã faſtigiata, & culminata, ita vt aquæ hinc & illinc penderent: hæc autem faſtigia, ſeu culmina Hębraicè פנות *Pinoth*, à vulgato autem interprete *angulos* dici. Lege noſtum Villalpandum in Ezechielem Prophetam, ſecunda parte ad illa verba, *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* id eſt, in pinnæ ſeu pinnaculi ſupremum verticem: vbi latiſſimè docet hæc nomina *angulus* & פנה *Pinah* ſignificare tecti faſtigium, & culmen in vtramque partem procliue ac deuexum, vt faciliùs effluant vtrinque pluuiæ: dicitur autem *angulus*, qua in anguli cuiuſdam obtuſi modum definit.

His prælibatis non vnum eſt de ſententia huius loci interpretum conſilium, alij enim alia. Caiet. per angulum domatis ſeu tecti, ſupremum ædium cameram accepiſſe videtur, quæ temerè operta eſt, & vt dici ſolet, *atesa vana*: in qua ſerui degere ſolent, ex quo eiuſmodi ſenſum conformo. *Melius eſt habitare in angulo domatis*, &c. etiamſi ad virum pertineat in domo imperare, ad vxorem autem obtemperare, & obſequi; tamen cùm hæc inſoleſcit, & contentionem aliquam domi mouet, ſatius eſt illi cedere, & cũ ſeruis ipſis quodãmodo numerari, quam iure ſuo vti in vxorem. Hoc ſibi vult illud, *quàm habitare cum muliere litigioſa in domo communi*: id eſt, Melius eſt cum ſeruis ſedere in ſuprema ædium camera, quàm heri & patris familias locum tenere in media domo. Alij per *angulũ domatis*, ædiũ receſsũ & ſeparatũ locũ intelligũt: hinc autem euadit ſecunda interpretatio.

Præmittere autem oportet apud Hebræos olim, quemadmodum hodie, in more poſitum fuiſſe, vt nõ prius aliquis è parentũ domo egreſſus proprias ædes incoleret, quàm matrimonio iungeretur, interim autem dum celebs perſeuerabat aliquem receſſum in parentum ædibus teneret: ergo ſenſus erit, *Melius eſt ſedere in angulo domatis*; præſtat ſcilicet in parentum ædibus ſub patria poteſtate, in receſſu aliquo, & ſeparato loco ſolitariam, atque cælibem vitam agere, quàm vxorem ducere clamoſam, & contentioſam, & cum ipſa è domo, & poteſtate patria in amplam, nouam, & communem tranſire. Itaque Salomon ſecundum hanc interpretationem ſuadet vxorem haud temerè ducendam eſſe: quia ſatius eſt ſolum apud ſe in angulo aliquo, & receſſu patriæ domus hominem agere, quàm vxorem moroſam, & immorigeram ducere. Quid certius? 47.

Sed licet hæc non ineptè dicta ſint, tamen aduerſari videtur textus originalis, qui pro *angulo*, *pinnaculum* habet, vt ſupra animaduerti, atque adeò nec de ſuprema domus camera, nec de receſſu ſeparato aliquo domus aptè exponi poteſt. Addo etiam nec de ſolario aliquo plano, & ſublimi, (vt putauit Ianſenius,) ſed de faſtigio acuto, & ex vtraque parte decliui, & prono, vt pluuiæ vtrinque delabantur. Poteſt autem ſecundum hanc acceptionẽ ſenſus nõ vno modo conformari. Si ergo de iã coniugato ſermo ſit, vt voluit noſter Villalpandus loco citato, Ianſen. & alij, ſic ſententia ediſſerenda eſt. *Melius eſt habitare in angulo domatis*, &c. id eſt, Melius longè eſt in faſtigiũ domus ſecedere, atq; in difficillimo illo loco habitare: videlicet, *enelmiſmo caballete deltesado*, quàm cum vxore contentioſa, & difficili in domo peramplа cõmodè viuere. Extollitur autẽ vxoris moroſæ difficultas mirũ in modũ ea cõparatione; quia in faſtigio, & culmine angulari domus ſi quis degerit, ruinæ primũ, deinde omnibus cęli iniuriis expoſitus eſt. Ruinę quidem proximus eſt, quia ſi vel modicum alterã in partem pependerit, ruere ac labi neceſſe eſt. Quapropter vis huius ſententiæ talis erit, melius eſt in prædicto faſtigio degere, quàm cũ muliere litigioſa; quia facilius eſt in illo tam difficili, & arduo loco moranti anguli medium tenere, ac perſiſtere, ne in partes pronas prolabatur, quàm inter vxoris conuitia, & contentiones virtutis medium ſeruare, nec in iram, & indignationem, aut aliud turpius vitium relabi Ad hęc Salomon meliùs eſſe dicit ſub dio manere, quàm cum vxore litigioſa. Quaſi dicat, facilius eſt omnes cæli iniurias perferre, quàm vxoris probra, & iniurias tolerare, nam cæli iniuriæ etiam cum maximo fragore detonat, cùm fulmina iacit, cum nimbos maximos emittit, cùm æſtu ſuo vrit, aut frigore rigorem efficit, mitiores longè ſunt, quàm vxoris iniuriæ. Hæc enim cùm clamat tonat: cùm probra, & maledicta iacit, fulminat: cùm contendit, ac litigat, nimbos, & tempeſtates ciet, vrit cum querula eſt: & cum rigidã ſe, & minime amantem exhibet, glaciem effundit. Demum ſi quæ aliæ ſunt grauiores cæli iniuriæ, hæ certè vxoris moroſæ iniuriis omnino cedunt. Et quidem Socrates vxori ſuæ tonitrua dedit, quem cùm poſt multos clamores, vxor ſua Xantippe aqua è feneſtra emiſſa perfudiſſet, *Facile* (inquit) *futurum putabam, vt poſt tonitruum pluuiam ſentirem.* Quemadmodum ergo tonitrua, ſic & reliquas cæli inclementias vxori aptare licet. 48.

49. *Rodolph.* Quod si non de coniugato, sed de cælibe ante nuptias sermonem habet Salomon, (vt placet Rodolpho, & mihi etiam perplacet) sensus erit. *Melius est habitare in angulo domatis*, &c. satius est (verba sunt Rodolphi) carere vxore & tecto, quàm capaces habere ædes cum vxore rixosa, quasi dicat: Quamuis homini pauperi, qui videlicet domo, ac censu careat, prædiues virgo, sed morosa, & difficilis, nuptui detur, etiam tunc si sapit non excipiet; præstat.n. pauperē vitā agere, sub dio noctes, & dies ducere, cælestesque inclemētias omnes experiri quàm in palatio aliquo degentē illius iniurias sustinere, scilicet ob prædictas rationes. Itaque hæc expositio à superiori id tantummodo differt, quod superior ad coniugatum iam virum vxoris difficilis tolerantiam illi præscribens; hæc verò ad cælibem intenditur, & à nuptiis illum dehortantur: aut certè in vxore eligenda magno cōsilio opus esse ostendit. Ego autem propterea huic extremæ expositioni libentiùs acquiesco, quia illam vim habere videtur extrema illa clausula, *Quàm habitare in domo communi*, vel *societatis*, quibus verbis significatur conuictus, & consortium coniugale, cui vita solitaria, & cælebs omnino præfertur.

Sed tamen inter alias lectiones alteram supra adscripsimus Symmahi, & Theodotionis, quæ sic habet. *Quàm habitare cum muliere in domo meretricia.* Illi enim interpretes per hanc mulierem litigiosam, nō vxorem; sed pellicem, aut scortum videntur accepisse: vt sit sensus. Longè melius, ac tutius est noctē sub dio transigere in alicuius tecti fastigio, quàm ad meretricem diuertere. Et quidem si vera est illorū sententia, qui docent apud Hebræos olim hospitia, & diuersoria, sæpiùs meretricum domos fuisse (nā זנה *Zonah*, vtrumque, scilicet meretricem, & cauponam, seu hospitam sonat. Iosuē. 2. *Ingressi sunt domum mulieris meretricis*, id est, *domum cauponæ*, atque eadē lectionum diuersitas occurrit Ioel 3. vers. 3. Isaï. 23. v. 15 & sæpe aliàs) sensus haud ineptus conformari poterit ad hunc modum, *Melius est habitare in angulo domatis; quàm cum muliere rixosa in domo meretricia.* id est, præstat peregrinum aliquem sub dio noctem ducere, quàm ad meretricem diuertere, & apud ipsam hospitium capere. Id verò quod dicit, *in angulo domatis*, id est, in fastigio tecti; ad hanc similitudinem relatum emphasi non caret, perinde enim est ac si diceret. Melius est noctem in illo loco difficili transigere, quàm apud meretricē, quia homini in eo loco agenti ruina imminet corporis, at ei, qui ad meretricem diuertit, ruina animæ impendet, quæ longè grauior est. Et quidem ita reor non solum ad hunc sensum Vulgatam lectionem benignè allici posse, verùm etiam ipsum esse maximè germanū illius, ac proprium. Imprimis enim data opera non vxorem, sed *mulierem* dixit, *quàm cum muliere litigiosa.* Rursus per *domum communem*, hospitium & diuersorium significatur, vel certè domus meretricis communis dicitur, quia omnibus ad eam ingredi volentibus patet. Denique ideo dicitur mulier litis, vel litigiosa, quia fere inter illius riuales, & procos, contentiones, & rixæ euenire solent ex zelotypia subortæ: itaque *Mulier litigiosa* ea est, propter quam lites, & contentiones sunt apud lasciuos procos.

Iosue. 2. Ioel v. 3. Isai. 23. v. 15.

50. Demum replicanda est lectio Septuaginta, quæ diuersum ab aliis sensum reddere videtur. *Melius est habitare super angulū sub dio: quàm in calce litis cum iniquitate in domo communi.* Cæterùm hanc lectionē cū sensu Vulgatæ translationis conciliari posse credo. Reor nāque hîc (quod aliàs passim faciunt LXX.) abstractum concreti loco accepisse, scilicet *iniquitatem*, pro *iniqua* muliere, quæ aliàs c. 6. ver. 3. mala dicitur, vt *custodiat te à muliere mala.* Per *calcē* verò, finē

A intelligo, vt sit sensus, *quàm in calce litis cum iniquitate in domo communi.* Id est, præstat manere sub dio in perdifficili illo loco, & ruinæ discrimine, quàm ad mulierem nequam diuertere in domum meretriciā, voluptas enim, quæ ex illius congressu capitur perbreuis, & finis illius lis, & rixa est, aut cū procis aliis ex zelotypia, aut cum ipsamet meretrice ex fastidio. Vel aliter, nomine *calcis* merces quæ pellici datur, accipi potest: nullus enim ignorat apud Hebræos, nomine calcanei mercedem notari, vox enim עקב *Geleb*, anceps, est, *calcaneum* & *mercedem* sonat, & vt obseruāt Hebr. linguę periti, merces propterea calcis nomē fert, quia redditur in fine, & meta laboris. Erit ergo sēsus huiusmodi. Melius est sub dio manere, quā B ad meretricem decedere, *in calce litis*; apud meretricem, inquā quæ semper de mercede ipsi reddita querula est, calcem enim litis appellat mercedem, de qua contentio, aut querela aliqua existit. Complutens. & Regius Codex translationem L X X. sic extulerunt. *Melius est habitare in angulo non tecto, quàm in pictis domibus cum iniquitate, & in domo communi.* Sed licet verba tantisper euarientur, sensus tamen in idem recidit, & vbique præferenda est correctior translatio.

---

10. *Anima impij desiderat malum: non miserebitur proximo suo.*

C *Anima Impij*, &c. In Hebr. originibus extrema verba sic habent. *Non gratus erit in oculis eius amicus eius.* Chald. *Et non consequetur misericordiam in oculis eius socius eius.* LXX. longè aliter, *Anima impij non consequetur misericordiam ab vllo hominum.* 51.

Sensus Vulgatæ lectionis sic habet, Anima impij desiderat malum, id est, sponte ad malum fertur. Iansenius, & alij fere interpretes de propensione ad culpam exponunt, hoc nimirum significare volentes, impium tanto animi impetu in malum ferri, vt etiāsi malum esse nouerit, nihilominus illud afflictim expetat. Cæterū non de qualibet propensione ad culpam hunc locum interpretandum esse reor, sed de conatu, quo aliis malum & damnum inferre satagit, vt sit D sensus. Impius tanto studio fertur ad malum inferendum, vt nec familiarissimis suis parcere soleat: Impius autem hic est רשע *Rasang* (cuius vocis vim alibi expendi) significat enim profligatæ cuiusdam malitiæ hominem, temerarium, & inquietum. Ex Hebræis aliquis dicit significari eo nomine virum, *Chalcenterum*, id est viscera habentem ferrea: & quidem ipsamet malitia paulatim hominem indurat, & viscera eius ferro & calybe instruit, itavt nulla arte lentari, & mitia fieri possint. Cōsultè autē dixit Salomō, *Anima impij*, vt significaret hominis istius deprauatos mores, qui videlicet aliis malè infert ex animo, consultò, & data opera. Ergo is quicumq; talis est, in amicos etiā suos furere, ac sæuire solet. Quapropter existimo E Salomonem id suadere in hoc loco, ne cū eiusmodi hominibus amicitiam, & cōmercium ineamus: nam cùm animus ipsorū in immanitatē procliuis sit, in obuiū quēque absq; discrimine furorē suū effundūt, atque adeo in eos, qui prope ipsos sedent, citius incurrūt, quā in remotos, & alienos. In Primitiuis est, *Non erit gratus, & iucundus in oculis eius sodalis eius*, id est, cùm oculos eius furor accēdit, amicissimū quēque inuadit. Innuit autē Salomon huius hominis miram immanitatē, qui videlicet, nō ex inconsideratia, in amicum, quē aut non vidit, aut non cognouit, inuectus est (hoc enim tantummodo homines apud amicos suos purgare solet cùm mali aliquid illis dederunt: quia videlicet, aut damnum illatum, aut amicos non satis viderunt, aut cognouerunt, vt docet Aristoteles

Aristoteles Ethicorum 4. cap. 5. aut quia cùm animus esset benefacere, errore accidit, vt malum pro bono inferrent.) non ita impius iste osor, (inquit Salomon) sed visũ, aut cognitum amicum data opera lædit, non errore, sed ex studio, & desiderio: id enim sibi vult cùm ait, *Anima impij desiderat malum.* hominis inquã illius chalcenteri, & viscera ex ferro, aut ex calybe habentis anima (nam eam esse vim illius vocis רשע ex quorundam sententia nuper diximus.) Et quidem eo nomine aptissimè significatur hominis cuiusdam immanissimi ingenium cuius gratiam nullus inire queat; nam cùm cætera fere metalla igne liquari, & secum inuicem intimè permisceri soleant, ferrum tamen, & calybs non ita, sed nullius metalli societatem admittit: imo potius ad alia metalla percutienda, & elaboranda à natura editum videtur. Tale est impiissimi illius hominis ingenium prædurum, & ferreũ, qui videlicet nullius amicitiam, & societatem ex animo colit; quin potius (liceat sic dicere) ad reliquos homines percutiendos & tundendos à natura editus videtur, quam ad gratiam, & beneuolentiam.

Septuag.

52. LXX. sic habent. *Anima impij non consequetur misericordiam ab vllo hominum*, quæ verba hunc sensum reddunt. Vir impius, & immanis in alios, Deo ita iubente, & decernente, nullius hominis, quantumuis lenis, ac pij misericordiam, & pietatem experietur: hoc enim decens illius viri suppliciũ est, vt reliquos homines inhumanos, ac sæuos sentiat. Sicut enim ferrum non auro, aut argento, sed alio ferro domari cõsueuit; sic etiam viscera ferrea hominis impij, non à benignis, & mansuetis, sed ab aliis item ferreis, & calybeis hominibus domari, lentari, & mulceri consueuerunt.

---

21. *Mulctato pestilẽte sapientior erit paruulus: & si sectetur sapientem, sumet scientiam.*

53. MVlctato pestilente, &c. Hebr. *Mulctato derisore sapiens efficitur simplex: & intelligens sapientem accipiet scientiam.* Caiet. hæc extrema verba sic extulit. *Et faciens intelligere sapientem capiet scientiam.* Latet enim ibi השכיל *Haschil*, ex coniugatione Hiphil, quæ vim illam habere solet. LXX. *Mulctato intemperante, astutior erit simplex: intelligens autem sapiens suscipiet scientiam.* Symm. *sapientior erit paruulus*, sicut nostra Chald. *Per mulctam derisoris*, &c. reliqua concinunt.

Prior quidem huius loci pars occurrit supra c. 19. vers. 25. vide quæ in eum locum contulimus, inde enim lux etiam parabitur his verbis; Posterior autem pars ab ea dissidet, quæ ibi supponitur priori. Sed cùm sensus omnium ferè sententiarũ huius libri ex prioris, ac posterioris hemistychii collatione emergat, cuiuslibet partis diuersitas integram sententiam euariare solet. Et quidem sensus huius loci iuxta Vulgatam editionem facilis est. *Mulctato pestilẽte sapientior erit paruulus.* Pestilentem autem appellat virum proteruum, & indocilem, de cuius correptione desperatur: sensus autem est, Etiamsi aliquis adeo sit offirmatus, & addictus sceleribus suis, vt nullis correptionibus erudiri posse speretur, non propterea impunis dimittendus erit, quinimo seueriores ex illo pœnæ exigendæ sunt, vt alij simplices, ac dociles, eius supplicio commoniti deinceps sapiant. Et quidẽ ita existimo sententiam illã, quæ habetur c. 19. ver. 25. id tantum ab hac dissidere, quod illa contra indociles, & proteruos pronunciata est, hæc verò pro his, qui faciles sunt, ac dociles. Itaque Salomon ait, *Mulctato pestilente sapientior erit paruulus*, id est, tantus est simplicis viri candor, & tam lenti mores, vt non

A opus sit illũ suppliciis, & seueris correptionibus cõmonere, sed satis est alios punire, vt ipse illorum periculo edoctus sapiat, & sibi consulat. Quid plura? *Et si sectetur sapientem sumet scientiam*, quasi dicat, ea est lenitas, & facilitas morum, vt si vel tantum sapientẽ, hoc est iustum, & probum hominem sequatur, si videlicet ei sese comitem adiungat, atque familiariter vtatur, breuissimo tempore eius mores; & honestam viuendi rationem trahat: facilius enim excipit virtutum omnium formas, quàm vel mollis aliqua argilla, aut tepefacta cera. Et quidem supra cap. 19. occurrit vox יערם *Iaghrem*, ex verbo Gharam, quod ad sapientiam serpentis spectare ibi diximus: his autem est יחכם *Iechchem*, ex radice *Cacham*, quæ, vt docet B Hebr. significat diuinarum humanarumque rerũ notitia pollere: atque adeo illud *sapientior erit*, perinde est ac si dicat, ex inscio, & ignaro adeo sapiens efficietur, vt sapientissimos, & doctissimos quosque exæquet. Alij verò docent illud verbum ex vi sua significare scientiam practicam ex vsu, & periculo rerum partam: nam sicut inter iurisperitũ & iurisprudentem id discriminis dedit Tullius, quod iurisperitus eum significat, qui iuris notitiam ex sola speculatione adeptus est: iuris autem prudens eum notat, qui præter iuris cognitionem, causarum, ac negotiorum vsum, & experientiam nactus est; sic etiam inter duo verba חכם, id est, sapere, & ידע, id est, scire, hoc discrimen versatur, quod hoc ex vi sua significat co- C gnitionem speculatione partá: illud verò præter speculationem addit etiam vsum, & experimentum rerum. Et quidem ita communiter fert hominum ingenium, vt non priùs sapiant omnino, ac sibi consulãt, quàm propriorum malorum experimẽto edocti sint. Sed in eo præstant hi, qui simplices nimium, ac dociles sunt, cæteris hominibus, quod illi quidem non prius eam sapientiam, quæ חכמה *Chochmah*, dicitur, assequentur, quàm proprias calamitates, & ęrumnas experti sint: his autem aliorum vsus, & experientia satis est: alienis enim malis edocti non indigent propriis, vt cauti sint.

Deinde cùm posteriori loco sub illis verbis *sumet scientiam*, lateat vox ידע *Daghath*, ex *Iadangh*, potest 54. D sententia hæc ad commendationem simplicium sic conformari, vt prior illa pars, *Mulctato pestilente sapientior erit paruulus*, intelligatur de hac sapiẽtia, quæ vsu paratur, posterior autem illa, *& si sectetur sapientem, sumet scientiam*, de illa accipiatur, quæ ad theoricam tantum pertinet: quasi dicat, virum docili ingenio præditum, vt priori modo quasi practicè sapiat, haud opus est illi propriis malis erudiri, ex aliorũ. n. experiẽtia & vsu sibi vsum, & experimentũ facit. Vt autem posteriorem illam scientiam, seu theoricã virtutum capiat, satis est si vel aliquem virum sapientẽ tantundem sectetur, & illum audiat: nam quæcunque audit, menti facile imprimuntur, & diutius hærent. In viro autem proteruo, & indocili, oppositum E experiri licet, nam propriorum malorum vsu, & experimento, vix aliquando modo illo practico sapit: & obstinata mente suis opinionibus adhærens, nec dedoceri, nec edoceri posteriori modo se sinit. Itaque mens Salomonis est, virum docilem alienis malis, & labore, atque eruditione aliena satis proficere, atque adeo malis, & laboribus propriis non indigere; cum autem, qui indocilis, & proteruus est, nec suis quidem malis, labore, & industria sapere.

Caietanus extrema verba sic extulit. *Et faciens intelligere sapientem, capiet scientiam*, id est, docile ingenium alienis malis doctũ, tantũ scientiæ, & cognitionis assequitur vt eum, à quo didicit facile superet: ita vt suum ipsius magistratũ ipse edocere possit. Quod ad superiorem etiam huius sententiæ partem non 55. Caietan.

 ineptè

ineptè trahi potest, vt sensus sit; plus sapit ipse alienis, quàm ille alius propriis calamitatibus, & ærumnis edoctus. L X X. verò posteriorem partem huius sententiæ sic restituerunt, *intelligens autem sapiens suscipiet scientiam*, quæ verba sic nectenda sunt cum superioribus. Vir indocilis, & durus ingenio, tantopere suis opinionibus adhærere solet, vt ad capienda intelligendaque aliorum consilia ne mentem quidem accommodet: contra verò vir docilis intelligit res, atque his intellectis, scientiam suam cumulat.

---

12. *Excogitat iustus de domo impij, vt detrahat impios à malo.*

56 Excogitat, &c. Hebr. *Intelligens iustus ad domum impij, peruertens impios ad malum*; sic legi debet, si verbum ex verbo reddas, sed Pagnin. aliter expressit, *Considerat iustus finem domus impij, & videt quod Dominus peruertit impios ad malum.* Chald. *Contemplatur iustus domum impij, & transfert impios ad malũ.* LXX hæc verba ad animum transtulerunt. *Contemplatur iustus corda impiorum*, & vilipendit impios in malum. Schol. *Contemplatur animas.* Symm. & *subuertit impios in malum.*

Vulgatæ nostræ lectionis sententia non est difficilis, *excogitat iustus de domo impij*, &c. id est, Non solum de sua domo curam habet vir iustus, vt domesticos suos in officio contineat; sed etiam post suam, alienæ etiam domui curam impendit, & si qui sunt in ea praui, & intemperantes, eos ad bonos mores transferre incredibili studio satagit. Primò enim extollit charitatem hominis iusti, quæ non tantum intra domesticos penates concluditur, sed latiùs patet, & ad alienos lares irrumpit. D. Greg. Nazianz. in Poëmate de virginitate, quosdam Patres familias cum testudinibus composuit, quas *domiportas* appellare consueuimus. *Nazianz.*

Testaceo (inquit) *pondere lentis*
Passibus in morem domiporta membra trahentes.

Hi ergo sunt miselli quidam homines, qui tamquam testudines semper se intra domum suam continent, propriis, ac domesticis commodis semper studentes, de proximis autem, ac vicinis nihil curant. Non ita vir iustus, sed vltra domum ac familiæ suæ curã, *cogitat etiam de domo impij, vt detrahat impios ex ea.* Similis vnicorni, de quo illud apud Bedam legimus ad illa verba Psalmi, *Ædificauit tanquam vnicornium sanctificium suum in terra*, &c. ex specu, seu spelæo in quo degit, omne virulentum animal abigere solitum, nam cornu, halitus, seu anima, sudor, & quidquid ex illo fluit, venenatis lethale est. *Beda.*

57 Sed tamen non satis ducit virus omne, ac venenũ à domo sua prohibere, sed etiam, vt docet Albertus Magnus, è tota regione, & tractu circum circa serpentes & venenata omnia abigit; ex quo fit, vt multa alia animantia circa illum scrobes, fossas, & diuersoria habeant, quo sint à venenatorum iniuriis secura. Huic ergo animanti adsimilis vir iustus, qui non tantum à domo sua improborum hominum pestem prohibet, sed etiam ab aliena. Deinde verbum illud, *excogitat*, emphasi non caret, significare enim potest misericordiæ affectum; iuxta illud Psalm. *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperẽ*, i. non temerè, sed ex intentione, & decreto leuandi miseriã illi succurrit: vel illud *excogitat, seu intelligit*, perinde est atq; occupatur, iuxta modũ loquendi Hispanis familiarẽ, *eneste entiendo*, id est hæc res me distinet, vt sit sensus. Iustus non modò occupatur in administranda, & curanda propria domo, sed etiã in curanda, & corrigẽda aliena. Deniq; potest hoc ad mentis disquisitionẽ referri, id est, non tantum obseruat, & disquirit mala domus propriæ, sed etiam quæ domum proximi infestant. Sed vnde hæc tam accurata iusti solicitudo in prohibendis aliorum malis? Profectò huius tantæ, ac tam solicitæ curæ optima offerri potest ratio ex vulgari illa parœmia.

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Quia cùm malum, aut peccatum quodlibet per se incendium quoddam sit: vbi domum proximi corripuit, verendum est cuilibet ne in suam etiam serpat, & vt ait Chrysostomus (alibi à me citatus) cùm domus aliqua ruit, solet quidem impulsu suo proximã sibi & cohærentem ad similem ruinam pertrahere. Et quidem cùm Respublica corpus aliquod integrũ constet ex ciuibus tamquam ex membris coalescẽs, vbi grauis corruptio, aut tabes vitij cuiuspiam membrũ aliquod inuasit, id quod vicinũ est facile eandẽ labem trahit, nisi ocyus serpens corruptio acri aliquo medicamento coërceatur. His ergo de causis iustus, non de sua tantum, sed de vicina etiam domo, & familia attentiùs curat, vt si qui in ea impij sint, discedant longius, ne illius familiæ impietas velut incendium aliquod violentum suam etiam familiam peruadat, ne ruina illius domus suam etiam domum impellat; ne membri illius tabes serpat etiam in suos. Adde etiã non modò id cauendum homini pio, & iusto ob ipsam malitiæ, atque improbitatis naturã, quæ suaptè natura serpit, atque vicina omnia corripit, sed etiam ob timorem Dei, qui solet persæpè, vt ab improbis pœnas sumat, multos etiam innocentes ipsis proximos, & cohærentes eorumdem pœnis inuoluere: nam ob vnum Acham totum populum grauis plaga percussit, & ob vnum Dauidis peccatum vniuersum Israël grauis pestilentia afflixit: & alia eius generis exempla suppetunt. *Seps.*

58 Sed licet hæc expositio concinnior sit, & cum Vulgata lectione cohærentior, de translatione. LXX aliquid subscribendum est. *Contemplatur iustus corda impiorum, & vilipendit impios in malum.* Itaque nõ ad externas, sed interiores domus retulerunt, eo enim nomine corda censeri putarunt: quibus accinit D. Bernard. vel si quis alius, qui libellum illum inscripsit, *de interiori domo*, id enim nominis cordi, ac conscientiæ dedit. Ait ergo Salomon, Iustus ad impiorũ conscientias, & animos attentius inspicit, atque illos veluti domos quasdam intuetur assiduis lapsibus ruinosas, totamque interiorem siue cogitationum, siue affectionum familiam intestinis dissidiis pugnantem, & confligentem; & dum has, aliasque istarum ædium internarum turbas videt, *vilipendit impios ad malum*, id est, externam fœlicitatem, & secundam fortunam impiorum despicit, & quæ ab ipsis bona putantur, malis adnumerat. Nihil enim boni habere putandi sunt illi, qui cùm ab externis ad interna reuocantur, & ad domum, id est, ad cor, & conscientiam suam sese recipiunt, tot ibi incommoda experiuntur, nemo enim publicè fortunatus esse potest, qui domi suæ miser existit.

59 Hebr à Vulgata lectione discedentes, alias, atque alias interpretationes in hunc locum coniiciunt; aliqui enim hæc verba sic extulerunt, *Intelligit iustus de domo impij; & subuertit impios ad malum.* Id est, iustus apud se deliberat quomodo impios, qui nullis adhortationibus coërceri possunt, de medio tollat, & eos perdat in malum, & exitium. Itaque piorum hominum proprium studium esse dicit, aut pietati restituere impios, aut eos malè perdendos curare. Quod sane studium pium, ac sanctum est: id enim sibi ante alia faciendum proposuerat Dauid cùm ait Psal. 100. *Declinantem à me malignum non cognoscebam; detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. In matutino interficiebam* *Psal. 100.*

Pagnin. *ficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Pagninus ne iusto hanc in prauos homines seueritatem daret, in posteriori clausula Dei nomen inserendum putauit hoc modo. *Considerat iustus finem domus impij: & videt quod Dominus peruertit impios ad malũ.* Id est, vir iustus ad præsentem fœlicitatem impiorum non attendit, sed fines illorum contemplatur, ac dum videt malos semper à Deo malè perdi, eorum fœlicitatem & fortunam non admiratur, aut suspicit; sed impietatem & malitiam potius cauet, ac fugit. Denique alii posterius hoc hemistychium non ad iustum, sed ad impium referri volunt hoc modo. *Intelligit iustus domum impij peruertentis impios ad malum.* Quam lectionem capit etiã textus originalis, & sensus est. Iustus apud se cogitat an possit domum impii expurgata malitia ad pietatem traducere, eius, inquam, impii, qui exemplo suo, & adhortatione plures alios ad similem impietatem impellit, hæc enim cura (vt ita dicam) coquit iusti animum: nam ne malitia per plures domos grassetur, eapropter illam in domo aliqua recenter natam coërcere, & opprimere magnopere studet.

60. Cæterum omnibus his translationibus anteponenda Vulgata lectio, non particula ל *Le*, quæ hic interpretes in alias, & alias coëgit translationes, non est præpositio *Ad*, sed articulus datiui: quapropter si clausula hæc ad verbum restituenda esset, sic efferri deberet, vt de trahat impios לרע *Lerangh*, idest, *malo*, in dandi casu. noster autẽ interpres eundem sensum expressit per casum auferendi cum præpositione *a*.

13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: ipse clamabit, & non exaudietur.*

61. *QVi obturat aurem suam*, Hebr. non dissonant, Chald. *Vocabit quoque Deum, & non exaudietur.* Nam cùm possint hæc verba ex his originib. ad Deum, & ad alios homines referri, ad Deum vtique retulit Chald. LXX. absolutè proferunt, *Et ipse inuocabit, & non erit qui exaudiat.* S. Cyprian. Dei etiã nomen expressit in lib. de opere, & eleemosyna.

Sententia huius loci perspicua est, atque adeo interprete non eget, *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis*, &c. i. qui omnino occludit aures, ne vox pauperis per ipsas illapsa ad animũ perueniat & ad miserescendum inuitet. (quod maximam quandã tenacitatem significat.) *Qui obturat aures*, &c. concinit hoc cum verbis Dauid, *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, vt non exaudiat voces incantantiũ*, & quidẽ clamores pauperum excantantiũ voces æmulari haud ineptè dicemus. Imprimis enim auaros cum serpentibus conferri aliàs non semel diximus ex Apostolorum doctrina Corinth. l. 3 sic enim habent, *auarus locum serpentis sortitus est*, quem aiunt in thesauris cubare, &c. Ergo serpentem istum thesauris asseruandis incubantem pauperis clamor excantare facile potest, dum per aures illapsus ad animum penetrat, & illud ad miserescendum flectit. Sed tamẽ mira est nõnumquam auaritiæ astutia, quæ aspidi per omnia similis aures suas obturat, ne audiat voces *venefici incantantis sapienter*, ne scilicet accipiat pauperum clamores, qui vi sua animum nonnumquam, vel nolentem, ad miserescendum cogunt, vel potiùs reluctantem deliniunt. Et quidem aspis aures sic occludit, teste Augustino, alteram quidem terræ adigit, alteram verò cõuersa cauda opprimit: nõ alius est auari astus, qui dum alteram aurem terrenis rebus omnino accommodat, alteram verò cauda implet, ad clamores pauperum surdus redditur Caudam autem vitæ finẽ appello, hæc ènim plerũque auaros cura distinet, an-

A gitque, vt nimirum morientes filiis amplum patrimonium relinquere possint, vel ne sibi ante mortem necessaria pereant. Qui ergo hoc modo aures obturat suas, *ipse clamabit, & non exaudietur*, etiam si contentissimas ad Deum voces emittat, tamen non exaudietur. Nam qui Deum ipsum ex paupere clamantem non audit, dignus vtique est vt clamores illius ad eundem missi frustra fiant.

Qui obturat (inquit) *aurem suam.* Succedat memoriæ (si ita libet) Vlyssis celebre facinus, qui ne Syrenarum cantus exciperet, aures suas cera impleuit: fabula enim ita ferebat eam fuisse Syrenici illius cantus vim & energiam, vt per aures illapsus animas deliniret, atque molles redderet. Sed enim Hyginus existimauit eo commento Vlyssis cantum ingenium notari, qui non solum minis non cedebat, sed neque precibus flectebatur, nam precum, ac Syrenarum haud dissimilis vis ad emolliendos, & lentandos animos. Quod si preces aliquæ Syrenarum fabulosum cantum imitantur, tum vel maximè illæ, quas pauperes ad diuites fundere consueuerunt: nihil enim ad delinienda hominum corda potentius est, quàm flebilis, & luctuosa pauperis vox. Sed tamen aduersus vocem istam impietas diuitum Vlyssem æmulata aures cera occludit, (cera inquam, quæ cum distillato iam melle arida, & insipida est, insuauem immitemque diuitum erga pauperes duritiam aptè notat:) hæc autem eorum aures fortissimè occludit, ne misellorum preces ad viscera illabantur, & animos ad miserescẽdum alliciant. Age igitur, ó auare, ac sordide diues, sic accipe; aures tuas, quas hactenus immanitatis cera oblerauit, actutũ recIude; nã fabulosæ illæ Syrenes nautas cantu suo ad scopulos, & naufragia trahebant, at pauperum preces Syrenarum in morem simili quadam vi ad dissimilem finem, hoc est, ad portum tutissimum, hominem traducunt.

Ad extremum subiicio illa verba, *ipse clamabit, & non exaudietur*, non modo ad Deũ referri posse, ita vt sensus sit; non exaudietur à Deo; sed etiam ad homines, hoc sensu. Qui ad hunc modum in pauperes sæuus existit, non erit impunis: nam Deus pro meritis illum ad similes angustias adducet, & tunc, ipse ad alios homines clamores suos, & preces mittet, stipem postulans, & non exaudietur. Vtrumque sensum verba ipsa recipiunt: sed priorem præferendum existimo cum Cypriano, qui dubiam, & ancipitem verborum significationem addito Dei nomine sustulit.

62.

63.

14. *Munus absconditum extinguit iras: & donum in sinu indignationem maximam.*

64. *MVnus absconditum*, &c. Hebræa. *Donum absconditum teget furorem*, &c. Chald. *Extinguet iram.* Sicut nostra vox originalis est כפה *Gam*, idest, *opprimet, teget.* LXX. aliter conuertunt. *Munus occultum auertit iras, muneribus autem qui parcit, furorem suscitat fortem.* Symm. etiam hæret nostræ lectioni *Munus occultum extinguet iram.*

65. Tres omnino huius loci expositiones apud interpretes reperire licet, quibus ni fallor, tota illius vis exhauritur. Prima ad iudices pertinet iuxta literæ sonum. *Munus absconditum extinguit iras*: idest, munus occultè iudici collatum conceptam in reum iram restinguit, ac ne quid in ipsum seueriùs statuat facile impetrat. Subdit, *Et donum in sinu indignationem maximam.* Repetitio est eiusdem sententiæ, inquit Rodolphus: potest tamen vtraque pars sic ordinari, vt diuersa, cohærentia tamen significet, hoc modo. *Munus absconditum extinguit, iram*, id est, munus iudici occultè oblatum, sed nec dum collatum, iram iudicis

magnopere placat, ac mitem reddit, *Donum verò in sinu*, id est, iam acceptum (vulgo *embolsado*) *indignationem maximam*, id est, quemlibet furorem implacabilem lenit, ac temperat. Itaque, *donum occultum*, est donum clam oblatum, quod iudex quidem sperat, sed nondum accepit, *donum in sinu* est munus iã collatum & acceptum: illud verò vim satis magnam ad deliniendam iudicis iram habet, inquit Salomon, sed hoc maximam. Neque verò Salomon reis suadet iudicum corruptelas: absit, sed iudicibus præcipit, ne se donis, ac muneribus corrumpi sinant, ne iuris rigorem, & seueritatem abiicere cogantur. Sed interim expendenda est vis illius verbi *extinguit iram*, aliàs *opprimit iram*. Ira quidem, ac furor à Iudice contra reum conceptus ignis esse fingitur, imò quolibet igne acrior: hunc ergo ignem munus sinu exceptum & inclusum restinguit, atque opprimit. Sed tamen obserua maximam munerum vim. Ignis, si omni ex parte includatur, ac nullus illi ad superiora emergendi locus fiat, cum paruus est, ac debilis, extinguitur, cùm magnus atque fortis, ingentes etiam moles eleuat, vt sibi ad superiora euadendi viam aperiat. Cogita igitur tantam esse munerum, vt ita dicam, molem, ac pondus, vt igneam iræ vim non modo cùm parua, ac debilis, sed etiam cùm magna, & ingens est, veluti inter clusam opprimat, & restinguat: sic enim habes, *Et donum in sinu indignationem maximam.*

66. Potest etiam aliter locus exponi, ita vt prior clausula à posteriori dissideat, nam priori quidẽ loco pro dono subest in primitiuis מתן *Matham*, posteriori verò שחד *Sochad*: ex Hebræis autẽ aliqui inter hæc duo nomina id interesse existimant, quod *Matham*, donum quodlibet etiam exiguum sonat, *Sochad* verò non nisi ingentem largitionem. Itaque iuxta hanc obseruationem sensus sic institui debet, *Munus absconditum extinguit iras*, &c. id est munus, inquã, scilicet Matham, id est, donatio quantumuis exigua, iudicis iram, & seueritatem lenit, donum verò, Sochad, ingens videlicet largitio, maximam quamque indignationem temperat: itaque iuxta mensuram doni animus iudicis mitis, ac placidior redditur.

67. Secunda interpretatio hæc verba cum superioribus nectit, atque adeo de misericordia atque eleemosyna capienda esse suadet: tamen non vnus exponendi modus occurrit. Aliqui enim (in his Rodolphus) comparationem quandam non insulsam hîc agnoscunt, ad hunc modum. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam*: idest, Quemadmodum reus munere clam oblato iudicis seueritatem flectit, ita etiam Deus eleemosynã in paupere accipiens, indignationem, ac furorem aduersus grauissima scelera susceptum omnino exuit, ac misericordiam, & lenitatem induit. Cõparatio est accommodata, & vera sententia; nam Deus sese quodammodo eleemosynis corrumpi finit, & diuini iudicij seueritatẽ liberalitas in pauperes flectit. Atque ea de causa Christus Dominus Luc. 11. in extrema illa piorum, & impiorum absolutione & damnatione, quantum eleemosynæ, ac misericordiæ deferat ostẽdit cùm ait, *Venite benedicti patris mei*, &c. *Esuriui. n. & dedistis mihi manducare*: & ad reos conuersus, *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. *esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. Significat ergo Christus semetipsum tunc cùm iudicem aget seuerissimũ, nulla alia ratione (liceat sic dicere) corrumpendum & ad lenitatem adducendum, quã donis atque muneribus in pauperes erogatis: hæc enim ipse pro sibi collatis ducit. Rursus idem Deus, ac Dominus Christ. Iesus, iudicij illius seueritatem, & magnitudinem exaggerans alios sibi iudices adiungit, (quos iuxta fori locutionem Iudices Adiunctos vel Assessores appellare licet) qui nimirum secum vnà in totam hominũ vniuersitatem sententiam dicturi sunt. Sed quinam isti? non alij certè nisi pauperes, & egeni, sic enim ait. *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede maiestatis sua, sedebitis & vos super sedes etiã iudicantes duodecim tribus Israël.* Sed quorsum pauperibus iudicium demandat? Non alia de causa, nisi vt diuitibus notum fiat, se istiusmodi iudices donis, ac muneribus promereri posse.

Sed licet isthæc comparatio haud ineptè hîc fingatur, tamen non sine lepore locus integer ablata comparatione de viro misericordi accipi potest. 68. *Munus absconditum*, &c. eleemosyna quæ pauperi clanculum datur iram Dei in peccatores conceptam restinguet. Rationes autem propter quas occulta eleemosyna Deo imprimis placet, alibi attingimus, sed nunc ampliùs inculcandæ. Primò eleemosynæ, quæ clam offeruntur, superbiæ flatus excludunt. *Munus* (inquit) *absconditum extinguit iram*. Pende discrimen largitionis occultæ, atque publicę. Publicam sanè veluti lucernam quandam ventis expositam inanis superbiæ aura restinguere solet, ne luceat coram Deo: Occulta verò ipsamet diuinæ iræ peracrem flammã opprimit, atque extinguit. Apposite quidem ad hanc sententiam transtulit August. Sareptanæ viduæ exẽplum in serm de Helisæo vbi sic habet. *Quod autẽ ait scriptura clauso ostio viduam illam oleum in vasis infudisse, hoc significauit, vt vnusquisque eleemosynã clauso ostio faciat, id est, pro solo Dei amore. Id est, non ideo, vt laudetur ab hominibus, sed vt apud Deum inuenire gratiam mereatur. qui enim pro laude hominum eleemosynã facit; aperto ostio facit, quia apertum omnibus ventis patet*: non potest autem misericordiæ atque charitatis flamma tot inter ostia ventis peruia non periclitari. Non solum autem eleemosyna abscondita Dei gratiam init, sed etiam pauperi ipsi gratior est (inquit Augustinus) quia illam clanculum accipiens nõ erubescit, quæ enim publicæ distribui solent eleemosynæ sæpiùs ruborem afferunt accipientibus. Huc spectat etiam viduæ illius industria, quæ dum clauso ostio stillam olei exiguam in vasa etiam magna infundebat, subito incremento vasa redundabant, vt inde innotesceret pauperes qui nomine vasorum significantur, si clam & occultè subleuentur, exiguis largitionibus expleri: maiorem enim illis voluptatem affert parua, & occulta, quàm magna & publicè ostentata donatio.

Ait igitur Salomon, *Munus absconditum extinguit iram, & donum in sinu indignationem maximam.* 69. Succedat memoriæ illud discrimen, quod nuper obseruaui inter *munus & donum*, vel potiùs inter *Mathã*, & *Sochad. Matham* quippe exiguum, & ignobile donum, *Sochad* verò magnam atque generosam aliquã largitionem sonat, atque sensus erit. Munus quantũlibet exiguum pauperi clam oblatum iram Dei temperat, quam ob leuiores culpas concepit. At magna & nobilis largitio eidem exhibita, maximã quamque Dei indignationem ob grauissima etiam scelera conceptam lenit, ac placat. Itaque ea mensura Dei ira decrescit, qua beneficentia in pauperes crescit. Quod etiam per viduæ factum innui voluit Augustinus, suprà. *Considerate*, inquit, *fratres, defecit oleum, & viduæ debitum creuit, creuit oleum, & perit debitum.* Per oleum eleemosynam & misericordiam intelligit, quæ dum crescit, omnia hominis quantumuis ingentia debita, & peccata delet. Sed obseruanda est illa vox, *extinguit*, significat enim iram Dei velut ignem eleemosynis sopiri; accinit illud, *Sicut aqua extinguit ignem*, &c. *ita eleemosyna extinguit peccatum.* Eccles. 3. At, inquies, eleemosyna quidem

quidem olei ad inſtar obtinet: Oleum autem ignem non extinguit, ſed alit. Appoſitum eſt exemplum calcis ad huius ſolutionem dubioli: calx enim aqua infuſa ignem concipit, oleo inſperſo ſopitur. Ad eundem modum in peccatis accidit, quæ calcis in modum gehennalis incendii ardores in ſemetipſo contegunt, in his enim aqua, nempe charitatis frigus, flammas illas ſempiternas excitat, oleum verò, id eſt eleemoſyna, & charitas, conſopit, atque opprimit. Sed tamen D. Cyprian. eleemoſynæ etiam atque vim tribuit in ſermo. de opere, & eleemoſyna. *Sicut aqua extinguit ignem*, &c. *His quoque oſtenditur & probatur, quia ſicut lauacro aqua ſalutaris, gehenna ignis extinguitur, ita eleemoſynis delictorum flamma ſopitur: & quia ſemel in baptiſmo remiſſio peccatorum datur, aſſidua; & ingis eleemoſyna baptiſmum imitata Dei rurſus indulgētiam largitur.* Mitto alia. Cyprian.

70. Tertiam expoſitionem offert nobis tranſlatio Septuag. quæ ſic habet. *Munus occultum auertit iras; muneribus autem parcit, ſuſcitat iram fortem.* Ex his conſtat LXX. illa verba *& donum in ſinu* non ita accepiſſe vt ſignificent donum in ſinum pauperis miſſum, ſed donum in ſinu diuitis auari retentum; ſenſus autem eſt luculentus, ſiue ad iudices, ſiue ad eleemoſynas referamus. *Qui parcit* (inquit) *muneribus, ſuſcitat iram fortem.* Quaſi dicat, Liberalis extinguit, auarus excitat Dei iram, ille quidem infuſa aqua extinguit, hic verò ſubiectis lignis, & aſſiduis flatibus accendit: tunc enim ligna ſubiicit, cum diuitias ex auaritia multiplicans innumeris peccatis materiem adminiſtrat, tunc verò flatibus aſſiduis ignem excitat, cùm ob ſuarum copiarum affluentiam ſuperbit, & pauperes deſpicit. Pergo ad alia.

---

15. *Gaudium iuſto eſt facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem.*

71. *Gaudium iuſto*, &c. Heb. *Et contritio omnibus operantibus iniquitatem.* Chaldæus concinit cum noſtro Vulgato. LXX. *Lætitia iuſtorum facere iudicium, ſanctus autem immundus eſt apud malos.*

Non vna huius loci expoſitio occurrit. Beda; Hugo, Dion. & alii ſic habent, *Gaudium iuſto eſt facere iudicium*, ideſt, iuſtis opera iuſtitiæ, & pietatis exequi iucundum eſt; *& pauor operantibus iniquitatem*, nimirum ex aduerſo impiis ſcelera ſua perficere, graue & moleſtum eſt. Itaque inter probos, atque improbos id diſcriminis intereſſe docet Salomon, quod probi cum voluptate operantur, improbi cum dolore, ac moleſtia. Huc ſpectat graue Aug. pronuntiatum in ſceleratos, quo culpas ſuas tanquā viperas eniti affirmat; quia nimirum peccata ſeu genimina viperina cùm pariuntur, animam ipſam perforant, & cor pertundunt. Vox autem originalis, quæ ſubeſt illi *pauor*, &c. eſt מחתה *Mechithah*, quæ aliquando nixum doloreſque parientium notat. Itaque verba illa, *& pauor*, ſeu, *contritio operantibus iniquitatem*, hoc ſenſu efferri poſſunt, impii ſcelera ſua quodammodo enituntur, culpas ſcilicet ingenti cum dolore parturiunt. At enim culpæ alicuius nixus humani partus anguſtias longè ſuperat, nam in partu naturali fœtus cum voluptate ſuſcipitur, & dolori etiam ſuccedit gaudium, & voluptas: ſic enim Chriſtus Dominus. *Mulier cùm parit triſtitiam habet, ſed poſtquam peperit, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundū.* At in hoc culpæ infælici partu, vel potius aborſu, primò peccati fætus cum labore, & dolore concipitur, (ſic enim Vates Pſ. 7. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem:* & Iob. 15. *Concepit laborem, & peperit iniquitatem.*) Pſalm. 7. Iob 15.

A Deinde edito iam crimine, nouus, atque grauior ingruit dolor, & angor, qui conſcientiam lætiſſimè torquet. Audi Iacobum cap. 1. *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem*, &c. Ex aduerſo, *Gaudium eſt iuſto facere iudicium.* Gaudium, inquam, in conceptu, in partu, & à partu: animus enim gaudet cum aliquid boni facere decreuit, gaudet cùm decretum exequitur, & ſub executionem demum lætitia geſtit (liceat ſi dicere) quia natum eſt bonum opus, non quidem in mundum, ſed in cælum, vbi ampliſſima illud retributio manet. Iacob. 1.

Secunda interpretatio Ianſenij ſic habet. *Gaudium iuſto eſt facere iudicium.* ideſt, bene agere, nam ſecundùm pietatem, & honeſtatem viuere virum iuſtum mirifice delectat, ac recreat, ſed tamen eius bona, & pia conuerſatio angit vexatque eos, qui improbam vitam agunt: *& pauor*, ſeu, *contritio operantibus iniquitatem*: nihil enim fere eſt quod magis torqueat improbos, quàm proborum honeſta viuendi ratio; hæc enim eorum ſcelera palā damnat & traducit. Et quidem aptè etiam huic ſententiæ accommodatur ſignificatio vocis *Mechithah*, id eſt, dolor parturientis. Nam improbi omnes quoties iuſtos piè, ac ſanctè viuentes eorumque fœlicitatem vident, pietatis etiam, virtutiſque exercendæ deſideria concipiunt, ſed animus recta exequi non valens parturientis in modum laceratur, ac diſcerpitur, quadrantque in ipſos verba 4 Reg. 19. *Venerunt filij vſque ad partum, & non habet vires parturiens.* 72. B C

Tertia expoſitio perplacet Rodolpho, qui vt locus iſte cum ſuperiori cohæreat, nomine *iudicij*, vel *iuſtitiæ*, eleemoſynam, ſeu miſericordiam accipiendam eſſe docet; de qua ſignificatione non ſemel aliàs diximus: Senſus autem ſic habet, *Gaudium eſt iuſto facere iudicium*, id eſt, vir pius ac liberalis bona ſua pauperibus erogans impensè delectatur, *ſed pauor his, qui operantur iniquitatem.* Auaros, ac ſordidos intelligit, eos nimirum, qui opes auarè ſeruant, pauor, ac metus concutit amittendi: de quo metu alibi non pauca diximus, nūc verò ſic accipe. Auaris certe nulla res maiorem metum amittendi res ſuas incutere debet, quā D quod ex illis pauperibus non largiantur. Nam pars illa, quæ mendicis impenditur, reliquas fortunas incolumes, ac ſecuras eſſe iubet. Ad hanc ſentētiam tranſtulit D. Thom in opuſculo de eruditione Principis, ſimilitudinem ductam à ſanguinis miſſione (nota eſt Ariſtotelis, & Tullij ſententia, qui diuitias, & pecunias cum ſanguine contulerunt, quorum verba alibi dedimus.) Sicut ergo corpora multo ſanguine turgentia, ait Sanctus doctor, (ſententiam coerceo, ac verba miſſa facio) miſſo ſanguine leuari ſolent, & pars ſanguinis miſſa, eam, quæ in venis manet, à corruptione & tabe vendicat: ſic etiam diuites multis facultatibus affluentes tanquam infirma, & multis morbis obnoxia corpora liberales eleemoſynæ E leuant, fitque tandem vt ea pecuniarum quantitas, quam effusè in pauperes erogant, reliquas facultates ab omni iactura vendicet. Rurſus quemadmodum ſi è contra venis plurimo ſanguine turgentibus nulla eiuſdem miſſio fiat, totus ſanguis tabeſcit, & corrumpitur: ſic etiam diuitiæ ſi affluant, & nullæ ex his eleemoſynæ impendantur, omnes quidem malè pereunt. Eapropter auarus, qui opibus ſuis ſordidè parcit, ſuarum fortunarum amiſſionem nunquam non metuere debet. Aptè ergo Salomon, *Pauor his, qui operantur iniquitatem.* Pagninus, *contritio*, &c. Rabbi Samuel, *Ruina his, qui operantur*, &c. Et ſanè contritio euenire ſolet ex ruina magna; ei verò, quæ ex magna ruina contingit, contritioni, ſanguinis miſſione ſubueniri conſueuit. Idipſum de diuitum 73. D. Thom. Ariſtot. Cicero.

diuitum auarorum minis, contritionibus ne concipe, eorum enim peccata, & lapsus hoc leuamento indigent. Ad hæc auaris etiam accommodari potest significatio illius vocis *Mechitath*, id est, dolor, vel angustia parientis, vt sit sensus, Vir pius, ac misericors magna cum voluptate bona sua largitur, auarus autẽ, & illiberalis, quoties aliquid ipsi donandum est, dolet, cruciatur, & angustias parturienti similes experitur, ac si quid demum necessitas extorquet, aborsus ille est non partus, atque veluti coactum statim perit.

74. Quarta demum interpretatio, quam reliquis præferendam esse existimo sic habet, *Gaudium est iusto facere iudicium*. Illud *facere* capiendum est passiuè, id est, *fieri*, quod aliàs in scripturis passim accidit, ita vt sensus sit, *Gaudium est iusto facere iudicium*. Iustus scilicet, cùm videt superiorem ac Principem iustè agere, ac subditos suos in officio continere, gaudet vtique, ac gestit; quod ex aduerso metum & pauorem maximum improbis incutere solet Quid certius? Ille gaudet quia immunis est à delicto, hi pauent, ac metuunt, quia eisdem sceleribus obstricti, eam, quæ aliis iustè infligitur pœna, sibi quoque à iusto, & seuero iudice imponendam timent Redeo ad significationẽ *Mechithath*, id est, *Angustia*, vel, *dolor parturiẽtis hos, qui operantur iniquitatem*. *Origen.* Orig. Hom. 2. in Iosue, legẽ cum *obstetrice*, acutè composuit, quia nimirum reluctantes subditorum voluntates ad vitam, & mores secundùm rationem, vt ita dicam, pariendos, obstetricis in morem iuuat. Cogita ergo in omni homine, etiam improbo, voluntatem rectis consiliis, & cogitationibus bonos mores suadentibus grauidam, ad bonam, honestamque vitam pariendam numquã non stimulari. Ergo dum adest superior, ac Princeps aliquis iustè agens, & seueritate sua subditos vrgens, actutum improbos omnes dolor quidam, & angustia parturienti similis inuadit, illos nimirum ad bonos mores, etiam cum dolore, & molestia pariendos præceptis, ac legibus obstetricantibus superioris seueritas cogit.

---

16. *Vir, qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur.*

75. *Vir, qui errauerit*, &c. Hîc sanè occurrit vox illa רפאים *Rephaim*, de cuius ancipiti significatione sæpè aliàs dixi, nam cùm hîc, & alibi passim interpres noster, *gigantes* reddat, sæpè aliàs, *dæmones*, aliquando *mortuos*, non semel, *Medicos* transfert. Ergo si hæc verba ad origines reuocentur sic efferri possunt, vir qui errat à via intellectus, in concione, vel cœtu *gigantum*, vel *mortuorum*, vel *dæmonum*, requiescet (has omnes translationes capit iste locus: at aliæ ab aliis vsurpatæ sunt.) Chaldæus, *Filius hominis, qui errat à via intellectus, cum filiis terræ commorabitur.* Septuaginta. *Vir errans à via iustitiæ in synagoga gigantum requiescet.* Symmachus θιμάχων, id est, *in cœtu eorum, qui cum Deo pugnant*, eodem sensu.

Vna est omnium interpretum mens ad hunc modum, *Vir qui errat à via doctrinæ*, &c. via doctrinæ, aut intellectus dici potest rectæ rationis iudicium, aut honestatis exercitium: Ergo sic aiunt. Quicũque ab eiusmodi via deuius abierit, *in cœtum mortuorum*, id est, damnatorum, aut *gigantum*, hoc est dæmonũ, tandem aliquando veniet. Fortasse autem Salomon his verbis ad antiquum Hebræorum morẽ respexit, qui sepulchra mortuorum extra vrbem in syluis defodere consueuerant: loca autem sepulchris destinata plerumque erant à publicis viis tantisper discreta, & remota: ita tamen vt quicumque vias publicas, & regias desereret, non longo interuallo in sepulchra, & tumulos mortuorum incideret. (Exploratum est hoc ex his, quæ diximus supra c. 2. vers. 18. Ergo sententia hæc per comparationem efferenda est ad hũc modum. Sicut is, qui publicam, & regiam viam deserit, ad mortuorum sepulchra ociùs decurrit: sic etiam ille, qui rectæ rationis, aut honestatis viam planè regiam, & certam dimittit, in mortuorum cœtum discedit, vt vna cum ipsis pereat. Hæc sanè videtur facilis, & procliuis expositio, si pro gigantibus mortuos subiiciamus: ita vt Salomon his, qui ab honestatis recta via aberrauerint, maturam, & præcocem mortem interminet venusto schemate.

Quod si Gigantes retineamus: Ego quidem ita reor 76. per viam doctrinæ, aut intellectus, non pietatis exercitium, aut rationis rectum dictamen accipi, sed id quod sonat, scilicet veram, sanamque doctrinam in his, quæ ad religionem, & mores spectant: ita vt sensus sit, *Vir qui errauerit à via doctrinæ*, id est, hæreticus, aut falsorum dogmatum assertor, qui veræ, ac sanæ doctrinæ regiam viam dimiserit, *in cœtu Gigantum commorabitur*, (nomine Gigantum dæmones accipere licet) id est, *in cœtu dæmonum commorabitur*, non solùm quia apud gehennam cum dæmonibus torquendus erit, sed etiam quia in hac vita dæmones socios, amicos, parentes, & magistros habet. Athanasius contra Arrianos. *Hæretici* (inquit) *Athanas.* *circumeunt vt Scarabæi cum patre suo diabolo, causas iniquitatis vndecunque aucupantes.* Alibi etiam eosdẽ diaboli amicos, & discipulos appellat. Sed audiendus est Gregor. Nazianz. Orat. 48 vbi in conuentum *Nazianz.* hæreticorum hæc iactat. *Chorus ille diaboli propugnaculum erat, ibi exercitum sibi construxerat, ac defensores, & satellites suos in eo collocarat. Hic mendacij exercitus, fraudis propugnatores, dæmonum expeditio, immundorum spirituum legiones. Ac (si etiam externorum nominum aliquid vsurpare licet) ibi prauus furiarum exercitus aduersus Ecclesiam bacchatus est (sic enim vt fœminas eas appellem, adducor, quæ supra naturam ad malum viriles se præbebant.)* Itaque in eo hæreticorũ cœtu, in quo viri cacodæmones imitantur, fœminas furiis quàm simillimas esse docet Gregorius. Et in Orat. 4. ipsosmet dæmones incredulitate ab hæretico vinci affirmat. *Hoc* (ait) *ne dæmones ipsi fecerunt, atque adeò incredulitate dæmones ipsos superas.* Ad hæc Chrysost. in hom. contra hæreticos. *Diaboli nequitiã* *Chrysostom.* *in hæreticis duplam quodammodo* esse affirmat. Hinc etiam Author Imperfectus hom. 44. in Matth. ad illa *Imperf.* verba, *Facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos*, sic attexit. *Qui transit ad hæreticos duplo fit filius gehennæ: primum quidem quia veritatem, quam tenebat, relinquit: deinde quia factus est aduersarius veritatis. Qui enim in erroribus natus est, & in erroribus permanet, in simplo est filius gehennæ: qui autem natus in veritate propter aliquam causam ad perfidiam migrat, duplo fit filius gehennæ.* Parum ergo est istiusmodi hæreticos *Gigantes*, id est, *terræ filios* dicere, cùm gehennæ, & orci filios eosdem compellare liceat, non simplos sed duplos, duplo videlicet maiores; nam cùm dæmones filij gehennæ sint, illi quidem (liceat sic dicere) simpla, hæretici verò dupla magnitudine præditi sunt: atque adeò cum dæmonibus collati Gigantes dici debent, ac dæmones cum ipsis compositi, Pygmæi.

Vel aliter, pro Gigantibus, *mortuos* subiicere licet, 77. vt sit sensus: *in cœtu mortuorum commorabitur*, non solùm quia mors illum manet æterna: sed etiam quia hæreticus, & falsi dogmatis assertor inter viuos adhuc agens mortuus est. August. serm. 186. de *August.* tempore. *Contingit quidem vt in corpore: nã si de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, aut pes, nunquid præcisum sequitur anima? Certè cùm in*

corpore

corpore esset, viuebat, præcisum amittit vitam: sic, & homo Christianus Catholicus est dum in corpore: præcisus hæreticus factum est membrum amputatum, non sequitur eum spiritus, & anima. Meritò ergo in mortuorum cœtum refertur, qui eo spiritu caret, qui Ecclesiæ membra coniuncta inanimat, ac vegetat.

78 Denique si Gigantum nomine illos accipiamus vastæ magnitudinis homines, possemus quidem primò ad superbiam referre hoc sensu. *In cætu Gigantum commorabitur*, id est, cum illis hominibus connumerabitur, qui superbia maximè tument: nam teste Augustino, superbia cunctarum hæreseon parens existit, imò potiùs hæreticorum mater est. Nam in libro contra Epistol. Manichæi cap. 6. sic habet. *Quid hoc esse causæ arbitramur, nisi quia illa superbia mater omnium hæreticorum impulit hominem*, &c. Succedat etiam memoriæ, quod nuper diximus, hæreticorum patrem non alium esse nisi diabolum. Igitur ex patre diabolo, & matre superbia satos filios Gigantes esse necesse est, quos scilicet fastus, & arrogantia vana elatione supra humanam mensuram attollat. Sed audiendus est Gregorius Nazianz. qui Gigantum originem aliter recensens, eorundem natiuitatem hæreticis venustè accommodat, in orat. 33. *Quid tandem est, quod vnius diei momento sanctos fingis, & Theologos creas, eruditionem ipsis velut inspiras, & multa imperitè doctorum conciliabula facis? Cur aduersus fidem crabrones excitas? Cur dialecticorum agmen nobis ex tempore producis, non aliter ac fabula olim Gigantes?* Gigantum verò fabulam, cuius hîc meminit Gregorius, scribit Nicetas ad hunc modum. *Ferunt Cadmum Agenoris filium apud Thebas Beotiæ vrbem draconis à se prælio interfecti dentes in terra sparsisse, atque hinc è terra extitisse Gigantes homines, à capite ad femur vsque armatos, qui eodem die quo editi sunt, inito prælio, se ipses mutuis vlneribus confecerunt.* Hæc ille, quæ in mores hæreticorum aptissimè cadunt. Nam primò ex his plerique olim Grammatici vnius diei periodo ex tempore Theologi euaserunt. Hi rursus nedum nati fuerunt, cùm incredibili sententiarum varietate distracti inter se confligere, & alter alterius iugulum petere cœperunt. Isti demum sunt Draconis propagines, id est, diaboli germen. Quid plura? Idem Gregorius Nazianzen. de Gigantum sobole sic scribit. *Gigantum acerbi, atque immanes fœtus, ac soboles, Hydræ, Chymeræ, Cerberi, Gorgones* (sic habet in orat. 3. contra Iulianum.) Hæc omnia ex fabulis petita sunt, quæ tradunt Gigantes hæc monstra progenuisse: quæ soboles hæreticis quoque aptari potest. Horum sanè horrenda proles Hydra. Audi Athanasium sermone quarto, contra Arrianos. *Quemadmodum in fabulis Ethnicorum celebrata Hydra, sublatis prioribus serpentibus, aliisque pullulantibus, pernicaciter contendebat, nouo semper obiectu anguium contra illum, qui ipsi serpẽtes suos abscindebat. Ita quoque isti execrabiles homines animo ethnico detecti ab illis, quæ obiiciebant, noua comminiscuntur; quippe qui post tot refutationes, quibus vel diabolus ipse horum pater victus, confususque retrò abiisset, rursus ex peruerso corde noua alia adinueniunt*, &c. Ambrosius verò non hæreticos, sed hæresim ipsam cum Hydra contulit libro, de fide ad Gratianum. *Heresis* (inquit) *velut quædam Hydra vulneribus suis creuit, & dum sæpe reciditur pullulauit, igni dedita, incendioque peritura.* Respicit autem Ambrosius fabellam aliam, quæ narrat Hydram ab Hercule igne subiecto necatam: hoc enim supplicio in hæreticos animaduertit Ecclesia. Adde etiam Cassianum in libro primo de Incarnatione, qui postquam fabulam proposuit ad hunc modum venustè accommodat. *Ita etiam hæreses in Ecclesiis illius, quam Poetarum commenta finxerunt, Hydra*

Nazian.
Nicetas.
Nazianz.
Athanas.
Ambros.
Cassian.

A *similitudinem referunt: istæ enim aduersum nos linguis feralibus sibilant: istæ virus lethale iaciunt: istæ sectis capitibus renascuntur. Sed quia resurgente morbo, non debet cessare medicina, & quantò maior fuerit ægritudo, tantò instantior debet esse curatio. Potens est Deus noster, vt quod Hydra illius Gentilium falsitas finxit, hoc in Ecclesiarum bellis veritas peragat, vt ignitus sancti Spiritus gladius in extinguenda nouella hæresi omnes penitus medullas perniciosæ generationis exurat, vt tandem prodigiosa fœcunditas, morientibus venis, parere desistat.* Hæc de Hydra. Alterum Gigantum fœtum Chimeram fuisse docet Nazianzenus: hanc hæresi quàm simillimam ipsa illius forma satis ostendit, nam Chimæram triformem, & ignem spiran-
B tem fabulæ comminiscuntur: tertia verò illius proles Cerberus triceps: quæ duo hæreseon, atque hæreticorum multiformes sententias optimè adumbrant. Ob eam causam hæc, & alia monstra in vno Iuliano contemplatur Nazianzenus orat. tertia. *Atqui Hydram nemo vnquam lenem, & mansuetam esse dixit, quod nouem capita pro vno proferret: nec Pataricam Chimeram, quod tria, ac diuersa, vt maiorem terrorem afferret: aut illum apud inferos Cerberum, quod totidem, ac similia: aut Scyllam, æquoream pestem, quod sex in orbem, maximéque horrenda: tamen superiores ipsius partes suaues, & humanas fuisse narrant, nec aspectu iniucundas (virgo enim erat:) at reliqua capita canina erant, & belluina, atque om-
C ninò perniciosa, classes totas corripientia: nec quantum ad periculum ab opposita Charibdi quidquam differentia.* Hæc Nazianzenus in Iulianum Apostatam iactauit, vt quàm dissimiles illius de religione sententias his similitudinibus adumbraret, & infidelitati impietatem adiunctam esse monstraret. Quid plura? Reliqua certè seu fabulosa, seu vera, quæ de Gigantibus circumferri solent, hæreticis, seu falsis dogmatum assertoribus aptare facile ac pronum est: scilicet Gigantomachiam, seu eorum cum Ioue prælia, montes montibus impositos, fulmina item à Ioue in ipsos iaculata, Briaræos, Centimanos, Cotos, Gyges, & Encelados anguipedes, & alia his similia portenta, & monstra, vnde constat
D eos in cætu Gigantum commorari.

Nazian.

---

17. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.*

QVI diligit epulas, &c. Hebraïcè. *Vir egenus, qui diligit lætitiam: & diligens vinum, & oleum, non ditabitur.* Chaldæus, *Vir egenus est, & diligit lætitiam, & vinum, & vnguentum, hic non ditabitur.* Translatio Septuaginta singularis est. *Vir egenus amat lætitiam: diligens vinum, & oleum ad diuitias.* 79
E Symmachus. *Vir* (inquit) *egebit bonis*, eodem sensu. Aquila, Symmachus, & Theodotio cohærent cum Vulgatis.

Si sequamur translationem Chaldaïcam, sensus est luculentus. *Vir egenus est, & diligit lætitiam, & vinum, & vnguentum, hic non ditabitur.* Si quis nimirum egestate premitur, & delitias nihilominus impensè diligit, hîc certè numquam ex paupere diues euaserit, nemo enim absque magna contentione, ac labore, à paupertate ad diuitias transit. Quid certius? Sed, ni fallor, hæc interpretatio obuiam valde, & vulgarem sententiam claudit, atque adeò tantisper languescere videtur.

Septuaginta translatio obscurior est. *Vir egenus amat lætitiam, diligens vinum, & oleum ad diuitias.* 80
Quæ

Quæ verba non vno sensu donari possunt. Primus erit eiusmodi. Homo ille, quisquis paupertate angitur, optat impensiùs paupertatis angores deponere, & lætitiam inire: & ob eam causam vini atque olei copiam expetit, vt ex his ditescat, & angoribus suis succurrat. Quod perinde est ac si dicat, Pauper non alia ex causa diuitias auidè exoptat, & conquirit, nisi quia hæ lætitiam mœrenti animo inspirant. Possuntque illa verba, *diligens vinum, & oleum ad diuitias*, per quandam comparationem edisseri, vt sit sensus. Propterea pauper opes cupit, quia hæ illi pro vino, & oleo: nam vini ad instar animum lætificant, & olei in modum eundem animum deliniunt. Et quidem appositè ad hanc sententiam diuitias cum vino

Stobæum. Aristoteles composuit apud Stobæum. *Vt ab eodem* (inquit) *vino alij inebriamur, alij læti, & placidi redduntur, sic à diuitiis alij aliter afficiuntur:* nimirum alij curis, alij lætitia implentur. Eodem recidit alia Socratis sententia apud eundem. *Vina immutantur cum vasis: diuitiæ verò pro moribus possidentium variantur*, sermone nonagesimo quarto, id est, sicut vinum in quibusdam vasis ocyus acescit: in aliis verò in plures etiam annos incolume seruatur: sic etiam diuitiæ quosdam homines metu, curis, & mœroribus implent; alios verò lætitia, & suauitate perfundunt.

Plutarchus. Rursus olei, ac diuitiarum non dispar ratio. Plutarchus in vita Periclis. *Sicut oleum lucernæ infusum ignem alit lumine suo tenebras discutientem: sic etiam diuitiæ ampliores lætitiam nutriunt, curas, & mœrorem exterminantem.*

Si autem isthæc displiceat interpretatio, locus sanè intelligi debet, non de nimia affluentia, sed de sufficientia diuitiarum opportuna, ita vt sensus sit, *Vir egenus amat lætitiam, diligens vinum, & oleum ad diuitias*, id est, vir, pauper, qui vini atq; olei non plus desiderat, quàm id quod sibi satis est *ad diuitias* (nam vt aliàs non semel dixi, sola sufficienta, cupiditate ablata, diuitiarum nomine gaudet) hic, inquam, solus amat lætitiam, hoc est, vitam cupit voluptatibus, ac delitiis plenam: nam quotquot nimiam copiarum affluentiam affatim concupiscunt, non lætitiam, sed curas, metus, mœrores, & angores optare dicendi sunt. Vel si ad præmissam comparationem redeamus, ille sanè quisquis paucis contentus, opes ad victum opportunas tantummodo exoptat, huic quidem opes pro vino atque oleo futuras dixerim: nam vini in morem animum lætitia afficient, & olei ad instar lucem alentis, curarum, atque mœrorum tenebras discutient. Est autem vtraque similitudo ad prædictam sufficientiam commendandam appositissima. Nam sicut vinum temperanter haustum cordi lætitiam, & stomacho robur affert: idem verò intemperanter ebibitum ebrietatem, & veternum adducit: sic etiam diuitiæ parcæ, ac sufficientes, voluptati sunt: at verò ingentes, & immodicæ opes hominem dementãt, curisque, ac solicitudinibus implent. Rursus veluti oleum parcè instillatum ignem ex elychnio splendentem alit; idem verò immodicè affusum ignem extinguit: Sic etiam diuitiæ non magnæ voluptatem innutriunt; ingentes verò copiæ gaudium omne restinguunt.

82 Cæterùm difficile est vulgatam nostram lectionem ad præmissas interpretationes vocare: tota enim ad decoctores spectare videtur. *Qui diligit epulas, in egestate erit: & qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* In Primitiuis est, *Qui diligit lætitiam*, &c. Sed vt prior pars cohæreret cum posteriori, noster Interpres nomine lætitiæ eam intellexit, quæ ex epulis, ac comessationibus largioribus euenire solet. Itaque sensus sic restituendus erit. Loquitur Salomon de diuite, ac paupere, & de illo quidem sic fert.

A *Qui diligit epulas, in egestate erit*, ditissimus quisque si lautioribus epulis, & splendidioribus conuiuiis sese dedat, decoctis maximis facultatibus, in egestatem, & angustias decidet: *& qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur:* Si quis scilicet est pauper, & indigus, & alioquin vino, & vnguentis gaudet, hic sanè nunquam aggestis facultatibus ditescet. Quasi dicat, omnem epulis lautioribus deditum hominem pauperem esse necesse est: nam is, qui olim diues erat, ocyus in paupertatem, & angustias veniet: is verò, qui priùs inops fuerat, nunquam locupletatur. Per *vinum* autem, & *pinguia*, omnem splendidissimis conuiuiis apparatum intelligit Salomon. In Primitiis est. *Qui amat vinum, & oleum:* nomine autem

B olei vnguenta significantur pretiosa, quorum vsum in conuiuiis nemo ignorat.

---

18. *Pro iusto datur impius: & pro recto iniquus.*

PRo iusto, &c. Hebraïce ad verbum. *Propitiatio iusto impius, & pro rectis prauaricator.* Sept. 83
hanc clausulam nectere videntur cum superiori, hoc modo. *Vir egenus amat lætitiam, diligens vinum, & oleum ad diuitias: circumpurgatio autem iusti iniquus.* Aquila, Symmachus, & Theodotion: *Propitiatio autem iusti iniquus.* Chald. *In commutatione iusti tradetur iniquus: & pro rectis direptores.* C

Locus iste difficiliores habet explicatus. Prima interpretatio bene vetus, quam sequitur Beda, Hugo, Dionysius, & alij, sic habet. *Pro iusto datur impius: & pro recto iniquus.* Inter iniquum, & impium hoc interest (inquit Beda) quod impius dicitur ille, qui grauioribus sceleribus se se obstrinxit, scilicet infidelitatis, apostasiæ, aut similium; iniquus verò, qui leuiora admisit delicta. *Ergo datur* (inquit) *pro iusto impius*, (inquam) ad supplicium, id est, propter mala, quæ intulit iusto, impius addicetur supplicio. Hac lege sæpe sæpius ob martyrem persecutor neci deditus est, & Herodi mors Innocentium mortem attulit. *Rursus pro recto* (inquit) *datur iniquus*, alia de D causa dabitur scilicet, id est, damnabitur: quia nimirum recti hominis exemplo ad pietatem induci non potuit. Itaque impius infidelis ob illata iustis damna: iniquus verò, seu quilibet in vniuersum improbus, ob despecta proborum exempla pœnas luet. Cæterùm hæc expositio non satis exprimit vim illius dictionis, *pro*, quæ significat vnum alterius vice subjici.

84 Secunda interpretatio Iansenij, & Rodolphi sic habet. *Pro iusto datur impius*, &c. vel vt habent origines: *expiatio, aut redemptio iusti impius*, id est, impij sæpius ad instar obtinent pretij, ac redemptionis, qua ira Dei expiatur, & placatur. Puta, cùm Deus vrbem aliquam, aut Prouinciam ob communes causas punire decernit, tunc enim fieri solet, vt E punitus impiis, ira Dei desæuiat, & probis omnibus parcat. Exemplum profert Iansenius secundi Regum c. vigesimo primo, vbi legimus famem illam, quæ populum Dei afflixit in diebus Dauid ob stragem editam in Gabaonitas à Saule, expiatam quidem, & redemptam morte septem filiorum Saulis: sic enim Dauid ad Gabaonitas. *Quid faciam vobis, & quod erit vestri piaculum?* id est, qua ratione iniuriæ vobis illatæ fiet satis, & crudelitatis à Saule admissæ quænam erit expiatio? Hebraïcè. *Quid faciam vobis, & in quo* אכפר *Achapher*, id est, expiabo? nimirum ex radice *Caphar*, vnde כפר *Clopher*, id est, *expiatio, & redemptio*, quæ vox in hoc loco occurrit, cui respondet apud Septuaginta περικάθαρμα, id est, *circumpurgatio*,

gatio, eodem ſenſu. Et quidem ad hunc ſenſum allicit Ianſenius illa verba Pauli primæ ad Corinthios c. quarto. *Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema.* In Græcis enim ſic habemus, ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου, id eſt, dum vexamur, dum cædimur, & morte afficimur, per nos quidem, tanquam per acceptabiles hoſtias, mundus purgatur, & ira à Deo in illum concepta expiatur. Ad quam ſignificationem vocari etiam poteſt περίψημα, quæ pari ratione *luſtramenta* à quibuſdam vertitur: ita vt *omnium peripſema*, perinde ſit atque communis omnium luſtratio, & expiatio, eodem ſenſu.

85. Sed licet hæc appoſitè dicantur, tamen cenſeo vocem illam περικάθαρμα apud Septuaginta in hoc loco ſumi quidem vulgari ſenſu pro ſordibus, ac fæcibus: ita vt ſenſus ſit cum ſuperiori clauſula cohærens. *Vir egenus amat lætitiam, diligens vinum, & oleum ad diuitias.* Virum egenum hîc appellat Salomon ſobrium, & paucis contentum, qui tantumdem olei, & vini ex iuſto quæſtu ſibi prouenire cupit, quantum ſatis eſt ad diuitias, hoc eſt, ad ſufficientiam (vt ſuprà dixi. Subiungit, *circũpurgatio autem iuſti iniquus.* Græcè περικάθαρμα, id eſt, apud iuſtum ſordet iniuſtus, qui per iniuriam opes cumulare ſatagit, id eſt, ſordibus, fæcibuſque plenus habetur, quiſquis contra ius, faſque diuitias cogere contendit. Ita enim ferè auaros ſordidos appellare conſueuimus, vt aliàs obſeruaui. Vel aliter περικάθαρμα, id eſt, *circumpurgatio iuſti iniquus*, id eſt, iuſtum, ac probum hominem iniuſtus, atque improbus illatis damnis, ab omni ſorde, ſi quam fortè humanitùs contraxit, eluit, ac purgat. Itaque illum planè æquitatis, & iuſtitiæ amatorem eſſe decernit Salomon, qui non ſolùm contra ius faſque nihil in alios agit, ſed etiam aliorum iniurias, & damna æquo animo tolerat, quia per hæc ſordes ipſius, ſi quæ ſunt, expiantur: ſordes autem appellat auaritiæ labes, ab his enim purus omninò, ac mundus eſt ille, qui non modò aliena contra ius non inuadit, ſed etiam propria bona ſibi ab iniuſto eripi æquanimiter perfert.

86. Cæterùm ſi de Vulgata lectione ſit ſermo, eius expoſitio mihi certè clarior videtur, quàm vt his adminiculis indigeat: ſic enim habet, *Pro iuſto datur impius: & pro recto iniquus.* Iteratio eſt, atque adeò roboratio eiuſdem ſententiæ, id eſt, Ad Dei prouidétiam ſpectat, vt impius, qui per fraudem iuſto crimen aliquod impoſuit, detecta fraude, talionem luat, & pro iuſto addicatur ſupplicio. Itaque Salomon (ni fallor) verbis fraudulentis accuſatoribus talionis pœnam minatur, futurum prædicens, vt retectis dolis, eiſdem ipſi pœnis ſubiaceant, quibus alios fraudulenter ſubiicere contenderunt. Atque hoc ſibi vult etiam lectio originalis, *Expiatio, aut redemptio iuſti impius*, id eſt, impio tradito, iuſtus à ſupplicio eripitur, ac redimitur. Sed enim talionis pœnam in falſos accuſatores leges humanæ iuſtè admodum ſtatuunt, quia eiuſdem ſupplicij vicarius eſſe meritò iubetur, qui inſontem reum peragens, ſibi ipſi reatum attraxit. Quomodo autem diuina vltio tunc maximè eluceſcat, cùm improbus accuſator talioni ſubiicitur, alibi docui ex Chryſoſtomo, & aliis Patribus.

---

19. *Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cùm muliere rixoſa, & iracunda.*

87. MElius eſt. Hebraïcè *quàm cum muliere contentionum, & iracundiæ.* Septuaginta. *Melius eſt habitare in deſerto, quàm cum muliere rixoſa, & linguaci, & iracunda.*

Sententia eſt perſpicua. Implacabilis vxoris mores taxantur. *Melius* (inquit Salomon) *eſt habitare in terra deſerta*, &c. Commemorare libet deſerti moleſtias, & cum his conferre eas, quas vxor contentioſa marito ſuo faceſſit. Primò igitur in deſerto ſolicitudo eſt ſocietatis humanæ expers: hanc ergo Salomon præfert coniugio, cùm vxor contigit rixoſa. Quaſi dicat præſtat ſolum eſſe, & ab humana ſocietate extorrem fieri, quàm ſociam vitæ habere vxorem implacabilem. Et quidem meritò, quia ſolitaria, & ſocietatis expers vita, etſi ſolatio mutui conuictus careat, turbarum certè nihil habet, pacata eſt, atque tranquilla: at vnica vxor immorigera totam vitam exturbat, & tranquillitatis, otiique locum nullum facit.

Rurſus qui deſertum ſolus incolit, cum feris certè, ac immanibus belluis vitam agit: apud leones vtique, tygrides, vrſos, ſerpentes, dracones, & reliqua id genus animantia degit. Nec melior eſt viri conditio, qui vxorem nactus eſt immorigeram: hæc enim leones, ac dracones vincit. Eccleſiaſt. vigeſimo quinto. *Commorari leoni, ac draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Audi Chryſoſtomum ad hæc verba in homilia decima quinta de variis in Mathæum locis. *Equidem* (inquit) *ego exiſtimo nullam eſſe in hoc mundo beſtiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone ſæuius? Sed nihil ad hanc. Aut in ſerpentibus quid dracone atrocius? ſed neque hoc quidem iuxta mulierem malam, & linguoſam conferri poteſt. Nam, & leo, & draco in malo inferiores ſunt. Adſtipulatur huic ſermoni meo Salomon dicens: Commorari leoni, & draconi melius eſt*, &c. Cæterum hæc verba non ſunt Salomonis, ſed Syrach, quemadmodum, & illa, quæ Salomoni etiam adſcribit Chryſoſtomus: *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* Subdit Chryſoſtomus. *Scio ego, & aſpides blandimentis incantantium mitigari, & leones, & tygres, & pardos domita feritate manſueſcere: non item mulier mala*, &c. Ex his ergo fit ſatius eſſe in deſerto cum feris degere, quàm domi cum muliere contentioſa agere: cùm conſtet illam immanitate ſua immaniſſimas quaſque feras vincere. Ad hunc modum licet alias ſolitudinis, & deſerti moleſtias colligere, & cum his conferre, quas vxor viro afferre ſolet. Pergo ad alia.

Eccleſ. 25.

Chryſoſt.

---

20. *Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti: imprudens homo diſſipabit illud.*

THeſaurus, &c. Hebraïcè. *in habitaculo ſapientis, & ſtultus homo deglutiet*, vel, *depaſcet eum.* Septuaginta. *Theſaurus deſiderabilis requieſcet ſuper os ſapientis: imprudentes autem viri deuorabunt illum.* Chald. *Argentum deſiderabile, & oleum in habitaculo iuſti*, &c. 89.

Ex Hebræis non nemo priora illa verba, *Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti*, vel, *ſapientis*, ſic edixerit: propterea ſapiens multa deniq; theſaurizat bona, vt ea poſteris relinquat, quia olei etiam plurimum recondit in vigilias, & lucubrationes, quæ ad ſapientiam parandam pernecceſſariæ ſunt. Vnde rogatus quiſpiam quamobrem plus ſaperet, quàm vicini, ac ſocij, occurrit ſic. *Quia ex oleo maiorem ipſe quæſtum feci quàm vicini mei ex vino.* Sententia habetur apud Stobæum.

Cæterum hæc acutè potius, quàm ſolidè dicuntur: ſenſus enim Parabolæ eſt luculentus. *Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti.* Nomine olei 90.

plei non vnguenta (vt quidam volunt) sed vel oleum ipsum, vel in vniuersum, pinguia quæque ad annonam, & victum intelligo, hac ratione. Vir sapiens, vel (quod idem est) vir iustus pecunias thesaurizat ex iustis lucris, & annonam etiam ex iustis prouentibus recondit; hæc enim est non minima prouidentię pars: ait imprudens, hoc est, improuidus homo, *dissipabit illud*, aut *deuorabit*, id est, actutum omnia insumet, nec futuris necessitatibus prospiciet. Itaque sobriam quandam, & minimè auaram bonorum asseruationem ad honestam prudentis hominis prouidentiam refert Salomon, & nimium effusos sumptus taxat, atque imprudentiæ vertit.

91. Potest etiam aliter locus iste exponi, ita vt per oleum misericordiam capiamus (vt passim alibi in scriptura) sensusque sit. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.* Quasi dicat, hæc duo simul in iusti hominis domo visere licet, thesaurum ingentem hoc est, amplas, & inexhaustas opes; & oleum, id est, effusam misericordiam, vtraque enim inter se apprimè cohærent: nam largior misericordiæ vsus piorum hominum fortunas cumulare solet (de qua thesi sæpè aliàs diximus.) Subdit Salomon, *Imprudens homo dissipabit illud:* quia videlicet auarè recondens, ac piis largitionibus parcens, ocyus consumit, ac perdit. Originalis lectio emphasim habet, *Imprudens homo depascet illud.* Pende (si libet) verbum *depascet*, & auari, ac misericordis discrimen: hic certè sibi multa sumens, & aliis plura impendens, res suas nihilominus non exhaurit: ille verò solus omnia deuorat, & consumit. Rationem ex ipsa pascentium animalium natura petere licet. Quia inter dentes, osque misericordis, & auari hoc interesse puto, quod inter dentes, oraque animantium: nam mitia quædam animantia, omnia videlicet lanigera, dentes innoxios habent; atque adeò cum gramina attingunt, & demetunt, iterum rediuiua instaurantur, & repullulant: alia verò magis effera venenatos dentes habent, adeò vt quidquid graminum, aut herbarum attigerint, & demorderint, id statim enecent, ne iterum nouo partu regerminet. Igitur viri misericordis dentes mitissimarum pecudum innoxios dentes imitantur: quidquid depascuntur, & in suos, pauperumque vsus insumunt, id ex radice viua iterum germinat, atque adeò nunquam deficit. Auarus autem virulento præditus dente, immites belluas imitatur, atque adeò quidquid depascitur, deuoratque, id statim tabescit, & enectis radicibus arescit. Aliud etiam inter eum, qui ea misericordia bona largitur, & eum, qui fortunas suas prophanis sumptibus profundit, discrimen obseruare licet. Misericors (inquit) pauperibus suorum bonorum copiam facit: prodigus parasitis, scurris, meretricibus, & eiusmodi aliis. Sed quid inde? Quidquid pauperes Dei carpunt, id denuò reparatur: quidquid verò adulatores, parasiti, scurræ, & meretrices attingunt, non ampliùs germinat. Quorsum hæc? Nouimus quidem agricolas segetum adhuc in herbis luxurantium immodicum vitium immissis ouibus castigare, & cohibere solitos. Plin. Meminit Plinius libro decimo octauo, capite decimo septimo: *Luxuria* (inquit) *segetum castigatur dente pecoris, in herba duntaxat, & depasta sæpius nullam in spica iniuriā sentiunt.* Lege Theophrast. libro octauo, terque enim ab ouibus duntaxat, aliisque lanigeris eiusmodi agrorum luxuriem depascendam esse docet, & caprinum, bouinum, equinum, aliorumque eiusmodi animantium dentem tanquam noxium, & venenatum taxat. Dicemus ergo viros misericordes, tanquam peritos agricolas, suarum facultatum luxuriem, nimiam scilicet affluentiam, ouibus, hoc est, pauperibus depascendam, castigandamque offerre: atque adeò inde A fieri, vt eorum fortunæ ad eum modum depastæ fœliciùs proueniant. Contrà verò profusos decoctores capris, bobus, equis, hoc est, parasitis, adulatoribus, pellicibus, aliisque similibus opes suas deuorandas, & liguriendas tradere, qui ipsarum radices virulentis dentibus inficiunt, & exsiccant.

92. De lectione Septuaginta aliud iudicium ferendum est, quæ sic habet. *Thesaurus desiderabilis quiescit super os sapientis: imprudentes autem viri deuorabunt illum.* Videntur autem Septuaginta textus Hebraïci verba omisisse, & sensum tenuisse: nam cùm pro thesauro subsit אוצר *Othar*, quæ vox *absconditum quid*, & in abdito loco repositum sonat, ad secreti mysterij asseruationem retulerunt. Itaque sensus est, B In ore viri sapientis multa sunt arcana, & thesauri in modum in tuto reposita: viri autem imprudentes nihil cohibent, sed si quid illis secreti commissum est, actutum effundunt. Id sibi vult illud, *deuorabunt illum*, id est, dissipabunt, diffamabunt: nam thesaurum deuorare perinde est, atque illum dissipare, & insumere: secretum autem viro sapienti commissum, haud ineptè thesaurus dicitur: est enim thesaurus iuxta legum decreta, *Vetus depositio pecuniæ, cuius nulla extat memoria.* Rursus thesauris asseruandis præfici olim solebant dracones, & serpentes (vt sæpe obseruari) serpens verò prudentiam adumbrat; secretumque, seu arcanum nil aliud esse dixerim, nisi veterem rei, aut sermonis commissi depositionem in C animo viri sapientis, cuius (si fieri possit) ne memoria quidem subsit: hæc enim os ipsum assiduò ad dicendum stimulare solet. Hic autem thesaurus secreti tutus esse non potest, nisi illi serpentis ad instar prudentia incubet. Propterea subdit Salomon, *imprudentes autem deuorabunt illum*, id est, qui prudentia carent, illum commissi mysterij thesaurum dissipabunt, profundent.

93. Potest etiam translatio Septuaginta alio sensu donari, hoc modo: *Thesaurus desiderabilis requiescet super os sapientis*, id est, pretiosa, & inexhausta doctrinæ affluentia in ore illius sita est ad erudiendos, commonendosque ignorantes: cæterum imprudentes viri *deuorabunt illum*, id est, postquam omnia illius præ- D cepta, omnemque doctrinam exhauserint, nihil addiscent, aut proficient. Id sibi volunt illa verba, *deuorabunt illum*, id est, sine profectu, atque vsu aliquo insument. Obserua etiam doctrinam in ore sapientis thesaurum meritò appellari: est enim thesaurus peruetus depositio pecuniæ, &c. vt constet non alios ad docendum idoneos esse, nisi illos, qui veterem, & ex longo tempore collectam sapientiam, & doctrinam ad hoc munus afferunt: nam noui quidam, subiti, & extemporarij sapientes, ad alios erudiendos perquàm inepti sunt. Lege Nazian. orat 3. Apolog. contra Iulianum.

E 21. *Qui sequitur iustitiam, & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam.*

QVI sequitur, &c. Hebræa non dissonant. Septuag. *Via iustitiæ, & misericordiæ inueniet vitam, & gloriam.* Aquila, Symmachus & Theodot. conueniunt cum Vulgatis. Chald. etiam non abludit.

94. Sententia hæc interpretatione non indiget. Succedant memoriæ ea, quæ sæpiùs diximus, scilicet iustitiam, & misericordiam, seu gratiam, quoties simul coeunt, hanc vim habere, vt iustitia in debitis referendis, misericordia verò in gratuitis donandis sita sit. Nam quod alij dicunt, omnem in vniuersum virtutem,

virtutem, tam quæ erga Deum, quàm quæ erga homines versatur, his nominibus notari, neque huic, neque aliis plerisque locis sine vi aptari potest. Sensus igitur huius loci est luculentus. *Qui sequitur iustitiam, & misericordiam,* &c. Plerique ex Hebræo sic efferunt, *Qui persequitur iustitiam,* &c. Et quidem Salomon perseuerantiam, & constantiam suadere videtur, quasi dicat. Qui non solùm odit, sed etiam vrget, insequitur, imo, & persequitur ad finem vsque iustitiæ, & misericordiæ vias, is quidem ad ea præmia deueniet tandem, ad quæ istiusmodi viæ ducunt: hæc sunt vita, iustitia, & gloria. Hoc sibi vult translatio Septuaginta. *Via iustitiæ, & misericordiæ inueniet vitam, & gloriam.* Inter vias regias, & eas, quas iurisperiti vicinales vocant, hoc interest, quod illæ nullibi sistunt, ac pereunt, sed viatorem rectà in vrbem, aut oppidum ferunt: hæ verò vel in regias tandem desinunt, aut si ab his discedant, non longo interuallo pereunt: ideò à quibusdam non insulsè, *via mortuæ* dicuntur. Ergo iustitiæ, atque misericordiæ via regia est, & basilica in cœlum: qui huic viæ se, ac sua omnia committit, ipsa illum in cœlestem Solymam regit. Reliquæ autem viæ, aut rationes viuendi, quæ post quæstus, & lucra pergunt, aut in illam misericordiæ, aut iustitiæ viam decurrant necesse est, aut aliter viæ mortuæ sunt, & pereunt, quia perituras res sectantur, & hominem ocyus ad intentum perferunt.

95. *Inueniet* (inquit Salomon) *viam, & iustitiam & gloriam:* hi sunt viæ illius basilicæ fines, *vita* diuturnior, seu longæuitas, hæc autem præmij pars ad hanc vitam (me iudice) spectat *iustitiæ*, aliqui ad iudicium diuinum hanc vocem referunt, vt sensus sit: debitam sibi ex iustitia suorum meritorum retributionẽ apud Deum nanciscetur. Non reluctor. Cæterùm nescio an aptiùs hæc etiam vox de humana iustitia capiatur, hoc modo, *Inueniet iustitiam*, id est, æquitatis suæ merito id obtinebit, vt nemo contra ius fasque aliquid in ipsum agat. Ad hæc *inueniet gloriam*. Plerique interpretes de gloria æternæ beatitudinis hæc accipiunt: sed vide an etiam ad externam, & temporalem gloriam hoc etiam spectet, id est, honorem, & communem apud homines æstimationem sibi parabit.

22. *Ciuitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiduciæ eius.*

96. CIuitatem, &c. Hebraïcè, *Et descendere faciet robur fiduciæ eius.* Chaldæus concinit cum nostra. Septuaginta. *Ciuitates munitas ingressus est sapiens, & diruit munitionem, in qua confidebant impij.* D. Hieronym. in cap. 5. Amos. *Ciuitates robustas ascendit,* &c. & in c. 33. Ezech. *Ciuitates firmas ascendit iustus.* Aquila, Symmach. & Theodot. cohærent cum Vulgatis.

Salomonis scopus idem est apud omnes interpretes: sed tamen scopum istum alij aliter collimant. Sapientiam cum robore componit, & sapientiæ palmã addicit. *Ciuitatem fortium ascendit sapiens.* Verbum illud *ascendit*, non eodem modo expendunt interpretes. Rodolphus, & Iansenius ad vim referunt, ac si dicerent, impetu facto inuasit, atque expugnauit. Cæterùm si verbum illud ad vim spectare dicamus, sermo vtique erit de sapiente admodum, ac strenuo duce, qui paruam fortassis militum manum apud se numerans, astu, & stratagematis vrbem ingreditur, & in ditionem suam transfert. Quantùm verò scientia, peritia, & vsus rei bellicæ, robori, & lacertis præstet, multis probat Vegetius de re milit. lib. 1. cap. 1. Veget.

A Sunt etiam, qui sapientiam hîc non ad artem militarem referant, sed ad religionem, & pietatem: quasi dicat: *Ciuitatem fortium ascendit sapiens,* id est, sæpè accidit, vti dux aliquis pietate potiùs, quàm robore instructus, fiduciam suam in Deum conferens, fortissimis viris pulsis, vrbem capiat, & sibi subiiciat. Fauet huic expositioni translatio Hieronymi. *Ciuitates firmas ascendit iustus,* &c. Sed quantum ad bella conficienda religio, & pietas valeat, non insulsè docet Tullius in prima contra Rullum. (Cicero.) *Quam volumus* (inquit) *Patres conscripti, ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique huius gentis, ac terræ domestico, natiuoque sensu, Italos ipsos, ac Latinos: sed pie-* B *tate, ac religione, atque hac vna sapientia (quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus) omnes gentes, nationesque superauimus.* Hæc ille. Hinc nata illa apud Romanos familiaris politio: *Pro aris, atque focis pugnare:* sed hæc de falsa religione. Sanè vera religio Machabæos imbelles armauit, & exiguam eorum manum contra innumerabiles hostium copias audacem simul, & victricem fecit.

Cæterùm licet hæc appositè dici queant: tamen reor in hoc loco non ducem aliquem rei militaris peritum, vel religione, pietateque insignem, sed doctum sapientemque legatum, aut oratorem commẽdari, qui non bellando, sed suadendo fortissimos vi- 97.
C ros ad deditionem inducat. Itaque sensus erit: *Ciuitatem fortium ascendit sapiens,* &c. id est, sæpè accidit, vt eam vrbem, quam confertissimæ militum phalanges, & cunei debellare, & subiugare non potuerunt, vnus aliquis legatus, aut orator eruditus ipsam adiens suis persuasionibus ad deditionem compellat: ita vt fortissimi viri, qui olim belli, & armorum vim facilè fregerant, & repulerant, vnius viri oratione exarmati cedant, & arma deponant. Itaque (ni fallor) Salomonis mens est eruditæ orationis potentiam exprimere, quæ tanta est, vt quoduis aliud robur facilè infringat, & vim retundat. De hac re elegantissimè cecinit Poëta lib. 7. Æneid. ad sedatam tempestatem similitudinem deriuans.

D *Ac veluti magno in populo cum sæpè coorta est*
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus, Virgil.
Iamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate grauẽ, ac meritis, si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet, &c.

Et Tullius lib. 1. de Oratore, eloquentiæ laudes cogens, inter alia sic habet. (Cicero.) *Quid tam potens, tamque magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, senatusque grauitatem vnius oratione conuerti? Quid tam porrò regium, tam liberale, tamque magnificum quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitatibus? Quid autem tam necessarium, quàm tenere semper arma, quibus* E *vel tectus ipse esse possis,* &c. Ad hæc idem Tullius in Salust. *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ: qui togatus armatos, & pace bellum oppressi, audes mihi eloquentiam vt vitium obiicere?* Et lib. 1. de arte Rhetor. *Eloquentia multæ vrbes sunt constitutæ, & plurima bella restincta.* Mitto alia.

23. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.*

OS custodit, &c. Hæbræa non dissonant. Sept. 98.
Qui custodit os suum, & linguam, custodit de tribulatione animam suam. Pro angustiis subest מצרות *Mitsaroth*, ex radice צרר *Tsarar*, significat ligare,

olei non vnguenta (vt quidam volunt) sed vel oleum ipsum, vel in vniuersum, pinguia quæque ad annonam, & victum intelligo, hac ratione. Vir sapiens, vel (quod idem est) vir iustus pecunias thesaurizat ex iustis lucris, & annonam etiam ex iustis prouentibus recondit; hæc enim est non minima prouidentię pars: ait imprudens, hoc est, improuidus homo, *dissipabit illud*, aut *deuorabit*, id est, actutum omnia insumet, nec futuris necessitatibus prospiciet. Itaque sobriam quandam, & minimè auaram bonorum asseruationem ad honestam prudentis hominis prouidentiam refert Salomon, & nimium effusos sumptus taxat, atque imprudentiæ vertit.

91. Potest etiam aliter locus iste exponi, ita vt per oleum misericordiam capiamus (vt passim alibi in scriptura) sensusque sit. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.* Quasi dicat, hæc duo simul in iusti hominis domo visere licet, thesaurum ingentem hoc est, amplas, & inexhaustas opes; & oleum, id est, effusam misericordiam, vtraque enim inter se apprimè cohærent: nam largior misericordiæ vsus piorum hominum fortunas cumulare solet (de qua thesi sæpè aliàs diximus.) Subdit Salomon, *Imprudens homo dissipabit illud:* quia videlicet auarè recondens, ac piis largitionibus parcens, ocyus consumit, ac perdit. Originalis lectio emphasim habet, *Imprudens homo depascet illud.* Pende (si libet) verbum *depascet*, & auari, ac misericordis discrimen: hic certè sibi multa sumens, & aliis plura impendens, res suas nihilominus non exhaurit: ille verò solus omnia deuorat, & consumit. Rationem ex ipsa pascentium animalium natura petere licet. Quia inter dentes, osque misericordis, & auari hoc interesse puto, quod inter dentes, oraque animantium: nam mitia quædam animantia, omnia videlicet lanigera, dentes innoxios habent; atque adeò cum gramina attingunt, & demetunt, iterum rediuiua instaurantur, & repullulant: alia verò magis effera venenatos dentes habent, adeò vt quidquid graminum, aut herbarum attigerint, & demorderint, id statim enecent, ne iterum nouo partu regerminet. Igitur viri misericordis dentes mitissimarum pecudum innoxios dentes imitantur: quidquid depascuntur, & in suos, pauperumque vsus insumunt, id ex radice viua iterum germinat, atque adeò nunquam deficit. Auarus autem virulento præditus dente, immites belluas imitatur, atque adeò quidquid depascitur, deuoratque, id statim tabescit, & enectis radicibus arescit. Aliud etiam inter eum, qui ea misericordia bona largitur, & eum, qui fortunas suas prophanis sumptibus profundit, discrimen obseruare licet. Misericors (inquit) pauperibus suorum bonorum copiam facit: prodigus parasitis, scurris, meretricibus, & eiusmodi aliis. Sed quid inde? Quidquid pauperes Dei carpunt, id denuò reparatur: quidquid verò adulatores, parasiti, scurræ, & meretrices attingunt, non ampliùs germinat. Quorsum hæc? Nouimus quidem agricolas segetum adhuc in herbis luxurantium immodicum vitium immissis ouibus castigare, & cohibere solitos. Meminit
Plin. Plinius libro decimo octauo, capite decimo septimo: *Luxuria* (inquit) *segetum castigatur dente pecoris, in herba duntaxat, & depasta sæpius nullam in spica iniuriā sentiunt.* Lege Theophrast. libro octauo, terque enim ab ouibus duntaxat, aliisque lanigeris eiusmodi agrorum luxuriem depascendam esse docet, & caprinum, bouinum, equinum, aliorumque eiusmodi animantium dentem tanquam noxium, & venenatum taxat. Dicemus ergo viros misericordes, tanquam peritos agricolas, suarum facultatum luxuriem, nimiam scilicet affluentiam, ouibus, hoc est, pauperibus depascendam, castigandamque offerre: atque adeò inde fieri, vt eorum fortunæ ad eum modum depastæ fœliciùs proueniant. Contrà verò profusos decoctores capris, bobus, equis, hoc est, parasitis, adulatoribus, pellicibus, aliisque similibus opes suas deuorandas, & liguriendas tradere, qui ipsarum radices virulentis dentibus inficiunt, & exsiccant.

De lectione Septuaginta aliud iudicium ferendum 92.
est, quæ sic habet. *Thesaurus desiderabilis quiescit super os sapientis: imprudentes autem viri deuorabunt illum.* Videntur autem Septuaginta textus Hebraïci verba omisisse, & sensum tenuisse: nam cùm pro thesauro subsit אוצר *Othar*, quæ vox *absconditum quid*, & in abdito loco repositum sonat, ad secreti mysterij asseruationem retulerunt. Itaque sensus est, In ore viri sapientis multa sunt arcana, & thesauri in modum in tuto reposita: viri autem imprudentes nihil cohibent, sed si quid illis secreti commissum est, actutum effundunt. Id sibi vult illud, *deuorabunt illum*, id est, dissipabunt, diffamabunt: nam thesaurum deuorare perinde est, atque illum dissipare, & insumere: secretum autem viro sapienti commissum, haud ineptè thesaurus dicitur: est enim thesaurus iuxta legum decreta, *Vetus depositio pecuniæ, cuius nulla extat memoria.* Rursus thesauris asseruandis præfici olim solebant dracones, & serpentes (vt sæpe obseruari) serpens verò prudentiam adumbrat; secretumque, seu arcanum nil aliud esse dixerim, nisi veterem rei, aut sermonis commissi depositionem in animo viri sapientis, cuius (si fieri possit) ne memoria quidem subsit: hæc enim os ipsum assiduò ad dicendum stimulare solet. Hic autem thesaurus secreti tutus esse non potest, nisi illi serpentis ad instar prudentia incubet. Propterea subdit Salomon, *imprudentes autem deuorabunt illum*, id est, qui prudentia carent, illum commissi mysterij thesaurum dissipabunt, profundent.

Potest etiam translatio Septuaginta alio sensu do- 93.
nari, hoc modo: *Thesaurus desiderabilis requiescet super os sapientis*, id est, pretiosa, & inexhausta doctrinæ affluentia in ore illius sita est ad erudiendos, commonendosque ignorantes: cæterum imprudentes viri *deuorabunt illum*, id est, postquam omnia illius præcepta, omnemque doctrinam exhauserint, nihil addiscent, aut proficient. Id sibi volunt illa verba, *deuorabunt illum*, id est, sine profectu, atque vsu aliquo insument. Obserua etiam doctrinam in ore sapientis thesaurum meritò appellari: est enim thesaurus peruetus depositio pecuniæ, &c. vt constet non alios ad docendum idoneos esse, nisi illos, qui veterem, & ex longo tempore collectam sapientiam, & doctrinam ad hoc munus afferunt: nam noui quidam, subiti, & extemporarij sapientes, ad alios erudiendos perquàm inepti sunt. Lege Nazian. orat 3. Apolog. contra Iulianum.

---

21. *Qui sequitur iustitiam, & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam.*

VI sequitur, &c. Hebræa non dissonant. Septuag. *Via iustitiæ, & misericordiæ inueniet vitam, & gloriam.* Aquila, Symmachus & Theodot. conueniunt cum Vulgatis. Chald. etiam non abludit.

Sententia hæc interpretatione non indiget. Succe- 94.
dant memoriæ ea, quæ sæpiùs diximus, scilicet iustitiam, & misericordiam, seu gratiam, quoties simul coeunt, hanc vim habere, vt iustitia in debitis referendis, misericordia verò in gratuitis donandis sita sit. Nam quod alij dicunt, omnem in vniuersum virtutem,

virtutem,tam quæ erga Deum, quàm quæ ergà homines verſatur, his nominibus notari, neque huic, neque aliis pleriſque locis ſine vi aptari poteſt. Senſus igitur huius loci eſt luculentus. *Qui ſequitur iuſtitiam, & miſericordiam,* &c. Plerique ex Hebræo ſic efferunt, *Qui perſequitur iuſtitiam,* &c. Et quidem Salomon perſeuerantiam, & conſtantiam ſuadere videtur, quaſi dicat. Qui non ſolùm odit, ſed etiam vrget, inſequitur, imo, & perſequitur ad finem vſque iuſtitiæ, & miſericordiæ vias, is quidem ad ea præmia deueniet tandem, ad quæ iſtiuſmodi viæ ducunt: hæ ſunt vita, iuſtitia, & gloria. Hoc ſibi vult tranſlatio Septuaginta. *Via iuſtitiæ, & miſericordiæ inueniet vitam, & gloriam.* Inter vias regias, & eas, quas iuriſperiti vicinales vocant, hoc intereſt, quod illæ nullibi ſiſtunt, ac pereunt, ſed viatorem rectà in vrbem, aut oppidum ferunt: hæ verò vel in regias tandem deſinunt, aut ſi ab his diſcedant, non longo interuallo pereunt: ideò à quibuſdam non inſulsè, *via mortua* dicuntur. Ergo iuſtitiæ, atque miſericordiæ via regia eſt, & baſilica in cœlum: qui huic viæ ſe, ac ſua omnia committit, ipſa illum in cœleſtem Solymam regit. Reliquæ autem viæ, aut rationes viuendi, quæ poſt quæſtus, & lucra pergunt, aut in illam miſericordiæ, aut iuſtitiæ viam decurrant neceſſe eſt, aut aliter viæ mortuæ ſunt, & pereunt, quia perituras res ſectantur, & hominem ocyus ad intentum perferunt.

95. *Inueniet* (inquit Salomon) *viam, & iuſtitiam & gloriam:* hi ſunt viæ illius baſilicæ fines, *vita* diuturnior, ſeu longæuitas, hæc autem præmij pars ad hanc vitam (me iudice) ſpectat *iuſtitia*, aliqui ad iudicium diuinum hanc vocem referunt, vt ſenſus ſit: debitam ſibi ex iuſtitia ſuorum meritorum retributionē apud Deum nanciſcetur. Non reluctor. Cæterùm neſcio an aptiùs hæc etiam vox de humana iuſtitia capiatur, hoc modo, *Inueniet iuſtitiam*, id eſt, æquitatis ſuæ merito id obtinebit, vt nemo contra ius faſque aliquid in ipſum agat. Ad hæc *inueniet gloriam*. Plerique interpretes de gloria æternæ beatitudinis hæc accipiunt: ſed vide an etiam ad externam, & temporalem gloriam hoc etiam ſpectet, id eſt, honorem, & communem apud homines æſtimationem ſibi parabit.

22. *Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruxi: robur fiduciæ eius.*

96. *Ciuitatem*, &c. Hebraïcè, *Et deſcendere faciet robur fiduciæ eius.* Chaldæus concinit cum noſtra. Septuaginta. *Ciuitates munitas ingreſſus eſt ſapiens, & diruit munitionem, in qua confidebant impij.* D. Hieronym. in cap. 5. Amos. *Ciuitates robuſtas aſcendit,* &c. & in c. 33. Ezech. *Ciuitates firmas aſcendit iuſtus.* Aquila, Symmach. & Theodot. cohærent cum Vulgatis.

Salomonis ſcopus idem eſt apud omnes interpretes: ſed tamen ſcopum iſtum alij aliter collimant. Sapientiam cum robore componit, & ſapientiæ palmā addicit. *Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens.* Verbum illud *aſcendit*, non eodem modo expendunt interpretes. Rodolphus, & Ianſenius ad vim referunt, ac ſi dicerent, impetu facto inuaſit, atque expugnauit. Cæterùm ſi verbum illud ad vim ſpectare dicamus, ſermo vtique erit de ſapiente admodum, ac ſtrenuo duce, qui paruam fortaſſis militum manum apud ſe numerans, aſtu, & ſtratagematis vrbem ingreditur, & in ditionem ſuam tranſfert. Quantùm verò ſcientia, peritia, & vſus rei bellicæ, robori, & lacertis præſtet, multis probat Vegetius de re milit. lib. 1. cap. 1. Veget.

A Sunt etiam, qui ſapientiam hîc non ad artem militarem referant, ſed ad religionem, & pietatem: quaſi dicat: *Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens,* id eſt, ſæpè accidit, vti dux aliquis pietate potiùs, quàm robore inſtructus, fiduciam ſuam in Deum conferens, fortiſſimis viris pulſis, vrbem capiat, & ſibi ſubiiciat. Fauet huic expoſitioni tranſlatio Hieronymi. *Ciuitates firmas aſcendit iuſtus,* &c. Sed quantum ad bella conficienda religio, & pietas valeat, non inſulsè docet Tullius in prima contra Rullum. *Quam volumus* (inquit) *Patres conſcripti, ipſi nos amemus, tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique huius gentis, ac terræ domeſtico, natiuoque ſenſu, Italos ipſos, ac Latinos: ſed pietate, ac religione, atque hac vna ſapientia (quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perſpeximus) omnes gentes, nationeſque ſuperauimus.* Hæc ille. Hinc nata illa apud Romanos familiaris poſitio: *Pro aris, atque focis pugnare:* ſed hæc de falſa religione. Sanè vera religio Machabæos imbelles armauit, & exiguam eorum manum contra innumerabiles hoſtium copias audacem ſimul, & victricem fecit. Cicero.

97. Cæterùm licet hæc appoſitè dici queant: tamen reor in hoc loco non ducem aliquem rei militaris peritum, vel religione, pietateque inſignem, ſed doctum ſapientemque legatum, aut oratorem commēdari, qui non bellando, ſed ſuadendo fortiſſimos viros ad deditionem inducat. Itaque ſenſus erit: *Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens,* &c. id eſt, ſæpè accidit, vt eam vrbem, quam confertiſſimæ militum phalanges, & cunei debellare, & ſubiugare non potuerunt, vnus aliquis legatus, aut orator eruditus ipſam adiens ſuis perſuaſionibus ad deditionem compellat: ita vt fortiſſimi viri, qui olim belli, & armorum vim facilè fregerant, & repulerant, vnius viri oratione exarmati cedant, & arma deponant. Itaque (ni fallor) Salomonis mens eſt eruditæ orationis potentiam exprimere, quæ tanta eſt, vt quoduis aliud robur facilè infringat, & vim retundat. De hac re elegantiſſimè cecinit Poëta lib. 7. Æneid. ad ſedatam tempeſtatem ſimilitudinem deriuans.

Ac veluti imago in populo cum ſæpè coorta eſt Virgil.
Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate grauē, ac meritis, ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet, &c.

Et Tullius lib. 1. de Oratore, eloquentiæ laudes cogens, inter alia ſic habet. *Quid tam potens, tamque magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, ſenatuſque grauitatem vnius oratione conuerti? Quid tam porrò regium, tam liberale, tamque magnificum quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitatibus? Quid autem tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis,* &c. Ad hæc idem Tullius in Saluſt. *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ: qui togatus armatos, & pace bellum oppreſſi, audes mihi eloquentiam vt vitium obiicere?* Et lib. 1. de arte Rhetor. *Eloquentia multæ vrbes ſunt conſtitutæ, & plurima bella reſtincta.* Mitto alia. Cicero.

23. *Qui cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.*

98. *Qui cuſtodit,* &c. Hæbræa non diſſonant. Sept. *Qui cuſtodit os ſuum, & linguam, cuſtodit de tribulatione animam ſuam.* Pro anguſtiis ſubeſt מצרות *Mitſaroth*, ex radice צרר *Tſarar*, ſignificat ligare,

ligare, arctare, constringere, premere. Itaque alij habent: *custodit à pressuris.* Alij *torturis.* Ac demùm alij *de angustiis*, & nixu parturientium fœminarum verbum illud captandum esse dicunt.

Sonus verborum est perspicuus. Suadet Salomon linguæ, & oris custodiam. *Qui custodit os suum, & linguam suam*, &c. Os linguamque simul adscripsit (ait Caietanus) vt non verbis solùm, sed etiam nutibus parcendum esse diceret: sumit autem Caietanus *os* pro facie, cuius gestibus, atque nutibus colloqui non insolens hominibus est. Sed tamen hæc distinctio oris, ac linguæ, futilis videtur: propterea enim Salomon os, & linguam adiunxit, quia ore, atque lingua verba efformantur, quorum licentiam hac sententia coërcere vult. Itaque sensus est. *Qui custodit os suum*, ne verba temerè effutiat, animam suam ab innumeris vendicat molestiis, angoribus, & pressuris, quæ ex verbis temerè depromptis homini accidere solent.

99. Hanc verò sententiam sic in vniuersum acceptam aliqui speciatim de arcanis seruandis explicant, ad hunc modum. *Qui custodit os suum, & linguam suam*, id est, qui os suum, atque linguam accuratè obsignat, ne commissum sibi ministerium effundat. *custodit ab angustiis animam suam*, hoc est, plurimis illam eripit molestiis, & angoribus. Si autem hæc expositio non displiceat, crediderim Salomoni sermonem esse de illo, qui secretum sibi traditum celare seriò apud se statuit, differtque omnino ab eo, qui, vbi aliquid audiuit, aut nouit, totus quodammodo ad promendum animi sensum gliscit. Quem alibi cum muliere parturiente contulit Ecclesiast. cap. 19. *A facie* (inquit) *verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis*, id est, vir fatuus vbi verbum aliquod audiuit, ac mente concepit, non potest diutiùs continere: sed sicut mulier, instante partu, grauissimis doloribus tamdiu cruciatur, donec fœtum in lucem edat: sic etiam stultus tamdiu dolet, ac premitur, donec acceptum mysterium in palam det: ipse enim se quodammodo vrget, stimulat, premit. Itaque illud, *custodit ab angustiis animam suam*, perinde est ac si dicat: liberatur quidem ab his angustiis, ac doloribus, quos illi experiuntur, qui tradita sibi mysteria celare non possunt. Neque solùm istiusmodi dolores reuelandi secreta imitantur parturientium mulierum nixum, sed etiam tormenta, seu torturas, quas sontes in quæstionibus pati coguntur. Nam (liceat sic dicere) ipse stultus semetipsum quodammodo in equuleum agit, ac funibus, neruisque reductis, ad referandam, promendamque rem occultam vrget. Hinc Plutarchus in Moral contra reuelatorem mysterij sic scribit. *Totus translucet, totus effluit, & nullo cogi se, veluti si quæstione interrogatus esset; arcana omnia manifestat.* Quapropter appositè admodum Salomon secundùm alteram ex suprà adscriptis lectionibus, *Qui custodit os suum*, &c. *custodit à torturis animam suam*: scilicet ab his torturis, quibus semetipsum ipse vrget, ac cruciat.

Eccles. 19.

Plutarch.

100. Secunda interpretatio ad eos in vniuersum spectat, qui nihil temerè, & inconsultè dicunt: eosque pungit, qui absque delectu, quidquid in buccam venerit, loquuntur. Sed tamen illa verba, *custodit ab angustiis animam suam*, non vno modo interpretatur: Nam plures per eiusmodi angustias, eam molestiam, seu pœnitudinem accipiunt, quæ loquacibus euenire solet ex his, quæ temerè iactarunt. Hanc verò molestiam cum fœminæ parientis dolore, quem vox primitiua, *gemere*, significat, haud insulsè conferre licet. Nam vt ait Lucius Apuleius in lib. de dogm. Platonis. *Qui sunt leues, futiles, & importuni loquutores, quique verbis humidis, & lapsantibus destuunt, eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, & non in pectore.* Itaque verba nonnumquam ex ore, aliquando etiam ex pectore velut fœtum quẽdam nasci docet Apuleius: quam sententiam libauit ipse ex Platone, & ab vtroque alij atque alij hauserunt. Sed in his Ægidius Diaconus in lib. de Reg. Princ. sic addit. *Quoties oratio in lingua solùm nascitur, pectus subito conceptam magno nixu pœnitentiam parit.* Id est. Quoties sermo incautè promitur, is certè in lingua propterea dicitur nasci, quia velut inscia mente depromitur, cùm verò lingua ad eum modum verba protulit, mens, seu animus, pœnitudinem ingenti dolore tanquam ex aborsu parturit: solent enim fœminæ ex vehementi aliquo sonitu dissolui, & aborsum pati. Sic etiam dicemus animam, lingua temerè, & inconditè sonante, ad eundem morsum per aborsum pœnitudinem prædictam eniti. Salomó ergo sic ait, *Qui linguam suam, & os custodit*, hic sanè *custodit ab angustiis animam suam*, id est, ab his doloribus eam vendicat, quos molestissimus pœnitudinis aborsus afferre solet. Possumus etiam ad hanc sententiam aliam illius vocis *Mitsaroth*, significationem allicere pro cruciatu, quem in equuleo adstrictis funibus sontes perpeti solent: vt sit sensus. Is, cuius lingua nullius criminis area est, *custodit ab angustiis animam suam*, id est, ab ea, quæ ex temerè dictis euenire solet pœnitentia, animam suam immunem reddit: hæc enim pœnitudo sæui ad instar carnificis animam quodammodo in equuleum agit, & sui erroris lapsusque confessionem ab illa extorquet: cumque in aliis quæstionibus culpæ confessio cruciatum definiat, non ita in hoc animi tormento: nam post culpæ cognitionem, & confessionem arctiùs animam constringit, & seueriùs illam cruciat.

Apuleius.

Ægi. Dia.

101. Rursus alij per angustias animi in hoc loco alias molestias accipiunt, quæ ex verbis temerè, & inconsideratè depromptis accidere solent: hæ sunt lites, iniuriarum actiones, & alia eiusmodi, quæ læsi in contumeliosos intentant; his enim animus non parum angi, & cruciari solet. Demum alij ad conscientiæ interiores angores, & morsus referunt: nam cùm ferè intemperans, & infrænata lingua multa peccet, mẽs vtique rea in angustias, & mœrores quamplurimos coniicitur, à quibus sese eripit, quisquis linguæ, ac ori suo custodiam adhibet. Conscientiæ autem intimæ angustias, & terrores parientium, quos vox illa *Mitsaroth*, germanè significat, imitari quis neget? Habes hoc apud Isaïam cap. 26. *Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum*, &c. Extrema autem verba sic conuertunt Septuaginta. *Propter timorem tuum Domine in vtero accepimus, & doluimus, & peperimus spiritum salutis.* Quæ verba de timore illo, qui mentem criminis consciam concutere solet, exponit Hieronymus: hic enim futuræ salutis partum ciet, & animam non sine ingenti dolore, ac nixu, ad probitatem, & vitam cum ratione conformem pariendam compellit. Quemadmodum enim accidere solet in grauidis fœminis, vt subito aliquo terrore, soluto ventre, partus celeriùs moueatur: sic etiam in animis euenit, vt dum illos conscientia deterret, consternati quodammodo, & concussi probitatem ocyus pariant.

Isai. 26.

102. Quid plura? Dolores illos, seu angores, reæ, aut sontis conscientiæ, equulei cruciatibus perquàm similes esse perspicuum est: de hac enim dici posset illud, quod de inuidia scripsit Horatius.

——Siculi non inuenere tyranni Horat. lib. 1.
Tormentum maius. Epist. 1.

Hunc etiam conscientiæ cruciatum *totam natiuitatis*,

seu,

ſeu, *natiuam* appellauit Iacobus cap. 3. Quæ verba de vulgari apud veteres tormenti genere capienda eſſe ſuprà c. 20. verſ. 26. multis ſuaſi: & quales, quámque ſæuos cruciatus ex linguæ intemperãtia animus ſubeat, perſpicuè declarant: ait enim, *Lingua, quæ conſtituitur in membris*, &c. *Et inflammat rotam natiuitatis inflammata à gehenna.* Vide plura in eo loco. Igitur ab hoc tormẽto, ab hac rota, aut equuleo, quem ob linguæ licentiam animus ſubire cogitur, immunis eſt ille, qui illam continet, & additis clauſtris coërcet: *Cuſtodit à torturis animam ſuam.* Sed quænam ex præmiſſis expoſitionibus aliis præferenda ſit, decernere lectori integrum relinquo.

24. *Superbus, & arrogans vocatur indoctus: qui in ira operatur ſuperbiam.*

103. SVperbus, & arrogans Hebr. *Superbus arrogans, deriſor nomen eius, faciens in ira ſuperbia.* Subeſt autem hîc vox illa לץ *lets*, quæ *deriſorem, peſtilentem*, aut *peſtilentiam* ſonat. Hinc fluxit trãſlatio Sept. *Audax, & arrogans, & oſtentator peſtilens vocatur: qui autem iniuriarum memor eſt, iniquus.* Lucifer pro S. Athanaſio. *Temerarius, & ſuperbus peſtilens vocatur.* Chaldæus verba commutat. *Deriſor, tumidus, ſuperbus, eſt nomen eius, faciens iram ſuperbia ſua.*

Hunc locum non parum difficilem reddit ambiguitas noſtræ tranſlationis. Communis interpretum mens ſic hàbet. *Superbus, & arrogãs vocatur indoctus*, aut, *deriſor*, Id eſt, Cùm ſuperbus famam, & ſui nominis celebritatem quærat, hoc ferè aſſequi ſolet, vt vulgò indoctus, aut deriſor appelletur: quæ nomina infamiam, & contumeliam ſonant. Et quidem iuxta hanc expoſitionem, ſi cum Vulgato *indoctum* legamus, ſententiæ huius energia talis erit. Omnis vtique ſuperbus hoc ſibi arrogat, quod reliquis iudicio, atque prudentia præferri debeat, (hinc ſuperbi vulgò dicuntur ſublime, aut altum ſapere, iuxta illud, *Noli altum ſapere, ſed time.*) Igitur Salomon contra vanã hanc tumidiſſimorum hominum iactantiam ſic decernit. *Omnis ſuperbus, & arrogans vocatur indoctus*, id eſt, omnis, qui de ſua ſapientia, prudentia, aut iudicio inaniter propria exiſtimatione tumet, ab aliis vulgò indoctus, ſtupidus, & ſtolidus habetur: non ſolùm quia communis hominum æſtimatio ita fert, vt hi qui ex ſuperbia magnos ſibi ſpiritus ſumũt, apud omnes vileſcant: ſed etiam quia ſtulti, & inſipientes plerumque nimio faſtu turgent. Quapropter ex mea ſententia verbum illud, *vocatur*, ponitur pro *eſt*, aut, *exiſtit*, quaſi dicat: omnis ſuperbus, & elatus homo, ſtultus planè, ac ſtolidus eſt. Addit, *Qui in ira operatur ſuperbiam.* Non ſolùm ſtultitiam ſuperbiæ coniunctam, ſed etiam iræ, & furori docet Salomon (nil certius) quia ſuperbi omnes vel leuiter læſi concitantur. Nã ſicut membra liuida, & tumentia, quantumuis leuiter aſtricta dolent: ſic etiam ſuperbi ob leuiſſimas iniurias, aut moleſtias, iram concipiunt. Itaque iuxta præmiſſam expoſitionem duo vitia ſuperbis agnata memorat Salomon, ſcilicet ſtultitiam, atque iram.

104. Quod ſi lectionem aliam ſequamur, quæ ab Hebræis paſſim vſurpatur, *Superbus, & arrogans deriſor vocatur, faciens in ira ſuperbiam*, ſenſus hoc modo inſtituendus eſt: Omnis vtique homo faſtu, & ſuperbia tumens, deriſor, id eſt, contumelioſus eſt: nam elatio ad iniurias, probra, & contumelias inferendas ſuperbos maximopere vrget: qui verò ad eum modũ contumelioſus, & exprobrator eſt, ob leuiſſimas iniurias ſibi illatas furit, ac ſæuit. Itaque id ſuperbis per quàm familiare eſſe dicit Salomon, vt eorum mens *ad irrogandas contumelias ſit valida, & prompta, & ad tolerandas infirma.* Verba ſunt Magni Gregorij in Moralibus alibi à me data.

A

105. Tranſlatio Sept. alium etiam ſenſum reddere videtur. *Audax, & arrogans, & oſtentator peſtilens vocatur*, &c. Verbum *vocatur*, non tantum ſignificat nomen illud arroganti indi ſolitum, ſed vere, & propriè talem eſſe. Quod aliàs me obſeruaſſe, & quibuſdam aliis teſtimoniis roboraſſe memini. Ergo Salomon (ni fallor) diſcrimen adnotat, quod inter eum, qui ſubito, & temerè ad vindictam iniuriarum excitatur; & eum, qui diuturna memoria illas apud ſe coquit & vltionem differt. Itaque ait, *Audax, ſeu temerarius, & ſuperbus.* In Primitiuis eſt זד *zed*, quæ vox ſuperbum, temerarium, atque ad audendum proiectum hominẽ

B ſonat: atque adeò (vti ſacris illis interpretibus ſolenne eſſe aliàs dixi) vtramque ſimul ſignificationem expreſſerunt. Itaque ait, Vir audax, qui temerè, & ex tempore ad vlciſcendum ſeſe proiicit, quod ſuperbiæ, & arrogantiæ proprium eſt, *peſtilens*, aut, *peſtilentia vocatur*, peſtilens nimirum exiſtit, ſeu peſtis ipſa. Quia ſicut peſtis eos, quos afflauit, aut perculit, ocyùs perimit: ſic etiam ille quàm citiſſimè conceptũ in alios furorem effundit. Vel aliter, *peſtilens ipſe eſt:* quia ſicut is, qui peſte afflatus eſt, non modo alios inficit, atque ipſis interitum inſpirat, ſed ipſemet etiam corruptus interit: ſic etiam temerarius quilibet, extemporariuſque vltor, nõ modo illi, cui iniuriam dedit, ſed etiam ſibi ipſi damnum acceſſit: nam dum

C incauto, & imprudenti damnum, aut incommodum molitur, damni vtique illati relationem non euitat. Subdit, *Et qui iniuriarum memor eſt, iniquus*, ſupple, *vocatur*, id eſt, exiſtit: nimirum qui iniurias non ſtatim vlciſcitur, ſed eas memoria retinens opportunitatem vindictæ ſumendæ expectat, is vtique iniquus, Græcè ἄνομος, id eſt, exlex eſt, & ab omni æquitate, & iuſtitia valde remotus. Huius autem malitiam præfert Salomon, quia ille alius ſubitaneus, & improuidus vltor non ita iniuſtus exiſtit: ſi enim dat, etiam ſubinde recipit, refertque damnum: hic verò iniuriarum memor ideò iniuſtus magis, & iniquus, quia opportunitatem vlciſcendi captans, ita certè aliis damnum infert, vt ipſe nihil damni referat: quod certè

D paſſim vſu venit.

25. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam operari manus eius.*

DEſideria, &c. Hebr. *Deſiderium pigri interficiet eum, quia renuerunt manus eius facere*, Concinit Chald. Septuag. *Deſideria pigrum interficiunt: non enim manus eius eligunt facere quidquam.* Symmach. & Theodot. *Concupiſcentia pigri interficiet eum.* 106.

Locus iſte haud difficilis eſt: poteſt tamen pluribus expoſitionibus donari Ianſenius, Rodolphus, & alij

E paſſim ſic ferunt, *Deſideria occidunt pigrum*, &c. id eſt, Vir otioſus, & feriator, tamdiu in deſideriis eſt, quamdiu viuit, atque illum deſiderantem mors occupat: nam cùm manus ad laborandum non adiiciat, rei, quam impensè deſiderat, compos nunquam fit. Huius interpretationis energia in eo certè ſita eſt, vt ſignificet Salomon pigrum ſemper in deſideriis eſſe (loquitur autem de fortunarum deſideriis, ſeu votis, quæ pigros, & inertes cum primis vrgent.) Interim autem dum deſideriorum diuturnitatem, & longitudinem obſeruat, eorundem etiam magnitudinem ſatis innuit, quia diuturnitas acuit deſideria: hæc autem quo maiora ſunt, eo magis deſiderantium mentes cruciant: iuxta illud Magni Gregorij hom. 23. in Euangel. *Cuncta deſideria dilatione creſcunt, ſi autem*

rem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Rursus cùm dicit, *desideria*, non autem *desiderium*, aliquid aliud significat: scilicet pigrum non vnius rei desiderio teneri, aut incitari, sed desideria in dies permutare: nam postquam vnam aliquam rem votis omnibus expetiuit, manibus ad illam assequendam minimè satagentibus, aliam atque aliam per vices suas desiderare cogitur, atque inter ipsa desideria, & vota demum obit.

Secunda interpretatio Salomonem non de diuturnitate desideriorum, sed de ipsorum magnitudine accipit, vt sit sensus. *Desideria occidunt pigrum*, id est, magnitudine sua ipsum enecant: iuxta illas dicendi formulas: *Fame, aut siti enectus sum.* Vel, *fames aut sitis magnoperè vrget me.* Ita vt perinde sit, *Desideria occidunt pigrum*, ac si dicat, ipsum mirum in modum premunt, occidunt, enecant: ita enim dicimus *rem aliquam deperire*, id est, efflictim exoptare. Et quidem ita fit, vt inertia, & pigritia, desideria plurimum exacuat: nam sicut famem, sitimque exercitatio, & labor excitat; otium verò, & segnities hebetat: ita vicissim habédi desideria otium accendit, labor restinguit: omnis enim auiditas, quæ nulla ex parte expletur, in die crescit. Cùm ego otiosi, & inertes laborem fugiant, qui solus habendi sitim, aut famem explere potest hinc est, vt eorum cupiditas quotidianis incrementis gliscat.

107. Tertia denique interpretatio huius desiderij, quo pigri incitantur, vehementiam amplificat: sic enim habet, *Desideria occidunt pigrum*, id est, tantopere ipsum vrgent, ac premunt, vt illum (liceat sic dicere) ad necem sibi inferendam adigant. Concinit cum hac interpretatione locus alter Genes. 30. vbi sic Rachel ad Iacob, *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Vide impotentiam desiderij. Græcus Isidorus, aliàs Pelusiota, in Epist. 274. locum istum sic edisserit. *Ac proinde grauissimo mœrore correpta Rachel se vim suæ vitæ allaturam minabatur, nisi pareret. Da enim mihi liberos* (inquit) *alioquin morior, hoc est mortem mihi ipsi consciscam.* Ergo ad eundem modum de verbis præfatis decernere licet. *Desideria occidunt pigrum*, id est, ipsum tanta vehementia incitant, vt sibi nonnunquam mortem moliri, & machinari faciant per desiderij, ac votorum impotentiam. Nam cùm solus labor habendi desideria complere valeat, malunt tamen emori, quàm se exercere. Subdit.

Genes. 30.
Isidor.

26. *Tota die concupiscit, & desiderat: qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit.*

108. TOta die, &c. Hebr. *Tota die concupiscit concupiscentiam: iustus tribuet, & non prohibebit.* Septuaginta. *Impius tota die concupiuit concupiscentias malas: iustus autem miseretur, & miseratur non parcè.*

Septuaginta interpretes huius loci sententiam à superiori versu secernere, nec de pigro, & inerte, sed de impio, aut auaro sermonem facere videntur, hoc sensu. *Impius tota die concupiscit concupiscentias malas*, &c. id est, auarus, & sordidus homo omni tempore efflictim opes, & fortunas concupiscit. Possumus autem hæc verba sic accipere, vt illud *concupiscit concupiscentias*, iuxta phrasim Hebraïcam nihil aliud sibi velit, nisi, vehementer, & enixè concupiscit, ac deperit. Vel aliter, *concupiscit concupiscentias malas*, id est, res sibi nociuas, hoc est, fortunas & opes noxias impensè cupit. Appellantur autem hæ meritò *concupiscentiæ*, quia habitæ, & obtentæ cupiditatem incitant: quasi dicat, *Sitit sitim, atque adeò quo plus* A *haurit, magis sitit.* (verba sunt Chrysostomi) de hac thesi sæpe aliàs diximus. Appellat autem *concupiscentias malas*, eiusmodi opes, id est, molestas, laboriosas, quia quo plura bona auarus sibi parit, eo plures sibi cumulat cupiditates molestissimas, atque grauissimas, cor, & animum exedentes. Contra verò, *Iustus miseretur, & miseratur non parcè*, effusè, & liberaliter impendit bona. Supplenda est, in hac clausula posteriori pars illa, *Tota die*, vt sit sensus: nullam diei partem absque beneficentia sibi abire permittit vir liberalis: is enim non minori auiditate bona sua impendit, quàm parcus, & illiberalis desideriis suis obsequens, eadem asseruat, & claudit. Is (inquam) ille est, de quo dicitur in Eccles. *Particula* B *boni doni non te prætereat.* Pro quibus olim in vulgatis codicibus legebamus, *Particula bona diei non te prætereat.* Eam enim diei partem auspicatam, & fœlicem existimat liberalis, quam donando, & benefaciendo exterit: eam verò nigro calculo assignat, in qua nihil doni, aut beneficij ab ipso in alios profectum est. Sic Basilius Imperat. inter alia capita exhortationum ad filium Leonem dictata tom. 5. biblioth. Patrum, *Largire* (inquit) *misericordiæ stipem egentibus, vt ipse tibi misericordiam allicias à Rege vniuersorum Deo. Nam in eo precipuè versatur pietas, si tua non habentibus benignè impartiaris. Eum ergo diem tibi periisse existimato, in quo nemini benefeceris, quæ à Deo illo die acceperis.*

Chrysost.
Eccles.
Basil. Imp.

C Noster autem Vulgatus locum istum cum superiori contexuit, atque adeò de inerte, & otioso homine exponendus est. *Tota die concupiscit, & desiderat.* Piger nimirum ille sedentariam, & otiosam vitam agens, totam diem desiderando consumit: hæc verò conduplicatio desiderij vehementiam significat. Potest etiam posterius illud verbum, *desiderat*, si sonum literæ sequamur, alium ad sensum allici, hoc modo. *Tota die concupiscit*, id est impensè appetit, & *desiderat*, idest, deficit, vel non obtinet: nam verbum *desidero*, hanc vim habere solet. Cui expositioni ad stipulatur etiam lectio originalis: nam vox תאוה *Thaauah*, quæ hîc latet, non concupiscentiam solùm, sed etiam desiderium, aut carentiam rei adsignificat. Itaque viri D inertis hanc esse miseram conditionem docet Salomon, vt per totam diem cupiditatibus ardeat, & nihil demùm obtineat. 109.

Qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit. Homo scilicet impiger, ac sedulus (hunc enim iustum appellat) bona industria, atque solicitudine sua parta distribuet: *& non cessabit.* Alij quidem ita exponunt: liberalem bonorum suorum largitionem non intermittet. Alij non ita, sed *non cessabit*, id est, nunquam otiosus, ac deses erit. Huius verò sententiæ energia sic habet. Sedulus ille, ac industrius homo, non sibi solùm opportunas, & sufficientes copias parat, sed tantam bonorum vim labore, ac industria sua acquirit, vt aliis etiam liberaliter, & effusè impertiri pos- E sit. Et quamuis ad eam bonorum affluentiam peruenerit, nihilominus *non cessabit*, id est, à labore, & industria non desistet. Sed magis Pauli documentum explebit ad Ephes. 4. *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* 110.

Ad Ephes. 4.

27. *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.*

HOstiæ impiorum, &c. Hebr. *Sacrificium impiorum abominatio, quanto magis quia in cogitatione attuleris illum*, Pagninus: *quãto magis si in mala intentione*, 111.

intentione, &c. Chaldæus concinit cum Vulgata lectione. Septuaginta. *Hoſtia impiorum abominatio Domino: etenim inique offerunt eas.* Aquila: *quia cogitatio afferet illud*, ſupple *ſacrificium.*

Sacrificium, ſeu victima, vt Deo ſit placabilis & accepta, plures conditiones requirit; hæ ſunt, offerentis ſanctitas, recta eiuſdem intentio, & ipſius rei oblatæ bonitas. Si qua verò ex his conditionibus abſit, tota vitiatur, & inficitur hoſtia. Ergo iuxta varias lectiones, ſacrificiorum, quæ ab improbis Deo litantur, vitia in alterius ex ſuprà dictis circonſtantijs, vel plurium defectum confert Salomon in hoc loco.

112. *Pagnin.* Pagninus duas conditiones aut circunſtantias impiorum hoſtijs deeſſe ſua lectione ſignificat: ſcilicet perſonæ offerentis iuſtitiam, & probitatem, & eiuſdē rectam intentionem: ſic enim legi, *Sacrificium impiorũ abominatio: quanto magis qui in mala intentione, aut cogitatione obtulerit illud.* Ideſt, cùm hoc ſacrificium propter offerentis improbitatem non omnino Deo placeat, tunc certè magis inuiſum eſt, cùm intentio illius praua exiſtit. Dixi autem non omnino Deo placiturum eſſe, quia ſola improbitas offerentis quamuis illi vitæ æternæ meritum auferat, non tamen omnino vitiat hoſtiam: nam improbi, ſi cætera adſint, bona etiam opera præſtare poſſunt. Atque adeò aptè ſubditur nota illa prælationis: *quanto magis ſi mala intentione, &c.* id eſt, longè abominabilius, & ingratius Deo exiſtit illud ſacrificiũ, quod ex praua animi intentione, & deſtinatione proficiſcitur; hoc enim nulla ex parte bonum, aut Deo gratum eſſe poteſt. Aliqui putant hæc verba contra illos pronuntiata, qui vota, & ſacrificia Deo nuncupant, vt ab illo criminum impunitatem, viuendi licentiam, & fœlices in ſceleribus ſuis ſucceſſus, & progreſſus impetrent. Sed fruſtrà lata, & vniuerſalis ſententia in eas anguſtias cogitur, cùm potius abſolutè & ſine reſtrictione de qualibet finis non boni intentione in vniuerſum accipi debeat: hæc enim, quæcunque ſit, hoſtiam violat, & Deo inuiſam reddit. Alij etiam ſine lepore locum iſtum ſic extulerunt: *Sacrificium impiorum abominatio eſt apud Dominũ, etiam quia in cogitatione mala attulerit illud.* Sed tamen cùm particula אף *Aph*, aliàs nota superiectionis eſſe ſoleat, certè in hoc loco hanc vim habere exiſtimanda eſt.

113. *Septuag.* Septuaginta interpretes ſic habent: *Hoſtia impiorum abominatio Domino: etenim iniquè offerunt eas:* quæ translatio in prauam ſolùm offerentium intentionem ſacrificij ab impijs oblati vitium conferre videtur: *etenim iniquè offerunt eas*, ideſt, malè offerunt, ideſt, mala, & deprauata intentione: nam cùm in offerente deficit probitas, & ſanctitas, tunc quidē *malus* offert: cùm in re oblata bonitas deſideratur, tunc ſanè *mala* offert: cùm intentio denique bona abeſt, tunc *malè* offert homo: ſi autem hæc omnia vitia in vnam & eādem hoſtiam coeant, tunc quidem dicemus hominem *malum mala malè offerre.* Ergo verba illa, *iniquè offerunt*, ad prauam offerentium intentionem pertinent.

114. Vulgatus noſter huius ſacrificij deteſtabilis vitium in rei oblatæ malitia poſuit: ſic enim habet, *Hoſtia impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere*, ideſt, quia ex ſceleratè, & iniquè partis litantur. Exiſtimo autem hîc non tantùm ſermonem eſſe de ſacrificijs Deo ex religione libatis, ſed etiam de eleemoſynis, quæ ex beneficentia, & miſericordia pauperibus impenduntur. De quibus ſic Apoſtolus, *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Mens ergo Salomonis hæc eſt. Siue Deo aliquid ſacrificij nomine, ſiue pauperi eleemoſynæ titulo offeratur, id certè ſi ex ſceleratè, & iniuſtè acquiſitis impēdatur, illi inuiſum, ac deteſtabile eſt. Imprimis enim ſacrificia, & libamina, quæ Deo offeruntur,

A propterea illi grata, & iucũda ſunt (vt Docet D. Thomas 2.2.) quia is, qui Deo ex bonis ſuis aliquid offert, *D. Thom.* illum quidem omnium authorem, & cauſam profiteri videtur: nam ex acceptis aliquid illi reddens, vniuerſa eidem accepta referre videtur. Cum ergo ei, qui fortunas iniuſtè, & contra fas ſibi peperit, Deus habendi author, & cauſa moralis non fuerit, ſed magis diabolus ipſe, qui (vt ex Chryſoſt. alibi diximus) iniuſti quæſtus auaris author, & largitor eſt, meritò quidem oblatam hoſtiam repudiat & refutat, quia per illam impiè admodum iniuſti lucri author quodammodo exteriùs renunciatur. Rurſus idem S. Thomas docet, per ſacrificia, & hoſtias aliud etiam obſequium Deo deferri: is enim qui mactat hoſtiam, vi-

B tam pecori adimens, & neci illud tradens, ad Deum vtique vitæ, ac necis ius omne ſpectare eo officio ſignificat. Ergo diſplicet Deo hoſtia, & victima furto ablata: quia quod exterius ſacrificium renunciare, & innuere videtur, ſcilicet Deum vitæ, ac necis arbitrum eſſe, id certè eludit, ac fallit furtum, & alienæ rei diſtractio. Qui enim alienam rem furto ſibi vſurpat, perinde cum Deo agere videtur, ac ſi vitæ, & necis arbitrium penes illum non eſſet: & quaſi numquã ipſe moriturus, & ſuatum rerum rationem nulli redditurus foret. Adde etiam, ei, quem proprijs ſpoliat fortunis, vitæ ſubſidia eripiens, mortem etiam quodammodo molitur.

Quod ſi hîc hoſtiarum nomine propria, atque ve- 115.

C ra ſacrificia intelligas, ſuprà cap. 15. verſu 8. verba quædam his ſimilia expendimus. Vide ibi plura. His autem adnecte verba Eccleſiaſt. 34. *Dona iniquorum* *Eccleſ. 34.* *non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorũ, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Iniquos autem appellat iniuſtos rei alienæ vſurpatores, qui videlicet ex iniquè partis hoſtias Deo mactant, ſubdit enim: *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, ſicut qui victimat filium in cõſpectu patris.* Nam cùm Deus ob ſingularem in pauperes prouidentiam eorum pater dici ſoleat, quicumque bona ab ipſis ablata Deo voti cauſa exſoluit, perinde facit, ac ſi filium vnicè dilectum & hæredem, in parentis ſui oculis necet. Sicut enim fieri non poteſt, vt

D parenti filij mors non valde diſpliceat: ita etiam impoſſibile eſt, vt Deo talis hoſtia prorſus inuiſa non ſit. Pauperem autem ab eo, qui bona illius diripit, mactari quodammodo, & neci dari probat Eccleſiaſt. *Eccleſ.* ſubiectis verbis: *Panis egentium vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt: qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum: qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* id eſt, conſimiles valde. Ille ergo, qui ex his, quibus pauperes, aut mercenarios ad eum modum defraudauit, ſacrificia, & hoſtias Deo libat, perinde facit ac ſi Deo vidente, filios ipſi gratiſſimos confodiat, quod tanti parentis pietatem mirum in modum lædere neceſſe eſt.

E D. Chryſoſt. in homil. *de miſericordia, & duabus* 116. *mulieribus viduis.* tom. 5. locum etiam iſtum de eleemoſyna intelligit, quæ ex iniuſtè quæſitis impendi- *Chryſoſt.* tur, ſic enim habet: *Qui etſi pauperi tribuat, hoc magis deterior, ſi alij tollit, quod tribuat alij, & eſurientis pane eſurientem paſcat, & nudum ſpolijs veſtiat alienis, cùm ſcriptum ſit. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, ſicut qui victimat filiũ in conſpectu patris ſui.* Vrgeo huius ſententiæ vim. Pater ideo vnici dilecti filij necem grauiter dolet, quia patres ſemetipſos in filiis diu viuere, ac vitam ſuam in eorum vita contineri autumant: atque adeò qui filio manus affert, parentis iugulum quodammodo petere videtur. Puta igitur Chriſtum in pauperibus per ſingularem erga ipſos gratiã peculiari modo eſſe, ac viuere. Subeſt

2.Cor.4. huius rei author Paulus 2. ad Corinth. 4. vbi postquã dixit: *Aporiamur, sed non destituimur*, subdit: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris: semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.* Nã licet plures ista verba ad præmium vitæ æternæ referant, tamen Chrysost. Theophyl. & alij Patres Græci aliter exponunt ad hunc modum. De nostra vtique vita naturali, & corporea, tàm ob assiduas persecutiones, quàm etiam ob summam inopiam quotidie actũ esset, nisi Christus ipse illam tueri voluisset: nam vti nõ in animis solùm nostris per gratiam, sed etiam in corporibus, & carne aliquo modo se viuere ostendat, corpora etiam, carnemque per suorum fidelium eleemosynas nutrit, ac seruat: nam quod fideles, ipso suadente, & gratia ipsius suffulti præstánt, hoc ipse præstare dicitur. Itaque Paulus sic ait: propterea toties ob inopiam, & rerum ad vitam tuendam opportunarum defectum in discrimen corporalis vitæ adducimur, vt ea ratione beneficio suo necessaria ad victum, vitamque suppeditans ostendat Christus (si fas est ita loqui) corpora etiam nostra de vita illius viuere. Quorsum hæc? Quia Christus, vt ex dictis constat, in pauperibus suis speciali modo viuit, scilicet illos, quorum vita ob summam inopiam quotidie in discrimen vocatur, quotidianis emolumentis alens, & in dies viuos esse iubens, propterea ipsorũ parens meritò appellatur: atque etiam inde fit, vt qui eos ablatis rebus necessariis perimit, modo suprà scripto, non ipsos tantùm, sed Christum etiam in ipsis viuentem, & agentem quodammodo vita priuare dicendus sit. Redeo igitur ad sententiam. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, sicut qui victimat filium in conspectu patris.* Sicut enim parens filij mortẽ propterea dolet, quia cum filio pariter se cõmori existimat: ita etiam Christus illatam pauperi necem per bonorum defraudationem grauiter fert, quia cùm in illo suprà scripto modo viuat, in eodem etiam ipsum eo modo emori necessum est, quo viuere existimatur.

117. Rursus vt pauperis spoliatio cum filij amantissimi morte cohæreat, addendum est alia etiam de causa illatam filio necem parenti tantopere ingratam esse, quia scilicet bonorum suorum legitimo hærede priuatur. Cogita ergo pauperes speciali iure ad Christi hæreditatem vocari, Iacobi secundo. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni?* Nam licet eiusmodi pauperes per bonorum defraudationem maturiùs sublati, sorte hæreditaria regni, ac vitæ æternæ non priuentur, tamen maiorem illam sortem amittere dicendi sunt, quàm si diutius viuerent, per voluntariam paupertatis tolerantiam assiduis promeritis attingerent: atque adeò quod ad eam maiorem sortem spectat, sublato per iniuriam paupere, Deus ipse legitimo hærede priuari quodammodo dici potest. Pergo ad alia.

Iacob. 2.

---

28. *Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victorias.*

118. *TEstis mendax.* Hebr. *Testis mendaciorum peribit: sed vir audiens in finem loquetur.* Caiet. & alij Hebr. *Et vir audiens semper loquetur.* Chaldæus: *Et vir bene audiens rectè loquetur.* Septuag. *Vir autẽ obediens custoditus loquetur.* Græcè ὑπήκοος, anceps vox est: potest enim in passiua significatione, & in actiua exponi, quapropter correctior textus ad passiuam significationem retulit; Complutensis verò, ac Regius, ad actiuam reuocauit, atque adeò sic extulit. *Vir obediens seruaturus loquetur.* Aquila, Symmach. & Theodot. *Ad victoriam ibit.* Alij, *constanter, viriliter, fortiter loquetur.* Sed vnde tã varia posterioris hemistychij lectio? Hanc lectionum dissimilitudinem peperit vox quædam grauida, scilicet לנצח *Lenetsach*, de cuius vi multa interpretes ad inscriptionem Psalmorum, vbi Hieronymus passim *vincenti*, aut *victori*, Septuag. *in finem* Chald. *ad laudandum.* Alij, *in sæculum*, vel *in perpetuum*, nescio an aliter etiam alij. Fluit sanè vox illa ex radice נצח *Natsach*, id est, *vicit, præualuit, fortiter egit, & ad finem perduxit.*

His constitutis, tota huius loci difficultas in eo versatur, vt prius hemistychium cum posteriori ad amussim cohæreat. Igitur recentiores Hebræi, vt partem vtramque inter se concilient, quilibet iuxta eam lectionem, quam sequitur, peculiarem sententiam comminiscitur. Primò ille alius, quisquis est, apud Caietanum sic habet. Testis mendax inaudita apud se fingit, atque adeò tandem aliquando detecta veritate promeritis punitur. *Vir autem audiens semper aut fortiter loquitur.* Id est, qui testatur ea tantùm quæ audiuit, is sanè semper idem loquitur, ac sibi per omnia similis est, nunquam à seipso discedit, & quia veritati hæret suæ, audacter, & fortiter rem asseuerat. Nam secundùm eius expositionem posterior pars non opponitur priori, vt per se liquet. Quapropter vt sensus posterioris clausulæ aptus sit, priorem alia interpretatione donari oportet. *Testis mendax peribit*, id est, deficiet, si nimirum testimonium illius exactius discutiatur ab his, quæ priùs asseuerauerat. Tandem locum facit huic expositioni verbum יאבד *Iobad*, quod in primitiuis subest; ex radice *Abad*, id est, *periit*, aut *perditus est.* Itaque licet conuertere, *Testis mendax perdetur*, & ad significationem vulgarem apud nostrates sermonis vocari hoc modo. *Et testige falso se perdera en lo que dice*, id est, sibi minimè constans erit. Nam iuxta Hispanum idioma tunc aliquis inter dicendum dicitur *perder se*, cùm sermonem vrgere, & ad finem perducere non potest. Huic ergo ex aduerso respondet sententia posterioris illius partis *Vir autem audiens, semper*, aut, *in finem loquetur.* Quapropter ad hanc alliciendæ sunt omnes illæ translationes suprà adscriptæ: scilicet *semper, in finem viriliter, fortiter in perpetuum, in sæculum loquetur*, aut si quæ aliæ id genus ab Hebraïzantibus confictæ sunt. De teste autem vacillante, & timido sæpè aliàs diximus. 119.

Sed vt ad Vulgatam lectionem propiùs accedamus, Iansenius non vnam tantùm expositionem contulit in hunc locum: nam primò sic habet, *Testis mendax peribit*, qui videlicet conuictus in iudicio pœnis falsorum testium subiacebit: *sed vir obediens loquetur victoriam*, id est, qui legi diuinæ paret, atque adeò mendacia hac lege interdicta etiam cauet, vincet tandem, atque suas, exactis controuersiis, ac litibus, quas in iudicio obtinuit, victorias enarrabit. Subdit aliam magis appositam interpretationem ad hunc modum. *Testis mendax peribit*, id est, qui in alium falsum testimonium dicit, conuictus demum pœnas luet: *vir autem obediens loquetur victoriam*, id est, qui probus est, ac legi diuinæ per omnia paret, ab omni malo vendicabitur, quod falso testimonio illi parabatur, & de hoste suo seriò triumphabit. Placet hæc expositio: sed tamen cum in Primitiuis ad verbum sit, *vir autem audiens loquetur victoriam*, suspicio quædam incessit animum, verbum illud *obediens* ad eundem sensum allici debere. Addo etiam olim lectum, *vir obediens.* Ita habetur in codice manuscripto perantiquo, qui seruatur in Bibliotheca nostra Murtiana: sic enim sensus simplicior, & antithesis luculentior euadit ad hunc modum. *Testis mendax peribit*, id est, qui alium falso testimonio petit, detecta falsitate pœnas 120.

dabit

dabit: & *vir audiens*, vel *obediens*, tale testimonium contra ipsum, *loquetur victoriam*, id est, comperta veritate triumphabit. Itaque antithesis est inter dicentem falsum testimonium, & illud audientem.

121. Cæterùm nescio quis scrupulus adhuc reliquus est: nam cùm Vulgatæ lectioni nullam vim afferre animus sit, hæc autem absolutè habeat, *vir obediēs*, atque adeò de obedientia in vniuersum loqui videatur, iterum hęc verba ad trutinam vocare, & de vero obediente interpretari libet. *Testis mendax*, &c. Strabo itaque ac Beda testem mendacem eum hîc appellari volunt, qui se Deo seruire ex sua professione testatur, & tamen dicta factis minimè exequitur: atque huic obijciunt virum obedientem. Sed neque huic expositioni omnino acquiescit mēs. Ego per testem mendacem eum intelligo, qui falsum testimonium in aliquem dicit, & à superiore, ac iudice iniquam aduersus illum sententiam extorquet. Ait ergo Salomon; eiusmodi testis falsus, etsi ad horam vincere, & de aduersario suo triumphare videatur, tandem aliquando peribit, ac suæ falsitatis pœnas dabit: *Vir autem obediens loquetur victorias*, idest, qui iniquam sententiam à superiore latam æquo animo fert, & eidem humiliter paret, tametsi ab aduersario suo victus, & eiectus videatur, tamen illi victorias demùm suas enunciare, & prædicare licebit: vel quia detecta fraude, amissam gloriam recipiet, & in falsum testem pœna recidet: vel certè quia iniustæ sententiæ parens, & acquiescens, nobilem admodum à semetipso victoriam reportat. Lege Greg. lib. 35. Moral. cap. 10. vbi hæc Salomonis verba pendēs sic scribit. *Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur: Vir obediens loquetur victorias: vir quippe obediens victorias loquetur, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus.* Hæc ille de obedientia in vniuersum. Licet ergo quælibet erga superiorem obsequentia sui ipsius victoriam adducat, longè tamen gloriosior, ac splendidior est illius victoria, qui superiori iniquè contra ius fasque iubenti ad nutum paret, & cùm innocens sit, pœnis haud meritis acquiescit. Paulus ad Rom. 8. cùm aduersa quædam commemorasset, quæ sibi partim à Deo, partim ab hominibus euenerant, subdit. *Æstimati sumus sicut oues occisionis. Tanquam oues* (inquit Gregorius vbi suprà) *quia etiam sæua minantibus, aut etiam irrogantibus paremus:* nam ouem ibi obedientiæ symbolum esse multis contendit. Paulus verò sic addit: *Sed in his omnibus superamus.* Græca habent ὑπερνικῶμεν, id est, *superuincimus.* Nota emphasim huius verbi, non vincimus tantùm, sed superuincimus: nam ea victoria, quam seuera, & acerba imperantibus parentes adipiscimur, nobilissima est, & communis victoriæ leges excedit. Dicimus enim illum planè seipsum vincere, qui iuste imperāti, aut pro meritis punienti libenter obsequitur: at illum, qui superiorem contra ius fasque imperantem, aut insonti pœnas infligentem sustinet, non modò vincere, sed superuincere dicimus. Hinc Petrus in 1. Canon. c. 1. seruos sic alloquitur, *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis, sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Hæc ille, fidelibus suadens, vt iniusta etiam crudelium dominorum imperia sustineant: hoc enim cùm primis gloriosum est, ac nobile. Quapropter meritò Salomon de illo, qui ad hunc modum paret, & falsi testis iniuria à seuero iudice damnatus acquiescit, *loquetur* (inquit) *victorias.*

Greg. *Rom. 8.* *1. Petr. 2.*

122. Non solùm obediens vir nobilissimam hanc victoriam, aut superuictoriam (si licet dicere) à semetipso refert, sed etiam reliqua omnia vincere, ac sibi substernere dicendus est. Imprimis enim subditi obediētia & obsequium superiores ipsos vincit, eorumque seueritatem ad lenitatem traducit. Hinc est illud Curtij lib. 8. quod vulgò circumfertur. *Obsequio mitigantur imperia, & Principum sæuitia in mansuetudinem vertitur ciuium obedientia.* Rursus obedienti aliam victoriam accommodat Gregorius Magnus in 1. Reg. lib. 2. cap. 10. Cùm hominibus pro Deo subijcimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus Dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus, victores ergo sunt, qui obediunt: quia dum voluntatem suam alijs perfectè subjciunt, ipsi quidem lapsis per inobedientiam Angelis dominantur. Quid plura? vir obediens Deum ipsum vincit, atque illum mancipat, & quodammodo ad obsequium sibi prętandum compellit. Audi Pseudo-Augustinum ad fratres in eremo serm. 61. de obedientia *Sciendum* (inquit) *fratres, quod quanto modo erimus ipsi obedientes superioribus nostris, tanto erit Deus obediens orationibus nostris.* Denique idem Augustinus in Psal. 70. obedientiam tanquam victricem palma donat. *Sola* (inquit) *obedientia tenet palmam, sola inobedientia inuenit pœnam.* *Curtius.* *Pseud. Aug.*

Venio ad lectionem Septuaginta, quæ reliquas difficultate vincit: *Vir autem obediens custoditus loquetur*, sic habet correctior textus, cuius lectio cæteris pręferenda est. Sed quonam modo hæc posterior pars cum priori pugnet, non satis assequor, meam nihilominus suspicionē adscribam. Pręmittere autem oportet verbum, *loquetur*, in sacra Pagina nonnunquam idem esse, ac *viuere*, seu *vitam agere*. Sic obseruauit in hunc locum Vatabl. Aduocat autē Pauli testimonium ad Heb. 11. *Defunctus adhuc loquitur*, i. adhuc viuit, & superstes est. Accinit etiā locus alter Genes. 2. vbi illa verba, *& factus est homo in animam viuentem.* Chald. sic ad verbum extulit, *Et factus est homo in animam loquentem.* Mitto alia Rursus pro illis verbis, *vir obediēs*, in Græcis iacet *obaudiens*, ita vt non ad obsequiū, sed ad humilem auditionē spectet. Ergo sensus erit: *Testis mendax peribit*, id est, qui temerè ad falsū testimoniū in aliquem dicendum prosilit, sui sceleris pœnas referet: *vir autem obaudiens:* (sic lego) *custoditus loquetur*, id est, qui eiusmodi testimonium contra se dictū constanter audit, securus vtique, & incolumis aget. Hoc sibi vult illud, *custoditus loquetur*, opponiturque illi verbo, *peribit:* custoditus nimirum, id est, tectus, asseruatus, vel assertus. Itaque Salomon his verbis falsos testes coërcet, & ipsos sibi interitum moliri dicit cùm ex aduerso illi, quos ipsi calumniis suis opprimere voluerunt, salui plerumque, & incolumes euadant. *Ad Hebr. 11.*

Vel aliter verba Septuaginta ad Vulgatæ sensum benignè allici possunt, hoc modo: *vir autem obediens custoditus loquetur*, idest, qui cùm reus à falso teste peractus fuit, iniquæ sententiæ paret, non equidem *peribit*, sed Dei prouidentia seruatus *loquetur*, idest, viuus, ac superstes erit. Vel aliter, *loquetur*, nimirum qui priùs, lata sententia, tacere, & illam admittere coactus est, postea detecta fraude, eloqui, pro se dicere, ac publicè apud iudices semetipsum purgare poterit. Itaque verbum illud *loquetur* conferendum est cum illo *obediens*, vel *obaudiens.* Ita enim olim more comparatum fuit, vt reus conuictus tacere iuberetur, & sententiam latam silentio ipso acceptare. Adi Brissonium in formulis ad iudicium spectantibus. 123.

Quod si aliter legat, & Regiam Complutensémque translationem teneas, alius euadit sensus: *vir obediens seruaturus loquetur.* Liceatq; cum Strabo, & Beda per falsum testem eum accipere in hoc loco, qui à semetipso dissentiens dicta factis minimè exequitur. Huic ergo ex aduerso opponitur *vir obediens*, id est,

vir

vir probus, qui *seruaturus loquetur*, hoc est, quod dicit, illud vtique seruandum, & opere ipso exequendum statim sese accingit. Sed tamē hæc minora sunt.

29. *Vir impius procaciter offirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viā suā.*

124. VIr impius. Hebr. *Vir impius roborat facies suas: & rectus ipse parabit viam suam.* Chald. *Impudens facie est vir impius.* lxx. *Impius vir imprudenter subsistit facie: rectus autē ipse intelliget vias suas.* Theod. *Vir impius offirmabit faciem suam.* Ac pro illis verbis, *corrigit faciem suam.* Aquila, & Symmach. *parabit*, aut, *expediet viam suam.*

Rodolphus hunc locum cum superiori nectere contendit, atque adeò illum de falso teste ad hunc modum exponit. *Vir impius procaciter offirmat vultum suum*, id est, falsa contra proximum asseuerans procaciter insistit: & cùm aliàs falsa qui dicunt facie ipsa suæ falsitatis non leuia argumenta prodere soleant (mendaces enim timent semper, facies autem ex metu exalbescit) hic falsus testis *vultum suum procaciter offirmat*, & falsitatis nec leue aliquod indicium in facie prodit. *Qui autem rectus est, intelliget viam eius* (sic legit Rodolphus) id est, iustitia, & integritate præditus iudex, illum nihilominus, ac mendacia illius rectè callet. Vel aliter iuxta nostram lectionem, *Qui rectus est, corrigit vias suas*, id est, vir probus verum semper testimonium affert, & à veritate nec latum vnguem deuiat. Hæc Rodolphus non satis clarè. Sed tamen prior illa interpretatio vim affert textui: atque adeò meritò ab aliis refutatur.

Rodolph. Aliam magis appositam subnectit idem Rodolphus. *Vir impius procaciter offirmat vultum suum.* Is videlicet, qui improbitati sese addixit, magna siue constantia, siue impudentia, scelera admittit, vultum offirmans. i. minimè illum auertens, vulgo *sin voluer à tras*, hoc. n. resipiscentiæ signum est. Contra verò *qui rectus est, corrigit viam suam.* i. pedem refert, & in rectā honestamque rationē viuēdi sese facilè restituit.

Cæterùm hanc vniuersalem sententiam reliqui interpretes coërcent, atque in hoc loco latum discrimē à Salomone adnotari volunt, quod inter impios, & rectos intercedit, non quidem in vniuersum, sed cùm à superioribus monentur, aut corripiuntur: ita vt sēsus sit. *Vir impius procaciter offirmat vultum suum*, id est, cum à Prælatis monetur, aut corripitur, non cedit, sed *vultum offirmat*, vulgò *hace rostro*, id est, obsistit contra, & reluctatur. Hoc sibi vult etiam translatio Septuaginta: *subsistit facie*, id est, contra monentem immobili vultu hæret, ita vt nullis adhortationibus conuerti, & reuocari possit. Ex aduerso autem *rectus corrigit viam suam*, id est, admonitus, aut correptus statim cedit, & ad frugem bonamse se recipit.

125. Cæterùm, vt huius interpretationis (quam reliquis præferendam esse censeo) vis, & energia magis eluceat, varietas lectionum obseruanda est. Nam illam vultus offirmationem Vulgatus ad procaciam, seu peruicaciam refert: habet. n. *Procaciter offirmat vultū suum.* Chaldæus impudentiæ adscribit: sic enim vertit, *Impudens facie est vir impius.* Septuaginta verò imprudentiæ tribuunt, sic *Vir impius imprudenter subsistit facie.* Et sanè hæc tria vitia singula quidem proprio, & peculiari modo vultum aduersus monentes offirmant. Primò igitur procacitas ex proprietate sua summam quandam conuitiandi, irridendi, & exprobrandi licentiam significat: ideò procacitas linguæ tradi solet. Cicero in Salust. *Non enim procacitate linguæ vitæ sordes eluunt*, & apud alios passim. Ergo cùm Vulgatus ait. *Impius procaciter offirmat vultum suum*, perinde est ac si dicat: vir improbus non tantùm monenti validè obsistit, sed etiam vultu ipso, & gestibus strident, exprobrat, conuitiaturque. Nihil autem solemnius est his, qui correptiones detrectant, quàm ad eum modum suos cohortatores verbis aspernari, & illudere. Hos autem cum simiis eruditè, & falsè contulit Plutarchus in Moral. Nam quemadmodum simiæ hominum insultantium sibi gestus imitantes ipsos derident, & sic demùm eorum ira in risum soluitur: sic etiam quidam dum reprehensores suos nutibus insulsis aspernantur, eorum seueritatem inanē, & deridiculam reddunt. Rursus impudentia vultum offirmat, non alia sanè ratione nisi quia impudentia frontem exterit, & callos eidem obducit; ideoque obiurgationibus ictus non cedit. Huc spectat illud Hierem. 3. *Frōs meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Hierem. 3. Et apud Ezech. *Domus Israel attrita fronte est, & duro corde.* Denique vultus illa offirmatio ad imprudentiam refertur: prudentia enim ita suadet, vt caput, faciesque ab ictibus vindicetur: ideóque serpenti prudentia datur, quia caput tegit, & reliqua membra percutienti offert. Addo etiam obiurgationes, & reprehensiones in faciem ipsam intendi. Sic enim Paulus de Petro ad Galat. 2. *Restitit ei in faciem, quia reprehensibilis erat.* Ad Gal. 2. Ergo qui aduersus reprehensionem ictus, faciem, & frontem offirmat, & non potius illam occulit, & suffundit, imprudens est. Duo sunt animantia, quæ fronte ictus excipere, ac reddere solent, hæc sunt, Aries, atque Taurus: vtraque verò cùm eo modo petunt, aut petuntur, oculos claudunt, vt constet id totum prudentiæ, & prouidentiæ prorsus aduersari, quod clausis oculis peragi oportet.

30. *Non est sapientia, non est consilium contra Dominum.*

31. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.*

EQuus paratur, &c. Hebr. *Equus paratur in diē belli, Dominiest salus.* Chald. *A Domino autem salus.* lxx. *a Domino autem auxilium.* Omnia in idē recidunt. 126. Hic locus duplici ratione exponi potest. Aut enim iuxta literæ sonum verba accipere, aut sonum ipsum verborum ad allegoricam significationem traducere integrum est. Si ergo in literæ sono hæreamus, alloquitur Salomon Imperatorem, aut Ducem, suadetque illi, vt antequam bellum ineat, Deum sibi propitium, & placabilem reddat. Nam vti bella rectè & fœliciter gerantur, duo imprimis necessaria sunt; peritia rei militaris in Duce, robur, atque fortitudo in exercitu. Ait ergo Salomon, *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Sensus autem sic habet; Quicumque bella administrat, Deū sibi promereri, & placare imprimis debet: nulla enim rei militaris peritia, nullus astus, nulla stratagematum excogitatio, aut compositio, Deo aduersante, ad victoriam parandam aliquid potest. Id sibi vult illud, *contra Dominum*: nimirum cùm Deus contrarius est. Subdit, *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.* Certè in equis, atque equestri militum cuneo robur exercitus continetur. Est ergo perinde ac si dicat, Quantūuis Imperat. equos, equitesq; fortissimos, & instructissimos, ad prælium moueat, non tamen propterea de victoria certus esse debet, sed Deus insuper ab illo appellandus est, eiusque auxilium enixè poscendum: ipsius enim est salus, incolumitas, & victoria. Hanc esse huius loci germanam expositionem reor. Quid autem certum magis atque exploratum est, quàm bella propitio, & auspice Dei numine administranda esse?

Cæterùm

127 Ceterùm si ad allegoricum sensum præmissa verba traducamus, ante alios producendus est D. Greg. qui lib. 31. Moral. cap. 10. sic scrit. *Equi nomine præparatio rectæ intentionis accipitur, sicut scriptum est: Equus paratur in diem belli. Sed Deus salutem tribuit, quoniam contra tentationem quidem se animus præparat, sed nisi adiuuetur desuper, salubriter non decertat.* Itaque Gregor. equi nomine animum ipse accipere videtur, qui antequam in certamen,& prælium cum forti aliqua tentatione ruat, equi in modum comparari, instrui, insterni, & expediti debet, vt sessorem, id est rationem excipiat; hæc enim manus cum hoste conserit, victoriamque ex Dei beneficio, & gratia reportat: nam *Domini est salus.* Hoc tamen à Gregorio dissidet Hugo Card. qui equi nomine satis aptè corpus intelligit: locum autem sic edisserit, *Equus paratur ad diem belli*, &c. Hominis scilicet est corpus suum ad bellum edomare, instruere, & insternere, vt rationem veluti sessorem excipiat, ac tunc demum illud equi in modum ad prælium edocti in discrimina inferre: sed postquam quis ex Dei gratia, & beneficio corpus suum ad eum modum comparauit, *Domini est salus, & victoria*, id est, ab ipso auxiliatore paratur. Subdit autē Hugo, *Præparatur autem ad bellum equus iste tempore persecutionis in tribus. Primò in assuefactione laboris, doloris, famis, sitis, frigoris, & cæterarum eiusmodi molestiarum, ne cùm in bellum venerit, solo sonitu buccinæ terreatur. Secundò præparatur virtute, & animositate sessoris: equus enim sub strenuo sessore strenuior est. Tertiò præparatur armorum munitione, ne ad singula iacula vulneretur. Arma vero hic fortitudinem, patientiam, audaciam, quibus contemnitur mors. Tunc vero equus his expeditus, & comparatus ad sonitum buccinæ exultans dicit Vah, & audacter in occursum pergit armatis.* Hæc ille. Lege Ambros. in lib. de Isaac & anima, c. 8. vbi multa de equo ad hanc allegoriam facientia, & cap. 4. vbi etiam non pauca serit.

Gregor.

Hugo.

Ambros.

Plerique etiam interpretes ad hunc locum per istiusmodi equum Doctorem sacrum intelligi volunt. In his Gregor. Nam post verba suprà adscripta sic attexit. *Equi etiam nomine sanctus quisque prædicator accipitur*, &c. Hic ergo non ex tempore producens, sed edomandus, cicurandus, insternendusque est ad bellum, hoc est, ad debellandos Christi aduersarios: *Equus enim præparatur ad bellum*: sed non ideò certa salus, *Dominus enim salutem tribuit.* 128

Ad extremum Caiet. non hominem, non animam, aut corpus, aut aliquid aliud speciale equi nomine captandum esse docet: sed in vniuersum ea similitudine hoc notari, quod *præparare est hominis, saluare autem, aut vincere, solius Dei.* Huic autem expositioni assuenda est doctrina illi de gratia comitante, & consequente, quam alibi non semel inculcauimus. Præfatas autem allegorias persequi, superuacaneum duxi

Caietan.

CAP. XXII. SALOMONIS.

1. *MELIVS est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: super argentum & aurum, gratia bona. 2. Diues & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus. 3. Callidus vidit malum, & abscondit se: innocens pertransiit, & afflictus est damno. 4. Finis modestiæ timor Domini, diuitiæ & gloria, & vita. 5. Arma & gladij in via peruersi: custos autem animæ suæ longè recedit ab eis. 6. Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam: etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. 7. Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis. 8. Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur. 9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam & honorem acquiret qui dat munera: animā autem aufert accipientium. 10. Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntq; causæ & contumeliæ. 11. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiā labiorum suorū habebit amicum Regem. 12. Oculi Domini custodiunt scientiam: & supplantantur verba iniqui. 13. Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. 14. Fouea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam. 15. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. 16. Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit. 17. Inclina aurem tuā, & audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinā meam. 18. Quæ pulchra erit tibi, cùm seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis. 19. Vt sit in Domino fiducia tua, vnde & ostendi eā tibi hodie. 20. Ecce descripsi eā tibi tripliciter, in cogitationibus & scientia. 21. Vt ostenderē tibi firmitatē, & eloquia veritatis, respondere ex his illis, qui miserunt te. 22. Non facias violentiā pauperi, quia pauper est: neque conteras egenū in porta: 23. Quia iudicabit Dominus causā eius, & cōfiget eos, qui cōfixerūt animā eius. 24. Noli esse amicus homini iracūdo, neq; ambules cū viro furioso. 25. Ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalū animæ tuæ 26. Noli esse cū his, qui defigūt manus suas, & qui vades se offerūt pro debitis. 27. Si enim non habes vnde restituas, quid causæ est vt tollat operimentum de cubili tuo? 28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. 29. Vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles.*

1. Melius

1. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: super argentum, & aurum gratia bona.*

1. Elius est nomen, &c. Hebr. ad verbum, *Eligibilius nomen præ opulentia : præ auro, & argento gratia bona.* lxx. etiam eodem modo conuertunt, *Eligibilius,* &c. Aquila, Theod. ἐκλεκτὸν, i. *Eligendum,* aut, *electum:* omnia in idem recidunt.

Initio igitur decernere oportet, quid *nomen,* quid *gratia bona.* Hugo Cardinal. per *nomen bonum* beneficium adoptionis filium Dei accipi posse, vel potiùs bono nomine illum gaudere dicit, cuius nomen in vitæ librum adscriptum, & relatum est : quod reliquis bonis externis anteponendum esse docet Beda, sic : *Si quis,* ait, *totum mundum vniuersum lucraretur, meritò totum contemneret, vt eius nomen scriberetur in cælis, eiusque memoria inter sanctos, & Angelos fulgeret æterna.* Idem verò per gratiam bonam, eam, quæ iustificat animum, intelligit, vt huius gratiæ, atque illius nominis sit cohærentia, & concentus. Itaque iuxta prædictam acceptionem locus iste sic ordinandus est, *Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multa,* &c. i. Præstat nomen alicuius in vitæ libro exceptum esse, quàm diuitiarum immensam vim obtinere : dignius præterea est gratiam Dei inire, quàm auri, argentique cumulos numerare : vtrumque satis notum, quod perbreuis ratio euincit apud Chrysost. hom. 23. ad populum, *Præstat enim ius certum ad regnum cæleste hereditate adita capessendum, quàm exigui census præsens possessio.* Et quidem secundum eam nominis, & gratiæ bonæ acceptionem sic comparanda est energia huic sententiæ, vt Salomonis verba cum Chrysost. doctrina cohæreant: Præstat scilicet in librum vitæ ascribi, & gratiam apud Deum inire, quam opibus auro, & argento inæstimabili copia affluere, ex eo certè, quia illa ius ad æternum regnũ certissimum præbent ; hæc verò exigui admodum temporis mensura hominem locupletant.

2. Sed etiam idem Hugo, Iansen. Rodolph. Caiet. & alij per nomen bonum bonam vtique famam, aut existimationem capiendam esse dicunt, per gratiam verò beneuolentiam, & fauorem, quo quis vulgo placet, atque probatur, his assentior. Itaque Salomon ista duo cum diuitiis confert, ac præfert bonum nomen, & gatiam. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multa.* Comparatio verò sic ineunda est. Melius longe est boni nominis ac famæ exigua quædam pars, quam copiosæ admodum diuitiæ. Nec caret emphasi lectio originalis, quæ ad verbum sic habet, *Eligibilius nomen, quàm opulentia.* Itaque vox illa *bonum,* abest ab originibus, quam noster ideo inseruit, ne vox illa *nomen* anceps esset ad famam æquè atque infamiam: quam lectionem prætulerunt etiam lxx. igitur aiunt, *Eligibilius est,* &c. Quibus verbis prudentiam aduocat, ad quam expectat inter res eligendas decernere, & vnam alteri præferre. Finem etiam præscribit, nam cum omnis electio sit mediorum ad finem, cum dicit, *Eligibilius est,* ad aliquem finem hominem intendere debere non obscurè insinuat, ad quem consequendum præstabilius est nomen, fama, & gratia bona, quàm diuitiæ immensæ. Hic autem non est alius quàm honestas virtutis; nam cum alias ob causas bonum nomen opibus anteferri debeat, vel ex eo maximè quod diuitiæ vitiis plerunque inseruire solent : at bonum nomen virtutis,

A & honestatis non comes solum, sed etiam satelles, defensor, ac vindex est.

Cæterum si bonum nomen cum diuitiis in vniuersum conferamus, hæc certe multis aliis nominibus eidem cedunt. Primò, quia eò magis bonum aliquod homines beare dicendum est quò diuturnius: atqui diuitiæ cum homine ipso depereunt, & ad alios transferuntur; fama verò post mortem ipsam perennat, imò potiùs ipsa nominis celebritas obeunte homine vires recipit, atque eò maior, ac dignior habetur, quo certius est, ipsam olim post mortem nulla dedecoris nota denigrari, aut infici posse. Secundò, quia diuitiæ extra hominem sunt, & nullum internum bonum continent, at bonum nomen etsi ab æstimatione, & opinione hominum pendeat : tamen in virtute, ac rectè factis fundatur. Mitto alias boni nominis præstantias. 3.

B

Atque illud interim animaduerto, quod quemadmodum lectio illa originalis, & lxx. *Eligibilius est bonum nomen,* &c. peculiarem habet energiam, ita etiam Vulgata cum ait. *Melius est bonum nomen,* &c. nam dum melius esse dicit, apertè innuit hoc ita diuitiis præferendum esse, vt, quoties alterius discrimen subire necesse est, diuitiarum omnium iacturam potius quam boni nominis vel leuem notam incurrere oporteat. Quapropter appositè ad hanc interpretationem subdit.

C *Super argentũ, & aurum gratia bona.* i. fauor, & beneuolentia ciuium pecuniis anteponi debet: sed dum pecunias gratiæ cedere affirmat, non obscurè innuit, eas non solum contemnendas, sed etiam profundendas esse, vt hæc gratia sarta tectaque sit. Nam diuitiæ ingentes ferè populi odium, inuidiamque conciliare : addo etiam, insidias, & pericula possessori suo struere consueuerunt. Quapropter quicumque hominum gratiam inire cupit, aut pecuniis opibusque omnino carere, aut easdem profusè erogare debet, nam qui caret, inuidiam odiumque vitat, qui verò expendit beneuolentiam eorum largitionibus promeretur. Quapropter cùm Salomon ait, *Super aurum, & argentum gratia bona,* perinde est ac si dicat, *bona super aurum & argentum gratia,* (nam vox illa *bona* non cohæret cum gratia, tamquam adiecti- 4.

D uum cum substantiuo, sed vicem agit comparatiui, iuxta modum loquendi Hebræis familiarem : ita vt *bona super aurum, & argentum gratia,* tantundem valeat ac *melior auro, & argento gratia.*) Sic inquam Salomon decernit longè præstabilius esse, auro, & argento carere, vel quia illud prorsus non habeas, vel quia illud liberaliter, & effuse expenderis, quàm ciuium gratia, & fauore, ex his enim alterum tibi euenire omnino necessum est.

2. *Diues, & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus.*

E

Diues & pauper, &c. Hebr. *Faciens omnes ipsos Dominus.* Chald. & lxx. à nostra interpretatione non abeunt : illi autem voci *obuiauerunt sibi,* subest quidem in Primitiuis נפגשו *Niphgasu* ex radice *Phagas.* i. occurrit, vel obuiam iuit : aliquando ad gratiam, & concordiam, nonnunquam etiam ad contrarietatem, & pugnam referri solet. 5.

Huius igitur loci non vna facies. Rodolphus illi verbo, *obuiauerunt,* hanc vim inesse dixit. i. sibi inuicem occurrerunt. Finge, inquit, tibi duos, quorum alter ad sublime fastigium ascendit, alter ab illo actus in præceps ruit, hi sane sibi mutuo occurrunt, Rodolph.

vtrique

vtrique verò ſuæ fortunæ Deus auctor exiſtit, nam, & diuitem auxilio ſuo ad verticem eleuat, & pauperem ſimiliter à vertice deponit. Sed quid inde ? ſane inde fit diuitem non propterea extollendum iri, nec pauperem ſimiliter deiici, aut deſpōdere animum debere, quia vtraque fortuna à Deo eſt, ac propterea quemlibet ſua ſorte contentum eſſe oportet, & viciſſitudinem, ſeu commutationem rerum, aut timere, aut ſperare. Poteſt autem vrgeri verbum illud, *obuiauerunt ſibi*, vel vt reſtituit ad verbum Chald. *Occurrerunt ſibi mutuo, aut inuicem*, ita vt ſignificet ſupra dictam viciſſitudinem, quaſi dicat, ea eſt diuitiarum inconſtantia, vt pauper diueſque per vices quaſdam ſibi ipſis in decliui rerum humanarum præcipitio obuiam veniant: nam qui nuper è faſtigio deiectus B altero aſcendente decidit, rurſus illo decidente ſurgit, & ad ſuperiora conſcendit, & ſic per vices ſeſe excipiunt, *ſed vtriuſque operator eſt Dominus*, i. vtriuſque ſortem Deus ideo facit, ne alter alteri inuideat, ne alter alterum deſpiciat. Fruſtra hîc multa de diuitiarum inconſtantia, & conuerſione. Hanc expoſitionem leuiter inſinuat Rodolphus, & vti à me declarata eſt, ſatis accommodatè verbis aptatur.

6. Secunda interpretatio eſt Caiet. & Hugon. & illam præferre videtur Ianſ. quæ ſic habet. *Diues & pauper obuiauerūt ſibi*. i. ſibi mutuo cōtrarij ſunt, ſed inter vtrūq; Cardinalē hoc intereſt, quod Caiet. de oppoſit. quæ inter ipſoſmet ſtatus ex natura rei verſatur, non de affectiua cōtrarietate accipere videtur hoc ſenſu, C Diues vtique, & pauper duæ ſunt perſonæ inter ſe ex conditione ſua contrariæ, & ſub eodem hominum genere à ſe inuicem valde diſtantes, *ſed vtriuſq; operator eſt Deus*. Quaſi dicat, duas iſtas res tanto diſſidio inuicem confligentes Deus ipſe condidit. Quapropter nec diues ſuas opes ſibi ſumere, & arrogare, nec pauper etiam egeſtatem ſuam incuſare, & ſibi propterea minus placere: nec rurſus qui hunc vel illum adſpicimus vni potius, quàm alteri deferre debemus. Et quidem cùm Deus vtriuſque pauperis ſcilicet, ac diuitis auctorem ſe eſſe, & formatorem glorietur, neſcio qua ratione ex pauperis efformatione magis efferri poteſt. Obſerua igitur verba illa. *Vtriuſque operator eſt Dominus*, ſic germanè reſtitui, *vtriuſque formator eſt Dominus*, ſic adnotat hîc Ianſen. nam verbum D עשׂה *Ghoſch*, quod hîc ſubeſt, propriè ſignificat formare, aptare, aut polire, & ad ſtatuariam vel pictoriā artem genuinè ſpectat, quamuis latiori ſignificatione ad omnem aliam actionem, aut operationem notandam aſſumi ſoleat. Ita igitur lego, *vtriuſque formator eſt Deus*: Iam nunc expende quantum interſit inter eum, qui nudam ſtatuam, aut veſtitam ex marmore effingit, aut etiam nudam imaginem, aut pulchrè veſtibus ornatam penicillo exprimit. Sicut. n. ſtatuarius pictorque maiorem ſuæ artis peritiam tunc produnt, cùm nudas ſtatuas aut formas elaborant; nam membrorum, & neruorū aptam compaginem, & conformationem ad viuum exprimere difficilius longè eſt, E quàm veſtes verſicolores auro gemmiſq; ornatas pigmentis adumbrare, aut ferro inſculpere; ita etiam Deus longè melius artis ſuæ ſeu potius omnipotentiæ facultatem, & gloriam nobis commendat, cum pauperem ſua ſorte contentum nudum, & rebus omnibus deſtitutum, & orbum condidit, quàm cùm diuitem copiis affluentem auro gemmiſque inſignem effingit. Nil certius; nam paupertatem, eiuſque iniurias conſtanter ferre arduum magis, ac difficile eſt, quàm diuitiis non abuti: quamuis diuitem etiam ita ſe demiſsè gerere, vt inter circumfluentes copias non extollatur, & faſtu intumeſcat, maximæ gloriæ ſit; atque adeo diues eiuſmodi inter præſtantiſſima Dei opera meritò cenſetur à Salomone, cùm ait, *ſed* A *vtriuſque operator, aut, formator eſt Dominus*.

Caiet. Hugo. Ianſen.

Ad hæc poteſt aliter tranſlatio iſta, vel ſimilitudo, quæ à pictore petita eſt ad Chryſoſt. ſententiam trāſferri, qui de diuite viuo, aut picto ſic ſcribit, cui etiam pauperem adiungit. *Nec. n. cū pictos in tabella diuites videmus dignos admiratione putamus, vt nec mendicos iſthic exaratos miſeros, ſint picti licet viuis noſtris diuturniores: faciliuſque pictus in tabella diues, quàm viuus in rerum natura conſiſtat. Nam in centeſimum ſæpe annum tabella durat, cū tamen qui tam belle ſibi diues placet, ſæpe vnius anni ſpatio rebus omnibus exuatur*. Hæc verba citantur in ſimilitudinibus. Centuria 1. Quibus verbis Chryſoſt. hoc ſibi vult, diuitias, & paupertatē non eſſe vera bona aut mala, ſed adumbrata: non viua, ſed depicta, & fucata: imò formis ipſis depictis louia magis ac fluxa. Nam picturæ ad centeſimū annum indeletæ peruenire ſolent, diuitiæ autem ſæpius anni periodo dilabuntur. Atque adeo nec diuitias eſſe ſuſpiciendas, nec paupertatem eſſe vituperandam. Ergo ad hunc ſenſum tranſlata Salomonis ſententia ſic habet. *Diues, & pauper obuiauerunt ſibi, ſed vtriuſque operator*, vel potius, *formator eſt Dominus*, id eſt, diues, & pauper ſiquidem ſibi inuicem obuerſentur, & è regione vnius alter ponatur, contrarij videntur, alter enim fœlix, & beatus: alter verò miſer, & infœlix vulgo cenſetur. Sed tamen ſi res exactiùs æſtimētur, vtriuſq; formator aut depictor eſt Deus, atque adeo diues non viuus, ſed pictus, pauper item non verus, ſed adumbratus: Quapropter nec diues beatus, nec pauper miſer, quemadmodum picti, & adumbrati hominis nulla eſt, aut fœlicitas, aut miſeria. Ad hanc ſententiam pertinent etiam verba eiuſdem Chryſoſt. in Homil. 4. de Lazaro. *Quemadmodū, inquit, conſpicientes in parietem pictum diuitem, aut pauperē, nec illi inuidemus, nec pauperem deſpicimus, eo quod quæ videmus vmbra rerum ſunt, non veritas: ſic & diuitiarum, & paupertatis naturam, ſi pernouerimus, liberabimur à perturbatione, quæ ex harum vnaquaque in nobis gigni ſolet. Hæc enim omnia quamuis vmbra fallaciora, neque quidquam habent ſublime, neque præclarum*, &c. 7. Chryſoſt.

Tertia interpretatio huius loci ad hunc modum conformari poteſt, *Diues, & pauper obuiauerunt ſibi* (hæc verba æqualitatem quandam ſonant.) Hunc ad ſenſum aliqui vocant illa verba Pſalm. 84. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi*, id eſt, eiuſmodi duo attributa in Deo æqualia ſunt, vnum alteri non cedit. Ergo ad eundem modum Salomon, diues, inquit, ac pauper ſibi mutuo obuiā fiunt: nec enim pauper vt diuiti deferat proſterni aut de via decedere, ſed ex aduerſo illius ſtare, & contra illū pergere debet. Reddit autem rationem ſubiectis verbis, quia *vtriuſque operator eſt Deus*, id eſt, quia vtrumque Deus æquali potentia condidit, & æquali gloria donauit. Audi Chryſoſt. ad illa verba Pſalm. 48. *ſimul in vnum diues ac pauper*, vbi de hac diuitum ac pauperum æqualitate luculenter diſſerit. *Simul in vnum diues ac pauper. Nullum arcet auditorem, ſed vniuerſa doctrina ex æquo profunditur, & pauperi, ac diuiti menſa communis exhibetur. Poſtquam enim dixit, id quod omnes vnit, eos videlicet eſſe terrigenas, & filios hominum. Quique terrigenæ, & filij hominum, & communem eſſe naturam, oſtendit tunc quā ex rebus ad hanc vitam pertinentibus videbat eſſe, differentiam: inæqualitatem verò oratione ſua excludit, communiter omnes vocans: Simul in vnum diues ac pauper. Eſt. n. cōmunis noſtra natura, cōmuniter omnes voco, communis noſtra mater, communiter voco: communis noſtra ciuitas eſt orbis terrarum. Sed ſi ex paupertate, ac diuitiis differentiam aliquam, & inæqualitatem introduxiſtis, atqui eam quoque rurſus eiicio, non diuites quidem vocans, pauperes autem expellens, ſed, & hos, & illos. Et non ſolummodo hos, & illos*, (verbi gratia)

8. Pſalm. 84. Chryſoſt.

gratia) hos, id est, diuites priores, illos verò, id est, pauperes posteriores, sed simul in vnum, vt sit communis conuentus, communis oratio, communis etiam auditio. Licet dines ex eodē luto natus es, idem tibi fuit cum paupere ingressus, & idem ortus: & tu hominis filius es, & ille. Demum ex præscriptis sic conficit Chrysost. *Cum ergo quæ sunt præcipua, & magis opportuna, & honore æqualia ex æquo habeatis: cur propter vmbras, & somnia intumescis ex his quæ nihili sunt, communia distinguens, communia naturæ, communia ortus, & generationis, communia affinitatis & necessitatis? Cur amictum exteriorem adducis, vt distinctionem ex eo efficias? Non fero, nō patior. & ideo voco te cum paupere simul: simul, inquam, in vnum diues, & pauper.* Hactenus Chrysost. cui accinit etiam D August. de verbis Domini, serm. 25. qui est de diuite, & Lazaro. *August.* *Aduertit, inquit, sanctitas vestra opulentiam diuitis, & indigentiam mendicantis, vnū cibis æstuantem, & alium fame deficientem: ambo quidē homines, ambo carnales, ambo mortales, sed non ambo æquales,* & post pauca. *Audiant nunc diuites, qui nolunt esse misericordes, quia vna omnes nascimur lege, vna viuimus luce, vnum spiramus aërem, vna quoque extinguimur omnes morte,* &c.

9 Cæterum licet præscriptæ interpretationes non sint ineptæ, præstat quidem, me iudice, quarta expositio, quam in hunc locum coniecit Augustin. in lib. Homiliarum Homil. 13. vbi sic scribit. *Pauperes egere voluit Christus, sed propter nos. Omnes pauperes, quos videtis, potuit illos Christus pascere, quomodo per coruum Heliam pauit: tamen cùm, & ipsi Heliæ subtraxit coruum, vt à vidua pasceretur, non Helia præstitit, sed viduæ: Quando ergo Deus pauperes facit, quia ipse nō vult vt ipsi habeant, quando, inquam, facit pauperes, probat diuites: sic enim scriptum est, Pauper, & diues occurrerunt sibi. Vbi sibi occurrerunt? in hac vita: natus est ille, natus est & iste, inuenerunt se, occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus: diuitem quidem fecit vnde pauperem adiuuaret, pauperē vnde diuitem probaret. Pro viribus suis vnusquisque faciat.* Hactenus Augustin. ex quo istiusmodi sententia elicitur. *Diues, & pauper obuiauerunt sibi,* id est, alter alteri obuiam amicè processit, vt alter alteri suppetias, & auxilium ferret: propterea enim vtrumque fecit Deus vt sese mutuis operis iuuarent. August. quidem hanc mutuam operarum, & auxiliorum corrogationem ad eleemosynam, & misericordiam referre videtur, vt sit sensus: *Vtriusque operator est Dominus.* Quasi dicat, diuitem ideo fecit Deus vt pauperi necessaria administret, pauperem verò ideo condidit, vt diuiti suppetat beneficentiæ opportunitas, atq; adeo beneficentiæ fructus capiat, vel etiam ideo pauperem esse iussit, vt hic necessariis emolumentis à diuite acceptis diuiti necessaria ad salutem exoraret: diuitem verò, vt hæc illi conferret. Sic idem August. in serm. illo 25. de verbis Domini. *Diues, inquit, ac pauper duo sibi sunt contraria, sed iterum duo sibi sunt necessaria: nullus indigeret, si inuicem se supportarent, & nemo laboraret si se ambo iuuarent: diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem factus est. Pauperis est orare, & diuitis erogare.*

10 Sed licet hæc verba de misericordia aptè admodū explicentur, possunt tamen in vniuersum de aliis auxiliis, quibus pauperes ac diuites se mutuo subleuāt, exponi. Non minima enim diuinæ prouidentiæ pars fuit ad societates hominum concinnandas sic conditiones hominum distribuisse, vt hi pauperes atq; illi diuites sint, vti sibi alij aliis mutuas operas impendant. Igitur huius loci, me iudice, genuina sententia sic habet. Diues, & pauper obuiauerunt sibi, vt videlicet vnà simulq; viuerent, & mutua sibi auxilia præberent. *Et vtriusque operator est Dominus*, ita enim

A ea, quæ in ipso est rerum humanarum prouidentia postulabat, vt societas, & concordia esset inter homines. Quid certius? Audi Chrysost. in Homil. 34. in Epistolam 1 ad Corinth. *Chrysost.* *Neque enim diuitibus solum opus habent pauperes, sed etiam diuites pauperibus, & illi quidem magis his, quam hi illis, & vti hoc videas manifestiùs, faciamus, si ita videbitur, duas ciuitates, alterā quidem diuitum solum, alteram vero pauperum: & neque in ciuitate diuitum sit vllus pauper, neque in ciuitate pauperum sit vllus diues; sed vtrasque exactè expurgemus, & videamus vtra magis sibi possit sufficere. Ergo si in illa quidem locupletum ciuitate nullus erit opifex, nullus ædificator, non faber, non sutor calcearius, non pistor, nec agricola, non faber ærarius, non funium contextor; quis* B *enim ex diuitibus hæc vnquam tractare voluerit, cùm etiam hi, qui hæc tractant, cùm euaserint diuites, non sustineant afflictionem, & miseriam, quæ ex his existit operibus? Quomodo ergo stabit hæc ciuitas? data, inquies, pecunia, hæc ement à pauperibus. Sibi ergo non sufficient, si illis opus habent. Quomodo autem domos ædificabunt? an hoc etiam ement? sed non est ea huius rei natura, necesse est ergo illic vocare artifices, & legem violare, quam tulimus, diximus enim, nemo sit intus pauper.* Hactenus Chrysost. Et quidem ob eam causam Aristoteles meritò incusat, & carpit Socratis, Platonisque Respublicas, quorum alter omnes ciues æquali fortuna donauit, ita vt neuter altero egeret. *Aristot.* Nam si ita, inquit, res se haberet, non essent vtique artifices, fabri, & agrico- C læ, qui propterea eiusmodi artibus sese addicūt, quia paupertas illos compellit. Alter verò opes, ac fortunas communes omnium esse iubebat; in tanta verò, inquit, conditionis ac fortunæ æqualitate nemo facilè adduci posset, vt artes quasdam minus honestas, sine quibus vita duci non potest, exerceret, sed potius omnes ad ea quæ maximè gloriosa sunt, id est, ad Reipublicæ administrationem adspirarent. Hæc ille spectata tantum politica administratione, de qua ibi agit, atq; adeo Polit. lib. 2. cap. 3. sic demum infit. *Necesse est duas ciuitates in vna esse ciuitate, & eas inter se contrarias, aliam scilicet pauperum, aliam verò diuitum.* Quapropter vrbem similem esse dicit harmoniæ, quæ ex inæqualibus vocibus constat. Et rursus alibi non D aliter homines plebeios, ac pauperes, cum opulentis ac nobilibus permisceri oportere affirmat, quàm panis cum aliis lautioribus cibis; nam sicut alij cibi sine pane deuorati acescunt, & nihil boni succi habent; panis item solus sine aliis eduliis stomachum immodicè replet, atque onerat, ac digeri distribuique non potest: Ita etiam in vna ciuitate diuites, si pauperes abessent, apud se quidem tabescerent, & nihil Reipublicæ præstarent; ac rursus pauperes sublatis diuitibus Rempublicam grauarent, ac regi, moderarique non possent. Redeo ad Salomonem, cuius verba nouo schemate replicari possunt. *Diues, & pauper obuiauerunt sibi,* sibi inuicē contrarij sunt: ita enim certè accidit, vt pauperibus diuites inuisi, & rursus di- E uitibus pauperes hostes sint, de quorum inimicitiis latè Aristotel. lib. 4. Polit. cap. 1. atque eò spectauit cùm dixit. *Necesse est duas ciuitates in vna esse ciuitate, & eas quidem inter se contrarias.* Quamuis igitur duæ istæ hominum conditiones inter se dispares adeò, & contrariæ sint, tamen *vtriusque operator est Deus*, atque in eo summa ipsius prouidentia enitescit quod contraria in concordiam adducit, & ex illis integram, & consonam vnius Ciuitatis, aut Reipublicæ harmoniam temperat. Alias verò mysticas expositiones huius loci legere licet apud Hugonem.

3. Callidus

3. *Callidus vidit malum, & abscondit se: innocens pertransiit, & afflictus est malo.*

1. CAllidus vidit, &c. Hebr. *Simplices transgressi sunt, & mulctabuntur.* Reliqua concinnunt; pro callido autem seu astuto, subest hîc vox illa ערום *Gharom*, de cuius vi, ac significatione sæpe aliàs diximus, quæ ex quorundam Hebræorum sententia, propriè eum astum adsignificat, qui in serpentibus viget, de quo Genes. 3. *Serpens autẽ erat Gharom. i. callidior cunctis animantibus terræ.* Chald. *insipientes trãsierunt, & multati sunt.* lxx. verò locum istum alium ad sensum transtulerunt. *Callidus videns malignum punitum valde ipse eruditur: imprudentes autem prætereuntes damno affecti sunt.* Aquila, & Theodot. *Vidit malum, & abscondit se*, sicut nostra.

Imprimis ergo adnotare oportet, voces illas *callidus*, atque *innocens*, necnon illas, quæ his subiacent in Primitiuis, valde ancipites esse, & tam in bonam, quàm in malam partẽ rapi solitas: *callidus* enim prudentem æque, & astutum sonat, *innocens* verò eum, qui culpa vacat, candidum scilicet, ac simplicem; necnon stolidum ac stupidum hominem notat. Hæc sanè alibi obseruaui, vbi exempla non pauca dedi, quibus fidem huic obseruationi facerem. Rursus pro voce illa *malum*, subest Hebr. רעה *Raghah*, id est, *malam*. Nam si verbum ex verbo restituas, locus sic efferendus est, *callidus vidit malam*: occurrit autem duplex Hebraici idiomatis propria phrasis: imprimis enim apud hos fœmineum genus iacet pro neutro, quo ipsi carent. Hinc fluxit nostra lectio, *Callidus vidit malum, & abscondit se*, deinde solemne est eisdem fœmineum genus vsurpare pro masculeo, sed tum maximè cùm viris aliquid fœmineum, & molle tribuitur, vt alibi ex Hieronymo animaduerti. Hinc etiam manauit translatio lxx. *Callidus videns malignum punitum*, &c.

12. His ergo præiactis locus iste triplicem ad sensum vocari potest, primus est Bedæ, Hugonis, Dionysij, & aliorum, qui cùm vocem illam *callidus*, in malũ verterint, illam verò *innocens*, in bonum, sic locum istum edisserendum putant. *Callidus vidit malum, & abscondit se*, i. vir improbus, qui per astum, & hypocrisim honestatem simulat, & prauitatem dissimulat, vbi malum aliquod, miseria, aut infortunium pro fide aut honestate sibi inferendum præuidit, statim sese proripit, & in tuto ponit, *innocens autem pertransiit, & afflictus est malo*, is scilicet, qui vacat crimine, & simplicitate, candoreque animi præditus est, interritus pergit, & dum modo fidem aut probitatẽ tueatur suam, quæuis discrimina securus adit, & ærumnis, cruciatibus, ac morti sponte sese offert. Itaq; hoc inter simulatorem, & candidum fidei honestatisque cultorem interesse dicit, quod ille ærumnis petitus sese abscondit celatque, hic verò palam, & publicè eisdem sese offert. Huc spectant insignia quædã verba Nazianzeni oratione 20. in laudem Basilij. *Iam cum aliis*, inquit, *quædam cognomenta sint vel à parentibus accepta, vel à seipsis, hoc est ex propriis vitæ studiis institutisque comparata: nobis contra magna res, & magnum nomẽ erat Christianos palam, & esse, & nominari, itaque ea re magis efferebamur quàm Gygis palæ annuli conuersione (siquidem hoc fabulosum non esset) per quam Lydiorum tyrannidem occupauit.* Expende sententiæ venustatem, Gygem annulum habuisse fabulæ perhibent, ea vi præditum vt pala ad ipsum conuersa illico sese absconderet, & humanis aspectibus eriperet. Ait ergo Gregorius, nobis sanè gloriosum erat Christianos propalam, & esse, & dici, atque ea re magis efferebamur, *quàm Gygis palæ annuli conuersione*, qua sese humanis oculis efferabatur: non enim nobis is animus aut mens inerat, vt fidem nostrã, & professionẽ celaremus, sed magis vt eam publicè in omniũ hominũ frequẽtia & oculis vẽditaremus: quasi diceret. Cœli regnum à Christianis, nõ vti à Gyge Lydiorũ imperiũ, occultata fide, aut probitate per simulationẽ capessẽdũ est, sed publica, & celebri eiusdẽ ostentatione. Sed libet nunc iuxta hanc interpretationẽ vocẽ illã *Charõ*, libræ cõmittere, quæ, vt nuper dixi, germanè de serpentis astu enunciari solet. *Callidus videt malum, & abscondit se*, astutiæ videlicet serpentinæ æmulus: serpens. n. cùm vere tẽpẽte æstateq; calẽte in apertũ prodire, & hinc inde excurrere soleat, vbi frigore autũni tẽperiem soluere, & hiemẽ sæuire sensit, actutũ in latebras illabitur, & ibi tãdiu hæret, donec eundẽ iucunda veris tẽpestas iterũ inuitat vt ex latebris in apertum proserpat. Non aliud certè vafri simulatoris ingenium, qui secundis faustisque rebus suam aut fidem aut honestatem publicè celebrat, vsurpatque; at verò fortuna reflante, & persecutionis hyeme ingruente, in latebras abit, & abscondit se. Aliter innocens, &c.

Nazianz.

Secunda expositio est Caietani, Iansenij, & Rodolphi, qui per *callidum* virum intelligunt prudentẽ, & cautum, nomine autẽ *innocẽtis*, stolidum, & insipientẽ hominẽ accipi volunt, atq; adeo sic locũ exponunt, *Callidus vidit malum, & abscõdit se*, id est, vir prudẽs per suam vtique prouidentiã futura attingit, atque adeo mala imminentia mente præit, & antequam ipsum impetu suo inuoluant secedit, ac sese in tutũ vendicat. *Innocens verò pertransiit, & afflictus est malo*, id est, stultus videlicet ac improuidus homo futura incõmoda nõ præuidet, atq; adeo ipsum inuadũt. Sed obseruandũ est verbũ illud, *pertrãsiit*, quod aliqui ad transgressionẽ legis referũt, ita vt simile sit hæc illi sententiæ: *sapiẽs timet, & declinat à malo, stultus transilit, & confidit*, id est, transgreditur, perpetratque scelus. Alij rursus perinde esse dicunt, ac vltra progreditur; vt sensus sit, Cùm virũ cautũ ac prudẽtẽ sæpius mali ingruentis præsagium ab inceptis reuocare soleat: stultus contra cœpta semper vrget, & dum malũ incidens non prænoscit, ab ipso malo sæpius abripitur, & inuoluitur. Potest etiam ad hãc viri sapientis prouidentiam aliquis etiam serpentis astus aduocari, *Callidus vidit malum, & abscõdit se.* Notum est illud serpentẽ imminẽtes capiti ictus reliqui corporis obiectu & oppositu declinare: itaque serpenti non alia sese occultãdi ratio magis propria est quàm vt caput abscondat, atque eo tecto reliqua exponat. Hominem ergo prudentem ac fortem hæc, & non alia sui occultatio decet. Tunc enim se satis contectum, & absconditum iudicare debet, cùm caput occuluit, etiamsi reliqua in discrimen vocentur, siue capitis nomine Christus Dominus capiatur, siue Dei gratia, secundùm Augustinum, siue fides, & religio, secundùm Athanasium, vel si placet, honor, & bonum nomen, secundùm Plutarchum: hoc enim bonorum omnium externorum caput censetur etiam ipsi vitæ præferendum. Sed illud in hoc serpentis astu præcipuè obseruandum est, quod alia quotquot sese occulere, & abdere parant, aliqua alia re indigent à semetipsis diuersa qua se contegant, serpens autem ipse quidem seipsum occultat etiam in aperto, dum reliquum corpus capiti obtendit. Addisce nobilem hanc prudentiæ partem, in temetipso latebræ tuæ sint, nec opus tibi sit ad latendum etiam in publico alio vti quàm te ipso, ad interna animi tui penetralia te recipe, & inibi serpentis ritu delitescere, & tutũ esse licebit. Ad hanc sententiã traxit non nemo illud etiam Gygis cõmentum, qui annuli 13.

pala ad se conuersa latebat in publico. Nam ideo, inquit, palam ad seipsum conuertere solitū finxit quisquis fabulam inuenit, vt moneret inde viros sapientes vti in semetipsis recessus, & penetralia ad latendū quærerent. Addo etiam, ideo hanc occultandi facultatem annulo ab antiquis fortasse traditam, quia olim annulorum forma erat anguis in circulum sinuatus, & extremam caudam ore admordens, cúmque eadē species esset anni in se redeuntis symbolum, ideo is, qui digitis inserebatur, circulus dictus est annulus, quasi paruus annus; annuli ergo pala serpentis caput erat, atque huius ad se conuersione celabatur Gyges. Quorsum? vt notum esset sapienti, & cato viro, non aliam sibi latendi industriam adamandam, & vsurpandam esse, quàm eam, quæ serpenti familiaris, & propria est.

14. Sept. Tertiam interpretationem offert translatio LXX. quæ sic habet. *Callidus videns malignum punitum valde ipse eruditur, imprudentes autem prætereuntes damno affecti sunt:* sententia est luculenta; Viro prudenti, & sapienti hunc astum dat Salomon, vt alienis damnis commonitus sua redimat, & vt aiunt, *es carmienta en cabeza agena*: è contra verò imprudentum, ac stolidorum hominum stuporem incusat, qui conspectis etiam aliorum fontium ærumnis, ac suppliciis cæpta maleficia vrgent, ac demum grauissima supplicia experiri coguntur. Nobilis admodum hæc prudentia, & calliditas ex alienis malis, & ærumnis erudiri, & periculum sibi acquirere. Addo etiam illam serpentis astum æmulari, nam vt alibi ex Magno Alberto transcripsi, hoc etiam ad serpentis cautam prudentiam spectat, quod si aliquis serpens fuste percussus, & enectus ligno suspensus in aperto exponatur, reliqui toto tractu serpentes diffugiunt, & alias plagas quærunt. Aptè igitur Salomon, *callidus*, id est, *gharom*, is scilicet, qui serpentinam prudentiam nactus est, *Videns malignum punitum*, hoc est sontem aliquem suorum scelerum pœnas luere, valde ipse eruditur, id est, inde eruditus, edoctusque sibi cauet.

---

4. *Finis modestiæ timor Domini, diuitiæ, & gloria, & vita.*

15. Finis modestiæ, &c. Hebr. *propter mansuetudinem timor Domini, opulentia, & gloria, & vita;* sic habet Pagninus, subest autem pro causali illa, *propter*, in Primitiuis vox עקב *Ghekeb*, quæ non solum causalis vim habet, sed etiam calcaneum significat, & per similitudinem *finem* cuiusque rei notat, aliquando etiam *mercedem* sonat, quod hæc in calce operis donari consueuit, quemadmodum etiam apud Græcos τέλος, id est, finis, ad operis etiam compensationem significandam asciscitur. Rursus pro voce illa *modestiæ*, iacet in originibus ענוה *Ghanauah*, mansuetudinem, humilitatem, & modestiam sonans. Pagninus ergo in Lexico sic conuertit. *Finis humilitatis timor Domini.* Reliqui Hebraïzantes, *Finis mansuetudinis.* Noster vocem vsurpauit latiùs patentem; nam *modestia* à modo dicta, atque adeo cùm modum elationi imponit, humilitas, cùm modum iræ præscribit, mansuetudo: ac demum cùm diuitiis voluptatibusque modum figit, temperantia appellatur: Chaldæus ergo sic transtulit. *Merces mansuetudinis timor Domini.* LXX. verò sic habent. *Progenies sapientiæ timor Domini, & diuitiæ, & gloria, & vita.* Qui pro *modestia* sapientiam adscripserunt, & pro *calce* progeniem aut partum, eodem sensu, quamuis schemate dissimili.

16. His prælibatis adhuc circa syntaxim, & Grammaticam constructionem huius loci dissidium aliquod

A distrahit interpretes, nam quidam sic verba ordinari volunt. *Finis modestiæ, & timoris Domini diuitiæ, & gloria, & vita.* Itaque duas illas virtutes, quæ maximè inter se cohærent, scilicet modestiam, seu potius humilitatem, & animi demissionem, timoréque Domini adiungunt, atque his mercedis nomine diuitias, gloriam, atque vitā respondere affirmant. Placet hæc cōstructio Iansenio, Rodolpho, & aliis, eamque procul dubio lectio originalis sua ambiguitate capit, sed tamen cùm illam trāslatio Vulgata minimè recipiat, audienda non est. Posset tamen aliter verborum series conformari, & ad sensum superioris translationis trahi, quam præfati interpretes reliquis præferendam esse censuerunt, si videlicet dicamus hîc figuram illā admitti quam metathesim vocant, atque adeo nomi-

B num casus esse commutandos, ità vt quemadmodū verba illa Iacob. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, permutanda sunt hoc modo, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudo obumbrationis.* Sic etiam nostra translatio, *Finis modestia timor Domini*, ad eundem modum permutetur. *Finis timoris Domini modestia, seu mansuetudo*, &c. Et quidem ita res habet, nam timor Dei humilitatem, & modestos mores animo immittit, & exultantes eiusdem motus compescit. Sit ergo hæc prima, imo potius germana translationis nostræ interpretatio, *Finis timoris Domini modestia, vel humilitas, vel mansuetudo.* Vtique timor Domini modestiam efficit, siue mode- Iacob. 1.

C stia pro humilitate siue pro mansuetudine sumatur. Ad humilitatē spectat illud, *Timor Domini super omnia se superposuit.* Ecclesiastici vigesimo quinto, vt scilicet omnia pondere suo, & grauitate deorsum premat, & ad ima deiiciat, ne eandem fastus, & arrogātia attollere possit. Nam in Græcis est ὑπερέβαλεν, i. superiecit se, vel insedit, vt scilicet omnia supprimeret; fit autem à verbo ὑπερβάλλω ὑπερβολή, seu Hyperbole, quę ab Aristotele sic definitur, *Emētiēs superiectio.* Nota est huius figuræ natura, quæ ad res supra modum augendas, aut imminuendas eleuandásque per significationem excessus inuenta est. Ergo cùm audis, *Timor Domini super omnia se superposuit*, vel ὑπερέβαλεν, sic accipe ac si dicat, sic se rebus omnibus im-

D posuit, vt ipsas, liceat sic dicere per hyperbolem, imminuat atque eleuet: ab hoc timore natæ familiares illæ sanctissimis Patribus dicendi formulæ, quibus se per hyperboles deiiciebant. Diuus Franciscus se peccatorum omnium maximum iactabat; Paulus se Apostolorum minimum dicebat, & alij alia his similia vsurpare consueuerunt, quæ ad hyperbolicum sensum referenda sunt. Huic etiam interpretationi non parum inseruit originalis lectio, in qua pro fine calx aut calcaneus subest, ita vt liceat cōuertere. *Calcaneus timoris Domini humilitas, aut modestia*, id est, timor Domini humilitate sibi adiuncta veluti calcaneo quodam omnia proterit, & sibi substernit, hoc enim calcaneo caput serpentis, id est, arrogantia, &

E elatio premitur, & cùm audis illud, *Timor Domini super omnia se superposuit*, puta illam hoc calcaneo, id est, humilitate rebus omnibus insistere. Denique succedat memoriæ id quod alibi de lupi calcaneo ex Plinio adscripsimus, eam scilicet vestigiis suis imprimere vim, vt sicubi equus eadem calce suo presserit illico rumpatur, ac crepet. Quandam ergo huic adsimilem timori Dei aduersus elationem vim, & potentiam tradendam esse affirmare ausim, nam vbicunque timor iste humilitatis sibi agnatæ calce vestigia fixit superuenientis elationis (quam equus passim adumbrare solet) tumor disrumpitur, & omnis superbia detumescit. Huic vero suprascriptæ historiæ, quam de Plinio decerpsimus de naturali historia libro vigesimo nono, capite vigesimo, fidem

facit

facit Conradus,& ratione pariter offert, quia equus vbi lupi veſtigia carpere cœpit,ob naturæ ſagacitatem hoſtem ſubodoratus,metuque perculſus tantos ſpiritus proflare incipit, vt ſubita inflatione nõnumquam corrumpatur. Hæc ille,quæ in ſuperbiam aptiſſimè cadunt,hæc enim ex veſtigiis ab humilitate in animo impreſſis timorem Dei principem ipſius aduerſarium ſuſpicata , atque , liceat ſic dicere, ipſum Dei timorem timens,maioreſque ſibi aduerſus illum ſpiritus ſumens ſua ſe ipſam inflatione rumpit.

17. Sed redeo ad ſentẽtiam,poſt illa verba, *Finis timoris Domini humilitas*,ſubnectit, *diuitia,& gloria,& vita*,quæ ſic reliquis aſſuenda ſunt.Timor Domini humilitatem parit,diuitias,item gloriam & vitæ diuturnitatem,vel potius,timor Domini humilitatem producit,idem verò timore mercedis loco diuitias, gloriam, & vitæ perennitatem capit. Quapropter cùm vox illa *ghekeb*, quæ hîc ſubeſt, *finem*,atque *mercedem* ſonet (me iudice)hoc in loco vtramque ſignificationem ſortitur,& quatuor illis modeſtiæ, diuitiis,gloriæ atque vitæ , provt vnaquæque poſtulat , accommoda eſt, vt ſit ſenſus , *Finis vtique ac merces timoris Domini eſt modeſtia*, diuitiæ, gloria & vita : modeſtia nimirum finis eſt,diuitiæ autem , gloria & vita merces eidem reſpondens.

18. Quod ſi per modeſtiam,morum lenitatem & manſuetudinem capiamus,ſenſus etiam euadet non inſulſus. *Finis timoris Domini manſuetudo*(ſeruãda eſt enim eadem verborum configuratio) id eſt,timor Dei mãſuetudinem tandem producit, atque ſequientes efferoſque animi motus in lenitatem vertit. Memini ſane me ex Ariſtotele de partibus animalium exceptũ ſupra adſcripſiſſe id quod nunc referibendum putaui,ſcilicet animalia quædã valde timida difficilius cicurari,& ad manſuetudinem traduci, ſæpè enim vidimus ex animantibus leones,tygrideſque mites fieri , lepores autem non ita , ex auibus etiam Aquilas Hieroſalios & id genus audaces quaſdam alites,cicures paſſim conſpicimus, turtures autem,paſſeres , & aliæ quædam timidiores auiculæ nullis popiſmis mãſuefiunt.Ratio autem eſt in promptu, quia illa, quæ timidiora ſunt,neu ſeſe cicuranti omnino credant,timor ipſe in cauſa eſt : cùm contra audacioribus illis ipſamet audacia fiduciam inſpiret. Si ergo hæc ita ſe habent,qua demum ratione fieri poteſt, vt timor Dei efferos hominum animos ad manſuetudinem traducat ? Huius rei rationem nobis offert ipſa timoris Dei natura,per quam non conſternatur,& deiicitur, ſed magis erigitur,& acuitur hominũ animus : qui enim Deum ex animo timet , confeſtim reliqua omnia timere deſinit, ſupra cap. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis,atque filiis eius erit ſpes*.Eccleſ. 34. *Qui timet Dominum nihil trepidabit,& non pauebit,quoniam ipſe eſt ſpes eius*.Huc ſpectat etiã illud Aug.in Pſalm. *Timor præſens ſecuritatem generat ſempiternam ; time Deum,qui ſuper omnes eſt,& hominem non formidabis.* Ergo cùm timor Dei homini fortitudinem & audaciam immittat , omnemque alium degenerem timorem auferat;hinc eſt,vt illum depoſita feritate manſueſcere, & lenire faciat. Lege Auguſtin. ſerm. 214. de temp.vbi poſtquam verba illa exdendit *timor Domini ſpes fortitudinis*,ſic demum abſoluit: *diſcat timere,qui non vult timere,diſcat ad tempus eſſe ſolicitus,qui ſemper vult eſſe ſecurus:nã ſicut in bona valetudine fames non faſtidio ſed cibo pellitur,ita in bona mente timor non vanitate , ſed charitate pellendus eſt : diſcute ergo conſcientiam tuam, & time Deum, quiſquis timere iam non vis*.Et poſt pauca omnem hunc ſermonem de timore Dei ad manſuetudinis doctrinam trãsfert. *Qui enim*(inquit)*altum ſapit,& ideo non timet,vtique pernicioſe non timet,neque enim pius,& mitis eſt,qui non timet,ſed elatus,& ferox nõ nouit dicere, In Domino laudabitur anima mea,audiant mites,& iucundentur. Quid enim boni amat , qui forte hoc ipſum propter hoc ipſum amat,nihil timere? Poteſt enim hoc ipſum ſibi perſuadere non ſanitate,ſed immanitate,verbi gratia. Eſt aliquis audaciſſimus latro,quanto peruersè fortior ; tanto periculosè crudelior eſt,qui propter ipſum amorem ſuum,quo amat,nihil timere ingentia facinora moliatur , vt quod amat exerceat,& exercendo corroboret , quanto eius fuerint maiora commiſſa,tanto maior erit non timentis ſæuitia*. Hactenus Auguſtin. qui eleganti oratione oſtẽdit per timorẽ Dei mites ac ſuaues mores hominũ rẽddi , è contra verò per timoris defectũ eoſdẽ ad ſæuitiam & immanitatem exacui. Latronis autem exemplum appoſitiſſimum eſt. Aliud etiam exemplũ per contrarium ſenſum ad hanc etiam doctrinam commendandã tranſtulit neotericus Eccleſiaſtes ab equo ſternaci & indomito,qui cùm ob ferociam,& animoſitatem ſeſſorem dorſo & frænum ore nuſquam catenus excepiſſet, ſic demum cicuratus & manſuetudine donatus fuit; productus eſt in circum, & tunc cùm ferociſſimè hac illac excurrẽs exultabat immiſſus contra illum leo, equus autem vt erat animoſus, calces obuertit,illiſque audacter impactis feram cõuertit.Cæterùm conceptus olim ex leonis præſentia timor equi immanitatem ſic perdomuit , vt iã deinceps depoſita feritate mitis , ac lenis ſeſſorem , frænumque non repudiaret , & in gradiendi,currendique vſum ſui omnibus copiam faceret.Ex quo etiam exemplo licet diſpicere, quantum timor Dei ad deliniendos animos valeat,vt poſita ferocia manſuetudini & mitiati reſtituantur:ſed de his ſatis.

Succedat illa etiam tranſlatio,quam de humilitate nuper expendimus,& ſi quidem licet pro *Fine*, *calcaneum* ſubrogare , ſic demum cum Caietano legamus, *Calcaneus timoris Dei manſuetudo* , accipe ergo non inſulſam totius loci expoſitionem ; Rerum vtique poſſeſſio pedis , calciſque impoſitione captatur: hinc *poſſeſſionem* à pedum ſeſſione aut poſitione dictã ferunt. Iam intelligis quò tendam, *Calcaneus*, inquit Salomon, *timoris Dei manſuetudo eſt*,qui timor Dei in iuſtis atque probis hominibus per manſuetudinem, quam ſibi adiunctam habet velut impoſito calcaneo rerum omnium poſſeſſionem capeſſit. i. hanc enim Chriſtus Dominus teſtimonio ſuo mitibus detuliſſe videtur Matthæi 8. cùm ait , *Beati mites,quoniam ipſi poſſidebunt terram*,nimirum ſua ipſius manſuetudine veluti calcaneo illam terentes poſſeſſionemque captantes : Iuxta quam interpretationem aptè admodũ ſubnectuntur illa verba, *diuitiæ,& gloria & vita* , & quidẽ non ineptè alia etiam de cauſa manſuetudini calcaneus datur,quia calce veſtigia premũtur, & via teritur : nulli autem hominum veſtigia ſua tenacius virtuti affigunt , atque adeo eiuſdem viam tritam & apertam aliis capiendam offerunt quàm mites. Hinc eſt illud Pſalmi 24. *Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites vias ſuas*,vt nimirum alij veſtigiis eorum inſiſtant,& quã ipſi extriuerint viam carpant.Eſt etiam nõ nemo,qui ſimilitudinem hîc ductam putat à gregibus , ſeu armentis, in his enim cicures quidam ac mãſueti boues aut arietes præeunt,& reliquam multitudinem ducunt,qui vulgo dicuntur, *manſos*, quos ſcilicet ad id munus paſtor multis modis edocet atque erudit. Non aliter,inquit Pſaltes , *docebit mites vias ſuas*,&c. vt hi reliquis præire poſſint.

20. Alias verò expoſitiones , quæ interpretes verborum tantummodo ſonum ſequentes tradunt , libens omitto,quia & parum idoneas ſententias continent, & ab ipſo literæ ſono minimè recedunt.

Sept. De tranſlatione L X X. ad extremum aliquid ſubſcribere libet. *Progenies ſapientiæ timor Domini, diuitiæ,*

tia, & gloria, & vita, sed cùm aliàs timor Domini sapientiæ initium, caput, exordiumque dicatur, verba LXX. per metathesim eodem modo transposita & permutata fuisse credo, ita vt sensus sic confirmari debeat. *Progenies timoris Domini sapientia*, &c. id est, timor Domini sapientiam parit, hoc est, bonos mores, vitamque cum ratione, & honestate conformem, hæc enim hîc, quemadmodum etiam sæpè alibi in hoc libro, nomine sapientiæ notatur. Quã verò aptæ vitæ honestas & probitas timoris Dei partus, seu proles dicatur, constat ex illo Isaïæ c. 26. *Concepimus & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis*, &c. quæ verba Sept. sic restituerunt. *Propter timorem tuũ Domine in vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis tuæ, quem fecimus super terra.* Quis enim non videat partus dolores & cruciatus aptissimè in timorem Dei eiusque motus quadrare? sed de his aliàs diximus cap. 3. vers. 8. Posteriora autem illa verba, *diuitiæ, & gloria, & vita*, eodem modo huic sententiæ aptanda sunt, quo aliàs eas cum superioribus adstrinximus.

Isai. 26.

5. *Arma, & gladij in via peruersi, custos autem animæ suæ longè recedit ab eis.*

21. ARma & gladij, &c. Hebræi. *Spinæ, & laquei in via peruersi custodiens animã suam*, &c. sic enim text. habet. צנים פחים. *Tsanim, Phachim*, vtraq; autem vox anceps est, *Tsanim* quippe, spinas, tribulos, & scuta sonat, eadem enim est ratio צן *San*, masculini, & צנה *Tsanah* fœminei. Addit Rabi Dauid posse etiam conuerti, *frigora* ad hunc modum. Frigora & laquei in via peruersi. Rursus vox illa *Phachim* in singulari פח *Phach*, si fluat ex radice פוח *Phuach*, laqueos sonat, si tamen eadem referatur ad radicẽ נפח *Naphach*. id est, *sufflare*, aut *conflare*, gladium igne cõflatum significare potest. LXX. ergo sic conuertunt. *Tribuli & laquei in viis peruersis; qui autem custodit animam suam abstinebit se ab eis.* Aquil. Symmach. & Prod. *recedet ab eis*. Chald. *Pedica & laquei in via peruersi.* Sed ex tanta lectionum varietate sententia quidem parum diuersa euadit.

Ergo Rabi Dauid, & illi quoque adhærens Leui, locum istum iuxta eam lectionem, quam ipsi præferunt, ad hunc modum exponunt. *Frigora & laquei in via peruersi*, id est, in via viri peruersi, seu ambulantis per viam peruersam, occurrit frigoris iniuria, quæ ipsum maximè difficilem reddit. Nulla etiam tempestas viatori grauior asperiorque videtur quàm cùm frigus riget. Metaphora autem (ni fallor) ducenda est ab his, qui præalta, niuosa, geluque rigentia mõtium cacumina superare volunt; his ergo adsimiles sunt peruersi homines vias iniquitatis cõficientes. Quemadmodum enim (liceat sic vtrosque conferre) sæpè ac sæpiùs accidit, vt his, qui per eiusmodi niuosos, gelidosque montes viam regunt, sæuiente frigore sanguis concrescat, ita vt conglaciati rigentes hæreant omnino, vltraque pergere aut retrò conuerti non possint, atque adeo inter ipsa frigora miserè pereant: sic etiam cum peruersis hominibus agi crediderim qui viam iniquitatis non solum difficilem, & arduã, sed etiam niuosam agentes, conglaciatã, seu refrigescente charitate inter ipsa suorum scelerum frigora rigidi pereunt: sed tamen vt constat à quonam frigore miseri isti viatores emori cogantur, audiendus est Augustin. ad illa verba. *Ante faciem frigoris quis sustinebit* Psalm. 147. *In faciem*, inquit, *frigoris quis sustinebit.* Psalm. 147. *In faciem*, inquit, *frigoris eius; cuius? Dei, vnde est eius frigus? Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gra-*

August.

A *tiam, hoc est frigus illius.* Et post pauca. *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Ergo desperatio est, absit, sequetur enim, emittet verbum suum & liquefaciet ea*, &c. lege ibi plura. Hoc igitur tam exitiale & mortiferũ frigus in via peruersorum semper riget. Quod si pro peruerso superbum legas, sic enim ante correctionẽ in plerisque Vulgatis codicibus erat, *Frigus in via superbi*, aptior erit comparatio. Hunc enim elatio, fastusque semper ad sublimia tollit, & per altissimos vertices regit, vbi niues ac frigora, imò nulla superbia ipsa frigidior glacie subdit Augustin. *Quomodo enim quasi cumulos niuis erigit glacies, sic stultos erigit superbia*, &c. Sed tamen addit Salomon. *Frigora, & laquei in via peruersi.* Certè his, qui per niuosos vertices
B vias suas regunt, nihil magis ad frigoris vim declinandam vtile quàm nullibi hærere, aut consistere, nam & motus ipse calorem acuit, & à frigido in apricum transfert. Non solum ergo frigora in via peruersorum sæuire dicuntur ad congeladũ, sed etiam laquei ad detinendos, cunctandosque viatores: hinc certior interitus: eapropter, *qui custos est animæ suæ recedit ab ea*, id est, viam hanc deserit, & ad virtutis viam sese transfert.

Secunda expositio petenda est ex translatione LXX. & aliorum, qui sic restituunt. *Tribuli, siue spinæ, & laquei in via peruersitatis: qui autem custodit animam suam, abstinebit se ab eis.* Caietan. & Rodolphus, 22.
C per tribulos diuitias, eo enim nomine à Christo donata sunt, per laqueos verò fallacias & fraudes accipi volunt, quibus opes parantur, itavt sensus sit. In via hominis peruersi, aut in via peruersitatis, & improbitatis, duo sunt, quæ homines probos, pios, & animorum suorum curam habentes maximè ob ea deterrent, nimirum diuitiæ, quæ innumerabilium curarum aculeis mentes configunt, isthæc enim spinæ sunt. *Quis enim* (ait Gregorius) *mihi crederet, si diuitias spinas interpretarer, quia istæ pungunt, illa delectant? & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctione mentem lacerant, cùmque ad peccatum pertrahunt quasi inflicto vulnere cruentant.* Ac rursus fallaciæ fraudesque, quibus opes aut retinent, aut parantur, laquei sunt, his enim veluti laqueis ac pedicis,
D hominem per eam viam gradientem obstringi necessum'est. Sed licet hæc non ineptè dicta sint, tamen alium ad sensum translatio LXX. vocari potest, qui mihi accommodatior videtur. *Tribuli, & laquei in viis peruersitatis*, &c. nimirum in via improbitatis, ac malitiæ. i. in vita turpi, moribusque sceleratis duo maxima incommoda experiri licet, tribulos scilicet, ac laqueos, illi quidem pungunt, isti verò tenent, & obstringunt. Hæc enim est improbitatis natura, quæ partim aculeis suis malè sibi consciam mentem configit & sauciat; partim voluptate sua non illicit solùm, sed illigat, astringitque. Eapropter, *qui custodit animam suam, abstinebit se ab ea*, vt vtrumque incommodum vitet.

Gregor.

E De nostra verò lectione aliud iudicium est. Beda & Hugo Cardinalis sic habent, *Arma & gladij in via peruersi.* id est, verba & facta mala, vel, *arma & gladij*, id est, potentia & opulentia sæcularis. Quapropter qui solicitè animam suam asseruare vult, ab his incommodis longiùs amoueri studet. Eadem scribit Iansenius, qui nostræ etiam Vulgatæ lectioni illam aliam translationem assuit. *spinæ, tribuli, &c. & laquei*, & de peccatis accipit, quibus impiorum conscientia, aut tanquam gladiis confoditur, aut tanquam spinis pungitur, aut tanquam laqueis illigatur. 23.

Sed tamen, ni fallor, alia fuit nostri interpretis mẽs, obseruare autem oportet pro illis verbis, *custos animæ suæ*, in primitiuis esse שומר, *Somer*, quæ vox *excubitorem*, ac *vigilem* sonat. Quapropter, me iudice, 24.

Vulgatus

Vulgatus interpres *ab excubijs*, quæ in ostium confinio ad speculanda aduersariorum arma præficiuntur, similitudinem huc transtulit, ait enim, *Arma & gladij in via peruersi: custos autem animæ suæ, longè recedit ab eis.* scilicet armis. Sensus autem sic habet. Quemadmodum excubitor è specula hostes armatos eminus contemplatus dato signo fugit ad suos, sicque eorũ arma, gladiosque declinat: ad eundem modum tibi finge. In via peruersitatis arma sunt, & gladij, hostes scilicet ex insidiis aggredientes, multi videlicet viri improbi, qui probos quosque captiuos ducere, & ad se transferre summo studio contendunt. Ergo qui vigilat, & pro anima sua tuenda excubias agit, videt eminus eorum vim, ac fraudes, atque adeo ad suos, nimirum ad piorum, iustorumque factionem confugit, & aduersariorum arma, gladiosque declinat. Sic intelligo illa verba, *Longè recedit ab eis*, i. à lõgè videt, & longius recedit. Vel, si placet, tute tibi alio modo hanc sententiam conforma, dummodo in similitudine excubitoris hostis à longè speculantis persistas. Potes similiter hæc verba non de aliis hominibus improbis, sed de ipsis dæmonum hostiliter sæuientium armis accipere de quibus sic Chrysostomus Homilia tertia, in capite 1. Genes. *Idcirco nobis est opus magna vigilantia, quoniam & continuum nobis est bellum, & induciæ nullæ propter quod & Paulus dicebat, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates*, &c Licet etiam hostium loco vitia ipsa capessere, semper aduersus hominem arma sua mouent, atque adeo aduersus illa excubitor animus semper aduigilare debet. Denique plęraque alia, quæ de excubiis diximus suprà capite 4. vers. 23. in hunc locum transferre licet.

Chrysostom.

6. Prouerbium est: adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.

25. Prouerbium est. Hæc priora verba desiderantur in originibus, & vnde huc ascita sint, non satis decernunt interpretes, sed post correctionem Clementis haud dubitandum est eam esse partem sacri textus minimè expungendam. Ergo Primitiua sic ad verbum. *Initia puerum super os viæ suæ, etiam cùm senuerit non recedet ab ea.* Caietanus. *Assuefac puerum.* Pagnin. *Imbue puerum*, alij demum, *Dedica, aut innoua.* Omnia in idem recidunt Chaldæus. *Erudi adolescentem.* Itaque omnes noui interpretes duo asserunt, scilicet illa verba Vulgati textus, *Prouerbium est*, non respondere Hebr. tum etiam prius illud verbum, *Initia, imbue, aut dedica*, ab interprete nostro omissum, sic enim habet, *Adolescens iuxta viam suam*, &c. sed tamen non satis attentè ab illis consideratum & dictũ est; nam illud verbum, quod ipsi ita restituunt, *initia, dedica*, &c. in originibus est, חנוך *Chanoch*, quod fluit à radice *Chanach*, est autem aut Zibui, seu imperatiuus, aut Benoni, sed participuum eiusdem verbi: hæc enim duo tempora homonyma sunt. Cum ergo verbum *Chanah* significet, *dedicare, assuefacere, imbuere, nouare*, sane hoc discrimen Vulgatum inter, ac reliquos interpretes intercedit: illi quidem vocem præfatam ad imperatiuum referentes, sic restituerunt. *Dedica vel assuefacito puèrum*, &c. noster verò participiũ esse ratus, sic ad verbum vertendum existimauit, *dedicatum est, assuetum est*, idest, tritum, & vulgo vsurpatum. Verba igitur omittens, ac sensum retinens aptè conuertit, *Prouerbium est*, ac deinde subiunxit, *Adolescens iuxta viam suam*, &c. ex quo demum factum, vt sententia luculentior euaderet, nam iuxta Vulgatam lectionem anceps manet, & tam de mala, quàm de bona pueri institutione capi potest, vtraque enim

A ad senectam vsque transmitti solet, cùm recentiorem interpretum translatio de bona, honestaque eiusdem educatione accipi debeat. Sed ad alia pergamus.

Adolescens iuxta viam suam, &c. Hebraicè, *super os viæ suæ.* Vatabl. *in biuio viæ suæ*, integer locus abest à textu LXX. correctiori: sed in quibusdam aliis Græcis codicibus adscribitur hoc tenore. *Dedicatio iuuenis secundum viam eius, etiam cum senuerit*, &c. in Complutensi verò ac Regio. *Dedica puerum iuxta viam eius, & quamuis senuerit, non recedet ab ea.* 26.

His ergo sic constitutis, sententia loci est adeo luculenta vt interprete non egeat; aliqua tamen expendere libet, quæ illi splẽdorem afferre possunt. *Prouerbium est*, idest, parœmia aliàs vulgata, & vsu trita.

B Nam cùm alias huius libri sententias Salomon ipse inuenerit, & consinxerit, hanc certè ex familiari vulgi sermone asciuit, & in librum suum coniecit, vt supra in Isagoge huius commentarij adnotaui.

Adolescens iuxta viam suam. Heb. *super os viæ.* Non vnum interpretum iudicium de hoc hemistychio. Ex Hebræis aliqui vt est apud Clarium) cùm sic transtulissent. *Imbue puerum iuxta os viæ*, sic verba ista edisserunt. Puerum non statim infusa affatim doctrina implere velis, sed iuxta os viæ, idest, sic illi eandem doctrinam instilla, pro vt os illius capere potest; ducta scilicet metaphora à vasculis, quorum ora in angustum coguntur, qua vsus est Plutarchus in libello de officio auditoris, vt doceret. pueris non subito in-

C fundendam, sed paulatim instillandam esse doctrinã; nam illis vasculis adsimiles subito infusam ipsi effundunt: instillatam verò hauriunt, & continent. Sed desiderabis fortasse hîc nodum huius partis cum posteriori, *etiam, cùm senuerit, non recedet ab ea*, potest tamen sic laxiùs adstringi. Puerum quidem ab initio erudi, & eam, quæ captui illius accommodata est doctrinam trade, inde enim fiet deinceps, vt discendi desiderio inardens, etiam cùm senectam attigerit, aliquid audire, & addiscere gaudeat. Sed tamen hæc non valdè cohærentia sunt.

Meliùs Vatablus, qui verba illa *super os viæ*, paraphrasticè edisserens, sic habet. *Institue puerum iuxta biuium viæ suæ*, nec ineptè, nam *os viæ*, ipsius initium, 27.

D & aditum sonat: ei autem qui viam virtutis adire, & ingredi paret, semper ex aduerso vitii semita sese carpendam offert, tandiuque in biuio est, donec alteram arripuerit. Ergo iuxta eam translationem talis euadit sensus. Puerum in virtutis biuio adhuc hærentem priusquam deerret, & viam latam capessat, quæ ducit ad mortem, in angustam virtutis semitam inferre cura, nam quam semel tunc rapuerit viam ad canos vsque tenebit. Pende huius præcepti maximam vtilitatem, pueris quidem vbi rationis lux mentem ipsorum irradiare cœpit, duplex statim illa via sese offert, alia quidem lata per plana incedens, alia verò angusta per incompta, & difficilia pergens, illa vitii, hæc virtutis, illa allicit, ista deterret. Ne ergo puer in ea ætatis ac

E morum facilitate latã illam, iucundamque vitij semitam, natura ita suadente, quæ suoptè nutu ad malum pendet, sequamur, magistro atque præceptore tunc maximè indiget. Rursus eo tempore cum neutram expertus est, facilè in eam inferri se sinit, quæ melior est, nam si fortè vitiorum viam semel arripuit, cum retro auerti & confectum spatium remetiri opus sit, difficile admodum adduci potest, vt reduces ad virtutem passus regat. Huic certè biuio virtutis, ac vitii, aptari possunt quæ de Pythagoræ littera cecinit Maro, & quæ de Hercule Prodicus scripsit apud Xenophontem.

Non est etiam pœnitendum aliorum consilium, qui appositè ad ea quæ nuper diximus, docent, Salomonem aptè admodum dixisse, *iuxta os viæ*, nam oris 28.

nomine angustum illius viæ aditum significare voluit: ac rursus inter hanc augustam & arctam virtutis viam, latumque & spaciosum vitiorum iter, hoc interesse dicunt, quod illa quidem ab ore angusto incipit, sed latissimos exitus habet: hæc verò cùm è cõuerso latissimè patentes aditus habeat, demum in *os* desinit: finis enim illius viæ orcus ipse est, cui Salom. suprà *os*, dedit, cum ait: *& deglutiamus eum sicut infernus viuum*, & Isaïæ 5. *Dilatauit infernus animã suam, & aperuit os suũ absque vllo termino.* Ne igitur pigeat, ô adolescens, illud primum, *os viæ*, ad virtutem tendentis adire, ne in extremi istius oris fauces, angustiasque deuenias. Sed ex hac oris acceptione accedit lux splendorque isti sententiæ, nam statim subdit, *etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Viæ quippe ad virtutem perangustum est initium, atque ideo oris nomen fert; deinde verò in progressu latiùs patet. Aptè ergo Salomon ait, puer qui ab ineunte ætate oris illius angustias transmittit, ea difficultate superata, nullo negotio reliquam viam ad senectam vsque conficiet. Interim etiam admonet, per os istud arctissimum viæ bonæ pueros penetrare oportere: nam *par eius angustia*, quæ paruulos, & tenellos laxè (vt ita dicam) capiunt, adultos iam, & grandæuos nullo modo aut vix peruadere queunt.

Isai. 5.

25. Caiet. Denique Caietanus speciali etiam sensu donauit illa verba, nam cùm legat, *Assuefacite puerum super os viæ suæ*, sic demum infit, Monet Salomon, vt non differatur instructio pueri, sed ore viæ eius, id est, tũc cùm ad eius animum ingressus patere incipit, iam inde assuefiat virtuti: quamuis enim non sit capax doctrinæ, est tamen capax consuetudinis. Hæc ille, qui per illud *os viæ*, aditum ad illius animum intelligit, nã in pueris omnis ad animum via præclusa est quoad illam rationis vsus aperiat. Mens ergo Salomon. iuxta hanc interpretationem sic instituenda est. *Assuefac puerum super os viæ suæ, & cùm senuerit*, &c. id est, cùm primum puer per rationis vsuram aditum ad animum reserauerit, illum iam tunc ad exequendam virtutem acue & exerce, nam eo tempore cùm nondum aliquas virtuti contrarias consuetudines, habitusque hauserit, facile honestati assuefiet, illamque in mores transferet, ex quo fiet, vt cùm senuerit non recedat ab ea.

30. Cæterum præter hanc expositionem, quæ videtur germana ipsius Caietani mens, aliam etiam à reliquis diuersam ipsa illius verba offerre videntur: ait enim, Cùm puer doctrinæ capax nõ est, quia rationis vsus deficit, idem consuetudinis capax est, atque adeo bonis actionibus, verbis, ac moribus assuefieri potest. Itaque ante rationis vsuram ad virtutis vsum, vel sola assuetudine puerum edoceri posse docet Caietan. nam assuetudo etiam rationis expertia ad ea, quæ supra ingenium, naturamque sunt, exercet ac comparat. Appositè igitur ad dicta potest Salomon. sententia nostra interpretatione donari. *Assuefacito puerum super os viæ*, præpositio illa *super*, aut antecedentiam, aut excellẽtiam sonare videtur, ita vt sensus sit. Puerum antequam ad os viæ perueniat, id est, antequam vitã rationis participem agere incipiat, ad virtutem sola assuefactione erudi: vel *super os viæ*, id est supra caprum illius assuefaciendo ad virtutem opera exerce. Nam quæ ea ratione puer à teneris hausit, ad extremam senectutem traducet. Nec mirum si pueros, antequam ad rationis participium venerint, assuefactione iuuari dicamus, cùm constet plantas, & alia etiam inanima consuetudine quoque proficere. Hinc est illud Maronis, qui de plantarum prima satione sic cecinit,

Virg.

Ante locum similem exquirunt, vbi prima paretur
Arboribus seges, & quo mox digesta feratur,
Mutata ignorent subito, ne semina matrem,
Quin etiam cæli regionem in cortice signant,
Et quo quaque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, qua terga obuerterit axi
Restituant: adeo à teneris consuescere multum est.

Plato autem ex plantis ad puerorum educationem maturam exemplum deriuat. *Consentaneum enim est*, inquit, *primam de ipsis iuuenibus curam suscipere, vt quàm optimi euadant, quemadmodum decet agricolam nouellarum plantarum primam curam agere.* Plato.

Sed licet hæc omnia non inutilia sint, tamen vt litteræ ipsius vim teneamus certè, *os viæ*, nihil aliud sibi vult nisi eiusdem aditus & initium; est enim modus dicendi solemnis admodum Hebræis *os* pro aditu vel initio, atque adeo sincera ipsius sententiæ interpretatio in promptu est. *Instrue*, vel, *imbue puerum super os viæ*, id est, in aditu vel exordio vitæ. Reliqua verò quæ hactenus diximus, quædam schematum configurationes sunt. Nostra verò translatio à reliquis hoc tantum dissidet, quod, vti supra animaduerti, anceps est ad vtramque pueri educationem notandam; ait enim. *Adolescens iuxta viam suam etiam cùm senuerit*, &c. id est, iunior qui viuendi aliquam rationem iam inde à puero iniuit, siue honestam, siue turpem, eam quidem ad vsque senium constanter vrgebit. Itaque illud *iuxta viam suam*, sic accipiẽdum est, iuxta viam illam, quam ipsemet vsu fecit suam, vel quam ipse terendo ab initio aperuit. Et quidem huic instituto aptari potest similitudo à feris accepta, quæ, vt obseruatum est à Venatoribus, (Gesnero teste in Ceruo) suam quæque semitam sibi propriam aperit, ac per eandem semper in sua viuaria, aut speluncas sine errore aliquo it, reditque, ita vt perraro priori dimissa aliam sibi, aut ipsa referet, aut ab alia iam tritam carpat. Ex quo demum fit, vt feræ assidua eiusdem semitæ repetitione sui notas, & odorem in ipsa relinquat, per quas sagacitas canum easdem persequitur & assequitur. Ergo hac in re haud dissimile hominum ingenium, singuli ab initio propriam sibi semitam, aut viuendi rationem vsurpant, & ab ea deinceps nullis dehortationibus arceri, & in aliam induci possunt. Atque hinc fortassis accepta similitudine Salomon ait. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit nõ recedet ab ea*, facitque hæc similitudo locum alteri expositioni, qua verba illa primitiui textus iuxta *os viæ* donare licet: ita vt *os viæ*, non eiusdem initium sonet, sed os viuarii aut cauernæ, in quod via, aut semita defertur: *os*, inquam, *viæ*, id est, foramen, aut recessus, à quo semita exit & in quem redit, (nam *os*, pro foramine in scripturis passim occurrit.) Itaque sensus erit. *Adolescens iuxta os viæ suæ etiam cùm senuerit*, &c. id est, quemadmodum fera semitam aut viam, quam circa scrobem, aut cauernam suam aperuit, nunquam deinceps deserit, ita etiam adolescens ab ea via, & viuendi ratione, quam primoribus gestis sibi extriuit, nunquam amplius discedit. Commendat hanc expositionem vox נער *Naghar*, quæ hic adolescenti subiicitur, quæ, vt admonet Rabi Dauid in libro Rad, communis est pueris & ferarum hinnulis, imo aliqui ferarum propriam magis esse volunt: nam radix, themaque illius vocis propriè significat rugire, aut frendere, & de feris germanè dicitur, atque adeo catellos ferarum נערים *Negharim*, propterea appellari volunt Hebræi, quia cùm necdum ad prædas agendas idonei sint, rugitu, ac fremitu à parentibus cibos exposcunt, pueros autem ea voce ideo notari autumant, qui ante rationis vsuram brutis quodammodo adsimiles sunt.

Sed ad priores lectiones redeamus, in quibus aliquid præterea contemplari libet: hæc sunt, *imbue, instrue*, aut, *innoua, assuefac, dedica, erudi puerum*, singulas percurram. 32.

percurram. Pagninus, *imbue puerum*, concinit cum A
Horat. illo carmine Horat.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem.
Testa diu.

Rursus verbum imbuo ad tincturam spectat, atque adeo potest etiam huic lectioni aptari similitudo, quam de lanarum tinctione commentus est Hieronymus ad Lætam de filiæ institutione. *Difficulter eraditur quod rudes anni perbiberunt, lanarum conchilia quis in pristinum candorem reducet?* Et statim Flacci sententiam attexit. *Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo semel imbuta est.*

33. Secunda lectio habet, *initia puerum*. Hæc propriè ad militarem artem spectat, milites enim tunc initiari dicuntur, cùm arma primum accipiunt, nam ex verbo חנך *Chanach*, fluit חניך *Chanih*, qui *tyronem* significat ad bellum nuper edoctum. Genes. 14. *Quod cum audisset Abraham captũ videlicet Loth, fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo*, expeditos, inquam, idest, à se initiatos & recens instructos ad bellum. Illud ergo, *initia puerum*, sic per similitudinem potest exponi: sic puerum ab initio instrue, quemadmodum tyronem aliquem militem, & quidẽ milites statim à pueris ad arma capessenda edocendi sunt. Cassiodorus libro 1. Epist. 24. Theodoricum inducit ita Gothos adhortantem. *Producite iuuenes vestros in Martiam disciplinam, nam quod in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur.* Vegetius etiã l. 1. cap. 4. *Incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat: non enim tantum celerius, sed etiam perfectius imbibuntur quæ discuntur à pueris.* Audiendus etiam Diodorus, qui de Belearicis, eorumque peritia in lapidando sic scribit: *Ita rectè lapides propellũt, vt raro effugiat ictum appetitus locus. Quod eis continuè à pueritia vsus præbet, à matribus ad id certamen coactis, imponunt enim supra erectum lignum panem signum quod ictu petant, neque ante cibum capiunt, quàm panẽ lapide eiectũ pro cibo sumãt*, &c. Ad hunc modum adolescentes à pueris edocendi & ad pugnam cum vitiis gerendam, & in ætatis illo tyrocinio ad omnem virtutem exercendi iuxta Salomonis preceptum, *initia puerum*, &c.

Cassiod. Veget. Diodor.

34. Arist. Tertia lectio habet, *assuefacito puerum*. Aristoteles lib. 2. Ethicor. ad Nicom. *Non parum*, inquit, *refert, quinimo, idest, quod rem. causamque continet, homines à pueris* ἐθίζεσθαι, idest, *assuefieri* Concinit etiam Plato lib. 2. de legibus, vbi sic de pueris decernit. *Disciplinam*, inquit, *appello virtutem, quæ puerorum animos continere potest; voluptas enim, & dolor, amor, & odium, quam rectè fieri potest, antequam ratione moueantur, in animos eorum insinuant, vt facilius cùm ad ratiocinandum peruenerint, conuenienter rationi omnia peragãt.* Ac sic demum absoluit. *Assuescant ergo à pueritia dolore, ac voluptate rectè moueri, vt à principio vsque ad extremum vitæ oderint, quæ odisse oportet, & ament quæ amanda sint.* Hactenus Plato, cuius verba luculenter admodum traditam à nobis supra expositionem de puerorum assuefactione ante vsuram rationis illustrant, & complent.

Plato.

Quarta translatio habet, *Innoua puerum*: & quidẽ, ni fallor, lectio ista ad agros pertinet, qui nouari dicuntur, atque inde noualium nomen fluxit. Verbum etiam *Chanach*, ad eam etiam significationem spectare non dubito. Quomodo autem pueri agri in modum recentius proscindendi, arandi, & nouandi sunt, diximus supra ad illa verba, *Multi cibi in noualibus patrum*. cap. 13. vers. 25. lege ibi plura.

35. Quinta demum lectio habet. *Dedica puerum*, seu, *Dedicatio pueri est*, &c. sumitur similitudo à templo aut Basil. altaris, quod expiatur, ac Deo consecratur: in ea significatione occurrit etiam verbum *Chanach*. 1. Regum cap. 8. vers. 63. & 2. Paralip. cap. 7. vers. 5. Psal. 30. vers. 1. Nehem. 12. vers. 27. Num. 7. vers. 15. & alibi & ad pueri institutionem translata significat, illum à teneris Deo, virtutique dicandum & sacrandum iri, & quidem iunioris animum domum ac templum Dei esse eruditè admodum conficit Chrysostomus in Homil. de Anna, & Samuëlis educatione. *Annon absurdum est nos domum ruinam minitatem fulcire, pecunias impendentes, fabros accersentes, denique nihil non facientes: domum autem Dei (nam Dei domus esse debet adolescentis anima) ne vulgare quidem dignari cura? Vide ne idem audias quod olim audiere Iudæi, nam illi postquam è captiuitate templum materiale conspicientes neglectum, priuatas ædes suas exornarunt, adeo Deũ exasperarunt vt mitteret eis prophetam, qui famem mi-* B *naretur, magnamque rerum necessariarum penuriam, & hanc comminationis causam eloqueretur. Vos quidem in domibus vestris vndique habetis mansiones, domus autem mea deserta est. Quod si illius templi neglectus tantam excitauit iram numinis, multo magis huius templi neglectus ad iracundiam prouocauit dominum, si quidem hoc templum tanto est illo honoratius, quo plura habet sanctimoniæ symbola.* Ergo qui tibi filium genuisti, atque adeo templum Dei excitasti, nõ diutius ducas, sed statim illud dedica, & Dei optimi, maximi obsequio addicito, *dedica*, inquam, *puerum*. Exple Chrysostomi præceptum, qui ante verba præscripta sic præmittit. Chrysost. *Si mater fueris, ad Annæ exemplum consecra filiũ tuum Deo, & in templum adducito, quin ipsum potius templum* C *Deo Regale para. Membra vestra*, inquit Apostolus, *corpus Christi sunt, ac templum sancti Spiritus, qui est in vobis.* Ergo quàm primum sacrari & dedicari Deo debent. Audiendus est Ambrosius de Virg. lib. 2. nam quod ibi de puellis scribit, id etiam de pueris eodem modo pronunciari potest. *Virgo*, inquit, *Dei domus est, munus parentum, sacerdotium castitatis: Virgo matris hostia est, cuius quotidiano sacrificio vis diuina placatur*, &c. Ecce dedicationis integram formam, quam tibi offert Ambrosius: tute tibi illam expende. Ambros.

---

7. *Diues pauperibus imperat, & qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis.*

D Diues pauperibus, &c. Hebr. *diues in pauperes dominabitur, & seruus mutuans viro commodanti.* 36.
lxx. sic habent, *diuites pauperibus imperabunt, & famuli proprijs dominis fænerabunt*. Symmach. & Theodot. concinunt cum Vulgata, Chaldæus etiã non dissonat.

Huius quidem loci, si sonum litteræ spectes, videtur insulsa sententia, atque adeo alij aliter salem, & leporem illi accersere adnitũtur. Beda & Hugo Card. allegoricè exponunt ad hunc modũ. *Qui virtutibus, doctrinaque prædiues est, imperat his, qui in earum rerum penuria existunt: & qui accipit mutuum, idest, qui verbũ Dei, præcepta, monitáque salutis à doctoribus audit, is eadem velut mutuo, & commodato ac-* E *cipit, atque adeo seruus est fœnerantis, debitor scilicet est implendi quæ audit, has enim vsuras doctor iure suo ab illo exigere potest.* Audi Chrysost. orat. 5. contra Iudæos ad illa verba: *Oportuit dare pecuniam meam ad mensam. Ostendit*, inquit, *quod postea quàm audierit (hac enim est pecunia depositio,) qui accipit doctrinam, vsuram facere oportet doctori tanquam domino repetituro. Vsura autem doctrinæ nihil est aliud, quàm operum exhibitio. Ergo quoniam nos quoque deponimus pecunias in aures vestras, necesse est vt vos reddatis vsuram Domino*: & Homil. 41. in Genesim aliam etiam vsuram huic accumulat. *Quocirca*, inquit, *dilecti cum vobis concredita dinumerauerimus* (scilicet verba Dei) *vobis necessum erit duplicem afferre laborem, tunc quod numerata custodienda sunt, vt fixa* Chrysost.

manant:

mancant: tunc quod vsurarium loco operandum est, vt aliis communicentur, & multos in viam virtutis inducant, vt bifariam vobis lucrum accrescat, tum pro salute vestra, tum pro aliorum vtilitate. Mitto aliam minus lepidam eiusdem Hugonis allegoriam.

Caiet. priorem partem cum posteriori sic componendam esse dicit, vt altera sit alterius similitudo, hoc
37 modo. Quemadmodum diues dominatur pauperibus ita mutuans dominatur, insultatque accipienti mutuum, quia nimirum accipiens mutuum in ipsa mutui deprecatione, & acceptione pauperem agit. Itaque energia huius sententiæ hæc est, suadet Salomon vt quoad fieri possit mutuum non petamus, quia tãtum est diuitum supercilium, vt quemadmodum in pauperes, ita etiam in eos qui ab ipsis commodatos nummos accipiunt, contumeliosè inuehi soleant; nã cùm pecunias commodant, sic superbè cũ illis agunt ac si eas ipsis ad eorum leuandam penuriam gratiosè donarent, & cùm easdem repetunt, maiori fastu ipsis mutuantibus tanquam seruis abuti consueuerunt, tunc vel maximè cùm vltra sortem vsuras exigunt.
Basil. Audi Basilium in oratione de diuitiis, & paupertate. *Canes, inquit, vbi aliquid acceperint subito mansueti fiunt, at fœnerator magis, ac magis irritatur, nõ enim latrare cessat. Etiam si te iure iurando obstringas, fidem nõ habet, perscrutatur interna commercia, tua curiosè inquirit, vxore præsente pudore affectum, coram amicis cõtumeliis onerat, in foro minas iactat, vitam denique tuã intolerabilem efficit.* Et hom. in Psalm. 14. eadem fermè verba vsurpat, ad extremum verò sic infit. *In ipso foro gulam obtorto collo præfocabit; adornas enim tibi vitam, ne vita quidem ipsa viuibilem*: ac demum subdit verba petita ex hoc loco. *Nam is, qui mutuo sumpsit, seruus est eius, qui ei mutuum dedit: nec solum seruus, sed seruus mercede conductus, crudelem seruitutem seruiens.* Sic habet translatio Erasmi, sed, me iudice, sentẽtiam non attingit interpres, atque adeo melius sic vertetur. *Sed seruus mercedem soluens crudelem seruitutem seruiens*; id est, seruus oblato precio immanissimum Dominum sibi emens: nam cùm aliàs serui à Dominis, aut conduci, aut emi soleãt, is qui fœnore se obstrinxit, è conuerso intolerandum Dominum sibi ipse pecuniis comparat suis: & quemadmodum heri seruos suos ex certa pecunia in menses, aut in annos cõducunt, sic vice versa hi qui vsuras sustinent, in mẽses quoque aut in annos prædictis Dominis suæ seruitutis pretium constitutũ appendunt. De hac etiam seruitute paulò ante Basilius sic scribit. *Talia confingens vsurarius miserum inescat, libellisque alligat, & supra illam vrgentem paupertatem libertatẽ ipsam ei adimit.* Et in Psalm. 14. sic rursus fatur. *Ne recipias euertentem te fœneratorem, neu te veluti prædam quandam exquiri, & vestigari patiaris. Autoratus enim fœneratori, & quodammodo stipendiarius seruus eris, ineuitabile ferens seruitium.* Et quidem illa verba, *stipendiarius seruus eris*, eodem sensu donanda sunt. i. stipendia Domino pendens, & infra. *Liber vides nunc solem. Quid miser hanc tibi libertatem inuides?* Hæc de expositione Caietani, quæ mihi satis apta videtur.

38 Rodolph. Rodolphus aliò Salomonis mentem deriuat, putat enim his verbis diuitum factum coërceri, qui pauperes contra ius fasque sibi obseruire cogunt, adeo vt illos ad fœnera sibi pendenda seruiliter obstringant: cùm contra fieri oporteret, vt pauperes, qui sapientia, & prudentia valent, imperiũ in diuites exercerent. Itaque humanæ æstimationis, opinionisque iniuriam à Salomone incusari affirmat Rodolphus, quæ imperij habenas diuitibus tradit, pauperesque illis non seruos solum, sed soluendis vsuris stipendiarios addicit. Et sanè vel ex eo imperium hoc iniustum censeri debet, quia dedecet maximè, vt diuites, qui opibus ipsis degeneri admodũ obsequio inseruiunt, eorumque mancipia sunt, in homines ingenuos ac liberales potestatem habeant. Potiùs isthæc potestas imperiumque pauperibus deferendum erat, qui cùm diuitiis ipsis imperare, easq; sibi subiicere nouerint, idonei certe videntur, vt in eos etiam qui diuitiis obseruiunt ipsi imperium exerceant: acuta expositio, sed non admodum solida.

Meliùs Iansenius, qui loci istius energiam in eo ponit, vt Salomon socordiam hominum excitet, vt sua potius industria studeant sibi fortunarum satis ad victum comparare, quàm vt per inopiam cogantur diuitibus inseruire. Debet autem ad hanc sententiam locus iste traduci ad hunc modũ. *Diues imperat pauperibus*, à diuitiis enim hoc sibi ius in pauperes donari putat, vt illis imperare & seuerè admodum insultare possint. Quid certius? *Et qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis.* i. si ad ius illud, quod dites sibi ob diuitias assumunt, accedit aliud commodati, aut mutui, ad quod accipiendum pauperes sæpius necessitas compellit, tunc quidem durissimum in illos imperiũ exercent, pauperesque ipsi crudelem admodum subeunt seruitutem. His ergo admonitus quisquis hæc audis, vt iugum istud excutias, tuæque vitæ conditio tam crudelibus Dominis minimè obnoxia sit, id cura, vt industria, & labore tuo victum quæras, fortunarumque satis ad viuendum parias.

Cæterùm licet hæc aptè dicta videantur, mihi sanè 39
reliquis præferenda videtur expositio, quam nobis offert translatio LXX. sic. n. habet. *Diuites pauperibus imperabunt, & famuli propriis Dominis fœnerabunt.* Est autem solemne his interpretibus pugnam, antithesimque inter duas eiusdem sentẽtiæ partes, cùm forte obscurior est, sua translatione eruere, vt nullibi Salomon sibi similis non sit. Sensus igitur sic conformandus est: diuites quidem durum admodum imperium in pauperes exercere consueuerunt, eosque sibi seu famulos, seruosque substernunt. Sed ex Dei prouidentia sæpè accidit, vt hi, qui priùs serui erant, & crudele diuitum imperium sustinebãt, commutata fortuna diuitias nacti Dominos suos datis fœnori pecuniis sibi obstringant, atque eo iure tanquam famulis seruisque abutantur. Et quidem iuxta hanc interpretationem mens Salomonis est, diuites perstringere ne seueri, & crudeles erga pauperes sint, neu illos contra ius fasque opprimant, ipsisque fortunæ conuersionem minitatur, per quam sæpè accidit, vt diues in angustias recidat, pauperque in diuitem euadat: atque adeo illi acceptas iniurias remetiatur. Ad hanc expositionem translationem Vulgatam nõ tam cogere quàm inuitare etiam licet. *Diues pauperibus imperat, & qui accipit mutuũ, seruus est fœnerantis.* Ita. n. hæc verba capere oportet, vt posterius hemistychium ad diuites intendatur, eis suarum in pauperes iniuriarum vicem interminans: quasi dicat. Diues pauperibus durè admodum imperare solet, is tamen si saperet meminisse vnquam deberet eum, qui ab altero datam fœnori pecuniam accipit, creditori suo in seruum addici, atque adeo fortunæ conuersionem extimesceret, nequando ipsum ad hanc miseram seruitutem necessitas ipsa adigat. Quid plura? Hanc expositionem commendat sequens versus, qui cum hoc, me iudice, innodari debet, cuius sententiam attigit Rodolphus.

---

8. *Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consumetur.*

QVi seminat, &c. Heb. *Seminans iniquitatem metet calamitatem, & virga iræ eius cõsumet*, suple 40
eum.

enim.Pagnin.*deficiet*. lxx. *Qui seminat mala,metet mala,plagam autem operum suorum consummabit*. Theod. *Qui seminat iustitiam metet iniquitatem*. Aquil. *Dãnũ*. Sym. inuertit verba. *Qui seminat iniquitatem metet iustitiã*. Leuissimũ est inter oẽs trãslationes dissidium.

Quia ergo prouerbium istud superiori assuendum esse nuper dixi, germanam illius interpretationem præmittam. Salomon ergo rationem addit propter quam diues ille, qui pauperibus abutitur in seruos, eosque dura seruitute exercet, rerum commutationem conuersionemque vereri debet, hæc autem est, quia *qui seminat iniquitatem, metet mala*. Repetitio autem eiusdem nominis, qua vsi sunt Sept. emphasim habet, *qui seminat mala, metet mala*, significat.n. eos, qui proximis mala inferunt, sæpius eadem mala B sustinenda ab eisdem vel ab aliis ex Dei prouidentia compelli. Allegoria verò leporem habet, *Qui seminat mala*, &c. Significat. n. eum qui in aliquem iniurias iacit non quidem aliquid sterile, & infœcundum, in sterile similiter, atque macrum solum, quin imo semẽ spargere in terram vberem. Quod qidem apertè cõstabit si fœcundi seminis in fertilem tellurem iacti conditiones despiciamus: Imprimis.n.semen talis est naturæ, vt similem sibi partum edat. Frumentum etiam progerminat, & hordeum similiter hordeum: sic inquit Salomon *Qui seminat mala, metet mala*.i.similia mala: & in eo præcipue sita est huius sententiæ energia, Salomon enim diuitibus iniuriarum, quibus pauperes oppresserunt, talionem minitari vult, vt ex C dictis constat. Rursus in semine aliquid aliud contemplari licet, tellus, qui illud excipit, eadẽ ipsa messem refert; ita etiam in molestiis quibus pauperes à diuitibus vexantur euenire docet Salomon, vt non modo eandem ipsi experiantur miseriam, & seruitutem, sed etiam ab eisdem, quos ipsi ærumnis contriuerunt, vt supra etiam exposui. Deniq; seminis parua quantitas longè maiorem agricolæ messem reddere solet: ita etiam cum diuitibus agendum esse docet Salomon, si verba superiora penitus inspicias; nam cùm præmisisset diuites pauperibus contra fas imparare, subdit eos commutata fortuna duriorem longè seruitutem subituros ea, quam ipsi pauperibus imponebant, s. commodati ac fœnoris seruitutem, D qua nulla maior, aut seuerior esse potest, vt supra ex Basilio decreuimus; cui seruituti hoc proprium est, vt pro paucis aucta sorte sementis more multo plura restituat.

Ad hæc, cùm ait, *metet ea*, auget istorum diuitum miseriam, quos ipsa necessitas eò compellit, vt ipsimet post fortunæ conuersionem sponte ea mala sibi demetant, quę prius in alios sparserant, videlicet mutuum, creditum, vsuras, fœnora, & eam, quæ ex his efficitur, seruitutem. Subdit Salomon.

40 *Et virga iræ suæ consumetur*. Sensus quidem perspicuus est, significat. n. eos diuites eadem virga percutiendos, qua ipsi pauperes contriuerunt Sed tamen vnde isthæc virgæ metaphora trahatur decernere E necessum est. Potest.n. primò ad potestatem, & imperium referri, virga. n. in sacris potestatis insigne, & symbolum est, nil certius, & secundùm hanc acceptionem non sine lepore sensus ad hunc modum conformari potest, *& virga iræ suæ consumentur*.i.durissimum illud imperium, quod in pauperes exercebãt, commutata fortuna subire cogentur; ipsi. n. (liceat sic dicere) virgam deponent, eamq; pauperes sibi sument, ac demum illis acceptarum iniuriarum vices reddent. Hæc videtur esse mens Iansenij, & Caiet. quamuis vterque sententiam aliò deriuare videatur.

41 Secundò, Rodolp. per virgam hîc non eam, quæ in vniuersum potestatis, imperiiq; symbolum existit, captandam esse putat, sed eam qua specialiter pecu-

A niarum exactores, vulgo executores, vti consueuerunt: de hac virga Isaias 94. *Virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti*, &c. Nam hîc sceptrũ etiam virgam sonat. Itaq; sensus erit, *& virga iræ suæ consumetur*, quasi dicat, sicut diues exactores (hos.n. virga significat) aduersus pauperem misit ad exigendas creditas pecunias, vsurasque ac fœnora: ita etiam vicissim, conuersis rebus, pauper per exactores eum vexabit, easdemque molestias subire cogetur. Isaia 94.

Cæterùm nescio an accommodatius, & cohærentius dicere oporteat cœptam seminis, messisque metaphoram vrgeri à Salomone. Cõstat.n. virgam ad excutiendas segetes granaque purganda adhiberi solita. Isaiæ 28. sed *virga excutietur gith, & cyminum in baculo*. Ergo aptè ad reliquã similitudinem subdit Salomon, *& virga iræ suæ consumetur*, vel *conteretur*.i.nõ solũ diues iste iniquus quæ in pauperes sparsit eadem metet mala, sed etiã ea virga qua alios ex ira tanquã segetes extriuit, vt queãdmodũ ex messib⁹ grana, sic etiã ex pauperibus quidquid pecuniarũ apud illos erat, excuteret: eadem, inquam, virga ipse post fortunæ commutationem percutietur, ac simili modo expressis pecuniis euentilabitur, & exhaurietur.

Reliqui interpretes hanc sententiam à superiori exoluunt, atq; adeo facili admodũ negotio sic expediunt. *Qui seminat iniquitatem, metet mala*.i.qui peccata grauiora admittit, ea quidẽ veluti semina quædam spargit, ex quibus deinde maximam malorum, hoc est pœnarum, & suppliciorum messem demetet. Huic sententiæ adsimilis est illa Iob.4. *Qui seminant dolores, & metunt eos*. Vel aliter, *qui seminat iniquitatẽ* vel *iniuriam*, i.qui aliis vim parat, iniustitiamve infert, eãdẽ vim, iniustitiãq; ipse ab aliis reportabit, *& virga iræ suæ cõsumetur*. Virga pro potestate.i.qui virga sua.i.potestate nõ vtitur pro iustitia, illã subditis administrans, sed pro ira, contra subiectos illam exercens, & grauiter illos vexans, eadem ipse virga seu potestate cõsumetur. Ita.n. ferme euenire solet, vt abusus potestatis ipsosmet Principes ac superiores demum euertat, vt videre est in Tyrannis, & aliis qui seuerum nimis ac crudele imperium in subditos exercent. 42

Beda autẽ, & ex ipso alij, seminandi verbũ ad doctrinã refert hoc modo. *Qui seminat iniquitatem metet mala*, id est, *qui verbo aut exemplo suam in alios iniquitatẽ spargit, messis loco vindicta recipiet*. Posterius autẽ hemistychium eod. sensu donat, quo Caiet. supra, ac sic demum infit. *Talis enim superior* (qui scilicet sæuitia vtitur in subditos) *merito virga iræ suæ consumendus dicitur, quia sicut Dominus ait, omnes qui acceperint gladium gladio peribunt. i. qui iniustè in alios sæuiunt, ipsa sæuitia sibi ipsis interitum concinunt*. Sed tamen possunt hæc posteriora verba doctoribus etiam dari, *& virga iræ suæ consumetur*. Qui aliorum delicta seuerè nimis ac rigidè carpit, & incusat, cùm ipse etiam culpa non vacet, eadem vtique virga, qua alios quatit, seipsum recutit. Itaque integra sententia aduersus improbos doctores sic intendi debet. Qui improbi cùm sint probitatem alios docent, & in vitia aliorum grauiter inuehuntur, miseri valde sunt, quia virga iræ suæ seipsos diuerberant, & crudelissimè sauciant: sed tamen hæc leuiora sunt. Prima enim interpretatio me iudice præferenda est. 43

---

9. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur; de panibus enim suis dedit pauperi.*

Qui pronus est, &c. Hebr. *Bonus oculus ipse benedicetur, quia dedit de pane suo tenui*. Pagnin. *Benignus oculo*. Chaldæus. *Qui bonum oculum habet, benedicetur*, 44

benedicetur, quoniam de pane suo, &c. LXX. *Virum hilarem, & datorem benedixit Deus, vanitatem operum consummauit*. Ac rursus addunt: *Qui miseretur pauperis, ipse enutrietur, de suis enim panibus dedit pauperi. Victoriam, & honorem acquirit, qui dat munera, & animam quidem aufert possidentium*. In plerisque codicibus est, *Virum hilarem, & datorem*, ἀγαπᾷ, id est, *diligit Deus*. Sic Paulus 2. ad Corinth. 9. qui verba illa ex Salomone transcripsit. Itaque vni tantum versui apud LXX. tres satis perelegantes sententiæ respondent. Existimo autem locupletissimos illos interpretes hîc, quemadmodum etiam sæpè alibi, prophetarum iure vsos, locum illum perbreuem ad misericordiam spectantem tribus luculentis sentẽtiis amplificasse, quod non semel aliàs ab eisdem factitatum suprà non paucis in locis obseruauimus. Prius ergo Vulgatam lectionem, deinde verò translationem LXX. commentario nostro illustrabimus.

45. *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur*, id est, qui suoptè ingenio in hanc virtutem pendet, atque adeo quamlibet illius exercendi occasionem arripit, beatus erit, omniáque illi ex animi sententia cedent: nam *benedici* in scriptura passim, idem est quod fortunari ac ditari, & bonis omnibus cumulari. Nil certius. Beda, Hugo, atque alij hanc benedictionem ad eam referunt, qua excipiendi sunt misericordes in die iudicij cùm ad dexteram translati à Christo Domino audient, illud: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ*, &c. *esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Sed prior expositio cum littera magis cohæret. Subdit rationem, *de panibus enim suis dedit pauperi*. Originalis lectio non caret lepore, *Quia de pane suo dedit pauperi*. Quasi dicat, ea erat eius ad miserescendum propensio: vt ex vno tantum pane non dubitaret bonam partem defringere, & eam victui necessario subtractam pauperibus elargiri, vt quosdam olim pios viros non sine ingenti compensatione factitasse memoriæ proditum est. Sic etiam consulit Chrysostomus suadens sæpè, ac sæpius vt vel ex vno pane frustulum aliquod defractum misericordiæ impendatur, quia Deus non quantitatem eleemosynæ, sed voluntatem æstimat. Et quidem iuxta hanc obseruationem non minima toti sententiæ lux splendórque paratur; nam priora illa verba: *Qui pronus est ad misericordiam*, voluntatem quandam ad donandum procliuem admodum, promptamque significat: quapropter sensus sic instituendus est. Qui ad eum modum pronam procliuémque ad miserescendum voluntatem sortitus est, copiosam admodum à Deo mercedem reportauit, quia ex vno tantum pane frustulum pauperi donauit. Eo documento facilè ostendens, ac declarans, animũ quidem ad effusas, liberalésque eleemosynas se paratum gerere si census suppeditaret, Deus enim non quantitati, sed voluntati defert. Audi Chrysost. Homil. 1. in Epist. ad Hebr: *Non enim*, inquit, *ex eorum, quæ dantur, mensura, sed ex vi, & potestate, & eorum qui dant instituto, & prompta voluntate, iudicatur eleemosynæ magnitudo. Si cum hac voluntate omnia agamus, etiam si pauca admodum dederimus, faciem suam non auertet, sed accipiet tanquam magna, & admiranda; attendit enim liberam, & promptam animi voluntatem, non ea quæ dantur, & si illam viderit esse magnam, ei suum fert suffragium, & conuenienter ei indicat*, &c. Obserua illa verba, *ei suum fert suffragium*: nam Græcè sic habentur, τίθη τὰς ψήφους, *æstimat*. id est, *pro calculo ducit*, vt notat Doctus: veteres autem vtebantur calculis in rationibus ac supputationibus, & in suffragiis. Interpres ergo ad suffragium retulit: ego verò ad rationes Chrysost. spectasse credo, in quibus sæpè accidebat vt exiguus & præ paruitate aspectum fugiens calculus summam ingentem notet. Itaque Chrysostomi mens hæc est, si adsit (Chrysost.)

A voluntas prompta hilarísque ad donandum, exigua admodum eleemosyna, exempli gratia, frustulum aliquod è pane vno decisum, calculi locum æstimationémque habet apud Deum: sicut enim in subductionibus calculus perexiguus ingẽtem pecuniarum vim adsignificat, ita etiam pertenuis eleemosyna accedẽte ad eum modum libera voluntate magnæ ad instar abstinet. Quapropter ita dixerim, duo illa minutissima viduæ æra maximarum quarundam summarum apud Deum calculos fuisse, cùm audierit illud Lucæ 21. *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit: nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit*. Lucæ 21.

B Et quidem vt inserã hîc aliquid ex lectione LXX. hæc est germana sententia prioris carminis. *Hilarem datorem benedicit aut diligit Deus, vanitatemq́ operum eius consummabit*. Vanitati quidem subest in Græcis ματαιότητα. id est, vacuitatem, & inanitatem sonat; itaque sensus est, Deus certè eum impensè diligit, liberalitérque admodum cum eo agit, qui ex hilaritate, & animi propensione etiam parua largitur, & eius opera, quæ nimirum ad subleuandam pauperum inopiam exequitur, quamlibet ad speciem inania, & futilia, id est nullius precij ac momenti sint, ipse cõsummat, id est, ipse perficit, & pro magnis atque preciosis ducit, scilicet ad eum modum, quo peritus rationum subductos exiguos calculos maximarum summarum loco ponit. Vel si libet eam vocem *vanitatem*, seu *inanitatem*, attentius speculari, sic habetur, *vanitatem operũ eius consũmabit*, in Græcis est συντελέσει. id est, perficiet aut implebit, perfecta nimirum ac plena ducit aut declarat. Quasi dicat, opera ad speciem vacua, & inania Deus ipse tanquam plena æstimat: nouit enim Deus ea, quæ operibus deesse, atque illa extenuare videntur, voluntate compensari, & impleri. Optima similitudo ad hanc rem explicandam trahetur ab eo, quod passim in vulgi existimatione contingit, qua August. alicubi vsum memini, sed locus diligenti studio vestigantem fugit. Amphoram cogita aqua plenam, rursus aquam effunde, vulgus sane hominum eam tunc vacuam inanémque esse decernet. At Philosoph. qui rerum naturas apprimè callet, reiecta vulgi opinione eã plenã esse serio affirmabit; nouit enim quod quidquid effusa aqua in amphora vacui fecit, aër proximus succedens actutum impleuit, qui perfectius elementum est, quàm aqua. Idem de præmissis operibus iudicium ferendum est, sanè vulgus hominum cùm perexiguas pertenuésque piorum quorundam hominum eleemosynas videt, eas quidem fallaci opinione tanquam vacuas, & inanes æstimat. At Deus qui mentes ac voluntates hominum solus apprimè callet, nouit certè quidquid in illis exiguis valde eleemosynis census, ac precij deficit, ob cuius defectum vacuæ, inanésque dicuntur, liberali, promptáque donantium voluntate compensari, & impleri, quæ voluntas apud Deum omni censu, ac pretio dignior, ac præstátior est, atque adeo ipse suo iudicio opera illa plena atque perfecta esse constituit. 46.

C D E

Sed ad Vulgatam lectionem redeamus: *Qui pronus est ad misericordiam*. Hebr. *Bonus*, aut, *benignus oculo*. Caietanus, nescio quam obseruationem ad misericordiæ præceptũ explicandum ex hac translatione commentus est. Quia, inquit, homo non ad quærendos indigentes, sed ad leuandam occurrentium sibi indigentiam tenetur, ideo misericors *bonus oculo* appellatur, quia scilicet oculis suis bene vtens quoscumque oculis suis pauperes obire licuit oblata subleuat stipe: sed tamen hæc non Caietano, sed Hebræo quopiam stolido digna coniectura est. Misericors ergo *bonus*, aut *benignus oculo* dicitur, quia cùm omnes ani- 47.

mi

mi affectiones ex oculis emicare ſoleant, nulla quidem ſplendidius ab is eniteſcit quàm gratia, beneuolentia, & miſericordia; hanc enim oculi quodammodo ſpirare videntur, adeo vt vulgo *mirar con buenos ojos*, perinde ſit atque adamare, & benè velle. Hos oculos miſericordi nobiliori quodam exemplo tradit
Chryſoſt. Chryſoſt. Homil. 12. in Epiſt. ad Hebræos. *Eleemoſyna*, inquit, *ac miſericordia volat tanquam quadam aurea, & viuens columba placidum habens aſpectum, & mitem oculum; nihil eſt illo oculo melius, itaque miſericordia oculi obuenerunt columbini, placidi, beneuoli, & ipſa mitiate quodammodo mitiores.* Rurſus quia proximi indigentia, aut miſeria per oculos ad animum penetrat, atque in illo miſericordiam excitat, ea propter verba illa, *& clauſerit viſcera miſericordia ſua ab illo.* 1. Ioã. 3.
Hieronym. ſic illuſtrat Hiero. *Quid eſt viſcera claudere? non aliud ſanè niſi omnes ad animum feras præcludere, aures videlicet atque oculos, illas quidem ne pauperum clamoribus pateant, hos autem ne eorundem miſeriis obeant.* Aliter etiam, ſicut *malus oculo* (vti aliàs obſeruaui) dicitur faſcinator, quia in ea, quæ videt lethale virus iacit, ita etiam *bonus oculo*, ex aduerſo is dici poteſt, qui oculos habet innocuos. Et quidem faſcinatores tũc maximè venenũ illud ab oculis iaculari dicuntur cùm in paruulis oculos figunt, his verò necem non aliter afferunt quàm cibi neceſſarij faſtidium immittentes; ex quo fit vti eiuſmodi pueli vbera repudient, ac fame, ſitique areſacti tabeſcant, & depereant. Ex aduerſo igitur *bonus oculo*, vir, miſericors, qui paruulos puſillos (ſic. n. pauperes appellare licet) non fame aut ſiti enecat, ſed eorundem famem ſitimque ſuis emolumentis explet. vide quæ infrà dicemus c. 23. v. 6. ad illa verba, *Ne comedas cum homine inuido.*

48. De lectione LXX. aliquid etiam hîc attexendum eſt, *Virum hilarem, & datorem diligit Deus, vanitatem operum eius conſummauit.* Hinc tranſtulit Paulus illa
2. Cor. 9. verba 2. ad Cor. c. 9. *Vnuſquiſque autem, prout deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Quæ Iuſtinianus Salmeron, & alij ex cap. 35. Eccleſiaſtici accepta putant, vbi ſic habes. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas.* Sed in eam certè adducti ſunt mentem, quia illis locus iſte incompertus fuit. Item ad Roman. 12. manifeſte al-
Rom. 12. ludit ad hunc locum. *Qui miſeretur in hilaritate.* His enim accinit Dauid. *Iucundus homo qui miſeretur, & commodat.* Senſus autem perſpicuus eſt. *Virum hilarem, & datorem benedicit*, aut *diligit Deus.* Quibus verbis ſignatè excludit neceſſitatem, & triſtitiam, cũ hilaritate enim triſtitia, cum donatione neceſſitas pugnat, quod maiori cum energia ſignificatur ſi legas, *virum hilarem, & datorem*, inſerta coniunctione, quàm ſi legas *hilarem datorem*: atque adeo ſic fortaſſe emendandus, & reſtituendus erit locus Pauli iuxta lectionem LXX. *Non ex triſtitia, aut neceſſitate, hilarem enim, & datorem diligit Deus*, ſed cur hilaris, ac dator eſſe debet, qui eleemoſynam largitur? Rationem offert Anſelmus, quia hilaritas ad cor, donatio autem ad rem ſpectat, quam quis impendit,
Chryſoſt. hæc autem cohærere inuicem debent. Chryſoſt. ſic ait. *In quibus verbis per hilarem amplum, & munificum mihi ſignificare videtur.* Si enim animus amplus ſit, etiãſi donatio ſit perãguſta, à Deo maximè probatur.

Alij rurſus illa verba, *Hilarem, & datorem diligit Deus*, ſic diſtribuunt, vt dare aut donare animi etiam liberalitatẽ includat, non enim datoris aut donatoris nomen fert niſi is qui ſponte, & ex liberalitate donat: hilaritas verò ad vultum ſpectat, hæc enim maximè eſt neceſſaria vt pauperi pergrata, & non permoleſta ſit eleemoſyna. Huc ſpectare videtur Chryſoſtomus ad illa verba, *Qui miſeretur in hilaritate*, ſic enim ait:

A *Quanam gratia, cùm eleemoſynam das, ploras? quid doles omnem operis fructum perdens? ſi namque doles, non misereris vtique, ſed crudelis, & inhumanus es; nimirum ſi triſtitiam vultu prodis. Quomodo enim eum qui in triſtitia eſt, refocillabis ſi te doles? Satis enim fuerit ſi ille non grauiter tulerit à te accipere eleemoſynam, etiamſi tu cum gaudio dederis; nam nihil adeo videtur hominibus turpe quàm ab aliis accipere. Quapropter neceſſe eſt vt excellenti hilaritate ſuſpicionem illam ſuſtuleris, oſtenderiſque quod magis donando accipias, quàm des. Aliter. n. magis deiicies accipientem, quàm refocillabis.*

Denique non eſt omittenda elegans ponderatio, 49.
quam Diuus Bernardus ſerm. 87. in Cant. contulit in *Bernard.*
hunc locum, vbi lilij candorem in eos quadrare dicit,
B qui ex hilaritate miſerentur. *Eſt*, inquit, *candor, quem ſibi induit is, qui miſeretur in hilaritate, etenim ſi intuearis illum, quem Propheta depingit, iucundum hominem, qui miſeretur, & commodat; nonne is tibi videbitur de ipſa animi iucunditate induiſſe candorem quendam pietatis, vultui pariter atque operi ſuo? ſicut è regione ſi ex triſtitia, & velut ex neceſſitate quis tribuat, nõ candidũ planè, ſed tetrũ præfert manu, & veſte colorẽ, & ideo hilarẽ datorem diligit Deus. Numquid, & triſtem? profectò qui reſpexit ad Abel ob alacritatis candorem, auertit faciem à Cain, quia conciderat facies eius, vtique à triſtitia, & liuore. Pulchrè ergo, & eleganter in tolerando beneficio candor hilaritatis laudatus eſt voce illa poëta. Super omnia vultus Acceſſere boni.* Itaque ex Bernardo candor iſte donantis, qui ipſius etiam dona, ac largitiones imbuit, Dei oculos ad ſe conuertit.

Sed dices fortaſſè, an non potius Dei lumina auertere deberet hic candor? albus enim color viſum diſ-
C gregat, aliquando etiam hebetat, niger verò congregat, & acuit. Ita quidem fateor, eam eſſe lucis, candoriſque vim, vti oculos primum ad ſe pulchritudine ſua conuertat, deinde conuerſos perſtringat atque hebetet. Idem verò in hoc eleemoſynarum candore contemplando ipſi Deo euenire dixerim, nam huius coloris eximia pulchritudo Dei lumina, & oculos ad ſe mirabili quadam vi contorquet, deinde verò (liceat ſic dicere) eoſdem perſtringit, atque obtundit. Nam cùm aliàs Dei oculi in ſpeculandis hominum delictis perſpicaciſſimi ſint, vbi eos in cuiuſpiam hominis pij hilares eleemoſynas, largitioneſque defixit, iam deinceps ad eius peccata quodammodo cæcutire videtur, ideſt, indulgẽt, atque condonat.

D Vel aliter, eleemoſynas, effuſaſque in pauperes largitiones cãdore eximio præditas eſſe dicamus cum Bernardo: ait ergo Salomon, *Bonus oculo vir miſericors*, cuius acies ad hunc candorem intendens non auertitur, non conniuet. Hoc enim inter ſanos atque infirmos oculos intereſſe ſolet, quod hi candorem intuentes conuertuntur, illi intenti perſtant, & pulchritudine illius coloris paſcuntur. Quapropter nõ ineptè è conuerſo malum aut infirmum oculo auarum ſæpè compellat idem Salomon, cuius aciem liberalitatis candor, & pulchritudo obtundit, & ad parcitatis ſordes conuertit.

Addo etiam Auguſt. qui de hilaritate donantis ſic 50.
ſcribit in lib. 80. homil. 50. *Det ergo, ſi poteſt, ſuas omnes* *Auguſt.*
E *eleemoſynas cum hilaritate, ſiue cum carnalibus neceſſitatibus pauperum erogat aliquid, ſiue cum panis caleſtis diſpenſatione inuicta aduerſus diabolum caſtra infidelium cordibus conſtruit. Hilarem enim datorem diligit Deus, non itaque tædio frangatur in difficultatibus rerum, quæ neceſſe eſt exiſtant, vt oſtendatur homini quod homo eſt, non itaque ſurrepat in eum quod pauper, aut odioſè irruit, aut importunè inopia coactus petit, aut ad negotium ſuum, cum tu maiore occupatus ſis, te flagitat,* &c. Lege ibi plura; eadem fermè habes apud eundem in Pſal. 42. quibus etiam adnectit. *Si fregeris ex animo*

esurienti panem tuum, quia plerumque à tristibus, & murmurantibus, vt careant tædio interpellantes non vt reficiant viscera indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus, si panem dederis tristis, & panem, & meritum perdidisti. Adnota illa verba, *non vt reficiant viscera indigentis*; hoc.n. inter eum, qui ex hilaritate, & illum qui ex tristitia pauperi donat, interesse demonstrat August. quod is, qui ex tristitia, corpori tantum succurrit, animum verò lædit, quem toruo immanique vultu non parum sauciat, is autem qui ex hilaritate, & corpus, & animum mirè reficit, ac recreat.

51. De illis verbis *vanitatem operum consummauit*, sat superque supra dictum est. succedant ergo ea, quæ sequuntur in textu LXX.

Qui miseretur pauperis ipse enutrietur, de suis panibus dedit pauperi. Sententia est luculenta. Pollicetur Salomon futurum eum, qui se victu suo fraudat vt pauperi subueniat, splendidius à Deò enutriendum iri, id sibi vult illud *de panibus enim suis*, id est, de sibi necessariis, ita enim à liberalissimis nonnunquam præstitum: de vidua enim illa Euangelica sic Christus Dominus Lucæ 21. *Omnem enim victum suum, quem habuit, misit.* Similemque liberalitatem in illa alia Sareptana vidua, quæ Elisæum pauit, expendit Chrysost. qui ex vtriusque viduæ exemplo in eos inuehitur, qui nedum superflua pauperibus elargiri volunt. Nam in Homil. 19. in Epist. 2. ad Corinth. vbi priorem illam Euangelij viduam produxit, de posteriori sic scribit. *Illa enim non in paupertatis tantũ, sed etiam in mortis periculũ venerat, nec sua duntaxat, sed, & filiorum; neque enim fore spectabat, vt ab aliis acciperet (omnes enim indigere cognouerat) sed vt quamprimum interiret. In tanto ergo discrimine constituta suam nihilominus Helisæo misericordiam elocauit, vnde id adepta est, vt deinceps iam ipsa quam filij lautius epularent, vt ex sacra scriptura constat 3. Reg. 17.* Sed post multa alia, quibus viduæ huius liberalitatem extulit Chysost. velut ex cursu ipso orationis incalescens, sic demum absoluit. *Dicam aliquid magnum, ac pene ab humanis sensibus alienum ad hospitalitatis laudem. Hæc vidua plus attulit, quàm pater noster Abrahã, non enim ad gregem cucurrit vt ille, sed ad pugillum illud farinæ sibi ac filiis pernecessarium, atq; adeo omnes, qui hospitalitate clari ac celebres extiterunt, superauit.* Et quidem iure optimo Abrahamum ab ista vidua superatum asserit. Hic enim ideo hospites pauit vt filium hospitalitatis merito obtineret, at hæc hospitis sui causa nec filiis quidem pepercit, eos in mortis discrimen adducens, atque adeo non sibi tantum eam, quæ in se ipsa vitam agebat, abscindere, sed etiam eam, quam in filiis suis ipsam sortiri oportebat, abrumpere non dubitauit, nam parentes in natis viuere, & superstites esse constat ex illo Ecclesiastici, vbi ad patrem vita functum, qui filios optimos reliquerat, ita Syracides. *Mortuus est, & quasi non est mortuus, reliquit enim enim simillem sibi post se.*

Chrysost.

---

9. *Victoriam, & honorem acquiret qui dat munera, animam autem aufert accipientium.*

52. Victoriam, &c. Hic versus quemadmodum etiam superior, abest ab originibus, sed tamen in vulgatis etiam in Vaticanis reperitur; petitus autem videtur ex translatione LXX. atque ab eisdem Prophetarum iure, quo passim vtebãtur, ad illustrandum superiorem versum adhibitus: in quibusdam autem codicibus sic habetur, *Victoriam, & honorem acquiret qui dat; munera autem aufert accipientium.* Sed manifestum mendum est.

Hunc locum plerique interpretes tanquam spurium absque commentario dimittunt; Iansenius autem, & post illum recentiores alij, non satis germanè exponunt, nam verba vt sonant accipientes, & pro muneribus violandæ, ac detorquendæ iustitiæ gratia oblatis, accipi volunt, atque eos incusari docent, qui cùm causas ininiustas defendunt, ad hanc corrumpendorum iudicum pessimam artem se recepiunt. Hoc nimirum sensu, *Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera.* In causis nimirum, quas defenderit, aduersarium suum à lite cadentem ille vincet, & eam, quæ ex tali victoria accidere solet, gloriam, & honorem reportabit. Sed quid mirum? *animam quidem aufert accipientium*, quasi dicat, hanc victoriam non iuribus, ac legibus debet, sed inde illam obtinuit, quia munera iudicum animam, hoc est mentem sensumque, eripiunt, ne iustitiæ aut iniuriæ naturam agnoscant. Itaque Iansenius hanc sententiam contra iudicum corruptores scriptam putat, potestque similiter contra iudices ipsos institui, qui se acceptis muneribus ad dementiam quandam adduci sinunt, victorias in litibus, & honores venales habentes.

53. Cæterùm alium esse huius loci germanum sensum puto, nam cùm verba ista ad illustrandum versum, *Qui pronus est ad misericordiam*, &c. à LXX. hîc inserta esse decreuerim, illa etiam ad misericordiæ laudem spectare crediderim, possunt autem vno vel altero modo exponi. Alter est Hugonis, qui cùm litteralem sensum ad iudicum corruptores retulisset, sic deinde (vt ipse ait) allegoricè exponit, *Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera.* i. qui liberales in pauperes eleemosynas effundit, primum quidem in sæculi istius alea, & militia victoriam à se ipso aut à vitiis, aut etiam à dæmonibus reportabit. Deindè verò in futuro, pro hac victoria gloriam, & honorem à Deo refert. Illa autem verba, *& animam aufert accipientium*, duriusculè exponit; *occasionaliter*, inquit, *quia qui accipit, & non indiget, idem est, ac si rapiat.* Itaque hoc hemistychium contra illos pronunciatum puto qui cùm non indigeant, aut labore, industriaque sua victum parare possint, paupertatem simulant. Væ vobis qui paupertatem mentiri audetis, nam hi à quibus eleemosynam, & munera accipitis, cùm sibi ipsis victoriam, & honorem pariant, vobis vtique animos eripiunt, & præsentissimam mortem afferunt. Sed tamen hæc interpretatio coacta videtur, & difficilè admodum verbis aptatur; possent tamen sic leniùs exponi, *animam autem aufert accipientium.* i. liberalis ille donator non solùm victoriam, & honorem à Deo reportat, sed etiam eorum, de quibus bene meretur, animam, hoc est, corda voluntatesque sibi eripit, & mirum in modum obstringit. Inter eos autem qui *accipientium nomine veniunt, in hoc loco* numerari etiam debet Christus Dominus, qui semetipsum his muneribus cohonestari, quibus pauperes donantur, passim affirmat.

Hugo.

54. Hæc omnia perspicuą valdè sunt, sed licet præmissa expositio germanum huius loci sensum non cõtineat, licet tamen eam illustrare, & aliquid de eorũ, qui in pauperes benefici sunt, victoria hîc attexere. *Victoriam, & honorem acquiret qui munera dat.* In primis enim, *Vir misericors*, vt autor est Chrysost. Homil. 30. ad populum Antioch. *stipendiis militat diuinis.* & in Homil. 19. in Epist. 2. ad Corinth. sic addit. *Neque enim si firmum, ac robustum corpus habeamus fortes sumus, is quidem fortitudine præditus est, iaceat licet in lecto, qui misericors existit, qua dempta, etiam si alioqui tanto quispiam robore præditus sit, vt vel montem auellere queat, haud tamen illum puella vel misera*

Chrysost.

misera anus firmiorem valentioremque esse dixerim. Nam A
ille quidem cùm incorporeis vitijs, secumque confligit; hic contra nec contueri quidem suos hostes audet. Atque vt hāc fortitudinis normam esse credas, ab hoc exemplo colligas licet, quid vidua illa (senex fortasse ac infirma) fortius fingi potest, qua aduersus naturæ tyrannidem, aduersus vim famis, ac mortis minas strenuo animo stetit, atque hæc omnia superauit. En quod vni fœminæ per misericordiam partas victorias dedit Chrysostomus à natura, à fame, à morte; à natura quidem, quia filiis non pepercit; à fame, quia illam debita refectione fraudauit; à morte, quia seipsam in mortis discrimē vocauit. Rursus animaduerte quosnam hostes misericordi dat Chrysostomus, *cum incorporeis vitijs, secumque confligit*, & eosdem sub iugum mittit, quos auarus ne aspicere quidem audet. Et quidem aptè dicit, auarum seipsum ne aspicere quidem posse, quia ne suæ infirmitatis, & communis cum paupere naturæ contemplatio ab illo fortasse clementiam extorqueat, semetipsum ne contemplari quidem audet. Rursus teterrimos hominis hostes dæmones misericordia debellat, idem Chrysost. Homil. in Psal. 40. *Facit*, inquit, *Deus vt misericors beatus dicatur ab omnibus, qui accipiunt eleemosynam, & præterea ab omnibus, qui norunt, qua, & quanta bona in futuro excipiunt misericordem.* (En quonam modo illi honorem conciliat) subdit. *Vnde nec ipsum tradit in manus inimicorum dæmonum. Quemadmodum enim oleum efficit vt athletæ eleuantur è manibus aduersariorum, ita etiā eleemosyna facit, vt, qui ea vtuntur, declinent, ac fugiant dæmones.* Hæc ille libræ committens illa verba præscripti Psalmi. *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & non tradat eum in manum inimicorum eius.* Alibi etiam idem Chrysostomus misericordiam cum oleo conferens vim eius aduersus dæmones iucunde admodum exponit. *Non est*, inquit, *nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus mundi principes & potestates tenebrarum harum. Ideò aduersus tenebr. lucis arma suscipere iubet Paulus. Abijciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis: Hanc ergo lucem ne deficiat, continua olei instillatio nutriat, misericordiam adhibeamus: hæc enim nos contra validissimos hostes omni nos armorum genere instruit.* Denique ne quid à misericordia, & eleemosyna inuictum sit, nobilior illius victoria illa censeri debet, qua Deum ipsum vincit. Quid certius? si enim Deus eleemosynas in pauperes collatas se accipere fatetur, dum manus ad accipiendum apertas offert, eas vtique donanti vinciendas dat, *Nam qui accipit* (iuxta commune proloquium) *libertatem vendit.*

55. Huic extremæ sententiæ adstipulatur vera, & germana illius loci expositio, quam iam offero. *Victoriā, & honorem acquirit qui dat munera*, &c. Hunc locum nec de his qui iudices collatis muneribus corrumpunt, edisserendū esse existimo, neque per munerum datores vt verba sonant, eos accipiendos puto, qui in pauperes benefici sunt: sed ex prioribus ad posteriores comparationem duci; ita vt verba non quidem iuxta sonum, sed per comparationem exponi debeāt: Duplex autem similitudo, & comparatio inest huic loco, altera petitur à iudice, qui lites dirimit, altera à Principe, qui honores distribuit: itaque sensus est. Sicut hi qui munera in suos iudices collocant, in litibus, quas agunt, victoriā eo auxilio pariunt, & quemadmodum illi, qui honores ambiunt, si Principes illos, apud quos petunt, muneribus identidem honestent, eo adiumento facile eorum gratiam, & petitos honores ineunt. Hoc vero non aliunde accidit, nisi quia is, qui dat, *animam aufert* accipientium, id est, voluntatem, & beneuolentiam ad se rapit. Non alia ratione his contingit à quibus effusas largitiones in pauperes proficiscuntur; illis enim cum Deo res est, à quo & tanquam iudice in salutis suæ causa sententiam accepturi, & tanquam à Principe æternæ beatitudinis honorem, gloriamque exoraturi sunt. Quapropter si illum collatis eleemosynis sibi obstrinxerint, & victoriam in præmissa lite, & honorem in sua illa petitione certissimè obtinebunt. Quia ille, qui in Deum ea ratione munera confert, illius beneuolentiam melius, ac tutius promeretur, quàm is qui de iudice, aut Principe bene meretur. Haud verò similitudinem ab eo, qui iudicem aut Principem muneribus sibi deuincit, ad misericordes translatam alibi dedimus: vbi obseruauimus ipsos etiam pauperes, qui stipem accipiunt, iudicum, ac Principum nomine censeri B posse, apud illosque ius in causis diuitum decernendi esse, & ad ipsos etiam gloriæ distributionem spectare.

---

10. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ.*

Eijce derisorem, &c. Heb. *Cessabit iudicium & contumelia.* Chal. *Eijce derisorem, & expelle contentiosum*, &c. Sumpsit quippe contentionem pro contentioso, iuxta phrasim Heb. familiarem. LXX. *Eijce pestilentem è consessu, & exibit simul cum illo iurgium: nam cùm sederit in consessu omnes inhonorat.* C Aquil Symmach. & Theod. habent *derisorem* vt nostra. Subest autem hîc vox illa לץ leth. de cuius vi, ac significatione sæpe aliàs diximus. 56.

Per derisorem hîc, vt in quibusdam aliis locis animaduerti, non is solum, qui ludibriis, sannis & conuitiis alios petit, sed in vniuersum omnis detractor, conuitiator aut susurro accipiendus est, hi enim sunt, qui in societates & Respublicas iurgia, & discordias immittunt. Ait ergo Salomon, *eijce derisorem*: aliqui existimant sermonem ad Principem haberi, ad quem pertinet summa Reipublicæ, atque adeo hoc Salomonem illi persuasum velle, vt eiusmodi hominem è viuis eiiciat, ac de medio tollat, ne scilicet aliis regionibus succedens easdem similiter exturbet. Non displicet; Ita enim suadet Plato, fures, & susurrones, in D quibus spes resipiscentiæ nulla superest, non in exilium mittendos, sed capite potius damnādos, ne mores suos in alias ciuitates transferant, sic ille decernit in dialogo 25. de Repub. Alij verò verbum illud *eijce*, exponunt quidem vt sonat, id est, arce, aut expelle è societate, è consessu, è Repub. Apte verò dicit *eijce derisorem*, non derisores, quia si vel vnus sit à Repub. actutum propellendus est, nam vnicus tantum susurro & conuitiator totam Reipub. harmoniam soluit. Est quippe ciuitatis, & Reipublicæ concordia similis ei, quæ aut in plurimarum vocum inæqualium concentu, aut in fidium neruorumque cōsonantia intercedit; sicut enim in his vnius vocis absurditas re- E liquarum concentum dissoluit, & vnius nerui absonus stridor reliquarum harmoniarum indissonantiam conuertit, sic etiam vnius susurronis incondita vox totam Reipub. concordiā distrahere, & omnia iurgiis, & contentionibus replere solet. Rursus quemadmodum in corpore, cuius sanitas in humorum temperātia & concordia posita est, si vel vnus tātum humor ad intemperiem transeat, soluitur valetudo: ita in Reipublicæ vnius corpore contingit, sæpe enim per vnius hominis intemperantiam, excessusque in magno reliquorum consensu & conspiratione tota distrahitur, corrumpiturque concordia, atque adeo salus Reipublicæ periclitatur. Quid inde? eiice derisorem, & eo sublato redibit pax & concordia. 57.

58. Obserua sententiæ istius vim, cùm chorus vtique, aut lyra auditur, ob vnius vocis, aut nerui inconditè tinnientis absurditatem dissonam, vulgus certè qui musicæ artis ignarus est, in chorum aut lyram culpã conicit, & vtrumque dissonum esse decernit; at chori magister, aut lyricen peritus, vocem illam aut neruum vnde dissidium ac dissonantia ad reliqua manat, facilè discernunt: atque adeo ille vocem absurdam, siquidem illam ad harmoniam cogere non possit, à choro arcet, & hîc similiter neruum stridentem si ad temperiem denique non veniat exscindit. Non aliter sane in societatibus, aut rebus publicis contingit, vel vnus tantum discors & absurdus homo sit, tota societas aut Respublica apud vulgus, vulgaresque homines dissona, absurditatisque plena videtur. At Princeps publicæ administrationis apprimè callens vnum aliquem discernens, à quo tota illa absurditas in vniuersam communitatem, ac societatem redundat, eum quidem si minus ad harmoniam traducere potest, à reliquorum choro arcet, propulsatque, sicque tota Respublica concordiæ & concentui redditur. Hoc sibi vult Salomon cùm Principem affatus ait. *Eyce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ.*

59 Interim autem Salomon quorundam Principum ac rectorum imperitiam taxat, qui vulgi opinionem sequentes cum ab vno aliquo perturbatore reliquorum pacem, & concordiam euerti vident, eo dimisso, qui absurditatem illam inuehit, ad totam communitatem perurgendam, nouisque legibus vinciendam sese conuertunt. Qui certè similes sunt imperito lyricino, qui lyram manu tenens, in qua vnius tantum nerui stridor totam lædit violatque harmoniam, eo dimisso in aliis tendendis totus esset. Non ita, inquit Salomon, sed *eyce derisorem*, illum scilicet neruum dissonantem tantum exscinde, *& exibit cum illo iurgium*, hoc est dissidium, & contentio, *cessabunt causæ*, id est lites, *& contumeliæ*, id est iniuriæ.

60. *Et contumeliæ*, interpretes vulgò eas contumelias de medio tollendas esse dicunt, quibus dirior ille iaciendis probris & conuitiis gnarus alios aspersit, ac denigrauit. Non displicet, tamen aptior & ad reliquã expositionem concinnior est translatio LXX. qui planè hîc per eam contumeliam, quam cessaturam affirmat Salomon, eam intelligit, qua vnus aliquis improbus magnum aliquem bonorum conuentum & societatem inurere solet, sic enim conuertunt. *Eyce pestilentem è consessu*, meritò enim eo nomine appellat illum, qui sua improbitate aliorum mores inficit, *& exibit cum eo iurgium*, (pende vim eius vocis, qua vsus est etiam noster Vulgatus, *& exibit cum eo.* Significat enim eiusmodi hominem ad exeundum, excedendumque compelli oportere, vt cum ipso pariter iurgia exulent.) *Nam cùm sederit in consessu omnes inhonorat*, id est, in magno alicuius Reip. consessu & concilio, quantumuis alij recti, iusti, atque integri sint, vnus tantum improbus reliquorum famam & bonum nomen denigrat.

11. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.*

61. QVi diligit, &c. Heb. *Diligens cordis munditiã, gratia labiorum eius amicus ipsius Rex.* Pro munditia subest vox טהור *Tehar*, ex radice Tahar, id est, purificauit, mundauit: itaque puritatem munditiamque sonat. Chald. *Diligit Deus mundum corde.* LXX. *Diligit Deus sancta corda, & accepti sunt ei omnes immaculati.* Quædam autem verba, quæ noster

A Vulgatus huic versui annumerat, LXX. ad sequentem transferunt, vt postea videbimus. Simmach. *casta corda.* Aquil. & Theodotio, *munda*, vt nostra. Quidam etiam codices Græci habent, *& accepti sunt ei omnes immaculati in vijs suis*, sed omnia hæc in idẽ recidunt.

Iansenius, Caietanus, Rodolphus, ac reliqui recentiores interpretes hoc præceptum Salomonis ad priuatos intendi affirmant, atque illis suaderi, vt per munditiam cordis, & labiorum gratiam, Regum, ac quorumlibet Principum beneuolentiam promereri curent. Itaque sic exponunt: *Qui diligit cordis munditiam*, hoc est, qui animi sinceritatem, & doli expertem candorem adamat *propter gratiam labiorum suorum* (Caiet. obseruat in primitiuis desiderari particu- 62.

B lam *propter*, atque adeo hanc clausulam cum superiori sic consuendam) qui nimirum animi sinceritatẽ & labiorum gratiam, hoc est quandam cum animi illa sinceritate conformem veracitatem ab omni dolo, ac fraude remotam serio amplectitur, huic sane in amicitiis erit Rex. Sed tamẽ obseruatio Caietani nihil ad sententiam eruendam præstat, nã etsi particula *propter* ab originibus absit, tamen ne sit fatua insulsaque translatio, *gratia labiorum* in auferẽdi casu debet poni, vt in fronte huius interpretationis præscripsi, scilicet ad hũc modũ, *Diligens cordis munditiam, gratia labiorum eius, amicus ipsius Rex*, sic verò restitutus locus iste in sensũ Vulgatę nostræ recidit. Sed tamen hæc à Caietani interpretatione non abludit;

C potest enim sic exponi. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum*, cũ cordis videlicet sinceritate & munditia cohærentem. Principis familiaritatem facilè inibit. At, inquies, Principum ingenium, ac mores ita ferũt, vt his familiaritatem suam, gratiamque libentius impendant, qui per assentationem aures ipsorum assidue fabulis complent; veritatis autem candor, ac sinceritas ipsis mirum in modũ inuisa sunt. Nõ est igitur veritas sinceritasque ars accommodata ad Regũ gatiam ineundam, nõ inficior.

Imo potius hæc me ratio in aliam sententiã & expositionem inducit; existimo igitur versum istum superiori nectendum esse, atque adeo sermonem non ad priuatos, sed ad Principem ipsum intẽdi: cùm igi-

D tur Salomõ Principem affatus ita in superiori versu præcepisset, *Eyce derisorem, & exibit cum eo iurgium*, &c. postquam illi iam demõstrauit quem à sua gratia vsque longius remouere ac propulsare operæ pretium erat, scilicet *susurronem, mẽdacem, conuitiatorem*, &c. hæc enim omnia *derisori* subesse nuper diximus, iam nunc ad eum Principem verba faciens, eidem quasi digito destinat alium, cuius amicitia, & familiaritate ipsum vti oporteat, quasi dicat, *Qui diligit cordis munditiam*, hic sane *ob gratiam labiorum erit amicus Regi; erit*, inquam, id est esse debet, atque adeo si sapit, hunc sibi familiariter adiungere omni studio Rex curabit. Ergo secundum hanc germanam expositionem verba expendamus singula.

E *Qui diligit cordis munditiam*, sinceritatẽ, & candorem animi intelligo; sed illud obseruatione dignum est circa vocem טהר *tehar*, quæ in hoc loco reperitur, eam quidem, vt docẽt peritiores Hebræi, ex sua germana significatione ad metalla spectare, vt suprà etiã nos animaduertimus cap. 15. vers. 26. nam Exod. 31. *candelabrum mundum dicitur*, nimirum ex auro mundo, & defæcato. Psal. 36. *Eloquia Domini eloquia casta.* Hebr. *munda*, subdit, *argentum igne examinatũ*, &c. Quapropter ita quidem suspicor Salomonem ducta ab auro, & argento similitudine sinceritatem, & candorem animi, hîc *munditiam* appellasse, nihil enim animis sinceris ac doli expertibus magis adsimile, quàm aurum, argentũve, quod nulla deterioris metalli permixtio adulterat: quemadmodum è contra callidum, 63.

versu

verſutumque hominis ingenium,aurum, argentumve obæratum,adulterinum , aut æs , ferrumque argento , vel auro ad ſpeciem infectum, elegantiſſimè ſignificat,& quidem ſi de amicitia agatur,& de amicis dignoſcendis , hoc enim eſt huius loci præcipua theſis. Clemens quidem Alexand.lib.6. Stromatum, poſtquam dixit ſubdolos,& aſtutos amicos cumprimis vitandos eſſe,Græcos verſus ex Theognide producit,qui ad verbum reſtituti ſic habent.

Argentum reprobum atque aurum falſaque moneta
Non ægre ſapiens vir reperire queat.
Mentem autem chari num pectore fallat amici
Callidus atque intus corda doloſa tegat.
Quæ non à ſuperis res eſt magis reproba,noſſe
Inter res omnes eſt magis difficile.

Deinde verò ex Euripide ſic tranſcribit.

O Iupiter,qui adulterinum quod ſiet,
Aurum dediſti ſigna inter homines;
Sed quo queat ſigno ſocius cognoſcitur
Et inſitus nullus character corpori.

Cicero. Hæc ille.Cæterùm ſi rem penitius inſpectemus,auri adulterini fallaciſque amici haud diſſimilis cognitio. Auri enim adulterium ignis deprehendit, amici verò animum doloſum aduerſitas coarguit.*Sicut aurũ igni* (verba ſunt Tullij) *ſic beneuolentia amici fidelis periculo aliquo perſici ſolet* : ſubeſt etiam illud Menandri apud Stobæum.*Quemadmodum aurum igne probatur, ſic amici beneuolentia in rebus aduerſis*.Rurſus de monetarum integritate , & ſolido pondere ſonus tinnituſque decernit,amicos autem tanquam nũmos,aut

Plutarchus. monetas explorandos docuit Plutarchus in Moral.*Vt nummum exploras,num ſit adulterinus,priùs quàm eo ſis opus:ſic amicus ante vſum probandus eſt*. Quemadmodum autem nihil eſt quod faciliùs de nummorũ ſinceritate , ac pondo iudicet , quàm tinnitus:ita etiam nulla eſt ſignificatio aptior ex qua amicum, eiuſque animum percallere liceat , quàm eiuſdem verba , ac

Nazianz. ſermo,in quẽ vtique illa Nazian.verba cadere oportet,quibus ipſe numeris omnibus abſolutum Prælatum deſcribit. *Quippe cui primum illud curandum erit vt argenti atque auri adinſtar omni ex parte verſatus, atque in omnibus temporibus,ac rebus nuſquam adulterinum aut ſubæratum quiddam tinniat. Nihilque deterioris materiæ, flammaque acriori dignũ in ſeipſo geſtet.*

64. Ergo ad rem noſtram;eodem profectò argumento atque ſigno ad dignoſcendum illum, quo familiariter vti oportebit,ſuorum munditiam,ac fidem à Rege explorari debere Salomon docet in hoc verſu,videlicet ſono,ac tinnitu, verbis nimirum ac ſermonibus,ait enim.*Qui diligit cordis munditiã*,&c. Ille ſcilicet,qui quamdam auri ad inſtar defæcatiſſimi, puritatem animo gerit, & eâdem qualicumque ratione verſatus tinnitu ipſo,id eſt, verbo,ac ſermone renũciat,is vtique *propter gratiam labiorũ ſuorũ dignus eſt*, vt illum ſibi Princeps adiungat, & in amicum,familiaremque adhibeat.Et quidem idem mihi in Regalibus amicis ac familiaribus,atque in nũmis aureis cõtemplari videor;in nummis enim character ac imago Regis ideo imprimitur , ex Baldi ſententia,vt nimirum teſtis ſit illos iuſto pondere,ac vera auri argentive maſſa conſtare,vnde ſi aliquis in nummo pondo ſuo minimè conſtante , aut ex adulterino auro conflato Regis imaginẽ percutiat,meritò is violatæ maieſtatis res peragitur , quia Regiam imaginem,quam non niſi veriſſima, & conſtãtiſſima teſtari oportebat, falſæ cuidam atteſtationi indecorè admodum accommodat. Puta igitur illos , quibus Princeps vtitur nummos eſſe Regis ſimilitudinem imaginemque in ſeipſis expreſſam gerentes:nam cùm amicitia omnis, iuxta Philoſophum , familiares, aut ſimiles inueniat, aut faciat, quemcumque Rex ſibi copulat in eodem

A præclaram ſui ſimilitudinem imaginemque agnoſcat neceſſe eſt. Atqui indecorum eſt Regis imaginem in adulterino falſoque nummo deformatam publicè circumferri. Magis ergo indecorum, & Regia maieſtate indignum cæteri debet(liceat ſic dicere)in adulterino,& obærato amico ſuam ſimilitudinem imaginemque diſpici, quam non niſi in excellentiſſimis ac præſtantiſſimis viris velut in auro , ſordibus ad purũ excoctis,mundiſſimo,imprimi ac formari oportebat; ſicut.n.imago Regis nummum verum eſſe teſtatur, ſic etiam Regis gratia viri præſtantiam teſtimonio ſuo commendat,quam mentiri,& falsò atteſtari turpiſſimum eſt.Sed redeat clauſula illa:

Propter gratiam labiorum,nomen illud *gratiam*,ali- 65.
B quid ad leporem ſalemque dicendi , quibus Reges mirum in modum deliniri ſolent , pertinere dicunt, ſed non audiendi , hæc enim ad ſcurras amandanda ſunt. Alij ad veritatem ſeu veracitatem referunt,quę nimirum ſinceritati animi reſpondet , quam præſcripta munditiès notat.His aſſentior,ſed tamen vlterius addo *labiorum gratiam* , hic verba notare ad gratiam conciliandam,& ad confœderandos animos apta,ſicut enim in ſuperiori verſu , deriſor,& ſuſurro propterea eiiciendus, & propulſandus dicitur,quia iurgia,& contentiones ſuis ſermonibus mouet,ita etiam ſincerum iſtum, & candidum veritatis,& concordiæ amatorem à Rege proterea impenſius adamandum eſſe docet Salomon,quia pacis ſtudioſus eſt,& verba
C illius ad gratiam, concordiamque ſtabiliendam pertinent.

Erit amicus Regis, ideo ſanè Rex veraces , & pa- 66.
cis fœderumque ſtudioſos amicos præferre debet, quia vt ipſe veritatem ſemper in ore habeat , atque adeo nummus ipſe ſit verus tinnitu, id eſt , ſermone ſuo vera & minimè commentitia vbique ſonans, ſimiles vtique amicos ſibi aggregare & adiungere debet.Audi de Regis veritate diſceptantem Angelicum Thomam in lib .de eruditione Principis cap.7. *Quæ* D.Thom.
eſt differentia inter denarium bonum, & falſum,hæc ſanè intercedit inter Principem veracem,& mẽdacem.Vilis eſt denarius falſus reſpectu boni,centum enim falſi nõ valent vnum bonum : ſic Princeps mendax paruis valoris
D *eſt.Cùm Princeps ergo nolit vnũ de denarijs ſuis falſum eſſe,quonam modo ſe velit eſſe falſum,& mendacem ? videtur vtique ſe habere viliorem denario vno.Cum Princeps monetæ falſarios grauiter puniat,quid faciet Princeps ſummus de illis Principibus, qui ſe ipſos falſicant? Qui enim debent in ſe habere Dei imaginem,id eſt,veritatem,deſtructa ea habent falſitatem,& mendacitatem, de qua dicit Saluator* Ioan 8. *Dum loquitur mẽdacium, ex proprijs loquitur,quia mendax eſt & pater eius. Aliquando autem auditurus eſt Princeps mendax,Cuius eſt hæc imago?& cùm reſpõſum fuerit,diaboli,dicitur. Reddite ergo quæ ſunt diaboli diabolo, & cum diabolo mittetur in ignem æternum.* Hæc ille. Cùm ergo tantum in generoſo Principe veritatis ſtudium vigere opor-
E teat, facile inde adſtruitur illũ veracibus etiam amicis, & familiaribus vti oportere; nam cùm per ſuos familiares ſæpius ipſe ad plebem agat, eorum vtique falſitas,fraus, doluſque in ipſum Principem redũdat.

Denique obſeruare libet Salomonem fortaſſe hìc, 67.
cùm ait, *Erit amicus Regis* , per amicum Regis non quemlibet in vniuerſum notaſſe ad Regis gratiam & familiaritatem admiſſum,ſed ſpecialem aliquem aulæ Regiæ procerem, qui eo nomine velut ex officio gaudebat.Hoc munere inſignis fuit Chuſai Arachites apud Dauid Regem,2. Regum 15. *Veniente ergo* 2.Reg.15.
Chuſai amico Dauid. Et cap. 16. *Cùm autem veniſſet* & 16.
Chuſai Arachites amicus Dauid. Et 1. Paralipomen. 1.Paral.27.
27. expreſſius id habetur. *Achitophel etiam conſiliarius Regis , & Chuſai Arachites amicus Regis.* Alius 3.Reg.

etiam Salomoni amicus datur 1. Regum. *Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis.* De hoc munere multa eruditè contulit in suum Salomonem lib. 5. c. 9. Pineda noster, qui in eo enucleando adeo diligenter versatus est, vt lectorem ad eum mittere satius duxerim quàm transcribere. Ibi enim legas hunc sacerdotem etiam appellari, siue quia cum Reges sint Dei simulacra & effigies, æquum est, vt is, qui illis proximè hæret, sacerdotis nomē ferat: nam per illum ad Regem aditus patet, deferuntur mandata, preces exhibentur, & beneficia demum à Principe exorantur, quæ sacerdotis quædam munia sunt: siue etiam quod ad ipsum de sacrificiis pro salute, & incolumitate Regis persoluendis pertineret. Apud eundem etiam legere licebit hunc Regis amicum *munerum aut lagitionum Principem*, necnon, *Quietis aut recreationis magistrum* dici, eorumque nominum vim & potestatem, aliaque plura ad id spectantia ex eodem addiscere licebit. Non igitur absurdum erit hæc Salomonis verba ex hoc etiam officio, ac munere æstimare, ita vt sensus sit, *Qui diligit cordis munditiam*, &c. id est, si quis est sincero vir animo, verax pacis, & concordiæ studiosus, hunc certè, aliis posthabitis, sibi Rex in amicum adlegere debet, is enim per omnia aptus est, vt eius muneris functiones obeat. Itaque sicut illum alium derisorem quàm longissimè arcencendum esse in superiori versu dixerat, ita etiam hunc veracem & placidum hominem quàm proximè, sibi adiungendum, copulandumque docet hîc Salomon. Hæc de littera.

68. Alij in quibus est Beda, Hugo, Dionysius, & eiusdem classis non pauci, locum istum de pudicitia, & castitate interpretantur, ad quos etiam referendi sūt illi, qui hæc verba Ioanni Euangelistæ attribuunt, asserentes illum specialis pudicitiæ merito id obtinuisse vt in Christi amicitiam sese suauius insinuaret, in quibus est D. Thom. in Ioan. Petrus Damianus in sermone de eodem Euangelista, & alij passim. Fauet huic expositioni translatio LXX. quæ sic habet. *Diligit Deus sancta, vel casta corda, & accepti sunt ei omnes immaculati.* Itaque Vulgata lectio ad hanc sentētiam traducta sic edisserenda est. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum*, &c. id est, qui corde animoque purus, & illibatus est, hic certè ob pudicitiæ meritum id assequitur, vt cum Deo colloqui, & eius familiaritate vti possit.

69. Sed expendamus singula. *Qui diligit cordis munditiam*, potest etiam ad hunc sensum allici metaphora illa à metallis ascita. Sic enim habes apud Dauid Psal. 25 *Proba me Domine & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Quæ verba ad castimoniæ probationem referunt Augustinus, Beda & alij: metaphora autem ab excoquendis conflandisque metallis desumpta est: quasi dicat, Excoque ad purum omnes corporis, & animi mei fæces ac sordes. At quo igne hæc corporis animique conflatio perficitur apud Nazian. in poëmate hanc purgationem vis ignea tentationum absoluit, nā in poëmate de laude virginitatis sic cecinit.

Psal. 25. Nazianz.

Præ reliquis adamat qui virginitatis alumnos
Hic licet ob cunctos natus, crucisque dolores
Pertulerit: Qui me licet aspera duraque mittat,
Explet lætitia purum magis atque probando
Efficit, atque instar vitiati sordibus auri,
Ignea quod fornax purgat, redditque nitori,
Emundat, &c.

August. Rursus D. Augustinus de virginitate, Spiritui sancto tanquam igni purgationem illam tribuit, & infrà eandem amori, & charitati adscribit, quæ animum inflammans eundem ab omni turpitudinis fæce perpurgat. Virginitas enim charitatem accendit, charitas autem ad eum modum accensa, & ignita, ipsam met virginitatem puriorem, ac splendidiorem reddit. Quomodo autem charitas ex virginitatis obseruantia crescat, aptissima quadam similitudine explicat Nazian. in eodem poëmate. Nazianz.

Quin etiam latomi solertes quoque fabrilem
In lignis artem exercent, cum linea recta
Quæritur, exactaque opera captatur amussis.
Ex oculis vnum claudunt, & lumine toto
In alium fuso visus acieque coacta
Recte sequente tenent duro vestigia ferro.
Sic collectus amor proprius coniungit amantem
Pectora casta Deo, cupientem qui cupit, atque
Cernentem cernit, &c.

B Hac nimirum similitudine vsus est Gregor. vt illam animi partitionem, diuisionemque excluderet, de qua Paulus nuptias virginitati postponens. *Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Eandem vero (liceat sic dicere) indiuisionem animi & cordis, per quam virgo tota per charitatem Deo adhæret, purissimè auri similitudine adumbrabit idem Gregorius Nazianz. paucis interiectis ad hunc modum. Gregor. Nazianz.

Inuenies vitam thalami consorte carentem
Totam cælesti vice muneris esse parenti
Appensam sacramque: electrum, aurumque nitore
Vincentem puro.

C Comparat ibi Gregorius virginitatem cum matrimonio, illamque propterea præfert, quia tota Deo addicta & cōsecrata est, totumque amorem suum in Deum cogit: id autem auri ad purum ex similitudine declarat; nam in cōiugatis (liceat sic fari) est metallorum mixtio, vulgo *liga*, aureisque mentibus hærent plumbeæ sæcularium curarum sordes ac fæces. At virgines aureas mentes gerunt purgatis sordibus defæcatas, sic enim de his noua similitudine statim attexit,

Non velut amphibiis mos est, non mollibus vndis
Degentem, atque etiam in terra noctuque diuque
Ardua, sed penitus mittentem ad sydera mente, &c.

Lege ibi plura. Redeo ad Salomon. *Qui diligit cordis munditiam*, &c. idest, qui purum illibatumque pudorem adamat, purum, inquam, hoc est auri adinstar D excoctis sordibus defæcatum, hunc sanè Rex maxima beneuolentia complectitur, nam cùm is suum amorem non effundat in plura, sed in vnum Deum colligat, cogatque, Deus vtique vices reddit, atque illum impensè diligit, adeo vt optimè in illum quadrent præscripta verba, *habebit amicum Regem.* Possem quidem hîc plura de hoc Dei amore erga virgines subscribere, sed ne commentarius vltra modum excrescat, sciens prudensque omitto.

---

12. *Oculi Domini custodiunt scientiam : & supplantantur verba iniqui.*

E OCuli Domini, &c. Hebr. *Peruertet verba præuaricat.* Chald. *Et protrudit verba prædonum.* LXX. extremam superioris versus partem ab eodem excindūt, & huic affigūt hoc modo. *Labiis pascit Rex, oculi autem Domini conseruant sensum, vipilendit autem verba iniquis.* Qui attente legerit Primitiua facile assequetur vnde nata sit tam dissimilis translatio, & quidem hanc perperit רעהו *Reghehu*, quæ fluit ex themate רעה, id est, *pauit*, Cùm ergo vocem illam ad hanc significationem referrent LXX. exinde fluxit eorum lectio, *Labiis pascit Rex.* Denique verbum סלף *salaph*, quod extremo loco adscribitur, significat supplantare, peruertere, vilipendere, nimirum ex contemptu & despicientia calcare, & proterere. Hinc reliqua lectionum varietas. 70.

Non

Non vna interpretum ſententia de huius loci germano intellectu,percurram ocyus. Prima eſt Bedæ, Hugonis,& quorundam aliorum , qui volunt hîc à Salomone diſcrimẽ obſeruari,quod inter bonos maloſque doctores verſatur, hoc modo , *Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam* , *& ſupplantantur verba iniqui*. i. Deus è ſublimi omnia videns,& contemplans , Catholicorum doctorum vera dogmata,doctrinamque incorruptam adſeruat , & ad poſteritatem trãſmittit. Attamen Hæreticorum, & aliorum impia dogmata, falſaſque doctrinas ocyus euertit. *Supplantantur*,inquit,*verba iniqui*,ne videlicet ad poſteros excurrant. Habet vtique neruos ſuos omnis doctrina & oratio, quibus nixa mouetur : eo enim nomine rationum momenta,quibus doctor ſuis dogmatibus fidem cõparat,appellanda eſſe docet Quintil. in Procem. lib. 1. *Aſtringi*, inquit,*membra ſuis neruis debent*.i.orationis partes rationum robore confirmandæ ſunt ; id igitur minatur Salmon. *ſupplantantur verba iniqui*, nimirum inciſis rationum neruis, quibus olim fultæ ſtabant , doctrinæ impiorum proſternentur , & cadent,ne vlterius ad poſteros percurrant. Quintil.

72\. Secunda expoſitio tradit verbum illud,*cuſtodiunt*, non quod adſeruant muniuntve , ſed potius obſeruant,& explorant,atque inde talem ſenſum eliciunt, *Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam*. i. Dei prouidens inſpectio & cognitio , omnem hominum ſcientiam, hoc eſt conſilia , & rationes attentiſſimè intuetur, eaſque omni ex parte obit, atque explorat. Quid inde ? *ſupplantantur verba iniqui*,id eſt , cùm Deus cogitationes eorum videns , ſenſus quoque verborum optimè calleat,facili negotio eadem euertit,& in ruinam impellit.Hanc expoſitionem videtur ſequi Ianſenius,ſed mihi parum idonea videtur.

73\. Mihi verò perplacet quarta expoſitio,quam leuiter inſinuat Caietanus.Et quidem conſilium Rodol. probo , qui verſum hunc cum duobus ſuperioribus aliqua ratione cohærere dicit,ſed cohærentiam , nodumque aliter pango,*Oculi Domini cuſtodiunt ſcientiam*, &c. Hæc vtique ſententia aduerſus mendaces illuſores promitur à Salomone ad hunc modũ. Deus quidem omnia intuetur , nihil enim eſt quod ipſius perſpicaciſſimam aciem fugiat ; atque adeo ipſe rerum omnium teſtis oculatus eſt : id ſibi volunt illa verba , *Oculi omnium cuſtodiunt ſcientiam*. i. certiſſimam intuitiuamque rei cuiuſlibet notitiam apud ſe adſeruant,*& ſupplantantur verba iniqui*. In Primitiuis hæc oratio eſt actiua hoc modo, *& ſupplantat* , vel, *peruertit verba iniqui*. Nimirum ipſe Deus qui oculatus rei teſtis eſt,*verba*, hoc eſt mendacia , & dolos improbi impoſtoris coarguit, eiuſque falſitatem palàm euincit. Significat vtique Salomon etiam tunc cùm quis confidentiſſimè mentitur , quia rem prorſus latere exiſtimat,haud tutum eſſe,qui Deũ ſpectatorem habuit , qui rei cognitionẽ notitiamque apud ſe retinens,eam tunc,cum volet,conuicta ipſius falſitate aperire,& in vulgus ſpargere poterit. Quæ ſanè eſt perelegans,Deoque digna ſententia.

74\. De lectione autem LXX.aliud iudicium eſt,& quidem difficile;eam verò ſic expono *Labijs paſcit Rex, oculi autem Domini conſeruant ſenſum* , *vilipendit autem verba iniquus*. Illud ergo *paſcit*,non ita accipiendum eſt quaſi *nutrit*,*aliique*,ſed latiori ſignificatione. i.regit , gubernat. Itaque ſenſus eſt , Rex labiis ſuis, hoc eſt , legibus ore ſuo prolatis ſubditos regit , & coërcet,quibus ipſi ſubditi obtemperare debent *propter conſcientiam* , vt ait Paulus,quia nimirum iſtiuſmodi leges à Principibus latæ,conſcientiam obſtringunt. Subdit, *oculi Domini conſeruant ſenſum*. Quemnam ſenſum?non alium ſanè niſi legum ac præceptorum,quaſi dicat,Dei oculi, qui ad humanas actiones

A ſemper intenti ſunt,latæ legis ſenſum perſpicaciſſimè vident,atque adeo quidquid contra illam committitur attentiſſimè adnotant, vt tranſgreſſionis reos ſeueriſſimè puniant. Et cùm hoc ita ſit, *Vilipendit tamen verba iniquus*.i. cùm tamen ſeuera ſit Legi obſeruatio,nihilominus tamen iniquus verba Regis.i. legem ab eo pronunciatam,& conclamatã, & mirabili quadam deſpicientia & contemptu tranſgreditur. Hanc eſſe difficilem verborum ſententiam reor,quæ à Vulgatæ lectionis ſenſu non longè abit : promitur enim contra eos(ni fallor)qui Regum , ſuperiorumque leges , & præcepta tunc confidenter tranſgrediuntur cùm ſecreto & abſque teſte licet : quibus id notum Salomon facit,Dei oculos in ipſos,eorumque B actiones ſemper intendi,& latę legis ſenſum optimè percallere,vnde in reos decernere , & eorum ſcelera ſuppliciis coërcere poſſit.

13\. *Dicit piger , leo eſt foris : in medio platearum occidendus ſum.*

Dicit piger,&c.Heb. *Dicit piger,leo in vico*(ſic aliqui legunt,ſed non audiendi) *in medio platearum occidar*. Chald. *In medio viarum occidar*. LXX. *Excuſationem affert,& dicit piger,leo in vijs,& in plateis ſicarij*. Aquil. Symm.& Thodot. *Occidar*. ſicut noſtra. 75.

C Sententia huius loci contra pigros ſocordeſque intenditur,qui vt ſuæ inertiæ excuſationem aliquam obtendant,metum cauſant ; ac ne leuiores ob cauſas metuiſſe putentur , incommoda ipſa,& pericula mirum in modum exaggerant.Sed tamen ipſorum verborum lepores adnotemus. *Dicit piger* , *leo eſt foris*. Imprimis non aliam aliquam mitiorem feram , ſed leonem omnium animantiũ truculentiſſimum obiicit;hoc enim viri ignaui ingenium , vt nunquam leuiores aliquas difficultates vereri,aut cauſare ſoleat, ſed graues admodum,inſuperabileſque moleſtias ſibi fingat, & leuiſſima quæque mala in immensũ adaugeat, & vt dici ſolet,ex formica leonem,& ex culice elephantem faciat. Sic luſit in meticuloſum homi-D nem Valla,*Hic*,inquit,*primus Myrmicaliones inuenit* Valla. (Eſt autem Myrmicalio quaſi ,formicaleo.) Itaque conuitij lepos ſic habet,hic primus extitit,qui ex metu formicaleones compeſuit quando ipſi perexiguæ formicæ leones truculentiſſimi viſæ ſunt.

Leo eſt foris. Leonem etiam alia de cauſa ſciens prudenſque hîc Salomon poſuit , quia,vt auctor eſt Magnus Albertus,inter leonem,ac canem hoc intereſt , quod canis ira percitus ſedentibus parcit ; leo contra recta via pergentes,aut etiam in fugam actos, aut ſupplices,proſtratoſque dimittit , ſedentes inuadit,qui putat ad generoſos huius animantis mores id ſpectare,eos enim quos ſibi concedere videt,nec cõtra ſtare,ſed eius metu perculſos cadere, aut fugere, E nequaquam ſequitur. Ea eſt enim ingenita huic animanti gloria,à cunctis metui velle ; Contra verò in ſedentes qui nullam metus , aut etiam ſubiectionis, demiſſioniſque ſignificationem præbent,ſuperbè admodum incurrit. Ergo Salomon aptè admodum pigros ex ſocordia ſedentes vel ſedentariam otioſamque vitam agentes,leonis metu perculſos fingit, *Dicit piger, leo eſt foris*. Et ſanè neſcio qua ratione difficultates , incommoda, & labores ambulantes, ſtrenuos,ſcilicet,actuoſoſque viros non attingunt,ſedẽtes verò,& ocioſos ſæuiſſimè perurgent,vexantque. 76.

Leo, inquam,*eſt foris*. Dubium hîc verſat Rodolphus,an vox *foris*, perinde ſit atque extra vrbem,an potius foris id ſibi velit,quod extra domum : ipſe verò ita decernit,maiorem ſẽtẽtiæ lepoſẽ comparari,

si foris idem sit quod extra domum, quia tunc sensus erit, tantam esse eius socordiam, vt non modo in plateas, & frequentissima loca succedere non audeat, sed ne ab ædibus quidem ipsis pedem efferre, quasi dicat, *Leo est foris*, id est, in ipso limine, atque adeo nō licet sine discrimine illud transilire. Non displicet Rodolphi consilium. Tamen parum aptè, & contra rerum vsum, leo fingitur intra vrbem in limine ipso
Aristot. prædam sperantem. Quamuis non ignorē id ab Aristotele memoriæ proditum, & scriptis consignatum de historia animalium lib.9.c.44. leones fame incitatos nonnunquam vrbes ingredi. *Adeunt*, inquit, *vrbes & iniuriam hominibus inferunt, potissimum tempore suæ senectutis, tunc enim per corporis imbecillitatem &*
Plinius. *virium defectionem venari nequeunt.* Accedit etiam Plinius lib.8.c.16. qui ex Polybio aliquid adsimile scribit. *Polybius*, inquit, *Æmiliani comes in senecta hominem appeti à leonibus refert, quoniam ad persequendas feras vires non superant.* Sed licet hæc vera sint, vana tamen, & à frequenti vsu aliena. Quapropter satius est dicere illud, foris, perinde esse atque extra vrbem, ibi enim apposite ad rei naturam vsumque leonis occursus fingitur. Sic enim, me iudice, sensus euadit luculentior. Nam duæ omnino sunt artes, quibus homines victum sibi parare solent, agricultura aut negociatio, hæc in foro & plateis, illa ruri geritur. Ergo Salomon vt significaret virum istum socordem ab vtraque excusari sic aptissimē scribit, *Dicit piger, leo est foris*. Si nimirum illum ad agros colendos incitare velis, tunc quidem obiicit leonem in agris bacchari, & obuios quosque appetere. LXX. valde appositè ad leonis mores habēt. *Leo est in viis*. Ita enim passim historiæ naturalis autores docent, leones cùm fame incitantur, vias obsidere, & viatores inopinantes inuadere solitos. Subdit, *In medio platearū occidendus sum.* Si nimirum eidem negociationem suades, causatur etiam in foro, vbi negociatio peragitur, frequētes admodum contentiones, & rixas excitari, atque adeo de vita sua actum putat, lxx. habent, *& in plateis sicarij*. Chald. *Homicida*, Eodem sensu.

77. Hæc omnia eruditè admodum ac falsè à temporalibus ad spiritualia traducit Beda, cuius verba libet hîc adscribere. *Dicit sæpe in animo suo is, qui ad agenda bona opera piger est, & ad confitendum fidem, quam corde tenet timidus. Non audeo fidem, quam noui, foras profiteri, ne me persecutor impius, quia fidelē audio, perimat. Timeo ad exercendas virtutum actiones in publicum progredi, ne forte me vel antiqua hostis aduersitas grauior tentet, vel etiā homo quilibet peruersus derideat, conuitijs confundat, iniurijs afficiat, aut sicut multos iustorum, qui ab eius vita discordant, tormentis ac morte consumat. Leo, inquit, est foris, in medio platearum occidendus sum. Quod est apertè dicere, & verba, & opera virtutum vbi ostendi foris cœperint, statim persequutio vel hominum, vel spirituum immundorum insurgit, nec valeo tentationibus obsistere, sed in ipsis boni propositi vincor inceptis.* Hæc ille, qui per leonem diabolum, per sicarios aut homicidas homines videtur accipere; hominis autem pigri ingenium esse dicit nihil boni sua spōte aggredi, quia vel diaboli incursus veretur, qui aduersus magna conantes vehementiores sunt, aut hominum insidias, qui viros ad virtutem adspirantes, ardentius insectari solent. Potest etiam hæc diaboli hominumque distributio ad quosdam socordissimos Religiosos accommodari, qui nec vitam contemplatiuam, nec actiuam amplecti audent, nam contemplatiua ad solitudinem spectat, actiua verò ad plateas, ad turbas, & frequentiam pertinet. Quapropter eorum excusationes sic habent. *Dicit piger, leo est foris.* Si nimirum eiusmodi inertissimum hominem ad contemplationem excites, atque adeo
A illum foras extra vrbem fieri, hominumque frequentiam vitare iubeas, tunc quidem leonem i. diabolum sibi affuturum dicit, qui contemplatores suis insidiis passim seducere, ac etiam laniare, & deuorare solet; Sin verò eundem ad vitæ actiuæ negotia adhortari contendas, vt nimirum plateas, foraque, & quocunque frequentissimi homines commeant ad animas Deo lucrandas, pertranseat, tunc quidem occurrit sic, *in medio platearum occidendus sum*, inter eiusmodi negotia hominibus ipsis ad ruinam impellentibus cadam, & eorundem manibus immoriar. Eadem fermè verba occurrunt infrà cap.26. vers.13. *Dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus*, ibi etiam aliquid ad hanc sententiam illustrandam subiiciemus.

B

14. *Fouea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus, incidet in eam.*

Fouea profunda, &c. Hebr. *Fouea profunda os alienarum*; sed numerus multitudinis accipitur pro singulari, iuxta solennem scripturæ phrasim. 78.
Chaldæus similiter habet, *os extranearum*, LXX. sexum euariant, sic enim legunt, *fouea profunda os iniqui, qui autem odio habetur à Deo, incidit in illam.* Addunt præterea quædam verba, quæ & ab originibus, & à vulgatis codicibus omnino absunt, hæc scilicet. *Sunt viæ malæ coram viro, & non diligit re-*
C *uerti ab eis, auertere autem se oportet à via peruersa, & mala.* Hæc sanè verba à Complutensi, & Regio codice expuncta, sed in correctionibus Vaticanis adscripta sunt, & istius versus scholia obseruant in quibusdam perantiquis exemplaribus alia etiam verba subnecti hoc tenore. Sunt viæ, per quas non est ambulandum viro, impius autem vias mortis, & perditionis diligit.

Inter autores dissidium leue est, an per os alienæ mulieris oscula impudica, an ipsius colloquia accipi 79.
debeant? vtramque expositionem complexus est Beda, cuius commētarius totā loci vim exhaurit. *Fouea* Beda.
profunda os alienæ, &c. Qui enim verba vel oscula meretricis libenter amplectitur, quasi ianuam iam gehenna-
D *lis pulsat abyssi, citoque mergitur, si pedem cautus non retrahit, si non membra reliqua à vicinia cohibet foueæ pœnalis, in quam nullus omnino nisi filius iræ illabitur.* Sed pendamus singula. *Fouea profunda.* infra etiam capite 23. vers. 27. *Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.* Itaque quod ibi de ipsa meretrice, hîc de ipsius tantum ore enūciatur; sic tamen accipiendū est vt ipsa quidem sit fouea, puteusve, os autem illius sit os foueæ. Quapropter quēadmodum qui in foueam profundam illabi non vult, procul ab illius ore recedit; ita etiam qui in meretricem velut in imā foueam nunquam relabi, ac demergi cupit, is vtique ab illius ore, hoc est à colloquiis, & & sermonibus quàm longissimè seipsū arcere debet.
E Eū n. qui ad os meretricis proximè accedit haud dissimilē esse dixerim illi incauto philosopho, qui cùm Æthnæ montis profundissimū hiatum, ignē, fumosque assiduò exhalantē explorare vellet, ad os vel orā altissimi specus proprius accedere non veritus ab expiratis vaporibus tentato capite oculisque perstrictis in antrū delapsus, atque internis illis ignibus in pabulū datus est. Huic inquam haud dissimilis est præceps ille atque inconsultus vir, qui ad os meretricis, id est, ad colloquia illius, sermonesque captandos improuidus venit, nam ab illius ore spirati fumi, & vapores robustissima capita tentare, & perspicacissimos oculos hebetare, ac demum in amoris impudici ignem casu miserabili pertrahere consueuerunt. Et quidem meretricum, aliarūque fœminarū ora ab illis Æthnæ, Vesuuij,

Vesuuij, aut aliorum montiũ profundissimis cauernis (vulgo *volcanes*) nihil dissident, nam sicut istius modi specus ignem sulphureum assiduò eructant atque euomunt, sic etiam illarum ora turpem amorem omni sulphure ardentiorem assiduò exhalant. Quod si aliqua fæmina verba nonnunquam sua temperat, atque adeo ignem illum ore suo non iaculatur, hæc quidem induciæ tantum sunt. His enim idipsum euenire dixerim quod de Æthna scripsit Nazianzen. contra Iulianum orat. 8. quem montem non semper ignem ab horrendo illo ore emittere dicit, sed per interualla quædam, ita vt forte diutius ignem continuit, iam tunc cùm emouere incipit, ardentiores globos eiaculetur. Hæc Nazianz. vt Iuliani iram, & procax ad maledicendum os describeret, qui nonnunquam Philosophum se simulans sibi quidem temperabat, & tamen quo fuerat diuturnior temperantia, eo postea sæuior iræ flamma ex illius oculis, & ore exundabat. Non aliter de fœminis decernere oportet, quæ, & si aliquando ad tempus os continere videantur, non multò post ignem illum ardentissimum expirant; atque adeo ab ipsarum consortio, & colloquiis omnino illi abstinendum est, qui sibi per omnia consultum velit. Subdit Salmon.

Nazianz.

80\. *Cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Aliqui hæc verba putant dicta contra superbos, ita enim fieri sæpius solet, vt eos qui superbe tument, in luxuriæ, & turpitudinis barathrum iusta Dei seueritas deiiciat. Autor est Augustin. *Nonnumquam deijcit Deus occultam mentis superbiam per manifestam luxuriæ ruinam.* Sic ille in quadam Epistola. Obserua illud verbum *deijcit*, superbia enim fastigium tenet, luxuria verò humile admodum atque demissum vitium, ergo vt hominem elatum de fastigio superbiæ deponat Deus, eundem in luxuriæ humilitatem, & profunditatem quodammodo impellit. Rursus, sicut nullum est grauius peccatum quàm superbia, ita etiam nullum æque læsi numinis diuini iram sibi accersit. Eum ergo, *cui iratus est Deus*, superbum existima, atque de hoc præmissum locum accipe. *Fouea profunda os alienæ, superbus autem incidet in eam.* Sumpta fortasse similitudo est ab eo, qui cùm oculos ad sublimia sublatos gerat, nec pedum suorum vestigia obseruet, in profundam fossam illabitur, vt de Philosopho illo astrorum speculatore vulgo fertur. Huic enim adsimilis superbus, nam per fastum ardua semper, & excelsa suspicit, meretrix autem fossæ profundæ ad instar obtinet. Ergo dum superbus ad alta adspirat, nec ad vestigia sua dispicienda oculos per humilitatem flectit, per manifestum luxuriæ casum in prædictam foueam promeritis ruit, ita enim fit vt menti arrogantis leuitatem carnis pondus deorsum premat, & ad ima detrahat.

August.

81\. Cæterum vulgo interpretes sic accipiunt extrema isthęc verba, *cui iratus est Dominus, incidet in eã.* i. hæc ruina his certius imminet, qui diuinã iram aliis prius culpis, ac lapsibus lacessũt; nã Dei seueritas ita iustè decernit, vt qui alia peccata admiserunt, &, quod difficile non esset, ab his resipiscere nolunt, in turpem denique amorem incidant, à quo vix possibilis est resipiscentia, & regressus, ideo enim cùm profundissima fouea meretrix conferetur, quia prona procliuisque ad illã ruina est, exitus autem perdifficilis.

82\. Aliter etiam potest sincerius exponi, *Cui iratus est Dominus, incidet in eam.* i. qui in ipsam inciderit, iram Dei in caput suum accerset, præcipua verò iræ istius pars ea erit, ex ruina illa ac fouea nunquam emergere. Ad hanc ergo resipiscendi difficultatem notãdam adscriptus est, me iudice, à Sept. interpretibus ille alius versus (si tamen germanus est, & non spurius.) *Sunt viæ malæ coram viro, & non diligit reuerti ab eis, auertere se autem oportet à via peruersa, & mala.* Nam cùm dixisset, eos, qui ad meretrices diuertunt, in profundissimam foueam relabi, vnde euadere non licet; subdit, sunt enim quædam viæ malæ. i. studia, & mores improbi, quas cùm semel homo tenere incipit, vix vnquam deserit. Hæ autem non sunt aliæ nisi luxuriæ, & impudicitiæ viæ. Accommodatus verò est modus ille dicendi ad rem notandam, *& non diligit reuerti ab eis*, nam cùm animus per amorem in ea studia propensus sit, nihil aliud adamare potest. Quaproter ab his peruersis moribus ad bonam frugem ocyus redire oportet, ne si animus per diurnum amorem illis adhæreat, reduces ad honestatem gradus ferre non possit.

83\. Potest etiam aliter hîc versus cum illis verbis cõsui, *Cui iratus est Dominus, incidet in eã*, nimirum ille in hanc foueã decidet, qui aliis criminibus iram Dei in se conuertit: *sunt*, enim *viæ*, quædam instituta, & rationes viuendi satis malæ *coram viro*, modus est loquendi Hebræis familiaris, id est, in potestate viri, cui adsimile est illud, *Opus illius coram illo*, nec non etiam illud, *vinea mea coram me est*. i. in potestate, & libera dispositione mea. Itaque, *via coram viro*, sunt viæ illæ, à quibus liberum est homini pedem referre, sed tamen, *non diligit reuerti ab eis*. i. non placet illi eas deserere, atque adeo ab illis abduci non potest; quapropter, & promeritis suis dum illac pergit, in præcipitium, & foueam denique perfertur, à qua deinceps euadere non possit. Talis autem est meretrix, ac meretricij amores. Itaque cùm omnis peruersa, & vitiosa via, seu viuendi ratio, in Orci præcipitium, & foueam homines ducat, est tamen aliud ante ipsum Orcum, & in Orci ipsius confinio præcipitium, & fossa, scilicet meretrix, inquam quisquis delabitur vix aliquando emergere se posse sperat; atque adeo omnis via mala actutum deserenda est, ne nos denique ad eiusmodi pręcipitia pertrahat.

84\. Proximè ad sententiam horum verborum accedit illa alia clausula, quæ in quibusdam Græcis codicibus legitur. *Sunt viæ per quas nõ est ambulandum viro: impius autẽ via mortis, & perditionis diligit.* i. studia quædam sunt, & mores, à quibus longissimè abhorrere debet vir pronus, quia ad mortem, & perditionem ferunt, his autem improbus magna cũ voluptate in ipsam mortẽ, & perditionem tandem aliquando deducẽdum sese committit; per eiusmodi autem vias non alias intelligo nisi luxuriam, & turpitudinẽ. Fortasse autem hîc sit allusio ad vias illas, semitasve, in quibus considere aut diuerticula habere meretricibus solemne erat apud Iudæos, de quibus iam inde multa diximus suprà c. 2. vers. 19. ad illa verba. *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Vide ibi plura de hac thesi.

15\. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.*

85\. STultitia colligata, &c. Hebr. est קשורה *Kesurah*, radix est kasar, significatuẽ at alligare, & coniungere: hoc verbum de annulis, de torquibus, atque de aliis id genus passim dicitur in scriptura, Deuter. 6. *Et ligabis ea in signum in manu tua*. i. in annulis geres Isaiæ. 49. *Et circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Hebr. *Et ligabis tibi eos tanquam torques.* plura loca ad significationem huius verbi eruendam alibi colligimus. Hinc fortasse nata est lectio LXX. quæ sic habet, *Dementia pendet ex corde iuuenis, virga autem & disciplina longè est ab eo*, sic habet codex Vaticanus, at Compl. & Reg. *stultitia suspensa est in corde*, &c.

Huius

Huius loci sententia perspicua est, tota enim eò spectat, vt suadeat pueros à teneris seuerius coërcẽdos, vt stultitiam illi ætati maximè propriam exuant & sapere incipiant. Sed tamen cùm verbũ illud *colligata est in corde pueri*, per metaphoricã aliquam similitudinem hîc adscriptũ videatur, haud facile est constituere vnde isthæc similitudo petita sit. inde. n. sententię energiam aucupari licebit. Ergo Caiet. à temulentia, & ebrietate similitudinem ductam putat, hæc enim sẽsus ac membra omnia alligare solet, propterea enim vinum lyæum dicitur ἀπὸ τοῦ λύειν. i. aliquando. Ait ergo Caiet. *Similis enim est puerilis dispositio ebrietati propter fluxum abundantis humoris.* Hæc ille. Sed vim eorũ enucleare libet. Sicut vinũ calidos vapores spirans, & in caput regens sensus hebetat, & mentem perstringit, ita etiam in pueris sanguis adhuc exæstuans, qui in ipsis vtique pro vino est, similes quosdam spiritus ad caput transmittit, qui ad eũdem ferè modum sensuum, ac mentis aciem obtundunt. Apposite igitur ad hanc similitudinem subdit Salomõ, *virga disciplinæ fugabit eam.* i. Sicut seruũ ebrium virga tundimus, & non solùm in eo id castigamus, quod vinum hausit immodicum, sed ea etiam, quæ per ebrietatem improuidus admisit, seuerissimè corripimus; ita etiam cum pueris agẽdum est, nihil enim imperitiæ, atque ignorationi illius ætatis condonandum est, Sed veluti in ebriis ea etiam seuere coërcemus, quæ mentis expertes committunt, ita etiam in pueris illa etiam acriter corripienda, puniendaque sunt, quæ in illa ætate nec dum mentis, rationisque compotes facti prauè gerunt. Sic enim fiet vt virga, & correptio puerilem illam vecordiam ocyus expellat, & mentem, rationemque aduocet. Non displicet omnino hæc interpretatio.

86. Hugo Cardinalis aliter metaphoram confirmat, *stultitia*, inquit, *colligata est in corde pueri*. i. veluti in sacculo ligata est, nimirum in illius corde non inclusa solùm, sed tanquam in sacculo immersa, & arctius alligata. Difficilis huius prioris partis cum posteriori nexus est, nisi dicas hanc esse mentem Salomonis, saccus ille nõ effundendus solum, sed vt in saccis accidit, qui farinam, puluerem, vel aliam quampiam rem non satis puram inclusit, hi enim virga tundi, & excuti solent donec ea prorsus effuderint, quæ prius cohibuerunt, & ad alia excipienda comparati sint: ita etiam de pueris decernendum est, à quibus stultitia, & ignoratio, virga. i. correptione, & supplicio prorsus excutiẽda est, vti ad honestatem, & bonos mores excipiendos, hauriendosque idonei sint. Quemadmodũ enim quidquid in saccum necdum excussum, & purgatum mittitur, ipsius sacci sordes trahit, ita etiã quidquid in puerum illum honestatis, & virtutis infunditur, qui necdum pueritiæ leuitatem, & mores omnino deposuit, nescio qua ratione sordescit, adeò vt virtus ipsa, quo nihil seuerius existit, leuitas quædam, & puerilitas appareat. Addit Hugo Card. *Et virga disciplinæ fugabit eam, sicut euentilabrum fugat muscas, & virga puluerem*: sed hæc parum idonea videntur.

Iansenius quidem, & Rodolphus non aliquam aliam metaphoram, aut translationem his verbis subesse voluerunt, nisi hanc, quam dico, *stultitia alligata est in corde pueri*. i. fortius adstricta, arctius ionexa, ex quo fit, vt nõ adhortationibus monitionibusque suauiter, & leniter, sed virga, hoc est verberibus, & acriori correptione reuellenda sit, ita enim fert ingenium puerile, vt per sola verba, nisi accedant etiam verbera, nõ satis erudiatur. Placet hæc expositio, potest tamen sic illustrari, vt illud, *Stultitia alligata est in corde pueri*, perinde sit ac si dicat, arctissimè innodata est, atque adeo nodus iste non leniter soluendus, vix enim aliquando per lenitatem solui, & explicari quiuerit, sed vi exscindendus, & abrumpendus est, id enim inter lenem exhortatorẽ, & seuerum correptorem interesse dixerim, quod inter eum qui cæcum, & inexplicabilem modum, aut per industriam enodare, aut per vim abrumpere volet: est igitur stultitia in corde pueri (liceat sic dicere) per nodum Hercul. alligata, qui nodus non explicari, sed abscindi debet.

L X X. interpretes aliam similitudinem commenti sunt, accipe ipsorum verba. *Dementia suspensa est in corde iuuenis, virga autem, & disciplina longè ab eo*. i. propterea suspensa est in corde ipsius vecordia, quia nullus est, qui illum virga excutiat. Sic enim hæc translatio à sensu Vulgatæ lectionis non discedit; sed tamen similitudo, vt ex his cõstat quæ in fronte huius interpretationis præfatus sum, ducitur à torque, qui bullam aliquã demittit supra pectus, atque cor, ita vt sensus sit, stultitia, & vecordia in pueris similis est bullæ super cor eorum pendenti. Aspera quidem similitudo isthæc videtur, sed tamen concinna atque idonea est. Torques vtique, ac bulla supra cor pendens in pueris, vt supra docui c. 1. vers. 6. olim ingenuæ nobilitatis nota erat. Ait ergo Salomon, stultitia, atque fatuitas simul cum bulla hæret pueris, qui nobilibus parentibus sati sunt, hi enim cum primis fatui, atque insipientes euadere solent, rationem autem attexit Salomon, *Virga, & disciplina longè ab eo*, ita enim fieri solet, vt nobiles erga filios suos parum seueri sint, atque adeo dum virgæ parcunt, sua indulgentia vecordiam, & dementiam ipsorum fouent. Itaque mens Salomonis hæc est, Principum virorum liberos fere stolidos, ac stupidos euadere, quia ipsorum mores per supplicium, & correptionem à parentibus non formantur. Ad quem sensum allici etiam potest lectio vulgata, *stultitia colligata est in corde pueri*, ita vt verbum illud, *colligata*, ad eam significationem alliciatur, quam nuper adscripsi, idest tanquam torques collo adstricta, ita vt concinat cum illis Isaiæ verbis, *Ligabis eos tibi tanquam sponsa*. 87.

Sed licet præfatam expositionem reliquis præferendam esse censeam, tamen aliam minimè inulsam subinferre libet. Præmitto autẽ verbum Kasar de iumentis dici, cum fune ad collum reducta præsepi aut trunco alligantur. Iob. 39. *Nunquid alligabis Rhinocerotem ad arandũ loro tuo?* & Gen. 49. *Ligãs ad vineam pullum suum*, & alia passim. Sensus igitur sic conformandus est, *stultitia colligata est in corde pueri*. i. asini aut iumenti in morem ipsi adstricta est: quid n. magis rudi iumento adsimile quàm stultitia? *Virga autẽ disciplina fugabit eam*. i. quemadmodum rudem ac stolidum asinum virga arcere solemus, ita etiam stultitia, & vecordia correptione ac verberibus à pueri corde arcenda, & effuganda est. Itaque docet Salomon cum puero non aliter agendum esse quàm cum rudi aliquo iumento, quia vterque nisi virga ictus nõ sapit. Iob 39. Gen. 49.

16. *Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.*

Qui calumniatur, &c. Heb. ad verbum. *Extorquẽs pauperi ad multiplicandum, dans diuiti vere sen etiam ad defectum*, quæ verba in ancipiti esse videntur, ac duas exposition. capere possunt, vt statim dicemus. Chal. sic conuertit, *qui calumniatur pauperem, multiplicat sibi malum, & qui dat diuiti, egestas erit ei.* LXX. verò sic habent. *Qui calumniatur pauperẽ, multa facit sua, dat autem diuiti ad minus.* Sic habet Vaticanus, sed in Complut. & plerisque aliis codicibus sic legere licet. *Qui calumniatur pauperem, multiplicat sua mala.* Symmach. verò extrema verba sic extulit, *dabit diuiti omnino egestas*. Schol. *Contra minorem dat occasionem malefaciendi.* 88.

Et

Ex Hebræis non pauci, quibus hæret Rodolphus,
aliam ex hoc loco sententiam eliciunt longè diuer-
sam ab ea quam vulgata verba præ se ferunt, sic. n.
conuertunt. *Qui vi opprimit pauperem ad multiplicā-
dum sibi, & qui dat diuiti etiam ad defectum.* i. Duo
sunt hominum genera, qui paupertatem, & rei fa-
miliaris angustias sibi ipsi accersere solent, nimirum
hi, qui per fraudem pauperum facultates diripiunt
vt suas augeāt, & qui diuites muneribus prosequun-
tur, vt per dona quædam non magna in eis colloca-
ta, ampliora, & digniora ab illis ipsi recipiant, vtriq;
inquam, egestatem sibi ipsis cumulant. Illi quidem
quia malè parta malè dilabuntur: hi autem, quia illa,
quæ obtinent, distrahentes, & his quæ spe ebiberant
fraudati, vtriusque sortis iacturam faciunt. Vtraque
pars veram sententiam continet; Imprimis enim, qui
pauperum facultates suis accumulat, vtrasque euer-
tit; Quid certius? obserua vim illius verbi ad multi-
plicandum. Hebr. להרבות *Lebarboth*, ex radice, *Ra-
bah*. Sunt autem duo themata רבה *Rabah*, & רבב ex
duplicantibus secundam, hæc autem, vt quorundam
Rabinorum opinio fert, synonima sunt: alij verò sic
statuunt differentiam horum verborum ex supputa-
tione petendam esse. Nam in subducendis rationibus,
Rabab est, additis pluribus vnitatibus ampliorem ali-
quem numerum pangere: *Rabah*, autem est rem ali-
quam, aut numerum simplicem, & vnum in plures
partiri, ac distribuere, tūc enim multiplicationi etiam
locus est, quia nimirū ex vno multa fiunt. Hæc non
indoctus Heb. ex neotericis, qui licet fateatur hæc
verba in vulgari vsu vicissim permutari solita, tamen
germanam vtriusque significationem sic discluden-
dam esse existimat, ne locus fiat synonimiæ, quam
ipse in lingua Hebraïca nunquam aut perrarò admit-
tendam esse putat. Redeo igitur ad sententiam. *Qui
calumniatur pauperē ad multiplicandum*. i. qui per frau-
dem extorquet pauperi bona sua, vtique ad multipli-
candam rem suam, spectat in priori sensu, vt nimirum
per additionem nouæ rei suam ampliorem reddat,
sed, Deo aliter dispensante, fit vt res illius non priori
modo multiplicetur, hoc est inter plures distracta, ac
distributa, nam ipso spoliato dum ex re vna (vt fieri
solet) plures partem aliquam sibi vsurpant, per par-
titionem in multas sortes dissecta multiplicatur. Po-
test ergo vis, & germana significatio huius verbi huic
loco sic accommodari. *Qui calumniatur*, vel, *extorquet
pauperi ad multiplicādum, & qui dat diuiti ad defectū*,
ita vt singulæ orationes sint absolutæ, & neutra ab
altera pendeat, hoc modo. Qui pauperem bonis suis
fraudat, id quidē pro meritis obtinet, vti res sua mul-
plicetur, hoc est, vti pauperis detrimento parta olim
res inter multos distrahatur. Hoc enim ad diuinam
prouidentiam pertinet, vt quæ à multis ablata sunt ad
multos redeant, nec apud vnum coacta, & cumulata
iaceant, quæ pluribus suffectura sunt. Subdit, *& qui
dat diuiti ad defectum*, scilicet in præfato sensu, id est,
qui diuites, & potentes donis exornat, vt eorum gra-
tiam ineat, accepti compensationem aliquando obti-
neat, tandem exhaustis facultatibus ad egestatem cō-
pellitur, nam fere in diuitibus nulla gratitudo, &
quæ in ipsos collocantur beneficia, perduntur.

89. Sed notat Rodolphus in hoc loco suaderi à Salo-
mone eleemosynam, & largitiones liberales in pau-
peres. Non reluctor; tamen vt sententia sit luculen-
tior ita illam ad misericordiam conuertendam esse
censeo, per duas illationes. *Qui calumniatur pauperē*,
eum bonis suis defraudans, *ad multiplicandum*. i. bo-
na illius inter plures distracta ocyus dissipātur. Quid
inde? Pauperes ergo non fraudandi, sed ipsi potius
muneribus prosequendi sunt; quemadmodum enim
diuitiarum cumulus contra fas collectus, & auarè as-

A seruatus, Deo dispensante, inter plures distractus pe-
rit; sic etiam ex aduerso ad cumulū illum in dies ac-
cedit, qui per beneficentiam in pauperes assiduè, &
sine intermissione, liber ita fari, dissipatur, atque dis-
pergitur. Rursus ait. *Et qui dat diuiti ad defectum:*
non ergo diuiti, sed pauperi donare oportet, quia
quemadmodum quæ in diuites sparguntur pereunt
tandem, & compensationem non habent; ita etiam
ex aduerso quæ pauperibus errogantur non pereunt,
sed manent, atque in dies auctiori sensu crescunt ac
cumulantur. De vtraque thesi sæpè aliàs à nobis fusè
dictum est. Denique huic nostræ expositioni non pa-
rum fauet translatio Chaldaïca, *Qui calumniatur
pauperem multiplicat sibi mala*. i. iacturas, & detri-
B menta rerum suarum, de his enim sermo est, *& qui
dat diuiti, egestas ei est*, vt suprà exposui. Hæc Rabbini.

Sed tamen Vulgatæ lectionis alia prorsus senten- 90.
tia est. *Qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias
suas, dabit ipse ditiori, & egebit*. Caietan. vtique singu-
larem expositionem excogitauit, ita enim locum
edisserit? Qui pauperem per iniuriam spoliat vti ipse
facultates suas amplificet, *dabit ipse ditiori*, hoc est
Deo, demum *egebit*, quasi dicat, Deus ipse, qui ditis-
simos opibus & potentia superat, per iniuriam parta
ab iniusto diuiti extorquebit, illúmque ad miseran-
dam egestatem compellet. Itaque illud, *dabit*, non
de spontanea donatione accipit Caiet. sed *dabit*, idem
est, quod cedet bonis suis à potentiori oppressus. Et
C quidem ea in re parum idoneè locutus mihi videtur
Iansenius, qui vt significationem germanam verbi il-
lius *dabit*, retineret, posteriorem huius loci partem sic
exposuit: *dabit ipse ditiori, & egebit*, id est, his, quæ à
paupere per vim abstulit, nequaquam fruetur, sed
diuiti cupiam, ac potenti homini donabit: nam so-
lemne est iniustis raptoribus ac prædonibus, iudices,
aut potentissimos quosdam, ditissimosq; Reipublicę
viros oblatis muneribus sibi obstringere, vt eorum
conniuentia, rapinas suas licentiùs exerceant.

Sed tamen sincerior huius loci sententia est. *Qui* 91.
*calumniatur pauperem vt augeat diuitias suas, dabit
ipse ditiori, & egebit. Dabit*, inquā, id est, cedet: quasi
dicat, Ex Dei prouidentia hoc accidit, vt qui paupe-
D rem per vim ac fraudem spoliat, ipse vicissim ab alio
ditiori se per similem vim, & iniuriam opprimatur.
Ad quam sententiam eruditè admodum ac lepidè
piscium exemplum trāstulit Basilius in oratione. 15.
de auaritia, vbi sic fatur. *Sunt nonnulli pisces, qui se
inuicem comedunt, atque inter eos minor cedit in escam
maiori; quod si aliquando accidat, vt is qui minore supe-
rior fit, ab alio se maiore comprehendatur, vterque ille ab
vltimo victore absorbetur. Quid, quaso, nos aliud, ô mi-
seri mortales, facimus cùm nobis minus potentes subinga-
mus? Quid quaso ab extremo pisce differt is, qui impro-
ba diuitiarum cupiditate pauperes opprimit? sed ditior
alius hunc comprehendens vtrumque pariter deuorat.* Ac
denique sic absoluit. *Vide amabò, ne te idem finis, qui
E pisces, maneat, qui aut hamo, aut nassa, aut rete ad ex-
tremum capiuntur.* Eandem similitudinem vsurpat.
Hom. 7. in Hexa. lege ibi.

De translatione LXX. aliquid ad extremum sub- 92.
inferre oportet, nam sensu non differt à nostra. *Qui
calumniatur pauperem, multiplicat sua*, sua, inquam,
bona, hoc est suas facultates & opes, *dat autem diuiti
ad minus*. i. spoliatus tandem à diuite cedit bonis illis
iniquè partis, & ad paupertatem redigitur; nisi forte
ita libeat exponere, *dat diuiti ad minus*, vel vt vulgo
dicitur, *alomenos*. Quasi dicat, tūc cū minores sui sce-
leris pœnas dat, ab alio ditiori sic ipse spoliatur, quē-
admodū ipse alios opibus suis fraudauit. Vel potius,
hęc est minor, ac leuior ipsius pœna, alia. n. lōge gra-
uior illū deinceps manet in futuro sęculo persoluēda.

Scholast.

Scholast. lectio hanc extremam clausulam sic extulit. *Contra minorem dat occasionem maleficentiæ.* Sensus autem hic esse videtur, qui pauperem aliquem direptis bonis exhausit, vel ex eo grauissimè delinquere existimandus est, quia pauperi illi exhausto occasionem dedit, vti suæ inopiæ leuandæ causa aliū magis infirmum, ac tenuem illius exemplo spoliet, atque diripiat.

17. *Inclina aurem tuam, & audi verba sapientum: appone autē cor ad doctrinā meā.*

93. INclina aurem tuam, &c. Hebræa non dissonant. Chald. etiam concinit. lxx. verò sic habēt. *Sermonibus sapientum admoue aurem tuā, & audi meū sermonem, & cor tuum confirma, vt cognoscas quia boni sunt*, qui partem quandam sequentis sententiæ huic affigunt, vt statim patebit.

Lis aliqua inter expositores agitatur, cur scilicet Salomon hîc stilum verterit, & denuò auditorem suū ad auscultandum acuerit. Beda existimat Salomonē ex cap. 10. ad hunc vsque versum non quidem ad alium aliquem intendisse sermonem, sed præmissas omnes sententias velut secum ipsum euoluisse, ac discussisse: tamen iam nunc iterum, vt in prioribus capitibus, orationem suam ad auditorem conuertere, atque illum affari. Placet Bedæ consilium Rodol. Iansen. & quibusdam aliis. Ego verò aliter censeo: nam vt in Isagoge huius commentarij, & cap. 9. v. 1. multis rationibus, & argumentis confeci, totus iste liber in conuiuio dictatus fingitur, non quidem ad alios, nisi ad conuiuas accumbentes, atque adeò omnes illius sententiæ ad auditores destinantur. Quapropter satius est dicere Salomonem, qui orationem suam produxerat à cap. 10. ne auditores fortasse distracti animis aliud agerent, eos rursus ad audiendam reliquam orationem excitare, atque adeo per quinque sequentes versus ea illis obiicit, quæ attentos, beneuolos, ac dociles reddere possent. Itaque ait.

94. *Inclina aurem tuam.* Vim illius verbi *inclina*, suprà expendimus cap. 2. v. 2. *& audi verba sapientum.* Aliquis fortasse his inductus verbis dicet. Salomonem deinceps non ab ipso inuentas, & innouatas, sed ab aliis collectas, & conflatas sententias dictare. Sed tamen id temerè afferat quisquis afferat. Neque verò Iansonij consilium probo qui putat hîc Salomonem ad aliorum sapientum auscultandas sententias auditorem suum excitare, quatenus cum his, quas ipse pronunciauit, congruere, & cohærere, aut etiam quatenus ab his deriuari, & manare visæ fuerint. Alia enim est nostra censura, putamus enim Salomonem sapientum meminisse, non vti ad alios sapientes audiendos reuocaret discipulum, sed potius ex eo conficere voluisse orationi suæ attentas aures præbendas esse, quia sapientum verba magna animi attentione excipi debent: quasi dicat: *Inclina aurem tuam & audi verba sapientum*, id est, sapientes loquentes nunquam non audias, atque adeo *appone cor tuum ad doctrinam meam*, &c. Vel aliter, cùm in hoc libro vt suprà in Isagoge, & in cap. 9. v. 1. diximus, & infrà, cap. 30. vers. 1. & 31. vers. etiam 1. dicemus cum Salomone, duo alij inter epulas loquentes, & sententias suas promentes inducantur, nimirum, *Congregans*, vel *Agur*, & *Zamuel*, affirmare licet Salomonem, qui priùs verba fecit à cap. 10. & longam orationem traxit, ne videretur totum sibi sermonem sumere, sic nunc ad auditorem. *Inclina aurem tuam ad audienda verba sapientum*, id est compara iam nunc aurem, vt eos post me dicentes audias, interim autem *appone cor tuum ad doctrinam meam*, id est, ausculta me iam iam perorantem, &

A præstantissimas, dignissimásque sententias in fine sermonis proflātem. Hæc autem nostra meditatio aptius cadet si dicamus duo illa extrema cap. 30. & 31. in in quibus Agur Zamuélq; præfantur, è suo loco extracta fuisse, atque adeò inserenda esse inter cap. 24. & 25. hanc enim sedem sibi vendicant apud LXX. vt in nostra Isagoge diximus. Lege ibi istius coniecturæ non leuia fundamenta. Ergo capitum serie ad eum modū concinnatā Salomon quidem in hac sua priori oratione ad finem iam vergens ad alios duos sapientes, scilicet Agur, & Zamuelem auscultandos conuiuas comparat, quibus se dicendi locum facturum pollicetur, vbi extrema quædam verba atque illa grauissima deprompserit. Hæc de serie, & contextu.

B Verborum vtique sensus facilis est, *Inclina aurem tuam, & audi verba sapientum*, nec aures modo accōmoda, fieri enim solet, vt quod auris vna excipit, per aliam, vt aiunt, excurrat; sed auribus ad cor peruadat doctrina mea: *appone cor tuum ad doctrinam meam*, id est, non externas tantùm, sed etiam internas cordis aures mihi præbe. LXX. *Admoue aurem tuam, & audi sermonem meum, & cor tuum confirma, vt cognoscas quia boni sunt*, supple sermones mei. Illa verba, *cor tuum confirma*, putant aliqui referri ad posteriorem clausulam, hoc sensu. *Cor*, id est, mentem tuam confirma, & intende, donec planè agnoscas sermones istos esse bonos, & ad honestatem capessendam vtiles; sed friget hac ratione sententia. Melius ergo est prius hemistychium reuocare ad hunc modum: *Audi sermo- 95.

C nem meum, & cor tuum confirma*, id est, per sermonem atque doctrinam meam cordis tui leuitatem, & inconstantiam offirmare, & constabilire licebit. Cogita igitur animum in huius sæculi salo nauis ad instar obtinere. Huic autem verba, & documenta sapientum (liceat sic dicere) quasi saburra, atque onera sunt, ne ob leuitatem instabilis, & in omnem partem mobilis sit: vnde Chrysost. Homil. 3. in Epist. ad Thessal. sic fatur. *Nauis sine onere, & mens sine præcepto, vtraque instabilis ac mobilis est.* Et quidem aptè: sicut enim nauem onus ex omni parte libratum confirmat, neu nutet, & à fluctibus transuersa agatur, sic etiam verba, & præcepta sapientum animam stabiliunt, ne variis opinionibus huc illuc acta inconstanter aberret,

D ac demum in scopulos impacta dehiscat; & vt verba Pauli vsurpem ad Ephes. 4. hoc efficit, *Vt iam non simus amplius paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Pro astutia subest ibi κυβείᾳ, vt adnotat Chrysost. vnde κυβευταὶ dicuntur, qui talos iactant (& vt aliàs me obseruasse memini, *versuti*, etiam apud Latinos à vertendis talis dicti.) Quæ metaphorica locutio in hoc Pauli loco emphasim habet, *in nequitia hominum, in κυβείᾳ*, id est, *in astutia ad circumuentionem erroris.* Nam perinde est ac si dicat, iam inde nos constantes & stabiles esse oportet, ne nos hominum versutia veluti talos exagitet, & pro nutu Ephes. 4.

E suo in omnem partem vertat. Ergo vt hanc inconstantiam excluderet Salomon, aptè admodum ad discipulum suum hæc verba intendit: *Audi sermonem meum, & cor tuum confirma*: ne aliorum praua dogmata, aut tanquam nauem vacuam ventorum in morem circumferant, aut tamquam talos instabiles in omnem partem vertant.

18. *Quæ pulchra erit tibi, cùm seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labijs tuis.*

QVæ pulchra erit, &c. Hebr. *Quæ delectabilis erit, si custodieris eam in ventre tuo: & dirigetur pariter in labijs tuis*, sic aliqui dispungūt, sed plures verba illa 96.

illa in *ventre tuo*, ad priorem clausulam reuocant. Rodolphus. *Quæ amœna erit, si custodieris eam.* Chald. *Quoniam dulcia sunt, custodi ea in ventre tuo, & dirigantur simul in labijs tuis.* LXX. *Et si immiseris eos* (supple sermones) *in cor tuum, ædificabunt te simul in labijs tuis.* Aquil. Symmach. & Theodot. *parabuntur in labijs tuis.*

Hæc sanè verba ad captandam beneuolentiam auditoris addita sunt à Salomone. *Quæ pulchra erit tibi, cùm seruaueris eam in ventre tuo.* Quæ nimirum doctrina mea, & si nunc ad speciem difficilis, & aspera videtur, *si* tamen *eam seruaueris*, id est, opere ipso executus fueris (sic plerique.) Cæterum cum in ventre illam asseruandam esse dicat Salomon, ac per *ventrem*, iuxta solemnem scripturæ phrasim, mentem, & animum capiat, sic certè exponendus est. *Cùm seruaueris eam in ventre tuo*, idest, cum illam ab auribus ad mentem traduxeris, atque in animo reposueris, idest, cùm illā probè intellexeris, seu percallueris, pulchra apparebit tibi. Rodolph. *amœna*, Chald. *dulcis*, Pagninus, *delectabilis*, omnia in idem recidunt. Si enim ad mentem referatur, aptè dicitur pulchra, & amœna, si autem ad voluntatem, delectabilis vtique ac dulcis: vtramque autem inuitat Salomon ad suam doctrinam, voluntatem videlicet, ac mentem: hanc quidem vt eam penitus intelligat, illam verò vt eandem medullitus adamet, ac prosequatur. De amœnitate doctrinæ atque de illius pulcritudine diximus supra cap. 3. vers. 17. subdit.

Et redundabit in labijs tuis. Hebr. *& dirigentur* (scilicet verba mea) *pariter in labijs tuis.* Rodolphus perinde esse putat ac si dicat, hinc fiet vt cum verba mea vsurpare collibitum fuerit, minimè pugnantia dicas, nam ea, quæ tibi ego dictaui, hactenus, aut postea dictabo, congrua sunt, & cohærentia. Sed tamen hoc coactum videtur, sententia quidem vti sonat satis habet leporis, *& dirigentur pariter in labijs tuis*, idest, non solum in ventre, hoc est, in mente hærebunt, sed etiā ad labia vsque effluent, & copiosam valdè dicendi segetem suppeditabunt. Nam doctrina, vbi menti insedit, statim labia soluit, & fandi materiem offert. Caietanus putat metaphoram ductam esse à cibo, qui in ore quidem dulcis est, & ad stomachum, ventremque transmissus reficit ac roborat, quasi dicat. Hæc mea doctrina dulcis tibi videbitur, quia cùm illam in ventre incluseris non modò vires reficiet tuas, sed ex ventre vtique ad os ac labia refluet, ac tunc suauitatem illius experiri licebit: Haud displicet mihi isthæc partitio, doctrina in animo reficit, in ore delectat: sed tamen aliquid adiicio: ideo cibis dulcedinem ac saporem natura contulit, vti huius dulcedinis saporisque appetentia ad eosdem deuorandos inuitet. Non ita, inquit Salomon, sed doctrina mea prius deuoranda, & in ventrem transmittenda est, exinde verò in labia redundans suæ dulcedinis saporē efficit. Itaque Caietanus putat id suaderi à Salomone vti auditor eas sententias, quas non satis callet, velut integras deuoret, licebit enim postea easdē ad os vocatas ruminare, & conterere; ita enim præcipit Augustinus de vera innocent. cap. 110. *Auditor, inquit, similis esse debet animantibus, quæ ab hoc, quod ruminant munda esse dicuntur, vt non pigeat cogitare, quæ in aluo cordis concipit, & cùm audit, sit similis edenti, cùm audita in memoriam reuocat, similis sit ruminanti.* Similia habet Pseudo Chrysost. homil. 41. operis imperfecti. *Apud Iudæos illa animalia sunt munda, quæ reuocant cibos, & ruminant; ergo animal illud est mundum quod mandit, & tradit ventri, & de ventre reuocat, & ruminat: & homo etiam ille est spiritualis, & sanctus, qui audiens verbum tractat, & cùm intellexerit, memoria quasi vtero tradit, & iterum de memoria tanquam ex vtero ad os reuocat, ruminat, & retractat.* Hæc igitur est mens sapientis cùm ait, *si seruaueris eam in ventre tuo*, idest, in memoria tua, & ex memoria tanquam ex ventre, *redundabit in os, ac labia tua*, vt eandem iterum conteras, & regustes, tunc suauitatem huius doctrinæ experiri licebit. Et quidem satis ad rem sententiam istam inserit hîc Salomon: nam cùm multas simul sententias iactasset, in hisque multæ perdifficiles essent, quas auditores suos peruadere omnino ac percallere haud posse constabat; monet discipulum, vti plerasque integras deuoret, & memoriæ committat, vt easdem postmodum memoria refricans ruminare, & regustare, earumque suauitatem, & dulcedinem percipere possit.

(August. — Pseudo Chrysost. — margin notes)

97. Sed tamen si spectes ipsa nostri textus verba, metaphoram potius à fontibus petitam esse dicas; ita vt sensus sit. *Quæ doctrina pulcra erit cùm seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis*, idest, seruata in ventre, idest, animo & cogitatione non ibi hærebit, sed perennem quandam scaturiginem in ea excitans veluti per ductus suos ad os veniet, vt in alios copiosè effundatur. Nihil enim est quod magis discipulum acuat ad discendum & audiendum, quàm spes tradēdi aliis ea quæ aptè didicit, ex discipulo in doctorē euadens: & quidē doctorū ora perennes fontes imitari oportere nemo inficiabitur. Accipe Chrysost. sententiā in conc. 1. de Lazaro. *Quod si post nostrā etiam admonitionem in eisdem vitijs perseueraueritis, nec sic quidem nos desistemus apud vos, quod rectum est, consulere; quandoquidem, & aquarum vena, etiam si nullus veniat aquatū, manant tamen; & fontes quamuis hauriat nemo, tamē scatebras emitūt, & amnes, etiāsi nemo bibat nihilominus fluunt: sic oportet & illum qui concionatur, quanis nullus auscultet, tamen doctrinam suam semper effundere.* Tantus profectò, ac tam perennis fluxus maximam vtique doctrinæ affluentiam requirit, hanc ergo pollicetur auditori suo Salomon cùm ait, *& redundabit in labijs tuis*, verbum *redundabit*, vbertatem & copiam sonat, quæ nunquam aut sisti, aut exhauriri possit. Chrysost.

98. LXX. verò aliunde similitudinem petunt. *Et si immiseris eos* (inquiūt) *in cor tuum, ædificabunt te simul in labijs tuis.* Complut. codex locum istum sic restituendum putauit, *Lætificabunt te simul*, &c. Videbatur enim verbum *ædifico*, in eum locum per mendum irrepsisse; alij verò codices cùm simili modo in suspicionem mendi venissent, resarserunt, *& ædificabuntur simul in labijs tuis*, sed vtraque, tam hæc quàm Vaticana lectio, bonum ad sensum vocari, nec non etiam cum originali textu in concordiam adduci potest. Nam verbum primitiuum, quod hîc subest, est כן *Chun*, quod ex germana significatione significat dirigere ad perpendiculum, aut etiam confortare & fundare, & ædificiis passim accommodari solet, ad eorum firmitatem notandum: & ex eo fluit כן *Chon*, idest, *basis, fundamentum*. Psal. 118. *Fundasti terram & permanet*, & Abac. 2. *Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & praparat vrbem in iniquitate.* Reliqui sic extremam partem reddūt, *& fundat vrbem in iniquitate.* Pagnin. iterū repetit verbū *ædificat*: Ad sententiam veniamus. *Si immiseris eos* (supple serm. meos) *in cor tuum, ædificabuntur in labijs tuis.* Quasi dicat, si hos serm. meos veluti fundamenta quædam in animo tuo ieceris, vtiq; super illa multa alia præclara dogmata tibi ipsi exædificare, & attollere licebit, non quidem inclinata, & indirecta, & quæ suopte nutu ruant, sed ad perpendiculum erecta, quæ semper constantia, & firma sint. Hoc sibi volunt illa verba, *ædificabuntur in labijs tuis.* Quā metaph. vsus est etiā Paul. 1. Cor. 3. *Vt sapiens architect. fundamentū posui: alius autē superædificat, vnusquisq; autē videat quomodo superædificet*, &c. Psalm. 118. 1. Cor. 3.

A loquitur auté de doctrina,& Euangelio Christi, quam ipse veluti fundamentum iecerat: &(me quidem iudice) doctores alios adhortabatur, vti attentius examinarent, & ad perpendiculum exquirerent eas, quas super Euangelium ab ipso prædicatum excitabant doctrinas, nec cum Euangelio congruerent. Vel, si omnes in vniuersum fideles affatur Paulus, de operibus illis sermo est, quæ super doctrinam, tanquam supra fundamentum incumbunt, vis tamen metaphoræ haud dissimilis existit.

99. Quod si retineas Vaticanam translationem, *edificabunt te in labijs tuis*, sic accipe, ac si dicat, *fundabunt te in tuis labijs*, nimirum id tibi afferent sermones mei, vt nihil non fundatum, ac firmum labiis tuis vnquam promas: B Vulgo diceremus, *iras bien fundado en todo loque dixeres*, itaque ipse homo ex eo in labiis suis fundari, aut ædificari dicitur, quia fundata, atque ædificij in morem ad perpendiculum directa loquitur.

Extrema translatio Symmachi, Aquilæ & Theodotionis sic habet, *& parabuntur in labijs tuis*, sunt qui ad cibos similitudinem referant (à qua non abhorret etiam verbum originale) idest tuis in labiis condientur, ac temperabuntur, quasi dicat; hæc quæ nunc à me indiscussa & veluti cruda quodammodo excipis, cùm ea labiis tuis vsurpare libuerit, in his condientur, & tam tuæ, quàm audientium voluptati inseruient. Vel aliter: *parabuntur in labijs tuis*. i. expedita & prompta erunt, ita vt cùm opportunitas alicuius C ex his sententiis vsurpandæ acciderit, statim succurrant, & sua quodammodo sponte in labia veniant.

19. *Vt sit in Domino fiducia tua: vnde & ostendi eam tibi hodie.*

100. VT sit in Domino, &c. Hebr. quod attinet ad prius hemistychium, concinunt cum nostris, sed extrema clausula sic restituenda est: *Scire feci te hodie, etiam tu*, & quidem vltimis illis verbis *etiam tu*, nihil respondet in Vulgatis. Iansenius putat supplendum etiam, *tu scire facies alios quemadmodum ego scire te feci*. Caiet. verò subaudiendum existimat, *etiam tu cooperare*, quasi dicat, ego quidem feci quod ad me D spectat, tu identidem facito quod tua interest, dicta videlicet factis exequitor. Caiet. adhæret Vatab. qui addit à quibusdam legi etiã *& tu*, supple, audi: sed tamen hæc minora sunt. Chald. tantisper dissonat. *Vt sit in Domino fiducia & ostendam*, aut, *scire faciam tibi hodie*. LXX. *Vt fiat super Dominum spes tua, & notam tibi faciat viam tuam*. Apud Procop. *Vt notas tibi faciat vias tuas*. Aquil. & Symmach. *notam tibi feci vitam*.

101. Locus hic iuxta Vulgatam lectionem sensum vulgarem reddit; aliqui putant priora illa verba cum superioribus illis consuenda. *Aperi cor tuum ad doctrinam meam*, hoc modo, verba mea animo tuo committe, hæc enim erigent illum in spem salutis à Deo obtinendæ: E aut etiam cum illis, *Quæ pulchra erit tibi, cùm seruaueris eam in ventre tuo*, quasi dicat, Cùm ad eum modum doctrinæ à me traditæ pulchritudo tibi probabitur, & ad eam vtique capessendam, & executioni mandandam ipsa te incitauerit, in spem vtique venies salutis tuæ à Deo impetrandæ. Cæterum hæc longius petuntur. Ego igitur ita reor locum istũ sic contexendum, vt prior eius pars cum posteriori cohæreat. Salomon ergo alia etiam ratione auditoris gratiam, & beneuolentiam promereri contendit proposita illa suæ doctrinæ vtilitate. *Vt sit* (inquit) *in Domino fiducia tua, vnde & ostendi ea tibi hodie*, quę verba sic vtique pangenda sunt. *Ideo ostendi ea tibi hodie, vt sit in Domino fiducia tua*. idest alia etiam de causa inductus sum, vt hæc præcepta tibi nunc traderem, scilicet vt te in spem salutis tuæ capessendæ erigerem: nam cùm hæc mea documenta præmia iustis præscribant, & pœnas improbis decernant, eorum qui recta ac secundum virtutem viuunt, illis acceptis spes acuitur, & fiducia excitatur. Ad hunc sensum vocari potest translatio Chald.

Quamuis alium etiam nobis offerre videatur non insulsum, ad quem vicissim Vulgatam lectionem allicere integrum est. 102. *Vt sit in Domino fiducia tua, & scire faciam tibi hodie*, referenda est prior pars ad antecedentia eo modo quo supra docui, posterior autem per se seorsim sumenda. Nihil autem est quod auditorem docilem magis reddat, quàm comparandæ doctrinæ breuitas. Ergo vt Salomon, qui ad beneuolentiam, & attentionem promerendam auditoris sui superiores sententias deprompsit, iam nunc vt eundem docilem efficiat, breuitatem doctrinæ capessendæ illi proponit, *Et scire faciam tibi hodie*, id est, vnica tantum diei periodo, nimirum hoc ipso die, hoc est breuissimo temporis spatio meis præceptis, ac documentis doctum satis, & instructum te reddam; quasi dicat. Non tibi opus erit longo tempore, & diuturna scholæ exercitatione, nam si me hodie dicentem beneuolè exceperis, hodie etiam doctus euades. Simili sensu donari potest translat. Vulgata, *Vnde & ostendam tibi hodie*.

Translatio LXX. alium sensum exhibere videtur *Vt* 103. *fiat super Dominum spes tua, & notam tibi faciat viam tuam*, vel, *suam*. Eadem enim est vtriusque lectionis sententia: quasi dicat, Hæc mea doctrin. & institutio eo spectat, vt & spes tua ab his rebus caducis ad Deum traducatur, vtique Deus ipse per hæc documenta, *viam tuam*, idest tuæ vitæ rectè instituendæ rationem aperiant tibi vel, *viam suam*, idest sua præcepta quæ à te serio adimpleri optat, tibi insinuet. Hoc etiam ad docilitatem seu attentionem captandam referri potest; est enim perinde ac si dicat, Non ego, sed Deus ipse doctoris munus aget, nam per ea, quæ ego dixero, ille ipse de suis præceptis edocebit te. Luculenta est etiam lectio Symmachi & Aquilæ, *notam tibi feci vitam*, idest vitæ bene gerendæ rationem.

20. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & in scientia.*

ECce descripsi, &c. in primitiuis voci illi *tripliciter*, subest, שלשים *Salisim*, de cuius vocis vi, ac significatione alij alia serunt. Fluit quidem ab hoc 104. themate שלש *Salos*. i. tres aut ter, & quidem primò *Salis*, principem sonat, aut ducem. 4. Reg. 9. *Dixitque Iehu ad Badazer ducem*, & 15. *Coniurauit autem aduersus eum Phacee filius Romelia dux eius*. Ezech. 23. *Iuuenes forma egregia duces & magistratus*. (4. Reg. 9. & 15. Ezech. 23.) Ex Hebræis autem quidam existimant eo nomine significari Triarium, quem sic appellatum existimant, vel à corporis statura, & viribus, vel ex eo quod triginta militibus imperaret. Secundò nomen illud *Salis*, mensuram aliquam, non quidem magnam, vt aliqui existimant, sed exiguam & perbreuem significat. Psalm. 79. *Et potum dabis nobis in lacrymis in mensura*, & Isaiæ 40. (Psalm. 79. Isaie 40.) *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Tertiò, alij vocem hanc ad germanum illius thema reuocantes, tres aut ternos, aut tripliciter notari volunt. Hinc nata mira quædam lectionũ varietas; Vatablus, siue Tigurinus codex sic legit: *Ecce descripsi tibi triarios*. Rabbi Abraham. *Ecce descripsi tibi verba principalia, aut ducalia*: Alij, *Principes, ac Duces*. Rabi Leui, *verba gloriosa*. Pagnin. *perfecta*. Rabbi Abenhezra, *tribus diebus*. Alij rursus habent, *Ecce descripsi tibi triplicata, aut*

unt triplicia. Noſter Vulgatus, *tripliciter :* ſequutus A videlicet LXX. qui locum integrum ſic reſtituerunt. *Et tu verò deſcribe ea tibi tripliciter in conſilio , & in ſcientia , ſuper latitudinem cordis tui ,* ſic Vaticana: Complutenſis autem, & Regia tranſlatio verba quędam expunxit: *Tu autem exſcribe tibi tripliciter in conſilium & cogitationem,* Chald. *Ecce deſcripſi ea tibi in tribus vocibus, in conſiliis, & in ſcientia.*

105. Quot capita tot ſententiæ: Imprimis autem minimè audiendos puto illos, quotquot huic loco lucem afferre volentes libri huius cancellos euadunt, hi ſunt Dionyſ. Hugo, & alij eius ſæculi, qui ſic exponunt: *Ecce deſcripſi ea tibi tripliciter,* videlicet in tribus libris, in Prouerbiis, in Eccleſiaſte, & in Canticis; in his enim doctrinam ad triplicem hominum ſtatum B intendit, nimirum ad incipientes, progredientes, & perfectos.

Item Lyranus, Rabbi Salomon, & Gloſſa magna Hebræorum, *tripliciter,* inquiunt, id eſt, in Lege, Prophetis, & Hagiographis.

106. Melius illi, qui intra huius libri terminos ſeſe coërcent: Nam cùm Salomon de ea doctrina verba faciat, quam tunc ipſe auditoribus ſuis inſtillabat, haud credibile eſt extra illam ad aliam euagatum fuiſſe. Sed tamen in his, qui huic libro interpretationem ſuam obſtringunt, mira quædam diſcordia eſt. Origenes in libro quarto Periarch. Hieronym. in caput decimum ſextum Ezech. & Ioan. Caſſ. Collat. decima quarta, capite octauo, *tripliciter,* inquiunt, pro- C pter litteram, tropologiam, & allegoriam; nam anagogiam ad allegoriam identidem reuocant; quam expoſitionem mira concordia amplectuntur omnes illi, qui de triplici illa, aut quadruplici ſcripturæ diſſerendæ ratione verba faciunt. Et quidem non ineptè hic ſenſus contextui aptatur. Nam cùm præmiſiſſet Salomon hæc verba in auditoris ſui labiis mira quadam affluentia redundatura, ſatis accommodatè ſubnectit, *Scripſi ea tripliciter,* nimitum ita ſcripſi, vt quælibet ſententia huius libri triplicem ſenſum ſpiret, litteralem, allegoricum, & tropologicum, atque adeò vberem dicendi ſegetem offerat. Ego verò huic expoſitioni facilè primas do, ſi tamen illud *tripliciter,* non ad triplicem illum ſenſum adalligetur, ſed tri- D pliciter perinde ſit, ac multipliciter, iuxta vulgarem ſcripturæ phraſim, quæ ſæpius certum numerū pro incerto, & vago accipere ſolet, ita vt ſenſus ſit. *Ecce deſcripſi ea tibi tripliciter,* i. ſic ſcripſi, vt quælibet ſententia ex his, quas in hoc libro conflaui, non vnum tantum, ſed alios atque alios intellectus capiat, atque adeò fandi vberem copiam ſuppeditet, ſed & alias interpretationes ſubnectam.

107. Caietanus, cui etiam hæret Rodolphus, illud *tripliciter* à Salomone hîc additum exiſtimat, vt ſignificaret librum iſtum tribus potiſſimum partibus conſtare: ſubdit tamen Caietanus ſe harum partium diſtributionem non ſatis vnquam aſſequutum. Rodolphus audacius librum iſtum in tres diſſecuit partes, E eius tamen ſectio nihil illuſtrioris doctrinæ continet, neque ad expoſitionem huius libri lucem aliquā præfert. Diſtribuit ergo ſic Baynus integrū opus: prima, inquit, eius pars peruenit ad c. 10. ſecunda attingit c. 22. & excludit verba illa, *inclina aurem tuam,* &c. tertia demum fluit ab illis verbis, *& deinceps* vſq; ad finem. Sed tamē, vt dixi, partitionis iſtius nullus eſt vſus: poſſet tamen aliquis, cui forſan horum interpretum conſilium probabitur, eam huius operis partitionem huc vocare, qua nos libri iſtius omnes ſentētias inter tres præcipuos viros partiti ſumus, Salomonem videlicet, Agur, & Lamuelem, qui ab ipſomet Salomone ad condiendā ſentētiis ſapientiæ cœnā incredibili lepore inducti ſūt, vt ſupra in Iſagoge præſcripſi. Itaque ſenſus erit. *Ecce deſcripſi eā tibi tripliciter.* i. à triplici viro eruditiſſimo dictatum obtuli, præteritum pro futuro. i. *offeram,* quaſi dicat, nō mihi ſemper dicendum, ſed poſt me duo alij pari eruditione præditi viri verba facturi ſunt. Quod ſi hæc alicui nō diſpliceant, poterit quidē iſthuc euocare lectionē illam Vatab. *Ecce deſcripſi tibi triarios,* necnon illam, *ecce deſcripſi tibi Principes,* ita vt ſenſus ſit. Ecce in hoc opere tres induxi principes viros, qui te de omnibus edocerent, atque adeo tantorum doctorū ſeriò arripienda eſt doctrina. Cæterum hæc interpretatio, vt dicā etiam quod ſentio, non admodum placet.

Beda, Strabus, & Salonius de voce illa *tripliciter,* ſic decernunt. *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter,* i. per eam doctrinā, quam tibi inſtillaui, hæc tria, cogitationes, verba, & opera informare apud me conſtitui. Quid autē certius quàm Salomon. documenta hæc tria præſtaret? Ita quidem reor, ſed nihilominus expoſitio mihi inſulſa videtur, quemadmodum etiam duę aliæ lepore carent: prior ſic habet. *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter,* nimirum ad memoriam inſtruendā intellectum acuendum, & voluntatem incitandam: poſterior eſt, *tripliciter.* i. acres correptiones, & verba ſeuera miſcens; iucunda ſæpius ac delectabilia documenta ferens, ac demum perfectiſſima quædam dogmata inferens. Minora hæc ſunt quàm vt expendi & illuſtrari debeant. 108.

Ergo Ianſen. & Vatablus ex Rabi Leui, & ex Abenezra cùm lectionem illam probent. *Ecce deſcripſi tibi verba principalia,* aut, *ducalia,* aut *glorioſa,* locum iſtum facilè expediunt, putant enim Salomon. ad excitandum auditorem ſic fari: Ecce tibi non aliquas è tritis petitas, humiles, & inglorias, ſed nobiles imprimis, ac principes ſententias dedi. Cur autem Salomonis parabolæ Principales, Regiæ, aut Ducales appellari debeant, ſupra c. 1. verſ. 1. longa oratione diſceptaui. Nec pigebit ad eum ſenſum, quem ibi adſcripſi, lectionem illam aduocare. *Ecce deſcripſi tibi triarios,* nam per ſimilitudinem ſententias quaſdā digniores, & axiomata præſtantiora non ineleganter triarios dicere poſſumus, quia veluti triarij trecenos milites, aut plures ſibi ſubiectos & à ſe pendentes regunt, ſic etiā illis grauioribus ſententiis, aut dignioribus tanquā principiis aliæ, atq; aliæ ſubiiciūtur, quæ ab his fluere, ac dependere exiſtimātur. Quapropter ſi in illa interpretatione hæreamus, qua diximus, Salomonē rationē hîc afferre, propter quam traditæ ab illo ſententiæ in auditorum labiis mirabili affluentiā exundaturæ erant, ſatis aptè dicit, à ſe quidē triarios deſcribi. i. ſententias quaſdam exarari triarios imitantes, quæ trecenas alias, aut plures regat, ita vt eas tāquā ſibi ſubiectos milites producere, & in aciem vocare ſemper integrum ſit. Poſſunt etiam alio colore hæ ſententiæ *triarij* appellari propter conſtantē earum veritatem, quia ſicut triarius trecenos circa ſe milites ſemper habet, qui cum ipſo ſimul ac pro ipſo contra aduerſarios depugnant: ita etiam ſingulæ Salomonis parabolæ alias atque alias veriſſimas ſentētias ſibi cohærentes, & earum veritatem, & conſtantiam ſatellitio ſuo defendentes, ac tutantes habent. 109.

Sed ad noſtram lectionem redeamus, quæ cæteris præferenda eſt. *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter.* Pagninus quidem legit, *perfectè,* fortaſſe autem ea inductus ratione, quia ternarius numerus ad ſignificandam rei alicuius abſolutiſſimam perfectionem adhiberi ſolet: vnde dicere ſolemus, *ter maximus,* & apud Maronem: 110.

O terque, quaterque beati, & Diuum Hieron. de Tertulliani nomine ſic luſiſſe ferunt, Tertull. eſſe, Tertullium, quia illum abſolutiſſimè imitatus fuit, idē etiam iudicium eſt de Philoſophi illius nomine, quem *Virgil. Æneid. Hieron.*

quem τριμέγιστον. i. *termaximum*, antiquitas dixit. Ergo cùm ait Salomon, *Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus, & in scientia*, perinde est ac si dicat. Hanc meam de honestate, ac moribus doctrinam absolutissimã, ac perfectissimam tibi addiscendam & cogitandam tradidi, ita vt nihil præterea desiderari possit. Etquidem hæc expositio subseruit illis verbis superioris sententiæ, *Vnde & ostendi illam tibi hodie*, si quidem dicamus, Salomon. ea oratione significare voluisse magno se compendio vsurum in suo auditore perdocendo: *hodie*, inquit, *illam tibi ostendi*, nimirum hoc ipso die. i. quàm breuissimè. Ergo ne auditor existimaret, id quod solet, ob nimiam illam breuitatem de doctrinæ perfectione aliquid detrahendum, accommodatè subiungit, *Ecce descripsi*. i. describam, *eam tibi tripliciter*, &c. Quasi dicat, breuitas in causa non erit quominus absolutissimam suis omnibus numeris doctrinam hanc meam tibi perbibendam tradam. Hæc interpretatio idonea est, subiicio tamen aliam quæ mihi accommodata magis videtur.

111. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter*. i. *multipliciter*, numerus certus pro incerto. Ex dictis in superiori versu constat, Salomonem, qui attentionem & beneuolentiam discipuli eatenus cõciliauerat, nunc ab illis verbis, *Vnde, & ostendi eam tibi hodie*. totum in eo esse, vt eumdem sibi docilem præstet. Rursus docilẽ; imprimis auditorem reddit partitio distributióque orationis. adeò etiam auditoris mentem ex nimia contentione lassescere solitum cum doctor in connectendis & consuendis sententiis plurimus est: nam cùm ferè nexus, nodusque non ita facilè percipi soleat, dum ad illum capiendum mens adspirat, non parũ laborat. Et quidẽ ob eam causam præcepit Plutarchus in symposiacis, vt ea quæ à sapientibus inter epulas iactantur problemata, soluta sint, & ab inuicem distracta, (vt supra in huius comment. Isagoge præmisi) ne auditorum in conuiuio mens laboret. Salomon igitur vt docilem sibi præstet discipulum sic ait. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter*, &c. i. multipliciter ac multifariam; non enim vnam aliquam orationem, ex partibus inter se cohærentibus pangere, aut cõtexere animus fuit, sed vt mos fert in conuiualibus colloquiis, multiplices, varias, solutas, & incohærentes sententias conflare volui, quæ ob varietatem delectarent, & ob incohærentiam nimia mentis contentione non indigerent. Interim autem his verbis auditorem comparat, ad audienda ea, quæ sequuntur, ne si quispiam hactenus aberrasset, & iam ante dictata non satis percepisset, putaret se relliquæ orationis haud compotem futurum, huic enim occurrit affirmans ea, quę deinde dicturus est, à superioribus minimè pendere, atque adeò per se separata ab auditore capi posse: & quidem isthæc expositio propterea mihi ante alias probatur, quia huius operis naturam, & constitutionem præclarè exprimit. Vide ea, quæ in præcitata Isagoge de hac thesi conflaui.

112. Venio ad translationem LXX. ex qua reducem ad Vulgatam gradum faciam: *Et tu verò describe ea tibi tripliciter in consilio, & scientia super latitudinem cordis tui*. Præceptum est, ac documentum, quo Salomõ auditori suadet, ne hæc verba persunctoriè excipiat, ita vt quæ in aurem alteram illapsa fuerant, per aliam effluant: sed ea potius menti perfectissimè affigat atque imprimat: itaque hoc sibi vult illud, *tripliciter describe*, sic nimirũ exara & incide, vt animo semper altissimè hæreant, nam vox *tripliciter*, auget significationẽ. Eccl. 43. *tripliciter sol exurens montes*. Hæc autẽ expositio suadet, vt ad Vulgatam lectionẽ redeam, quæ sic etiam exponi aptè potest. *Descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus, & in scientia*. i. hanc de honestate & moribus doctrinam non semel ac persun-

A ctoriè tibi traditurus sum in hoc libro (sumitur enim præteritum pro futuro, vt iam obseruaui; sed easdem sententias, eademque documenta nouis schematibus conformata, nouisque pigmentis illita, interdũ etiam eisdem tibi iterum atque iterum inculcare decreui, vt menti profundius infigantur. Interim autẽ rationem affert cur easdem sæpius sententias vsurpet in hoc libro, & crebrò admodum in easdem materias thesésque incurrat: nimirum vt iteratis vocibus repetita doctrina melius imprimatur. Hunc autem sensum reddit paraphrasis Chald. quæ sic habet. *Ecce descripsi ea tibi tribus vicibus in consiliis, & in scientia*, tribus, inquam. i. multis, nimirum ea tibi repetitis vicibus sæpius inculcaui, ne facilè elabantur.

B Rursus alio sensu donari potest translatio L X X. *Tu verò describe ea tibi tripliciter in consilio & in scientia super latitudinem cordis tui*, pro verbo illo *describe*, subest in Græc. originib. ἀπόγραψαι, quod reddere licet, *insculpe*, aut *incide*: ea enim est eius verbi vis, quod de typis aut imaginibus dicitur: & ab hac significatione Tullius libros suos philosoph. vocat ἀπόγραφα, Græcorum. i. eorum imagines, & exempla: vt autor est Budæus. Rursus memoriæ iterum succedant ea, quæ diximus supra c. 3. vers. 3. ad illa verba, *circunda eas gutturi tuo, describe in tabulis cordis tui*, vbi est etiam in Græcis, *super latitudinẽ cordis tui*, ibi enim multis hinc & inde adscitis testimoniis, ostẽdimus olim in more positũ fuisse, vt quæ maximè cordi erant, in tabulis, aut laminis potius aureis vel ar- C genteis, exarata & incisa, è collo in pectus appenderentur, Rursus ibidem etiam, sed apertius infra c. 6. v. 21. ad illa verba, *liga ea in corde tuo iugiter, & describe in tabulis cordis tui*, dum vim illius verbi *liga*, ad trutinam vocarem, animaduerti ea, quæ ad eum modum in eiusmodi laminis describebantur, non expressis & claris notis, sed obscuris, & implicitis signis exarari solita, quemadmodum hodie etiam apud nostrates exscribuntur hæ, quas Vulgo *empresas* appellamus, eumque sensum reddit oratio illa. *Liga ea in corde tuo iugiter, & describe in tabulis*, &c. i. in subobscuras aliquas, perbreuesque notas, aut symbola coërce, & ea in laminis incide, quæ è collo appensæ

D supra cor demitti consueuerunt. Lege ibi multa in hanc sententiam, & ab illis ad hanc translationem Septuag. statim redi. Quemadmodum ergo in illis locis Salomon, vt suam auditori doctrinam commẽdaret, non semel ea *in tabulis cordis*. i. in laminis illis, aut bullis supra cor pendentibus imprimere, ac insculpere iussit, ita etiam nunc in hoc loco si in trãslatione LXX hæreamus, id quoque suadere videtur cùm ait, *Describe ea tibi tripliciter in consilio, & in scientia super latitudinem cordis tui*, nam in duobus locis supra adscriptis, LXX. pro *tabulis cordis*, latitudinem cordis subrogarunt. Iam sese prodit vis ac significatio illius vocis *tripliciter*. i. non apertè, sed obscurè & inuolutè; quemadmodũ enim *duplicia* dicun-

E tur, quæ minimè syncera sunt, & candida, sed tecta & implicita, ita etiam triplicia licet dicere quod Græcis perquam familiare est, apud quos passim τριτῶς. i. tripliciter, idem est quod obscurè & tectè, & de astutis enunciari solet. Ergo cum Salomon ait, *describe ea tibi tripliciter*, &c. sui ipsius imitator est, qui supra scripto loco dixit, *Liga ea in corde tuo*, &c. i. per eam, qua polles, sapientiam & intelligentiam hæc mea documenta in perbreues & obscuras notas coge, in bullis incide & insculpe, & supra cor appende, quod qua ratione intelligi, & bonum ad sensum allici debeat, in illis locis longiori oratione discussimus. An verò Vulgata Lectio ad hunc sensum vocari possit, tu videris.

21. Vi-

21. *Vt oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis, reſpondere ex his illis, qui miſerunt te.*

114. VT oſtenderem, &c. Hebr. *Ad ſciendam certitudinem eloquiorum veritatis, ad referenda eloquia veritatis mittentibus te.* Vatabl. *Ad referenda eloquia veritatis his, qui ad te mittunt.* Chald. concinit cum noſtra. LXX. *Doceo igitur te verum ſermonem, & ſcientiam obaudire: vt reſpondeas ſermones veritatis his, qui proponunt tibi*, ſic conuertit Hieronymus in cap. 16. Ezech. hæret autem Hieron. Origen. qui in lib. 4. Periarch. ſic habet. *Vt reſpondeas verba veritatis his qui propoſuerunt tibi.* Et quidem ita reor LXX. interpretes in hoc loco agnouiſſe tranſlationem illam Vatabli, atque adeo ad verbum ſic locum conuertendum exiſtimaſſe. *Vt reſpondeas ſermones veritatis his qui ad te miſerunt*, ſed omiſſis verbis ſenſum tenuiſſe: nā mittere verba ad aliquem, perinde eſt atque illi eadē proponere. Nec abhorret hoc à textu originali, quamuis inibi legamus לשלחיך *Leſolechecha*, quod ſic videtur reſtituendum, *mittentibus te*, vel *ad mittentes te*. Tamē vt non ſemel obſeruat Mercerus, ſolenne eſt in hoc idiomate præpoſitionem verbi præmittere, ita vt perinde ſit לשלחיך *Leſolechecha*, atque שלחלך *Solchelecha*. Quapropter meum de Vulgata lectione iudiciū hoc eſt, ſcilicet interpretem noſtrum Hebraïſmum (vt ſæpe aliàs) integrum ſeruaſſe, hunc tamen Hebraïſmum ab expoſitore ſoluendum eſſe: atque adeo illa verba, *Vt reſpondeas ex his illis qui te miſerunt*, ad eum ſenſum eſſe vocanda. *Vt reſpondeas ex his illis qui ad te miſerunt*, atque ita omnes concinunt tranſlationes, & ſententia redditur illuſtrior.

115. Non igitur audiendi meâ ſententiâ ſunt, qui verba iſthæc vt ſonant interpretantur. *Vt oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis*, i. vt tibi traderem firmas quaſdam, conſtantes, veraſque ſententias. *Vt reſpondeas ex his illis, qui miſerunt te.* i. vti his inſtructus poſſis ſemper appoſitè admodum occurrere, ac reſpondere his qui rei, aut negotij quidquam tibi commiſerint, aut demandauerint: vel his qui ad aliquid peragendum te nuncium, aut legatum inſtituerint. Nam in legationib. obeundis, inquiunt, illa prudentia & peritia, quæ in hoc Salomon libro traditur, imprimis neceſſaria eſt. Minimè, inquam, audiendi ſunt iſti, quia Sapientis in hoc loco alia longè & diuerſa mens eſt.

116. Ergò cùm iam conſtituerim verba illa, *Vt reſpondeas ex his illis qui miſerunt te*, perinde accipienda eſſe ac ſi dicant, *Vt reſpondeas ex his illis qui miſerunt ad te*, duplex ſanè huius loci interpretatio reddi poteſt. Prior eſt. *Vt oſtenderem tibi*, &c. i. propterea hæc mea documenta tibi tripliciter deſcripta dedi. i. multis ſcilicet, ac diſſimilib. ſententiis, aut, ſi placet, obſcurè & inuolutè (vt ſupra expoſui) *Vt reſpondeas his qui miſerunt ad te.* i. vti his qui ad te conſulendum aut tentandum miſerint aptè reſpondere poſſis. Fortaſſe autem adludit ad veterem morem. Erat enim apud Hebr. ſolemne ſapientum peritiam obiectis problematibus periclitari, cuius moris veſtigia ſunt 3. Reg. 10. Vbi de Regina Saba ſic ſcribitur. *Regina Saba audita ſapientia Salomonis venit tentare eum in ænigmatibus, & docuit eam Salomon omnia verba, quæ propoſuerat, non fuit ſermo, qui Regem poſſet latere, & non reſpondere ei.* Item Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 2. docet Hyramum Regem & Salomonem diu inter ſe ſuper ænigmatis & problematis diſceptaſſe, ac demum Hyrami ſapientiam Salomoni ceſſiſſe. *Quæſtiones,* inquit, *ænigmaticas Tyrius Rex ad Salomonem tranſmiſit; at ille callens eiuſmodi rerum nihil inexplicatū relinquebat, ſed omnia ratione peruincens apertiſſimè declarabat.* Et Eccl. 47. Salomonis panegyricum texēs illius in problematibus diluendis peritiam ſic deſcribit. *Terram retexit anima tua, & repleſti in comparationibus ænigmatum, in cantilenis, & prouerbiis, & comparationibus, & interpretationibus miratæ ſunt terræ.* Nā cùm ex omnibus terræ plagis, ac regionibus legati ad Salomonem mitterentur, qui propoſitis prouerbiis, atque ænigmatibus illius ſapientiam periculo aliquo cognoſcerent: omnibus quidem tanto acumine occurrebat, vt nulli rationi eius peritia comperta non eſſet, omneſque ſapientiam illius ſuſpicerent. Locus igitur iuxta ea, quæ præmiſimus, ſic ediſſerendus eſt. *Vt reſpondeas his qui miſerunt ad te.* i. his problematibus atque documentis imbutus eam ſcientię, atque prudentiæ facultatem aſſequeris, per quam omnibus, qui ad te aut conſulendum, aut tentandum miſerint, facili negotio ſatisfacere queas.

Margin: Hieronym. Origen. 3. Reg. 10. Ioſeph. Eccleſ. 47.

117. Poſterior autem expoſitio, quæ mihi accommodata magis videtur, id poſtulat, vt memoriâ repetamus ea, quæ in Iſagoge huius commentarii longa oratione perſequuti ſumus: videlicet iſtius libri ſententias multiplices, ac diſſimiles ex earum numero eſſe, quæ in conuiuiis iactari, & diſceptari olim ſolebant. Atque ea de cauſa Salomon valde appoſitè, *Sapientiæ conuiuium* inſtituit cap. 9. & totum deinde librū in conuiuio dictatū fingit, lege ibi multa de hac theſi. Ergo Sapiens inter alia emolumēta, quæ ex hoc libro percipi poſſunt, illud recenſet, quod is, qui eiuſdē documēta, & ſententias tenuerit, ac percalluerit, quæſitus in conuiuio atque epulis aptè admodum ad propoſita ſibi problemata reſpondere poſſit. Hoc ſibi vult tranſlatio LXX. quę ſic habet. *Vt reſpondeas ſermones veritatis his, qui proponunt tibi.* Vbi nam? non alibi quidem niſi in conuiuio: ibi enim iſtiuſmodi ſermones proponi, exponique ſolebant. Conſtruitur autē hæc expoſitio perquā aptè cum ſuperiori ſententia. *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter*, &c. nimirum multis, atq; inter ſe nullo nexu adſtrictis ſententiis, aut perobſcuris, & implicitis problematibus. Quorſum? *Vt reſpondeas ſermones veritatis his qui proponunt tibi.* i. vti his inſtructus, & edoctus, ad eas, quæ in cōuiuiis proponi ac diſcuti ſolent, multiplices ac perobſcuras ſententias præclara admodum reſpōſa reddere poſſis. Nam vt in dicta Iſagoge etiam pluribus docui, ſententiæ quædam perbreues in conuiuiis iactari conſueuerant, ſolutæ & incohærentes, ſæpius autem obſcuræ, & quæ non faciles haberent explicatus ad torquenda conuiuarum ingenia, ei nimirū adſimiles, quâ Sanſon in nuptialibus epulis Philiſtinorum aciem per ſeptem dies expertus eſt. Iud. 13. *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Et quidē ad eum ſenſum vocanda eſt lectio Vatabli, à qua noſtrā minimè abhorrere dixi. *Vt reſpondeas ex illis, qui miſerunt ad te*, ita vt illud, *miſerūt ad te*, perinde ſit atque iactarunt, vel obiecerunt tibi, vel aliter appoſitè magis ad conuiuium, & conuiuales ſermones, de quibus hîc agi diximus, *Vt reſpondeas ex his illis, qui miſerunt ad te*, id eſt, vti his edoctus aptè admodum reſpondeas his, qui ad te inuitandum ſeruos ſuos miſerint: ita enim ferebat antiquus mos, vt is qui amicos conuiuio excipere decreuerat, deſtinato tēpore ad cōuiuas accerſendos ſeruos ſuos emittere ſolebat, ſic habes ſupra c. 9. in cōuiuio ſapiētiæ. *Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* & in Euangel. Matth. 22. *Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire: & iterum miſit alios ſeruos dicens*, &c. De hac veterum conſuetudine lege Fuluium in Triclin. Romano. Ergo ait, Vt

Margin: Iudith. 13. Matth.

Vt respondeas ex his, illis qui miserunt ad te, id est, vti his eruditus sententiis possis vtique in lautioribus conuiuiis de propositis problematibus opportuna his responsa dare, qui ad te inuitandum seu accersendum seruos suos miserint, id est, his qui te conuiuio exceperint, & inter epulas obiectis parabolis mentem tuã fortasse torquere voluerint.

---

22. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta.*

23. *Quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.*

118. NOn facias violentiam, &c. Hebr. *Ne deripias tenuem, quia tenuis est, neque conteras afflictum in porta*, non dissentit Chald. LXX. *neque inhonores imbecillum in portis*. Symmach. priora verba sic extulit, *ne diripias pauperem.*

Sententia huius prioris versus perspicua est; prohibet Salomon ne quis pauperibus vim & iniuriam afferat, ex eo quia pauperes sunt; ita enim euenire consueuit, vt paupertas, quæ misericordiam potius extorquere deberet, auaris quidem audaciam, & animos ad ipsosmet pauperes spoliandos, & diripiendos faciat: auaritia enim sæuit in non repugnantes. *Neque conteras egenum in porta*; per portam significari subsellia, in quibus magistratus ius dicebant, iam inde supra non semel dixi. Possunt ergo hæc verba vel ad iudices referri, vel ad eos, qui lites contra pauperes mouent; & si quidem ad iudices referantur, sensus erit, ne cùm pauperum audis causas, in eos nimis seuerus sis, néve contra ius fasque illos opprimi, ac pessum ire velis. LXX. *Neque inhonores imbecillum in portis*, ne scilicet illum in causa honoris despicias, & gloriam eius violes: id enim magistratibus perquàm familiare vitium est, vt in eiusmodi causis, in quibus honor agitur, pauperes leuissimas ob causas violent, ac dedecore afficiant, cùm contrà, diuitibus, etiam magna peccantibus, indulgeant. Nostra igitur Vulgata Lectio ad hunc sensum vocari debet, vt posterior pars à priori dissideat: itaque sensus est. *Neque contras egenum in porta*, id est, ne illum facilè leuissimis, aut nullis de causis dehonestes, id sibi vult illud *conteras*, id est, conculces, aut pedibus obteras. Puto autem vtramque huius loci partem magistratibus accommodari debere, ita vt extrema illa vox *in porta*, ad prius etiam hemistychiũ spectet: nam cùm omnis causa, quæ cum paupere disceptatur, aut ex his sit, in quibus fortunæ, aut ex his in quibus honor agitur, vtrumque complexus est Salomon: atque adeò magistratum admonet ne pauperem in causâ fortunarum facilè spoliet, néve illum in causâ honoris facilè lædat, ex eo solùm quia pauper est. Itaque non prohibet Sapiens pauperem spoliari, aut etiam diffamari, si illius delicta hanc sibi pœnam exposcunt, sed tunc cùm nulla alia huius infamiæ, aut spolij causa subest nisi paupertas, aut imbecillitas, propterea dicit, *Ne facias violentiam pauperi, quia pauper est*, &c.

119. Quod si Salomon in hoc loco non magistratus, sed omnes in vniuersum diuites, aut potentes affatur, mutatis personis, similis omnino sententia euadit. *Ne facias violentiam pauperi, quia pauper est*, &c. ne scilicet diuitiis ac potentiâ fretus tenues pauperis fortunas inuadas, ex eo quod ille paupertate sua pressus tibi obsistere non valet, *Neque etiam conteras egenum in porta*, ne scilicet litem illi iniustam moueas, vt illius etiam per vim bona diripias. Hæc quàm solemnia sint diuitibus, ac potentibus, nemo ignorat. Addo etiam tantæ deordinationis culpam à quibusdam in Dei

A prouidentiam reiici, quod eleganter attigit Chrysostomus in homilia, *Quod nemo læditur nisi a seipso*, vbi sic scribit: *Quotidie videmus lædi quam plurimos & affligi; & opprimi cum omni iniuria humiles, & infirmos à potentibus, & fortibus, & pauperiores à ditioribus inuadi; & sicut non est possibile numerare fluctus maris, ita neque hi, qui affliguntur, & iniuriam patiuntur, possunt numero comprehendi: quibus neque leges subueniunt, neque iudicum metus, neque vlla vis alia morbum hunc ac perniciem potest cohibere. Ipsi enim iudices, qui ad hæc reprimenda constituti sunt, grauiores sæpè tempestates aduersus imbelles suscitare solent: & in tantum labes mali huius augetur, vt nonnulli infælices, & stulti in id insaniæ proruperint, & etiam diuinam* Chrysost.

B *pro his prouidentiam culpent*. Hæc ille. Salomon ergo, vt ab hac culpa & calumnia Dei prouidentiam vindicet, addit eos, qui hæc in pauperem admittunt, inultos & impunes minimè abituros, sic enim attexit.

Quia indicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius. Hebr. ad verbum, *Quia Dominus litigabit litem eorum, & configet animam*, &c. 120.
in Primitiuo est, קבע *Kabangh*, de cuius verbi significatione non vna est interpretum sententia. Vulgatus tum hîc, tum alibi vertit, *configet*, Malach. 3. *Si affliget homo Deum? quia vos configitis me, & dixistis: in quo configimus te? In decimis, & primitiis*: & infrà. *In penuria vos maledicti estis, & me configitis gens tota*. Cæ- Malach. 3.

C terum alij putant germanam illius verbi vim esse *rapere*, aut *diripere*, atque adeò Salomonis locum aliter atque aliter restituunt. Rabbi Aben-hezra tres illius translationes excogitauit, nimirum, *corrumpet*, aut *perdet*, aut *capiet eos, qui corrumpunt*, vel *perdunt*, vel *rapiunt animam eius*. Rabbi Himanuel paulò aliter, *& rapiet rapientes eos rapinâ anima*. Chaldæus vlciscendi significationem huic verbo accommodauit, ita enim fatur, *& vlciscetur vltiones animarum eorum*. LXX. verò, ni fallor, aliter de huius thematis significatione senserunt; apud illos enim *Kabangh*, perinde fuit, ac *protexit, tutauit*: nam ab ea radice fluit, קבע *Kobangh*, id est, *galea*, vel *cassis*, ex eo quod caput ab ictibus tueatur aut protegat. Ergo LXX. sic conuertunt, *Do-*

D *minus enim iudicabit eius iudicium, & erues tuam animam tutam*. Græcè ἄσυλον. Aquila concinit cum Vulgato interprete: Symmach. verò sic extulit, *& torquebit eos, qui torquebant animam eius.*

Sententia huius loci perspicua est: Salomon enim vt ostendat nullã esse in rebus humanis temeritatem, sed in omnibus Dei nutum, & prouidentiam spectari, subdit, eos, qui pauperibus vim afferunt, haud inultos futuros. *Quia iudicabit Dominus causam eius*, id est, pauperis. Si superiorem versum de magistratibus accipiamus, qui de iure pauperum contra fas detrahunt, apposita est nostra lectio, id est, Iudices illi iniusti, & in pauperes seueri coram Deo tandem sistendi, & ab ipso super iniuriâ pauperi illata iudicandi sunt. 121.

E Itaque Salomon hoc affirmat, scilicet pauperum causas ab hominum subselliis vbi plerumque contra ius fasque damnari solent, ad Dei tribunal transferri, atque ibi iudices ipsos humanos tanquam reos comparere, & puniri.

Quod si superior locus ad diuites ac potentes in vniuersum spectat, qui iniustas lites aduersus pauperes mouent, accommodata est translatio originalis. *Dominus litigabit litem eius*, id est, Dominus causam illius in se suscipiet, vel (liceat sic dicere) procuratorem aget, & pauperis litem tuebitur. Nam cùm pauper seipsum à diuitum iniuriâ defendere non possit, & alij etiam illius causam tueri recusent, necnon iudices muneribus, aut minis potentiũ corrupti, ad pauperem damnandum facilè induci soleãt, Deus vtique causam 122.

causam hanc ad se pertinere existimat, atque illam exactius examinat. Itaque si de iudicibus sermo est, illos vtique diuini iudicij seueritatem expectare iubet Salomon; si autem de his, qui lites iniustas pauperibus intendunt, pro his Deum ipsum litigatorem, & procuratorem acturum affirmat. Subdit,

123. *Et configet eos, qui confixerunt animam eius.* Beda atque Hugo in hoc loco imitati sunt Hieronymum, qui in cap. 3. Malachiæ, cùm obseruasset verbum illud Kabangh, in linguâ Syriacâ per inde esse ac *confodere*, aut *configere*, hanc significationem propterea se in eo loco prætulisse dicit, vt de Christi cruce locus interpretari posset. Ansam igitur hanc arripientes præmissi doctores etiam locum istum de Christi cruce interpretari conati sunt, sic enim aiunt. *Neque conteras egenum in portâ*, idest, ne Christum, qui pro nobis omnibus egenus factus est, in iudicio condemnes, & morti iniquissimæ adiudices, *quia Dominus iudicabit causam eius.* Quid inde? *Et configet eos, qui confixerunt animam eius*, idest, illos videlicet qui eum cruce affixerint, multis calamitatibus, & ærumnis configet. Et quidem Hugo hîc prophetiam agnoscere videtur, atque verba hæc aduersus illos conuertit, qui mortem Christo intulerunt. Hæc tamen per accommodationem dicta sunt. Cæterùm, si ita libeat, hanc etiam de Christi cruce expositionem ad pauperum iniurias transferre integrum est. Succedat igitur memoriæ id, quod sæpè aliàs diximus, Christum Dominum non modò in pauperibus beneficijs affici, sed etiam lædi ac violari, eadem enim ratio est doni ac damni, atque ideò Christus verba illa communia protulit. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, siue illud beneficium sit, siue nocumentum, & damnum; & ideò in euangelio ait, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c. Salomon igitur sic ait. *Ne conteras egenum in portâ*, ne scilicet Christum (qui, quemadmodum in paupere muneratur, ita etiam læditur) in iudicio spolies, aut quacunque aliâ ratione iniustè defraudes: hæc enim omnia damna Christus subire cogitur. Quid inde? *Dominus iudicabit causam eius*, ipsius enim Christi causa agitur, atque adeò libenter à Parente suscipitur: *Et configet eos, qui confixerunt animam eius*, id est, eos qui pauperibus imposturam, fraudem, & vim facientes, ipsum rursus Christum cruci affixerunt, ipse etiam in crucem aget, hoc est, ærumnas, calamitates, & supplicia hoc scelere digna subire coget. Ad hanc sententiam videntur spectare verba Hieronymi in cap. 3. Malachiæ, vbi ad illa verba, *si affiget homo Deũ, quia vos configitis me*, &c. sic scribit, *Hoc quod diximus* היקבע *Haykbangh, Lingua Syrorum, & Chaldæorum interpretatur, si affiget: vnde, & nos ante annos plurimos ita vertimus magis ad mysterium Dominicæ passionis, in qua homines crucifixerunt Deum, quàm ad decimas, & primitias (quibus visitatur in carcere, & ægrotus suscipitur) scripta referentes. Quærat prudens lector quomodo nostra interpretatio cum his congruat quæ sequuntur, In decimis, & primitijs; & videat an possimus hæc dicere, Vt me affigeretis cruci, vt sceleratas manus inijceretis Deo vestro multarum antè rerum meditatione fecistis, substrahendo decimas, & primitias, non dico Sacerdotibus, & Leuitis, sed mihi, qui eas per Moysem iussi dare: nam quidquid ex his Sacerdotibus non donatur, mihi vtique substrahitur.* Ad eundem modum in hoc Salomonis loco accipi possunt illa verba, *& configet eos, qui confixerunt animã eius*, idest illos, qui pauperi vim afferentes ipsummet Christum clauis iterum quodammodò confoderunt, & cruxi affixerunt, Deus è cruce similiter suspendet.

Hieronym.

124. Sed illud adhuc declaratione indiget, quonam scilicet modo is, qui pauperem spoliat aut dehonestat, Deum rursus crucifigere dicatur? Occurret aliquis, A & dicet, quia pauper bonis suis defraudatus morti adigitur, hanc verò pauperis mortem Christus Dominus suam putat. Alius autem dicat id ex peccati natura euenire; Omnis enim qui peccatum aliquod admittit, rursus Christum in semetipso crucifigit, teste Paulo. Meliùs Augustinus; Quia Christus in cruce extremæ paupertatis iniurias expertus est, nam sub dio, nudus, siti enectus, & fame, in cruce decessit; hæ verò sunt omnes paupertatis iniuriæ, domo, vestibus, cibo, ac potu carere. Ergo quia diues pauperem bonis suis defraudans illum ad omnes istiusmodi paupertatis ærumnas compellit, ideò Christum in ipso rursum crucifigere dicitur: quia nimirum illas omnes iniurias. & molestias in paupere experiri denuo B quodammodo Christus cogitur, quas in cruce demũ obiens expertus est. Adhæc cùm Salomon dicit, *configet eos*, &c. de cruce etiam id accipi debet, vt priora posterioribus respondeant; quasi dicat, eos etiam in crucem aget, nimirum eodem modo afficiet, atque etiam ad inopiam similem compellet, idest, absque domo, nudos, fame, sitique enectos emori coget, sic enim crimen ac pœna inter se congruent. Demum circa illa verba, *quia confixerunt animam eius*, obserua aliquid in gratiam pauperum: qui enim eos diripit, ac bonis suis quoquomodo priuat, nõ corpus, sed (quod acerbius est) Christi animam cruci affigunt: est enim hic spiritualis cruciatur, atque adeò ad ipsam Christi animam pertinens: animi autem crux longè grauior C est quàm corporis. Sed quamuis hæc per accommodationem non insulsè ad hunc locum commentari queant, tamen si ad litteram spectemus, alia est verborum sententia.

Hebr. 5.

Configet eos, qui confixerunt animam eius. Interpretes alij nihil peculiaris sententiæ huic verbo subesse existimant, sed, *configet eos*, perinde esse arbitrantur atque illos ærumnis & calamitatibus confodiet. Cæterùm (ni fallor) verbum, *configet*, tam hîc, quàm etiã Malachiæ tertio, idem est quod decipiet, seu imposturam faciet. Hæc fuit mens LXX. qui verba Malachiæ sic extulerunt: *Si supplantat homo Deum, quia vos supplantastis me, & dixistis, in quo supplantauimus te?* &c. apud Hispanos etiã vulgo dicimus, *clauar vna* D *persona*, hoc est illam dolo aut fraudibus capere. Dicet autem quispiam metaphoram desumptam fuisse ab illis belluis, quarum bases ferro armari solent; si tamen claui altius ad internam vngulam peruadant, earum pedes eliduntur ad cursum: hoc autem ad dolos referri potest, quia claui illi, qui pedem armare, & instruere exterius videntur, illum potius sauciant. Et quidem ab hac metaphora ductum videtur verbum supplanto, quamuis hoc verbum aliqui etiam à bellico stratagemate petitum fuisse autumant, quando equorum plantæ ferreis etiam aculeis sub terrâ missis pertundi, & ad cursum hebetari solent, quod aptũ etiam est ad fraudes notandas. Ad rem, *configet*, inquit, *eos qui confixerunt animam eius*, id est, in eos, qui E per dolos ac fraudes pauperem spoliarunt, fraudes dolósque conuertet, ita vt quemadmodum ipsi pauperem virum, ac tenuem, qui partis iam bonis, licet exiguis, ad alia & alia labore & industria sua paranda moueri poterat, illis suffuratis supplantarunt: ita etiã ipsos ad ampliores fortunas properantes detractis his, quæ prius contulerant velut adactis clauis continebit, ac sistet. Neque abhorret ab hac nostra expositione Isidori Clarij iudicium, qui verbum hoc *configet*, appositè ad ea, quæ diximus sic exponit, *& configet eos*, &c. id est, eos immissis clauis defiget, ne vlterius ad censum augendum contendant, sed potius parta consumant, *quia confixerunt animam* pauperis: anima, inquit, hîc pro spiritu est; hoc sensu: Quia si quos pauper aluerat spiritus vt per industriã, 125.

& laborem fortunas suas aliquando se auctur℮ sperare, hos quidem diues ille partis iam bonis ipsum iterum, atque iterum defraudans elidit, atque opprimit; nullis enim laboribus, ac nulla industria putat se in diuitem euadere posse, quem toties diuitum impostur℮ conquisitis iam fortunis vacuum reddiderunt.

126. Quod si id non placet, sensus erit sincerior ad hunc modum, *Configet eos, qui confixerunt animam eius.* Verbum *configet* plagam significat ad interna peruadentem, quasi dicat, illum sanè non aliquo supplicio afficiet ex his, quæ externa sunt, & externa tãtum bona attingunt, atque adeò leuius feruntur, sed plagam illi immittet internam, quæ animam illius, ac viscera penitus sauciet; quasi dicat, *le herira en lo viuo,* quia nimirum ipse simili modo pauperi plagam intulit satis internam, & ad animam vsque permeantem, cuius non modò fortunas omnes diripuit, sed etiam honorem violauit.

127. Quod si alias lectiones ad libram vocemus, inde fortasse splendoris aliquid huic loco accedet. Illa quidem satis vulgaris apud Hebr. *rapiet animam rapientium eos,* vel, vt Himanuel restituit, *& rapiet rapientes eos, rapina animæ,* sensus autem est dilucidus, id est, ab his, qui bona, & fortunas pauperibus per fraudem abstulerunt, Deus ipse non modo opes, ac copias, sed animam ipsam, hoc est vitam, & spiritum eripiet, & quasi furto auferet. Et quidem hic fandi modus (ni fallor) significat miserrimum mortis genus, quod Deus his, qui pauperes fraudulenter opprimunt, immittere solet, vt sicut ipsi fortunas pauperum, ita vicissim Deus animam eorum effuretur, ita videlicet decernens; vt de improuiso, imparatos, & inopinantes illos mors inuadat, tunc enim mors obitusque tãquam fur accedere dicendus est, cùm imparatũ hominem appetit. Quemadmodum de die Domini, seu iudicij commonet Paulus secundi, ad Thessal. quinto. *Quia dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet; cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient,* & Petrus secundæ cano. capite tertio, *Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient,* &c. 1. ad Thess. 5. 2. Pet. 3.

128. Denique translatio lxx. etsi ab omnibus longe abire videatur, tamen si attentius inspiciatur, Vulgatæ lectioni proximè hæret. *Dominus enim iudicabit eius iudicium, & erues tuam animam tutam:* supra quidem huius lectionis originem obseruaui, dum vim illius verbi קבע *Kabangh* expenderem; sensus autem sic conformandus, & cum superiori versu consuendus est. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est,* &c. (alloquitur magistratum ac iudicem;) si enim ita cum eo egeris, omnemque vim aut iniuriam ab illo prohibueris, tunc cùm Dominus supremus rerũ omnium censor, iudicium & sententiam, quæ in causa pauperis à te lata est, examine suo librauerit, tuam animam ab omni discrimine liberabis. Quasi dicat, si animam tuam tutam, sartam, tectamque esse vis, ne quid in pauperem contra ius & fas committas; qui enim pauperem in iudicio lædit, vitam suam, & salutem in præsentissimum discrimen adducit. Si quid enim in fortunas aut honorem illius peccatur, non fortunarum tantum, sed ipsius animæ iactura luitur. In Græcis est: καὶ ῥύσῃ σοῦ ἄσυλον ψυχήν. Quæ verba sic aliqui extulerunt. *Et animam tuam in asylo pones.* Dicebatur olim *Asylum,* locus, in quem sese recipientes rei tuti erant, atque inde ad pœnam extrahi non poterant, qua immunitate gaudent nostro sæculo templa. Cæterùm id per leges sancitum semper, & decretũ fuit, ne fures in asylis aut templis securi forent, sed inde etiam ad supplicium abduci possent. Ait ergo Salomon, *Et animam tuam in asylo pones,* etiam si alia admiseris delicta, si tamen pauperum fortunas per furtum non abstuleris, licebit tibi ad Dei misericordiã, tanquam ad asylum confugere, à qua nemo ad pœnam extrahi potest: si verò pauperẽ bonis suis fraudaueris, non ita; nam furibus aditus ad asylum non patet. Vel aliter aliqui extrema illa verba ad pauperẽ ipsum intendi volunt. *Et erues tuam animam tutam,* hoc sensu, *Dominus iudicabit eius iudicium,* id est, Dominus causam pauperis in se recipiet, illumque ab omni iniuria vendicabit; deinde verò pauperem affatus, ait, *tu,* ó pauper, qui hæc à diuite, vel ab iniquo iudice pateris, & si fortunas tuas euerti & perire videris, ne propterea plus æquo doleas, nam *erues animam tuam tutam,* id est, inter has fortunarum iacturas, animæ tuæ salus minimè periclitabitur. Quasi dicat, diues ille opes iniusto lucro pariens animam perdit, tu verò fortunas amittens animam seruas, atque adeò longè deterior est illius conditio; nec tantùm animam tuam ab interitu seruas, sed etiam illam *in asylo ponis.* Quonam modo? ad paupertatem tuam redactus; paupertas enim homini pro asylo est. Chrysost. in hom. de recipiendo Seueriano. *Paupertas,* inquit, *tutum est asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, deliciæ periculorum expertes, voluptas syncera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara,* &c. pauper igitur ad suam paupertatem redactus, in asylo, in portu, & in perpetua securitate versatur, atque adeò aptè in illum quadrant illa verba, *& erues tuam animam tutam.* Quomodo autem paupertas asylum sit, alibi diximus. Chrysost.

---

24. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso.*

25. *Ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.*

129. NOli esse amicus, &c. Hebr. *Ne associeris Domino nasi, & cum viro excandescentiarum ne congrediaris.* Chald. *& cum viro iracundo ne ingrediaris.* LXX. *neque cum amico iracundo cohabites.* Per arctum, seu angustum nasum iram notari sæpe aliàs diximus.

Sententia huius prioris carminis est luculenta: docet Salomon prudentiæ non minimam partem esse amicorum delectum habere, imprimisque ab illius familiaritate abstinendum, qui facilè ira corripitur; nam inter amicos alij in alios non pauca peccant, atque adeò si quis est ad iram pronus, passim excandescit. Hominem ergo ad irascendum facilem appellat Salomon, *Dominum nasi.* Hebr. בעלאף *Baghalaph,* sic aliqui ad verbum extulerunt: sed non placet, quia *Dominum esse iræ,* aut *nasi,* perinde est atque in eã potestatem habere, illam coërcere, & temperare; nisi dicamus *Dominum iræ,* dici eum, qui cùm Dominus alioqui sit, ad iram pronus est, eum nimirum, qui cũ dominij authoritate iram copulat: in potentioribus enim iracundia esse solet, quia autoritas & dignitas iram acuit. Regia verò translatio habet. *Ne associeris cum autore nasi,* aut, *iræ:* & quidem biliosum hominem autorem iræ appellare licet, tùm quia ipse dissidiis, & contentionibus causam, vt plurimùm, dare solet, tum etiam quia sæpius cùm nulla subest iracundiæ causa, ipse nihilominus sæuit, atque adeò ipse sibi iræ suæ autor est. Rursus alij vim vocis Hebraicę eruentes sic locum restituendum putant. *Ne associeris cum marito,* aut *coniuge nasi,* aut, *iræ.* Et sanè non insulsè vir ad iras propensus, *maritus iræ* appellatur, quia iram veluti coniugem sibi copulatam, & cohærentem habet, eamque quoquouersum circumfert. Cõparatur autẽ apposité

appositè istiusmodi hominis biliosi ira vxori, siue quia fœminarum ad irascendum leue ingenium est, *Non est enim ira super iram mulieris*; siue quia vxores domesticarum turbarum iratumque autores sunt: siue etiam quia sicut vxor deseri ac repudiari non potest, ita etiam iracundi conceptam semel iram vix nunquam deponunt. Et quidem mihi ita videtur in priori loco per hominem iracundum eum notari, qui conceptam semel iram diutius apud se seruat, & coquit, atque eum propter iræ diuturnitatem, *coniugem iræ* appellari. In posteriori autem loco per virum furiosum eum innui, qui ad irascendum facilis est, qui aptè dicitur, *vir excandescentiarum*, in numero multitudinis, quia sæpe admodum ab ira corripitur: vterque enim ad familiarem vsum minimè idoneus est. Nam qui iram diutius seruat, semel læsus in gratiam deinceps non redit. Cùm verò inter amicos etiam nonnullæ simultatum causæ exoriri soleant, hinc est, vt qui conceptam iram serò ponit, ad amicitiæ fœdera ineptus sit. Ad eundem modum qui passim ob leues iniurias ira incitatur ad societatem copulandam aptus non est, quia per eiusmodi repetitas iras fit, vt nūquam animi inter se prorsus cohæreant, nec gratia coalescat. Rationes autem, ob quas istiusmodi amici à viro prudenti vitandi sunt, attexit his verbis. *Ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Hebr. *& capias laqueum animæ tuæ.* Vox primitiua, *laqueum & scandalum* sonat. LXX. *& accipias laqueos animæ tuæ.* Chald. *& inuenias laqueum animæ tuæ.*

130. Duas affert rationes, propter quas ab hominis iracūdi vsu & amicitiâ abstinere oportet. Altera est. *Ne fortè discas semitas eius*, homo irâ incitatus illum, in quem sæuit, ad similem iram concitare solet, imò nihil magis bilem mouet quàm hostis ira. Propterea Basilius, vt huic malo occurrat, in homilia de irâ sic consulit. *Noli ergo malam referre gratiam, neque mali mutui restitutor esse. Tu autem contra facis, qui velut vndam fluentem illius iram in cordis penetralia suscipiens, ventos imitaris contrà flatibus aduersis resistentes.* Hoc est commune damnum, quod sæpius ex aduersariorum irâ nobis euenire solet. Subdit verò Basilius. *Noli tuo aduersario pro magistro vti, nec fieri veluti speculum irati velis, illius formam in te ipso ostendens.* Hæc ille, qui dum oppositum suadet id, quod aliàs euenire solet apertè indicat, ait enim, *Noli tuo aduersario pro magistro vti.* Sic enim sæpius contingit, vt is qui alium in se incitatum conspexit, ab eodem motus omnes, verba, & impetus velut discipulus à præceptore suo condiscat; propterea Salomon ait: *Ne forte discas semitas eius.* Quasi dicat, abstine ab homine iracundo, ne forte *illo pro magistro vtaris.* Rursus addit. *Nec fieri veluti speculum irati velis*, nam ita fermè contingit, vt qui alium in se iratum experitur, omnes illius gestus & motus, speculi ad instar, in se exprimat. Vnde Gregor. Nazianz. in iambico de Ira, cùm dixisset homini irato speculum obiiciendum esse, vt vultus sui deformitatem contemplari possit:

Basil.

Nazianz.

Præstaret (inquit) *feruidis ira graui,*
Speculum, vt videntes dedecus, & probrum suum,
Huiusce morbi quidpiam hinc remitterent.

Deinde subdit.

Quin hoc statutum est, nempe violator tuus,
In quo ipse tete, si vocat, cernas licet.

Id enim hominum ingenium est, vt is qui alterum contra se furere vidit, quadam naturæ deprauatæ lege illius in se vultum excipiat, gestusque omnes adūbret. Meritò ergo Salomon docet vitandum esse furentium consortium homini prudenti, & cordato, ne illi suam in illum formam, & imaginem transferant. Quia sicut speculum formam contrariam, & ex aduerso positam sponte excipit, haud dispari ratione, ac

A propensione, homo sui contrarij, aduersariique iram in semetipso exprimit.

Et ne sumas scandalum animæ tuæ. Hæc est posterior ratio, propter quam Salomon ab vsu hominis iracundi abstinere iubet, ne quis scilicet sibi ipsi scandalum aliquod obijciat ad ruinam animæ. Quidam putant hîc sermonem haberi de ruina culpæ, ita vt sensus sit, ne ad similem iram concitatus in parem culpam incidas; Ego quidem de vitæ potius discrimine accipiendum puto hoc modo. *Ne sumas scandalū, vel laqueum animæ tuæ*, ne scilicet vitam tuam in manifestum discrimen voces; nam hæc est iræ immanitas, & sæuitia, vt numquam non vitæ insidias moliatur. Nam, vt ait Basilius, prima quæque iracundi cogitatio nisi rationis fræno cohibeatur, *eo fertur, vt ille pereat, à quo læsus est, & sæpe leues iræ in homicidia tandem desinant.* Sed per quos gradus huc euadat, docet Basilius in ea homilia de ira. *Primo*, inquit, *iaciuntur contumeliæ inter iratos, & sic durant donec contumeliæ, sicuti sagittæ, deficiant, deinde omni contumelia per linguam consumpta ad manus venitur, & pugnam: ira namque certamen excitat, certamen verò conuitium, conuitium verbera, hæc vulnera, ex quibus & mortes sæpe sequūtur.* Audiendus etiam Nazianzenus in præfato iambico.

131.

B

Basil.

Nazianz.

Facessat ira, cautio ad cædem hoc erit.
Sic namque reputes ira sermonem parit,
Ictusque sermo, vulnera ictus afferunt,
Cædem quod autem vulnera accersant liquet:
C *Sic ira cædis horrida certa est parens.*

132. Adde etiam Authorem operis imperfecti. Hom. 12. Matth qui simili modo iram homicidij matrem appellauit *Quoniam ergo sicut ira mater est homicidij, sic concupiscentia mater est adulterij*, mater, inquam, est homicidij, quia homicidium semper concipit, aliquando enititur Quidquid autem inter iratos iniuriarum ac conuitiorum infertur, id certè partum istum ciet, ac stimulat. Meritò ergo Salomon à consortio hominis iracundi abhorrere iubet propter cædis periculum, quia quemadmodum in grauidis fœminis ea quæ subita sunt abortum mouere solent, videlicet fragor subitus, aut subita obnunciatio, &c. ita etiam nescio qua ratione in amicorum discordiis magnopere timendū D est; nam cùm in his omnes irarum causæ subitæ sint, & præter spem, (nemo enim ab amico se lædendum putat) verendum sanè est ne isthæc homicidij parens ira, subita partum causa stimulante, conceptam cædē per aborsum enitatur. Hinc factum est, vt non semel amici amicos, fratres item fratres, filiique parentes ob subitas causas, veluti abortiēte ira, inuaserint, ac neci dederint. De primis fratrib. sic habes. Sap. 10. *Ab hac vt recessit iniustus, per iram homicidij fraternitas deperijt.* Propterea Philosophus fratrum, amicorumque discordias imprimis graues & periculosos esse decernit; periculi autem huius causam in subitum illius motum confert.

Imperfect.

Sap 10.
Aristot.

Quid plura? Chrysostomus Homil. 16. in Matthæ. E iram homicidij radicem appellauit. *Radix*, inquit, *homicidij iracundia est. Qui igitur radicem abscindit, multò facilius ramos ipsos poterit amputare, imò nec germinare quidem illos patietur.* Ne ergo homicidij germen ex ea radice pullulet, suadet Salomon ab iracundi hominis consortio abstinere. Nam constat inter amicos, & fratres iram, cùm semel cœpit, altius radices agere. Hine est illud Threuiri apud Erasmum in Apophtegmat. *Amicorum & cognatorum inimicitiæ eo maiores quo fuerint prius necessitudine inter se arctiores*, & Hieroclis apud Stobæum. *Odium, quod inter amicos fratresque excreuit, difficilè admodum extirpatur.* Arbor illa difficiliùs reuellitur, quæ altiores radices misit, & illa quæ radicum suarum fibras altiùs defixit, vberiùs, atque copiosiùs germinare solet. Si ergo ira, odiumque

Chrysost.

Erasm.

que inter amicos succrescens difficilè admodum cõuellitur, profundam vtique radicem habeat necesse est; quapropter cùm proprium huius radicis germen homicidium sit, ex Chrysostomo, istiusmodi germen ex tam profunda radice non potest non citiùs, atque (vt ita dicam) lætiùs pullulare. Atque adeò meritò Salomon ab iracundis amicis abstinendum esse docet, ne ita inter ipsos nata ad cædem vsque deſæuiat, *& ne sumas scandalum anima tua.*

---

26. *Noli esse cum his, quæ defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.*

27. *Si enim non habes vnde restituas, quid causæ est, vt tollat operimentum de cubili tuo?*

133. NOli esse, &c. Hebr. *Ne sis cum percutientibus volam in fideiubentibus pro debitis.* LXX. *Ne dederis te in fideiussionem, reueritus faciem.* Chald. *ne pepigeris manum tuam in fideiussionibus.* Vatab. *Noli esse cum his qui stipulata manu fideiubent.*

Quid sit defigere manus, quid percutere, aut pangere, supra c. 6. v. 1 exposui, vbi de ritu, & forma stipulationis longum sermonem texui, atque adeò quæ ibi dixi, in hunc locum transferenda sunt. Quibus positis sententia huius prioris versus est luculenta. *Noli* (inquit) *esse cum his, qui defigunt manus suas*, noli scilicet cum his numerari, & eorum moribus assuescere, qui manum suam illi carpendam & premendam tradunt, cui fidem suam adstrictam volunt; hic enim erat fideiussionis & stipulationis ritus, aut solemnitas, de quâ ibi multa contulimus. *Noli* (inquam) *esse cum his qui vades se offerunt pro debitis.* Peculiaris est hîc translatio LXX. *Ne dederis te in fideiussionem, reueritus faciem.* Priora illa verba, *Ne dederis te in fideiussionem*, integrã originalis lectionis sententiam cohibent, vt ex dictis constat; illud verò, *ne dederis te*, temeritatem quorundam incusat, qui cùm neque gratia, neque necessitudo aliqua, neque accepta beneficia id postulent, aliquando etiam non rogati sese sponsores dant, nullo adhibito consilio: atque ea est etiam nostræ lectionis energia, *qui vades se offerunt pro debitis.* i. sese temerè impendunt. Posteriora tamẽ illa verba, *reueritus faciem*, non respondent originibus, sed addita videntur à LXX. ad assignandũ causam, quæ multos in sponsiones impellit, hæc est, *faciem alicuius potentioris reuereri*, sæpe. n. obsequium, reuerentia, aut etiam metus erga præcipuos viros sponsiones extorquet: vel aliter, *reueritus faciem*. i. veritus conuersionem rerum; nam quidam codices habent πρόσωπα. i. facies in numero multitudinis. quasi dicat; rerum non semper vna facies est, & qui hodie copiosus & affluens videtur, paulo post reflante fortuna in angustias recidit, atque adeò prudens, & cordatus homo istiusmodi rerum facies reueritus, ab sponsionibus abstinere debet. subnectit causam.

134. *Si enim non habes vnde restituas, quid causæ est vt tollat operimentum de cubili tuo?* Hebr. *Vt quid tollet cubile tuum de subter te?* Vatab. *Lectus tuus de subtus te auferetur.* Chaldæus concinit. LXX. *tollent stratum tuum, quod sub costis tuis.* Omnia in idem recidunt. In quibusdam codicibus Vulgatis olim erat, *Si enim non habet vnde restituat*, scilicet principalis debitor, nam eo deficiente succedit sponsor. Cæterùm retinenda est præscripta lectio, & sensus sic instituendus. *Si non habes vnde restituas*, si nimirum tibi satis bonorum aliunde non suppeditet ad dissoluendum debitum ex sponsione contractum, *quid causa est vt tollat*, &c. i. nihil prohibebit quominus lectus, in quo dormis, à te iure suffragante auferatur. Hæc verba duplicẽ ad

A sensum vocari possunt; aut enim bonorum omnium spoliationem significant, nam lectus ex iure antiquo non venit in hypotheca bonorũ generali, leg. 1. Cod. *Quæ res pignori obligari possunt*, atque adeò vltimo loco à debitore tollitur, cùm reliqua bona exhausta sunt. In lege etiam Exod. 22. & Deuteronom. 24. cauetur, vt si quando creditor lecti aut cubilis indumenta pignoris loco abstulerit à debitore, ea ante solis occasum restituat, sic enim habes. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Ex dictis constat lecti atque cubilis spolium vltimo loco fieri, Exod. 22. Deut. 24.

B atque adeò ad significandam bonorum omniũ spoliationem rectè additum à Solomone, *Quid causæ est, vt tollat operimentum de cubili tuo?* Vel aliter, hæc verba magnam perturbationem significant, quam sponsio fideiussori afferre solet, cùm debitor soluendo non est; hæc enim somnum illi, & quietem adimere consueuit. Vnde ad sponsorem sic Salomon cap. 6. ver. 4. *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ.* Itaque verba illa, *vt tollat operimentum de cubili tuo*, vel, vt habent origines, *lectum tuum de subtus te*, vel secundùm LXX. *stratum quod sub costis tuis*, sic accipi possunt ac si dicat, tantas curas, & animi turbas tibi immittet, vt neque mollius in lecto decumbere, aut dulcem somnum carpere permittat.

C Ad extremum verba ista in sensu allegorico de Prælatis ac Magistratibus accipi posse docent Beda, Hugo, Dion. Iansſ. & alij. Quomodo autem Prælati pro subditis spondeant, ac fidem faciant, vide supra loco citato: interim autem accipe venusta verba quibus Beda hunc locum illustrauit. *Noli*, inquit, *esse cum his qui cùm essent liberi, ac sibi vacantes, defigunt manus in curas salutis aliorum, spondentes se rationem pro animabus eorum reddituros: si enim ille, pro quo spopondisti, non habet bona opera quibus te liberum, ac securũ reddas tua sponsionis, quæ tibi vtilitas est, vt in die iudicij pro eius anima iudiceris, amittasque habitum iustitiæ, quo indutus esse videbaris, ac nudus ab ornamento* 135. Beda.

D *virtutum existere comproberis; quia quod, Domino teste, pollicitus eras, implere nequiueris? Hoc autem dictũ est, non quod curam regendarum animarum cùm tibi regulariter imposita fuerit, suscipere non debeas, sed ne passim nullo iubente, doctoris tibi, ac præsulis officium temerarius vsurpes.* Lege plura apud Hugonem.

---

28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

NE transgrediaris, &c. Hebr. *ne retro agas terminũ sæculi, quem fecerunt patres tui.* Pagnin. *Ne transferas.* Vatab. *Ne moueas loco perennes terminos.* Chald. 136.

E *Ne mutes terminum, qui à sæculo est.* LXX. *Noli transferre terminos æternos, quos posuerunt patres tui.* Caietan. *Ne adiungas terminos.* Omnia in idem recidunt.

Antiqui interpretes, in quibus Beda, Salonius, Hugo, Dionysius & alij eiusdem notæ, hæc verba ad allegoriam transferunt, neque alium præterea sensũ illis subesse volunt. Itaque sic exponunt. Ne terminos fidei, aut morum, quos Catholici doctores, ac Patres defixerunt, transilire velis aliter docendo, aut operando. Ex his ergo Salonius sic scribit. *Terminos antiquos dicit, terminos veritatis, & fidei, quos statuerũt ab initio Catholici doctores: hoc ergo præcepit, vt veritatem Catholicæ doctrinæ nemo aliter suscipiat, quàm à Patribus est tradita: siue hoc præcipit, vt eloquia sanctarum* Salonius.

rum ſcripturarum nemo aliter interpretetur, &c. Hugo verò non ſolùm doctrinam, ſed etiam mores includit; & verba hæc ad monachos conuertit, qui veterũ ſuorum patrum terminos tranſgreſſi ædificant ſibi ingentia palatia, & ex Bernado, eoſdem inſimulat, qui cùm in quodam monaſterio ingentem cuiuſdam ædificij molem excitare vidiſſet, ſic monachos affatus dicitur. *Sic receſſiſtis à vitijs patrum noſtrorum?* ac denique ſic abſoluit Hugo; *ideo autem bonum eſt non trãſgredi terminos antiquos, quia intra limites eſt ſecuritas, & in marchijs eſt guerra.*

137. Cæterum reliqui interpretes ad vnum verba hæc de agrorum limitibus exponunt hoc modo. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos*, &c. id eſt, ne per vim aut incuriam limites agrorum, quibus patres olim fundos ſuos ab alienis dirimi voluerunt, tranſilias, aut loco moueas, partem alieni agri occupando; id enim nimis iniuſtum eſt: id ipſum præcipit Moyſes, Deuter. 19. *Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis poſſidendam.* Quanta verò olim eſſet religio in terminis aut transferendis, aut loco ſuo mouendis nemo ignorat. Romani quidem ne quis terminos violare auderet, eiſdem numen ineſſe voluerunt, ſic enim Ouidius 2. Faſtorum.

Deuter. 19.

Ouid.

Termine, ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro
Stipes ab antiquis, tu quoque numen habes.
Tu populos vrbeſque, & regna ingentia finis:
Omnis erit ſine te litigioſus ager.
Nulla tibi ambitio eſt, nullo corrumperis auro,
Legitima ſeruas credita rura fide.
Termine poſt illud leuitas tibi libera non eſt,
Qua poſitus fueris in ſtatione mane.
Et ſeu vomeribus, ſeu tu pulſabere roſtris,
Clamato, tuus eſt hic ager, ille tuus.

138. Hactenus poëta, qui termini immobilitatem eleganter cecinit, ex quo etiam conſtat huic Termino tantumdem ab antiquis Romanis delatum fuiſſe, vt illi menſe Februario Terminalia feſta perſoluerent. Rurſus vt veteres prædictam terminorum conſtantiam, & immobilitatem innuerent, id certè commenti ſunt quod tradit Auguſtinus de ciuitate lib. 4. cap. 23. vbi ſic ſcribit. *Cum Rex Tarquinius Capitolium adificare vellet, cumque locum, qui dignior eſſet, ab alienis dijs cerneret præoccupatum, non audens aliquid cõtra eorum facere arbitrium credenſque illos tanto numini, ſuoque principi ſponte ceſſuros, per augurium quæſiuit, vtrum Ioui locum concedere vellent. Annuerunt omnes præter Martem, Terminum, ac Iuuentutẽ.* Quorſum hæc commentitia, & inania? ſanè hoc commento veteres Romani id innuere voluerũt, militis, quem Mars adumbrat, gloriam & religionem in eo ponendam eſſe, vt in ſtatione ſua immotus & conſtans hoſtem excipiat. Termini etiam numen in eo eſſe, vt immobilis ſit adeò, vt ne Iouis quidem gratia è loco ſuo reſiliat. Et idem eſt de Iuuentute, quæ ſuos etiam fines habet, atque adeò nec à ſuó loco extrahi, nec ad vlteriorem ætatem perferri poteſt. Primus autem Numa Terminum inter Deos retulit, & legem illam de terminis non mouendis edidit.

Qui ſecus faxit, & terminum exaraſſit,
Ipſe, & boues ſacri ſunto.

139. Sic tradit Crinitus de honeſta diſciplina lib. 8. cap. 15. illa autem verba *ſacri ſunto*, hanc vim habent, vt ſignificent cuilibet in vitam & fortunas eius licere, qui terminum violaſſet. Hæc Numa. Sed Romulus ante conſtituerat, vt qui vicini terminum vſurpaſſet, is, à quo pars agelli per fraudem accepta fuiſſet, totũ agrum vſurpantis in mulctæ locum acciperet, & ad eum iuſtè pertineret. Mitto alias pœnas, quæ poſtea

Crinitus.

A voluentibus ſæculis in limitum violatores leges ſtatuerunt, quas eruditè collegit Petrus Gregorius in Syntag. iuris lib. 8. c. 13. de termino moto. Addo etiã inter Hebræos præcipuam olim terminorum rationem habitam fuiſſe; nam cùm in his omnis agrorum venditio, vel potius locatio ſeptennium non excederet, atque eo elapſo fundi ad antiquos poſſeſſores redirent, ſic cauetur Leuit. 25. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos aduenæ & coloni mei eſtis, vnde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptione vendetur.* Poſtquam autem ſubiecit fundorum redimendorum rationem, ſic denique attexit. *Quod ſi non inuenerit manus eius, vt reddat pretium, habebit emptor quod emerat vſque ad annum iubilæum; in ipſo enim omnis venditio redibit ad Dominum, & ad poſſeſſorem priſtinum.* B Hinc erat, vt magna apud eos de limitibus metandis, & antiquis terminis conſeruandis & reſtituendis eſſet cura, ne quis ſuæ familiæ poſſeſſionibus fraudaretur.

Petr. Gregor.

Leuit. 25.

Ergo Salomon Iudæos affatus id ſerio præcipit, ne quis defixos ab antiquis terminos, & limites in alienas poſſeſſiones irrumpens tranſgrediatur aut è loco ſuo transferat, quos Deus lege ſua perpetuos, & immobiles eſſe iuſſit, vt agri per tribus & familias ab initio diſtributi, & diſſecti, ab his ad alios nunquam irreuocabiliter migrarent. Hoc enim ad pacem tuendam, liteſque remouendas plurimum intereſſe conſtat. Quò ſpectauit Maro. 140.

C *Limes agro poſitus, litem vt diſcerneret aruis.* Virgil.

Et quidem tanti habitum apud antiquos agrorum limites ac metas non violare, vt inter alia iuſti hominis encomia id quoque ſummæ laudi ducendum eſſe cẽſuerit Eliphaz Themanites, qui Iob. cap. 5. ſic ait. *Cum lapidibus regionum pactum tuum, & beſtiæ agri pacificæ erunt tibi.* Nam quamuis alij illa verba ſic ediſſerant; Nemo vnquam fundorum tuorum, aut villarum terminos tranſiliet, aut è loco ſuo impellet, ſed tuas tibi poſſeſſiones inuiolatas relinquet; tamen ſenſus mihi aliter conformandus videtur. *Cum lapidibus regionum pactum tuum*, id eſt, pro tuo in iuſtitiam & æquitatem ſtudio numquam agrorum terminos violabis, vt tuos fundos amplifices; atque huius æquitatis merito id D obtinebis, vt aliorum res non lædens, tuas etiam illæſas ſerues; propterea ſubdit, *& beſtiæ agri pacificæ erunt tibi*, id eſt, aruorum tuorum ſegetes non attingentur. 141.

Iob 5.

Sed licet hæc expoſitio germana mihi videatur, tamen ſi quiſpiam ſit qui hæc per allegoriam à Salomone dictata malit, non reluctabor, dummodò hæc illius verba hunc ad ſenſum vocentur. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.* Suadet quidem, vt ſua quique, & maiorum ſuorum ſorte contentus ſit, nec ad ampliorem cenſum, aut diuitias adſpiret quàm parentes eius, aui, & ataui per multa retro ſæcula obtinuerunt: ita vt, quemadmodum in agris termini ſunt à maioribus definiti, quos præ- E tergredi non licet; ita etiam eos ſibi quiſque in honore & fortunis terminos ab ipſa natura defixos putet, quos maiores ipſius conſtituerunt, adeo vt maiora & ampliora meditari, aut moliri nefas ducat. Huc tranſtulit Arnoldus verba illa Chriſti Domini Matth. 10. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrũ, nec ſeruus ſupra Dominum ſuum* (quibus ipſe addit) *nec filius ſuper patrem ſuum* (ac deinde ſubnectit eodem filo) *ſufficit diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruo ſicut Dominus eius, & filio ſicut pater eius.* Nam cùm filius, ex Philoſopho, quędam pars, aut menbrum ſub parente tãquam ſub capite, ſit, operæpretiũ eſt vt membrũ cum capite nõ ſubiectione tãtum, ſed etiam magnitudine cohæreat, alioqui deformitas erit: & quidẽ quemadmodũ haud diſpar turpitudo eſt ſi membrum à capite, vel ob nimiam 142.

Matth. 10.

que inter amicos succrescens difficilè admodum cõuellitur, profundam vtique radicem habeat necesse est; quapropter cùm proprium huius radicis germen homicidium sit, ex Chrysostomo, istiusmodi germen ex tam profunda radice non potest non citiùs, atque (vt ita dicam) lætiùs pullulare. Atque adeò meritò Salomon ab iracundis amicis abstinendum esse docet, ne ita inter ipsos nata ad cædem vsque desæuiat, *& ne sumas scandalum animæ tuæ.*

26. *Noli esse cum his, quæ defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis.*

27. *Si enim non habes vnde restituas, quid causæ est, vt tollat operimentum de cubili tuo?*

133. NOli esse, &c. Hebr. *Ne sis cum percutientibus volam in fideiubentibus pro debitis.* LXX. *Ne dederis te in fideiussionem, reueritus faciem.* Chald *ne pepigeris manum tuam in fideiussionibus.* Vatab. *Noli esse cum his qui stipulata manu fideiubent.*

Quid sit defigere manus, quid percutere, aut pangere, supra c. 6. v. 1. exposui, vbi de ritu, & forma stipulationis longum sermonem texui, atque adeò quæ ibi dixi, in hunc locum transferenda sunt. Quibus positis sententia huius prioris versus est luculenta. *Noli* (inquit) *esse cum his, qui defigunt manus suas,* noli scilicet cum his numerari, & eorum moribus assuescere, qui manum suam illi carpendam & premendam tradunt, cui fidem suam adstrictam volunt; hîc enim erat fideiussionis & stipulationis ritus, aut solemnitas, de quâ ibi multa contulimus. *Noli* (inquam) *esse cum his qui vades se offerunt pro debitis.* Peculiaris est hîc translatio LXX. *Ne dederis te in fideiussionem, reueritus faciem.* Priora illa verba, *Ne dederis te in fideiussionem,* integrã originalis lectionis sententiam cohibent, vt ex dictis constat; illud verò, *ne dederis te,* temeritatem quorundam incusat, qui cùm neque gratia, neque necessitudo aliqua, neque accepta beneficia id postulent, aliquando etiam non rogati sese sponsores dant, nullo adhibito consilio: atque ea est etiam nostræ lectionis energia, *qui vades se offerunt pro debitis.* i. sese temerè impendunt. Posteriora tamẽ illa verba, *reueritus faciem,* non respondent originibus, sed addita videntur à LXX. ad assignandũ causam, quæ multos in sponsiones impellit, hæc est, *faciem alicuius potentioris reuereri,* sæpe. n. obsequium, reuerentia, aut etiam metus erga præcipuos viros sponsiones extorquet: vel aliter, *reueritus faciem.* i. veritus conuersionem rerum; nam quidam codices habent πρόσωπα. i. facies in numero multitudinis, quasi dicat; rerum non semper vna facies est, & qui hodie copiosus & affluens videtur, paulo post reflante fortuna in angustias recidit, atque adeò prudens, & cordatus homo istiusmodi rerum facies reueritus, ab sponsionibus abstinere debet. subnectit causam.

134. *Si enim non habes vnde restituas, quid causa est vt tollat operimentum de cubili tuo?* Hebr. *Vt quid tollet cubile tuum de subter te?* Vatab. *Lectus tuus de subtus te auferetur.* Chaldæus concinit. LXX. *tollent stratum tuum, quod sub costis tuis.* Omnia in idem recidunt. In quibusdam codicibus Vulgatis olim erat, *Si enim non habet vnde restituat,* scilicet principalis debitor, nam eo deficiente succedit sponsor. Cæterùm retinenda est præscripta lectio, & sensus sic instituendus. *Si non habes vnde restituas,* si nimirum tibi satis bonorum aliunde non suppeditet ad dissoluendum debitum ex sponsione contractum, *quid causa est vt tollat,* &c. i. nihil prohibebit quominus lectus, in quo dormis, à te iure suffragante auferatur. Hæc verba duplicẽ ad

A sensum vocari possunt; aut enim bonorum omnium spoliationem significant, nam lectus ex iure antiquo non venit in hypotheca bonorũ generali, leg. 1. Cod. *Quæ res pignori obligari possunt,* atque adeò vltimo loco à debitore tollitur, cùm reliqua bona exhausta sunt. In lege etiam Exod. 22. & Deuteronom. 24. cauetur, vt si quando creditor lecti aut cubilis indumenta pignoris loco abstulerit à debitore, ea ante solis occasum restituat, sic enim habes. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Ex dictis constat lecti atque cubilis spolium vltimo loco fieri,
B atque adeò ad significandam bonorum omniũ spoliationem rectè additum à Salomone, *Quid causæ est, vt tollat operimentum de cubili tuo?* Vel aliter, hæc verba magnam perturbationem significant, quam sponsio fideiussori afferre solet, cùm debitor soluendo non est; hæc enim somnum illi, & quietem adimere consueuit. Vnde ad sponsorem sic Salomon cap. 6. ver. 4. *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ.* Itaque verba illa, *vt tollat operimentum de cubili tuo,* vel, vt habent origines, *lectum tuum de subtus te,* vel secundùm LXX. *stratum quod sub costis tuis,* sic accipi possunt ac si dicat, tantas curas, & animi turbas tibi immittet, vt neque mollius in lecto decumbere, aut dulcem somnum carpere permittat.

Exod. 22. Deut. 24.

C

135. Ad extremum verba ista in sensu allegorico de Prælatis ac Magistratibus accipi posse docent Beda, Hugo, Dion. Ians. & alij. Quomodo autem Prælati pro subditis spondeant, ac fidem faciant, vide supra loco citato: interim autem accipe venusta verba, quibus Beda hunc locum illustrauit. *Noli,* inquit, *esse cum his qui cùm essent liberi, ac sibi vacantes, defigunt manus in curas salutis malorum, spondentes se rationem pro animabus eorum reddituros: si enim ille, pro quo spopondisti, non habet bona opera quibus te liberum, ac securũ reddat tua sponsionis, quæ tibi vtilitas est, vt in die iudicij pro eius anima iudiceris, amittasque habitum iustitiæ, quo indutus esse videbaris, ac nudus ab ornamento*
D *virtutum existere comproberis; quia quod, Domino teste, pollicitus eras, implere nequiueris? Hoc autem dictũ est, non quod curam regendarum animarum cùm tibi regulariter imposita fuerit, suscipere non debeas, sed ne passim nullo iubente, doctoris tibi, ac præsulis officium temerarius vsurpes.* Lege plura apud Hugonem. Beda.

28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

136. NE transgrediaris, &c. Hebr. *ne retro agas terminũ sæculi, quem fecerunt patres tui.* Pagnin. *Ne transferas.* Vatab. *Ne moueas loco perennes terminos.* Chald.
E *Ne mutes terminum, qui à sæculo est.* LXX. *Noli transferre terminos æternos, quos posuerunt patres tui.* Caietan. *Ne adiungas terminos.* Omnia in idem recidunt.

Antiqui interpretes, in quibus Beda, Salonius, Hugo, Dionysius & alij eiusdem notæ, hæc verba ad allegoriam transferunt, neque alium prætereà sensũ illis subesse volunt. Itaque sic exponunt. Ne terminos fidei, aut morum, quos Catholici doctores, ac Patres defixerunt, transilire velis aliter docendo, aut operando. Ex his ergo Salonius sic scribit. *Terminos antiquos dicit, terminos veritatis, & fidei, quos statuerũt ab initio Catholici doctores: hoc ergo præcepit, vt veritatem Catholicæ doctrinæ nemo aliter suscipiat, quàm à Patribus est tradita: siue hoc præcipit, vt eloquia sanctarum* Salonius.

rum

rum scripturarum nemo aliter interpretetur, &c. Hugo verò non solùm doctrinam, sed etiam mores includit; & verba hæc ad monachos conuertit, qui veterũ suorum patrum terminos transgressi ædificant sibi ingentia palatia, & ex Bernado, eosdem insimulat, qui cùm in quodam monasterio ingentem cuiusdam ædificij molem excitare vidisset, sic monachos affatus dicitur. *Sic recessistis à vitijs patrum nostrorum?* ac denique sic absoluit Hugo; *ideo autem bonum est non trãsgredi terminos antiquos, quia intra limites est securitas, & in marchijs est guerra.*

137. Cæterum reliqui interpretes ad vnum verba hæc de agrorum limitibus exponunt hoc modo. *Ne transgrediaris terminos antiquos*, &c. id est, ne per vim aut incuriam limites agrorum, quibus patres olim fundos suos ab alienis dirimi voluerunt, transilias, aut loco moueas, partem alieni agri occupando; id enim nimis iniustum est: id ipsum præcipit Moyses, Deuter. 19. *Non assumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam.* Quanta verò olim esset religio in terminis aut transferendis, aut loco suo mouendis nemo ignorat. Romani quidem ne quis terminos violare auderet, eisdem numen inesse voluerunt, sic enim Ouidius 2. Fastorum.

Deutr. 19.

Ouid.

Termine, siue lapis, siue es defossus in agro
Stipes ab antiquis, tu quoque numen habes.
Tu populos vrbesque, & regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,
Legitima seruas credita rura fide.
Termine post illud leuitas tibi libera non est,
Qua positus fueris in statione mane.
Et seu vomeribus, seu tu pulsabere rostris,
Clamato, tuus est hic ager, ille tuus.

138. Hactenus poëta, qui termini immobilitatem eleganter cecinit, ex quo etiam constat huic Termino tantumdem ab antiquis Romanis delatum fuisse, vt illi mense Februario Terminalia festa persoluerent. Rursus vt veteres prædictam terminorum constantiam, & immobilitatem innuerent, id certè commenti sunt quod tradit Augustinus de ciuitate lib. 4. cap. 23. vbi sic scribit. *Cùm Rex Tarquinius Capitolium ædificare vellet, cumque locum, qui dignior esset, ab alienis dijs cerneret praeoccupatum, non audens aliquid cõtra eorum facere arbitrium credensque illos tanto numini, suoque principi sponte cessuros; per augurium quæsiuit, vtrum Ioui locum concedere vellent. Annuerunt omnes præter Martem, Terminum, ac Iuuentutẽ.* Quorsum hæc commentitia, & inania? sanè hoc commento veteres Romani id innuere voluerũt, militis, quem Mars adumbrat, gloriam & religionem in eo ponendam esse, vt in statione sua immotus & constans hostem excipiat. Termini etiam numen in eo esse, vt immobilis sit adeò, vt ne Iouis quidem gratia è loco suo resiliat. Et idem est de Iuuentute, quæ suos etiam fines habet, atque adeò nec à suo loco extrahi, nec ad vlteriorem ætatem perferri potest. Primus autem Numa Terminum inter Deos retulit, & legem illam de terminis non mouendis edidit.

Qui secus faxit, & terminum exarassit,
Ipse, & boues sacri sunto.

139. Crinitus. Sic tradit Crinitus de honesta disciplina lib. 8. cap. 15. illa autem verba *sacri sunto*, hanc vim habent, vt significent cuilibet in vitam & fortunas eius licere, qui terminum violasset. Hæc Numa. Sed Romulus ante constituerat, vt qui vicini terminum vsurpasset, is, à quo pars agelli per fraudem accepta fuisset, totũ agrum vsurpantis in mulctæ locum acciperet, & ad eum iustè pertineret. Mitto alias pœnas, quæ postea

A voluentibus sæculis in limitum violatores leges statuerunt, quas eruditè collegit Petrus Gregorius in Syntag. iuris lib. 8. c. 13. de termino moto. Addo etiã inter Hebræos præcipuam olim terminorum rationem habitam fuisse; nam cùm in his omnis agrorum venditio, vel potius locatio septennium non excederet, atque eo elapso fundi ad antiquos possessores redirent, sic cauetur Leuit. 25. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni mei estis, vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptione vendetur.* Postquam autem subiecit fundorum redimendorum rationem, sic denique attexit. *Quod si non inuenerit manus eius, vt reddat pretium, habebit emptor quod emerat vsque ad annum iubilæum; in ipso enim omnis venditio* B *redibit ad Dominum, & ad possessorem pristinum.* Hinc erat, vt magna apud eos de limitibus metandis, & antiquis terminis conseruandis & restituendis esset cura, ne quis suæ familiæ possessionibus fraudaretur.

Petr. Gregor. Leuit. 25.

Ergo Salomon Iudæos affatus id serio præcipit, ne quis defixos ab antiquis terminos, & limites in alienas possessiones irrumpens transgrediatur aut è loco suo transferat, quos Deus lege sua perpetuos, & immobiles esse iussit, vt agri per tribus & familias ab initio distributi, & dissecti, ab his ad alios nunquam irreuocabiliter migrarent. Hoc enim ad pacem tuendam, litesque remouendas plurimum interesse constat. Quò spectauit Maro. 140.

C *Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.* Virgil.

Et quidem tanti habitum apud antiquos agrorum limites ac metas non violare, vt inter alia iusti hominis encomia id quoque summæ laudi ducendum esse cẽsuerit Eliphaz Themanites, qui Iob. cap. 5. sic ait. *Cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ agri pacificæ erunt tibi.* Nam quamuis alij illa verba sic edisserant; Nemo vnquam fundorum tuorum, aut villarum terminos transiliet, aut è loco suo impellet, sed tuas tibi possessiones inuiolatas relinquet; tamen sensus mihi aliter conformandus videtur. *Cum lapidibus regionum pactum tuum*, id est, pro tuo in iustitiam & æquitatem studio numquam agrorum terminos violabis, vt tuos fundos amplifices; atque huius æquitatis merito id D obtinebis, vt aliorum res non lædens, tuas etiam illæsas serues; propterea subdit, *& bestiæ agri pacificæ erunt tibi*, id est, aruorum tuorum segetes non attingentur. 141. Iob 5.

Sed licet hæc expositio germana mihi videatur, tamen si quispiam sit qui hæc per allegoriam à Salomone dictata malit, non reluctabor, dummodò hæc illius verba hunc ad sensum vocentur. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Suadet quidem, vt sua quique, & maiorum suorum sorte contentus sit, nec ad ampliorem censum, aut diuitias adspiret quàm parentes eius, aui, & ataui per multa retro sæcula obtinuerunt: ita vt, quemadmodum inagris termini sunt à maioribus definiti, quos præ- E tergredi non licet; ita etiam eos sibi quisque in honore & fortunis terminos ab ipsâ natura defixos putet, quos maiores ipsius constituerunt, adeo vt maiora & ampliora meditari, aut moliri nefas ducat. Huc transtulit Arnoldus verba illa Christi Domini Matth. 10. *Non est discipulus super magistrũ, nec seruus supra Dominum suum* (quibus ipse addit) *nec filius super patrem suum* (ac deinde subnectit eodem filo) *sufficit discipulo vt sit sicut magister eius, & seruo sicut Dominus eius, & filio sicut pater eius.* Nam cùm filius, ex Philosopho, quędam pars, aut menbrum sub parente tãquam sub capite, sit, operæpretiũ est vt membrũ cum capite nõ subiectione tãtum, sed etiam magnitudine cohæreat, alioqui deformitas erit: & quidẽ quemadmodũ haud dispar turpitudo est si membrum à capite, vel ob nimiam 142. Matth. 10.

miam magnitudinem, vel ob nimiam paruitatem dissentiat; sic etiam æqualis deformitas est siue filius à parentum suorum gloria & conditione deficiat, siue eandem plus æquo superet. Hæc autem dicta sunt ad cohibendos, non ad opprimendos filiorum spiritus, quos aliquando parentum suorum conditione relicta ad digniorem fortunam adspirare fas est ac decet.

24. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles.*

143. *Vidisti virum*, &c. Hebr. *Ad facies Regum statuetur, & non ad facies tenebrosorum.* Chald. *Non stabit coram pauperibus.* LXX. *Peruidentem virum, & acutum in operibus suis oportet Regibus assistere, & non assistere viris socordibus.* Theodot. *Viris tenebrosis.*

Sententia horum verborum est satis dilucida. *Virum velocem in opere suo*, appellat virum sedulum, qui in pertractandis, transigendisque negotiis dexteritatem habet. Hic ergo *coram Regibus stabit*, id est, Reges ac Dynastæ eum sibi proximè adiungent, opera illius vtentur, & ad maioris momenti res adhibebūt. Sic passim interpretes, ipsa tamen verborum series digniorem sensum nobis offert. *Vidisti*, inquit, *virū velocem in opere suo*, id est, si quando virum aliquem in suis ipsius negotiis operosum ac industrium conspicatus fueris, hunc certè iam tunc obserua, ac digito destina, videbisque illum paulò post à priuatis suis negotiis ad publica traduci, & Reges ac Principes opera illius vti. Nihil enim est, quod aliquem ad publicos magistratus gerendos idoneum magis esse demonstret, quàm priuatæ ac domesticæ rei bona, & sollicita administratio. Audi Chrysostomum homil. 10. in primam ad Timoth. ad illa verba, *Domui suæ bene præpositū. Hoc*, inquit, *& externa sapientia auctores aiunt, vt qui rem suam ritè administrauerit, rei quoque publicæ conuenienter possit contractare negotia; est enim Ecclesia veluti domus quædam, & sicuti in domo vxor est, filij ac serui, omniumque cura ac regimen incumbit viro; ita etiam ferme & in Ecclesia videas; nihil est ibi* Chrysost.

A *aliud quàm filij, & vxores, & serui; nam si administrationis habeat socium Ecclesiæ (aut Reip.) rector, habet & domi vir vxorem consortē curarum suarum*, &c. Vocat autē externæ sapientiæ authores Chrysostomus Aristotelem, qui lib. 1. Polit. cap. 1. & deinceps multa in hanc sententiam confert, & Plutarchum, qui in suis etiam Politicis de hac thesi non pauca serit.

Sed etiam in consilium vocemus translationem LXX quæ sic habet. *Peruidentem virum, & acutum in operibus suis, oportet Regibus assistere, & non assistere socordibus.* Hæc translatio mihi suadet locum istum nō tam ad priuatos à Salomone intendi, vt eorum diligentiam, & industriam exacuat, quàm ad Principes ipsos, vti ipsos edoceat quosnam maximè ad magistratus gerendos deligere, & ad publicam gubernationem sibi adiungere debeant. Nam perinde est ac B si dicat, virum in domestica re gerenda prouidentem atque gnarum, si quis est, illum Princeps ad Reipublicæ clauum tractandum & impellendum deligere debet. Itaque præclaram quandam notam, & documentum Regibus insinuat Salomon, quod ipsos in magistratuum delectu habendo obseruare imprimis oportet; an scilicet optimi œconomi sint, nam ex optimis œconomicis euadunt optimi politici. *Si quis enim* (Apostoli verba sunt) *domus suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* 144.

Denique illa verba, *nec erit ante ignobiles*. Hebr. *nō erit ante tenebrosos, vel obscuros*, ita intelligenda sunt; eiusmodi homo, qui in gerenda domestica administratione sollicitus & industrius est, haud sinendus est domi hærere, & in tenebris delitescere, quin imò ad lucem vocandus, vt magistratus optimos capessat. C Eodem sensu donanda est translatio LXX. *Et non assistere viris socordibus.* Hic scilicet domesticæ rei diligens curator inter socordes minimè dimittendus est, quasi dicat. *A vn hombre como este no se hade dexar estar ocioso sino emplearle.* Non qui domui suę tantummodo curandæ totus vacat, quodammodò otiosam, & sedentariam vitam agit, cùm possit publicis negotiis industriam & curam impendere. Ita etiam accipio Vulgatæ verba, *Non erit ante ignobiles*, id est, non erit inter priuatos, hos enim ignobiles appellat. 145.



CAP. XXIII. SALOMONIS.



Vando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam. 2. Et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam. 3. Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij. 4. Noli laborare vt diteris: sed prudentiæ tuæ pone modum. 5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum. 6. Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius. 7. Quoniam in similitudinem arioli & coniectoris, æstimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi: & mens eius non est tecum. 8. Cibos, quos comederas, euomes: & perdes pulchros sermones tuos. 9. In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquij tui. 10. Ne attingas paruulorum terminos: & agrum pupillorum ne introeas. 11. Propinquus enim illorum fortis est: & ipse iudicabit contra te causam illorum. 12. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ. 13. Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. 14. Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno

ferno liberabis. 15. *Fili mi, ſi ſapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum.* 16. *Et*
exultabunt renes mei, cùm locuta fuerint rectum labia tua. 17. *Non æmuletur cor tuum pecca-*
tores: ſed in timore Domini eſto tota die. 18. *Quia habebis ſpem in nouiſſimo, & præſtolatio tua*
non auferetur. 19. *Audi fili mi, & eſto ſapiens: & dirige in via animum tuum.* 20. *Noli eſſe*
in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendũ conferunt. 21. *Quia*
vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. 22. *Audi*
patrem tuum, qui genuit te: & ne contemnas cùm ſenuerit mater tua. 23. *Veritatem eme, &*
noli vendere ſapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. 24. *Exultat gaudio pater iuſti: qui*
ſapientiam genuit, lætabitur in eo. 25. *Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ ge-*
nuit te. 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas cuſtodiant.* 27. *Fouea enim*
profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus, aliena. 28. *Inſidiatur in via quaſi latro, & quos in-*
cautos viderit, interficit. 29. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vul-*
nera? cui ſuffuſio oculorum? 30. *Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus*
epotandis? 31. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: in-*
greditur blande. 32. *Sed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.*
33. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa.* 34. *Et eris ſicut dormiens*
in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clauo. 35. *Et dices: Verberauerunt me, ſed*
non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi: quando euigilabo, & rurſus vina reperiam?

---

1. *Quando ſederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.*
2. *Et ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.*

1. *Vando ſederis,* &c. Hebr. *Conſiderando conſiderabis quæ ad facies tuas.* Chald. *Quando ſederis, vt comedas cùm Principibus*, in quibuſdam Vulgatis codicibus olim erat. *Quando ſederis vt comedas panem,* LXX. *Si ſederis cœnare ad menſam potentis, ſapienter intellige quæ apponuntur tibi.* Auguſt. *attendens intellige.*

Hæc priora verba perſpicua ſunt. *Quando ſederis vt comedas cum Principe.* i. cùm princeps aliquis vit te ad ſplendidam, lautamque menſam inuitauerit, hoc age, *Diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.* Hæc attentio debet eſſe diligens, & ſapiens, nã LXX. habent. *Sapienter intellige,* diligẽtia in accuratâ obſeruatione ſingulorum ciborum ſpectetur, ita vt nihil imprudentem, & aliud agentem abeat; ſapientia verò in eo verſatur, vt per diſſimulationem quandam hoc fiat, ne nimia conuiuæ curioſitas inuitantẽ offendat; ſic nonnulli; ſed tamen hæc leuiora ſunt. Ego enim attentionem ideò ſuaderi exiſtimo à Salomone, quia cùm ex vini, atque epularum nimia ingurgitatione mentis acies ad attendendum non parũ hebes reddi ſoleat; tum maximè mentem aduocandam, & omnes animi ſenſus acuendos eſſe dicit, nequid non obſeruatum & animaduerſum decedat. Id ſibi vult lectio originalis, *Conſiderando conſidera.* Quaſi dicat, tunc tibi attentius conſideranda omnia ſunt, cùm inconſiderationis periculum imminet.

2. *Quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.* Interpretes vulgo per ea, quæ ante faciem appoſita dicuntur. cibos intelligunt; qui conuiuis exhibentur in menſa. Fauet his tranſlatio LXX. de quâ ſtatim dicemus. Ianſenius non de ferculis ſolum in menſa exhibitis, ſed etiam de his, quæ inter cœnandum incidunt, quæſtionibus, hæc verba capienda eſſe dicit, ita vt ſenſus ſit. *Attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuã,* vel vt habent Primitiua, *quæ ad facies tuas.* i. quæ à te inter epulas quæſita, vel tibi obiecta fuerint. Cum Ianſenio concinit Caietan. *Intelligendo,* inquit, *intellige quæ in facie tua* (ſic ipſe legit) *& non reſtringitur relatiuum,* quæ, *ad epulas, ſed comprehendit actiones, & interrogationes,* &c. Ego verò in eamdem ſententiam facile inducor. Imò tantum abeſt vt de ſolâ ciborum obſeruatione hæc verba captanda eſſe exiſtimem, vt credam potius de ſolis quæſtionibus aut quæſitis, quæ inter epulas obiici ſolent, accipi debere, vt ſtatim dicam, ſed quò ſpectat omnis hæc tam diligens animi attentio, & intentio? Subdit.

Statue cultrum in gutture tuo. Hebr. non diſſonant, pro cultro ſubeſt, שכין *Sachin*, ex שוך *Such*, quod eſt 3.
vepribus, aut ſentibus agrum ſepire (liceat ſic dicere) vepricare. Hinc nata lectio Rabi Leui. *Statue ſentes, aut ſpinas in gutture tuo.* Aliqui etiã de numero multitudinis extulerunt. *Pone cultros in gutture tuo, ſi tamẽ habes in poteſtate animam tuam,* Hebr. *Si Dominus animæ tuæ.* Caiet. *Si herus.* Hebræi, *ſi coniux animæ tuæ.* Subeſt enim hîc vox illa, בעל *Baghal*, quæ Dominũ, herum, & maritum ſonat: aliquando etiam poteſt pro particulâ illâ *ſi*, ſubiici, *quia*, necnon, *etiam*, vt aliqui non ſine vſu obſeruarunt. De diſpunctione huius clauſulæ non vulgaris pugna inter expoſitores. Omnes antiqui interpretes illa verba, *ſi tamen habes poteſtatem,* &c. cum ſuperiori verſu conſuenda putant, & ex nouis etiam non pauci: atque adeò poſt illa punctum figunt. Aliqui verò præmittunt punctum, & cũ ſequentibus nectunt. Correctior verò textus vt hæc diſſidia componeret, nullibi punctum, ſed vtrobique comata indidit, vt libertatem ſcilicet interpretibus daret. Primitiua Hebraïca punctum poſtponunt, & inde nouum verſum ordiuntur: *Ne ſederis,* &c. His adhæreo, atque adeò omnes interpretationes ſic pangam, vt verba illa, *ſi tamen habes in poteſtate,* &c. cum illis cohæreant, *ſtatue gladium,* &c. LXX. verò integrum locum ſic extulerunt. *Iniice manum tuam ſciẽs, quod oportet te talia præparare.* Hæc autem verba reſpondent illi priori hemyſtichio, *Pone cultrum in gutture tuo.* illud autem poſterius, *Si Dominus es animæ tuæ,* ad ſequentem verſum adiecerunt hoc ſenſu. *Si*

tamen insatiabilis es. De quo infra. Aquila & Theod. *Et pones macheram in gula tua*, concinunt quippe cum nostris.

4. In hunc locum valdè dissimiles expositiones noui & antiqui interpretes coniecerunt. Ex his autem plerique sobrietatem suaderi putant. Sed non vnus illorum sensus. Aben herza sic ait, *Statue cultrum in gutture tuo, si tamẽ habes in potestate*, &c. i. si ita opus fuerit, cultrum potiùs gutturi immergere oportet, quàm per crapulam & ebrietatem à mente excidere; & quidem haud inepta sententia est: nam per gladium gutturi adactum corpus interit, at per ebrietatem animus ipse velut percusso iugulo cadit, imò etiam totus homo mortuo cadaueri adsimilis redditur. Hilarius in Psal. 121. *Quid*, inquit, *infelicius ebrietatis dominatu sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse monstrare, & mortem quandam natura incolumi imperare?*

5. Secunda interpretatio sic habet, Si genio ac gulæ indulgere volueris, perinde esse puta, ac si gladium in iugulum moueas, aut deuores. Hæc expositio parum abit à superiori: id tantum inter vtramque dissidij est, quod ipsius autores & patroni, illis verbis, *si tamen habes in potestate animam tuam*, eum sensum subesse existimant. *Si gula indulgere voles*. Sic extulit locum istum Vatablus, qui, ni fallor, vocem illam בעל *Baghal*, quæ hîc subiicitur, non Dominum, sed maritũ, aut coniugem intellexit, ac per animam, libidinẽ accepit, quasi diceret. *Si coniux es anima tua*, id est, si libidini tanquam vxori copulatus & addictus fueris. Inde etiam fluxit (ni fallor) translatio LXX. quæ posteriorem istam clausulam ad sequentem versum accommodans, sic eandem extulit. *Si insatiabilis es*, &c. Itaque sensus loci, iuxta hanc expositionem, sic cõpleri debet; si ad magnificam, & splendidam cœnam inuitatus, gulæ ac voluptati tuæ vxoriâ quadam illecebra obtemperes, perinde facis, ac si gladium in gula excipias. Audi Chrysost. hom. 71. in Matthæum, qui vbi gulam cum hydra composuit, sic demum infert. *Nulli enses, nulla hasta, nihil aliud eiusmodi aduersus ea capita temulentiæ poterit obsistere. Sed Gigantes ipsi ac fortes viri, qui mille præclara gesserunt facinora, absque vinculis vino & somno ligati, sine vulnere tãquam confossi iacent. Imò verò peius etiam quàm confossi, nam illi quidem & si progredi non possunt, aliquo tamen tempore vident fort●e, atque intelligunt: hi verò etiam mente capti omni sensu carent*. Itaque sic licet dicere, vinum generosum, & suaues epulæ dum fauces deliniunt, easdem velut occulto vulnere perfodiunt, atque adeò qui illa gutture excipit, gladium & cultrum excipit.

6. Tertia expositio est Caietani, cui hærere videtur Baynus, qui cùm legerit, *Pone cultros in gutture tuo*, sic locum edisserit, *pone*, id est positos, vel intentos gutturi tuo existima: Quasi dicat: cùm ab aliquo Principe conuiuio exceptus fueris, omnia quæ inter epulas inciderint, seu actiones, seu verba summâ attentione adnota, & obserua, & innumerabiles gladios gutturi tuo imminentes cogita, id est, perinde age, ac si guttur gladiis vndiq; circũseptum haberes. Illa autẽ verba *si tamen es herus, aut dominus animæ tuæ*, sic cum superioribus contexit: suppositus, aut obiectus istiusmodi gladiis, non es herus seu dominus vitæ tuæ: tota enim pendet, & in discrimine versatur. Itaque secundùm hanc expositionem Salomonis mens est: Regum familiaritati minimè fidendum esse. Quinimò tunc cùm maximè eorum fauor adspirat, adeò vt id quod summæ gratiæ argumentum esse consueuit, mensæ suæ aliquem consortem faciat, tunc sanè, si sanus homo est, cogitare debet nõ vnũ tantũ, sed innumerabiles gladios gutturi suo impẽdere, nã ita euenire solet, vt inuidia & liuor multorũ gladios in illũ exacuat. Quid certius? Non illepidũ huiusce rei symbolũ sese offert illud Dionysij facinus, qui epulantis parasiti mores pertæsus illi quidem ex prætenui equi corda pendentem in caput gladium imposuit. Hæc autẽ interpretatio inter alias duas facilè princeps est.

Quarta verò, quæ pluribus probatur, sic habet. *Pone gladium in gutture tuo*, &c. id est, si fortè Principis conuiuio exceptus es, aduoca mentẽ, & ad ea, quæ tibi obiecta, aut proposita fuerint, cautè responsũ afferto, & ne quod verbũ imprudenter excidat, *statue gladium in gutture tuo*, ad illud videlicet muniendũ, & obstruendũ, id est, verbis tuis exitũ præclude: vel, *statue cultrũ in gutture tuo*, ne aut vini multũ percolet, aut escarũ plurimum traiiciat. *Si tamẽ habes in potestate animã tuã*, id est, si tui ipsius cõpos esse potes: nã vini, & epularũ nimia ingurgitatio loquendi intẽperãtiam afferre solet, & *in vino*, vt aiunt, *veritas est*; quod prouerbiũ experientia adinuenit, ex quâ constat, eos, qui vino incaluerunt nihil secreti, aut arcani cohibere posse. August. enim, vel quisquis ille est, qui sermonẽ scripsit de sobrietate, & castitate. *Quisquis* (ait) *immoderatus conuiuioque medius amissis modestiæ frenis insana fuerit ebrietate prostratus, auersos respicie nutãtes, quos integros videre nequiuit, ac sermone longo superflua verba emittit, & vana dicta cõponit, male clamans, & bene sibi sonãs: & dũ nihil omnino consequitur sanũ, nullo alio cogẽte, præter vinũ, cõmissa secreta in mediũ profert*. Hũc spectat illud Horat. in Arte poëtica.

Reges dicuntur multis vrgere culullis.
Et torquere mero, quem perspexisse laborant
An sit amicitiâ dignus.

Atque eò fortasse spectauit Salomon, cùm dixit, in mensâ Principis temperanter edendum ac bibendum esse, quia videlicet hi ad explorandam suorũ fidem vinum adhibere solent, vt quidquid in animo latet, vino cogente velut extorqueat. Apposita sunt ad hanc rem verba Eratosthenis apud Stobæum. *Vbi vinum hominem subierit, quem conturbat vt Libycum Aquilo, vel Auster, itáque prodit latentia in mentis recessu, animumque vniuersũ cõcutit*, id est, quemadmodũ mare Libycũ tũc cũ Aquilo, vel Auster vndas impulit, algas, & sordes ab imo euertit, & in superficiem trahit: sic etiã vinũ quoties mentẽ cõcutit, animi profundissima arcana foras eructat. Adde etiam illud Theognidis apud eundẽ Stobæum. *Quisquis bibendo modũ superauerit, is non amplius suæ linguæ compos est, neque mentis verba effatur vlla*, &c. & infrà. *Vim mihi facit vinum, animique non sum amplius compos mei*. Sed præstantissima sunt Plinij verba lib. 14. cap. vlt. *Tunc*, inquit, (cùm scilicet à vino caput maduerit) *animi secreta proferunt, alij testamenta sua nũcupant, alij mortifera loquuntur, rediturasque per iugulũ voces non cõtinent, quam multis ita interemptis, vulgoque veritas iam attributa vino est*. Optimè omnium D. Ambros. *Plerique etiam vino vtuntur, vt equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ statum, salutem ciuium, defensionis suæ prodant consilia: virtus enim plerumque vincit dolorem, fidem autẽ potus excludit. Cognoui plerosque fidiculis exulceratos nomen suum negasse. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?* Ex quibus verbis alia huic expositioni facies affingi potest. *Statue cultrum in gutture tuo*, &c. id est, Conuiuio exceptus magnifico, & regali, cogita districtum gladium in guttur tuum intendi, vt quidquid incautè dixeris, illud præsenti morte luas, atque ea demum ratione tibi temperabis, tuique ipsius semper compos eris.

Sed quamuis hæc satis accommodatè dicta sint, tamen (ni fallor) alia est Salomonis mens in hoc loco, quam vti calleas, memoriâ repetere oportet ea, 8.

quæ

quæ diximus ſuprà in Iſagoge huius comment. de antiquorum conſuetudine ænigmata, problemata, griphoſque inter epulas iactandi. Lege ibi plura de hoc vſu, (piget enim ibi adſcripta reſcribere.) Sed illud imprimis in memoriam veniat quod ex Platon. in conuiuio amoris,& Plutarcho in ſeptem Sapientũ ſympoſio, aliiſque conuiuiorum ſcriptoribus ibi animaduertimus:eos ſcilicet,qui inter epulas,aut ſub epulis aliquid aptè & concinnè à ſe dictum volebãt, vinum valde temperanter haurire ſolitos:eapropter ab eiuſmodi conuiuiis mutuæ propinationes exulare ſolebant, ne quis alium ad bibendum laceſſitum ad ebrietatem fortè cõpelleret.Addo etiam non inſolẽs fuiſſe, vt ſi quis temerè vini tantùm hauſiſſet, vt caput hebes,menſque ad diſceptandũ prõpta non eſſet, vomitũ aliquando medicaméti loco ſibi ipſe moueret, de quibus omnibus inibi latè diſſeruimus. Illud tantùm his, quæ ibi latè ſcripſi adſcribendum puto, hanc conuiuarum inter ſe de problematibus inuicem percontandis diſceptationem,pugnæ nominibus notari. Dicitur enim paſſim apud auctores conflictus, pugna,concertatio,prælium,vt fusè etiam docuimus in cap.2.Cant.v.5.His prælibatis ad Salomonis mentem eruendam veniamus.

9. *Quando ſederis vt comedas cum Principe.* Obſerua interim verbum illud *ſederis*;nam ſi antiquitatũ monumenta euoluas, inuenies profectò veteres conuiuia celebrantes in lectulis aut toris diſcumbere ſolitos:nil certius : Sed tamen conſtat aliquando etiam veteres non diſcumbere,ſed conſidere ſolitos in cœnis,tunc ſcilicet cùm frugalis, ac ſobria erat menſa, & cùm militares epulæ agebantur(vt ſtatim dicam.) Atque eam ob cauſam Homer. Heroas in conuiuio non diſcumbentes, ſed aſſidentes inducit, vt notat Athenæus lib.1.vbi ſic ſcribit.*Sedebant in cœnis apud Homerum Heroës,non accumbebant.Qui mos,vt inquit Bieris, etiam interdũ ſeruabatur apud Alexandrũ Regem:is enim aliquando quadringẽtos Duces in ſellis aureis ſedentes conuiuio excepit.* Rationem verò ſtatim attexã.Seruius etiam in lib.7.Æneid.ſic habet. *Maiores*,inquit,*noſtri ſedentes aliquando epulabantur*(ſcilicet temperantiæ gratia) *quem morem habuerunt à Laconibus,& Cretenſibus*,&c. Ego verò ita reor in his conuiuiis in quibus ſapientes conuenerant,vt de aliqua re feriò diſceptarent,& problemata, aut griphos diſcuterent,conuiuas non accumbere,ſed ſedere cõſueuiſſe:atque ea demũ cauſa afferri poteſt,ob quam Alexand.quadringentis Ducibus ſellas dedit, quia in eo conuiuio multa ad bellum ſpectantia inter ipſos agitanda erant. Puto enim illud fuiſſe epulum militare,ex his,quos Imperatores ante prælium ducibus exhibere ſolebant,vt & illos ſibi obſtringerẽt,& belli inferendi rationem omnem cum eiſdẽ conferrent. Sedebant autẽ conuiuæ cũ ſerium aliquid inter epulas miſcendum erat,vt mens eſſet vegetior & promptior; nam vinum accumbentium capita longè facilius tentat,quàm ſedentium.Eapropter Xenophon in ſuo conuiuio ſedentes inducit conuiuas:& Plutarch. etiam in ſympoſio ſeptem Sapientum,ſed illis tradit, non toros,aut lectulos; quã in re mihi defeciſſe videtur Plato,qui in ſuo conuiuio diſcumbentes producit Socratẽ,Ariſtoxenum,& alios. Quorſum hæc? vt conſtet aptè admodum hîc additum à Salomone. *Quando ſederis, vt comedas cum Principe:* Nam ſermo eſt de conuiuio illo,in quo veteri more problematibus & griphis conuiuarum ingenia torquere,ac periclitari oportebat,eapropter ſedere dicitur,non autem diſcumbere.Subiecta verba id comprobant.

10. *Diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.* Vel,vt habent Origin. *intelligens intellige*, vel, *conſiderando conſidera quæ ad faciem tuam.* Sẽtiò enim cum Caietano, & Ianſenio,qui hæc verba nõ de his exhibitis ferculis,ſed de obiectis quæſtionibus accipienda eſſe docent.Id enim ſuadent illa, *intelligendo intellige*,quæ ſummam intelligendi vim notant:fruſtra autem tantus animi,mentiſque conatus in ſolam ferculorum cognitionem à Salomone poſceretur. LXX. *Sapienter intellige*, eandem mentis vim poſtulantes. Itaque ſenſus eſt, totum mentis conatum atque vim exere, vt griphos atque problemata tibi inter epulas obiecta calleas. Quid plura?*Statue gladiũ in gutture tuo,ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.* Hæc verba, iuxta præmiſſam ſententiam, non vno modo accipi poſſunt : nam primò ita explicare licet. Tunc cùm ad hunc modum problematibus faciendis inter conuiuas confligitur,aut pugnatur(nam,vt ſupra obſeruaui,omnia pugnandi verba huic concertationi aptari ſolent)ſi tui compos es,ſi videlicet mẽs tibi libera & conſtans fuerit,vinique iniurias nõ ſenſiſti,linguam ad reſpondendum exacue,& elima, vt exſcindas ænigmatum ac problematum tibi propoſitorum nodos; hoc enim eſt *gladium in gutture ſtatuere*, verba ſcilicet, vel linguam gladij in morem acuere:nam lingua,verbaque, gladij nomen in ſacra pagina paſſim ferunt.

Vel aliter. *Statue gladium in gutture tuo*,id eſt,cùm ab aliquo fortaſſe problemat. & griphis percontandis petitus fueris,tu contrà linguam diſtringe & aliis atque aliis quærendis illum perurge,ne dicam confode.Itaque Salomõ dum ait,*intelligens intellige quæ ad facies tuas*,ſuadet conuiuæ,vt ad percallenda ea,quæ ab illo percontata fuerint ſumma mentis contentione vtatur:cùm verò addit,*& ſtatue cultrum in gutture tuo*, eidem hanc legem indicit, vt ad alia viciſſim percontanda, aduerſarioque vicem reddendam linguam exacuat. *Si tamen*,inquit,*habes in poteſtate animam tuam.* Illud,*ſi tamen*, quemadmodũ alias in hoc libro & in ſcriptura paſſim,ſublata conditione abſolutè promendũ eſt,ita vt ſenſus ſit : hæc præſtiturus enitere,vt in poteſtate habeas animam tuam,id eſt,vt tui ſemper compos ſis,menſque à vino & epulis non hebeſcat.Quamuis poſſit etiam conditioni locus dari hoc modo,*Si tamen habes*,&c. id ſcilicet præſtabis facilius,ſi tui ſemper compos fueris,atque adeò vini intemperantiam vitaueris. Rurſus poteſt etiam ad hanc expoſitionem transferri Caietani meditatio ſupra data.*Statue cultrum*,aut, *cultros in gutture tuo*, id eſt,cogita guttur tuum diſtrictis gladiis vndique peti, nimirum difficilium quæſtionum interrogationibus ad reſpondendum ſtimulari. Et ſanè cùm obiecta,quæſitaque problemata,accommodata reſponſa exigant,haud ineptè dicemus illos, qui percõtantur, ictus ſuos, ac vulnera in guttur ac fauces dirigere. Denique poſſunt etiam ad temperantiam verba iſta flecti hoc modo:Quidquid tibi inter epulas obiectũ fuerit,ſumma mentis contentione libra & examina, & vt id facilius aſſequi poſſis, ſtatue cultrum in gutture tuo : illud ſcilicet muni,atque obſtrue, ne vini, atque cibi immoderata ingurgitatione mens obtundatur, & in griphis diſſoluendis, atque ediſſerendis ineptiat.*Si tamen habes in poteſtate animã tuam:* Quaſi dicat,id facito,niſi vſque adeò tui ipſius impos es,vt concupiſcentiæ, ac libidini tuæ temperare non poſſis.Hæc de Vulgata lectione.

Quod ſi hæc interpretatio minus arridet, ſubeſt alia,quæ mihi non minus idonea videtur. Recurrat memoria ad ea, quæ diximus ſupra cap.9. verſ.1. de militaribus conuiuiis, & nuper etiam in hoc verſu. Nam ex his conſtat Imperatores cùm prælium committere opus erat,Duces ac Tribun. militum ad magnum aliquod epulum euocare ſolitos,vt hoc officio eorum fidem ſibi obligarent.Addunt aliqui eos inter epulas

epulas de fidelitate adiuraui. Militarium conuiuiorũ exempla ex sacra scriptura petita dedi locis citatis. Puta ergo Salomon. ad Ducem aliquem ex his, qui ad militare conuiuium accersantur, verba intendere ad hunc modum, *Cùm sederis ad mensam potentis* (*Potentẽ* vocat Imperatorem supremum belli ius habentem, & verbum *sederis* ad militares epulas spectat, in quibus sedere, non autem discumbere solenne fuit (vt nuper dicebam.) Cùm, inquam, ô Dux, ac miles fortissime, ad mensam Imperatoris assidere licuerit, *statue cultrum in gutture tuo*: id est, fidem tuam hoc officio ita teneri, & obstringi puta, vt iugulum tuum districtis aduersariorũ gladiis offerre, & ad certã mortem ire non dubites, *si tamen habes in potestate animam tuam*. Illud *si tamen*, pro negatione additum est (vt paulo ante dixi) quia ex quo fidem Imperatori dedisti, non es amplius dominus vitæ tuæ: cui expositioni plurimum tribuo.

12. Translatio LXX. alium sensum afferre videtur, conabor tamen vtriusque dissidia paci reddere. *Inijce manum tuam, sciens quod oportet te talia præparare.* Nihil sanè difficilius quàm hæc verba ad Hebraïcas origines reuocare. Sunt qui putant illa, *inijce manum tuam*, ad amussim respondere illis, *statue cultrum in gutture tuo.* Quasi dicat, tibi ipsi manus afferto, vel tuũ ipsius iugulũ petito. Sed nõ placet; nã in Græc. ἐπίβαλλε, id est, mitte manũ, aut conijce; quod de mittẽdis in fercula manibus accipi debere reor. Quapropter vt hæc cohæreant inter se, nihil aliud occurrit, quàm LXX. per guttur faucesque imperiũ accepisse, sicut aliàs passim per os in scriptura imperandi potestas captari solet, vt alibi obseruauimus, ita vt illud, *pone cultrum in fauce tua*, perinde sit ac si dicat, iã inde iube gladium aptari, & exacui ad animalia & altilia occidenda, vt similem cœnã offerre possis ei, qui te primus lautè, opiparéque excepit. Sed quãuis omnes interpretes in hanc expositionẽ conspirẽt, & verba accipiant, vt sonant, de relatione conuiuij, ac gratiæ, tamen qui hanc translationem ad eam sentẽtiam vocare vellet, quam nuper dedi de problematibus, griphisque inter epulas percontandis, ac diluẽdis, non ineptè diceret, LXX. omissis verbis sensum eruisse, atque adeo verba eorum sic enucleanda esse. *Si sederis vt comedas ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi.* Nota illa verba, *sapienter intellige*, quæ melius, aptiusq; de difficili aliqua quæstione, aut gripho, quàm de ferculorũ obseruatione attẽta accipi debere ipsa illorum vis suadet; *apposita*, Græc. παρατιθέμενα. i. proposita, quod verbum licet de apparandis, apponẽdisq; bellariis accipi queat, tamen propositionẽ etiam quæst. exempli, aut thesis cuiuslibet significare solet. Actorum. 17. Apocalyp. 4. & passim alibi. Itaque sensus est, ad ea quæ tibi ab aliis inter cœnandum obiecta fuerint, siue problemata sint, siue parabolæ, percallenda mentis neruos contende: *Et inijce manum tuam, sciens quod talia te oportet præparare.* i. bellariis ferculisque sobriè ac frugaliter sic fruere, illud sciens, opus tibi esse vt similes etiam parabolas, griphosque ad percontandum expedias. Itaque illis verbis, *inijce manum tuam sciens*, &c. sobrietatem & temperantiam suadet Salomon. Nã perinde est ac si dicat, sic manum in fercula mittito, tamquam is, quem similes parabolas comparare oportet ad perurgenda eorum ingenia, qui tuum priùs fortasse torserint, quod nisi sobrius fuerit potus, ac tẽperans victus, fieri nequaquã poterit. Ergo vt Salomonis in hoc loco mentẽ penitus exhauriã, existimo illum id homini præcipere, vt in lautissimis, splendidissimisque conuiuiis sic parcè bibat, edatque, vt & obiecta sibi ænigmata diluere, & alia vicissim ipse retorquere possit; id enim summam quandam temperantiam exposcit. Potest etiam hæc translatio ad posteriorem interpretationem referri de militari conuiuio, hoc sensu, cùm ad mensam Imperatoris accitus fueris, *Sapienter intellige quæ apposita sunt tibi*. i. proposita. Quasi dicat, serio meditare, quæ tibi ab Imperatore demandata & significata fuerint, *& inijce manum tuam, sciens quod talia te oporteat præparare.* Hoc est, ad ea perficienda manum adijce, quia ne fidei datæ reus sis, talia continuò exequi debes, qualia ibi promisisti, etiam si vitam mille discriminib. obijcias.

13. Cæterùm quamuis hæc expositio ante alias mihi probetur, tamen alias, atque alias, quas Patres in hũc locum coniecerunt, suspicio, magnique facio. Prima est Ambrosij, qui lib. 1. de Officiis c. 31. sic habet. *Ambros.* *Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet; ideò pulcrè Salomon ait: Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige ea, quæ apposita sunt tibi, & mitte manum tuã sciens, &c. Quem nos imitari cupientes sententias scripsimus, Conferre gratiam bonum est, at qui referre nescit durissimus. Humanitatis exempla ipsa nobis terra suggerit, spontaneos fructus ministrat; quod enim severis, multiplicatum quoque reddit, quod acceperit.* Hæret Ambrosio Cassianus collat. 2. c. 1. qui putat, Salomonem his verbis, ad referendam gratiam in vniuersum adhortari. Optima sanè interpretatio. At, inquies, si hæc expositio accommodata esset, non potentis, aut Principis mensam signatè adiecisset; nam gratiæ relatio priuatis etiam exhiberi debet. Non inficior, sed tamen nescio qua ratione beneficia à Principibus in nos profecta maiores gratitudinis significationes flagitant, tum quia beneficia ipsa digniora esse solent, tum etiam quia Principes in ingratos grauius indignari consueuerunt. Sed cùm audis, *talia te oportere præparare*, non Principem vicissim conuiuio excipiendum esse puta, sed talia, vel obsequia, vel officia erga illum exhibenda, vt acceptam ab eo gratiam aliquo modo exæquent aut compensent.

14. Diuus Gregorius Magnus accommodatitiè magis quàm litteraliter supra locum istum sic lusit, expositionis in lib. Reg. l. 4. *Greg. Mag.* *Armum*, inquit, *manducare est quod exterius de forti actione præcipitur, per propositum in mente recondere. Quasi enim armum ante se ponere, & manducare electo cuilibet suadebat, qui dicebat, Si sederis ad mensam potentis, sapienter attende quæ apposita sunt tibi, quia similia oportet te præparare.* (Sic ille extulit hunc locum, sequutus translationẽ Septuag.) *In mensa quippe potentis, virtutem armi designauit, & dum dixit, Sapienter attende quæ apponuntur tibi, armũ ante te eum, cui dixit, ponere docuit: sed manducare eum debere insinuauit, quia dixit: Similia oportet te præparare: similia enim præparando manducamus, quia dum fortia quæ audimus, proponimus agere, velut comedentes in ventre cordis reponimus cibos vitæ.* Hactenus ille, qui similia præparare his quæ accepit, hoc esse dicit, vt qui armum, verbi gratia, comedit, armum etiam, hoc est, robur in se exprimat, ita vt profectus animi his respondeat, quibus aliquis refectus est. Quod ad Eucharistiæ sumptionem, de qua locum istum acceperunt Patres infra citandi, aptè admodum accommodari potest hoc sensu. *Talia te oportet præparare*, quia talia sumpsisti: si enim qui armum sumpsit, armi robur in se ipso exprimere debet, iuxta Gregorium, ergo qui totum Christum in Eucharistia percipit, totum identidem Christum in se ipso adumbrare, & moribus suis referre debet, vt scilicet cibus, animique profectus inter se congruant: sed de hoc postea.

15. Hæc autem Gregorij accommodatitia expositio aliam mihi offert, quæ à littera non longè abit. Succedat igitur memoriæ id quod olim apud veteres vsuuenit

vſuuenit in conuiuiis,vt ſcilicet ipſimet cibi, quibus conuiuæ in menſis lautiſſimis honeſtabantur, myſtici eſſent, aliquidque portenderent. Samuel vtique in conuiuio armum quidem deſtinauit Saüli. 1. Reg. 9. vbi ſic Samuel ad Saül. *Ecce comede, quia de induſtria ſeruatum eſt tibi.* Quid autem armus iſte ſibi vellet
Philo Iud. obuium apud authores. Philo Iudæus in Ioſeph, aſſerit ab iſto Patriarcha pectuſculum animantis honorarij loco donatum Benjamin, nimirum vt illum ſibi in pectore & amorib. eſſe ſignificaret: & ſacerdotibus etiam ex victimis pectuſculum cedebat, Leuit. 7. At cuius rei ſymbolum eſſet hoc pectuluſculum vulgare eſt. Apud externos etiam hoc valdè ſolẽne fuit:
Athen. Athenæus lib. 1. *Sunt*, inquit, *in conuiuiis ſui praſtantiſſimus viris honores, Aiaci honoris cauſa longa terga boum afferuntur, ſimiliter & Regibus iiſdem terga boum, quæ ipſi dudum appoſuere.* & rurſus. *Aiacem igitur poſt certamẽ cum Hectore ſuſceptum boum tergoribus Agamemnon honorario ſcilicet præmio donat. Quin & Menelaus dum filiorum ſuorum nuptias celebrat, Telemacho boum terga iuſſit apponi.* Hæc autem dona, ſeu honoratia, Regibus, ac fortibus viris accommodabantur, non quidem ob delicias, (quid enim delicij in bubula?) ſed ob roboris, ac virtutis ſignificationem. De Vlyſſe etiam ſic ſcribit Athenæus. *Vlyſſes de tergo, quod appoſitũ ſibi fuerat reſciſſam partẽ Demodoco dat.* Nimirum, vt innueret illum ad ferendos labores ſocium ſibi affuturum. Ex hoc veteri more natæ quædam parœmiæ: hæ ſcilicet. *Cor ne edito. Linguam ſeorſim incidendam, Fabam & ſalem*, & alia eius generis: lege Parœmiaſten. Ad Salomonem veniamus. *Si ſederis*, inquit, *cœnare ad menſam potentis, ſapiẽter intellige quæ appoſita ſunt tibi.* Et ſcilicet, quæ tibi à Principe honorarii loco donantur, attentè explora, & quid ſignificent expende & adnota, nã *talia te oportet præparare*, id eſt, ita deinceps te oportet agere, vt honorarii à Principe accepti ſignificationem in te ipſo exprimas: nam ſi armũ aut terga, verbi cauſa, miſit, onerũ ſuſtinendorum tibi legẽ indixit: ſi linguam conditam, eiuſdem moderationem præſcripſit; ſi pectuſculum, amicitiæ pacta inſinuauit, & ſic de aliis. (Redeo ad Euchariſtiam.) Si totum Chriſti Corpus in hoc ineffabili Sacramento honorarij loco accepiſti, totum Chriſtum in te ipſo adumbrare teneris.

16. Hæc igitur verba de Euchariſtia exponunt Chry-
Chryſoſt. ſoſtomus, & Auguſt. Eorũ verba libet hîc adſcribere. Chryſoſtom. hom. in Pſalm. 116. ſic ſcribit. *De mẽſa illa inebriati ſunt, de qua dictum eſt, Accedens ad menſam potentis conſidera ea, quæ apponuntur tibi, ſciẽs quod talia te oporteat præparare. Quid eſt, talia te oportet præparare, niſi Corpus & Sanguinem quod accipis? Nã & illi Apoſtoli de ipſo calice inebriati erant, de quibus dicebatur, Hi ebrii ſunt muſto, cùm eſſet hora diei 3. ſed quàm præclarus eſt iſte calix? videte quanta eſt claritas ex paſſionibus Apoſtolorum & Martyrũ*, &c. quibus verbis Corpus ſuum & Sanguinem in relatione gratiæ Domino præparare nihil aliud eſſe dicit, quàm vitam pro ipſo profundere. Luculentius Diuus Au-
Auguſt. guſtinus tract. 84. in Ioan. *Vt quemadmodum Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos debeamus pro fratribus animas ponere. Nimirum hoc eſt quod legitur in prouerbiis Salomonis, Si ſederis cœnare ad mẽſam potentis, conſiderans intellige quæ apponuntur tibi, & ſic mitte manum tuam, ſciens quod te talia oportet præparare. Nam quæ menſa eſt potentis niſi vnde ſumitur Corpus & Sanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? Et quid eſt conſiderare & intelligere quæ apponuntur tibi, niſi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid eſt ſic mittere manum, vt ſcias quia talia, &c. niſi quod iam dixi, quia ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos* A *debemus animam pro fratribus ponere? Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum ſi non inaniter memoriam celebramus, atque in conuiuio, quo ipſi ſaturati ſunt, ad menſam Domini accedimus, vt quemadmodum ipſi & nos talia præparemus.* Subditque Auguſtinus propterea in martyrũ ſolemnitatibus inter Euchariſtiæ myſteria eorundem martyrum commemorationem ab Eccleſia miſceri, vt ipſi nobis à Deo eam fortitudinem exorent, qua ipſi talia accipientes, talia Domino præpararunt. Idem etiam Auguſtinus tract. 47. in eundem Ioann. ſic rurſus ſcribit. *Debitores nos fecit, qui primus ſe exhibuit, ideò quodam loco ſcriptum eſt, ſi ſederis cœnare ad menſam, &c. menſa potentis quæ ſit noſtis, vbi eſt Corpus & Sanguis Chri-* B *ſti: qui accedit ad talem menſam præparet talia; & quid eſt præparare talia? Quomodo ipſe pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Cùm igitur Patres locum iſtum de vſu ſacerrimæ Synaxeos acceperint, & noſtri etiam Eccleſiaſtes paſſim eundem in eo ſenſu vſurpent, libet quidem ex tranſcurſu ſuperiores expoſitiones ad hæc myſteria leniter aſciſcere. Igitur iuxta primam expoſitionem ſupra datam ſic ait. *Quando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciẽ tuam.* Illud imprimis difficile, quomodo quis in Euchariſtiæ vſu cum Principe comedere dicendus ſit. Nã comedere cũ aliquo eſt quidẽ ita apud ipſũ epu- 17.
C lari, vti ipſe etiam qui inuitauit ex eadẽ mẽſa epuletur: certè is qui apud Chriſtũ ex altari Carne & Sanguine ipſius dignè veſcitur, cum Chriſto comedit, Chriſto nimirũ comedente ipſe etiam comedit, nam Corpus, & Sanguinem Chriſti ipſe deuorat & Chriſto viciſſim ſe ipſũ comedendũ offert. Diuus Thom. D. Thom.
in opuſcul. de Sacrament. altar c. 20. cùm præmiſiſſet quoſdã ſic Chriſtum manducare vt ipſi viciſſim non manducẽtur à Chriſto, eos ſcilicet, qui indignè accipiũt, de dignis ſic demũ attexit. *Tertiò circa hunc modũ cõſideranda eſt ratio remanducationis dignè mãducantium, de qua remanducatione dicitur, quod tales mãducãt & manducãtur: & huius ratio eſt, quia dũ Corpus Domini dignè à fidelibus manducatur, nõ ipſum, vt alij*
D *cibi, in manducantem conuertitur, ſed è conuerſo illud verè manducans in illud ſpiritualiter mutatur. Nã manducantem te Dominus ſui corporis membrum facit*, &c. Quod triplici deinde ſimilitudine confirmat, Et quidem ob eam cauſam, vt docuit Bernard. etiam cùm ab vno tantùm Synaxis ſumitur conuiuii nomẽ fert, quia duo ſimul, homo ſcilicet ac Chriſtus, ſe ipſis alterutrum veſcuntur.

Cùm ſederis, inquit, *vt comedas cum Principe*, cibi exhibiti dignitatem, & magnitudinem attentius conſidera, *& ſtatue cultrum in gutture tuo*, id eſt, potius gladium gutture tuo excipe, quã vt indignè ad illud ſumendum accedas: nam gladius gutturi immerſus corpori necem, at cibus iſte ſacer indignè perceptus 18.
E animæ mortem præſentiſſimã affert. *Qui enim mãducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*, &c. Vel aliter iuxta ſecundam expoſitionem ſupra traditam. *Statue cultrũ in gutture tuo*, id eſt, ſi ita indignè percepiſti, puta gladium faucibus tuis adactum: id eſt, interiiſti, occubuiſti, aut etiam cogita gladium te deuoraſſe, præſentiſſimam mortem animo allaturũ tuo. Quid certius? Poteſt etiam aliter de his, qui indignè communicant locus iſte ediſſeri. *Statue gladium in gutture tuo*, id eſt, ſtatutum puta; ſic enim locum iſtum à pleriſque exponi ſuprà decreuimus. Igitur de indignè communicante ſic Paulus 1. ad Corinth. 1.Cor. 11.
11. *Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sãguinis Domini.* At quid ſibi vult reum Corporis,

& Sanguinis Domini esse? Non equidem aliud, iuxta Ambrosium, nisi ipsummet Christū occidere, & neci rursus dare. cui plures alij interpretes adhærent. Ergo iuxta hæc Salomon, cùm indignè, inquit, Eucharistiam sumpseris, cogita gladium in gutture ac faucibus tuis te gerere, quo Christum ipsū illac permeantē traiicis, ac configis. Rursus locus etiam fieri potest expositioni Cardinalis Caiet. supra adscriptæ, *statue cultros in gutture tuo* (sic ipse legit,) id est, non vnū, sed plures in guttur tuum gladios districtos cogita, cùm nimirum ad mysteria illa sumenda accesseris, ea vtique reuerentia accedere debes, quasi te vndique districti gladij multi in fauces intenti circūstent. Præclara isthæc est rerum configuratio, & compositio ad reuerentiam, & timorē notandum, quē fideles ad sacram mensam afferre oportet. Et quidem ita contēplatus est Chrysostomus, qui Corpus Christi in Eucharistia existens magno Angelorum satellitio cinctū esse dicit, qui erga dignè sumentes administratorij Spiritus sunt, erga indignos verò vindices, & vltores, gladios in guttura ipsorum assiduè vibrantes. Ad quem sensum licet vocare illa verba Psalm. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Gustate, & videte quam suauis est Dominus.* quæ de Eucharistia passim accipi solent. Hebr. castrametabitur Angelus Domini, id est, castra sua disponet, & Angelorum magnam manum instruet, vt ex his, qui ad sumendum Corpus, & Sanguinem Christi venerint, defendant quidem dignos, & vlciscantur indignos. Ideò subdit. *Timete Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum.* lege August. in hunc locum.

Psal. 33.

19. Quid plura: iuxta quintam interpretationem, quæ locum istum exponit de oris, ac linguæ moderatione, sic licet commētari. *Statue cultrum in gutture tuo,* id est, tu quisquis es, cui licuit Christi compotorē esse, & Corporis Sanguinisque eius mysteria sumere, guttur tuum veluti adacto gladio obstrue, ne quid deinceps temerè dicas: dedecet enim vt ex ore illo, ac faucibus, quas Christi Corpus aluit, & sanguis perluit, iam inde improba verba effluant: si enim Iob. c. 27 aiebat, *Viuit Dominus, &c. quia donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Quia nimirum, maximam Deo iniuriam irrogari putabat, vt os illud quod ex ipsius Dei beneficio aërem, spiritumque trahebat, aliquod mendaciū etiam leuissimū cōtra illum proflaret. Potiori ergo iure existimandū os illud, quod Corpus & Sāguinē Christi traiicit, ad similem labiorū & linguæ custodiam obstringi. Tantò certè maior est obligatio hinc nata, quantò Corpus & Sanguis Christi aëre isto dignior, ac sanctior: quantò etiam vita illa, quam nobis mysteria sacra propinant eam superat, quæ aëre isto, ac vento continetur.

20. Ad hæc sexta illa expositio, quæ ad temperantiam pertinet, hoc sensu (*Statuit gladium in gutture tuo.* i. guttur immerso gladio confige, ne cibi aut potus modum excedat) potest etiam de Eucharistiæ vsu sic intelligi, vt quemadmodum ea lex cuique præscribitur, vt non plus cibi sumat, quàm id quod calore suo decoquere, nec plus vini hauriat quàm id quod integro capite percolare potest, (huius autem legis seueritas significatur illis verbis, Statue gladium in gutture tuo. i. fauces tuas gladio confode;) ita etiam de mysteriorum vsu fidelibus præscribendum est, vt nō frequentius ex sacro illo pane victitent, quàm deuotionis & charitatis ardor, & capitis, hoc est, mentis cognitione diuinorum instructæ vis patiantur, id verò ea seueritate demandatur, vt gladio, hoc est discretione spirituali, gutturis auiditatem, siqua est, castigent, & coërceant.

Rursus illa etiam septima interpretatio, quam cæteris prętulimus de sermonibus inter cœnandum serendis, eo sensu, *statue cultrum in gutture tuo*, id est, linguam & verba tanquam gladium exacue, aptissimè ad sacratissima Eucharistiæ mysteria conuertitur, si dicamus Salomonem sacerdotes, ac presbyteros affari, quasi dicat. Tu quisquis es, ô sacerdos Dei conuiua, considera attentè quæ apposita sunt tibi, scilicet consecrationis germanam materiam, panem videlicet ac vinum, & statim linguam distringe, verba exacue & elima. Quorsum hæc? vt Christum immoles: nā vt præclarè obseruauit Theologiæ Scholasticæ decus Gabriel Vasquez, qui de Eucharistiæ incruento sacrificio omnium optimè speculatus est, verba consecrationis ad instar obtinent gladij, aut cultri, qui Sanguinem Christi à Corpore quodammodo dirimit, videlicet significatione sua, nam ex vi verborum (vt aiunt) Sanguis quidem sub speciebus panis vini, & Corpus sub speciebus panis veluti discreta significantur. Ad extremum vltimam illam Vulgatæ lectionis interpretationē quæ à militari cōuiuio petita est, Eucharistiæ adaptare procliue est, ita vt Salomon suadeat dignè illam sumentibus, vt sicut duces ab imperatore suo militari epulo excepti, ne fidelitati, quam Christo debent, aliquo modo desint, quibuslibet periculis, ac discriminibus vitæ salutisque caput ac guttur offerant. 21.

Denique de translatione LXX. quam Patres in specie de hoc mysteriorum vsu acceperunt, quorum verba supra dedi, vltra ea quæ supra diximus, aliquid præterea subscribere libet. *Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apposita sunt tibi.* i. sacra illa mysteria, & latentem sub his Christi Carnem & Sanguinem mente concipe, quasi dicat, vltra ea, quæ oculi obeunt, gustus percipit, manus tangit, & reliqui sensus experiuntur, mente progredi opus est, id sibi vult illud. *sapienter intellige.* i. de hoc cibo non sensus, sed mens tua decernat: subdit.

Inice manum tuam sciens, quod talia te oporteat præparare. Quid est *inice manum tuam?* id est, illam in has epulas mitte. Manu quidem prius capiendus est cibus iste, ac deinde ore libandus. Docuit hoc exemplo suo Christus Dominus, qui *Accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, & manibus quidem in suum ipsius, ac discipulorum suorum ora transtulit. Quod ad mysticam significationem sic traduxit Augustinus, Prius quidem in sanctas manus accipit panem, innuens manus, hoc est, opera emundanda & sanctificanda esse antequam sacer ille cibus ore sumatur: ita vt in manibus, id est, in sanctis operibus per morum imitationem prius sit Christus, deinde verò è manibus ad os transeat. Vnde August. in Psalm. 33. illius titulum de Christi præsentia in Sacramento exponens, & illa verba expendens, *quando immutauit vultum suum coram Achis*, Historiam ex lib. 1. Regum cap. 21. libat, vbi sic habetur secundùm translationem LXX. *Affectabat, & tympanizabat ad ostia ciuitatis, & ferebatur in manibus suis, & procidebat ad ostia portæ:* & deinde inter alia huius Sacramēti mysteria id numerauit, quod Christus seipsum in manib. portauerit, sic enim ait. *Quomodo ferebatur in manibus suis? quia cùm commendaret ipsum Corpus suum, & Sāguinem, accepit illa in manus suas: quod norunt fideles, & ipse se portabat quodāmodo cùm diceret, Hoc est Corpus meum.* in prima autem concione sic ait. *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait, Hoc est Corpus meum. Ferebat enim illud Corpus in manibus suis, ipsa est humilitas D. N. Iesu Christi, ipsa multū commēdatur hominibus ad ipsā nos adhortatur, fratres, vt viuamus, id est humilitatem* eius 22.

1. Reg. 21.

August.

eius imitemur. Nimirum, vt quemadmodum ille semetipsum in manibus suis, sic etiam nos in nostris per operum imitationem eundem geramus; hæc est enim August. sententia in eo loco. Ergo iuxta hæc Salomon, *iniice*(inquit)*manum tuam*, id est, sacras illas epulas, & sanctum calicem manu sume, & inde ad os transferto.

23. *Sciens quod talia te oportet præparare.* Quænam isthæc talia, aut similia, quæ hominem præparare oportet? supra ex diuo Thoma diximus, hominem Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi dignè percipiétem, *manducare*, quidem, & vicissim, *remanducari*(hæc enim germana illius verba, quia scilicet ipse Christũ manducans, à Christo ipse vicissim manditur.) Ergo ait Salomon, hanc sibi legem conuiuæ indictam putent, vt qui ab altero lautè exceptus, pari spleudore apparatum conuiuium exhibẽs, gratiam reddat: Ergo quicumque ille est, cui Christus tam splendidam, lautamque sui Corporis & Sanguinis mensam instruxit, consideret, *quod talia ipsum præparare oportet*, vox illa *talia*, similitudinem, non æqualitatem sonat, vt constet eam in rem homini præcipuè enitendum esse, vti similem ad modum se cõdiat & temperet, quo Chrystus in Eucharistiæ Sacramento semetipsum temperauit atque cõdiuit, quo eidem Christo gratum aut ipsius epulum præbeat. Augustinus ergo & Chrysostomus, quorum verba supra dedi, hanc similitudinem in eo ponunt, quemadmodum Christus pro fratribus vitam profudit, ita vicissim homo pro Christo, aut etiã pro fratribus emori velit, id quidem martyribus proprium est, de quibus Augustinus. *Hoc* inquit, *beati* (August.) *Martyres fecerunt, talia enim Domino exhibuerunt, qualia ipsi de Domini mensa perceperunt.* Sed tamen ad alios etiam, quibus pro Christo mortem appetere non datur, simili sensu hæc verba transferri possunt, non tantum ita vt de animi præparatione ad mortem Christo exantlandam accipiantur, nimirum vt alia præparare dicantur non rei ipsâ, sed animi præparatione, proposito, & conatu(vt accepisse videtur Augustinus loco citato.) Etenim animi præparatio: & propositũ Martyrij. Martyriiq; meritum habet, teste (Chrysost.) Chrysostomo Homilia in Psalm. 95. *Martyriũ*(inquit) *fratres, non euentu tantũ æstimatur, sed anima etiã proposito, non cùm martyr decollatur, tunc fit martyr, sed ex quo propositũ ostendit profitendi, martyr est, etiam si non patiatur quæ martyres solent*, Sed aliã etiã valdè adsimili ratione. Christus enim ita se ipsum in hoc sacramento condiuit, vt in ipso sacrificium quoddam incruentum absoluerit; nam, vt supra dixi, verba ipsa consecrationis ex vi suæ significationis gladij in morem à corpore sanguinem secernunt: hic enim sub speciebus vini, illud verò sub panis accidentibus ex vi(vt aiunt) verborum succedit. Ergo pari modo Christum imitatus qui huius mensæ particeps fuit, non cruentum, sed incruentum quoddam martyrium in semetipso adumbrare debet.

24. (Bernard.) Sunt autem huius generis non pauca martyria ex quibus tria enumerat Bernardus in sententiis. *Martyrium sine sanguine triplex est, parcitas in vbertate, quã habuit Dauid & Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias, & vidua; castitas in iuuẽtute, quã vsus est Ioseph in Ægypto.* Adde etiam Chrysostomum, qui nobile martyrij genus patientiæ, ac tolerantiæ tribuit. Nam Homil. in Psalm. 127. sic habet. *Fer ergo forti, ac generoso animo quæ accidunt, hoc enim est tibi martyrium; non enim eum qui sacrificari iubetur, non sacrificare, sed potius dilaniari & excarnificari, quàm hoc facere, solum facit martyrem; sed etiam dum dolor impellit ad blasphemandum, toleranter ferre laborem, & nihil turpe, & honestum dicere, facit martyrem.* Rursus probitatis, & honestatis diuturnam exercitatio-

A nem martyrio non carere decernit idem Chrysostom. (Chrysost.) Homil. in Psal. 95. *Excitatio*(inquit)*pietatis quoddam est sine sanguine martyrium, hoc est testimonium euidens ac professum, & quomodo? Audi & considera. In omni tribunali quid aliud martyri proponitur, quam vt abnieget Deum? at dum aduersus hanc propositionem decertat, manifestam arripit coronam martyrij. Super hos verò sanctos qui sine sanguine passi sunt, est vtique pro iudice ac tribunali ipsa conscientia, in quo iustitiam tueri, & à Deo numquam deficere martyres facit.* Hæc ille, cuius extrema verba de industria perstrinxi, Adde etiam Augustinum, qui aliud martyrij incruenti genus (August.) agnouit Nam Serm. 46. de sanctis sic scribit. *Non martyriũ sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat pal-*

B *mam exustio illa flammarum: peruenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam, Absque iniuriâ sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superasse, auaritiæ restitisse, de mundo triũphasse, pars magna martyrij est.* Et de Tempore serm. 250. sic rursus scribit, *Nemo dicat, fratres charissimi, quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possunt: habet enim & pax nostra martyres suos, nam sicut frequenter suggessimus iracundiam mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyrij est:* Hinc est vt huius martyrij incruenti occasiones obuiæ valdè sint, lege Chrysost. Homil. 3. in prio- (Chrysost.) rem ad Thessalon. ab illis verbis. *Præsens quoque tẽpus*

C *habet coronas*, & ex pluribus hæc accipe de morborum tolerantiâ. *In morbum incidisti, & multi adsunt qui cogunt, alij quidem incantationibus, alij amuletis, alij verò quibusdam aliis superstitionibus sedare malum. Tu verò propter Dei metum forti animo tulisti, & maluisti quiduis pati, quàm sustinere, vt aliquid ageres impium. Hoc tibi affert coronam martyrij nec dubita. Quomodo, aut qua ratione? Sicut ille fert dolores tormentorũ, ita tu quoque fers dolores morbi; at sunt illi vehementiores, sed isti longiores, sæpè autem sunt etiam vehementiores. Quid enim cùm febris ardens, nempe Causon te intus vexat, & vrit, & aliorum suadentium excutis incantationem, an nõ es redimitus coronâ martyrij?* Hactenus ille, vbi plura etiam subinfert alia martyriorum genera. Legẽdus

D ibi, nec non etiam in 2. ad Corinth. Homil. 50. ab illis verbis, *Martyrij tempus nunc non adest? imò nunquã illud abest*, &c. Cùm igitur tot, tamque obuia incruenti martyrij genera sint, quibus se homo in dies mactare & immolare potest, haud difficile erit ei, qui in magnifico Christi conuiuio incruenti sacrificij particeps factus est, *talia ipsi præparare*, se nimirum ipsimet Christo sine sanguine vicissim immolatum liberare.

Et quidem ad hunc sensum allici potest Vulgata 25. lectio, *statue cultrum in gutture tuo*, idest, vbi sacris illis mysteriis pastus fueris, statim gladium gutturi tuo infige, te ipsum aliquâ ratione macta, & sacrifica, vt vicem compotori tuo reddas: vel, vt alij re-

E stituunt, *statue cultros in gutture tuo.* Quasi dicat, cùm non vnum martyrij genus sit sed plura, & diuersa, hoc Christo Domino compotori tuo te debere existima, vt si fieri possit omnia experiare, atque adeò non vnum, sed plures in iugulum tuum cultros exacuas. Denique quia supra modum describens, quo Christus in hoc diuinissimo Sacramento immolatur, dixi verba consecrationis ad instar gladij obtinere, qui sanguinem(in quo animam contineri putamus) corpusque significationis suæ vi ab inuicem dirimit, accipe aliud huic valdè adsimile sacrificij genus, quo licet Christo Domino *talia præparare.* Audi Paulum: *Viuus est*(inquit) *sermo Dei & efficax,* (Hebr. 4.) *& penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum*

quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Ergo qui hunc Dei sermonem in se ipso excipit, & omnia, quæ ille aut præcipit, aut suadet, exequi contendit, incruentũ Christi sacrificium in se perfectissimè adumbrat, nam illi sermo iste viuus & efficax pro gladio est, qui ad viscera vsque penetrans animam à corpore separat, nimirum carnalia ab spiritualibus secernit, hominem scilicet à carnalibus reuocat, & ad spiritualia traducit, quod incruentæ cuiusdam hostiæ præcipuum genus est.

26. Sunt etiam alia, quæ homini imitari licet circa modum, quo se ipsum Christus in Eucharistiâ præparauit, ac condiuit. Nam primò in Eucharistiâ se ipsum Christus vini, ac panis speciebus contexit. Huc transtulit Diuus Thomas in opusculo de Sacramento Altar. c. 8. illa verba Isaïæ. *Verè tu Deus absconditus*, vbi alia lectio habet, *verè tu Deus absconsionum, quia non vnam rem tantum in Eucharistiâ abscondit* (ait Diuus Thomas) *sed plures, scilicet personã suam, opus, & modum.* Celauit quippe personam, quam ab humanis aspectibus eripit; opus etiam texit, quia Christi ad synaxim adductio nullo exteriori argumento innotescit, ac demum modum occultauit, quo in ipso Sacramento post adductionem existit. Quid inde? subinfert D. Thom. *in his discimus, in nobis quoque tria virtuosè abscondi, nostram personam, opera nostra bona, & bonorum operum intentionem.* Ergo sic se homo condiat, vt Deo pergratum sui ipsius epulum præbeat. Heu quantum ab hoc temperamento abhorrent, qui vanâ inducti gloriâ sæpiùs communicant, quique ad communionem frequentissimos hominum conuentus captant, & commentitiam quandam animi deuotionem externis gestibus vbique simulant. D. Thom.

27. Secundò, obseruandus est modus, quo Christus sub vini ac panis accidentibus transit, scilicet per conuersionem; nam substantia panis, ac vini, in Christi Domini Corpus, & Sanguinem, seruatis tantummodò accidentibus, migrat, adeò vt licet vinum, panisque ad speciem appareat; non tamen panis, aut vinum, sed Corpus ac Sanguis Christi fit. Ergo qui semetipsum sic temperare studet vt Christo suauẽ sui cœnã instruat, conuersionẽ hanc æmulari debet. Idẽ D. Thom. in eodẽ opusc. c. 32. modum præscribit his verbis. *Cùm irrationalis creatura, scilicet panis, per verbũ Dei conuertatur in Corpus Christi, quanta erit peccatoris duritia, vel iusti frigiditas, qui multis verbis, ac Spiritus sancti operationibus ad conuersionem nõ perducuntur?* ad conuersionem, inquam, ex peccatore in iustum, aut ex iusto fortasse in iustiorem. At, inquies, duas istas conuersiones ab illa panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Christi conuersione plurimũ abhorrere; occurrit Hilarius, qui vtramq; conuersionẽ adeò cõsimilẽ existimauit, vt ex peccatoris cõuersione ad sacramentalẽ transsubstantiationem innuendã exemplũ ducere haud dubitauerit. Ex Hilario autem verba transcripsit, & in quandã ad conuersum Epist. coniecit Eugen. Pontif. quæ sic habent. *Vt id quidem non tibi nouum, non impossibile esse debeat, quod in Christi substantiam terrena substantia conuertatur, te ipsum interroga, qui præteritâ vilitate depositâ subitò nouã induitus es bonitatem in exteriori nihil additum, & totum est in interiori mutatum.* Quid illustrius? sic ergo rependenda Christo tanti conuiuij gratia, vt homo cõuersionem illam in seipso exprimat, qua Christus in eo Sacramento vsus est, adeò vt quemadmodum post conuersionem Eucharistia, etsi ad speciem panis appareat, non iam panis, sed Christi Corpus existit: ita etiam homo quilibet post conuersionem, & mutationem morum, etsi ad externam etiam speciẽ homo esse, & humanam vitam agere videatur, tamen penitus Christus fit, & Christi vitam degat, ita vt possit Hilarius.

A illa Pauli verba vsurpare Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus.* Quasi dicat, viuo quidem ego ad speciem, sed tamen penitus non ego ipse in me, sed Christus agit ac viuit; Atque hoc sibi volunt illa verba Christi apud Ioan. c. 6. *Et qui manducat me, & ipse viuit propter me.*

Denique ad hunc sensum vocari potest translatio Vulgata iuxta interpretationem Hugonis qui sic ait. 28. Hugo. *Statue cultrum in gutture tuo, vt iuguletur scilicet vetus homo in te, ac nouus, hoc est Christus, viuat.* Quod per confessionem peccatorum, quam ante communionem præmittere oportet, fieri docet Hugo, huic enim conuersio peccatoris tribui debet. Neque verò existimandum est hanc hominis conuersionem in Christum, quam fideles sacra libantes æmulari debent, internam prorsus esse, atque in animo dumtaxat perfici, nam corpori etiam propria quædam conuersio respondet, per quam dignè communicantium corpora in Corpus Christi migrare, & in vnam carnem misceri dicuntur; de quâ corporali vnitate Chrysostomus, Cyrillus, Nyssenus, & alij Patres multa contulerunt, atque adeò hîc supersedendum duxi. Bene Ergo Salomon. *statue*, inquit, *cultrum in gutture tuo*, vt scilicet tuum ipsius corpus hoc vulnere cadat, & Christi deinceps Corpus induas, sicque præceptum illud ad amussim expleas, *sciens quod talia te oportet preparare.* Nam quemadmodum in conuersione Sacramentali substãtia panis interit, & loco illius Christi Domini Corpus subit: ita etiam in hac tua corporali conuersione corpus tuum demortuum (vt ita dicam) æstima, ac pro illo Christi Corpus fœlici admodum vicissitudine subrogari.

Tertiò, animaduertere licet eâ ratione semetipsum Christum in hoc Sacramento temperasse, vt totus in tota hostia sit, & totus in qualibet illius parte; id sibi vult Prosa cùm ait. 29. *Fracto demum Sacramento ne vacilles, sed memento tantùm esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Et rursus. *A sumente nõ concisus, non cõfractus, non diuisus, integer accipitur.* Itaque non ideò Christus Dominus se ipsũ in hoc Sacramento occuluit, vt hominem aliqua sui parte fraudaret, quin imò eâ se ratione cõtexit, vt non posset nõ totus, integerque ab homine deuorari. Hoc igitur beneficio obstrictus Bonauẽtura sic addit. Bonauent. *Dominus indiuisum, & integrũ Corpus suũ obtulit mihi, malè ergo diuidor, & vel minima mei parte illum defraudo.* Ergo quicumq; vollet Christo cõpotori suo huius gratiæ vicem reddere, & *talia illi praparare*, qualia ab ipso accipit, sic seipsum etiam tẽperare debet, vt nihil illũ in partes dissecet, aut in frusta diuidat, nihil, inquã, vetet quominus indiuisũ & integrũ sese Christo restituat, ne videlicet in illum quadrare possint illa Pauli verba 1. ad Cor. 7. 1. Cor. 7. *Qui cũ vxore est, sollicitus est quæ sunt mũdi, quo modo placeat vxori, & diuisus est.* Sed dices fortasse ob eã rationẽ ab istius mẽsæ nimia frequentia esse arcẽdos cõiugatos, quia hi integri, & indiuisi esse nõ possunt, aut certè docendũ esse, qua tandẽ arte hoc fiat vt coniugati Christi indiuisionem imitentur. Audiendus est Gregorius Nazianzenus, qui postquàm matris suæ Nonnę mirabile erga Eucharistiam studium, & obsequium exposuit his verbis. *Hoc illi quoque ad laudem magnum sit, quod veneranda mensa nunquam terga obuerterit, neque in diuinum pauimentum expuerit*, &c. Postquàm etiam dixit illam frequentius cælesti pane vti solitam, sic statim addit. *Rem enim suam domesticam industria sua ita auxit, quasi pietatem colere nesciret, Deo antẽ, ac diuinis rebus ita se addixit, tanquã à rerũ domesticarũ procuratione plurimũ abesset, nec ab alterutro horũ impedita est, quominus alterũ impleret tota in domesticis, & tota in diuinis.* Ecce quomodo Nonna tota in toto, & tota in qualibet officij sui

parte

parte erat, atque adeò nihil ipsius animum partiri, aut in frusta secare poterat. Et quidem ideò tota in diuinis fuisse dicitur etiam si magnam curæ partem in domesticis poneret, quia domestica etiam propter Deum administrabat, cui se pergratum facere credebat, si eam officij sui partem sedulò expleret, ac rursus in domesticis tota erat, etiamsi præcipuam suæ sollicitudinis partem diuinis impenderet; quia tùm etiam quãdo agebat cum Deo, de suæ domus ac familiæ gubernatione cum eodem conferabat, & ad illam bene gerendam gratiam, & auxilia exorabat. Cùm igitur tanta esset in Nonnæ animo integritas, & indiuisio, hinc sanè fiebat, vt quotidie sacro illo conuiuio dignè admodum perfrui posset, vtpotè quæ talia Christo Domino præparabat, qualia ab ipso quotidie acciperet. Nam quemadmodum illa totum in toto, & totum in qualibet panis particula existentem Christum sumebat, sic vicissim se ipsam totã in toto, & totam in qualibet officij sui parte existentẽ Christo offerebat. Hæc (ni fallor) eximia est animi præparatio, quam hi quorum arbitrio panis cælestis distributio credita est, in primis obseruare debent in his, quibus frequentioris vsus copiam indulgent, an scilicet curæ, ac solicitudines rerum externarum eorum animum distrahant, an potius inter omnes rerum externarum curas animus integer, & indiuisus persistat, nam Christus quisse homini totum, & insectum exhibet, totum etiam, & indiuisum hominem exposcit.

29. Sed tamen, vt modos omnes percurramus, quibus Christus in hoc Sacramento seipsum temperauit, quarto loco obseruat Diuus Thomas Christum Dominum, pro vt est in Eucharistia, nullius externi agẽtis vim, aut iniuriam sentire posse. Vnde Cyprianus in serm. de Cœna Domini, *Distributus* (inquit) *non dimembratur, incorporatur, non iniuriatur, cum infirmis habitans non infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur*, &c. Arduum sanè ac difficile est hoc Christi temperamentum æmulari, sed tamen gratiæ acceptæ relatio id exposcit, *Sciens quod talia te oportet præparare*. Diuus Thomas in eo opusculo impassibilitatis æmulandæ modum tradit his verbis. *Christus in Eucharistia à nullo externo agente pati potest, non ab igne, non ab aqua, non à gladio, &c. tu ergo cùm non possis esse impassibilis, esto saltem, cum quadam impassibilitate patiens*, idest, sic patere, vt quodammodo impassibilis esse videare. Sed quænam est hæc laborum, & iniuriarum patientia impassibilitatis æmula? non alia quidem nisi illa, quæ sanctos viros inter laborum, & ærumnarum molestias alacres, ac lætos reddit. Hinc Cyprianus in præfato sermone, rationem afferens, ob quam Christus in hoc Sacramento suæ passionis memoriam in dies refricat, sic addit, *Vt semper passio sit in memoria, nec terreant crucifixi hæredes mortis supplicia: inebriati enim non habentes sensum huius mundi cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam*. Proinde illa verba, *non habentes sensum huius mundi cruci hæremus*, insensibilem hanc laborum tolerantiam innuere videntur, de qua nobis sermo est: Quasi dicat, his pasti Sacramentis perinde crucem, hoc est, labores, & dolores læto animo amplectimur, ac si prorsus insensibiles, & impassibiles essemus.

D. Thom.

Cyprian.

30. Quinto, denique circa modum, quo Christus Dominus semetipsum hominibus in hoc Sacramento cõdiuit, obseruandum est, id, quod docet Sanctus Thomas 3. capite quæst. 26. art. 6. Christum, prout in hoc Sacramento per diffinitiuam præsentiam adest, nullum externorum sensuũ vsum habere, quia nec oculi, pro vt ibi sunt, vident, nec aures audiunt, nec nares odorẽ captant, nec reliqui sensus sua munera exercẽt. Consideret ergo ille, qui Christo gratiã hanc repẽdere optat, *quod talia illum oportet præparare*, atque adeò sensus omnes suos ita seruare, & obstruere, vt, si fieri potest, nec oculi adspiciant, nec aures inaudiant, nec sensus reliqui proprias operationes exequantur. Et quidem si huius diuinissimi Sacramẽti formam, & naturam attentiùs consideres, facilè agnosces illum ad omnes sensus fallendos esse inuentum; nam oculi, verbi causa, panis colorem adspectant, gustus panis saporem percipit, nares odorem etiam panis captant, manus item panem tangere sibi videntur, sed tamen omnes illos deludi fides suadet, quæ non panem, sed Christi Corpus sub speciebus panis subesse affirmat. Quorsum hæc? nimirum vt constet hoc Sacramentũ ad coërcendos, castigandosque sensus fuisse excogitatum, atque adeò his quibus illo perfrui licet, nihil antiquius esse debere, quàm vt sensus suos propriis obiectis assiduò fraudent, eosque seuerè admodùm obseruent Hinc sanctus Doctor in prædicto opusculo expendit dæmonis astum, qui cùm Euam in peccati consensum impellere vellet, sensus illius exacuit, ita enim habet textus sacer, *Vidit ergo mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, & aspectui delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*. Contra verò Christus Dominus cùm homines ad Eucharistiam inuitat, non acuit, sed hebetat, atque obtundit omnes sensus, illosque fallit ac deludit, vti doceat inordinatum eorum vsum mortem homini adducere, atque eorundem seria castigatione vitam, & salutem contineri.

Interim etiam in hoc Sacramento omnem seruandorum sensuum rationem tradidisse videtur Christus Dominus, partim quidem in suis, partim in nostris; nam in suis, quos in hoc Sacramento sic coërcuit, vti propriis muneribus nequaquàm fungerentur, docet etiam nostros similem ad modum coercendos, & suis etiam functionibus defraudandos esse: in nostris autẽ, quos externis panis ac vini accidentibus fefellit, docet pari quoque rationẽ à nobis fallendos, & eludendos esse, ita nimirum, vt quemadmodum tunc cũ oculi panem adspiciunt, fides illos erroris insimulãt, & cùm gustus panis saporem percipit, illum etiam aberrare fides decernit, & non panem, sed aliquid aliud esse renunciat, & sic de aliis: eandem etiam nos cohibendorum sensuum rationẽ ineamus, sic scilicet vti cùm oculi, verbi causa, formæ pulchritudinem intuentur, animisque amorem inspirant, accedat vtique mens, & ratio, atque eorum errorẽ coarguat, docens eam non esse veram, sed apparentem elegantiam, & delitescentẽ sub externa illa specie deformitatem detegat. Rursus cùm gustus delicatus epulas, & ciborum cupedias impensè appetit, succedat etiam ratio, illumque erroris appellet, suadens ex delicatis cibis non veram, sed leuem falsamque ocyùs in dolorem, & angorem commutandam voluptatem captari, & idem de reliquis sensibus iudiciũm esto. 31.

---

3. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.*

NE desideres, &c. Lis est inter expositores non leuis, quam in superiori versu transegi, an versus iste initium capiat ab illis verbis: *Si tamen habes in potestate animam tuam*. Et quidem inibi dixi eorum sententiam præferendam esse, qui hæc verba cum superiori oratione connectunt, quia ita suadet originalis textus eo modo quo nunc dispunctus est. Cæterùm quia Sept. interpretes in oppositam sententiã pendent, mihi etiam probabilis videtur, atque adeò vtramque textus conformandi rationem explanare decreui. Ergo Sept. sic habent: *Si autem insatiabilis es, noli* 32.

ipsum erigere, & diuiti æqualem præbere. Potest autem de pauperis fastu, aut etiam de sumptibus accipi. Si enim de fastu intelligatur, sensus erit, Si pauper es, spiritus comprime, neque diuiti supparem frustra te exhibere velis, *sed consideratione tua abstine*, atque illi, necessitate inductus, cede, & primas defero, Deus enim pauperem superbum odio habet. In Græcis est, παρεκτείνου, ex verbo παρεκτείνομαι, quod, Budæo teste, est, *cum alio simul extendi*, & alterius magnitudinem assequi, atque adeò sensus est; Ne te supra conditionem tuam extendens, aut producens, ad diuitis magnitudinem peruenire velis, nam ex nimia contentione fatisces. Si autem de sumptibus sermo sit, sensus quidem sic conformari debet, *ne extendas te, cùm sis pauper, ad diuitem*, id est, quandoquidem B pauper es, atque adeo tenuissimas opes reditusque recenses, noli tantundem expendere, quantum alius aliquis opulentissimus vir, quin imò, *consideratione tua abstine*, pro, *consideratione*, in Græcis est, ἐννοίᾳ, quę aliquando in rationum subductionibus locum habet, quasi dicat, bona ac bonorum tuorum reditus supputa, & insanis sumptibus parcens tantundem expende, quantum fortunarum sors patitur.

42. Et quidem παρεκτείνομαι, hìc emphasim habet, Est enim ad verbum, *ne coëxtendas te, cum sis pauper*, nam quemadmodum si quis perbreuem hominem contentis neruis alteri vastæ magnitudinis viro exæquare velit, eum acerbissimè cruciari, aut discerpi necesse est, cuius nerui, & membra laxantur: non aliter C etiam de illo cogitandum, qui cùm pauper sit, ad ditissimi cuiuspiam hominis conditionem, ac sumptus adspirat, Diuitias enim cum neruis contulit Marcus Tullius, cuius verba alibi dedi. Quapropter quemadmodum in ea membrorum contentione, & extensione neruos deficere, & distrahi necesse est, ita etiã per immoderatos sumptus viri inopis non amplam fortẽ perire, & exhauriri oportet. Sed audi miselli istius pauperis cruciatus, qui diuitibus exæquari contendit. Chrysostomus in homilia illa, Quod nemo læditur nisi à se ipso, sic scribit, ***Pauperes dum cupiunt diuitibus exæquari insanabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt, nam idem morbus diuersos singulis generat languores.*** Ad hanc etiam expositionem allicienda est D Chald. paraphrasis, quæ sic habet. *Ne accedas ad diuitem, sed intelligentia tua recede ab eo*, ne scilicet ad diuitis magnitudinem, & gloriam accedere, i. attingere, aut peruenire velis, sed cognita conditione, ac facultate tua, *recede ab eo*, i. infra illum te ipsum cohibe, ac contine. Denique eadem etiam sententia est Complutensis, ac Regiæ lectionis, *ne contendas pauper existens cum diuite*, id est, ne te cum ipso componas, aut vter maior futurus sit decertes, ne inquam per contentionem ad ipsius magnitudinem assurgere velis, &c.

---

5. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum.*

43 NE erigas, &c. Hebræa. *Ne volare facias oculos tuos in illud, & non ipsum, quia faciendo faciet sibi alas sicut Aquila, & volabit in cælum.* Sic locus iste ad verbum efferendus est. Pagninus. *Nunquid illustrabis oculos tuos vt diuitias accipias, & non erunt?* Vatablus. *Nunquid intendes oculos tuos in quod mox non erit*, &c. Chaldæus. *Si alligaueris oculos tuos in eum, nõ comparebit tibi* (videlicet in diuitem, de quo in superiori versu dixerat, *ne accedas ad diuitem*, &c.) ac subdit. *Quoniam faciens sibi faciet alas sicut Aquila,* A *quæ volat in cælum.* Cum Chaldæo concinunt Septuaginta, *Si intenderis oculos in eum, nusquàm apparebit, parata sunt enim alæ tanquam Aquilæ, & reuertit in domum præsidis sui.* Aquil. Symmach. & Theodorus, *& volauit in cælum.*

Antequam huius loci sententiam discutiam, prius definire oportet de quibusnam opibus hìc sermo sit, 44.
ad opes, inquit, *quas habere non potes.* & quidem Primitiua, vt iam præmisi, ad verbũ sic restituenda sunt, *in illud, & non ipsum.* Ergo Caietanus, & Vatablus diuitiarum inconstantiam in vniuersum notari existimant, ita vt sensus sit; *in illud, & non ipsum*, id est, in diuitias quæ modò sunt, & mox elabuntur. Et quidem huic expositioni aptari potest lectio Vulgata, hoc modo, *ad opes, quas habere non potes*, id est, quas diutiùs continere, ac possidere non licet: ea enim habere propriè dicimur, quæ sub nostra potestate cum permanentia quadam sunt, quæ autem ocyus fugiunt, non ita. Iansenius, & Rodolphus ea verba, *in illud, & non ipsum*, de diuitiarum fuga ita accipiunt, vt significent non à possessore migrare, sed ne in potestatem quidem eius venire, atque adeò nostram lectionem sic edisserunt, *ad opes, quas habere non potes*, id est, quas assequi aut capessere non est integrum. Denique alij, mea quidem sententia, longè meliùs de opibus iniustè partis interpretantur, de his enim, quæ iure obtineri non valent, aptè dicimus haberi non posse. Quapropter ea verba, *in illud, & non ipsum*, iuxta hanc acceptionem sic edisserenda sunt, ac si dicat, in rem, & non rem, seu in opes, & non opes; ea enim quæ per iniuriam parta sunt, etsi haberi, & possideri videantur, verius tamen non habentur aut possidentur, quia aliena sunt, & ad alios pertinent.

Itaque tres horum verborum acceptiones sunt, 45.
aut enim significant diuitiarum inconstantiam, quæ apud neminem diutius permanẽt, aut fugacẽ earundem naturam, ob quam difficilè assequi se sinunt, aut denique opes denotant iniustè partas; iuxta quas acceptiones aliæ atque aliæ istius loci interpretationes occurrunt.

Prima quidem ad diuitiarum inconstantiam pertinet hoc modo, *ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes*, in Primitiuis est, התעיף ex radice, *Thaghaph*, quæ significat, volare, & illustrare: hinc nata lectionum diuersitas suprà adscripta. Emphasim habet translatio illa vulgò trita, *Ne volare facias oculos tuos*, &c. oculi hìc concupiscentiam, & immoderatã appetitionem sonant, cui aptissimè volatus tribuitur; est enim concupiscentiæ motus, impetusque ad opes velocissimus. Ergo Caietanus sic ait; Ne oculos, hoc est, concupiscentiam tuam ea contentione, ac velocitate post diuitias moueas, qua aues ad prædam volant, post diuitias, inquam, illas, quæ modo habentur, & mox abeunt; nam cùm eas obtinueris, *Assumẽt sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum.* Hæc verba per comparationẽ sic edisserit Caietanus. Sicut enim E Aquila cælipeta cùm se infernè deposuit obtutibus nostris patet, mox verò vbi in altum reuolat, oculorum aciem fugit, adeò vt dicere possis videri ipsam, & nõ ipsam, quia necdum perspicuè apparuit, cùm statim euanescit. Sic etiam de opum instabilitate, & temeritate decernendum est, ipsas quidem esse, & non esse, quia cùm apud aliquem sunt, nequaquam diu permanent, sed ocyus diffugiunt, & ab oculis se subripiunt. Accipe verba Chrysostomi in Genesim hom. Chrysost.
1. ad illa verba Amos 6. *Tanquam stantia arbitrati sunt, & non tanquam fugientia*, quæ sic expendit. ***Et hæc quidem quasi stantia arbitrati sunt, & remanentia, & non quasi fugientia, & auolantia, & ne ad momentum quidem apparentia. Talia enim sunt omnia humana, & carnalia, nondum rectè aduenerunt, & auolarunt: tale*** *quiddam*

quiddam est vniuersæ huius vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum, &c. Et Homil. in illud, *Astitit Regina à dextris tuis. Cur* (inquit) *diuitias tot captas obsequijs, quæ hodie penes te sunt, euolaturæ crastino ad alium? cur tantopere demereri studes diuitias, quæ detineri non possunt?* De sublimi Aquilarum volatu frustra hîc multa; legendus Albertus, aut etiam Conradus in Aquila, ex quibus Albertus asserit, eam sæpiùs adeò sublimem ferri, vt non hominum modò, sed aliarum etiam auium altè volantium aciem fugiat.

46. Addit verò illam propterea tam celsum volatum attollere, vt, & prædam vndique circunspiciat, & ab aliarum auium sibi aduersarum æmulatione tuta sit, nullique in prædam cedere possit; propterea enim B omnium Regina dicitur, quia nulli acquiescit; & nullam sibi superuolare permittit. Rursus ergo ad trutinam redeat illa lectio Primitiua, *Ne volare facias oculos tuos*, id est, concupiscentiam tuam ad opes inconstantes, & instabiles. *Hæc enim facient sibi alas quasi Aquilæ, & volabunt in cœlum*, atque adeò quantumuis oculi sublimes volent, nunquam certè superuolabunt, aut etiam attingent, sed infra illas erunt; nam Aquila aues reliquas volatus celsitudine longè superat. Quantumuis etiam oculi audaces ad deprædandum sint, ex illis quidem diuitiis altius euolantibus prædam sibi facere non poterunt, quia Aquilæ etiam nullis alitibus in prædam cedunt.

47. Rodol. & Ian. de summa difficultate parandarum C opum, & de ipsarum fugaci natura exponunt locum istum, similitudinem autem conformant ad hunc modum. *Ne erigas* (vel *volare facias*) *oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. i. quas assequi nequaquam poteris, quia *facient sibi pennas quasi Aquilæ*, &c. q.d. Quemadmodum fieri non potest vt Aquilam altissimè volantem oculi post illam emissi assequantur, ac deprehensam ad terrã detrahant, (hæc enim sua velocitate in altissimas aëris regiones subuecta ipsorum etiam oculorum aciem fugit:) Ita etiam impossibile est, vt quis solo habendi desiderio (id enim per oculos notatur) nisi industriam etiam & laborem adiecerit, diuitias sua natura fugaces capessat. Itaque iuxta D hanc expositionem suadet Salomon habendi concupiscentiam cohibere, & industriam acuere, illamque cum hac metiri & componere, ita, vt tantúdem quis diuitiarum exoptet, quantum industria sua nancisci potest: nam sola concupiscentia industriæ expers opes attingere non potest: quemadmodum nec oculi Aquilam fugientem assequi. Concinit autem hæc interpretatio cum extrema expositione superioris sententiæ, *sed prudentiæ tuæ pone modum*. i. terminos industriæ & solicitudinis tuæ tibi ipsi præfige, ita vt nõ plura exoptes quàm solertia tua cõsequi potes. Pende autem emphasim huius sententiæ, Aquila reliquarum auium facilè princeps, & regina est, atque adeo ad opes significandas translata non quascumque modicas, aut angustas fortunas, sed amplas, & ingentes E notat. Ergo Salomon ait, cum oculos, hoc est desideria animi tui, ad opes capessendas emiseris, nequaquam illos ad ingentes, insanasque fortunas captandas coniice: hæ enim tanquam Aquilæ sublimes volant: atque adeò illas nulla hominum industria consequi potest: sed ad modicas potiùs, & sufficientes opes oculos, & animum adiice, has enim qualiscumque solertia facilè deprehendit.

48. Huc spectat illa translatio, *Ne volare facias oculos tuos ad opes, quas habere non potes:* scilicet ingentes & permagnas, quas nulla industria assequi licet. Interim autem suadet, vt ad eas, quas quis habere, & consequi potest, vota emittat sua. Et quidem confert hîc etiam Salomon oculos cum alite aliqua rapaci, & ad prædam edocta, dũ ait. *Ne volare facias*. Rursus etiam monet, vt aucupis prudentis solertiam imitemur, qui non vnam ad omnes, sed diuersas aues ad diuersas prædas soluit, videlicet accipitrem ad columbas, falconem ad perdices, hirofalcum ad grandiores ac fortiores aues: vires nimirum vniuscuiusque obseruat, hisque prædam admetitur, & accommodat; ad Aquilam vero nullam auem prudens auceps emittit, quia nouit illam cæteras vniungues ac rapaces volucres robore suo facilè superare; atque adeò ipsam nulli, reliquas verò ipsi in prædam cedere solitas. Non aliter prudens homo oculos suos. i. vota & desideria tãquam aues ad aucupium edoctas, ad eas fortunarum prædas agendas adiicere debet, quæ viribus suis, hoc est industriæ & solertiæ æquales sint: si enim Aquilam, hoc est, amplissimas fortunas & industriam illius superantes captare moliatur: fiet vtiq; è conuerso, vt ipsarũ illa præda sit. Videmus plures qui cùm ad diuitias industriæ suæ impares conarentur, earum etiam, quas prius solertia sua parauerant, iacturã fecerunt, quia minores copiæ maioribus in prædã concesserũt.

Rursus iuxta hanc diuitiarum secundam acceptionem licet aliter sensum & comparationem cõstruere. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. 49. Diuitium ingenium satis omnibus perspectum est: quò plura obtinẽt, eò plura votis suis prosequuntur, atque adeò nunquam ad eas copias peruenire possunt, quas in votis habent: nam vnius sortis acquisitio, desiderium, & concupiscentiam denuo inflammat. Ergo Salomon vt hanc diuitum insatiabilem appetentiam coërceat, sic ait. *Ne erigas*, seu, *ne volare facias oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. i. ne desiderium habendi, tanquã auem, solutis vinculis emittas: ea enim est huius desiderij natura, vt nullos sibi fines statuat, sed quibusdam partis, semper ad maiora adspiret, atque adeò maiorem sibi assiduò paupertatem, & indigentiam cumulet. Quapropter diuitiæ & copiæ cum hoc habendi desiderio collatæ similes sunt Aquilæ cœlipetæ. quæ, vt supra ex Alberto Magno adscripsi, tam sublimem volatum attollit, vt volucres alias sibi supervolare nunquam permittat: sẽper superior, nunquam inferior. Id sibi vult illud, *facient sibi alas quasi Aquila, & volabunt in cœlo:* quia quantumuis illud habendi desiderium altissimum volatum attollere contendat, vt diuitias sibi subiiciat: semper quidem illæ, Aquilæ in more, sublimius volant. & desideria omnia infra se relinquunt, ita vt nunquam illarum auiditatem exsaturent, sed potiùs habendi famem accendant.

Obseruat autem Rodolphus, & eius indiuiduus comes Iansenius, illa verba, & *volabunt in cœlum*, posse vtique ad diuitias, & ad Aquilas referri. Si ergo, inquiunt, ad diuitias spectẽt *volare in cœlum*, perinde erit atque ad Deum ipsum sese recipere, vt ipse eas pro libito hominibus distribuat: quasi dicat, Diuitiis illis, quas semel Deus homini impendit, nequaquam fidendum est: fallaces enim sunt, & sæpe è manibus nostris elapsæ ad ipsius Dei manus reuolant, vt illas Deus ex animi sententia aliis. & aliis rursus eroget. Vel aliter, diuitias Deus pro sua in homines beneficentia & liberalitate distribuit: atque adeò si quis industria sua fretus ad illas contendat, fugaci sua natura in cœlum euolant, vt sciamus illas à Deo impetrandas, & exorandas esse. Cæterum illa verba, & *volabunt in cœlum*, ad Aquilas spectare mihi exploratum est: cœlum enim ibi superiores aëris plagas notat: in eo autem comparationis energia posita est, quòd Aquila volatum in supremas aëris plagas inferat, ad quas reliquæ volucres pennarum remigiis leuari non possunt, vt ex dictis constat. 50. *Rodolph. Iansen.*

Sed licet præmissæ interpretationes mihi accommodatæ

tamen insatiabilis es. De quo infra. Aquila & Theod. *Et pones macheram in gula tua*, concinunt quippe cum nostris.

4. In hunc locum valdè dissimiles expositiones noui & antiqui interpretes coniecerunt. Ex his autem plerique sobrietatem suaderi putant. Sed non vnus illorum sensus. Aben herza sic ait, *Statue cultrum in gutture tuo, si tamẽ habes in potestate*, &c. i. si ita opus fuerit, cultrum potiùs gutturi immergere oportet, quàm per crapulam & ebrietatem à mente excidere; & quidem haud inepta sententia est: nam per gladium gutturi adactum corpus interit, at per ebrietatem animus ipse velut percusso iugulo cadit, imò etiam totus homo mortuo cadaueri adsimilis redditur. Hilarius in Psal. 121. *Quid*, inquit, *infelicius ebrietatis dominatu sensus rationem adimere, non loqui, non meminisse monstrare, & mortem quandam naturæ incolumi imperare?*

5. Secunda interpretatio sic habet, Si genio ac gulæ indulgere volueris, perinde esse puta, ac si gladium in iugulum moueas, aut deuores. Hæc expositio parum abit à superiori: id tantum inter vtramque dissidij est, quod ipsius autores & patroni, illis verbis, *si tamen habes in potestate animam tuam*, eum sensum subesse existimant. *Si gulæ indulgere voles.* Sic extulit locum istum Vatablus, qui, ni fallor, vocem illam בעל *Bagbal*, quæ hîc subiicitur, non Dominum, sed maritũ, aut coniugem intellexit, ac per animam, libidinẽ accepit, quasi diceret. *Si coniux es animæ tuæ*, id est, si libidini tanquam vxori copulatus & addictus fueris. Inde etiam fluxit (ni fallor) translatio LXX. quæ posteriorem istam clausulam ad sequentem versum accommodans, sic eandem extulit. *Si insatiabilis es*, &c. Itaque sensus loci, iuxta hanc expositionem, sic cõpleri debet; si ad magnificam, & splendidam cœnam inuitatus, gulæ ac voluptati tuæ vxoriâ quadam illecebra obtemperes, perinde facis, ac si gladium in gulæ excipias. Audi Chrysost. hom. 71. in Matthæum, qui vbi gulam cum hydra composuit, sic demum infert. *Nulli enses, nulla hastæ, nihil aliud eiusmodi aduersus ea capita temulentiæ poterit obsistere. Sed Gigantes ipsi ac fortes viri, qui mille præclara gesserunt facinora, absque vinculis, vino & somno ligati, sine vulnere tãquam confossi iacent. Imò verò peius etiam quam confossi, nam illi quidem & si progredi non possunt, aliquo tamen tempore vident fortè, atque intelligunt: hi verò etiam mente capti omni sensu carent.* Itaque sic licet dicere, vinum generosum, & suaues epulæ dum fauces deliniunt, easdem velut occulto vulnere perfodiunt, atque adeò qui illa gutture excipit, gladium & cultrum excipit.

6. Tertia expositio est Caietani, cui hærere videtur Baynus, qui cùm legerit, *Pone cultros in gutture tuo*, sic locum edisserit, *pone*, id est positos, vel intentos gutturi tuo existima: Quasi dicat: cùm ab aliquo Principe conuiuio exceptus fueris, omnia quæ inter epulas inciderint, seu actiones, seu verba summâ attentione adnota, & obserua, & innumerabiles gladios gutturi tuo imminentes cogita, id est, perinde age, ac si guttur gladiis vndiq; circũseptum haberes. Illa autẽ verba *si tamen es herus, aut dominus animæ tuæ*, sic cum superioribus contexit: suppositus, aut obiectus istiusmodi gladiis, non es herus seu dominus vitæ tuæ: tota enim pendet, & in discrimine versatur. Itaque secundùm hanc expositionem Salomonis mens est: Regum familiaritati minimè fidendum esse. Quinimò tunc cùm maximè eorum fauor adspirat, adeò vt id quod summæ gratiæ argumentum esse consueuit, mensæ suæ aliquem consortem faciat, tunc sanè, si sanus homo est, cogitare debet nõ vnũ tantũ, sed innumerabiles gladios gutturi suo impẽdere, nã ita euenire solet, vt inuidia & liuor multorũ gladios in illũ exacuat. Quid certius? Non illepidũ huiusce rei symbolũ sese offert illud Dionysij facinus, qui epulantis parasiti mores pertæsus illi quidem ex prætenui equi corda pendentem in caput gladium imposuit. Hæc autẽ interpretatio inter alias duas facilè princeps est.

7. Quarta verò, quæ pluribus probatur, sic habet. *Pone gladium in gutture tuo*, &c. id est, si fortè Principis conuiuio exceptus es, aduoca mentẽ, & ad ea, quæ tibi obiecta, aut proposita fuerint, cautè responsũ afferto, & ne quod verbũ imprudenter excidat, *statue gladium in gutture tuo*, ad illud videlicet muniendũ, & obstruendũ, id est, verbis tuis exitũ præclude: vel, *statue cultrũ in gutture tuo*, ne aut vini multũ percolet, aut escarũ plurimum traiiciat. *Si tamẽ habes in potestate animã tuã*, id est, si tui ipsius cõpos esse potes: nã vini, & epularũ nimia ingurgitatio loquendi intẽperãtiam afferre solet, & *in vino*, vt aiunt, *veritas est*; quod prouerbiũ experientia adinuenit, ex quâ constat, eos, qui vino incaluerunt nihil secreti, aut arcani cohibere posse. August. enim, vel quisquis ille est, qui sermonẽ scripsit de sobrietate, & castitate. *Quisquis* (ait) *immoderatus conuiuioque medius amissis modestiæ frænis insana fuerit ebrietate prostratus, auersos respicit nutãtes, quos integros videre nequiuit, ac sermone longo superflua verba emittit, & vana dicta cõponit, male clamans, & bene sibi sonãs: & dũ nihil omnino consequitur sanũ, nullo alio cogẽte, præter vinũ, cõmissa secreta in mediũ profert.* Hûc spectat illud Horat. in Arte poëtica.

Reges dicuntur multis vrgere culullis.
Et torquere mero, quem perspexisse laborant
An sit amicitiâ dignus.

Atque eò fortasse spectauit Salomon, cùm dixit, in mensâ Principis temperanter edendum ac bibendum esse, quia videlicet hi ad explorandam suorũ fidem vinum adhibere solent, vt quidquid in animo latet, vino cogente velut extorqueat. Apposita sunt ad hanc rem verba Eratosthenis apud Stobæum. *Vbi vinum hominem subierit, quem conturbat vt Libycum Aquilo, vel Auster, itaque prodit latentia in mentis recessu, animumque vniuersũ cõcutit*, id est, quemadmodũ mare Libycũ tũc cũ Aquilo, vel Auster vndas impulit, algas, & sordes ab imo euertit, & in superficiem trahit: sic etiã vinũ quoties mentẽ cõcutit, animi profundissima arcana foras eructat. Adde etiam illud Theognidis apud eundẽ Stobæum. *Quisquis bibendo modũ superauerit, is non amplius suæ linguæ compos est, neque mentis verba effatur vlla*, &c. & infrà. *Vim mihi facit vinum, animique non sum amplius compos mei.* Sed præstantissima sunt Plinij verba lib. 14. cap. vlt. *Tunc*, inquit, (cùm scilicet à vino caput maduerit) *animi secreta proferunt, alij testamenta sua nũcupant, alij mortifera loquuntur, redituraśque per iugulũ voces non cõtinent, quam multis ita interemptis, vulgoque veritas iam attributa vino est.* Optimè omnium D. Ambros. *Plerique etiam vino vtuntur, vt equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patria statum, salutem ciuium, defensionis suæ prodant consilia: virtus enim plerumque vincit dolorem, fidem autẽ potus excludit. Cognoui plerosque fidiculis exulceratos nomen suum negasse. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?* Ex quibus verbis alia huic expositioni facies affingi potest. *Statue cultrum in gutture tuo*, &c. id est, Conuiuio exceptus magnifico, & regali, cogita districtum gladium in guttur tuum intendi, vt quidquid incautè dixeris, illud præsenti morte luas, atque ea demum ratione tibi temperabis, tuique ipsius semper compos eris.

Sed quamuis hæc satis accommodatè dicta sint, tamen (ni fallor) alia est Salomonis mens in hoc loco, quam vti calleas, memoriâ repetere oportet ea, 8.

quæ

quæ diximus ſuprà in Iſagoge huius comment. de antiquorum conſuetudine ænigmata, problemata, griphoſque inter epulas iactandi. Lege ibi plura de hoc vſu, (piget enim ibi adſcripta reſcribere.) Sed illud imprimis in memoriam veniat quod ex Platon. in conuiuio amoris,& Plutarcho in ſeptem Sapientũ ſympoſio , aliiſque conuiuiorum ſcriptoribus ibi animaduertimus:eos ſcilicet,qui inter epulas,aut ſub epulis aliquid aptè & concinnè à ſe dictum volebãt, vinum valde temperanter haurire ſolitos:eapropter ab eiuſmodi conuiuiis mutuæ propinationes exulare ſolebant , ne quis alium ad bibendum laceſſitum ad ebrietatem fortè cõpelleret.Addo etiam non inſolẽs fuiſſe,vt ſi quis temerè vini tantùm hauſiſſet , vt caput hebes,menſque ad diſceptandũ prõpta non eſſet, vomitũ aliquando medicamẽti loco ſibi ipſe moueret, de quibus omnibus inibi latè diſſeruimus. Illud tantùm his, quæ ibi latè ſcripſi adſcribendum puto, hanc conuiuarum inter ſe de problematibus inuicem percontandis diſceptationem,pugnæ nominibus notari. Dicitur enim paſſim apud auctores conflictus, pugna,concertatio,prælium,vt fuſè etiam docuimus in cap.2.Cant.v.5.His prælibatis ad Salomonis mentem eruendam veniamus.

9. *Quando ſederis vt comedas cum Principe.* Obſerua interim verbum illud *ſederis*:nam ſi antiquitatũ monumenta euoluas, inuenies profectò veteres conuiuia celebrantes in lectulis aut toris diſcumbere ſolitos:nil certius : Sed tamen conſtat aliquando etiam veteres non diſcumbere,ſed conſidere ſolitos in cœnis,tunc ſcilicet cùm frugalis, ac ſobria erat menſa, & cùm militares epulæ agebantur(vt ſtatim dicam.) Atque eam ob cauſam Homer. Heroas in conuiuio non diſcumbentes , ſed aſſidentes inducit , vt notat Athenæus lib.1.vbi ſic ſcribit.*Sedebant in cœnis apud Homerum Heroes,non accumbebant.Qui mos,vt inquit Bieris, etiam interdũ ſeruabatur apud Alexandrũ Regem:is enim aliquando quadringẽtos Duces in ſellis aureis ſedentes conuiuio excepit.* Rationem verò ſtatim attexã.Seruius etiam in lib.7.Æneid.ſic habet. *Maiores,*inquit,*noſtri ſedentes aliquando epulabantur*(ſcilicet temperantiæ gratia) *quem morem habuerunt à Laconibus,& Cretenſibus,*&c. Ego verò ita reor in his conuiuiis in quibus ſapientes conuenerant,vt de aliqua re ſeriò diſceptarent,& problemata, aut griphos diſcuterent,conuiuas non accumbere,ſed ſedere cõſueuiſſe:atque ea demũ cauſa afferri poteſt,ob quam Alexand.quadringentis Ducibus ſellas dedit, quia in eo conuiuio multa ad bellum ſpectantia inter ipſos agitanda erant. Puto enim illud fuiſſe epulum militare,ex his,quos Imperatores ante prælium ducibus exhibere ſolebant,vt & illos ſibi obſtringerẽt,& belli inferendi rationem omnem cum eiſdẽ conferrent. Sedebant autẽ conuiuæ cũ ſerium aliquid inter epulas miſcendum erat,vt mens eſſet vegetior & promptior; nam vinum accumbentium capita longè facilius tentat,quàm ſedentium.Eapropter Xenophon in ſuo conuiuio ſedentes inducit conuiuas:& Plutarch. etiam in ſympoſio ſeptem Sapientum,ſed illis tradit, non toros,aut lectulos; quã in re mihi defeciſſe videtur Plato,qui in ſuo conuiuio diſcumbentes producit Socratẽ, Ariſtoxenum,& alios. Quorſum hæc? vt conſtet aptè admodum hîc additum à Salomone. *Quando ſederis, vt comedas cum Principe:*Nam ſermo eſt de conuiuio illo,in quo veteri more problematibus & griphis conuiuarum ingenia torquere,ac periclitari oportebat,eapropter ſedere dicitur,non autem diſcumbere.Subiecta verba id comprobant.

Athen. Seru.

10. *Diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.* Vel,vt habent Origin. *intelligens intellige*, vel, *conſiderando conſidera quæ ad faciem tuam.* Sẽtio enim cum Caietano, & Ianſenio,qui hæc verba nõ de his exhibitis ferculis,ſed de obiectis quæſtionibus accipienda eſſe docent.Id enim ſuadent illa , *intelligendo intellige*,quæ ſummam intelligendi vim notant:fruſtra autem tantus animi,mentiſque conatus in ſolam ferculorum cognitionem à Salomone poſceretur. LXX. *Sapienter intellige*, eandem mentis vim poſtulantes. Itaque ſenſus eſt, totum mentis conatum atque vim exere, vt griphos atque problemata tibi inter epulas obiecta calleas. Quid plura? *Statue gladiũ in gutture tuo,ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.* Hæc verba , iuxta præmiſſam ſententiam, non vno modo accipi poſſunt : nam primò ita explicare licet. Tunc cùm ad hunc modum problematibus iaciendis inter conuiuas confligitur,aut pugnatur(nam,vt ſupra obſeruaui,omnia pugnandi verba huic concertationi aptari ſolent)ſi tui compos es,ſi videlicet mẽs tibi libera & conſtans fuerit,vinique iniurias nõ ſenſiſti,linguam ad reſpondendum exacue,& elima , vt exſcindas ænigmatum ac problematum tibi propoſitorum nodos ; hoc enim eſt *gladium in gutture ſtatuere* , verba ſcilicet , vel linguam gladij in morem acuere:nam lingua,verbaque, gladij nomen in ſacra pagina paſſim ferunt.

Vel aliter. *Statue gladium in gutture tuo,*id eſt,cùm 11.
ab aliquo fortaſſe problemat. & griphis percontandis petitus fueris,tu contrà linguam diſtringe & aliis atque aliis quærendis illum perurge,ne dicam confode.Itaque Salomõ dum ait,*intelligens intellige quæ ad facies tuas,*ſuadet conuiuæ,vt ad percallenda ea,quæ ab illo percontata fuerint ſumma mentis contentione vtatur:cùm verò addit,*& ſtatue cultrum in gutture tuo* , eidem hanc legem indicit , vt ad alia viciſſim percontanda , aduerſarioque vicem reddendam linguam exacuat. *Si tamen,*inquit,*habes in poteſtate animam tuam.* Illud,*ſi tamen,* quemadmodũ alias in hoc libro & in ſcriptura paſſim,ſublata conditione abſolutè promendũ eſt,ita vt ſenſus ſit : hæc præſtiturus enitere,vt in poteſtate habeas animam tuam,id eſt,vt tui ſemper compos ſis,menſque à vino & epulis non hebeſcat.Quamuis poſſit etiam conditioni locus dari hoc modo,*Si tamen habes,*&c. id ſcilicet præſtabis facilius,ſi tui ſemper compos fueris,atque adeò vini intemperantiam vitaueris. Rurſus poteſt etiam ad hanc expoſitionem transferri Caietani meditatio ſupra data.*Statue cultrum,*aut, *cultros in gutture tuo,* id eſt,cogita guttur tuum diſtrictis gladiis vndique peti , nimirum difficilium quæſtionum interrogationibus ad reſpondendum ſtimulari. Et ſanè cùm obiecta,quæſitaque problemata,accommodata reſponſa exigant,haud ineptè dicemus illos, qui percõtantur, ictus ſuos , ac vulnera in guttur ac fauces dirigere. Denique poſſunt etiam ad temperantiam verba iſta flecti hoc modo:Quidquid tibi inter epulas obiectũ fuerit,ſumma mentis contentione libra & examina, & vt id facilius aſſequi poſſis, ſtatue cultrum in gutture tuo : illud ſcilicet muni,atque obſtrue, ne vini, atque cibi immoderata ingurgitatione mens obtundatur, & in griphis diſſoluendis , atque ediſſerendis ineptiat.*Si tamen habes in poteſtate animã tuam:*Quaſi dicat,id facito,niſi vſque adeò tui ipſius impos es,vt concupiſcentiæ, ac libidini tuæ temperare non poſſis.Hæc de Vulgata lectione.

Quod ſi hæc interpretatio minus arridet , ſubeſt 12.
alia,quæ mihi non minus idonea videtur. Recurrat memoria ad ea, quæ diximus ſupra cap.9. verſ.1. de militaribus conuiuiis, & nuper etiam in hoc verſu. Nam ex his conſtat Imperatores cùm prælium committere opus erat,Duces ac Tribun. militum ad magnum aliquod epulum euocare ſolitos,vt hoc officio eorum fidem ſibi obligarent.Addunt aliqui eos inter

epulas de fidelitate adiuraui. Militarium conuiuiorũ exempla ex sacra scriptura petita dedi locis citatis. Puta ergo Salomon. ad Ducem aliquem ex his, qui ad militare conuiuium accersantur, verba intendere ad hunc modum, *Cùm sederis ad mensam potentis* (*Potentẽ* vocat Imperatorem supremum belli ius habentem, & verbum *sederis* ad militares epulas spectat, in quibus sedere, non autem discumbere solenne fuit (vt nuper dicebam.) Cùm, inquam, ô Dux, ac miles fortissime, ad mensam Imperatoris assidere licuerit, *statue cultrum in gutture tuo*: id est, fidem tuam hoc officio ita teneri, & obstringi puta, vt iugulum tuum districtis aduersariorũ gladiis offerre, & ad certã mortem ire non dubites, *si tamen habes in potestate animam tuam*. Illud *si tamen*, pro negatione additum est (vt paulo ante dixi) quia ex quo fidem Imperatori dedisti, non es amplius dominus vitæ tuæ: cui expositioni plurimum tribuo.

12. Translatio LXX. alium sensum afferre videtur, conabor tamen vtriusque dissidia paci reddere. *Iniice manum tuam, sciens quod oportet te talia præparare.* Nihil sanè difficilius quàm hæc verba ad Hebraïcas origines reuocare. Sunt qui putant illa, *iniice manum tuam*, ad amussim respondere illis, *statue cultrum in gutture tuo.* Quasi dicat, tibi ipsi manus afferto, vel tuũ ipsius iugulũ petito. Sed nõ placet; nã in Græc. ἐπίβαλλε, id est, mitte manũ, aut coniice; quod de mittẽdis in fercula manibus accipi debere reor. Quapropter vt hæc cohæreant inter se, nihil aliud occurrit, quàm LXX. per guttur faucesque imperiũ accepisse, sicut aliàs passim per os in scriptura imperandi potestas captari solet, vt alibi obseruauimus, ita vt illud, *pone cultrum in fauce tua*, perinde sit ac si dicat, iã inde iube gladium aptari, & exacui ad animalia & altilia occidenda, vt similem cœnã offerre possis ei, qui te primus lautè, opiparéque excepit. Sed quãuis omnes interpretes in hanc expositionẽ conspirẽt, & verba accipiant, vt sonant, de relatione conuiuij, ac gratiæ, tamen qui hanc translationem ad eam sentẽtiam vocare vellet, quam nuper dedi de problematibus, griphisque inter epulas percontandis, ac diluẽdis, non ineptè diceret, LXX. omissis verbis sensum eruisse, atque adeo verba eorum sic enucleanda esse. *Si sederis vt comedas ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi.* Nota illa verba, *sapienter intellige*, quæ melius, aptiusq; de difficili aliqua quæstione, aut gripho, quàm de ferculorũ obseruatione attẽta accipi debere ipsa illorum vis suadet; *apposita*, Græc. παρατιθέμενα. i. proposita, quod verbum licet de apparandis, apponẽdisq; bellariis accipi queat, tamen propositionẽ etiam quæst. exempli, aut thesis cuiuslibet significare solet. Actorum. 17. Apocalyp. 4. & passim alibi. Itaque sensus est, ad ea quæ tibi ab aliis inter cœnandum obiecta fuerint, siue problemata sint, siue parabolæ, percallenda mentis neruos contende: *Et iniice manum tuam, sciens quod talia te oportet præparare.* i. bellariis ferculisque sobriè ac frugaliter sic fruere, illud sciens, opus tibi esse vt similes etiam parabolas, griphosque ad percontandum expedias. Itaque illis verbis, *iniice manum tuam sciens*, &c. sobrietatem & temperantiam suadet Salomon. Nã perinde est ac si dicat, sic manum in fercula mittito, tamquam is, quem similes parabolas comparare oportet ad perurgenda eorum ingenia, qui tuum priùs fortasse torserint; quod nisi sobrius fuerit potus, ac tẽperans victus, fieri nequaquã poterit. Ergo vt Salomonis in hoc loco mentẽ penitus exhauriã, existimo illum id homini præcipere, vt in lautissimis, splendidissimisque conuiuiis sic parcè bibat, edatque, vt & obiecta sibi ænigmata diluere, & alia vicissim ipse retorquere possit; id enim summam quandam temperantiam exposcit. Potest etiam hæc translatio ad posteriorem interpretationem referri de militari conuiuio, hoc sensu, cùm ad mensam Imperatoris accitus fueris, *Sapienter intellige quæ apposita sunt tibi*. i. proposita. Quasi dicat, serio meditare, quæ tibi ab Imperatore demandata & significata fuerint, *& iniice manum tuam, sciens quod talia te oporteat præparare.* Hoc est, ad ea perficienda manum adiice, quia ne fidei datæ reus sis, talia continuò exequi debes, qualia ibi promisisti, etiam si vitam mille discriminib. obiicias.

Cæterùm quamuis hæc expositio ante alias mihi probetur, tamen alias, atque alias, quas Patres in hũc locum coniecerunt, suspicio, magnique facio. Prima est Ambrosij qui lib. 1. de Officiis c. 31. sic habet. *Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet; ideò pulcrè Salomon ait: Si sederis cænare ad mensam potentis, sapienter intellige ea, quæ apposita sunt tibi, & mitte manum suã sciens, &c. Quem nos imitari cupientes sententias scripsimus, Conferre gratiam bonum est, at qui referre nescit durissimus. Humanitatis exempla ipsa nobis terra suggerit, spontaneos fructus ministrat; quod enim seueris, multiplicatum quoque reddit, quod acceperit.* Hæret Ambrosio Cassianus collat. 2. c. 1. qui putat, Salomonem his verbis, ad referendam gratiam in vniuersum adhortari. Optima sanè interpretatio. At, inquies, si hæc expositio accommodata esset, non potentis, aut Principis mensam signatè adiecisset; nam gratiæ relatio priuatis etiam exhiberi debet. Non inficior, sed tamen nescio qua ratione beneficia à Principibus in nos profecta maiores gratitudinis significationes flagitant, tum quia beneficia ipsa digniora esse solent, tum etiam quia Principes in ingratos grauius indignari consueuerunt. Sed cùm audis, *talia te oportere præparare*, non Principem vicissim conuiuio excipiendum esse puta, sed talia, vel obsequia, vel officia erga illum exhibenda, vt acceptam ab eo gratiam aliquo modo exæquent aut compensent.

13. Ambros.

Diuus Gregorius Magnus accommodatitiè magis quàm litteraliter supra locum istum sic lusit, expositionis in lib. Reg. l. 4. *Armum*, inquit, *manducare est quod exterius de forti actione præcipitur, per propositum in mente recondere. Quasi enim armum ante se ponere, & manducare electo cuilibet suadebat, qui dicebat, Si sederis ad mensam potentis, sapienter attende quæ apposita sunt tibi, quia similia oportet te præparare.* (Sic ille extulit hunc locum, sequutus translationẽ Septuag.) *In mensa quippe potentis, virtutem armi designauit, & dum dixit, Sapienter attende quæ apponuntur tibi, armũ ante te eum, cui dixit, ponere docuit: sed manducare eum debere insinuauit, quia dixit: Similia oportet te præparare: similia enim præparando manducamus, quia dum fortia quæ audimus, proponimus agere, velut comedentes in ventre cordis reponimus cibos vitæ.* Hactenus ille, qui similia præparare his quæ accepit, hoc esse dicit, vt qui armum, verbi gratia, comedit, armum etiam, hoc est, robur in se exprimat, ita vt profectus animi his respondeat, quibus aliquis refectus est. Quod ad Eucharistiæ sumptionem, de qua locum istum acceperunt Patres infra citandi, aptè admodum accommodari potest hoc sensu. *Talia te oportet præparare*, quia talia sumpsisti: si enim qui armum sumpsit, armi robur in se ipso exprimere debet, iuxta Gregorium, ergo qui totum Christum in Eucharistia percipit, totum identidem Christum in se ipso adumbrare, & moribus suis referre debet, vt scilicet cibus, animique profectus inter se congruant: sed de hoc postea.

14. Greg. Mag.

Hæc autem Gregorij accommodatitia expositio aliam mihi offert, quæ à littera non longè abit. Succedat igitur memoriæ id quod olim apud veteres vsuuenit 15.

vſuuenit in conuiuiis, vt ſcilicet ipſimet cibi, quibus conuiuæ in menſis lautiſſimis honeſtabantur, myſtici eſſent, aliquidque portenderent. Samuel vtique in conuiuio armum quidem deſtinauit Sauli. 1. Reg. 9. vbi ſic Samuel ad Saül. *Ecce comede, quia de induſtria ſeruatum eſt tibi.* Quid autem armus iſte ſibi vellet
Philo Iud. obuium apud authores. Philo Iudæus in Ioſeph, aſſerit ab iſto Patriarcha pectuſculum animantis honorarij loco donatum Benjamin, nimirum vt illum ſibi in pectore & amorib. eſſe ſignificaret: & ſacerdotibus etiam ex victimis pectuſculum cedebat, Leuit. 7. At cuius rei ſymbolum eſſet hoc pectuluſculum vulgare eſt. Apud externos etiam hoc valdè ſolēne fuit:
Athen. Athenæus lib. 1. *Sunt*, inquit, *in conuiuiis ſui præſtantiſſimus viris honores, Aiaci honoris cauſa longa terga boum afferuntur, ſimiliter & Regibus iiſdem terga boum, quæ ipſi dudum appoſuere.* & rurſus. *Aiacem igitur poſt certamē cum Hectore ſuſceptum boum tergoribus Agamemnon honorario ſcilicet præmio donat. Quin & Menelaus dum filiorum ſuorum nuptias celebrat, Telemacho boum terga iuſſit apponi.* Hæc autem dona, ſeu honoraria, Regibus, ac fortibus viris accommodabantur, non quidem ob delicias, (quid enim delicij in bubula?) ſed ob roboris, ac virtutis ſignificationem. De Vlyſſe etiam ſic ſcribit Athenæus. *Vlyſſes de tergo, quod appoſitū ſibi fuerat reſciſſam partē Demodoco dat.* Nimirum, vt innueret illum ad ferendos labores ſocium ſibi affuturum. Ex hoc veteri more natæ quædam parœmiæ: hæ ſcilicet. *Cor ne edito. Linguam ſeorſim incidendam, Fabam & ſalem*, & alia eius generis: lege Parœmiaſten. Ad Salomonem veniamus. *Si ſederis*, inquit, *cœnare ad menſam potentis, ſapiēter intellige quæ appoſita ſunt tibi.* Et ſcilicet, quæ tibi à Principe honorarii loco donantur, attentè explora, & quid ſignificent expende & adnota, nā *talia te oportet præparare*, id eſt, ita deinceps te oportet agere, vt honorarii à Principe accepti ſignificationem in te ipſo exprimas: nam ſi armū aut terga, verbi cauſa, miſit, onerū ſuſtinendorum tibi legē indixit: ſi linguam conditam, eiuſdem moderationem præſcripſit; ſi pectuſculum, amicitiæ pacta inſinuauit, & ſic de aliis. (Redeo ad Euchariſtiam.) Si totum Chriſti Corpus in hoc ineffabili Sacramento honorarij loco accepiſti, totum Chriſtum in te ipſo adumbrare teneris.

16. Hæc igitur verba de Euchariſtia exponunt Chry-
Chryſoſt. ſoſtomus, & Auguſt. Eorū verba libet hîc adſcribere. Chryſoſtom. hom. in Pſalm. 116. ſic ſcribit. *De mēſa illa inebriati ſunt, de qua dictum eſt, Accedens ad menſam potentis conſidera ea, quæ apponuntur tibi, ſciēs quod talia te oporteat præparare. Quid eſt, talia te oportet præparare, niſi Corpus & Sanguinem quod accipis? Nā & illi Apoſtoli de ipſo calice inebriati erant, de quibus dicebatur, Hi ebrij ſunt muſto, cùm eſſet hora diei 3. ſed quàm præclarus eſt iſte calix? videre quanta eſt claritas ex paſſionibus Apoſtolorum & Martyrū*, &c. quibus verbis Corpus ſuum & Sanguinem in relatione gratiæ Domino præparare nihil aliud eſſe dicit, quàm vitam pro ipſo profundere. Luculentius Diuus Au-
Auguſt. guſtinus tract. 84. in Ioan. *Vt quemadmodum Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos debeamus pro fratribus animas ponere. Nimirum hoc eſt quod legitur in prouerbiis Salomonis, Si ſederis cœnare ad mēſam potentis, conſiderans intellige quæ apponuntur tibi, & ſic mitte manum tuam, ſciens quod te talia oportet præparare. Nam quæ menſa eſt potentis niſi vnde ſumitur Corpus & Sanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? Et quid eſt conſiderare & intelligere quæ apponuntur tibi, niſi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid eſt ſic mittere manum, vt ſcias quia talia, &c. niſi quod iam dixi, quia ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos*

A *debemus animam pro fratribus ponere? Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum ſi non inaniter memoriam celebramus, atque in conuiuio, quo ipſi ſaturati ſunt, ad menſam Domini accedimus, vt quemadmodum ipſi & nos talia præparemus.* Subditque Auguſtinus propterea in martyrū ſolemnitatibus inter Euchariſtiæ myſteria eorundem martyrum commemorationem ab Eccleſia miſceri, vt ipſi nobis à Deo eam fortitudinem exorent, qua ipſi talia accipientes, talia Domino præpararunt. Idem etiam Auguſtinus tract. 47. in eundem Ioann. ſic rurſus ſcribit. *Debitores nos fecit, qui primus ſe exhibuit, ideò quodam loco ſcriptum eſt, ſi ſederis cœnare ad menſam, &c. menſa potentis quæ ſit noſtis, vbi eſt Corpus & Sanguis Chri-*
B *ſti: qui accedit ad talem menſam præparet talia; & quid eſt præparare talia? Quomodo ipſe pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Cùm igitur Patres locum iſtum de vſu ſacerrimæ 17.
Synaxeos acceperint, & noſtri etiam Eccleſiaſtes paſſim eundem in eo ſenſu vſurpent, libet quidem ex tranſcurſu ſuperiores expoſitiones ad hæc myſteria leniter aſciſcere. Igitur iuxta primam expoſitionem ſupra datam ſic ait. *Quando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciē tuam.* Illud imprimis difficile, quomodo quis in Euchariſtiæ vſu cum Principe comedere dicendus ſit. Nā comedere cū aliquo eſt quidē ita apud ipſū epu-
C lari, vti ipſe etiam qui inuitauit ex eadē mēſa epuletur: certe is qui apud Chriſtū ex altari Carne & Sanguine ipſius dignè veſcitur, cum Chriſto comedit, Chriſto nimirū comedente ipſe etiam comedit, nam Corpus, & Sanguinem Chriſti ipſe deuorat & Chriſto viciſſim ſe ipſū comedendū offert. Diuus Thom. D. Thom.
in opuſcûl. de Sacrament. altar c. 20. cùm præmiſiſſet quoſdā ſic Chriſtum manducare vt ipſi viciſſim non manducētur à Chriſto, eos ſcilicet, qui indignè accipiūt, de dignis ſic demū attexit. *Tertiò circa hunc modū cōſideranda eſt ratio remanducationis dignè manducantium, de qua remanducatione dicitur, quod tales mãducãt & manducãtur: & huius ratio eſt, quia dū Corpus*
D *Domini dignè à fidelibus manducatur, nō ipſum, vt alij cibi, in manducantem conuertitur, ſed è conuerſo illud verè manducans in illud ſpiritualiter mutatur. Nā manducantem te Dominus ſui corporis membrum facit*, &c. Quod triplici deinde ſimilitudine confirmat, Et quidem ob eam cauſam, vt docuit Bernard. etiam cùm ab vno tantùm Synaxis ſumitur conuiuii nomē fert, quia duo ſimul, homo ſcilicet ac Chriſtus, ſe ipſis alterutrum veſcuntur.

Cum ſederis, inquit, *vt comedas cum Principe*, cibi 18.
exhibiti dignitatem, & magnitudinem attentius conſidera, & *ſtatue cultrum in gutture tuo*, id eſt, potius gladium gutture tuo excipe, quā vt indignè ad illud ſumendum accedas: nam gladius gutturi immerſus corpori necem, at cibus iſte ſacer indignè perceptus
E animæ mortem præſentiſſimā affert. *Qui enim mãducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*, &c. Vel aliter iuxta ſecundam expoſitionem ſupra traditam. *Statue cultrū in gutture tuo*, id eſt, ſi ita indignè percepiſti, puta gladium faucibus tuis adactum: id eſt, interiiſti, occubuiſti, aut etiam cogita gladium te deuoraſſe, præſentiſſimam mortem animo allaturū tuo. Quid certius? Poteſt etiam aliter de his, qui indignè communicant locus iſte edifferi. *Statue gladium in gutture tuo*, id eſt, ſtatutum puta; ſic enim locum iſtum à pleriſque exponi ſuprà decreuimus. Igitur de indignè communicante ſic Paulus 1. ad Corinth. 1. Cor. 11.
11. *Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sãguinis Domini.* At quid ſibi vult reum Corporis, &

& Sanguinis Domini esse? Non equidem aliud, iuxta Ambrosium, nisi ipsummet Christū occidere, & neci rursus dare, cui plures alij interpretes adhærent. Ergo iuxta hæc Salomon, cùm indignè, inquit, Eucharistiam sumpseris, cogita gladium in gutture ac faucibus tuis te gerere, quo Christum ipsū illac permeanté traiicis, ac configis. Rursus locus etiam fieri potest expositioni Cardinalis Caiet. supra adscriptæ, *statue cultros in gutture tuo* (sic ipse legit,) id est, non vnū, sed plures in guttur tuum gladios districtos cogita, cùm nimirum ad mysteria illa sumenda accesseris, ea vtique reuerentia accedere debes, quasi te vndique districti gladij multi in fauces intenti circūstent. Præclara isthæc est rerum configuratio, & compositio ad reuerentiam, & timorē notandum, quē fideles ad sacram mensam afferre oportet. Et quidem ita contéplatus est Chrysostomus, qui Corpus Christi in Eucharistia existens magno Angelorum satellitio cinctū esse dicit, qui erga dignè sumentes administratorij Spiritus sunt, erga indignos verò vindices, & vltores, gladios in guttura ipsorum assiduè vibrantes. Ad
Psal.33. quem sensum licet vocare illa verba Psalm.33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Gustate, & videte quàm suauis est Dominus.* quæ de Eucharistia passim accipi solent. Hebr. castrametabitur Angelus Domini, id est, castra sua disponet, & Angelorum magnam manum instruet, vt ex his, qui ad sumendum Corpus, & Sanguinem Christi venerint, defendant quidem dignos, & vlciscantur indignos. Ideò subdit. *Timete Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum.* lege August. in hunc locum.

19. Quid plura? iuxta quintam interpretationem, quæ locum istum exponit de oris, ac linguæ moderatione, sic licet commētari. *Statue cultrum in gutture tuo*, id est, tu quisquis es, cui licuit Christi compotorē esse, & Corporis Sanguinisque eius mysteria sumere, guttur tuum veluti adacto gladio obstrue, ne quid deinceps temerè dicas: dedecet enim vt ex ore illo, ac faucibus, quas Christi Corpus aluit, & sanguis perluit, iam inde improba verba effluant: si enim Iob.c. 27 aiebat, *Viuit Dominus, &c. quia donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Quia nimirum, maximam Deo iniuriam irrogari putabat, vt os illud quod ex ipsius Dei beneficio aërem, spiritumque trahebat, aliquod mendaciū etiam leuissimū cōtra illum proflaret. Potiori ergo iure existimandū os illud, quod Corpus, & Sāguinē Christi traiicit, ad similem labiorū & linguæ custodiam obstringi. Tantò certè maior est obligatio hinc nata, quantò Corpus & Sanguis Christi aëre isto dignior, ac sanctior: quantò etiam vita illa, quam nobis mysteria sacra propinant eam superat, quæ aëre isto, ac vento continetur.

20. Ad hæc sexta illa expositio, quæ ad temperantiam pertinet, hoc sensu (*Statuit gladium in gutture tuo.* i. guttur immerso gladio confige, ne cibi aut potus modum excedat) potest etiam de Eucharistiæ vsu sic intelligi, vt quemadmodum ea lex cuique præscribitur, vt non plus cibi sumat, quàm id quod calore suo decoquere, nec plus vini hauriat quàm id quod integro capite percolare potest, (huius autem legis seueritas significatur illis verbis, Statue gladium in gutture tuo. i. fauces tuas gladio confode;) ita etiam de mysteriorum vsu fidelibus præscribendum est, vt nō frequentius ex sacro illo pane victitent, quàm deuotionis & charitatis ardor, & capitis, hoc est, mentis cognitione diuinorum instructæ vis patiantur, id verò ea seueritate demandatur, vt gladio, hoc est discretione spirituali, gutturis auiditatem, si qua est,

A castigent, & coërceant.

Rursus illa etiam septima interpretatio, quam cæteris prætulimus de sermonibus inter cœnandum serendis, eo sensu, *statue cultrum in gutture tuo*, id est, 21.
linguam & verba tanquam gladium exacue, aptissimè ad sacratissima Eucharistiæ mysteria conuertitur, si dicamus Salomonem sacerdotes, ac presbyteros affari, quasi dicat. Tu quisquis es, ô sacerdos Dei conuiua, considera attentè quæ apposita sunt tibi, scilicet consecrationis germanam materiam, panem videlicet ac vinum, & statim linguam distringe, verba exacue & elima. Quorsum hæc? vt Christum immoles: nā vt præclarè obseruauit Theologiæ Scholasticæ decus Gabriel Vasquez, qui de Eucharistiæ
B incruento sacrificio omnium optimè speculatus est, verba consecrationis ad instar obtinent gladij, aut cultri, qui Sanguinem Christi à Corpore quodammodo dirimit, videlicet significatione sua, nam ex vi verborum (vt aiunt) Sanguis quidem sub speciebus panis vini, & Corpus sub speciebus panis veluti discreta significantur. Ad extremum vltimam illam Vulgatæ lectionis interpretationē quæ à militari cōuiuio petita est, Eucharistiæ adaptare procliue est, ita vt Salomon suadeat dignè illam sumentibus, vt sicut duces ab imperatore suo militari epulo excepti, ne fidelitati, quam Christo debent, aliquo modo desint, quibuslibet periculis, ac discriminibus vitæ salutisque caput ac guttur offerant.

C Denique de translatione LXX. quam Patres in specie de hoc mysteriorum vsu acceperunt, quorum verba supra dedi, vltra ea quæ supra diximus, aliquid præterea subscribere libet. *Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apposita sunt tibi.* i. sacra illa mysteria, & latentem sub his Christi Carnem & Sanguinem mente concipe, quasi dicat, vltra ea, quæ oculi obeunt, gustus percipit, manus tangit, & reliqui sensus experiuntur, mente progredi opus est, id sibi vult illud. *sapienter intellige.* i. de hoc cibo non sensus, sed mens tua decernat: subdit.

Inice manum tuam sciens, quod talia te oporteat præparare. Quid est *inice manum tuam?* id est, illam in has 22.
epulas mitte. Manu quidem prius capiendus est cibus
D iste, ac deinde ore libandus. Docuit hoc exemplo suo Christus Dominus, qui *Accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, & manibus quidem in suum ipsius ac discipulorum suorum ora transtulit. Quod ad mysticam significationem sic traduxit Augustinus, Prius quidem in sanctas manus accipit panem, innuens manus, hoc est, opera emundanda & sanctificanda esse antequam sacer ille cibus ore sumatur: ita vt in manibus, id est, in sanctis operibus per morum imitationem prius sit Christus, deinde verò è manibus ad os transeat. Vnde August. in Psalm. 33. illius titulum de Christi præsentia in Sacramento exponens, & illa verba expendens, *quando immutauit vultum suum coram Achis*, Historiam ex lib. 1. Re- 1. Reg. 21.
E gum cap. 21. libat, vbi sic habetur secundùm translationem LXX. *Affectabat, & tympanizabat ad ostia ciuitatis, & ferebatur in manibus suis, & procidebat ad ostia portæ:* & deinde inter alia huius Sacramēti mysteria id numerauit, quod Christus seipsum in manib. portauerit, sic enim ait. *Quomodo ferebatur in manibus* Aug.
suis? quia cùm commendaret ipsum Corpus suum, & Sāguinem, accepit illa in manus suas: quod norunt fideles, & ipse se portabat quodāmodo cùm diceret, Hoc est Corpus meum. in prima autem concione sic ait. *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait, Hoc est Corpus meum. Ferebat enim illud Corpus in manibus suis, ipsa est humilitas D. N. Iesu Christi, ipsa multū commēdatur hominibus ad ipsā nos adhortatur, fratres, vt viuamus, id est humilitatem*

eius

eius imitemur. Nimirum, vt quemadmodum ille semetipsum in manibus suis, sic etiam nos in nostris per operum imitationem eundem geramus; hæc est enim August. sententia in eo loco. Ergo iuxta hæc Salomon, *iniice* (inquit) *manum tuam*, id est, sacras illas epulas, & sanctum calicem manu sume, & inde ad os transferto.

23. *Sciens quod talia te oportet præparare.* Quænam isthæc talia, aut similia, quæ hominem præparare oportet? supra ex diuo Thoma diximus, hominem Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi dignè percipiētem, *manducare*, quidem, & vicissim, *remanducari* (hæc enim germana illius verba, quia scilicet ipse Christū manducans, à Christo ipse vicissim manditur.) Ergo ait Salomon, hanc sibi legem conuiuæ indictam putent, vt qui ab altero lautè exceptus, pari splendore apparatum conuiuium exhibēs, gratiam reddat: Ergo quicumque ille est, cui Christus tam splendidam, lautamque sui Corporis & Sanguinis mensam instruxit, consideret, *quod talia ipsum præparare oportet*, vox illa *talia*, similitudinem, non æqualitatem sonat, vt constet eam in rem homini præcipuè enitendum esse, vti similem ad modum se cōdiat & temperet, quo Chrystus in Eucharistiæ Sacramento semetipsum temperauit atque cōdiuit, quo eidem Christo gratum aut ipsius epulum præbeat. Augustinus ergo & Chrysostomus, quorum verba supra dedi, hanc similitudinem in eo ponunt, quemadmodum Christus pro fratribus vitam profudit, ita vicissim homo pro Christo, aut etiā pro fratribus emori velit, id quidem martyribus proprium est, de quibus Augustinus. *August.* *Hoc* inquit, *beati Martyres fecerunt, talia enim Domino exhibuerunt, qualia ipsi de Domini mensa perceperunt.* Sed tamen ad alios etiam, quibus pro Christo mortem appetere non datur, simili sensu hæc verba transferri possunt, non tantum ita vt de animi præparatione ad mortem Christo exantlandam accipiantur, nimirum vt alia præparare dicantur non rei ipsā, sed animi præparatione, proposito, & conatu (vt accepisse videtur Augustinus loco citato.) Etenim animi præparatio: & propositū Martyrij. Martyriiq; meritum habet, teste *Chrysost.* Chrysostomo Homilia in Psalm. 95. *Martyriū* (inquit) *fratres, non euentu tantū æstimatur, sed anima etiā proposito, non cùm martyr decollatur, tunc fit martyr, sed ex quo propositū ostendit profitendi, martyr est, etiam si non patiatur quæ martyres solent,* Sed aliā etiā valdè adsimili ratione. Christus enim ita se ipsum in hoc sacramento condiuit, vt in ipso sacrificium quoddam incruentum absoluerit; nam, vt supra dixi, verba ipsa consecrationis ex vi suæ significationis gladij in morem à corpore sanguinem secernunt: hic enim sub speciebus vini, illud verò sub panis accidentibus ex vi (vt aiunt) verborum succedit. Ergo pari modo Christum imitatus qui huius mensæ particeps fuit, non cruentum, sed incruentum quoddam martyrium in semetipso adumbrare debet.

24. *Bernard.* Sunt autem huius generis non pauca martyria ex quibus tria enumerat Bernardus in sententiis. *Martyrium sine sanguine triplex est, parcitas in vbertate, quā habuit Dauid & Iob: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias, & vidua; castitas in iuuētute, quā vsus est Ioseph in Ægypto.* Adde etiam Chrysostomum, qui nobile martyrij genus patientiæ, ac tolerantiæ tribuit. Nam Homil. in Psalm. 127. sic habet. *Fer ergo forti, ac generoso animo quæ accidunt, hoc enim est tibi martyrium; non enim eum qui sacrificari iubetur, non sacrificare, sed potius dilaniari & excarnificari, quàm hoc facere, solum facit martyrem; sed etiam dum dolor impellit ad blasphemandum, toleranter ferre laborem, & nihil turpe, & honestum dicere, facit martyrem.* Rursus probitatis, & honestatis diuturnam exercitatio-

A nem martyrio non carere decernit idem Chrysostom. *Chrysost.* Homil. in Psal. 95. *Excitatio* (inquit) *pietatis quoddam est sine sanguine martyrium, hoc est testimonium euidens ac professum, & quomodo? Audi & considera. In omni tribunali quid aliud martyri proponitur, quam vt abnieget Deum? at dum aduersus hanc propositionem decertat, manifestam arripit coronam martyrij. Super hos verò sanctos qui sine sanguine passi sunt, est vtique pro iudice ac tribunali ipsa conscientia, in quo iustitiam tueri, & à Deo numquam deficere martyres facit.* Hæc ille, cuius extrema verba de industria perstrinxi, Adde etiam Augustinum, *August.* qui aliud martyrij incruenti genus agnouit Nam Serm 46. de sanctis sic scribit. *Non martyriū sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat pal-* B *mam exustio illa flammarum: peruenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam, Absque iniuriā sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat, carnem affixisse, libidinem superasse, auaritiæ restitisse, de mundo triūphasse, pars magna martyrij est.* Et de Tempore serm. 250. sic rursus scribit, *Nemo dicat, fratres charissimi, quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possunt: habet enim & pax nostra martyres suos, nam sicut frequenter suggessimus iracundiam mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyrij est:* Hinc est vt huius martyrij incruenti occasiones obuiæ valdè sint, lege Chrysost. Homil. 3. in prio- *Chrysost.* rem ad Thessalon. ab illis verbis. *Præsens quoque tēpus* C *habet coronas,* & ex pluribus hæc accipe de morborum tolerantiā. *In morbum incidisti, & multi adsunt qui cogunt, alij quidem incantationibus, alij amuletis, alij verò quibusdam aliis superstitionibus sedare malum. Tu verò propter Dei metum forti animo tulisti, & maluisti quiduis pati, quàm sustinere, vt aliquid ageres impium. Hoc tibi affert coronam martyrij nec dubita. Quomodo, aut qua ratione? Sicut ille fert dolores tormentorū, ita tu quoque fers dolores morbi; at sunt illi vehementiores, sed isti longiores, sæpè autem sunt etiam vehementiores. Quid enim cùm febris ardens, nempe Causon te intus vexat, & vrit, & aliorum suadentium excutis incantationem, an nō es redimitus coronā martyrij?* Hactenus ille, vbi plura etiam subinfert alia martyriorum genera. Legēdus D ibi, nec non etiam in 2. ad Corinth. Homil. 50. ab illis verbis, *Martyrij tempus nunc non adest? imò nunquā illud abest,* &c. Cùm igitur tot, tamque obuia incruenti martyrij genera sint, quibus se homo in dies mactare & immolare potest, haud difficile erit ei, qui in magnifico Christi conuiuio incruenti sacrificij particeps factus est, *talia ipsi præparare*, se nimirum ipsimet Christo sine sanguine vicissim immolatum liberare.

Et quidem ad hunc sensum allici potest Vulgata 25.
lectio, *statue cultrum in gutture tuo*, idest, vbi sacris illis mysteriis pastus fueris, statim gladium gutturi tuo infige, te ipsum aliquā ratione macta, & sacrifica, vt vicem compotori tuo reddas: vel, vt alij re- E stituunt, *statue cultros in gutture tuo.* Quasi dicat, cùm non vnum martyrij genus sit sed plura, & diuersa, hoc Christo Domino compotori tuo te debere existima, vt si fieri possit omnia experiare, atque adeò non vnum, sed plures in iugulum tuum cultros exacuas. Denique quia supra modum describens, quo Christus in hoc diuinissimo Sacramento immolatur, dixi verba consecrationis ad instar gladij obtinere, qui sanguinem (in quo animam contineri putamus) corpusque significationis suæ vi ab inuicem dirimit, accipe aliud huic valdè adsimile sacrificij genus, quo licet Christo Domino *talia præparare.* Audi Paulum: *Viuus est* (inquit) *sermo Dei & efficax,* *Hebr. 4.* *& penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum*

quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Ergo qui hunc Dei sermonem in se ipso excipit, & omnia, quæ ille aut præcipit, aut suadet, exequi contendit, incruentũ Christi sacrificium in se perfectissimè adumbrat, nam illi sermo iste viuus & efficax pro gladio est, qui ad viscera vsque penetrans animam à corpore separat, nimirum carnalia ab spiritualibus secernit, hominem scilicet à carnalibus reuocat, & ad spiritualia traducit, quod incruentæ cuiusdam hostiæ præcipuum genus est.

26. Sunt etiam alia, quæ homini imitari licet circa modum, quo se ipsum Christus in Eucharistiâ præparauit, ac condiuit. Nam primò in Eucharistiâ se ipsum Christus vini, ac panis speciebus contexit. Huc transtulit Diuus Thomas in opusculo de Sacramento Altar. c. 8. illa verba Isaïæ. *Verè tu Deus absconditus*, vbi alia lectio habet, *verè tu Deus absconsionum, quia non vnam rem tantum in Eucharistiâ abscondit* (ait Diuus Thomas) *sed plures, scilicet personã suam, opus, & modum.* Celauit quippe personam, quam ab humanis aspectibus eripit; opus etiam texit, quia Christi ad synaxim adductio nullo exteriori argumento innotescit, ac demum modum occultauit, quo in ipso Sacramento post adductionem existit. Quid inde? subinfert D. Thom. *in his discimus, in nobis quoque tria virtuosè abscondi, nostram personam, opera nostra bona, & bonorum operum intentionem.* Ergo sic se homo condiat, vt Deo pergratum sui ipsius epulum præbeat. Heu quantum ab hoc temperamento abhorrent, qui vanâ inducti gloriâ sæpiùs communicant, quique ad communionem frequentissimos hominum conuentus captant, & commentitiam quandam animi deuotionem externis gestibus vbique simulant.

D.Thom.

27. Secundò, obseruandus est modus, quo Christus sub vini ac panis accidentibus transit, scilicet per conuersionem; nam substantia panis, ac vini, in Christi Domini Corpus, & Sanguinem, seruatis tantummodò accidentibus, migrat, adeò vt licet vinum, panisque ad speciem appareat; non tamen panis, aut vinum, sed Corpus ac Sanguis Christi fit. Ergo qui semetipsum sic temperare studet vt Christo suauẽ sui cœnâ instruat, conuersionẽ hanc æmulari debet. Idẽ D. Thom. in eodẽ opusc. c. 31. modum præscribit his verbis. *Cùm irrationalis creatura, scilicet panis, per verbũ Dei conuertatur in Corpus Christi, quanta erit peccatoris duritia, vel iusti frigiditas, qui multis verbis, ac Spiritus sancti operationibus ad conuersionem nõ perducitur?* ad conuersionem, inquam, ex peccatore in iustum, aut ex iusto fortasse in iustiorem. At, inquies, duas istas conuersiones ab illa panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Christi conuersione plurimũ abhorrere; occurrit Hilarius, qui vtramq; conuersionẽ adeò cõsimilẽ existimauit, vt ex peccatoris cõuersione ad sacramentalẽ transsubstantiationem innuendã exemplũ ducere haud dubitauerit. Ex Hilario autem verba transcripsit, & in quandã ad conuersum Epist. coniecit Eugen. Pontif. quæ sic habent. *Vt id quidem non tibi nouum, non impossibile esse debeat, quod in Christi substantiam terrena substantia conuertatur, te ipsum interroga, qui præteritâ vilitate depositâ subitò nouã induitus es bonitatem in exteriori nihil additum, & totum est in interiori mutatum.* Quid illustrius? sic ergo rependenda Christo tanti conuiuij gratia, vt homo cõuersionem illam in seipso exprimat, qua Christus in eo Sacramento vsus est, adeò vt quemadmodum post conuersionem Eucharistia, etsi ad speciem panis appareat, non iam panis, sed Christi Corpus existit: ita etiam homo quilibet post conuersionem, & mutationem morum, etsi ad externam etiam speciẽ homo esse, & humanam vitam agere videatur, tamen penitus Christus fit, & Christi vitam degat, ita vt possit

Hilarius.

A illa Pauli verba vsurpare Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus.* Quasi dicat, viuo quidem ego ad speciem, sed tamen penitus non ego ipse in me, sed Christus agit ac viuit; Atque hoc sibi volunt illa verba Christi apud Ioan. c. 6. *Et qui manducat me, & ipse viuit propter me.*

Denique ad hunc sensum vocari potest translatio Vulgata iuxta interpretationem Hugonis qui sic ait. *Statue cultrum in gutture tuo, vt iuguletur scilicet vetus homo in te, ac nouus, hoc est Christus, viuat.* Quod per confessionem peccatorum, quam ante communionem præmittere oportet, fieri docet Hugo, huic enim conuersio peccatoris tribui debet. Neque verò existimandum est hanc hominis conuersionem in Christum, quam fideles sacra libantes æmulari debent, B internam prorsus esse, atque in animo dumtaxat perfici, nam corpori etiam propria quædam conuersio respondet, per quam dignè communicantium corpora in Corpus Christi migrare, & in vnam carnem misceri dicuntur; de quâ corporali vnitate Chrysostomus, Cyrillus, Nyssenus, & alij Patres multa contulerunt, atque adeò hîc supersedendum duxi. Bene Ergo Salomon. *statue*, inquit, *cultrum in gutture tuo*, vt scilicet tuum ipsius corpus hoc vulnere cadat, & Christi deinceps Corpus induas, sicque præceptum illud ad amussim expleas, *sciens quod talia te oportet præparare.* Nam quemadmodum in conuersione Sacramentali substãtia panis interit, & loco illius Christi Domini Corpus subit: ita etiam in hac tua corpo- C rali conuersione corpus tuum demortuum (vt ita dicam) æstima, ac pro illo Christi Corpus fœlici admodum vicissitudine subrogari. 28.

Hugo.

29. Tertiò, animaduertere licet eâ ratione semetipsum Christum in hoc Sacramento temperasse, vt totus in tota hostia sit, & totus in qualibet illius parte; id sibi vult Prosa cùm ait. *Fracto demum Sacramento ne vacilles, sed memento tantùm esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Et rursus. *A sumente nõ concisus, non cõfractus, non diuisus, integer accipitur.* Itaque non ideò Christus Dominus se ipsũ in hoc Sacramento occultauit, vt hominem aliqua sui parte fraudaret, quin imò eâ se ratione cõtexit, vt non posset nõ totus, integerque ab homine deuorari. Hoc igitur beneficio obstri- D ctus Bonauẽtura sic addit. *Dominus indiuisum, & integrũ Corpus suũ obtulit mihi, malè ergo diuidor, & vel minima mei parte illum defraudo.* Ergo quicumq; volet Christo cõpotori suo huius gratiæ vicem reddere, & *talia illi præparare*, qualia ab ipso accipit, sic seipsum etiam tẽperare debet, vt nihil illũ in partes dissecet, aut in frusta diuidat, nihil, inquã, vetet quominus indiuisũ & integrũ sese Christo restituat, ne videlicet in illum quadrare possint illa Pauli verba 1. ad Cor. 7. *Qui cũ vxore est, sollicitus est quæ sunt mũdi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Sed dices fortasse ob eã rationẽ ab istius mẽsæ nimia frequentia esse arcẽdos cõiugatos, quia hi integri, & indiuisi esse nõ possunt, aut certè docendũ esse, qua tandẽ arte hoc fiat E vt coniugati Christi indiuisionem imitentur. Audiendus est Gregorius Nazianzenus, qui postquàm matris suæ Nonnę mirabile erga Eucharistiam studium, & obsequium exposuit his verbis. *Hoc illi quoque ad laudem magnum sit, quod veneranda mensæ nunquam terga obuerterit, neque in diuinum pauimentum expuerit, &c.* Postquàm etiam dixit illam frequentius cælesti pane vti solitam, sic statim addit. *Rem enim suam domesticam industria sua ita auxit, quasi pietatem colere nesciret, Deo autẽ, ac diuinis rebus ita se addixit, tanquã à rerũ domesticarũ procuratione plurimũ abesset, nec ab alterutro horũ impedita est, quominus alterũ impleret tota in domesticis, & tota in diuinis.* Ecce quomodo Nonna tota in toto, & tota in qualibet officij sui parte

B.nauent.

1. Cor. 7.

parte erat, atque adeò nihil ipsius animum partiri, aut in frusta secare poterat. Et quidem ideò tota in diuinis fuisse dicitur etiam si magnam curæ partem in domesticis poneret, quia domestica etiam propter Deum administrabat, cui se pergratum facere credebat, si eam officij sui partem sedulò expleret, ac rursus in domesticis tota erat, etiamsi præcipuam suæ sollicitudinis partem diuinis impenderet; quia tùm etiam quãdo agebat cum Deo, de suæ domus ac familiæ gubernatione cum eodem conferabat, & ad illam bene gerendam gratiam, & auxilia exorabat. Cùm igitur tanta esset in Nonnæ animo integritas, & indiuisio, hinc sanè fiebat, vt quotidie sacro illo conuiuio dignè admodum perfrui posset, vtpotè quæ talia Christo Domino præparabat, qualia ab ipso quotidie acciperet. Nam quemadmodum illa totum in toto, & totum in qualibet panis particula existentem Christum sumebat, sic vicissim se ipsam totã in toto, & totam in qualibet officij sui parte existentẽ Christo offerebat. Hæc (ni fallor) eximia est animi præparatio, quam hi quorum arbitrio panis cælestis distributio credita est, in primis obseruare debent in his, quibus frequentioris vsus copiam indulgent, an scilicet curæ, ac solicitudines rerum externarum eorum animum distrahant, an potius inter omnes rerum externarum curas animus integer, & indiuisus persistat, nam Christus quise homini totum, & insectum exhibet, totum etiam, & indiuisum hominem exposcit.

29. Sed tamen, vt modos omnes percurramus, quibus Christus in hoc Sacramento seipsum temperauit, quarto loco obseruat Diuus Thomas Christum Dominum, pro vt est in Eucharistia, nullius externi agẽtis vim, aut iniuriam sentire posse. Vnde Cyprianus in serm. de Cœna Domini, *Distributus* (inquit) *non dimembratur, incorporatur, non iniuriatur, cum infirmis habitans non infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur*, &c. Arduum sanè ac difficile est hoc Christi temperamentum æmulari, sed tamen gratiæ acceptæ relatio id exposcit, *Sciens quod talia te oportet praparare.* Diuus Thomas in eo opusculo impassibilitatis æmulandæ modum tradit his verbis. *Christus in Eucharistia à nullo externo agente pati potest, non ab igne, non ab aqua, non à gladio, &c. tu ergo cùm non possis esse impassibilis, esto saltem, cum quadam impassibilitate, patiens*, idest, sic patere, vt quodammodo impassibilis esse videare. Sed quænam est hæc laborum, & iniuriarum patientia impassibilitatis æmula? non alia quidem nisi illa, quæ sanctos viros inter laborum, & ærumnarum molestias alacres, ac lætos reddit. Hinc Cyprianus in præfato sermone, rationem afferens, ob quam Christus in hoc Sacramento suæ passionis memoriam in dies refricat, sic addit. *Vt semper passio sit in memoria, nec terreant crucifixi haredes mortis supplicia: inebriati enim non habentes sensum huius mundi cruci haremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam.* Proinde illa verba, *non habentes sensum huius mundi cruci haremus*, insensibilem hanc laborum tolerantiam innuere videntur, de qua nobis sermo est: Quasi dicat, his pasti Sacramentis perinde crucem, hoc est, labores, & dolores læto animo amplectimur, ac si prorsus insensibiles, & impassibiles essemus.

D. Thom.

Cyprian.

30. Quinto, denique circa modum, quo Christus Dominus semetipsum hominibus in hoc Sacramento cõdiuit, obseruandum est, id, quod docet Sanctus Thomas 3. capite quæst. 26. art. 6. Christum, prout in hoc Sacramento per diffinitiuam præsentiam adest, nullum externorum sensuũ vsum habere, quia nec oculi, pro vt ibi sunt, vident, nec aures audiunt, nec nares odorẽ captant, nec reliqui sensus sua munera exercẽt. Consideret ergo ille, qui Christo gratiã hanc repẽdere opæat, *quod talia illum oportet præparare*, atque adeò sensus omnes suos ita seruare, & obstruere, vt, si fieri potest, nec oculi adspiciant, nec aures inaudiant, nec sensus reliqui proprias operationes exequantur. Et quidem si huius diuinissimi Sacramẽti formam, & naturam attentiùs consideres, facilè agnosces illum ad omnes sensus fallendos esse inuentum; nam oculi, verbi causa, panis colorem adspectant, gustus panis saporem percipit, nares odorem etiam panis captant, manus item panem tangere sibi videntur, sed tamen omnes illos deludi fides suadet, quæ non panem, sed Christi Corpus sub speciebus panis subesse affirmat. Quorsum hæc? nimirum vt constet hoc Sacramentũ ad coërcendos, castigandosque sensus fuisse excogitatum, atque adeò his quibus illo perfrui licet, nihil antiquius esse debere, quàm vt sensus suos propriis obiectis assiduò fraudent, eosque seuerè admodùm obseruent Hinc sanctus Doctor in prædicto opusculo expendit dæmonis astum, qui cùm Euam in peccati consensum impellere vellet, sensus illius exacuit, ita enim habet textus sacer, *Vidit ergo mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, & aspectui delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Contra verò Christus Dominus cùm homines ad Eucharistiam inuitat, non acuit, sed hebetat, atque obtundit omnes sensus, illosque fallit ac deludit, vti doceat inordinatum eorum vsum mortem homini adducere, atque eorundem seria castigatione vitam, & salutem contineri.

Interim etiam in hoc Sacramento omnem seruandorum sensuum rationem tradidisse videtur Christus Dominus, partim quidem in suis, partim in nostris; nam in suis, quos in hoc Sacramento sic coërcuit, vti propriis muneribus nequaquàm fungerentur, docet etiam nostros similem ad modun coercendos, & suis etiam functionibus defraudandos esse: in nostris autẽ, quos externis panis ac vini accidentibus fefellit, docet pari quoque ratione à nobis fallendos, & eludendos esse, ita nimirum, vt quemadmodum tunc cũ oculi panem adspiciunt, fides illos erroris insimulat, & cùm gustus panis saporem percipit, illum etiam aberrare fides decernit, & non panem, sed aliquid aliud esse renunciat, & sic de aliis: eandem etiam nos cohibendorum sensuum rationẽ ineamus, sic scilicet vti cùm oculi, verbi causa, formæ pulchritudinem intuentur, animisque amorem inspirant, accedat vtique mens, & ratio, atque eorum errorẽ coarguat, docens eam non esse veram, sed apparentem elegantiam, & delitescentẽ sub externa illa specie deformitatem detegat. Rursus cùm gustus delicatus epulas, & ciborum cupedias impensè appetit, succedat etiam ratio, illumque erroris appellet, suadens ex delicatis cibis non veram, sed leuem falsamque ocyùs in dolorem, & angorem commutandam voluptatem captari, & idem de reliquis sensibus iudiciũm esto. 31.

---

3. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.*

Ne desideres, &c. Lis est inter expositores non leuis, quam in superiori versu transegi, an versus iste initium capiat ab illis verbis: *Si tamen habes in potestate animam tuam.* Et quidem inibi dixi eorum sententiam præferendam esse, qui hæc verba cum superiori oratione connectunt, quia ita suadet originalis textus eo modo quo nunc dispunctus est. Cæterùm quia Sept. interpretes in oppositam sententiã pendent, mihi etiam probabilis videtur, atque adeò vtramque textus conformandi rationem explanare decreui. Ergo Sept. sic habent: *Si autem insatiabilis es, noli* 32.

noli concupiscere escas eius, hæc enim obtinent vitam falsam. Alij codices habent, *hæc enim adhærent vitæ mendaci.* Aquil. & Theodot. *ipse enim est panis mendaciorum.* Chald. *ne desideres obsonia, quæ sunt cibaria mendacij,* &c.

Rursus alia succedit lis, an versus iste cum superiori consuendus sit, ita vt sententiam illius compleat an nouam aliam ab illa omnino discretam cohibeat. Communis ferè interpretum consensus verba ista ad superiorem versum euocat. Non tamen desunt qui secernant, atque adeò iuxta vtramque acceptionem locum explanabo.

33. Ergo qui versum istum inchoant ab illis verbis, *Si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres cibos eius,* &c. eumque cum superiori consuendum putant, nō vnum ex illo sensum eliciunt, si enim in superiori Salomon ad temperantiam adhortatur, sic aiunt. Quicunque regalis mensæ particeps fit, in qua ferè delicatissimæ epulæ apponuntur, seuera quadam temperantia opus habet, ne ciborum suauitate illectus modum excedat. Hæc sententia peruenit vsque ad illa verba, *statue cultrum in gutture tuo,* deinde addit, *Si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres,* &c. i. In gulam, & concupiscentiam tuam potestatem habes, atque illas per temperantiam cohibere vales, ne concupiscas Principis lautas epulas, *In quo est panis mendacij.* Isidorus Clarius panem mendacij appellari dicit delicatiores omnes cibos, qui plerunque tenuissimi sunt, atque adeò edentem non alunt; nam sicut verus cibus aptè dicitur, qui edentem nutrit ac roborat, ita etiam cibus mendax rectè appellentur cupediæ, & leuissima quæque cibaria, quæ vescentem præ sua tenuitate non reficiunt. Caietan. & Iansenius panem mendacij, aut mendacem dictum putat illum cibum qui cùm valdè delicatus sit, ac varius, facilè admodum eum qui istiusmodi mensis accumbit, deludit, & ad intemperantiam pertrahit: ita enim ferè accidit in magnificis, ac splendidis conuiuiis, vt propter ciborum lautitiam, & varietatē, intēperantia temperatissimis ac modestissimis etiā hominibus subrepat. Rodolphus lautissimos cibos à Principe exhibitos panem mendacij dictos existimat, non solùm quia hominem fallendo ad intemperantiam adducunt, sed etiam quia postquàm illum intemperantiæ, & ebrietati tradiderunt illis fallentibus arcana, & secreta omnia reuelat, ac seipsum nonnunquā aduersariis prodit. Quid enim fallacius excogitari potest? Ad extremum Caietanus panem mendacij dictū existimat cibū ad fallendum comparatum, nā sæpius Principes eos quos perdere volunt, falsa illa gratia honestare solent. Succedat memoriæ Amanus ille, Esther 5. qui accersitus ad regias epulas, inde ad patibulum translatus est. Itaque panis mendax dicitur conuiuium à Principe priuato exhibitum, quia cùm gratiæ, & fauoris indicatio sit, sæpe admodum per significationem istam conuiuam fallit, & in exitium illius instruitur. Quid delicatius mensa Regia? quid atrocius tormento? & tamen Horatius dicit Reges hac mensa pro tormento vti solitos ad extorquenda suorum sensa, & amicitiam explorandam. verba supra dedi.

34. Secundò, iuxta eandem loci constructionem, si priora illa verba, *quando sederis, vt comedas cum Principe,* &c. non ad solam temperantiam suadēdam scripta sint, sed eò spectent vt doceant, Principum gratiæ, quam tunc maximè produnt cùm aliquem mensæ suæ participem asciunt, haud fidendū, quin imò prudenti homini cogitādum esse, ex quo ad eam gratiam ascitus est, omnium gladios in iugulum illius conuersos, vt supra exposuimus: procliuis admodum sententia & ad hunc modū, *Si tamen habes in potesta-* A *te animā tuā,* i. si ambitioni, & immoderatæ honorum appetentiæ imperare vales. Vel aliter, anima pro vita sit, quasi dicat; Si tuæ vitæ dominus esse vis, neque illam tam manifestis discriminibus exponere, *ne desideres cibos eius, in quo est panis mendacij.* i. ne honoris, & gloriæ auidus mensam illius impensè concupiscas, nam lautissimæ illius epulæ mendaces sunt, fallaces, insidiosæ, quia nimirum fallaciis ac insidiis inuidorum, atque improborum hominum exponūtur. 35.

Tertiò, secundùm eandem verborum conformationem, si superior versus de ea temperantia, & sobrietate intelligatur, quæ ad percontanda, aut diluēda obiecta inter cœnandū problemata necessaria est, quam interpretationem supra reliquis antepofui; lo- B cus iste sic cum illo conferendus est. *Si tamē habes in potestate animam tuam,* id est, si quidem, vt opus est, ad eiusmodi problemata disceptanda tui ipsius compos esse vis, neque per ebrietatem ad insaniam compelli, *ne desideres cibos eius in quo est panis mendacij,* id est, ne velis apud illum cibos sumere, qui panē mendacē tibi apponit, id est, epulas temulentiam adducentes. Quod quidem ita accipiendum est: Postquàm dixit, in mensis Principum summa temperantia esse vtendū, vt quis problemata inter epulas aliis obiicere, & obiecta sibi diluere integra mente possit; addit, ei, qui sibi temperare, & concupiscentiam suam strenuè cōpescere velit, ita vt inter epulas aptos sermones miscere possit, abhorrendum omnino à lautissimis Prin- C cipum mensis; hæc enim ad philosophandum idonea non sunt, quia in illis exhibetur panis mendacij, id est, cibi, & epulæ delicatiores, quæ suauitate, & varietate sua gulam stimulant, & ad intemperantiam veluti fallendo alliciunt, atque adeò ad grauiores disputationes mentem hebetant: vel si hæc non placuerit interpretatio, illa expositio, quam supra reliquis anteponendam diximus, sarta tectaque sit.

36 Quartò, dico mihi imprimis arridere eorum mentem, qui prima illa verba, *Si tamen habes in potestate animam tuam,* superiori versui adscribentes, sequentem inde auspicantur, *Ne desideres cibos eius,* &c non modò versum nouum, sed nouam etiam, & cum superiori minimè cohærentem sententiam commini- D scuntur ad hunc modum, *Ne desideres cibos eius,* &c. Carpit Salomō nimiam diuitiarū iniustè partarū appetentiam, id est, ne concupiscas, aut aspires ad nimiā illam diuitiarum, & deliciarum affluentiam, qua gaudet ille, *in quo est panis mendacij.* Supra c. 20. ver. 15. per panem mendacij diuitias iniustè partas accipiendas esse euicimus ex communi interpretum consensione, ad illa verba, *Suauis est homini panis mēdacij, & postea implebitur os eius calculo.* Cùm igitur eadē sint verba eundē sensū hîc reddere debēt. Itaq; ait, ne desideres opulentiā, & lautā mensā eius cuius fortunæ ex iniustè quæsitis excreuerūt. i. noli ex his ditescere, & affluere, nā eiusmodi opes fallaces sunt, & mendaces, atq; adeò possidentē ocyus deserunt, & ad alios E migrāt. Cōgruit autē secundùm hāc expositionē versus iste cū duobus sequentibus, *noli laborare vt diteris,* &c. & infra. *Ne erigas oculos tuos ad opes,* &c. Quapropter mihi hæc interpretatio ante alias probatur.

37. Succedat translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Si autem insatiabilis es, noli concupiscere escas eius; hæc enim obtinent vitam falsam.* Pro illis verbis, *si tamē habes in potestate animam tuam,* vel iuxta Origines, *si dominus, aut coniux es anima tua,* Septuaginta restituunt, *si insatiabilis es.* Rationem alteram supra dedi versu 2. nunc rursus alia occurrit. Supra cap. 1. vers. 17. pro illis verbis *ante oculos pennatorum,* habes, *ante oculos omnis domini alæ,* id est, alati, ac magna pernicitate volantis, & c. 3. *Noli prohibere benefacere eū qui potest.* Hebræa, *Dominum Domini,* id est, liberalem, & bene

& beneficum, & id genus alia passim legere licet in scriptura; Ergo hoc sensu etiam acceperunt Septuaginta, *Dominum animæ*, id est, insatiabilem; anima enim desiderium, & appetentiam sæpè sæpius significat in scriptura Psalm. 26. *Ne tradas me in animas tri-
Psalm. 26. *bulantium me*, idest, ne me desideriis eorum committas, vt pro arbitrio suo in me decernant, & cap. 40. *In animam inimicorum eius.* Eodem sensu Psalm. 63. *sitiuit in
Psalm. 63. *te anima mea*, idest animi mei appetentia, & passim alibi. Itaque quemadmodū Dominus doni liberalem, & Dominus alæ, volandi celeritate præstantem sonat; ita etiam, *Dominus animæ*, aut desiderij, impensè desiderantem, atque adeo insatiabilem adsignificare potest. Hinc nata translatio Septuaginta. Sensus autem eius translationis est, *Si autem insatiabilis es, noli concupiscere cibos eius*, id est, quamtumuis insatiabilis sis, ita vt vix tibi temperare possis, noli tamen epulas, & conuiuia Principum affectare. *Hæc enim obtinent vitam falsam*, id est, vitam fallere solent & cum illis sæpius mors deuoratur. Dictum fortasse propter veneni suspicionem: Nam mensas Principum veneno aspergere, & inficere non insolitum est; imò potius quia in eorum epulis semper veneni aliqua suspicio suberat, ideò explorari prius, & prægustari semper sunt solitæ; proptereaque in mēsis Principū olim προγεύσται, id est, prægustatores adhiberi consueuerunt; lege Fuluium de Triclinio Romano. Et quidem ad hunc sensum trahi potest lectio Vulgata. *In quo est panis mēdacij*, ita vt, mendacij panem eas escas appellet Salomon, quæ dissimulato veneno delicias mentiuntur, quemadmodum olim *cœna dubia*, dicebatur illa, quæ suspicione veneni non omnino carebat. Eundem sensum reddit illa alia translatio, *Hæc enim adhærent vitæ falsæ*, idest, Regum epulæ semper insidiosæ sunt, ipsique vitæ imposturam facere aptæ natæque. Rursus potest *vita* accipi pro victu, & alimento, quod ad vitam seruandam sumitur, effectus videlicet pro sua causa; iuxta quam acceptionem translatio septuag. superiores omnes interpretationes capit. Pergo ad alia.

4. *Noli laborare vt diteris: sed prudentiæ tuæ pone modum.*

38. Noli laborare, &c. Hebr. *Ne labores ad ditescendum, & ab intelligentia tua cessa.* Sic habet Caietanus, & Vatablus etiam sic restituit. *Et ab hac prudentia tua cessa.* Chald. *Ne accedas ad diuitem, sed intelligentia tua recede ab eo.* Septuag. *Ne extendas te, cum sis pauper, ad diuitem, tua autem consideratione abstine.* Complut. & Reg. *Ne contendas, cùm sis pauper, cum diuite.* Aquil. *noli laborare vt ditescas ab intelligentia tua.* Theod. verò addit, *ab intelligentia tua cessa.*

Loci istius scopus satis perspicuus est; mens enim Salomonis non alia quàm ab immoderato parandarum opum studio hominem dehortari. Sed tamen sensus aliter, atque aliter conformari potest; imprimis enim Originalis lectio aliam, atque aliam sententiam reddit. *Ne labores ad ditescendum, & ab intelligentia vel prudentia tua cessa*, idest, ne nimio studio, & conatu in opes cumulandas incumbas, & licet maxima industria polleas ad easdem parandas, cessa tamen, & industriam hanc prohibe paucis contētus, eò enim laudabilior tua frugalitas erit, quò faciliùs per tuam industriam ad amplissimas diuitias peruenire posses. Hūc sensum etiam reddit translatio Vulgata, *Et prudentiæ tuæ pone modum*, idest, industriam illam, qua præditus es ad augēdas diuitias inhibe, & coërce. Nā eum, qui industria caret, ad opes parandas non eniti vix laude dignum fuerit: at illum, qui industria, atque prudentia sua plurimùm potest, ad diuitias au-
A gendas non conari, omnem laudem exuperat; similis enim est illi, qui diuitias ex despicientia reliquit. nam non habere diuitias cùm possis, relinquere est. Aliter etiam translationem illam interpretatur Caietanus, Caiet.
Ne scilicet ad diuitias augendas immoderato studio incumbas, *& ab intelligentia tua cessa*, id est, nō modo laborem ad illas parandas adhibere non debes, sed ne mentem quidem ad easdem cogitandas, vel exoptandas; id sibi vult illud, *ab intelligentia tua cessa*, id est, nō modò non adlabora, sed ne cogita quidem; labor enim molestus est, cogitatio verò desiderium acuit, hoc verò grauissimam paupertatem reddit. Huc etiā accedit translatio Vulgata non inuita, *sed prudentiæ tuæ pone modum*, id est, non laborem tantum prohibe, B sed etiam prudentiam, hoc est consilium, cogitationem, & solertiam mentis in his haud distineri permittas, nam si stultum est hominem ad diuitias quærendas manus admouere, longe stolidius erit mentem adiicere.

Sed licet translatio Vulgata præscriptas duas expositiones recipere possit, alia tamen magis germana occurrit ad hunc modum. *Noli laborare vt diteris*, id est, necessariis contentus, noli vlterius ad cumulandas, amplificandasque diuitias laborem impendere, *sed prudentiæ tuæ pone modum*, id est, industriæ tuæ terminum hunc præscribe, videlicet, necessariæ ad victum rei conquisitionem. Nam cùm sæpiùs Salomon in hoc libro auditorem ad conquirendas labore, C atque industria sua opes excitat, nunc quidem huic labori, atque industriæ metas præfigit: illud autē *pone modum*, aptissimè dictum est, significat enim fines, ac terminos istiusmodi industriæ esse moderatas, & sufficientes copias, non affluentes nimis, & insanas fortunas. 39.

Sed vt alias percurramus translationes, Aquilæ lectio peculiarem sententiam reddit. *Noli*, inquit, *laborare vt ditescas ab intelligentia tua*, id est, per solam intelligentiam, vt quidam volunt. Quasi dicat, noli quidem immoderato studio eniti, vt diuitias, & fortunas tuas exaggeres, nam quamuis eas in immensum augeas, non equidem re ipsa, sed sola tua consideratione, aut æstimatione apud te ipsum diues eris, non D solùm quia externæ fortunæ fallaces sunt, sed quia cū ipsis pariter augetur desiderium, atque adeò censu crescente paupertas etiam excrescit. Alij rursus in præmissam lectionem hanc explicationem contulerunt. *Noli laborare vt diteris ab intelligentia tua*, ab scilicet, pro *sine*, idest, sine intelligentia, sine industria, quod duplicem sensum reddere potest. Aut enim suadet, ne quis contendat, aut speret sine industria sua per solam fortunam, aut sortem, diuitē se euasurum, (hoc enim petrarum est;) vel præcipit ne quis industriæ suæ parcens aliena diripiat, vt ex iniustè partis diues fiat. Hæc autem extrema interpretatio optimè cohæret cū sequenti versu, sed cùm abhorreat à Vulgata lectione, non admodùm curanda est. Potest ta- E men iuxta illam aliter etiam translatio nostra versari ad hunc modum. *Noli laborare vt diteris.* Noli scilicet hoc in vniuersū affectare, vt per fas, aut nefas fortunas tuas adaugeas, *sed prudentiæ tuæ pone modum*, illa vox, *prudentia*, non quidem in dandi, sed in gignendi casu accipienda est, quasi dicat, ditescendi studio, & conatui pone modum, idest, censui ac facultatibus tuis; fines aut terminos prescribe prudētiæ seu industriæ tuæ, idest, ad eas tantūmodò copias adspira, quas tuā prudentiā, & solertiā parare possis. Hanc expositionem commendat ipsius cum sequenti versu cohærentia, atque adeò illam reliquis libenter præfero. 40. Aquila.

Septuaginta verò sic habent. *Ne extendas te, cum sis pauper, ad diuitem, sed consideratione tua abstine*, idest, si pauper es, ac pertenuē censum numeras, ne velis te ipsum 41.

ipsum erigere, & diuiti æqualem præbere. Potest autem de pauperis fastu, aut etiam de sumptibus accipi. Si enim de fastu intelligatur, sensus erit, Si pauper es, spiritus comprime, neque diuiti supparem frustra te exhibere velis, *sed consideratione tua abstine*, atque illi, necessitate inductus, cede, & primas defer-to, Deus enim pauperem superbum odio habet. In Græcis est, παρεκτείνου, ex verbo παρεκτείνομαι, quod, Budæo teste, est, *cum alio simul extendi*, & alterius magnitudinem assequi, atque adeò sensus est; Ne te supra conditionem tuam extendens, aut producens, ad diuitis magnitudinem peruenire velis, nam ex nimia contentione fatisces. Si autem de sumptibus sermo sit, sensus quidem sic conformari debet, *ne extendas te, cùm sis pauper, ad diuitem*, id est, quandoquidem B pauper es, atque adeò tenuissimas opes reditusque recenses, noli tantundem expendere, quantum alius aliquis opulentissimus vir, quin imò, *consideratione tua abstine*, pro, *consideratione*, in Græcis est, ἐννοίᾳ, quę aliquando in rationum subductionibus locum habet, quasi dicat, bona ac bonorum tuorum reditus supputa, & insanis sumptibus parcens tantundem expende, quantum fortunarum sors patitur.

42. Et quidem παρεκτείνομαι, hîc emphasim habet, Est enim ad verbum, *ne coëxtendas te, cum sis pauper*, nam quemadmodum si quis perbreuem hominem contentis neruis alteri vastæ magnitudinis viro exæquare velit, eum acerbissimè cruciari, aut discerpi necesse est, cuius nerui, & membra laxantur: non aliter C etiam de illo cogitandum, qui cùm pauper sit, ad ditissimi cuiuspiam hominis conditionem, ac sumptus adspirat. Diuitias enim cum neruis contulit Marcus Tullius, cuius verba alibi dedi. Quapropter quemadmodum in ea membrorum contentione, & extensione neruos deficere, & distrahi necesse est, ita etiā per immoderatos sumptus viri inopis non amplam fortè perire, & exhauriri oportet. Sed audi miselli istius pauperis cruciatus, qui diuitibus exæquari contendit. Chrysostomus in homilia illa, Quod nemo læditur nisi à se ipso, sic scribit, *Pauperes dum cupiunt diuitibus exæquari insanabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt, nam idem morbus diuersos singulis generat languores.* Ad hanc etiam expositionem allicienda est D Chald. paraphrasis, quæ sic habet. *Ne accedas ad diuitem, sed intelligentia tua recede ab eo*, ne scilicet ad diuitis magnitudinem, & gloriam accedere, i. attingere, aut peruenire velis, sed cognita conditione, ac facultate tua, *recede ab eo*, i. infra illum te ipsum cohibe, ac contine. Denique eadem etiam sententia est Complutensis, ac Regiæ lectionis, *ne contendas pauper existens cum diuite*, idest, ne te cum ipso componas, aut vter maior futurus sit decertes, ne inquam per contentionem ad ipsius magnitudinem assurgere velis, &c.

---

5. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum.* E

43 NE *erigas*, &c. Hebræa. *Ne volare facias oculos tuos in illud, & non ipsum, quia faciendo faciet sibi alas sicut Aquila, & volabit in cælum.* Sic locus iste ad verbum efferendus est. Pagninus. *Nunquid illustrabis oculos tuos vt diuitias accipias, & non erunt?* Vatablus. *Nunquid intendes oculos tuos in quod mox non erit*, &c. Chaldæus. *Si alligaueris oculos tuos in eum, nō comparebit tibi* (videlicet in diuitem, de quo in superiori versu dixerat, *ne accedas ad diuitem*, &c.) ac subdit. *Quoniam faciens sibi faciet alas sicut Aquila, quæ volat in cælum.* Cum Chaldæo concinunt Septuaginta, *Si intenderis oculos in eum, nusquàm apparebit, parata sunt enim alæ tanquam Aquilæ, & reuertis in domum præsidis sui.* Aquil. Symmach. & Theodotus, *& volauit in cælum.*

Antequam huius loci sententiam discutiam, prius definire oportet de quibusnam opibus hîc sermo sit, 44. *ad opes*, inquit, *quas habere non potes.* & quidem Primitiua, vt iam præmisi, ad verbū sic restituenda sunt, *in illud, & non ipsum.* Ergo Caietanus, & Vatablus diuitiarum inconstantiam in vniuersum notari existimant, ita vt sensus sit; *in illud, & non ipsum*, id est, in diuitias quæ modò sunt, & mox elabuntur. Et quidem huic expositioni aptari potest lectio Vulgata, hoc modo, *ad opes, quas habere non potes*, id est, quas diutiùs continere, ac possidere non licet: ea enim habere propriè dicimur, quæ sub nostra potestate cum permanentia quadam sunt, quæ autem ocyus fugiunt, non ita. Iansenius, & Rodolphus ea verba, *in illud, & non ipsum*, de diuitiarum fuga ita accipiunt, vt significent non à possessore migrare, sed ne in potestatem quidem eius venire, atque adeò nostram lectionem sic edisserunt, *ad opes, quas habere non potes*, id est, quas assequi aut capessere non est integrum. Denique alij, mea quidem sententia, longè meliùs de opibus iniustè partis interpretantur, de his enim, quæ iure obtineri non valent, aptè dicimus haberi non posse. Quapropter ea verba, *in illud, & non ipsum*, iuxta hanc acceptionem sic edisserenda sunt, ac si dicat, in rem, & non rem, seu in opes, & non opes; ea enim quæ per iniuriam parta sunt, etsi haberi, & possideri videantur, veriùs tamen non habentur aut possidentur, quia aliena sunt, & ad alios pertinent.

Itaque tres horum verborum acceptiones sunt, 45. aut enim significant diuitiarum inconstantiam, quæ apud neminem diutius permanēt, aut fugacē earundem naturam, ob quam difficilè assequi se sinunt, aut denique opes denotant iniustè partas; iuxta quas acceptiones aliæ atque aliæ istius loci interpretationes occurrunt.

Prima quidem ad diuitiarum inconstantiam pertinet hoc modo, *ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes*, in Primitiuis est, התעיף ex radice, *Thaghaph*, quæ significat, volare, & illustrare: hinc nata lectionum diuersitas suprà adscripta. Emphasim habet translatio illa vulgò trita, *Ne volare facias oculos tuos*, &c. oculi hîc concupiscentiam, & immoderatā appetitionem sonant, cui aptissimè volatus tribuitur; est enim concupiscentiæ motus, impetusque ad opes velocissimus. Ergo Caietanus sic ait; Ne oculos, hoc est, concupiscentiam tuam ea contentione, ac velocitate post diuitias moueas, qua aues ad prædam volant, post diuitias, inquam, illas, quæ modo habentur, & mox abeunt; nam cùm eas obtinueris, *Assumēt sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum.* Hæc verba per comparationē sic edisserit Caietanus. Sicut enim Aquila cælipeta cùm se infernè deposuit obtutibus nostris patet, mox verò vbi in altum reuolat, oculorum aciem fugit, adeò vt dicere possis videri ipsam, & nō ipsam, quia necdum perspicuè apparuit, cùm statim euanescit. Sic etiam de opum instabilitate, & temeritate decernendum est, ipsas quidem esse, & non esse, quia cùm apud aliquem sunt, nequaquam diu permanent, sed ocyus diffugiunt, & ab oculis se subripiunt. Accipe verba Chrysostomi in Genesim hom. 1. ad illa verba Amos 6. *Tanquam stantia arbitrati sunt, & non tanquam fugientia*, quæ sic expendit. *Et hæc quidem quasi stantia arbitrati sunt, & remanentia, & non quasi fugientia, & auolantia, & ne ad momentum quidem apparentia. Talia enim sunt omnia humana, & carnalia, nondum rectè aduenerunt, & auolarunt: tale quiddam* Chrysost.

quiddam est vniuersæ huius vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum, &c. Et Homil. in illud, *Astitit Regina à dextris tuis. Cur* (inquit) *diuitias tot captas obsequijs, quæ hodie penes te sunt, euolaturæ crastino ad alium? cur tantopere demereri studes diuitias, quæ detineri non possunt?* De sublimi Aquilarum volatu frustra hîc multa; legendus Albertus, aut etiam Conradus in Aquila, ex quibus Albertus asserit, eam sæpiùs adeò sublimem ferri, vt non hominum modò, sed aliarum etiam auium altè volantium aciem fugiat.

46. Addit verò illam propterea tam celsum volatum attollere, vt, & prædam vndique circunspiciat, & ab aliarum auium sibi aduersarum æmulatione tuta sit, nullique in prædam cedere possit; propterea enim omnium Regina dicitur, quia nulli acquiescit; & nullam sibi superuolare permittit. Rursus ergo ad trutinam redeat illa lectio Primitiua, *Ne volare facias oculos tuos*, id est, concupiscentiam tuam ad opes inconstantes, & instabiles. *Hæ enim facient sibi alas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum*, atque adeò quantumuis oculi sublimes volent, nunquam certè superuolabunt, aut etiam attingent, sed infra illas erunt; nam Aquila aues reliquas volatus celsitudine longè superat. Quantumuis etiam oculi audaces ad deprædandum sint, ex illis quidem diuitiis altius euolantibus prædam sibi facere non poterunt, quia Aquilæ etiam nullis alitibus in prædam cedunt.

47. Rodol. & Ian. de summa difficultate parandarum opum, & de ipsarum fugaci natura exponunt locum istum, similitudinem autem conformant ad hunc modum. *Ne erigas* (vel *volare facias*) *oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. i. quas assequi nequaquam poteris, quia *facient sibi pennas quasi Aquilæ*, &c q.d. Quemadmodum fieri non potest vt Aquilam altissimè volantem oculi post illam emissi assequantur, ac deprehensam ad terrã detrahant, (hæc enim sua velocitate in altissimas aëris regiones subuecta ipsorum etiam oculorum aciem fugit:) Ita etiam impossibile est, vt quis solo habendi desiderio (id enim per oculos notatur) nisi industriam etiam & laborem adiecerit, diuitias sua natura fugaces capessat. Itaque iuxta hanc expositionem suadet Salomon habendi concupiscentiam cohibere, & industriam acuere, illamque cum hac metiri & componere, ita, vt tantũdem quis diuitiarum exoptet, quantum industria sua nancisci potest: nam sola concupiscentia industriæ expers opes attingere non potest: quemadmodum nec oculi Aquilam fugientem assequi. Concinit autem hæc interpretatio cum extrema expositione superioris sententiæ, *sed prudentiæ tuæ pone modum*. i. terminos industriæ & solicitudinis tuæ tibi ipsi præfige, ita vt nõ plura exoptes quàm solertia tua cõsequi potes. Pende autem emphasim huius sententiæ, Aquila reliquarum auium facilè princeps, & regina est, atque adeo ad opes significandas translata non quascumque modicas, aut angustas fortunas, sed amplas, & ingentes notat. Ergo Salomon ait, cum oculos, hoc est desideria animi tui, ad opes capessendas emiseris, nequaquam illos ad ingentes, insanasque fortunas captandas coniice: hæ enim tanquam Aquilæ sublimes volant: atque adeò illas nulla hominum industria consequi potest: sed ad modicas potiùs, & sufficientes opes oculos, & animum adiice, has enim qualiscumque solertia facilè deprehendit.

48. Huc spectat illa translatio, *Ne volare facias oculos tuos ad opes, quas habere non potes*: scilicet ingentes & permagnas, quas nulla industria assequi licet. Interim autem suadet, vt ad eas, quas quis habere, & consequi potest, vota emittat sua. Et quidem confert hîc etiam Salomon oculos cum alite aliqua rapaci, & ad A prædam edocta, dũ ait. *Ne volare facias*. Rursus etiam monet, vt aucupis prudentis solertiam imitemur, qui non vnam ad omnes, sed diuersas aues ad diuersas prædas soluit, videlicet accipitrem ad columbas, falconem ad perdices, hirofalcum ad grandiores ac fortiores aues: vires nimirum vniuscuiusque obseruat, hisque prædam admetitur, & accommodat; ad Aquilam vero nullam auem prudens auceps emittit, quia nouit illam cæteras vniungues ac rapaces volucres robore suo facilè superare; atque adeò ipsam nulli, reliquas verò ipsi in prædam cedere solitas. Non aliter prudens homo oculos suos. i. vota & desideria tãquam aues ad aucupium edoctas, ad eas fortunarum prædas agendas adiicere debet, quæ viribus suis, hoc B est industriæ & solertiæ æquales sint: si enim Aquilam, hoc est, amplissimas fortunas & industriam illius superantes captare moliatur: fiet vtiq; è conuerso, vt ipsarũ illa præda sit. Videmus plures qui cùm ad diuitias industriæ suæ impares conarentur, earum etiam, quas prius solertia sua parauerant, iacturã fecerunt, quia minores copiæ maioribus in prædã concesserũt.

Rursus iuxta hanc diuitiarum secundam acceptionem licet aliter sensum & comparationem cõstruere. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. 49.
Diuitium ingenium satis omnibus perspectum est: quò plura obtinẽt, eò plura votis suis prosequuntur, atque adeò nunquam ad eas copias peruenire possunt, quas in votis habent: nam vnius fortis acquisitio, C desiderium, & concupiscentiam denuo inflammat. Ergo Salomon vt hanc diuitum insatiabilem appetentiam coërceat, sic ait. *Ne erigas*, seu, *ne volare facias oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. i. ne desiderium habendi, tanquã auem, solutis vinculis emittas: ea enim est huius desiderij natura, vt nullos sibi fines statuat, sed quibusdam partis, semper ad maiora adspiret, atque adeò maiorem sibi assiduò paupertatem, & indigentiam cumulet. Quapropter diuitiæ & copiæ cum hoc habendi desiderio collatæ similes sunt Aquilæ cœlipetæ, quæ, vt supra ex Alberto Magno adscripsi, tam sublimem volatum attollit, vt volucres alias sibi supervolare nunquam permittat: sẽper superior, nunquam inferior. Id sibi vult illud, D *facient sibi alas quasi Aquilæ, & volabunt in cælo*: quia quantumuis illud habendi desiderium altissimum volatum attollere contendat, vt diuitias sibi subiiciat: semper quidem illæ, Aquilæ in more, sublimiùs volant & desideria omnia infra se relinquunt, ita vt nunquam illarum auiditatem exsaturent, sed potiùs habendi famem accendant.

Obseruat autem Rodolphus, & eius indiuiduus 50.
comes Iansenius, illa verba, & *volabunt in cælum*, posse vtique ad diuitias, & ad Aquilas referri. Si ergo, Rodolph. Iansen.
inquiunt, ad diuitias spectet *volare in cælum*, perinde erit atque ad Deum ipsum sese recipere, vt ipse eas pro libito hominibus distribuat: quasi dicat, Diuitiis illis, quas semel Deus homini impendit, nequaquam E fidendum est: fallaces enim sunt, & sæpe è manibus nostris elapsæ ad ipsius Dei manus reuolant, vt illas Deus ex animi sententia aliis & aliis rursus erogẽt. Vel aliter, diuitias Deus pro sua in homines beneficentia & liberalitate distribuit: atque adeò siquis industria sua fretus ad illas contendat, fugaci sua natura in cælum euolant, vt sciamus illas à Deo impetrandas, & exorandas esse. Cæterum illa verba, & *volabunt in cælum*, ad Aquilas spectare mihi exploratum est: cælum enim ibi superiores aëris plagas notat: in eo autem comparationis energia posita est, quòd Aquila volatum in supremas aëris plagas inferat, ad quas reliquæ volucres pennarum remigiis leuari non possunt, vt ex dictis constat.

Sed licet præmissæ interpretationes mihi accommodatæ

modatæ satis visæ sint, tamen (ni fallor) alia est germana Salomonis sententia. Quapropter per eas diuitias, quas homo *habere non potest*, opes intelligo iniustè partas, quæ præ cæteris infidæ sunt, & fugaces, *quas habere*, inquam, *non potes*, hoc est licitè obtinere: his enim perquam familiare est Salomoni alas tribuere in hoc libro. Succedant memoriæ ea quæ suprà diximus c. 1. vers. 17. ad illa verba, *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*, & cap. 12. vers. 27. ad illa, *Non inueniet fraudulentus lucrum suum.* Hebr. *Non aduret aucupium suum.* Vtrobique etiam iniustis lucris alas dat, vt è possidentium manibus ocyus elabantur. Huius igitur loci sententia haud dissimilis est. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes*, id est, ne scilicet copias contra ius quæsitas concupiscere velis: nam cùm eas iam tenueris, *Facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Accommodatissima similitudo est ad significandam nimiam celeritatem, qua istiusmodi fortunæ contra fas congestę dilabûtur: cùm autem dicit, *& volabunt in cœlum*, recuperandi signat difficultatem, quasi dicat: nulla industria iterum reuocari poterunt. Aiunt Aquilas nullis popismis cicurari, & ad mansuetudinem traduci, atque adeò semel euolantes nunquam iterum in manus sese referunt. Ita etiam diuitiæ contra fas quæsitæ, nunquam cicures fiunt, vt apud iniustos possessores ditius permaneant, semel autem abeuntes iterum recipi non possunt.

52. *Plin.* Expendamus illud, *Facient sibi pennas quasi Aquilæ.* Hoc certè Aquilinis pennis proprium est, autore Plinio lib. 10. cap. 3. quod aliarum auium pennis immixtæ, eas quidem exterunt ac deuorant: lege Aldobrandum, & Conradum in Aquila Ergo his Aquilinis pennis bona iniustè quæsita, mea quidem sententia, persimilia sunt: nam quemadmodum pennæ istæ illarum volucrum plumas corrumpunt: ita etiam facultates illæ malè partæ non solum ipsæ malè pereunt, sed etiam alia bona iustè acquisita exhauriunt, & consumunt. Audi Chrysost. hoc ipsum exemplo fermenti suadétem Homil. 15. in 1. ad Corinth. *Auaritia*, inquit *est fermētum vetus, & vbicunque ceciderit, & in quamcumque domum fuerit ingressa, si vel pauca lucreris ex iniustitia, hæc totas fermentant, & corrumpūt facultates. Auaritia enim nihil est magis putridum, etiamsi cellæ penuariæ imposueris clauem, si ostium, si vectem, frustra facis omnia: vtpote qui auaritiam ipsam pessimum latronem incluseris, qui potest omnia exportare.* Itaque mens Chrysostomi est, exiguam quandā sortem furto aut iniuria ablatam, amplissimis fortunis immixtam, ad eas omnes inficiendas, & corrumpendas satis esse: iuxta illud, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Ita etiam ego dixerim, sicut vna Aquilæ pluma multas aliarum auium pennas exedit, ac deuorat (Albertus apud Conradum. *Vna*, inquit, *penna Aquilæ coniuncta multis pennis anseris, consumit eas id quod expertus sum in pennis alarum, & forte similiter sese habet in cæteris:*) ita etiam paucissimæ pecuniæ iniuria quæsitæ magnam earundem vim iustè partam extenuare, & consumere consueuerunt. Potest etiam ad hanc sententiam Aquilæ in sublimia volantis similitudo allici: nam Aquila, teste eodem Magno Alberto, tunc altius volatum attollit cùm apta iam præda ad superiores plagas remeat. *Tunc enim* (inquit) *cùm prædam vnguibus tenet, vltra nubes progredi solet, vt iucundius illa fruatur, & ab aliorum volucrum infestatione tuta sit.* Ergo cùm ait Salomon, *Facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cœlum*, ne putes illas omni præda vacuas discedere, sed prædæ loco etiam ipsas bene partas fortunas secum auferre, & ad sublimia transmittere, omni spe recuperandi destitutos relinquentes possessores suos.

Chrysost. 1. Cor. 5.

Conrad.

Albert.

Sed Chaldaicam paraphrasim libræ tradamus. *Si alligaueris oculos tuos in eum* (hoc est in diuitem) *non comparebit tibi, quoniam faciens sibi faciet sibi alas, sicut Aquila, quæ volat in cœlum.* Sensus est perspicuus: suadet Salomon spem aut fiduciam in ditioribus ac potentioribus nequaquam reponendam esse. Itaque ait, *Si alligaueris oculos tuos in eum.* Oculi hic spem adsignificant, quemadmodum sæpe alibi in scripturis. Psal. *Oculi omniū in te sperāt Domine, & tu das escam*, &c. & rursus, *Leuaui oculos meos in mōtes, vnde veniet auxilium mihi*, & alibi, *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrū*, & passim aliâs. Ait ergo Salomon, si ad angustias redactus in ditissimo ac potentissimo homine spem, ac fiduciam tuam locaueris, tunc cùm maximè illius opera & auxilio indigueris, *non comparebit tibi*, i. longissimè aberit à te, *Quoniam faciens sibi faciet alas sicut Aquila, quæ volat in cœlum.* i. Quemadmodū aquila in sublimes aëris plagas euecta omnia infra se habet, ac despicit, & ob nimiam celsitudinem, & distantiam, aciem intuentum fugit. Ita etiā diues ille ac superbus Princeps elatione animi ac fastu excelsa petens, reliquos omnes præ se contēnit, & tanto interuallo sese ab humilibus demissisque hominibus separat, vt ne oculi quidem ad ipsum acumine suo peruenire possint. Videtur. n. Chald. locū istum cū superioribus contexuisse, in quibus docet Salomon quot quātisque discriminibus obnoxia sit Principū gratia. 53. *Psal.*

Eodem sensu donanda est translatio LXX. *Si intenderis*, inquiunt, *oculos in eum, nusquam apparebit, parata. n. sunt ei alæ, & reuertit in domum præsidis sui.* De ditiori, ac potentiori sermo est, & quidem verba priora à Paraphraste non abeunt: posteriora autem quæ tantisper dissidere videntur, sic edisserenda sunt: *& reuertit in domum præsidis sui*, vel, vt extulit Complut. *in domum præfecti sui.* Quasi dicat, si fortè diues iste ac potens aliquando ad infimum, & humilem hominem sese deposuit, vt illi opem & auxilium ferret, nequaquam illi fidere oportet, quia habet paratas expeditasque alas, per quas, Aquilæ in morem, ad superiora, reuolat, & miserum quemque infra se longissimè relinquit: id sibi vult illud *reuertit in domum præsidis sui.* i. in domum vbi ipse præsidet atque imperat: *præsidis*, inquam, i. præsidentiæ suæ. 54.

Vel certe vtriusque translationis alius est sensus, qui mihi accommodatior videtur. Præmittere autem oportet velocem vitæ cursum ad mortem per celerē Aquilæ volatum in scripturis notari, Iob. 9. *Dies mei*, &c. & infra. *Pertransierunt sicut naues poma portātes, & sicut Aquila volans ad escam.* Cui adsimile est illud Sap. 5. *transierunt omnia illa*, &c. & Infra, *Tanquā auis, quæ transuolat in aëre, cuius non est vestigium inuenire itineris illius.* & in hoc lib. infra c. 30. v. 18. *Tria sunt difficilia mihi*, &c. *viam Aquilæ in cælo* lege ibi multa in hanc sententiā. Ergo sēsus istius loci sic habet. *Ne diuiti*, aut principi homini nimirum adhæreseas, spem tuam in illū iaciens, *si n. intenderis oculos in eum*, vt ab illo pēdeas, *nusquā apparebit*, i. morte sublatus ocyus disparebit, *parata. n. sunt ei alæ, sicut Aquila, & reuertit in domum præsidis sui.* nomine præsidis Deū intelligit, qui Principibus imperat vniuersis: q. d. ad mortē contendēs. vt Deo dominatori omnium sistatur suique apud illū relationem reddat, Aquilę velocissimæ volatum præcelerē imitabitur. Itaq; propterea fiduciam in Principibus nequaquam collocādam esse dicit, quia sæpius illis præcoci morte sublatis spes omnis frustra fit. Appositè autē dicit illū Aquilæ in morem ad mortem euolantem spes hominum eludere: nam Aquilæ volatus, vt auctor est Theophil. apud Conrad. cum se deposuit, breuissimo admodum temporis interuallo in tellure consistit, sed ocyus ad superiora 55.

Iob. 9.

Sap. 5.

Prou. 30.

periora transuolat: ita etiam Principum in hoc mũdo vita, ac mora perbreuis est, citiusque, aquilarũ ad instar, in mortem reuolant, iuxta illud, *Omnis potentatus vita breuis.* Eccles. 10. atque adeò fiducia etiam in illis reposita ocyus cum ipsis interit. Habet etiã emphasim iuxta hunc sensum Paraphrasis Chald. *Ne alligaueris oculos tuos in eum* (per oculos spem intellige) *quoniam faciens sibi faciet pennas vt Aquila*, &c. Quasi dicat, si enim tuam illi adalligaueris spem & fiduciam, illo abeunte & auolante cum ipso pariter auolabit, & abibit: nam leues istiusmodi spes facilè admodum post se mouebit. Eccles. 10.

6. *Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius: quoniam in similitudinem arioli, & coniectoris æstimat quod ignorat.*

7. *Comede & bibe, dicet tibi: & mens eius non est tecum.*

56. NE comedas cum homine inuido, &c. Hebr. ad verbum sic habent. *Ne comedas panem mali oculi: & ne cõcupiscas cibos sapidos eius, quoniam sicut æstimauit in anima sua, sic hoc*, Pagnin. addit, *sic hoc erit*: vt prorsus concinere videatur cum Vulgato interprete. Caiet. verò sic extulit. *Quia sicut amaritudo in anima eius sic ipse.* Vatabl. *nam intus in animo suo metitur, idque faciens dicit tibi*, &c. Chald. *quoniam sicut porta erigitur, sic eleuatur in anima sua.* LXX. *Ne cœues cum viro inuido, neque concupiscas illius escas quemadmodũ enim si quis deglutiat pilum, sic comedit & bibit.* Symmach. *sicut coniectans in animo suo, sic comedit, & bibit.* Hanc translationum diuersitatem peperit vox שער *Saghar*, quæ significat *coniectari* & *æstimare*. Rursus eadem vox accepta in thoar, per solam vnius puncti mutationem, significat *mensuram* & *portam*. Volunt autem Hebræi eo nomine significari mensuram maximam, ex qua reliquę minores æstimarentur, & in quam cęteræ ingrederentur, quemadmodum apud nos, *el arroba, ola fanega*: hæc enim reliquas minores mensuras: illa verò reliqua minora pondera includit: & eodem etiam modo eo nomine maximam & amplissimam ædium portam notari volunt. Translatio autẽ LXX. aliunde fluxit: nam eadem vox שער *Saghar*, cum pũcto in dextro carnu, *pilũ*, aut *capillum*, sonat. Addo etiam nonnullos, prioris illius vocis *Saghar*, cũ puncto in sinistro latere, vim expendẽtes, existimasse germanã illius significationem esse *spectrum* aliquod *visu horrendum* apparere, atque adeo locum istum sic conuertunt. *Quoniam sicut spectrum apparuit*: vnde verò hauserit illam translationem Caiet. *Quia sicut amaritudo in animo tuo, sic & ipse*, non satis assequor.

57. Vt huius loci germanum sensum aucupari liceat, constituere initio oportet quid per inuidum, aut mali oculi virum propriè significetur. Plures sunt, qui existimant inuidum capiendum hîc vt sonat, pro illo, qui de fœlicitate & fortuna alterius doleta, tque hũc virum mali oculi appellari ducta similitudine ab his, qui ex oculis suis virus iaculantur & pueros formosos fascinant: his enim inuidos adsimiles esse alibi docuimus. Sicut enim turpia seu deformia spectantes innocui sunt, at cùm formosa & pulcra intuentur, virus ex oculis spirant: Ita etiam inuidi, cùm fortè aliorum infœlicitatem & infortunia viderint, nihil damni afferunt: at cùm in fortuna & fœlicitate alicuius oculos defixerũt, nihil his virulentius, & lethalius est.

58. Reliqui autem (in his Iansenius, & Caietan. Rodolphus) per virum mali oculi, parcum, & illiberalem hominem notari volunt: quemadmodum è contra in superiori cap. vers. 9. vbi Primitiua habent, *Vir*

A *boni oculi benedicetur*, &c. noster quidem restituit, *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur*, &c. ita per *virum mali oculi*, immisericordem, auarum, & sordidum accipiendum existimant hi authores. Ego malim in hoc loco, *mali oculi virum* appellari, qui de rebus malè iudicat, is scilicet qui ea, quæ audit aut videt, in malam partem vertit, vulgò, *que echa las cosas à mala parte*, hoc enim sensu habes in Euangelio. Matth. 20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Vbi oculum nequam appellat paterfamilias eum, qui ea, quæ ipse iustè gesserat, in malum rapere & iniuriæ tribuere ausus fuerat. Matth. 20.

Ergo iuxta præscriptas *oculi mali*, aut etiam *inuidi*, acceptiones (puto enim *inuidum*, in hoc loco non 59.
B minus latè patere quàm *malum oculum*, atque omnes supradictas significationes sortiri) alias & alias interpretationes excogitare licet. Præmittam alienas translationes, vt in Vulgatam lectionem tandem incidam. Caietanus vtique per virum mali oculi parcum accipit, eàque, quã ipse ex originibus deprompsit, translationem sic exponit. *Ne comedas panem mali oculi.* Non de mensa tantum, sed in vniuersum de cõmercio, & familiaritate intelligendus hîc Salomõ, ait Caietanus, quasi dicat; Ne cum viro parco ineas conuictum; aut vsum, *Quia sicut amaritudo in anima eius: sic ipse*, idest, *sicut amaritudo occultatur in ipsius animo, ita etiam ipse occultat se tibi.* Verba sunt Caietani, quorum sensũm assequi non admodum faci-
C le: nisi fortè dicat, eum quidem, cùm aliquid necessitate coactus dat, interius & in animo amarum esse, etsi amaritudine & mœrore dissimulato iucunditatem, & alacritatem exterius mentiatur. Sed tamen hæc omnia parum concinna, & tam ab originibus, quàm Vulgata lectione aliena sunt.

Chaldæus sic conuertit. *Ne comedas cum viro, qui habet malum oculum, neque desideres pulmenta eius.* Quid in causa? *quia sicut porta erigitur, sic eleuatur in anima sua*: difficilis etiam huius paraphrasis sententia. Si ergo Chaldæus per virum *mali oculi*, parcum intelligit, similitudo quidem petita videtur à præmagnis ædium portis, quæ semper occurrentibus patent. Apud nostrates vulgò dicitur de homine, qui omnes benigne recipit & nullum arcet, *tiene las en-* 60.
D *tranas abiertas de par en par para recebir a todos*, scilicet tanquam portam aliquam peramplam, & bipatentem. Ad quam etiam portarum similitudinem adlusit Ioannes contrario sensu cum ait in 1. Can. cap. 3. *Qui habuerit substantiam huius mũdi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo*, &c. sensus ergo sic conformandus est. *Quia sicut porta erigitur, sic eleuatur, in anima sua.* i. quia vir iste sordidus, & auarus, exterius quidem viscera ostẽtat portæ in modum bipatentis ampla & aperta, i. erga amicos & conuiuas beneuolum & gratum se præbet, sed tamen animus longè abest: *Comede & bibe dicet tibi, & mens eius non est tecum.* Quod si per virũ Ioan. 3.
E *mali oculi*, eum intelligit Chald qui res in malũ auertit, captiosum videlicet ac dolosum artificem, portæ similitudo aliter aptè cadit: nã vox illa שער *Saghar*, vt supra animaduerti, nõ quamlibet portam significat, sed amplam & excelsam, atque adeò fere ad maximas vrbium portas notandas asciscitur. Imò potius existimo ea voce propriissimè illas vrbium portas, aut fores notari, quas vulgo appellant *Leuadizas*, quæ nimirum leuantur, & demittuntur, & ad concludendos hostes idoneæ sunt. Ita docet ex neotericis Hebraïzantibus non nemo, & suam coniecturam comprobat testimonio Psal. 23. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales*, &c. & Isaiæ pro illis verbis, *& aperientur portæ tuæ*, in originibus est, *& attollentur portæ tuæ*, quibus addere etiam licet Psalm 23. Isaia 60.

hunc locum. *Quia ſicut porta erigitur, ſic eleuatur in anima ſua*, ita vt *erigitur*, aut *eleuatur*, perinde ſit atque aperitur, aut recluditur. Iam ergo intelligis quo tendam. Suadet Salomon ne quis cum viro malitioſo, aut captioſo, commercium ineat, vt dolos illius vitare poſſit; nam ſimilis eſt portæ alicui ex his quæ leuari ac demitti ſolẽt, quæ primò quidem patet, & occurrentes ſibi benignè excipit; deinde verò eoſdem ſubitò includit ac tenet. Et quidem cùm in loco iſto de ænigmatibus ac griphis, qui inter epulas iactari ſolebant, ſermo ſit, vt poſtea dicemus, nõ ineptè quadrat hæc leuatæ portæ ſimilitudo in eum, qui eo animo in conuiuiis ęnigmata & griphos rogat, vt auditores captioſè teneat, & includat, ne euadere poſſint.

61. Succedat Vatabli tranſlatio. *Non intus in animo ſuo mentitur, idque faciens dicit: Comede, & bibe*, &c. Ianſen. huius lectionis ſententiam auaro accommodauit ad hunc modum, Vir auarus ac ſordidus, eius, quem conuiuio excepit, ſingulos hauſtus, & admorſus numerat, vulgò dicimus, *quenta los tragos y los bocados*, atque ideò cùm dicit, *comede & bibe*, nihil minus deſiderat, imò potius illum impranſum abire vellet. Aliter etiam locus iſte ad interpretationem problematum aut griphorum, iuxta pręmiſſam lectionem, adaptari poteſt. *Quia ſicut menſura in anima eius, ſic ſe res habet*. (ſic ad verbum reſtituendus eſt) quem paraphraſticè extulit Vatablus. Quia verò ſenſus cum Vulgata lectione omnino concinit, eius declarationem de induſtria differo.

62. Difficiliores explicatus habet tranſlatio. LXX. *Quemadmodum enim ſi quis deglutiat pilum, ſic comedit, & bibit*. Videntur hæc verba ad parcitatem ſpectare hominis, *Vidimus* (inquit Eraſmus) *aliquem lactis pilo ebibito ſtrangulatum*: & quidem pilus inter obſonia deuoratus, & faucibus fortaſſe adhæreſcens ſatis magnam moleſtiam, imò & periculum generat. Senſus ergo huius loci ſic habet: Sordidus ille, ac pręparcus homo ſingulis admorſibus perinde ſtrangulatur, ac ſi pilum cum illis abſorbuiſſet, vulgò diceremus, *à cada bocado ſe atraganta*, nec plura ſumere vellet: qua nimirũ cõuiuij ſumptus moleſtiſſimè fert. Cæterum ſi hæc verba cum his conſuantur, quæ ſtatim attexunt LXX. aliũ ſenſum reddũt, de quo poſtea.

63. Sed ad lectionem Vulgatam nobis gradus ſit, quæ non vnam interpretationem capit. Aliqui nomine *inuidi*, eum intelligunt qui de aliena fœlicitate mœret, atque adeò locum iſtum ſic ediſſerunt. *Ne comedas cum homine inuido*. i. cum eo qui inuidet vitæ ac fœlicitati tuæ nequaquam cibum ſumas, *quia in ſimilitudinem arioli & coniectoris æſtimat quod ignorat*. Mores hominis liuidi deſcribit, qui eorum, quos videt proſpera vti fortuna, cogitationes apud ſe diuinans, ſe ab iiſdem prorſus deſpici, & pro nihilo haberi putat. Propterea, inquiunt, verendum eſt maximè ne liuore accenſus cibos veneno inficiat, & vitæ ipſorum moliatur inſidias. Tunc verò locum habebit id quod ſequitur, *Comede, & bibe dicet tibi, ſed mens eius non eſt tecum*. Cæterum hæc expoſitio, quam Vatabl. probatam fuiſſe conſtat, non minimam vim verbis ipſis affert: atque adeò audienda non eſt.

64. Longè melius Ianſenius, qui per *inuidum*, aut *mali oculi virum*, auarum intelligit, atque locum ſic expendit. Ad auari ac ſordidi hominis menſam nequaquam accumbas, nec epulas illius affectes, *quia in ſimilitudinem arioli & coniectoris æſtimat quod ignorat*. i. quemadmodum arioli ſæpius ea prædicunt quæ non ſunt, ita etiam auarus alios ex ingenio ſuo fingit, & ex ſe alios metitur, vel potius ex ſua, illorum mentem diuinat: ſed quonam modo? Ipſe (inquit Ianſenius) etſi exterius beneuolentiam ſimulet, nequaquam in conuiuas ſuos beneuolus eſt, imò potius eos deteſta-

A tur, quia putat rem ſuam illorum intemperantia conſumi. Hinc eſt vt ſimilem ad modum de compotoribus ſuis ſentiat, eos ſcilicet quamuis externis ſignificationibus beneuolentiam mentiantur, ſibi tamen infenſos eſſe. Propterea ſubdit. *Comede & bibe dicet tibi, ſed mens eius non eſt tecum*. Cohærentia horũ verborum eſt luculenta. Ad hanc ſententiam allici poteſt locus Eccleſ. vbi de auaro ſermo eſt. *Oculus malus ad mala, & non ſatiabitur pane, ſed indigens, & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam*. Et quidem ſi de auaritia ſermo ſit, appoſitè ad hanc Eccleſiaſt. ſententiam poteſt locus iſte meliùs replicari, ad hunc modum, *Nam in ſimilitudinem arioli*, &c. i. tam puſillo & abiecto animo eſt, vt vnius conuiuij ſumptibus ſua- B rum fortunarum iacturam præſagiat, & paupertatem ſibi impoſterum indicet. Cæterum licet hæc Ianſenij interpretatio lenius fluat, mihi tamen nunquam probari potuit: quapropter duas alias, & optionẽ dabo. *Eccleſ.*

Vtraque autem poſtulat vti per *inuidum & mali oculi* hominem, eum accipiamus qui de rebus perperam ſentit, vulgò dicimus, *hombre de danada intencion, que echa las coſas a mala parte*. Prior ergo interpretatio ſic habet, *Ne comedas cũ homine inuido*, i. cum homine mala & noxia meditanti. *Nam in ſimilitudinem arioli æſtimat quod ignorat*. i. cùm ſæpius res malam in partem capiat, quemadmodum ipſe de conuiuis ſuis malè ſentit, ita etiam mente præſaga eos viciſſim de ſe, de conuiuio, ac de cuncto epularum ap- C paratu perperam cogitare exiſtimat, & ſuas res nulli probari putat, quemadmodum ipſi alienæ non placẽt. Inde autem fit, vt licet ſæpius malignum animũ diſſimulans dicat, comede & bibe, tamen eius animus longe abſit. 65.

Poſterior expoſitio, quæ mihi germana magis videtur, id poſtulat, vt in memoriam vocemus ea, quæ ſæpe aliàs inculcauimus de ænigmatibus, ac griphis obſcuris, quæ inter epulas ad torquenda, & explorãda conuiuarum ingenia iactari olim cõſueuerunt: ex quo genere eſt illud problema quod Samſon Iudic. 14. in nuptiali conuiuio obiecit, de quo ſic habet ſacer textus. *Proponam vobis problema, quod ſi ſolueritis mihi intra ſeptem dies conuiuij, dabo vobis triginta ſyn-* D *dones*, &c. (erat autem problema aut griphus) *de comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*: lege multa in hanc ſententiã ſupra in Iſagoge huius Cõmẽtarij, &c. 9. verſ. 1. vbi docui vniuerſas huius libri ſẽtentias, ex earũ genere eſſe quæ in conuiuiis diſcuti conſueuerũt, nec non ipſas in ſplendidiſſimo quodam epulo à Salomone iactatas fingi. Senſus ergo loci alioqui difficilis ex his liquet, *Ne comederis cum homine inuido*. i. cũ homine malitioſo, reſque in malũ auertente, numquam in conuiuium venias, *& ne deſideres cibos eius*. Cauſam verò ſubinfert, *quia in ſimilitudinem arioli & coniectoris æſtimat quod ignorat*. I. ſi difficile aliquod problema, ænigma, aut griphum inter epulas obieceris (quæ eſt illius malitia & veteratoria calliditas) eius ſenſum, arioli in morem, ſe diui- E nare ſignificabit, & licet illud non aſſequatur, tamen illum ſe penitus calluiſſe ſimulabit, atque adeò contemnet, ac pro nihilo habebit: inde autem accidet quod ſtatim attexit, *Cibos, quos comederas, euomes*, ex faſtidio ſcilicet reſpues, ac males impranſum manere, hanc enim vim habet verbum *euomes*, vt ſtatim dicam, *& perdes pulcros ſermones tuos*, &c. 66. *Iudic. 14.*

Poſſunt etiam ad hunc ſenſum nonnullæ ex ſuperioribus lectionibus transferri, ſcilicet illa, *Quia ſicut porta erigitur, ſic eleuatur in anima ſua*, cuius ſententiam ſupra dedi: necnõ illa, *Quia ſicut menſura in anima eius, ſic ſe res habet*. i. malitioſus ille conuiua auditis ænigmatibus aut griphis iudicat id prorſus eſſe, quod ipſe concepit, nec aliam illis ſignificationem ſubeſſe 67.

ſubeſſe poſſe, niſi eam quæ ipſi in mentem venit. Putat enim mentem ſuam eſſe *Saghar*, ideſt, maximam menſuram, quæ reliquas omnes minores in ſe cohibeat & includat, nimirum omnium mentes cognoſcendi vi, & amplitudine ſibi inferiores eſſe: Imò, quemadmodum magnæ menſuræ ex minoribus, ita etiam ſuam ex omnium mentibus coaluiſſe credit: de vi illius vocis *Saghar* ſupra dixi. Subnectit Sapiens.

7. *Comede, & bibe, dicet tibi, & mens eius non eſt tecum.*

8. *Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros ſermones tuos.*

68. Comede, & bibe, &c. Circa hunc priorem verſum nulla eſt tranſlationum diſcordia, ſi tamen excipias lectionem LXX. quæ partem illius ad ſuperiorem reuocarunt, partem verò cum ſequenti contexuere.

Cibos, quos comederas &c. Hebr. *Buccellam quam comediſti, euomes eam, & corrumpes verba tua iucunda:* Pagn. & alij ad imperandi tempus referunt, hoc modo. *Cibos, quos comederas, euome*, &c. Chald. *Panem quem comediſti, euomes.* LXX. *Neque ad te introducas eum, & comedas buccellam cum eo: euomet enim illam, & contaminabit ſermones tuos bonos.*

Quandoquidem hæc verba cum ſuperioribus cõnexa ſunt, vt contextus ipſe ſatis prodit, iuxta diuerſas ſuperioris ſententię interpretationes diuerſo modo exponenda veniunt, & quidem de illis, *comede, & bibe, dicet tibi, & mens eius non eſt tecum*, nihil aliud interpretes præter quàm ea accipienda eſſe vt ſonant, ſiue de inuido, ſiue de auaro, ſiue de malitioſo rerum interprete. Omnes enim iſti beneuolentiam, gratiamque externis ſignificationibus innuẽtes animum maleuolum diſſimulant. Subdit Salomon.

Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros ſermones tuos. Aliqui ex his, qui nunquam non ad Heb. interpretationes ſe recipiunt, putant hæc verba per imperandi tempus efferri debere hoc modo, *Cibos, quos comediſti, emoue*, &c. Ex his verò illi qui ſuperiora verba ad illum pertinere dicunt, qui alienæ fœlicitatis inuidus æmulator cibos offert, in quibus aliqua veneni aut toxici ſuſpicio ſubeſſe poteſt, ſic locum iſtum ediſſerendum putant, *Cibos, quos deuoraſti*, venenum aut toxicum ſuſpicatus actutum per vomitum redde, ne tibi forte mortem afferant. Addit, *& perde puchros ſermones tuos*, ideſt libenter eorum iacturam ſuſtine: nam ſi quid dixeris vel ad gratiam referendam, vel ad conuiuij laudem ſpectans, ille maleuolus, aut inuidus homo, quaſi non ex animo dictum, ipſe quidem ex animo repudiat: atque adeò totum hoc perditum puta, & perditionem hanc boni conſule. Non placet hæc expoſitio.

69. Caietan. Caietani etiam minimè probatur commentarius, qui verba hæc ad ſenſum metaphoricum transferens ſatis difficilem expoſitionem excogitauit. Nam cùm ex primitiuis locum iſtum ſic reſtituerit, *Comediſti panem tuum, euomes illum, & deſtrues verbà tua dulcia:* pronomen illud *tuum*, offendens, putat his verbis non haberi ſermonem de conuiuio, ſed per metaphoras innui maligni hominis ingenium, qui omnia bona in malum conuertit. *Bonum* (inquit) *eſt homini panem ſuum comedere, ingratum & moleſtum eundem euomere: iucundum etiam pulchra verba, aut ſermones eleganter dictare: at ſi quis eadem, quæ prius ſeriò dixerat confutare, & refellere cogitur, non modo iniucundum, ſed etiam indecorum putat.* Quaſi dicat, tanta eſt inuidi illius hominis malignitas, vt perinde ac ſi quis hominem, qui cibos ſuos iucunde ſumpſerat, ad vomitum

A compellat, vel cùm qui pulchros ſermones ſeriit, ad eos indecore refellendos, & palinodiam recantandã cogat: ſic ipſe omnia, aut facta, aut dicta proximorum in moleſtiam, aut dedecus eorundem tandem abire faciat. Hæc ille ſatis obſcurè, quibus loco non admodum difficili non lucem, ſed tenebras aſperſit.

Luculentius Vatablus, qui Salomonem eò ſpectaſſe dicit, vt doceat ab inuido illo, aut ſordido homine epulas adeò ſordidas, immundas, aut etiam inconditas fore exhibendas, vt nauſeam & vomitum conuiuis cieant. Ideò. n. ſubdit. *Cibos quos comederas, euomes*, cibos, inquam, inconditos, aut ſordidos ex nauſea, atque tædio reiicies, *& perdes pulchros* ſemones tuos, ideſt, ſi quid etiam probè dixeris inter cœnandum, id certè perdes. Quonam modo? Quia quemadmodum tu ex tædio ciborum epulas tibi appoſitas nauſeabundus tandem euomes, ita etiam inuidus ille, qui te inuitauit (liceat ſic dicere) ad ea omnia, quæ pulcrè dixeris, nauſeabit, & per ſummam inuidentiam omnium ſe tædere ſignificabit. Hæc etiam expoſitio non leniter fluit. 70. Vatabl.

B

Meliùs Rodol. qui hęc per quandam hyperbolem pronuntiata fuiſſe dicit, hoc ſenſu. *Cibos quos comederas, euomes*, &c. ideſt, cùm ex conuiuio inuidi illius hominis diſceſſeris, comeſtos cibos ex diſplicentia videlicet quadam euomere velles: & ſi quid etiam inter epulas in gratiam illius, qui te inuitauit, dixiſti, id certè iam tum indictum malles. Itaque illa duo verba euomes, perdes, aut deſtrues, ſic accipienda ſunt, quaſi euomere, perdere, aut deſtruere velles. Non admodum diſplicet Rodolph. cui comitem, vt aſſolet, ſe præbet Ianſenius. Rodolph.

C

Cæterùm quia Salomon, vt ex his, quæ in ſuperiori verſu diximus, conſtat, de problematibus ac griphis inter epulas veteri more iactandis atque ediſſerendis, iam tunc præmiſerat illud. *In ſimilitudinem arioli, & coniectoris æſtimat quod ignorat:* ideſt ſi quod ænigma aut griphus obſcurus inter epulas inciderit, illum quidem inuidus homo coniectari ſe ac per callere dicit, etiamſi eum minimè aſſequuturus iam nunc attexit quid inde eueniat. *Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros ſermones tuos.* Duo quidem ex hoc conuiuio inuidi hominis moleſta ſatis incommoda euentura prædicit, aliud certè vt ex tædio ſumptos cibos per vomitum reddat. ideſt, reddidiſſe ſe cupiat: vel potius non accepiſſe (vt paulò ante dicebam:) alterum verò vt problemata, & ænigmata ſua inter epulas coniecta, & dictata, prorſus deperdat, ac, ſi fieri poſſet indicta vellet.

D

Vel aliter, *cibos, quos comederas, euomes.* Succedat memoriæ id quod in Iſagoge huius commentar. adnotaui, ſcilicet apud veteres in vſu fuiſſe, vt quoties ſub epulis difficile aliquod de more problema agitãdum foret, ſi quis ob cibi, aut meri intemperantiam, ſenſus ad diſſerendum minus acres experiretur, ſeorſum factus vomitum moueret, vt ea ratione ſenſus ad diſſerendum compararet. Lege quæ ibi adſcripſimus: atque illis etiam vlterius annumera locum Eccleſ. c. 31. vbi hoc ipſum præcipere videtur Ieſus Syrach. *Si coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio, euome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Poteſt ergo locus iſte, iuſta eum morem, facili quadam ſententia donari. Vt autem hic aptius cadat, præmittere aliquid oportet: nimirum per virũ *mali oculi*, ſeu *inuidum*, vt ſupra notaui, non auarum & parcum, ſed veteratorem, mala & nocina ſponte meditantem & conantem accipi. Quapropter, huius malitia & actus non in eo ponitur, vt conuiuium illiberale ac ſordidũ exhibeat, ſed potiùs in eo vt plurima fercula & vini etiam plurimum intulerit, conuiuas ſuos cibi ac vini intemperantia ad crapulam adducere 71.

E Eccleſ. 31.

ducere volens, vt scilicet ex crapula mente emoti nihil serium inter epulas, aut sub epulis dicere queant: imò potius cunctis deridendos sese offerant. Hoc verò satis declarant illa verba, *Comede & bibe, dicet tibi*, quæ hominis sunt ad bibendum & comedendum stimulantis, non contra parcentis rei suæ. Ad sententiam veniamus, *Comede, & bibe, dicet tibi*, idest, seriò admodum suadebit, vt cibi atque vini plurimum sumas, vel propinans te ad bibendum lacesset, bellariaque submittens, ad comedendum vrgebit, iuxta propinationis leges: id autem non ex gratia aut beneuolentia faciet (nam *mens eius non est tecum*) sed vt tibi per vini atque ciborum intemperantiam mentem, & sensum eripiat, ac, si fieri potest, deridendum cunctis propinet. Duo autem ex hoc conuiuio incommoda B referes. *Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros sermones tuos*, idest, ob intemperantiam vomere necessum erit, & ob crapulam sermones pulchros, hoc est, problemata, & griphos, quos alioqui sanus, & tui compos inter epulas sereres prorsus amittens, aut si fortè aliquid eiusmodi dixeris, id certè illepidè, & insulsè dices, atque adeò illud perdes.

Vel aliter iuxta supra dicta, cum eiusmodi homine inuido conuescens id obtinebis vt ad crapulam adductus, si quid sub epulis seriò disceptandum fuerit, ad mentem comparandam, & sensus acuendos adesos cibos & vinum exhaustum vomere necessum sit: & si quid postea sanus post vomitum dixeris, illo per C inuidentiam summâ id perperam interpretante, omnino perdes: iuxta illud. *In similitudinem arioli & coniectoris*, &c. atque adeò ex hoc conuiuio voluptatis nihil, dedecoris autem & molestiæ plurimum referes. Hanc esse huius locis germanam sententiam reor.

72. De translatione verò LXX. aliud iudicium est, vt in superiori versu animaduerti: illi enim non tam suadent, ne quis ad conuiuium inuidi hominis vocatus ire tenuat, quàm ne quis inuidum ad suas epulas accersat, atque adeo subiiciunt. *Neque ad te introducas eum, vt comedas buccellam cum eo, euomet enim illam, & contaminabit sermones tuos:* sensus autem ex dictis liquet, idest. Ne inuidum illum hominem conuiuio excipias, neque illi cœnam expedias, *euomet enim illam*, idest, cibos appositos per nauseam & tædium sibi di D splicere significabit: neque modò ciborum tædio se teneri monstrabit, sed etiam sermonum, aut problematum, quos inter cœnandum serueris, quæ nauseabundus etiam repudiabit: hanc vim habet illud. *contaminabit sermones tuos*, id est, erga illos sordidissimè nauseabit, & fastidiet.

9. *In auribus insipientum ne loquaris, quia despicient doctrinam tuam.*

73. IN auribus, &c. Hebr. *Quia despicient intellectum eloquiorum tuorum*, LXX. *In auribus imprudentis noli quidquam dicere, ne fortè irrideat sapientes sermones tuos*. D. Cypr. ad Demet. in 3. testimonio, *ne quando audierit, irrideat sensatos sermones tuos.* Cyprian.

Huius loci perspicua sententia est. Omnes interpretes sonum literæ sequuntur, putátque in vniuersum à Salomone hoc præcipi, ne quis elegantes & acutos sermones auribus insipientium instillet: hi. n. quoties eorum sensum non assequuntur, ne ipsorum insipientia deprehendatur, ad deridenda ea, quæ audierint, se conuertunt. Tamen posset quisquam vlterius dicere hæc verba cum superioribus consuenda, & hoc Salomonis præceptum etiam ad conuiuia spectare, ita vt quemadmodum suasit in superioribus sententiis, ne quis suos griphos, aut problemata, quibus cœnæ conditi consueuerunt, ad virum inuidum A intenderet, ne eos perderet: ita etiam nunc doceat, ne eos in consessu insipientum iactet, ne si illorum sensum non percalluerint, per despicientiam, & cõtemptum probrosè respuant. Hanc vim habere videntur verba LXX. *Ne forte irrideant sapientes sermones tuos.* Non plura in hunc locum.

10. *Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas.*

11. *Propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum.*

NE attingas, &c. Hebr. *Ne moueas loco terminum seculi*, &c. Caiet. *Ne adiungas ad terminum sempiternum*. LXX. *Ne transponas terminos æternos; & in possessionem orphanorum ingrediaris.* Chald. *Ne mutes terminum, qui à seculo est.* 74.

De terminis à loco suo non mouendis, & quanta olim huius rei religio apud Hebræos esset, & apud gentes, sat multa diximus supra cap. 2. vers. 28. ad illa verba. *Ne transgrediaris terminos antiquos*, &c. Inter hanc verò, atque illam sententiam id tantum discriminis versatur quod illa absolutè cauet, ne termini, aut limites agrorum in vniuersum è locis suis transferantur: hæc autem specialiter agit de agris pupillorum, qui cùm iniuriarum vindicem non habeant, facilius eorum res violari, ac lædi consueuerũt. Itaque ait Salomõ, *Ne attingas paruulorum terminos.* Noster interpres verba omisit, sensum retinuit, & vti rẽ seriò commendaret, non dixit, *Ne transferas*, aut *ne loco suo moueas*, sed, *Ne attingas*, quasi dicat. Est sua in terminis agrorum religio, vtpote qui antiquissima patrum authoritate, & diuino etiã iure defixi sunt, atque adeò ne attingere quidem eos licet: Vel aliter, cùm aliorũ agrorum limites à suo loco mouere nefas sit, paruulorum ac pupillorum terminos, nõ transferre solùm, sed attingere etiam religio est. Et quidem aptè dicit iuxta origines, *Ne moueas terminum seculi*, cùm agit de terminis pupillorum; nam aliorum agrorum terminos ipsorum Dominorum autoritas, & tutela ab iniuria vendicat: at in pupillorum agris limites sola antiquitas defendit. Et quidẽ ipsius antiquitatis tutela aptè illis adhibetur à Salomone; quasi dicat. Si quis teneram ætatem, & pupilli annos non veritus, illius terminos violare præsumit; at saltem illorum terminorum antiquitatem, & senectã vereatur, atque adeo ne attingat quidem. *Et agrum pupillorum ne introeas*, idest, agri tui fines prætergressus nequaquam in illius agrum pedem immittas. Potest etiam hoc referri ad seruitutes agrorum, ex quibus alia est, ius eundi per fundum vicini, atque illius solùm, cùm voluerit, terendi, aut aquam per illum regendi, leg. 1. ff. de seruitute. Hoc autem ius consuetudine comparari consueuit, ex eodem iure. Ergo Salomon ad istiusmodi seruitutem fortasse adludens ait, *Et agrum pupillorum* E *ne introeas*, idest, ne quandiu ipse pupillus ob teneram ætatem prohibere, ac vetare non potest, in agrum ipsius introeundo, atque illum terendo, huic seruituti obnoxium facias; id enim valdè iniustum est. De terminorum immobilitate lege plura, quæ in eum locum contulimus. Attexit Salomon.

Propinquus enim illorum fortis est, &c. Hebr. *Redemptor enim illorum fortis: ipse litigabit litem eorum tecum*. Chald. *Quia Redẽptor eorum fortis est, & iudicabit causam eorum contra te*. LXX. *Qui enim redimit eos Dominus, validus est, & indicabit iudicium eorũ tecum*. Aquila, & Theodot. *Vindex eorum fortis*, &c. Subest hîc in primitiuis vox גאל, *Goel*, quæ *redemptorem*, aut *vindicem* adsignificat; noster autem interpres non semel etiam aliâs *propinquum* vertit, sed præsertim in libro Ruth, 75.

Ruth, vbi passim eam vocem vsurpat c. 3. & 4. nescio an alibi & siquidem alicubi hic certè accommoditissima est translatio isthæc, vt statim vidibimus.

Sensus ergo est luculētus Persuasum certè est hominibus pupillo defensore ac vindice carere, qui eorum iniurias exquirat: non ita, inquit Salomon, sed Deus ipse illorum patrocinium sibi sumit, vt eorum res sartas tectasque ab aggressoribus iniustis præstet. *Redemptor enim illorum fortis est ipse*. Sic passim interpretes, idest, ne propterea quis pupillos violare audeat, quia infirmi sunt: nam Deus, qui illos tutandos suscepit, fortissimus est. Sed cur *redemptor* dicitur? est etiam huius vocis in iure vsus, nam *redemptor litis*, aut causæ is dicitur, qui pretio aliquo, aut mecede pacta, litis periculum in se recipit, eiusque periculum præstat: Vlpian. leg 6 & 7. § 6. ff. Mandat & leg. etiam 5. Cod. de proculatoribus, & leg. 21. Cod. Mandat. & leg. 9 § 1. ff. de Officio Procons. Iam ergo intelliges quàm aptè Salomon Deum pupillorum *redemptorem* fore affirmet, qui videlicet *litem eorum litiget*, idest, redemptoris in morem vniuersum periculum in se suscipiat, & eiusdem cautionem præstet: qui scilicet perinde causam eorum agat, ac si sua ipsius interesset, & ipsius bonis fraus fieret.

76. Noster iterpretes pari energia *propinquum* reddit, nomine autem propinqui intelligo tutorem aut curatorem: nam secúdùm legem pupillis tutor, aut curator ex propinquis præfici debebat. Itaque ait, *Propinquus enim illorum fortis est*, idest, pupillus ille omni auxilio destitutus vulgò existimatur: at falsa est isthęc existimatio: Deus enim illius *propinquus*, id est, tutor, & curator est, ad quem spectat non solùm ipsius personam, sed bona etiam, & actiones tueri: ideò subdit: *Et indicabit contra te causam illorum*, in Primitiuis est, *& litigabit litem eorum tecum*, idest, eorum causam, & partes veluti curator, aut tutor transiget: Vel (si placet) sic Vulgatam lectioné edissere, *Propinquus enim illorum est fortis, & indicabit contrá te causam illorum*, id est, tutor simul ac iudex est, atque adeò litem definiet contra te. Vtrumque verum, nec etiam alienum à iure; nam, vt ait Hotomanus, pupillorũ tutela propriissimè residet in iudicibus ac magistratibus publicis; & eorum quasi *prototutores existunt*, priuati verò illi, quibus hęc cura quacunque ratione demandatur, argumento sit quod his nihil in pupillorum bonis vnquam licet, nisi ex magistratuum præscripto. Si ergo alios iudices propriissime pupillorum prototutores esse constat, idipsum de supremo iudice Deo diffiteri, aut inficiari nefas est: Imò potius, quia Deus pupillorum præcipuus curator, ac iudex existit, propterea humani magistratus, quemadmodum in omnibus aliis causis Dei vicarij sunt, ita etiam in hac cura ipsius seu *prototutoris* esse oportet, vt pupillis vbique deferant, & causas eorum defendant.

---

12. *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ.*

77. INgrediatur, &c. *Ingredi fac ad eruditionem cor tuum, & aures tuas ad eloquia scientiæ.* Vatablus. *Accommoda ad eruditionem cor tuum*, &c. L X X. *Da in disciplinam cor tuum, aures autem tuas adhibe sermonibus sensus.* Aquila, Symmach. & Theodor. *Scientiæ.*

Sententia huius loci est illustris, *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures*, &c. Imò potius è contra euenire videtur: nam doctrina in mentem influit, & verba in aures penetrant. Non ita, inquit Salomon, sed viçe versa cor tuum ad doctrinam moueatur, & illius arcana, & penetralia studiosè adeat, atque aures tuæ ad verba prudentiæ captanda sponte veniat. Quorsum hæc? vt significet sapientiæ parandæ studium tantum esse oportere, vt non modò quis incidentes de sapientia cogitationes animo excipere, aut etiam incidentia verba auribus captare, sed ita vt mens assiduò ad discendum conetur, & aures ad audiendum intendantur. Emphasim habet lectio originalis, *Ingredi fac ad eruditionem cor tuum*, id est, ipsum ad ingrediendum stimula. Difficiles semper, ac molesti sunt primi ad omnem disciplinam aditus, sed ad virtutem, & honestatem imprimis arduj atque graues. Audi Senecam. *Quemadmodum virtutes retentæ exire non possunt, facilisque earundem tutela est, ita initium ad illas ingrediendi arduum* (rationem attexit) *quia hoc primum imbecillæ mentis, atque ægræ est, formidare inexperta*. lib. 2. in Epist 51. D. Ambrosius adeúdæ virtutis difficultatem in alio ponit. *Cum renuntiatur*, inquit, *improbitati statim asciscitur virtus. Egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum, eodemque studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Habentur isthæc verba 23. quæst. 1. Cant. *Cum renunciatur.* Itaque Ambrosius hanc difficultatem tam in ingressu ad virtutem, quàm in exitu à vitiis sitam esse dicit, vbi enim quis è vitiis pedem extulit, nullo negotio ad virtutem penetrat, atque adeò tota introeundi difficultas ad limen vsque virtutis peruenit. Ait ergo Salomon, *ingredi fac ad doctrinam cor tuum*, id est, cùm omnis virtutis difficultas, & molestia in ingressu sit, aanimum tuum tamdiu perurge, ac stimula, quo ad virtutis limen superet.

Seneca. Ambros.

78. At, inquies, in experientia, & insolentia virtutis animum exterret (vt ex Seneca nuper obseruauimus) Aiunt equorum generositatem tunc cùm pulli sunt, ac nec dum sessorem exceperunt, ex eo probari, quod primi, & impauidi inexpertam viam adeant, atque fluuium etiam, aut pontem nunquam emensum aggrediantur: Sic Maro. Virgil.

Primus adire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto.

Ergo Salomon sic ad adolescentem (quem instituit in hoc libro:) si tuam, ait, nobis indolem, & generosos animos probari velis, *Ingredi fac ad doctrinam cor tuum*, ne te eiusdem virtutis insolentia deterreat, sed generosi ad instar equi in ignotam, atque inexpertam virtutis viam, fluuium, aut pontem pedem inferre ne detrectes; (hæc enim omnia nomina virtuti accommodare non est arduum.) Rursus dicis, non tam ab insolentia virtutis, quàm à vitiorum solemni exercitio te retardari, quominus virtutem audacter adeas (ex mente Ambrosij.) Hoc quidem ad seniores spectat, qui terendis planissimis vitiorum semitis assueti ab his difficilè ad virtutum cliuos reuocantur; igitur ad illos etiam Salomon, *Ingredi fac ad doctrinam cor tuum*. Ad hanc difficultatem etiam superandam transtulit Chrysostomus Homil. 20. ad Pop. exemplum equorum, quos experientia ipsa constat, cùm per decliue in foueam descenderunt, velocius abiectum cliuum superare solitos; nam impetus ille, quo ad ima perlati sunt, eosdem ad sublimia leuius impellit. Nil certius: *Quosdam* (inquit Chrysost.) *continet medius inter virtutem, & vitium hiatus; sed nulla est eiusmodi excusatio, nam ex vitio procliuis fuga, ac descensio est, & si quis inde ad virtutem cliuus attollitur, ipso descendēdi impetu facilè vincitur.* Hæc Chrysost. Vbi planè ad præmissam similitudinem spectauit, qua erigendi sút illi, qui vitiis olim mancipati ad bonam frugem redire parant, quos sic cum Salomone affari libet. *Ingredi fac ad doctrinam*. i. ad virtutem, *cor tuum*, nimirum ex vitio ad honestatem, quia ex vitio procliuis fuga est, quapropter licet arduus sit ad virtutum limina ascensus, impetus ille aut impulsus qui ex fuga per de-

Chrysost.

cliuia capitur, hominem ad virtutis sublimia rapit; nam vt vitium eiusque damna olim sibi cognita fugiat, ocyus se transfert ad honestatem homo prudẽs.

Suadet præterea Salomon, at aures ad sapientiæ eloquia,& præcepta ingredi compellantur, *& aures tuas ad verba scientiæ*,supple,*ingredi fac*.Fugiũt etiam nonnunquam aures ipsæ disciplinam honestatis,sunt enim quædam in auribus ad virtutem aut vitium semina,nam quosdam virtutis sonus deterret,alios verò allicit.Ergo Salomon ait,ad virtutis præcepta audienda compelle aures tuas, nec tantum ea, quæ in limine sunt virtutis documenta accipere velis, sed *ingredi fac* aures tuas,idest eas ad internam, & maximè reconditam honestatis doctrinam hauriendam impelle.Sic enim doctrina in mores influet.

---

13. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur.*

14. *Tu virga percuties eum,& animam eius ab inferno liberabis.*

80. NOli subtrahere à puero,&c.Hebr. *Noli prohibere à puero correptionem*,reliqua concinunt.L X X. *Ne destiteris paruulum emendare.*

Huius loci luculenta interpretatio est, ad cuius sententiam germanam aucupandam nihil præterea opus est, quàm verborum sonum auscultare,& extrema illa verba discutere *Si enim percusseris eum virga,non morietur*.Quæ duplicem ad sensum allici possunt. Aut enim id sibi volunt:si ex hoc instituto, vt nimirum mores ipsius ad virtutem informes, illum seuerè coërcueris, hac ratione illum à morte vendicabis. Vel aliter, ne propterea illi indulgeas, virgæ parcens quia tener est, veritus ne fortasse supplicij acerbitas præcocem mortem ipsi afferat;nam ad prouidentiam Dei hoc spectat,vt etiam verberibus acriter ictus diutius valeat.Vtraque sentẽtia vera est.Itaque ait Salomon,*Noli subtrahere à puero disciplinam*. i. correptionem noli intermittere, *si enim percusseris virga,non morietur*,idest,illum morti eripies,quod tam de morte corporis,quàm de animi interitu accipi potest. Quemadmodum enim indulgentia vtrumque obitum animi,& corporis liberis adducere solet, ita etiam correptio,& vexatio ab vtroque interitu vendicat.Succedat memoriæ illud Psal.127 *Filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ*. Vbi liberi cum olearum surculis,aut nouis plãtationibus conferuntur,&,ni fallor, ea similitudine diuturnam valetudinem, & longam vitam filiorum pollicetur Psaltes, nam constat oleam inter arbores diutissimè viuere,vt autor est Plinius,& alij naturalis historiæ scriptores.

81. Cæterùm contra hanc oliuæ diuturnitatem,& perennitatem aliquid natura ipsa molita est:nam vt tradunt rei agrariæ periti, in his Autor historiæ plantarum in *olea*.Glychyrrisa,si oliuæ adhæresçat,& circa stipitem eius radices agat, non longo interuallo ipsam interire cogit. Est autem Glychyrriza arbustum humile radices dulces in tellurem altè demittens, quam vulgus appellat *regalizia*,quæ ad nimiã parẽtum erga liberos indulgentiam notandam appositissima est:nam si hæc indulgentia,Glychyrrizæ in modum,ob parentũ mollitiem filiis agnata sit,illos,oleatũ in morem, alioqui diutissimam vitam producturos,ocyus emori cogit.Aptè igitur Salomon,si illum *virga percusseris,non morietur*, nam quem indulgentia neci maturius tradit,eundem seueritas, & correptio neci eripit.Et quidem ad diuinam prouidentiam hoc spectat,vt liberi, erga quos parentes seueri sunt,disciplinæ gratia,diutius viuant, quàm hi quorum, vt

A vita seruetur,mores negligi consueuerũt.Hinc Ambrosius, Alcyonis exemplo parentes eiusmodi plus æquo liberis indulgentes eleganter pungit. Et quidem primò naturã Alcyonis sic describit. *Est,inquit, ea auis marina, quæ in littoribus fœtus suos edere solet, ita vt in arenis oua sua deponat medio fere hiemis:nam id temporis fouendis habet deputatam partubus, quando maximè insurgit mare,& littoribus vehementior fluctus illiditur,quo magis repentinæ placiditatis solẽnitate huius auis eluceat gratia. Nam vbi vndosum fuerit mare, positis ouis subitò mitescit, & omnes cadunt ventorũ procellæ,flatusque aurarum quiescunt,& placidũ ventis stat mare,donec oua foueat Alcyõ sua.* (Et paucis interiectis sic attexit.) *Ac ne putes quod ouorum videatur habere* Ambros.

B *contemptum,cõtinuò vbi deposuerit oua nidificat,& suos partus corpore fouet, nec saluti propriæ alluuione littoris pertimescit:sed secura de Dei gratia ventis se committit, ac fluctibus. Parum est hoc, adiungit totidẽ alios ad nutriendum dies,nec interpellari tot diebus infidi maris trãquillitatem veretur;tentatque meritum suum natura iam solemnitate fundatum,& teneros fœtus non latibulis aliquibus abscõdat,aut tectis,nec includit cauernis.sed nudo,& vigenti committit solo:nec defendit à frigore,sed diuino fotu(quo magis cætera ipsa despicit) eos tutiores fore existimat.* Quod inde subnectit Ambrosius documentum optimum ex huius auiculæ petitum moribus. *Quis,inquit,nostrum paruulos suos non vestimentis tegit, tectisque abscondit?quis non claudit eos septis cu-*

C *biculorum ? quis non ita diligenter fenestras obstruit ne qua possit aura vel leuiter penetrare?quis non eisdem nimium indulget?quis eorum delictis non cõueniet?quis demum multis alijs rationibus eorum vitam seruare non satagit ? Sed meritò quos tam solicitè induimus, fouemus, abscondimus , seruamus ; exuimus diuinæ clementiæ inuolucro. Alcyon verò quos nudos proijcit diuino vestit indutu.* Itaque mens Ambrosij hæc est,nimiam patrum erga liberos indulgentiam ad eorum vitam seruandam minimè idoneam esse, quia hæc illos meritò diuinę prouidentiæ,priuat tutela,cùm cõtra seueritas, correptio,& castigatio disciplinæ gratia eisdem exhibita diuinæ prouidentiæ patrocinium illis conciliat, quod solum ipsos incolumes præstare potest.Quem-

D admodum ergo Alcyon inter fluctuum flagella, diuina prouidentia seruante,pullos suos absque discrimine aliquo educat:ita etiam ab ipsa edocti parentes omnino credant, non posse liberos melius ac tutius educari quàm inter verbera, & flagella.Quapropter optimè Salomon,*si percusseris eum virga,non morietur*.

Aliqui pro *virga malleum*,restituunt,hoc modo. *Si percusseris eum malleo*, sed,ni fallor,mendum apertissimum est. Fortasse autem quispiam olim legit, *si percusseris eum malleolo*,&c.Eo enim nomine arborũ surculos,lentasque ad flagellandum virgas appellare cõsueuimus , quos aliquando etiam arborum flagella dicimus. Hinc nata loci corruptio, *si percusseris eum malleo?* Tamen si hæc translatio non displicet , non 81.

E ineptè ad filiorum bonam educationem transferri potest.Audi Anselmum de similit. cap.187. *Vidistis, inquit,aliquando artificem lamina auri,vel argenti,solis malleorum percussionibus imaginem speciosam formasse?nõ puto. Imò potius,vt aptam formam ex lamina formet:nunc eam suo instrumento leuiter premit, ac percutit,& postmodum planat,deinde leuamine leuius lauat, & informat. Sic, & vos si pueros vestros cupitis optimis moribus ornatos esse,necesse est vt cum depressionibus verberum impendatis eis paternæ pietatis,& mansuetudinis leuamen atque subsidium.* Hæc ille, quibus modum præscribit,qui in castigandis corripiendisque liberis seruandus est,vt scilicet cum verborum ictibus coniungatur etiam benignior ac placidior conuersatio. Subdit Salomon. Anselm.

Tu

83. *Tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno liberabis*. Heb. שאול *Miſcol. ab inferno, à fouea, à ſepulchro*. (has enim omnes ſignificationes capit vox Primitiua.) Caietanus habet, *& animam eius à fouea facies euadere*. LXX. *Animam autem eius à morte erues*.

Ergo Caietan. ſic exponit. *Et animam eius à fouea facies euadere*. id eſt, filium tuum pleriſque caſibus ac ruinis eripies, in quas incidere ſolent viri iniqui, quorum vitia parentum negligens educatio à teneris non compreſſit. Alij rurſus, quibus placet Caietani tranſlatio, per foueam antrum, vel ſpecum intelligunt obſcurum, & lucis expers, quaſi dicat, Animam eius à fouea facies euadere, ideſt, ex obſcuro ſcilicet ignorationis antro, ad ſcientiæ, & cognitionis lumen trãsferes. Hæc enim eſt verberum explorata vis pueros ad cognitionis, rationiſque lucem ocyus adducendi. Quod petitum ab Aquilis exemplum luculẽter edocet. Aquilæ enim (auctor eſt D. Maxim.) vt pullos ſuos è rupis ſcrobe, aut ſpecu, vbi nidum conſtruere ſolent, in lucem, & apertum aërem alioqui detrectantes euolare cogant, eos alarum verbere flagellant, & roſtro etiam ad ſanguinem vſque percellunt. Non alia debet eſſe parentum in liberis educandis induſtria, hi enim in præclaram doctrinæ lucem, & apertum ſapientiæ aërem, ex ſocordiæ atque ignorationis nido, aut ſpecu fere non niſi verberati, & flagellati euadere ſolent.

Caiet.

Maximus.

84. Communis tamen interpretatio nomine *inferni*, baratrum intelligit, aut etiam ſepulchrum, ita vt ſenſus ſit; Si illum aſſiduò virga tundere non deſtiteris, probos, & honeſtos mores hoc auxilio ſuſcipiet, atque adeò gehennam, & baratrum declinabit, quò ſua ipſorum ſcelera, & male facta homines impios tandem aliquando compellunt. Quod hac demum ratione intelligi debet, ne frigeſcat ſententia. Cùm hominum mores, ac vita ſemper pendeat, & cæli baratrique ad vſque obitum anceps ſors ſit: tamen neſcio qua ratione pueros illos, quos parentes à teneris verberibus tundunt, & per ſeueritatem correptionis ad morum honeſtatem traducunt, quaſi extra aleam ponunt, ita vt iam inde ex tunc eos à gehennæ ignibus liberos præſtent. Nam mores boni à teneris ſuſcepti nunquam deſeruntur. Emphaſim habet iuxta hanc interpretationem tranſlatio Chaldaica, quæ ſic ad verbum efferenda eſt. *Animam eius ab inferno liberaſti*. Quaſi dicat, iam tunc gehennæ ignibus eripuiſti, & veluti ad beatitudinem deſtinaſti.

85. Vel (quod ſatius, & cum textu cohærentius reor) per infernum ſepulchrum accipiendum eſt, ita vt ſẽſus ſit, *ab inferno*, id eſt, ſepulchro, à morte nimirum præcoci eum liberabis. Conſentiunt LXX. qui ſic habent, *animã eius à morte erues*. Huc ſpectat id quod matres affatus non ignobilis noſtri temporis Eccleſiaſtes commentus eſt, *Duplex*, inquit, *homini mater ab initio, ea ſcilicet quæ ipſum genuit, necnon alia quæ mater etiam hominum vulgò dicitur, hæc eſt tellus, quæ cùm homini quondam initium dederit, ius matris in omnes ſibi vendicat. Inter has ergo duas matres quædam coram Deo cauſa verſatur, vtra filium hunc, id eſt, hominem ſibi auferre debeat: ſæpius igitur ex incuria matrum erga liberos hoc accidit, vt Deus terræ litem, & cauſam adiudicet, ratus ſcilicet melius inter mortuos apud terram tumulo incluſum puerũ futurum; quàm inter viuos apud matrem educationem illius omnino negligentem*. Optimè ergo Salomon ait, *tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno*, id eſt, à ſepulchro, *liberabis*, quia ſeuera educatione id perficies, vt filius melius apud te ſit, quàm in tumulo defoſſus apud communem parentem tellurem.

A

15. *Fili mi, ſi ſapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum.*

16. *Et exultabunt renes mei, cùm locuta fuerint rectum labia tua.*

Fili mi, ſi ſapiens, &c. Heb. *Fili mi, ſi ſapiens fuerit cor tuum, lætabitur, & cor meum, etiam ego*. LXX. *Et ſi ſapiens fueris, cor tuum lætificabis, & cor meum*. 86.

Et exultabunt renes mei, &c. Hebr. *Cùm locuta fuerint labia tua rectitudines*. LXX. *Et immorabuntur ſermonibus tua labia ad mea labia, ſi recta fuerint*. Aquila,

B & Symmach. concinunt cum Vulgatis.

Sententia hæc vix interprete indiget. Si meis præceptis imbutus plurimum profeceris (inquit Salomon) & mens animuſque tuus ſatis hauſerit doctrinæ, animus vtique meus impẽsè gaudebit: nihil enim magis præceptoris animum lætitia perfundit, quàm profectus diſcipuli. Quod ſi non modò tibi ipſi ſapere, ſed etiam ea, quæ à me accepiſti, aliis tradere vtiliter cœperis, tunc ſanè *exultabunt renes mei*, id eſt, præ lætitia geſtiam.

Sed expẽdamus ſingulos verſus; Prior iuxta Hebraïcas origines ſic efferendus eſt. *Fili mi, ſi ſapiens fuerit cor tuum, lætabitur, & cor meum, etiam ego*. Illa cordis repetitio magis ad leporem orationis, quàm

C ad ſententiam facere videtur. Sed obſeruatione digna eſt extrema illa clauſula *etiam ego*. Caietanus putat repetendum verbum *lætor*. i. etiam ego lætabor, aut gaudebo, vt ſignificet eam lætitiã non corde celandam, ſed externis etiam ſignificationibus inſinuãdam fore, quaſi dicat, tantam lætitiam cor inde hauriet, vt inibi coërceri nequaquam poſſit, ſed impetu ſuo foras erũpat, & in faciem redundet. Cum Caietano ſentit Vatablus. Alij rurſus ex Rabinis non inſulsè docent iterandum potius illud *ſi ſapiens fuerit*, hoc modo *Si ſapiens fuerit cor tuum, lætabitur cor meũ, & etiam ego ſapiens ero*. Ideſt, ſi tu in doctrina profeceris, memet ſanè profeciſſe exiſtimabo, quaſi dicat, inde mihi lætitia atque gaudij tanta vis affluet, quia

D tuos in doctrina progreſſus meos exiſtimabo: vel certè ſignificat ſe tradendis auditori ſuo ſapientiæ documentis, verè ſuam doctrinam cumulaturum: nam vt, ſupra c. 1. v. 5. nonpaucis docuimus, auditor alacer, qui doctrinam auidè arripit, præceptori ſuo ſapientiam addit.

Cæterum quamuis hæc, & alia nõ ineptè dici poſſint, tamen reuera hic Hebraïſmus eſt, quo Salomon ad augendam ſententiæ vim non ſemel aliàs vtitur in hoc libro, vt capite ſuperiori obſeruauimus verſ. 19. ad illa verba, *Vnde, & oſtendi eam tibi hodie*, quibus in primitiuis hæret *etiam tu*, quemadmodum hic, *etiam ego*. Itaque hæc iteratio maximam lætitiæ vim ſignificat, quæ ex diſcipuli progreſſu ad doctorem redit. 87.

E Sed vnde tanta ſolatij affluẽtia ex auditoris profectu doctorem perfundit: in promptu eſt altera ratio, quã attigit Seneca epiſtol. 17. *Cupio*, inquit, *omnia, quæ ſcio in alium transfundere, aliquidque gaudeo diſcere vt doceam, nec me vlla res delectabit, licet ſit eximia, & ſalutaris, quam mihi ſoli profuturam videro: ſi hac exceptione detur ſapientia, vt illam incluſam teneam, nec enunciem, reijciam, nullius boni ſine ſocio iucunda poſſeſſio eſt*. Ergo quia in ſuæ ſapientiæ ſocietatem auditor vocatur, ideò doctor geſtit. Audiendus etiam Paulus ad Philippen. 4. *Itaque, fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea*. Et 1. ad Theſſalonicenſes 2. *Quæ eſt enim noſtra ſpes, gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ eſtis in aduẽtu eius? vos enim eſtis noſtra gloria, &*

Seneca.

Philippen. 4.
1. ad Theſ. 2.

& gaudium. Contemplatur scilicet Paulus Philippensium, & Thessalonicensium in doctrina sua progressus; atque inde mirificè delinitus eos gaudium suum esse dicit. Coronam autem cum gaudio copulauit, vt significaret cum lætitia gloriam cohærere, & cum voluptate honestā. Theophylactus ea verba, quibus Paulus Thessalonicenses affatus est, matris esse dixit amantissimæ filiis suis ablandientis. Ita enim solent matres infantes suos compellare *Mi consuelo, mi Rey, mi Emperador*, & his similia.

88. Sed, siquidem in filios incidimus, huius certè gaudij, quo præceptor ex auditoris sui doctrina suffunditur, præcipuam causam attigit Diuus Ambrosius, qui hanc animi dilectionem cum ea componit, quam mater susceptis filiis consequi solet; ad quem sensum allicit illud Euangelicum exemplum. *Mulier cùm parit tristitiam habet, cùm autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Nam, liceat sic dicere, tunc præceptor discipulum veluti parturit atque enititur, cùm illum assiduo labore erudit, atque informat; at postquam is doctus, ac scientiæ non vulgari instructus euasit, *Iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*; id est, succedente gaudio obliuioni dolor committitur, quia vir doctus in publicam vtilitatem luci datus est. Et quidem parentum de susceptis filiis lætitia in eo præsertim sita est (vt alias non semel obseruaui) quod liberi post parentum obitum superstites eorum vitam seruant, illosque quodammodo immortales reddunt, iuxta illud Eccles. 30. *Mortuus est, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem sibi post se.* Haud dissimile ergo est doctoris de discipulo iam solatium, quem propterea impensiùs lætari crediderim, quia ea ratione suam ipsius sapientiam per mortem nequaquam abolendam, sed in auditore seruatam posteritati tradendam putat. Huc spectat id quod statim attexit Salomon. Eccles. 30

89. *Et exultabunt renes mei cùm locuta fuerint recta labia tua*: Renes quidem ad generationem spectant, & ipsam generandi facultatem in scriptura innuere solent, 3. Reg. 8. *Sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis*, & alibi. Atque adeò propterea renibus potius, quàm aliis membris hanc lætitiam tributam dicemus, quæ ex spiritualium filiorum generatione suscipitur. Tunc verò gaudium hoc longè maius futurum dicitur, cùm discipulus ea, quæ à doctore accepit, aliis instillare incipit. *Cum locuta*, inquit *fuerint recta labia tua.* Quia quemadmodum (auctor est Philosophus Ethic. 8. cap. 11. & 12.) aui ardentiùs diligunt, & suauiùs amplectuntur nepotes quàm liberos, quia scilicet vitæ suæ propagationem, quam per sobolem affectant, longiùs ad seram posteritatem per nepotes, aut pronepotes protendi vident: Ita etiam doctores, discipulos suos auditores iam habere vident, gaudent impensiùs, quia suam sapientiam latiùs propagari, & ad posteros longiùs transmitti vident. Aristot.

90. LXX. locum istum sic extulerunt. *Et immorabuntur sermonibus tua labia ad mea labia, si recta fuerint.* Nam cùm præmisissent *si sapiens fuerit cor tuum, lætificabis cor meum.* Si videlicet à me eruditus sapiens euaseris, gaudio perfundes cor meum; propterea ait, non perfunctoriè docebo te, sed tamdiu in tradenda tibi mea doctrina labiis meis immorabor, donec labia tua ad alios etiam perdocendos satis instructa sint. Hanc illis verbis inesse vim puto, quorum constructio sic pangenda est. *Et immorabuntur sermonibus tua labia ad labia mea*, id est, *apud mea labia*; (sic restituit Complutensis codex.) Nimirum erunt tandiu tua labia apud mea, donec eadem dictare possint tua aliis, quæ mea tibi dictauerint, *si* videlicet *recta fuerint*, Græcè ὀρθὰ, id est, bona, quæ vox aliquando significat *habilia*, quemadmodum etiam apud Latinos *bonus* habilem nonnunquam sonat. Maro.

Cur non Mopse boni, quoniam conuenimus ambo, Virgil.
Tu calamos inflare leues, ego dicere versus.

Boni, inquam, *inflare*, aut, *dicere.* i. apti, & periti; ad eundem modum cùm ait *si recta*, aut, *bona fuerint*, perinde est ac si dicat, siquidem habilia & non inepta. i. donec apta, & habilia ad dicendum sint. Et quidem nihil est quod præceptorem magis erigat ad discipulum cum temporis etiam, ac laboris magno dispendio imbuendum, quàm cùm viderit illum accepta semel auidè arripere, & in mente fideliter reponere. Adeò vt Chrysost. Homil. 4. in Genesim ad auditores discendi auidos ita fari non pigeat. *Vos quidem per Dei gratiam, etiamsi magis muti essemus quàm lapides, possetis nostrum stuporem emendare, & cogere, vt dicamus ea, quæ vobis conducunt.* Chrysost.

---

27. *Non æmuletur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die.*

28. *Quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua nunquam auferetur.*

NON æmuletur, &c. Hebr. non dissonant. Chald. & LXX. prorsus concinunt. 91.

Quia habebis spem, &c. Hebr. ad verbum, *erit tibi nouissimum, & spes tua non succidetur.* Pagninus, *quia est tibi merces.* Caiet. *Sed finis, & spes tua non succidetur.* Chald. *Vt sint nouissima tua bona, & spes tua non consumatur.* LXX. *Nam si seruaueris ea, erunt tibi nepotes, spes autem tua non recedet.* Ad hanc translationē accedit Vatablus, quæ sic restituit. *Erit enim tibi posteritas*, &c. Aquila, & Symmach. *Et spes tua non exterminabitur.*

Non æmuletur cor tuum peccatores. Verbum קנא *Kana*, quod hîc reperitur, non solum est ex liuore inuidere aut zelari, sed etiam ex studio aliquid imitari: atque adeo duplex sensus ex his verbis excitari potest. Aliter est de morum imitatione, quem minimè probo, alter de fœlicitatis inuidentia, hunc præfero. Itaque ait. Ne impiorum fortunæ, ac fœlicitate inuideas, nihil enim in his inuidentia dignum est. Eodem sensu Psalmographus. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquā fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Quin imò, *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Identidem attexit Salomon. *Sed in timore Domini esto tota die.* Et rursus infra idem Psaltes, *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias*, &c. Vbi plura subnectit de hoc argumento, quibus suadet Dauid ad impiorum fœlicitatem, & secundam fortunam nequaquam per inuidentiam aspirandum esse: quia hæc fœnum, & olera adhuc in herbis vernantia imitatur, atque adeo ocyus marcet, & tabescit. Diuus Hilarius inter duas illas similitudines fœni atque olerum, aliquid interesse dicit: sed quid hoc? Fœnum vtique sæpius ab æstu succedente soluitur, & siccatur antequam semen progerminet, ac decoquat: olera etiam ab orti cultore sæpius succiduntur antequam seminent. His ergo adsimilis est impiorum fœlicitas, aut enim ipsa per se sponte tabescit vt fœnū, aut olerum in modū ex Dei prouidentia succidentur, nunquam tamen seminare permittitur, ad posteros, videlicet propagari minimè sinitur, sed in ipsis prorsus interit, vt statim dicemus. Psal. 36. Hilarius.

Ait igitur Salomon, *In timore Domini esto tota die*, id est toto vitæ tempore. Plerique habent *sta*, aut, *persta.* Sustinentiam suadere videtur, quasi dicat; Impiorum fortunam cōtemplatus ne inuideas, sed inter infortunia,

infortunia, & labotes, quibus assiduò cõcuteris, persta immobilis. In Græcis quibusdam exemplaribus non est *ἴσθι*, id est, *sta*, sed *στήλωσον* à verbo *στηλοῦν*, quod propriè significat erigere columnam aut statuam, inde.n. *στήλη* id est, columna; Itaque sensus est, *In timore Domini statuæ aut columnæ in modum persta*. Ita nimirum vt tibi timor sit pro basi ad soliditatem. Audi Ambros. Ambros. in Psal. 118. ad illa verba. *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Basis quædam verbi est timor sanctus: sicut enim simulacrũ aliquod* (aut etiam columna) *in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam cùm in basi statua fuerit collocata, standique acceperit firmitatem; ita verbũ Dei in timore sancto melius statuitur*, &c. Ac ne putares eloquium Dei tantummodo huic basi insistere atque inniti, subdit etiã Apostolos columnarum in morem in eadem basi incubuisse. *Et quia basim* (inquit) *timorem Dei diximus, ne quid alienum ab scripturis posuisse nos quisquam putet; accipiat lectum in Canticis Cant. Crura eius columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas significans columnas esse Ecclesiæ Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto. Et sicut Petrus, Iacobus, Ioannes, & Barnabas columnæ esse videantur Ecclesiæ: sic etiam, quicumque vicerit hoc sæculum, fit columna Dei, quam confirmat qui dicit, ego confirmaui colũnas eius*. Itaque timor Dei basis est solidissima, in qua hominem columnæ aut statuæ in morem persistere oportet, ne illum alienæ prosperitatis æmulatio impellere possit. Huius autem æmulationis ad hominem impellendum, & deturbandum vim satis declarauit Dauid in Psal. 72. cùm ait. Psal. 72. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei.* Quid autem illud fuit adeò violentum, quod tantam Prophetæ constantiam impulit? nihil aliud sanè, nisi æmulatio peccatorũ. Subdit enim statim. *Quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns*. Aptè igitur Salomon, *in timore Domini esto tota die*, vel columnæ ad instar persta; neque enim minor constantia contra illam æmulationem satis est.

93. Addit huius constantiæ præmium, *Quia habebis spem in nouissimo*, &c. Perstringo aliarum translationũ sententias. Caiet. habet, *Quia est finis, & spes tua non succiditur*. Quæ verba duplicem sensum reddere possunt. Alter est; ne inuideas fœlicitatẽ impiis, ac peccatoribus, quia bona illa, quæ ipsi nunc possident, finem tandem sortiri oportet: ea verò, quæ tu in spe habes, finem prorsus ignorant. Vel aliter; Ne te fœlicitatis impiorum zelus capiat, dum te fortasse laboribus, & molestiis obsessum conspicis, *quia finis est*, quia nimirum labores, & molestiæ huius vitæ tãdem aliquando definiri oportebit, spes autem æternæ fœlicitatis capessendæ nunquam *succidetur*. Elegans est metaphora, & vim verbi originalis omnino exhauriens *nõ succidetur*. Succidere enim propriè est ab inferiori parte aliquid excidere. Ambros. Ambros. ergo in Psal. 118. spem patientiæ radicem appellauit. *Si spem*, inquit, *auferas, non potest perpetua esse patientia, nam patientiæ radix spes est*. & quidem quò maior est laborum tolerantia, eo profundiùs demittit radices suas spes. Vnde Paulus, *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem*. Aptè igitur Salomon, vt eum, qui laboribus assiduò vexatur ab æmulanda impiorum fœlicitate contineat; docet primum, vt in timore Dei persistet, veluti columna in basi, & vt spem alat, sic enim fiet vt patientia, & tolerantia, radice non careat; quin potius huic affixa radici constans sit, ac perennis. Ideo spem nunquam succidendam iri, vt sciamus illam esse tanquam radicem robustam, & tenacem, quæ nulla vi exscindi, aut etiam ab animo auelli possit.

94. Quod illud *non succidetur* sincerius accipiamus. i. non excidetur, aut *non frangetur*, vt alij etiam legũt, A adest nobis Chrysost. in Epist. 5. *Spes, inquit, ipsa est catena aurea, & firma, quæ de cœlo propensa subducimus animas nostras, quæ breuè ad illud fastigium cœli retracta, & reducta, eos, qui illam fortiter manibus seruant, euellit, ac rapit supra fluctus præsentis vitæ omnium longè periculosissimos*. Loquitur autem Chrysost. de spe in tribulationibus, & ærumnis. Hæc igitur spes illa de qua Salomon, *non succidetur, non frangetur*, catena est firmissima, atque adeò quantumuis hominem grauissimum calamitatum pondus deprimat si tamen eam manus tenax non obiiciat, cum certè infracta, & insoluta ad sublimia leuare potest. Sed vide astum inimici, qui nos ab spe nostra deiicere nunquam nõ molitur. Subdit Chrysost. *Hæc cum agnouit versipellis, si* B *quando ipsi nos conscietia malorum operum onerauimus, tunc ille reuersus ingerit cogitationem omni plumbo grauiorem, qua vergimus ad extremam salutis desperationem, quæ semel suscepta continuo deprimimur pondere, & omissa catena illa, delabimur ad extrema malorum*. Hæc autem Chrysost. propterea attexit vt significet hanc spei catenam non laborum, & molestiarum pondo, sed peccatorum, ac scelerum onere intercedere, ac ne tum quidem eam defringi aut dissolui dicit, sed è manibus abiici. Accedat etiam D. Paulus, qui spem factam anchoram meritò appellat, ad Hebr. 6. A Hebr. 5. *Quam sicut anchoram habemus*, &c. Anchoram, inquam, quæ nos inter huius sæculi vndas fluctuantes offirmat, & stabiles reddit. Si igitur spes iusti anchora C est, aptè Salomon, *non succidetur*. Id enim anchoris cum primis proprium est.

Pagninus habet. *Quia est tibi merces*, quasi dicat, 95. Ragn. ne illis fortunam inuideas, quia longè dignior fortuna, ac sors te manet, quàm ob exanthlatas calamitates mercedis loco referes. Chald. legit, *vt sint nouissima tua bona*, atque adeò è peccatorũ nouissimis diuersa quibus nihil est infœlicius. Itaque iubet obseruare nouissima, ne præsentem impiorum fœlicitatem admiretur. Præmissæ lectiones non longè à se inuicem abeunt: illa quidem longius recedit, quam sequuti sunt LXX. *Nam si seruaueris ea, erunt tibi nepotes, spes autem tua non recedet*. & Vatab. *Quoniam aderit tibi posteritas*. Itaque Salomon iuxta has translationes, D his, qui in laboribus positi impiorũ fœlicitati, & fortunæ non adhiauerint, sed in timore Dei perstiterint, copiosam sobolem, & posteritatem pollicetur: sed qua ratione, inquies, vnũ cum altera, nimirum, actio cohæret cùm præmio? subiiciam. Omnis vtique bona, & Deo grata iusti hominis actio digna est, præmio temporali, atque æterno; Deus enim vtraque bona, temporalia, & æterna, iustis premij loco numerare consueuit. Salomon ergo, vt iusto honestè viuenti, cui Deus temporalem fœlicitatẽ mercedis loco needum numerauit, sed in laboribus, & angoribus eundem versari sinit, solatium impendat, pollicetur illi prẽmio etiam tẽporali ipsum nequaquã defraudandũ iri. Itaque sic ipsum affatur; Noli tibi peccatorum E temporalem fortunã expetere, *quia erunt tibi nepotes, & spes tua non recedet*. Quasi dicat, præmium temporale, quod honestis operibus respondet, in nepotibus tibi persoluet Deus: erit, scilicet, tibi longa posteritas, quæ eam fœlicitatem, qua tu exercitationis, & gymnasij gratia priuaris ob tua merita, obtinebit: te autem certior, & augustior spes æternorum bonorum manet, quæ nulla temporum aduersitate deficiet. Ad hunc modum actio, atque præmium sibi respondent. Huc spectasse etiam videtur Psaltes in eo Psal. 36. *Noli æmulari in malignãtibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & tanquam olera herbarum citò decident*. Psal. 36. scilicet antequam seminent, vt ex Hilario supra notaui. Quibus similitudinibus venustè admodum significat

& gaudium. Contemplatur scilicet Paulus Philippensium, & Thessalonicensium in doctrina sua progressus; atque inde mirificè delinitus eos gaudium suum esse dicit. Coronam autem cum gaudio copulauit, vt significaret cum lætitia gloriam cohærere, & cum voluptate honestâ. Theophylactus ea verba, quibus Paulus Thessalonicenses affatus est, matris esse dixit amantissimæ filiis suis ablandientis. Ita enim solent matres infantes suos compellare *Mi consuelo, mi Rey, mi Emperador*, & his similia.

88. Sed, siquidem in filios incidimus, huius certè gaudij, quo præceptor ex auditoris sui doctrina suffunditur, præcipuam causam attigit Diuus Ambrosius, qui hanc animi dilectionem cum ea componit, quam mater susceptis filiis consequi solet; ad quem sensum allicit illud Euangelicum exemplum. *Mulier cùm parit tristitiam habet, cùm autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Nam, liceat sic dicere, tunc præceptor discipulum veluti parturit atque enititur, cùm illum assiduo labore erudit, atque informat; at postquam is doctus, ac scientiæ non vulgari instructus euasit, *Iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*; id est, succedente gaudio obliuioni dolor committitur, quia vir doctus in publicam vtilitatem luci datus est. Et quidem parentum de susceptis filiis lætitia in eo præsertim sita est (vt alias non semel obseruaui) quod liberi post parentum obitum superstites eorum vitam seruant, illosque quodammodo immortales reddunt, iuxta illud Eccles. 30. *Mortuus est, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem sibi post se.* Haud dissimile ergo est doctoris de discipulo iam solatium, quem propterea impensiùs lætari crediderim, quia ea ratione suam ipsius sapientiam per mortem nequaquam abolendam, sed in auditore seruatam posteritati tradendam putat. Huc spectat id quod statim attexit Salomon. Eccles. 30

89. *Et exultabunt renes mei cùm locuta fuerint recta labia tua.* Renes quidem ad generationem spectant, & ipsam generandi facultatem in scriptura innuere solent, 3. Reg. 8. *Sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis*, & alibi. Atque adeò propterea renibus potius, quàm aliis membris hanc lætitiam tributam dicemus, quæ ex spiritualium filiorum generatione suscipitur. Tunc verò gaudium hoc longè maius futurum dicitur, cùm discipulus ea, quæ à doctore accepit, aliis instillare incipit. *Cum locuta*, inquit *fuerint recta labia tua.* Quia quemadmodum (auctor est Philosophus Ethic 8. cap. 11. & 12) aui ardentiùs diligunt, & suauiùs amplectuntur nepotes quàm liberos, quia scilicet vitæ suæ propagationem, quam per sobolem affectant, longiùs ad seram posteritatem per nepotes, aut pronepotes protendi vident: Ita etiam doctores, discipulos suos auditores iam habere vident, gaudent impensiùs, quia suam sapientiam latiùs propagari, & ad posteros longiùs transmitti vident. Aristot.

90. LXX. locum istum sic extulerunt. *Et immorabuntur sermonibus tua labia ad mea labia, si recta fuerint.* Nam cùm præmisissent *si sapiens fuerit cor tuum, lætificabis cor meum.* Si videlicet à me eruditus sapiens euaseris, gaudio perfundes cor meum; propterea ait, non perfunctoriè docebo te, sed tamdiu in tradenda tibi mea doctrina labiis meis immorabor, donec labia tua ad alios etiam perdocendos satis instructa sint. Hanc illis verbis inesse vim puto, quorum constructio sic pangenda est. *Et immorabuntur sermonibus tua labia ad labia mea*, id est, *apud mea labia*; (sic restituit Complutensis codex.) Nimirum erunt tandiu tua labia apud mea, donec eadem dictare possint tua aliis, quæ mea tibi dictauerint, *si* videlicet *recta fuerint*, Græcè ὀρθὰ, id est, bona, quæ vox aliquando signifi-

A cat *habilia*, quemadmodum etiam apud Latinos *bonus* habilem nonnunquam sonat. Maro.

Cur non Mopse boni, quoniam conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leues, ego dicere versus. Virgil.

Boni, inquam, *inflare*, aut, *dicere.* i. apti, & periti; ad eundem modum cùm ait *si recta*, aut, *bona fuerint*, perinde est ac si dicat, siquidem habilia & non inepta. i. donec apta, & habilia ad dicendum sint. Et quidem nihil est quod præceptorem magis erigat ad discipulum cum temporis etiam, ac laboris magno dispendio imbuendum, quàm cùm viderit illum accepta semel auidè arripere, & in mente fideliter reponere. Adeò vt Chrysost. Homil. 4. in Genesim ad auditores discendi auidos ita fari non pigeat. *Vos quidem per* B *Dei gratiam, etiamsi magis muti essemus quàm lapides, possetis nostrum stuporem emendare, & cogere, vt dicamus ea, quæ vobis conducunt.* Chrysost.

---

27. *Non æmuletur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die.*

28. *Quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua nunquam auferetur.*

NON *æmuletur*, &c. Hebr. non dissonant. Chald. & LXX. prorsus concinunt. 91.

Quia habebis spem, &c. Hebr. ad verbum, *erit tibi* C *nouissimum, & spes tua non succidetur.* Pagninus, *quia est tibi merces.* Caiet. *Sed finis, & spes tua non succidetur.* Chald. *Vt sint nouissima tua bona, & spes tua non consumatur.* LXX. *Nam si seruaueris ea, erunt tibi nepotes, spes autem tua non recedet.* Ad hanc translationẽ accedit Vatablus, quæ sic restituit. *Erit enim tibi posteritas*, &c. Aquila, & Symmach. *Et spes tua non exterminabitur.*

Non æmuletur cor tuum peccatores. Verbum קנא Kana, quod hîc reperitur, non solum est ex liuore inuidere aut zelari, sed etiam ex studio aliquid imitari: atque adeo duplex sensus ex his verbis excitari potest. Aliter est de morum imitatione, quem minimè probo, alter de fœlicitatis inuidentia, hunc præfero. D Itaque ait, Ne impiorum fortunæ, ac fœlicitate inuideas, nihil enim in his inuidentia dignum est. Eodem sensu Psalmographus. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquã fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Quin imò, *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Identidem attexit Salomon. *Sed in timore Domini esto tota die.* Et rursus infra idem Psaltes. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias*, &c. Vbi plura subnectit de hoc argumento, quibus suadet Dauid ad impiorum fœlicitatem, & secundam fortunam nequaquam per inuidentiam aspirandum esse: quia hæc fœnum, & olera adhuc in herbis vernantia imitatur, atque adeo ocyus E marcet, & tabescit. Diuus Hilarius inter duas illas similitudines *fœni* atque *olerum*, aliquid interesse dicit: sed quid hoc? Fœnum vtique sæpius ab æstu succedente soluitur, & siccatur antequam semen progerminet, ac decoquat: olera etiam ab orti cultore sæpius succiduntur antequam seminent. His ergo assimilis est impiorum fœlicitas, aut enim ipsa per se sponte tabescit vt fœnũ, aut olerum in modũ ex Dei prouidentia succidentur, nunquam tamen seminare permittitur, ad posteros, videlicet propagari minimè sinitur, sed in ipsis prorsus interit, vt statim dicemus. Psal. 36. Hilarius.

Ait igitur Salomon, *In timore Domini esto tota die*, id est toto vitæ tempore. Plerique habent *sta*, aut, *persta.* Sustinentiam suadere videtur, quasi dicat; Impiorum fortunam cõtemplatus ne inuideas, sed inter infortunia,

infortunia, & labores, quibus assiduò cõcuteris, persta immobilis. In Græcis quibusdam exemplaribus non est ἴσθι, id est, sta, sed στῆθι à verbo στήλόω, quod propriè significat erigere columnam aut statuam, inde. n. στήλη id est, columna; Itaque sensus est, *In timore Domini statuæ aut columnæ in modum persta.* Ita nimirum vt tibi timor sit pro basi ad soliditatem. Audi

Ambros. Ambros. in Psal. 118. ad illa verba. *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Basis quædam verbi est timor sanctus: sicut enim simulacrũ aliquod,* aut etiam columna) *in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam cùm in basi statua fuerit collocata, standique acceperit firmitatem; ita verbũ Dei in timore sancto melius statuitur,* &c. Ac ne putares eloquium Dei tantummodo huic basi insistere atque inniti, subdit etiã Apostolos co-

B lumnarum in morem in eadem basi incubuisse. *Et quia basim* (inquit) *timorem Dei diximus, ne quid alienum ab scripturis posuisse nos quisquam putet; accipiat lectum in Canticis Cant. Crura eius columnæ marmoreæ fundata super bases aureas significans columnas esse Ecclesiæ Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto. Et sicut Petrus, Iacobus, Ioannes, & Barnabas columnæ esse videantur Ecclesiæ: sic etiam, quicumque vicerit hoc sæculum, fit columna Dei, quam confirmat qui dicit, ego confirmaui colũnas eius.* Itaque timor Dei basis est solidissima, in qua hominem columnæ aut statuæ in morem persistere oportet, ne illum alienæ prosperitatis æmulatio impellere possit. Huius autem æmu-

C lationis ad hominem impellendum, & deturbandum

Psal. 72. vim satis declarauit Dauid in Psal. 72. cùm ait. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.* Quid autem illud fuit adeò violentum, quod tantam Prophetæ constantiam impulit? nihil aliud sanè, nisi æmulatio peccatorũ. Subdit enim statim. *Quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Aptè igitur Salomon, *in timore Domini esto tota die,* vel columnæ ad instar persta; neque enim minor constantia contra illam æmulationem satis est.

93. Addit huius constantiæ præmium, *Quia habebis spem in nouissimo,* &c. Perstringo aliarum translationũ sententias. Caiet. habet, *Quia est finis, & spes tua non succiditur.* Quæ verba duplicem sensum reddere pos-

D sunt. Alter est; ne inuideas fœlicitatẽ impiis, ac peccatoribus, quia bona illa, quæ ipsi nunc possident, finem tandem sortiri oportet: ea verò, quæ tu in spe habes, finem prorsus ignorant. Vel aliter; Ne te fœlicitatis impiorum zelus capiat, dum te fortasse laboribus, & molestiis obsessum conspicis, *quia finis est,* quia nimirum labores, & molestiæ huius vitæ tãdem aliquando definiri oportebit, spes autem æternæ fœlicitatis capessendæ nunquam *succidetur.* Elegans est metaphora, & vim verbi originalis omnino exhauriens *nõ succidetur.* Succidere enim propriè est ab in-

Ambros. feriori parte aliquid excidere. Ambros. ergo in Psal. 118. spem patientiæ radicem appellauit. *Si spem,* inquit, *auferas, non potest perpetua esse patientia, nam pa-*

E *tientiæ radix spes est.* & quidem quò maior est laborum tolerantia, eo profundiùs demittit radices suas spes. Vnde Paulus, *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem.* Aptè igitur Salomon, vt eum, qui laboribus assiduò vexatur ab æmulanda impiorum fœlicitate contineat; docet primum, vt in timore Dei perstet, veluti columna in basi, & vt spem alat, sic enim fiet vt patientia, & tolerantia, radice non careat: quin potius huic affixa radici constans sit, ac perennis. Ideo spem nunquam succidendam iri, vt sciamus illam esse tanquam radicem robustam, & tenacem, quæ nulla vi exscindi, aut etiam ab animo auelli possit.

94. Quod illud *non succidetur* sincerius accipiamus, i. non excidetur, aut *non frangetur,* vt alij etiam legũt, adest nobis Chrysost. in Epist. 5. *Spes,* inquit, *ipsa est catena aurea, & firma, quæ de cœlo propensa subducimus animas nostras, quæ breui ad illud fastigium cæli retracta, & reducta, eos, qui illam fortiter manibus seruant, euellit, ac rapit supra fluctus præsentis vitæ omnium longè periculosissimos.* Loquitur autem Chrysost. de spe in tribulationibus, & ærumnis. Hæc igitur spes illa de qua Salomon, *non succidetur, non frangetur,* catena est firmissima, atque adeò quantumuis hominem grauissimum calamitatum pondus deprimat si tamen eam manus tenax non obiiciat, eum certè infracta, & insoluta ad sublimia leuare potest. Sed vide astum inimici, qui nos ab spe nostra deiicere nunquam nõ molitur. Subdit Chrysost. *Hæc cum agnouit versipellis, si quando ipsi nos conscientia malorum operum onerauimus, tunc ille reuersus ingerit cogitationem omni plumbo grauiorem, qua vergimus ad extremam salutis desperationem, qua semel suscepta continuo deprimimur pondere, & omissa catena illa, delabimur ad extrema malorum.* Hæc autem Chrysost. propterea attexit vt significet hanc spei catenam non laborum, & molestiarum pondo, sed peccatorum, ac scelerum onere intercedere, ac ne tum quidem eam defringi aut dissolui dicit, sed è manibus abiici. Accedat etiam D. Paulus, qui spem sacram anchoram meritò appellat, ad Hebr. 6. A Hebr. 5.

Quam sicut anchoram habemus, &c. Anchoram, inquam, quæ nos inter huius sæculi vndas fluctuantes offirmat, & stabiles reddit. Si igitur spes iusti anchora est, aptè Salomon, *non succidetur.* Id enim anchoris cum primis proprium est.

Pagninus habet. *Quia est tibi merces,* quasi dicat, 95. Ragun.

ne illis fortunam inuideas, quia longè dignior fortuna, ac sors te manet, quàm ob exanthlatas calamitates mecedis loco referes. Chald. legit, *vt sint nouissima tua bona,* atque adeò è peccatorũ nouissimis diuersa quibus nihil est infœlicius. Itaque iubet obseruare nouissima, ne præsentem impiorum fœlicitatem admiretur. Præmissæ lectiones non longè à se inuicem abeunt: illa quidem longius recedit, quam sequuti sunt LXX. *Nam si seruaueris ea, erunt tibi nepotes, spes autem tua non recedet.* & Vatab. *Quoniam aderit tibi posteritas.* Itaque Salomon iuxta has translationes, his, qui in laboribus positi impiorũ fœlicitati, & fortunæ non adhiauerint, sed in timore Dei perstiterint, copiosam sobolem, & posteritatem pollicetur: sed qua ratione, inquies, vnũ cum altera, nimirum, actio cohæret cùm præmio? subiiciam. Omnis vtique bona, & Deo grata iusti hominis actio digna est, præmio temporali, atque æterno; Deus enim vtraque bona, temporalia, & æterna, iustis premij loco numerare consueuit. Salomon ergo, vt iusto honestè viuenti, cui Deus temporalem fœlicitatẽ mercedis loco necdum numerauit, sed in laboribus, & angoribus eundem versari finit, solatium impendat, pollicetur illi prẽmio etiam tẽporali ipsum nequaquã defraudandũ iri. Itaque sic ipsum affatur; Noli tibi peccatorum temporalem fortunã expetere, *quia erunt tibi nepotes, & spes tua non recedet.* Quasi dicat, præmium temporale, quod honestis operibus respondet, in nepotibus tibi persoluet Deus: erit, scilicet, tibi longa posteritas, quæ eam fœlicitatem, qua tu exercitationis, & gymnasij gratia priuaris ob tua merita, obtinebit: te autem certior, & augustior spes æternorum bonorum manet, quæ nulla temporum aduersitate deficiet. Ad hunc modum actio, atque præmium sibi respondent. Huc spectasse etiam videtur Psaltes in eo Psal. 36. *Noli æmulari in maligãtibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & tanquam olera herbarum citò decident.* scilicet antequam seminent, vt ex Hilario supra notaui. Quibus similitudinibus venustè admodum significat Psal. 36.

gnificat peccatores fœlicitatem illam, qua vtuntur in hac vita, ad posteritatem nequaquam transmissuros, quia prius quàm seminent idest antequam sobolescant, de medio tollentur: contra verò de iustis sic attexit. *Quoniam qui malignantur exterminabuntur: Sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram*, per liberos, scilicet, atque nepotes eius, qua ipsi fraudantur, fœlicitatis, & fortunæ hæredes.

96. Nostra autem translatio perspicua est, atque adeò interpretatione vix eget. *Quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua nunquam auferetur*, id est, Si in timore Domini aduersus æmulationem illam constans perstiteris, spem quandam ales, quæ tibi ad vsque extremum spiritum semper aderit, ac tunc demũ nequaquam frustrabitur. Id sibi vult illud *non auferetur*, aut, *non succidetur*. i. tandem aliquando obtinebis ea, quæ diu speraueris. Ad hanc etiam sententiam allici possunt illæ fœni atque olerum similitudines, si dicamus per eas spem impiorum significari. Ita nimirum, vt *non seminare*, aut *semen non decoquere*, vel perficere, sed in herbis, aut exscindi, aut tabescere, sit spem suo fine frustrari; nam in graminibus flos quidem, semen autem quod deciduo flore manet, ipsius spei finem, hoc est rei speratæ adeptionem notat. Ait ergo Salomon, *& præstolatio tua non auferetur*, aut nõ *succidetur*, id est, fœni atque olerum in morem non demeretur, sed flos ille ad semen, fructumque perueniet, & quæ diu sperasti, tandem aliquãdo obtinebis.

19. *Audi fili mi, & esto sapiens, & dirige in via animum tuum.*

97. Audi fili mi, &c. Hebr. *Et fac progredi in via cor tuum*. Vatab. *Vt beatum sit in via cor tuum*. LXX. *Et dirige cogitationes cordis tui.* Nota est verbi illius אשר *Asur*, vis, & significatio, quæ, vt aliàs non semel obseruaui, significat *ambulare, dirigere* aut *rectam viam intendere*, & ad fœlicitatem, & fortunam transferri solet. Hinc natæ supra scriptæ lectiones.

Excitat denuò Salomon auditorem suum, vt ea, quæ ipsi tradit, libenter audiat, & cum his vitam moresque conformet: hæc communis interpretum mẽs. Sed ne frigeat hæc sententia, sensumque Salomone dignum ex illa excutiamus, existimo illum perspicuè adlusisse ad illos, qui viam sibi ignotam, & nunquam emensam carpunt, qui alios sæpius rogantes, & eos de natura, & rectitudine viæ libenter audientes, absque errore aliquo ad vrbem denique veniunt. Hinc nata vulgaris apud nostrates Parœmia, *Quien lengua ha à Roma va*. atque illa, *Quien pregunta no y erra*, quam à viatoribus petitam etiam puto. Similem ad modum Salomon, *Audi*, inquit, *fili mi, & esto sapiens*, &c. In his nimirum, quæ satis ignoras, require doctorem, atque illum audi; nam cum sæpius rogans, & audiens, licebit tibi viam tuam regere, & ad illius finem citius, & absque erroribus peruenire: Cui adsimile est etiam illud, quod apud Latinos prouerbij locum obtinet, ex Plauto petitum, *Qui viam nescit ad mare, fluuium sequatur*. Nec non illud, *Qui viam nescit, virgiferum eligat*. Quæ omnia significant illis, qui aliquid ignorant, doctore opus esse, vt absque erroris periculo rem peragant. Plaut.

Potest etiam aliter locus expendi si originalem lectionem in consilium vocemus, quæ sic habet. *Audi fili mi, & esto sapiens, & fac progredi in via cor tuum.* (Est nimirum thema in coniugatione *Hiphil*, quæ eam vim verbis imprimere solet.) Itaque sensus est: si forte adhuc hæres, & honestatis viam aggredi, aut tentatam iam persequi non audes, audi iterum atque iterum doctores sapientes: his enim calcaribus temetipsum incitabis ad progressus in pietate, ac virtute faciendos. Hoc sibi vult illud, *fac progredi*, idest ad progrediendum adige, & compelle: verba enim sapientum pro stimulis sunt, quibus animus ad honestatem impellitur. Subiungit. Ecclef.

20. *Noli esse in conuiuijs potatorum, neque in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.*

21. *Quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur, & vestietur pannis dormitatio.*

Noli esse, &c. Hebr. ad verbum sic habent. *Ne sis inter vini potatores, & inter comessatores carnis sibi*. Chald. *Ne sis inter eos, qui comessantur carne, nec inter illos qui inebriantur vino*. LXX. à quibus noster translationem suam expetiuit, sic restituunt. *Ne fueris bibax vini, neque extendas te ad symbola, & carnium emptiones*, Symmach. *Ne sis cum his, qui ex symbolis carnes edunt inter se.* 98.

Quia vacantes, &c. Hebr. *Quia bibax, & edax, pauper efficietur, scissuras faciet induere dormitatio*. Chald. *Et pannis ruptis vestietur dormitatio*. LXX. *Omnis enim ebrius, & scortator mendicabit, & induetur disruptis, lacerisque omnis somnolentus*. Aquil. & Theod. *Quia omnes ebrij, & dantes symbola*, &c.

Mentem Salomonis assequi in hoc loco facile est; Nam obiecta paupertate, & rerum omnium penuria, à conuiuiis, & comessationibus seriò dehortatur. Sed in verbis, & totius sententiæ structura aliqua obueniunt scitu digna, quæ replicare, & euoluere oportet. *Noli*, inquit, *esse in conuiuijs potatorum*, &c. Caietanus locum istum exponere adorsus, sic illum iuxta origines restituit. *Ne sis inter vini potatores, & inter comessatores carnis sibi*, atque, vt pronominis illius *sibi* exhauriat vim, sic addit. Comessatores carnis sibi illi dicuntur, qui non ad necessitatem naturæ leuãdam, sed ad delectationem, & voluptatem edunt. Addit tamen præclarum quendam sensum ex hoc loco elici posse, si, quemadmodum sunt potatores qui se lacessunt ad æquales haustus, vel calices, vt in propinantibus contingit, ita etiam essent comessatores ad æqualia fercula: tunc enim sensus esset, *Noli esse inter comessatores carnis sibi*, id est, inter eos, qui sibi ferculorum, ciborumque mensuram mutuis prouocationibus definiunt. Sed tamen hanc edendi rationem ad æquales mensuras nunquam se aut vidisse, aut etiam accepisse Caietanus fatetur. Posset tamen aliquis huc transferre solemnem antiquis morem munera destinandi in conuiuiis, quæ munera à Latinis *partes*, à Græcis μερίδας appellari docui in cap. 2. Cant. vers. 4. adscribã hîc pauca ex multis Athenæus Homericum epulum scribens, *De sua*, inquit, *portione quisque elargiebatur, quibus esset collibitum*. Loquitur autem de Heroum cœna. Meminit etiam huius moris Apuleius lib. 8. *Partes*, inquit, *surreptas clanculum, & prægustatas à se portiones offerebat hilaris*. Suetonius in Caligul. *Qua epulatione equiti Romano contra se hilarius, auidiusque vescenti partes misit*. Lampridius etiam de Alexandri Seueri parsimonia. *Semper de manu sua ministris conuiuij, & panem, & partes dabat*. At quis neget id officij à Ioseph in beneuolentiæ significationem fratribus præstitum, Genes. 43. cùm dixit. *Et mirabantur nimis sumptis partibus, quas ab eo acceperant, & maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet*. Quod non ideò dictum, quia quincupla Athenæus. Apuleius. Suetonius. Lamprid. Genes. 43.

quincupla portio Beniamino cessisset;id enim superfluum omnino,& à temperantia alienum,sed quia in eo conuiuio Ioseph cùm missis partibus reliquos fratres honestasset,id ab omnibus obseruatum est,quod Beniamin quinq; partibus auctus fuerat,idest,quinq; muneribus præ cæteris decoratus. Locus ergo Salomonis, iuxta ea,quæ diximus, sic edisserendus est, vt illud *sibi* non modo ad comessantes,sed etiá ad potatores referatur hoc modo(sequor lectionem originalé. *Noli esse inter potatores sibi,& inter comessatores carnis sibi.* Noli scilicet apud eos comessari,& bibere,qui se mutuis propinationibus ad bibendum lacessunt,& destinatis etiam inuicem muneribus ad edédum prouocant. Fortasse etiam ad hanc interpretationem allici potest lectio Vulgata. *Noli esse in conuiuijs potatorum, neque in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt*, idest, sibi inuicem conferunt, aut mittunt, ad vescendi intemperantiam his se muneribus lacessentes: quod satis verisimile puto.

99. Cæterùm crediderim Salomonem in hoc loco ad morem alium spectasse corrogandi sumptus, aut etiá cibos ad conuiuia,quas corrogationes antiqui *symbola comessalia* dicere consueuerunt. Plautus in Curcul. *Symbolorum*, inquit, *collatores apud forum Piscarium.* Terentius etiam in Andria. *Symbolum dedit,cœnauit.* Idem etiam in Eunucho. *Heri aliquot adolescentuli coiuimus in Pyræo in hūc diem,vt de symbolis essemus. Chæream ei rei præfecimus.* Iterum, & Plautus in Sticho. *Et conditum symbolū ad cœnam,ac eius conseruum Sangarium Syrum.* Eiusmodi autem symbola comessalia serió admodùm interdicit fidelibus Laodicens. Conc. c.55. his verbis. *Non oportet ministros altaris,vel quoslibet clericos, vel etiam laicos Christianos ex symbolis,quæ vulgus comessalia appellat, conuiuia celebrare.* Apud nostrates hæc symbolorum collatio dicitur, *Escotar para el vanquete.* Itaque sensus est. *Noli esse in conuiuijs potatorum, neque in comessationibus eorum, qui carnes conferunt ad vescendum*, idest, eorum qui collatis symbolis magnificas cœnas in dies construunt. *Quia vacātes potibus,& dātes symbola consumētur:* quia nimirū illi,qui huiusmodi collationes faciūt,haud lōgo temporis lapsu facultates suas exhauriūt,& patrimonia decoquunt. Iansenius, cùm forte in mentem venissent istæ antiquæ collationes sumptuum ad cœnas,eas refutauit, quia textus habet *qui carnes conferunt.* Sed eius censuram refellere ex dictis licet, tùm etiam quia LXX. in sua translatione etiam sumptuum meminere,ita enim habent, *Ne fueris bibax vini,neque extendas te ad symbola & carnium emptiones*, idest, ne sumptus conferas ad carnes coëmendas. Quo autem apud Hebræos istiusmodi etiam symbola solemnia essent,comprobat locus Eccl. c.32. *Rectorem te posuerunt,*&c. & breui verborum interstitio. *Omni tua cura explicita recumbe vt læteris propter illos,& ornamentum gratia accipias coronam,& dignitatem consequaris corrogationis*, idest, vt inter corrogantes, & symbola conferentes dignior sis.

Plaut.

Terent.

Laodic. Conc.

Eccles. 32.

100. Alij verò ad locum istum exponendum alium etiam antiquis morem solemnem asciscunt. Præficiebant,inquiunt,veteres suis conuiuiis symposiarchas, seu cœnarū moderatores,penes quos erat totius epuli arbitrium; nam bibendi,edendiq; leges & mensuram præscribere, loca distribuere, & alia eiusmodi decernere ad ipsos spectabat. Hos autem corrogatis partibus obsequij ergo cōuiuæ honestare cōsueuerāt, destinatis videlicet munusculis quibusdā mysticis,de quibus nuper in hoc c. vers. 1. aliquid etiam diximus: quæ munera haud inepte symbola appellare licet, (quidquid enim alterius rei significationem in se continet symbolū dici solet) Nam, verbi causa, aliquis vt symposiarchæ robur,& lacertos commēdaret, *armum* illi deferebat,alius verò vt facundiam eiusdem notaret, *linguam* destinabat,& alij aliis eiusmodi symbolicis munusculis,pro vt cuique collibitum erat, conuiuij Regem honestabant;hoc autem non nisi in splēdidissimis cœnis fieri solitum docet Fuluius in sua appendice. Vide quæ nos in eum locum coniecimus, & Ecclesiastici interpretationē accipe. *Vt dignitatem consequaris corrogationis.* Vt scilicet conuiuæ destinatis muneribus mysticis laudes tuas celebrent,& eas,quibus polles, virtutes deprædicent. Et quidem ad hunc etiam sensum hanc Salomonis sentiam allicere integrum est. *Noli esse in conuiuijs potatorum, neque in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferūt; Quia dantes symbola consumentur*, &c. noli scilicet splendidissima, lautissimaque conuiuia celebrare, in quibus Reges præfici, & munerum symbolicæ collationes fieri consueuerunt; nam perbreui tempore exhaustis,fortunis deficiet. Sed tamen secundam expositionem præfero.

Fuluius.

Et vestietur pannis dormitatio. LXX sententiam huius hemystichij enuclearunt, *& vestietur disruptis, lacerisque omnis somnolentus.* Itaque dormitatio,aut somnus pro dormitante ac somnolento capitur. Mens autem Sapientis est duplicem rationem assignare, ob quam comessatores, & vinolenti patrimonia sua citius conterunt:altera est sumptus magni,& expensæ ad instruendas cœnas collatæ:alia verò torpor,somnolentia,ac socordia, quæ ex cibi, atque vini intemperātia accidere solent:ex quo fit vt comessator multa profusè expendens,& nullum industria sua quęstū faciens quàm citissimè decoctis facultatibus egeat. Quid plura? Cum duabus iam præmissis indigentiæ causis aliam copulant LXX. scilicet scortationem,temulentiæ,& gulæ germanam sobolem; ita enim locum integrum dederunt. *Omnis enim ebrius,& scortator mendicabit,& inducetur disruptis,lacerisque omnis somnolentus.* Itaque ebrietas, & gula, bibaces, atque helluones, non modò socordes, ac desides,sed etiam libidinosos & scortatores reddit: gula autē, desidia, scortatio certissimi sunt proximę paupertatis arrabones. Neque paupertatem modò obiicit Salomon comessatoribus, sed etiam dedecus, id sibi volunt illa verba. *Induetur disruptis,lacerisque omnis somnolentus.* Nam quemadmodum honesta vestis præcipuum est honoris insigne;ita etiam pannosum,& lacerum vestimentum vulgò dedecoris nota est; propterea filium illum degenerem,ac prodigum,qui acceptam à patre suo hæreditatem profuderat viuendo luxuriosè,cùm primū ad parētis oculos venit,iubet pater pānosa deponere (eò enim redegerat illum luxus,& libido) & honesta induere. *Cito,* inquit, *proferte stolam primam,& induite illum,& date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius.* Sed eruditè super hunc locū Clemens Alex. 2. Pædag. c. 2. *Omnis enim ebriosus,& fornicator mendicabit,& induetur laceris,& pannosis omnis somnolentus; Somnolentus enim est,quisquis ad sapientiam non vigilat, sed ab ebrietate in somnum demergitur. Et laceris,inquit,induetur debacchator,& per ebrietatem pudore afficietur propter eos,qui aspiciunt. Peccatoris enim foramina sunt ea, quæ ex veste carnali sunt lacerata, perforata libidinibus, per quæ dedecus intra animam cernitur,nempe peccatum,propter quod nō facilè seruabitur vestis,quæ vndique diuulsa est,& dilaniata, multis marcescens cupiditatibus,à salute separata,ac discissa.* 101.

Luc. 15.

Clem. Alex.

Sed vt accommodatitia subiiciamus, Diuus Gregorius lib. 4. Moral. c. 25. locum istum detractoribus donat his verbis. *Sciēdum quoque est, quod hi, qui aliena vitæ detractione pascūtur, alienis proculdubio carnibus saturantur* (expēdit quippe illa Iob verba, *Et carnibus meis saturamini.*) *Vnde per Salomonē dicitur, Noli esse in* 102.

Gregor.

conuiuijs potatorum, neque comedas cum eis, qui carnes ad vescendum conferunt: carnes quippe ad vescendum conferre est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorum illic pœna mox subditur, Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. Potibus enim vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ sese inebriant. Symbolum verò dare est, sicut vnusquisque solet, pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed tamen vacantes potibus, & dantes symbola cōsumentur, quia scriptum est: Omnis detractor eradicabitur. Vestietur autem pannis dormitatio, quia despectum, & inopem ab omnibus bonis operibus mors sua inueniet, quem hic ad aliena vitæ exquirenda crimina detractionis suæ languor occupauit. Hæc Gregor. satis acutè. Ex quo in sua cōmentaria transtulerunt Beda, & Salon.

---

22. *Audi patrem tuum, qui genuit te, & ne contemnas cùm senuerit mater tua.*

103. AVdi, &c. Hebr. *Audi patrem tuum.* alij, *Audi patri tuo, ipse genuit te*, &c. Chald. *Acquiesce patri tuo, qui genuit te.* LXX. *Audi fili patrem, qui genuit te, & ne contemnas, quoniam senuit mater tua.*

Parentem suum audire adolescens iubetur. *Audi patrem tuum, qui genuit te.* Locus facilis, aliquid tamen inter expositores dissidij est. Alij enim hoc ad obedientiam referunt, quibus accinit Chald. *Acquiesce patri tuo, qui genuit te.* Alij de præceptis, ac monitis paternis auidè auscultandis accipiunt; quam expositionem tum nostra, tum etiam LXX. interpretum translatio commendat: vtraque autem apta est. Si ergo de obedientia, & obsequio patri exhibendo sermo sit, sensus erit eiusmodi. *Audi*, vel, *acquiesce patri tuo, qui genuit te.* Rationem obedientiæ deferendæ claudunt extrema illa verba, *qui genuit te.* Et quidem hæc ratio tantopere filios parentibus obstringit, vt illos eo ex nomine, teste Philosopho, parētum seruos, vel potius vernas, scilicet mancipia domi nata compellare liceat. (Aristot.) Verba Philosophi alibi dedimus, quapropter non modò liberale aliquod obsequium, sed (si fas est dicere) seruilem obedientiam patribus debent, eam scilicet quam vernæ Dominis deferre solent. *Qui genuit te.* Obedientiæ debitum alia etiam de caula ex generatione fluit; quia parentes omnem nostram actionem suam vendicant. Audi Hieroclem apud Stobæum serm. 77. (Stobæus.) *Quemadmodum*, inquit, *Phidiæ aut aliorum artificum opera, & si ipsa rursus alia quapiam facerent, ea quoque non dubitauerimus opera nominare artificum: eodem modo actiones etiā nostræ parentum nostrorum opera esse dicuntur, per quos, vt ageremus, nati sumus.* Si ergo nostræ actiones, atque opera ex generationis debito patrum propria sunt, illis certè subesse, & ipsorum imperio regi, & impelli debēt. Et quidem hic Philosophus filiorum erga parentes obedientiam tam sedulam esse oportere affirmat, vt non solùm eorum apertam, & significatam voluntatē explere, sed nonnūquam etiā liberi diuinatione, & præsagio quodam ea exquirere debeant, quæ patribus placitura sperant, vt illa exequantur. *Nam, & ipsi*, inquit, *multa circa nos diuinarunt, cùm ex inarticulato, & flebili vagitu deesse quidem nobis aliquid intelligerent, quid verò illud esset, non facilè conijcerent.* Quo argumento vsus est etiam Xenophon de dictis, & factis Socratis, ad extorquendam à liberis obedientiam. (Xenophon.) Nam de matris erga illos cura verba faciens, sic ait. *Mater filium nutrit, ac illum curat, qui non modò ignorat eum, qui ei benefacit, sed neque declarare potest quibus indigeat; illa verò per coniecturam, quæ conducant, quæque grata sint ei conatur adimplere.* Nonne

A hæc parem compensationem exposcunt? Ita profectò. Atque eam vim habet illud *qui genuit te*; idest qui te paruulum, & rationis expertem produxit, aluit, &c.

Quod si dicamus non de obedientia, sed de audiendis parentum documentis, ac monitis sermonem hîc haberi, sensus erit. *Audi patrem tuum, qui genuit te.* Nam generatio hoc tibi debitum audiendi imponit. 104. Siquidem, vt aliàs non semel obseruaui, doctor, & magister, qui puerum optimis documentis imbuit, patris etiam nomen fert, qui non corpus, sed animam ipsam quodammodò gignere, & procreare dicitur. Vnde Basilius Imperator in his capitibus, quæ ad informandos Leonis filij sui mores dictauit, eam curā B edocendi filij propterea à se susceptam dicit, ne illi etiam deesset ius paternū, aut patria potestas in animam filij, cui generatio ius tantùm in corpus dederat. Huius Imperatoris verba alibi exhibui. Ergo Salomon eo nomine parentis documenta audienda esse dicit, *quia genuit.* Quia nimirum rationi consonum videtur, vt qui liberorum corpus per generationem procreauit, animam etiam per doctrinam, & institutionem progignat ac recreet, alioqui erit imperfecta, & quasi dimidia generatio. Quapropter filius, qui à patre corpus elaboratum accipit, animum eidem subdere debet, vt ab eodem perficiatur, & informetur. Subdit Salomon.

Et ne contemnas, cùm senuerit mater tua. A matre 105. C cōtemptum remouere vult Salomon. Matres enim à filiis propter infirmitatē sexus despici solent, sed tum maximè, cùm ad senectam peruenerunt: tum enim fere cum sexus, & ætatis imbecillitate copulari solet morositas, & aliqualis difficultas, quam filij grandiores facti iniquo animo ferre solent. id ergo cauet Sapiens his verbis. *Et ne contēnas cùm senuerit mater tua.* Xenophō quidem in opere illo de factis atque dictis (Xenophon.) Socratis Philosophi, cùm vidisset aliquando filium in matrem suam iracūdia incitatum, in eandem probra, & contumelias iacientem, longa oratione illum redarguit: sed inter alia hæc attexit. *Difficile admodum putas esse quæcumque mater morosa, & senex dicit audire. At histriones cùm in tragædijs alter alteri maximas* D *contumelias dicant, non propterea irascuntur, quoniam scilicet non putant, nec illum, qui redarguit, propterea redarguere vt damnum inferat, nec illum, qui minatur propterea minari vt mali quidquam faciat, ideò æquo animo ferunt. Tu autem cùm haud ignores, quod quidquid mater dicit, non vt maleuola tibi dicit, sed volens tot tibi bona fore, quot nulli alij, ægrè feres, aut opinaberis maleuolam tibi esse matrem? Si ergo istam, cùm beneuola tibi sit, & quàm maximè potest, te procuret vt sanus sis, nulloque priueris necessario, & ad hæc tibi multa bona fieri à Deo oret, & vota reddat, difficilè esse ais, nec putas talem matrem ferendam, vtique ego arbitror, præ tua ingēti malitia, bona te non posse sufferre.* Quantus verò honor, & quanta admiratio matri senescenti debeatur, E subiicit his verbis. *An arbitraris tam vlli te hominum vnquam oportere placere, sequi, aut parere, vel Duci, vel Principi, vel Imperatori, quàm matri?* quasi dicat, omnibus his obsequiis, atque obedientiæ longè minus præstandum est, quàm genitrici.

Denique filium illum de illata matri suæ iniuria 106. iam dolentem sic admonet Socrates. (Socrates.) *Tu itaque, fili, si compos es mentis, Deos, vt tibi ignoscant exorabis; si quid matrem neglexisti, ne ingratum te esse existiment nec benefacere velint. Ab hominibus quoque cauebis, ne id resciuerint; si enim te arbitrabuntur erga matrem ingratū esse, nullus putabit te pro acceptis beneficijs in referenda gratia memorē.* Hæc ille. Neque verò solùm honori, & obsequio erga matrē senescētē cedere omnino debēt honores, & obsequia Duci, Principi, aut Imperatori

præ

præstita, sed diuinos etiam honores, & cultum imitari. Plato. Plato in lib. 2. de legib. & ex illo Pampelus apud Stobæum de vtroque parente sene sic serit. *Existimandum est nullum apud Deos simulacrum honorandū magis habere non posse quàm patres senio confectos, matresque similiter.* & infrà. *Mirabilius profectò, & augustius parentum seniorum simulacrū, quam inanimes quæque imagines videri debent. Nam quæ animam habent quando coluntur à nobis, & ornantur, pro nobis orant, & optima dona nobis imprecantur; quæ verò anima carent, nihil tale faciunt.* Tantùm ergo à matre sene, & ætate confecta, abesse debet filij contemptus, & despectus, quātùm ab aliquo Dei sacro sancto simulacro, quod violare impium, ac profanum est. Et quidem illud præ cæteris nostrum erga matres studium inflammare debet, quia cùm Deum ob prouidentiam, quam habet rerum nostrarum, ex animo colere debeamus, adeò vt nullus cultus nullumque obsequium tantæ erga nos prospicientiæ afferri par possit, nihil certè est quod diuinam erga nos prouidentiam ad viuum magis exprimat, quàm matris erga tenellum puerū. Synesius. Lege Synesium in lib. 1. de Prouidentia, vbi longa oratione probat non tam paternam quàm maternam erga liberos curā diuinā erga nos prouidentiam imitari; *Patres enim, ait, res tantummodò magnas, & præcipuas curant, quæ ad filios pertinent; matres verò tam de minimis, quàm etiam de maximis mira solicitudine satagunt, quod diuinæ prospicientiæ proprium est.* Matri ergo post Deum cultus, & reuerentia maior exhiberi debet, cuius nullam, etiam post Deum, maiorem erga nos curam, & prouidentiam experimur. Stobæus. Scitè admodum, etsi audacter, Alexis apud Stobæum. *Non volui,* inquit, *matrem deserere, sed omnium primam seruare: nā rectè intelligentibus ne diuina quidem matri præferenda sunt. Vnde antiquissimus ille conditor non imperitus matris ædem consecrauit, non manifestè declarans cuiusnam, sed rem ex nomine coniectandam relinquens.* Hæc ex carmine in prosam soluta.

23. *Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.*

107. *Veritatem eme,* &c. Hebræa non dissonant, quāuis etiam reddi possint, *Posside veritatem,* &c. nam verbum קנה *Kanah,* vtramque significationem sortitur; sic habet etiam Chaldæus. *Posside veritatem, & ne vendas sapientiam,* &c. Codex Vaticanus LXX. supprimit hæc verba, sed in Regio, & Compl. sic efferuntur. *Veritatem acquire, & ne repellas sapientiam, & disciplinam, & intellectum.* Illud verò circa textum Hebraicum obseruandum est, sic videlicet illud dispungi debere. *Veritatem emes, & non vendes sapientem, doctrinam, intelligentiam.* Itaque illud *non vendes,* ad veritatem reuocandum, & verbum *emes* ad sapiētiam, doctrinam, & intelligentiam accersendū etiam est, ita vt sensus sit; Veritatem quocumque pretio oblato emes, & eandem nullo accepto pretio vendes, pari ratione emes, minimèque vendes sapientiam, doctrinam, & intelligentiam. Hanc interpretationē sequūtur Caietanus, & Vatablus, qui, vt omnem adimeret amphibologiam, locum istum sic restituit. *Veritatem, sapientiam, disciplinam, & prudentiam compara, & ne vendas.* Sed tamen hoc leuissimum verborū dissidium est, nam sententia vtrinque eadem euadit.

108. Omnia igitur illa, *veritas, & doctrina, sapientia, & intelligentia* synonyma sunt, atque adeò mens Salomonis hæc est; Pro veritate, hoc est, pro doctrina, & sapientia comparanda omnia bona externa profundenda sunt, tempus, labores, copiæ, & si quid aliud pretiosius est; hæc.n. est prudens commutatio: dantur enim vilia, & acquiruntur pretiosa. Contrà verò vbi eandem quis sibi rerum suarum dispendio coëmerit, nulla externorum bonorum æstimatione vendenda, ac permutanda est. Et quidem si per doctrinā, & veritatem aliquid non ad cognitionem, sed ad mores spectans accipiamus, scilicet honestatē, & virtutē, de huius mercatura, & negotiatione sat multa contulimus suprà c. 3. vers. 14. ad illa verba, *Melior est acquisitio illius negotiatione auri, & argenti.* Adi eum locum Si verò de veritatis, & sapientiæ speculatione sermo sit, haud inepta etiam euadet sententia, nam istiusmodi veritatis speculatio, & theoria, digna est vt profusis etiam omnibus redimatur. Fecerunt hoc ex antiquis Philosophis Bias, Diogenes, Crater Thebanus, & alij, qui parandæ gratia sapientiæ facultates, & fortunas suas libenter dimiserunt. Neque stulta fuit illa permutatio, cùm reliqua bona humana vni sapientiæ facile cedant. August. de disciplina Christiana tractatu 1. c. 10. *Indignum,* inquit, *est, iniuriosum est, si sapientia pecunia comparetur.* August.

Sed licet præmissa interpretatio accommodata sit, 109.
tamen nescio an alia fuerit Salomonis mens, tu videris. *Veritatem* (inquit) *emes.* Si tibi opus fuerit tāquàm in publica licitatione oblatis tuis fortunis sapientiā emere, ne dubites eam quibuslibet sumptibus comparare: at postquam eam tuis expensis coëmeris, mihi fides sit, ne vendas, sed gratias eam tuis auditoribus impende. Huc spectat illud Pauli, qui in quosdā diuini verbi licitatores inuectus 2. ad Corinth. 2. sic 2. Cor. 2. scribit. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* Græcè *cauponentes,* i. tanquam in caupona vendētes. Accipe interpretationem Hieron. Hieronym. *In eo autem* (inquit) *quod se negat esse sicut multos, qui venderēt verbum Dei, ostendit esse quam plurimos, qui quæstum putant esse pietatem, & turpis lucri gratia omnia faciunt, qui deuorant domos viduarum,* &c. Et quidem non modò hi qui quæstum ex doctrina faciunt, sed etiam illi sapientiam suam discipulis vendere dicendi sunt, qui illam non nisi rogati, aliquando etiam tristes, molesti, seueri, & difficiles impartiunt. Vel aliter, *ne vendas,* i. ne vendites, ne ostentes; nam, & illos, qui res suas publicè celebrari, & laudibus vehi cupiunt, easdem vendere haud ineptè dicemus.

24. *Exultat gaudio pater iusti; qui sapientem genuit, lætabitur in eo.*

25. *Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te.*

Exultat gaudio, &c. Hebr. *Exultando exultabit* 110.
pater iusti, & generans sapientem, & lætabitur in eo. Chald. non discordant. LXX. *Bene educat pater iustus, & in filio sapiente lætatur anima eius.*

Gaudeat, &c. Hebræa non dissentiunt. Chald. etiam concinit. LXX. *Lætetur pater, & mater super te, & gaudeat quæ peperit te.*

Huius loci sententia admodum perspicua est: In priori quidem versu docet patrem incredibili gaudio perfundi (hoc sibi vult illud *exultat gaudio*) si iustū, hoc est, bene moratum, aut sapientem, id est, bonis artibus, & doctrina excultum filium sortitus est. Nimirum putat pater filij sui bona ad se pertinere, non solùm quia quidquid boni agit filius iure generationis ad patrem spectat, sed etiam quia bonam indolem, pronos ad honestatem mores, idoneumque ad sapientiam ingenium filios à parentibus suis haussisse nemo non credit, iuxta illud Horatianum. Horatius.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum

Virtus. Nec imbellem feroces
Progenerant Aquila columbam.

Marullus. Quò spectauit etiam Poëta Marullus.

Nec leporem canis Amathius, timidamve columbam
Natus Hyperboreo falco sub axe creat.

Synesius. Vndè satis aptè dixit Synesius, patres illos qui militiam, & castra non coluerunt, & qui sapientiæ scholas non frequentarunt, cùm filios, aut fortes milites, aut doctos Philosophos euasisse viderint, propterea impensius gaudere, & triumphare: quia eo argumento omnibus persuasum putant, etiam ipsos, si castra secuti fuissent, & scholas adiissent, similem in armis peritiam, & parem in studiis facultatem adepturos fuisse, quia cum indolem, quam liberis transmiserũt, in se, quasi in fonte, restitisse, & resedisse putant. Atque idem etiam de filiorum honestate, & pietate iudicium est: nam si patres olim improbi fuerunt, filios probos, ac pios deinde nacti plurimum lætantur, quia inde suaderi existimant, multa probitatis semina, & scintillas in ipsis manere, quæ deinde ali, excitarique possint. Aptè igitur Salomon, *exultat gaudio pater iusti*, &c.

111 Deinde verò ad filios orationem conuertens ait. *Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet, quæ genuit te.* Quasi dicat: sic te gere, vt ex tua vel probitate, vel sapientia ingens ad parẽtes tuos gaudium redire possit, sed præcipuè ad matrem: propterea enim iteratò dicit, *& exultet quæ genuit te.* Sed cur matri solatium hoc potissimum impendi debet? ratio est in promptu, quia matrum in liberis edendis dolores, & cruciatus id suo sibi iure postulãt, vt postea liberi exhaustos pro ipsis labores solatiis, atque laxamentis compensent. Addo etiam matrum voluptatem ex probitate, aut peritia filiorum, natura suadente, maiorem esse: quia vt suprà c. 10. v. 1. docuimus, filij indolem suam matribus potius quàm patribus debent: adi eum locum. Quanto verò studio liberi tum patri, tum matri solatia impertiri debeant, eleganti admodùm oratione

Stobæus. persequutus est Hierocles Philosophus apud Stobæum serm. 7. his verbis. *Cæterùm animis parentum nostrorum lætitiam in primis procurabimus, quæ inde maximè oborietur, si probi fuerimus, & si dies noctesque cum eis conuersemur, etsi nihil impediat, ne etiam simul ambulemus, simul vngamur, simul denique edamus, & bibamus. Quemadmodum enim illis, qui longinquam peregrinationem instruunt, familiarium, & amicorum conuersatio, & extrema salutatio iucundissima est: eodem modo parentibus breui è vita discessuris liberorum conuictus maximopere gratus est.* Rursus alio etiam nomine filij parentes suos consolari semper, &, quoad fieri possit, lætos, & gratos sibi reddere debent, vt scilicet bona sibi ex animo precentur. Nam quemadmodũ parentũ detestationis filiis exitio sunt, ita etiã preces, & benedictiones fœlicitatẽ eisdem exorant.

112. Quantum verò lætitia, & animus erga filios alacer, & iucundus ad precum, & benedictionum effectũ cõferat testatur illud Isaci senis nobile exẽplum, qui filio suo natu maximo Esaü bona precari decernens, priùs ab eodem aliquo officio excitari, & hilarẽ

Genes. 27. reddi voluit, Genes. 27. sic enim pater ad filium. *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmẽtum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Quasi dicat: vt hilarior factus tibi ex animo benedicere possim. Cùq; Iacob conuiuium adornasset, & cibos intulisset, vt benedictioné præriperet fratri, ait demum textus sacer. *Quos cùm oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinũ, quo hausto,* &c. Quorsũ hæc? nouerat certè sanctissimus parẽs quantã vim benedictionibus, precibusque conferret hilaritas, & voluptas gratis liberorũ obsequiis, & officiis excitata.

A Assequutus etiã hoc est Plato dialog. 11. de legib. Plato.
Nã vbi præmisit parentũ malas preces aduersus liberos à Deo exaudiri, sic statim attexit. *Nihil imprecatione parentis non iniustã perniciosius filio. Nemo verò putet, cùm pater, aut mater contemnitur, tunc solùm detestationes eorũ secundùm naturã exaudiri, sed etiam cùm honoratur. Atque adeò cùm lætiores bona liberis à Diis petunt, exaudiri eos similiter existimare debemus, sicque demum æqua nobis inde distribui. Nam aliter in bonis distribuendis iusti non essent, quod longè à Diis abesse necesse est.* Quasi dicat: hæc duo æqualiter à Deo dispẽsantur: nam sicut Dij parentes à filiis contristatos, & dolore affectos, cùm mala filiis deprecantur, exaudire solent: ita etiam, imò potiori iure, eosdem

B liberorum obsequiis, & officiis alacres & hilares factos, cùm bona illis deposcunt exaudiunt, & ipsorum postulationibus annuunt. Iam intelligis quantum ad filiorum fœlicitatem auxilij afferant solatia parentibus impensa, vt propterea Salomon meritò dixerit, *Gaudeat pater tuus, & mater tua,* &c. Translatio illa LXX. *Bene educat pater iustus*, interpretatione non indiget: significat enim probis, ac piis parentibus nihil esse antiquius, quàm filiorum optima educatio.

---

26. *Præbe mihi fili cor tuum: & oculi tui vias meas custodiant.*

27. *Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.*

C

Hos duos versus astringit illa causalis particula *enim*, atque adeò vtrumque copulare opus fuit. *Præbe mihi*, &c. Hebr. à Vulgatis non recedunt. Chald. *Pone fili mi cor tuum ad me*, &c. LXX. etiam hærent Vulgat. 113.

Fouea enim profunda, &c. Hebræa etiam, & Chaldaïca concinunt cum nostris. LXX. verò interpretum latum à Vulgatis dissidium. *Dolium enim perforatum est aliena domus, & puteus angustus alienus.* Ahj, *dolium perfractum*, eodem sensu.

Hugo Cardinalis, Dionysius, & alij non pauci, hæc verba à Deo profari putãt, quibus scilicet cor, id est,

D amorem, & affectum sibi à iuniori donari postulat, antequam meretrix illum sibi eripiat: ab illa enim ipsum recuperare, & Deo restituere perdifficile postea est. Non iniucunda expositio & satis vera sententia, sed (ni fallor) à textu longè abhorret. Meliùs ergo Caietanus, Iansenius, Rodolphus, & qui ab his excipere solent, putant hic Salomonem fari, (neque enim probo eorum expositionem, qui hæc filio à parente dictari voluerunt.) alloquitur verò auditorem suum, cuius in hoc libro attentionem passim excitat. Itaque ait, *Præbe mihi fili cor tuum.* Accommoda, inquit, mihi mentem tuam, *& oculi tui vias meas custodiant*, id est, per omnia præcepta & documẽta mea intentis oculis perge, ne ab illis, aut deflectas, aut

E aberres: si enim ab his aut deflectere, aut aberrare contigerit, adest proximè fouea, & puteus angustus, in quem certissimè delapsus peribis. Hæc est istius sententiæ tota energia. Sed quisnam hic angustus puteus, & ima fouea?

Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Pro fouea in Primitiuis est שוחה *Suchah*, quæ vox foueam, fossam, quã vrbes cinguntur, & sepulcrum etiam sonat: ex Rabinis autem non nemo ea voce propriè & germanè fossas notari existimauit, quibus vrbes circũ circa muniri cõsueuerunt. Eandẽ vocẽ LXX. passim *interitum, perditionem, & corruptionem* transtulerunt, quos non semel imitatus est Vulgatus. Rursus hîc loco putei subest באר *Beer*, cuius vocis vim dedimus, quam nihil proprius notare diximus 114.

diximus quàm ciſternam ad excipiendas aquas pluuias, ſeu inertes: aliquando etiam ſiccam foſſam ad captiuos includendos: quamuis etiam nonnunquam latiori ſignificatione puteum aquis ſcaturientem, necnon defoſſam metalli cuiuſpiam venam ſonet: vulgò *mina*. Ad rem.

115. *Fouea profunda eſt meretrix*, &c. Aliqui putant meretricem tum foueam profundam, tum etiam puteũ imum appellari, ad ſignificandum eos, qui in illam incidunt, ex ſublimi ſemper delabi, ſcilicet ex faſtu, ac ſuperbia: hæc enim ſæpius homines in libidinis baratrum impellere ſolet. Eſt igitur meretrix *Suchah*, ſecundùm omnes iſtius vocis ſignificationes: eſt nimirum *ſepulchrum*, in quo viuos homines defodit libido, & luxus. Alibi de hac ſimilitudine ex Chryſoſt. & aliis non pauca diximus: aliquid etiam hîc adſcribo ex Diogene apud Stob. in ſerm. 6. de Intemper. *Diogenes*, inquit, *dicebat pleroſque viuos ſeipſos humare, & putrefacere balneis humectantes, & re venerea putrefacientes, morientes autem demum mandare corpus in ſuffimentis, & aromatibus recondi, alios etiam melle, ne citò putreſcant.* Quibus verbis hominum libidinoſorum mirabilem ſtuporẽ inſectabatur, qui viuum corpus, tunc, cũ illud à corruptione, & tabo vendicare oportebat, veneri, & meretricibus, tãquam ſepulcris, corrumpendum tradere conſueuerant: Idem verò corpus iam demortuum, cùm illud corrumpi, ac ſolui ſatius eſſet, aromatibus, ac condimentis ab omni corruptela ſeruari ſtudioſè curabant. *Stobæus.*

116. Ad hæc meretrix eſt *Suchah*, pro *foſſa*, qua vrbes cingi, & obſideri ſolent. Nam quemadmodum in vrbium expugnatione hoſtes mœnia ſcandentes, cùm ad faſtigium peruenerunt, iaculis aut tormentis ab incolis percuſſi in foſſam deiici, ac deuolui conſueuerunt: non aliter cum his fieri crediderim, qui per faſtum & ſuperbiam ad ſublimiora ſemper anhelant: hos enim Deus è faſtigio, & ſupercilio mentis deiectos ſæpe admodum in libidinis, vel alicuius meretricis foſſam iam iam morituros delabi ſinit. Et quidẽ ſicut in foſſis vrbium bello graſſante magna cadauerum ſtrues videre licet: ita etiam circa meretrices adulterorum, aut potius cadauerum cumuli ingentes paſſim viſuntur.

117. De reliquis foſſæ, aut foueæ acceptionibus diximus ſupra c. 22. verſ. 14. ad illa verba. *Fouea profunda os alienæ.* Venio ad puteum.

Et puteus anguſtus aliena. Quadrant etiam in meretricem omnes acceptiones nominis *Beer*. Nã ea vox ciſternam primum ſonat ad aquas inertes excipiẽdas. Audi Muſonium apud Stobæum ſupra. *Socrates*, inquit, *dicebat perinde facere adulteros, ac ſi qui nollent ex aqua in fontibus ſupernè profluente bibere, ſed ex illa, quæ in fundo ſubſedit, ac deterior eſt.* Hæc Socrates aduerſus illos, qui vxores legitimas deſpicientes, meretriciam voluptatem conſectantur: hæc enim aqua eſt (liceat ſic dicere) in ciſternis ſubſidens, iners, atque corrupta. Et quidem adluſum puto ad ſubterraneos fornices, in quibus meretrices conſidere ſolitas ſupra dixi cap. 2. ver. 18. Quaſi dicat, Veneris appetentia quædam eſt ſitis: illi ergo, qui hanc ſitim legitimi coniugij vſu extinguunt, ſimiles ſunt his, qui perennes, ac puras aquas ex fonte supernè, id eſt, in luce, & oculis omnium fluente, hauriunt. Qui verò in fornices ad pellices deſcendunt, vt intemperantiæ ſuæ ſitim exſatient, cum illis conferendi ſunt, qui inertes, & putres aquas ex ciſternis bibunt. Meritò ergo pellex ciſterna appellatur aquas ſubſidentes, & inertes cohibens. *Stobæus.*

118. Rurſus *Beer*, antrum etiam ſubterraneum ſonat ad captiuos includendos. Quemadmodum ergo nulla eſt infœlicior captiuitas, illâ qua hominem libido

A meretrici deuinxit: ita etiam nullus anguſtior vel tenebroſior carcer, quàm is, in quem infœlix adulter detruditur. Et quidem meretricium amorem carceri adſimilem docuit Auguſtin. in Pſalm. 118. ibi enim, *Cæcum & obſcurum carcerem luxuriam* appellat: Sed *Auguſt.*
cùm apud veteres non vnum carcerum genus fuiſſe eruditè probat Briſſonius de verborũ ſignificatione, *Briſſon.*
qui inter alios tertium quoddam genus carceris cõmemorat his verbis, *Quo immanibus præſignes flagitiis cœlo & hominũ cœtu indigni, ac prope diem plectendi, tenebris & pædori addicendi introducuntur.* Ex hoc genere carceris erat ille, qui *Theſaurus*, apud Meſſenios appellabatur, (auctor eſt Cælius l. 9. c. 34.) locus ſcilicet ſub terra quadrato ſaxo, tam immanis, ac tæ-

B uus, vt neque lucẽ, neque auram exciperet: & quidẽ ex his hodie apud noſtrates non pauci ſunt, quos vulgus *pozos*, appellat. Neque alium eſſe crediderim illum, quem Romani *baratrum*, appellare ſolebant, cuius nominis rationem reddit Cælius, quòd non *Cælius.*
minus homines incluſos torquere, ac cruciare ſoleat *Rhodig.*
quàm orcus ipſe in illum detruſos. Hunc ergo atrum, cæcum & defoſſum carcerem non ad cuſtodiam ſolùm, ſed ad pœnam ſontium inuentum. Hebræi *Beer*, id eſt, ciſternam, aut puteum appellabant; & (ni mea me fallit coniectura) non alius eſt ille carcer, qui apud eoſdem Hebræos, *tenebræ exteriores* dici ſolebat. Itaque in hoc carcere multiplex erat incluſi ærumna; primò cuſtodia tutiſſima; ſecũdò cæcæ tenebræ, ter-

C tiò corporis lues, & corruptio; quartò deſtinatio ad certam mortem. Meritò igitur Salomon, *Puteus*, inquit, *anguſtus aliena*. Puteus videlicet pro carcere, in quo omnes illas ærumnas præmiſſas experitur adulter. Primò cuſtodiam quandam tutiſſimam (audacter dico) omni euadendi ſpe ſublata: eiuſmodi enim eſt ſcortationis, & impudici amoris vis, vt ille quem ſemel vinculis ſuis adſtrinxit, vix vnquam libertatem recuperet. Secundò cæcas tenebras; nihil certius quàm eos, qui libidini mancipati ſunt, lucis expertes in tenebris ſemper eſſe. Audi Chryſoſtom. qui cæcum *Chryſoſt.*
illum & feneſtris carentem carcerem deſcribere mihi videtur Hom. 11. in 1. ad Corinth. *Quando enim*, inquit, *ab impudica libidine capta fuerit anima ſicut*

D *nubes, & caligo corporis oculos: ita, cùm illa eripuerit mẽti perſpiciendi facultatem, nihil ſinit videre vlterius, non præcipitium, nõ gehennam, non timorem, ſed ab illius occupata tyrannide deinceps facilè poteſt expugnari à peccato, & tanquam feneſtris carens paries vndique ante oculos excitatus, non ſinit radium iuſtitiæ menti illuceſcere, abſurdis libidinum cogitationibus ipſum vndique arcentibus.* Vrget amplius hanc ſententiam Chryſoſtomus. *Et quemadmodum qui ſunt orbati oculis, ſi vel in fixo meridie ſteterint, ſub medio cœli, lucem non ſuſpiciunt: ita etiam iſti, etiamſi innumerabilia inſonent ſalutaria dogmata, illorum anima hoc morbo præoccupata nihil videt.* Tertiò fornicarius in meretricij amoris carcere incluſus corporis luem patitur, nihil etiam

E mage certum, atque exploratum. Innumeros morbos, quos libidinis intemperantia corpori immittit, ſuprà perſequuti ſumus cap. 5. verſ. 9. vide ibi multa. Quartò denique ærumna eſt deſtinatio ad certam mortem. Hæc eſt maxima libidinoſorum calamitas: nam cùm hi, qui meretriciis amoribus compediti ſũt, vix vnquam reſipiſcant, neſcio quo ſuo malo iam inde inter reprobos adſcripti ſunt, damnatis proximè adnumerandi. Iſidorus Græcus in epiſt. 225. ad illa verba Pauli 1. ad Corinth. 6. *Neque fornicarij, neque* *1. Cor. 6.*
idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorũ concubitores, &c. regnũ Dei poſſidebunt, ſubdit, *Iſidor.*
Hi ſũt, quos iã lethale mortis, θ, obſignat, eſt autẽ θ, ſeu Theta, littera Græca, quæ deſtinatos ad certam necem inuri ſolebat. Hinc eſt illud Perſij ſat. 4.

Persius. *Et potius est vitio nigrum præfigere theta.*

Itaque illis verbis Isidorus planè significauit libidinosos,& fornicarios æternæ morti, quodam quasi præiudicio,adiudicatos esse. Sed licet hæc interpretatio mihi ante alias probetur, puteique angusti hanc germanam significationem esse rear, tamen alias etiam acceptiones subscribam.

119. Secunda igitur significatio hominis *Beer*,est defossa metalli cuiuspiam vena,quæ apud Hebræos etiam puteus dicebatur, quemadmodum etiam nostrates venas viui argenti *pozas* vocant,exempli causa *el pozo del almaden,el pozo de Adan*. Sic habes Genes. 14. (Genes 14.) *Puteos multos bituminis*, ex quibus scilicet, bitumen defodi solebat. Ergo secundùm hanc significationem locũ istum noua interpretatione donare licet. *Et puteus angustus aliena*,id est,defossa metalli vena:Quasi dicat:fornicatius ille intemperans his prorsus adsimilis est,qui ad effodienda metalla damnati sunt. Nam sicut hi laboris magnitudine, & puteorum, ad quos descendunt,vitio atque intemperie soluti, & confecti, citiùs emori solent, ita vt vulgò persuasum sit, eos,qui ad eiusmodi puteos mittuntur,ad certam necem mitti:ad eundem modum libidinosus scortator, veluti aliquis ad metallorum fodinas damnatus,molestiis,ac Venere exhaustus ocyus tabescit,atque interit. Videas enim metallorum effossores expilari sæpius,sæpissimè etiam contractis neruis rigere mẽbra, & alia quædam pati his prorsus similia quibus scortatores confici solent. Et quidem omnes in vniuersũ peccatores propter morbos, labores & molestias, quas in peruincendis suorum scelerum difficultatibus exanthlant,cum his cõtulit Chrysostomus,(Chrysost.) quos illi tolerãt,qui ad effodienda metalla demãdati sunt, cuius verba alibi dedimus. Sed licet hæc similitudo in omnes peccatores quadret, tamen omnium optimè in scortatores & adulteros;quia quemadmodum illi metallorum effossores,vt exiguum argenti põdus defæcãtum,percolatum,& excoctum habeant,ingẽtia prius terræ, aut lapidum onera suis humeris exportant, & labores adeunt immensos, humanisque impares viribus:sic etiam libidinosi,ac proci,vt leuẽ, & fugientem voluptatem carpant,incredibiles prius ærumnas,labores,& molestias subire cogũtur. Quid certius? Quapropter in hoc sensu Venerem ad auri, & argenti fodinas à Menandro missam fuisse dixerim (Menander. Rhodig.) potius,quàm in eo,quem excogitauit Rhodiginus lectionum lib. 8. c. 5. quod nimirum argenti, & auri sitim non aliter exsatiatura videretur:quamuis id etiam verissimum sit,vt statim dicemus.

120. Denique si nomen illud *Beer*,puteum imum significet, quod vulgò interpretibus arridet, sensus erit perspicuus. *Et puteus angustus aliena*,id est, puteum imitatur profundum ore perangusto, in quem delapsus adolescens rursus emergere non potest. Et quidem ab hoc puteo eripi se precibus cõtendebat Dauid in Psalm. 68. (Psal. 68.) cùm dicebat. *Neque absorbeat me profundum,neque vrgeat super me puteus os suum*. Quæ verba de impœnitentia, & peccati occultatione in confessione interpretatus est Augustin. (August.) quæ illis vel maximè accidere solet,qui impuris libidinis,ac luxuriæ fæcibus sorduerunt.

Sed translatio LXX. in lancem veniat,qui versum istum cum sequenti conferentes, de insatiabili meretricum auaritia illum exposuerunt. *Dolium enim perforatum est aliena domus,& puteus angustus alienus*. In dolium perforatum aquam mittere, peruetus est paræmia ad significandum casum & inanem laborẽ, quam non modò externi, sed Patres passim vsurparunt. Chrysost. hom. 77. in Matth. (Chrysost.) *Quid*,inquit,*caduco huic mundo laboras? Quid perforato dolio aquam ingeris?* & hom. 19. in Acta. *Si dicta minus vobis profue-*

A *rint,multo minus si alia apposuerimus, profectò haurimus in vas perforatum*. Et hom. 10. ad Ephes. *Vt si quis in dolium perforatum liquorem infunderet, inanem planè operam sumeret:sic delitiis deditus suas in pertusum dolium infundit delitias*. Basilius de laudibus ieiunij in (Basil.) gastrimargiã inuectus *Stultè admodum facis,si corpus quidem conficis, nec tamen solatium esuritioni admones. Ista insida panni cella est; in pertusum hauris dolium;fit enim vt vinum perfluat ad suam recurrens viam, & peccatum maneat in dolio*. & infra homil. de legendis lib gent & in oratione de ingluuie & ebrietate, eiusdem Prouerbij meminit: mitto Hieronymum, Tertullianum,& alios. Sententia igitur huius loci perspicua est. *Dolium perforatum aliena domus*,id est,domus B meretricia dolium imitatur pertusum, atque adeò quamlibet illi pecuniarum vim maximam infuderis, breui delabitur,& denuo sitit. Et quidem duas scortatoris ærumnas complecti videtur Salomon; alia est scorti infidelitas,quæ ab vno adultero accepta,alteri fortasse donat:altera est sumptus perennes,quos meretricis auiditas assiduò sitit, & nunquam expletur. Addo etiam tantam esse libidinis meretricis potentiam ad extorquendas largitiones, vt ad illas cohibẽdas auaritia nulla possit. Augustin. serm. 50. de tempore. (August.) *Sæpe admodum*,inquit,*perdit luxuria, quod congregauit auaritia*. Sed de sumptibus in meretrices factis non pauca suprà diximus c. 5. vers. 10. quæ hunc in locum opportunè transferri possunt.

C Extrema illa verba, *Et puteus angustus alienus*, 121. haud facile est cum superiori hemistychio contexere; tamen (ni fallor) dupliciter construi possunt, vel ita, vt sensus sit, *alienus puteus angustus est*, id est, meretrix,seu adultera,puteus angustus,& alienus est:sensus verò à Vulgatis nec latum vnguem discedit. Vel aliter, per *alienum*, pellicis maritum accipimus, vel ipsum adulterum, qui respectu etiam scorti alienus est. Si ergo adulterum significari putabimus,dicemus quidem priorem huius sententiæ partem ad adulterum intendi,posteriorem verò ad adulteram,hoc sensu. *Dolium perforatum aliena domus*. Quasi dicat,abstine adulter, quia domus meretricia nullis largitionibus expleri potest, atque adeò breui tempore exD hausta deficit. *Et puteus angustus alienus*, id est, tu quoque adultera libidinẽ coërce, & ne temerè adulteri largissimis promissis fidas, sæpe enim adulter auarus & tenax puteum perangustum imitatur, à quo nihil demum emungere, vel haurire licet: quæ interpretatio mihi accommodata videtur. Quod si nomine *alieni*,adulteræ maritum accipiamus, venustior euadet sententia, dummodo vtramque partem scortatori donemus ad hunc modum. *Dolium perforatum domus aliena,& puteus angustus alienus*, id est, duas pretiosissimas res discrimini obiicit scortator, nimirum fortunas suas,& caput suum: nam domus meretricis,dolij adinstar perfracti, nunquam infusis pecuniis expletur,atque adeò quisquis illam adamat, E patrimonium suum profundat necesse est. Rursus maritus illius zelotypiã inflammatus puteus est angustus, atque adeò quisquis in illius manus inciderit,actum est de illo,*como quien ha caido en vn pozo*,à quo nulla industria,aut vi emergere licebit. Vide suprà c. 6. vers. 34. quæ coniecimus ad illa verba, *Quia zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*.

28. *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.*

INsidiatur in via, &c. Hebr. *Etiam ipsa tanquam præda insidiabitur, & præuaricatores in hominibus* 122.

hominibus addet. Caiet. *Et peccatores in hominibus addet.* Vatabl. *Adiungitque sibi homines praeuaricatores.* Chald. *Et sicut fera rapiens oculis insidiatur, & venatur filios insipientes.* LXX. à reliquis interpretibus quàm longissimè abeunt: nam hæc verba cum superiori sententia connectere volentes sic restituerunt. *Hic enim breui peribit, & omnis iniquus absumetur*: de cohærentia vtriusque versus posteà aliquid dicam. Theodot. *Et praeuaricantes in hominibus tollet.* A quo noster suam lectionem videtur hausisse.

Vulgatæ translationis sententia perspicua est: puto autem adlusum ad vias, aut semitas, vbi meretrices palliis contectæ considere solebant mœchos præstolantes, de quo veteri more sæpe aliàs diximus, sed tùm maximè cap. 2. vers. 20. Has igitur Salomon B appositè admodùm cum prædonibus confert, qui vias obsident, vt ex insidiis aggressi obuium quemque diripiant, ac perimant. Tales enim & illæ sunt, quæ palliis velatæ ex semitis, tanquam ex insidiis, viatores inuadunt, nummos emungunt, & animas neci tradunt. Nil certius; vel si placet, hæc verba non de pecuniarum deprædatione accipiamus, sed de spoliatione bonorum spiritualium, quibus animus diues est; libido enim vitium est, quod animum omnibus hisce bonis prædiuitem penitus spoliat, & vacuum reddit: vnde Chrysostomus Homilia 11. in 1. ad Corinth. de scortatione verba faciens. *Quomodo*, inquit, *latrones, & murorum effossores, quando volunt aliquid pretiosum capere, lucerna exti cta hoc faciunt; ita etiam* C *in nobis facit libido: est enim in nobis perpetuò ardens lumen rationis: ille igitur spiritus nequitiæ* (nempe luxuria) *magno impetu irruens flammam illam extinguit, & protinus diripit, spoliatque omnia, quæ sunt recondita.* Hæc ille. Tu autem pro libidine, meretricem subiice, & facilè intelliges quantam vim hæc habeat ad diripienda, & effuranda animi bona vniuersa: constat enim simulatque hominem aggreditur, præclaram illam animi facem obrui, & opprimi, videlicet rationem, qua extincta nihil non clepere, & deprædari licet. Subdit enim Chrysostomus verba suprà superiori versu adscripta, quibus animæ libidinis mancipatæ tenebras eleganter admodum depingit.

Chrysost.

123. Sed pendamus aliorum lectiones. Origines ad D verbum sic habent. *Etiam ipsa tanquàm præda insidiabitur.* Itaque textus primitiuus non expressit latronē, aut furem: hinc facta interpretibus copia. Chaldæus. *Sicut fera rapiens oculis insidiatur*, qui maluit meretrici feræ alicuius crudelissimæ, quàm latronum insidias dare, *sicut fera*, inquit. Parum est scortum vni tantummodò feræ conferre, cùm constet non vnam tantùm, sed plures atque sæuissimas, in vna impudica muliere contegi, feras ad insidias homini struendas. Nonne in meretrice est lupa sæuissima, ac voracissima? ita quidem, nam propterea scortorum diuersoria, *lupanaria*, appellantur, vt docet Augustinus de Ciuitate, lib. 18. cap. 21. In scorto etiam degunt pariter draco atrocissimus, & leo item sæuissimus: lege E Chrysostomum Homilia 15. de variis in Matthæum locis, vbi etiam tradit, in eodem scorto simul collatebrari viperas, aspides, tygrides, & pardos. Addo etiam impudentissimos canes, apud Nazianzenum: & alias item apud alios: ita vt meretricē non vnam aliquam feram, sed omnium spelæum: aut (si placet) vnam quandam ex omnibus tamen coalescentem, & compositam esse dixerim, quæ nimirum chimæram formarum multiplicitate, & dissimilitudine facilè superet. Quis ergo tantum, tamque horribile monstrum non exhorrescat? quis tam dissimilem, ac multiplicem feram, ac placabilem, ac mitem sibi reddendam putet? Rem meditaris impossibilem, ô adulter: cùm enim fortasse leonem, aut canem mitigaueris obse-

August.

Chrysost.

A quio, instabit tygris, pardus, draco & vipera, quos obsequia minimè placant: cùm autem metum incusseris, leo, canis, & aliæ quædam superbæ feræ magis ac ac magis sæuient, quæ officiis tantùm, & obsequio mansuescunt. De hac igitur multiformi bellua Salomon ait. *Et sicut fera rapiens oculis insidiatur.* Vox illa *oculis* copulari potest cum verbo *insidiatur*, nec non etiam cum verbo *rapiens*, ita vt sensus sit, Hæc fera immitis insidiatur, vel obseruat oculis suis, vt in obuios incurrat. Vel aliter: Hæc fera aliarum sæuitiam, & rapacitatem facilè superat: aliæ enim belluæ ore, aut vnguibus rapiunt, & lacerant: hæc verò oculis suis prædas agit, & corpora, animosque dilaniat. Nihil enim meretriciis oculis ad deprædandum fortius, ac violentius.

Et quos incautos videris interficiet. Sic noster appositè ad latronis similitudinem: vbi obserua meretricum insidias aduersus incautos posse, non autem contra cautos & prouidos. Ad eundem etiam modum Chaldæus, vt posterior hæc pars cum priori iuxta illius translationem congrueret, sic eam restituit. *Et venatur filios insipientes.* Alij verborum sonum tenere volentes, aliter atque aliter conuertunt. Caietanus. *Et peccatores in hominibus addet*, alios scilicet, atque alios addet: nam si meretrices ex hominibus exularent, vix peccatores, ac præuaricatores essent. Cyprianus de singul. Cleri. *Tempus*, inquit, *luctaminis adhuc geritur, & mors per fœminam adhuc vsque grassatur.* Quasi dicat: per fœminam mors initium accipit, & per eandem promouetur in hoc mundo, adeò vt ipsa sublata mors etiam sisteret. Et post pauca (vt ad prioris hemistychij sententiam redeamus) *Longe*, inquit, *sit pestis ista, & lues, & clandestina pernicies. O quàm inordinabilis fœminæ propinquitas, cuius vicinia est delictorū latrocinium!* Metaphora ducitur ab vrbe quapiam, cuius vicinia à prædonibus infestatur. Quasi dicat, longè fieri oporter à fœmina, ac meretrice, quia in ambitu illius circumcirca omnia vitia, & peccata, latrocinia & prædas suas agunt. Itaque non ipsa tantum meretrix prædonis ad instar homines diripit, sed circa illam prætereà omnia grassantur vitia & delicta, prædasque suas liberè agunt. 124.

Cyprian.

---

29. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum?*

30. *Nónne his qui commorantur in vino, & qui student calicibus epotandis?*

Cui væ? &c. Huius loci sententia perstringit ebrios, & temulentos, & plurima incommoda, atque ærumnas complectitur, quas vini intemperantia secum affert: quapropter singula per se seorsim expendere opus est, ne indiscreta permixtio obscuritatem pariat. 125.

Cui væ? Omnes interpretes in hanc lectionem conspirant. Sed quid sibi vult hoc *væ*? aliqui infortunium quodlibet eâ voce notari putant, quasi dicat; Quemnam omne calamitatum, & infortuniorum genus manet? non alium certè nisi ebrium. Cæterùm, si huius vocis in scriptura vsum consideres, planè inuenies illâ fletus, gemitus atque lacrymas sæpius innuere. Ezech. 2. de lib. qui Prophetæ deuorādus traditur, sic habes. *Scriptæ erant in eo lamentationes, carmen, & væ.* & 1. Reg. 4. *Ingemuerunt dicentes, væ nobis.* Hierem. 34. *Væ Domine plangent te*, & passim alibi. Ergo sensus est, *cui væ?* id est, ad quem lacrymæ & gemitus pertinent nisi ad ebrium? Est autem illo scelere perquàm

Ezech. 2.

1. Reg. 4.

Hierem. 34.

digna hæc plaga: nam illi, qui inter calices lætitiam suadentes, & inspirantes, toties in cachinnos solutus risit, ac gestiit, fletus, ac lacrymæ aptè decernuntur pro meritis; imò potius præsens risus futurorum gemituum sponsio est. Sed quid de eiusmodi vinolentorum hominum lacrymis sentiendum, accipe ex Basilio in homil. de ingluuie & ebrietate. *Si quis*, inquit, *carnem sui iuris esse permiserit, vinoque, & epulis ea veluti feram quotidie infarserit, iacebit demque frustra ingemiscens. Ad Dominum autem adductus, vt itineris in terra concessi fructum exhibeat postulatus, nec quod det habens, ingentes lamentationes edet, verum nullum amplius ex lacrymis fructum percipiet.* Basil.

126. *Cuius patri væ?* in Primitiuis est. למואבוי *Lemoeboi*, quod alij aliter restituunt. Pagninus. *Cui egestas?* alij, *cui anxietas?* Chaldæus, *cui deformis aspectus?* Caiet. iteratò repetit *va*, hoc modò, *Cui va, cui va?* Huius autem dissidij rationem hanc esse puto; Nam vox illa *eboi*, fluit ex radice אבה *Abah*, id est, *desiderare*, & plerunque querulum, tristem, & dolentem affectum innuit; hinc אביון *Ebion*, id est, *egenus, pauper*, sic appellatus, quòd omnibus carens omnia afflictim concupiscat. Ergo interpretes præmissi existimant eã vocem *Eboi*, interiectionis cuiusdam vim habere animi dolorem testantis. Hincque natæ illæ lectiones, *Cui dolor? cui anxietas?* imò etiam illa, *Cui deformis aspectus?* est enim sensus, cui dolor ac mœror pallore aspectus demonstratus? Alij verò quia viderant eam radicem aliquando ad paupertatem, egestatemque referri, maluerunt reddere, *cui egestas?* LXX. verò qui transtulerunt, *cui tumultus?* videntur eam vocem nõ ad *Abah*, sed potius ad איב *Aiab* retulisse, quæ significat tumultuari, & inimicari, quippe qui existimarũt hîc locum esse metathesi, seu transpositioni litterarum, aliàs Hebræis familiari. Denique Vulgatus noster duas in vna dictione voces latere existimauit, scilicet, *Ab*, id est, Pater, אוי *Oi*, quod est *va*, siue *quia*; ita olim erat in textu Hebraïco: siue quod per crasim dictionem illam *Eboi*, è duabus præmissis coalescere Hieronymus putauit. Itaque ex dictis liquet in hac perbreui clausula multas ebrietatis plagas coërceri, scilicet dolorem, anxietatem, non internam tantùm, sed pallore, & deformitate vultus testatam: Nisi malis per *deformem aspectum* decolorem vultum notari, qui ebriis fermè adesse solet; nam potus intemperantia faciei pallorem, & maciem adducere consueuit.) Addo etiam *tumultum*, quod potest fortasse ad capitis vertigines accommodari, ob quas ebriis omnia tumultuari, & conuerti videntur. Cæterùm in eam vocem incidens Chrysostomus aliter illam expendit homil. 54. ad Pop. *Sicut enim*, inquit, *hostibus vrbem subeuntibus, & obsidione facta, & perturbatione multus efficitur tumultus, ita fit & in anima subrepente vino cum delitiis. Cui va? cui tumultus?* &c. ac totam demum absoluit sententiam. Chrysostom.

Quid plura? egestas etiam temulentis interminatur, quæ ebrietatis germana soboles. vt paulò ante diximus vers. 21. Denique noster ait, *Cuius patri va?* innuens, scilicet, dolorem illum, gemitus, & lacrymas non modò filium ebrium manere, sed etiam ipsius parentes. Quorsum hæc? vt parentes filiis suis vini vsum interdicant, ne si ebrij, & temulenti euaserint, eorum tandem miseriis, & calamitatibus illacrymari, & ingemiscere opus sit. Vnde Salomon hanc parenti suæ vocem satis familiarem fuisse dicit, cùm illi priores mores instillabat. *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum*, &c. infrà cap. 31. vers. 4.

127. *Cui rixa?* in hac voce nullum est dissidium; LXX. tantisper ab aliis recedunt. *Cui iudicia?* id est lites. Et quidem ab ebrietate rixas, lites, & contentiones innumeras proficisci nemo inficiari potest: nam vinũ inter alios animi motus præcipuè irã accendit. Chrysostomus, cuius verba alibi exhibui, vinum nõ aliter iram alere dicit, quàm oleum lucernæ flammam: illud profectò sibi volens, in viris abstemiis aliquando subitas quasdam accendi iras, quæ statim sponte sua extinguantur: at in ebriis diuturnam esse iracundiam, vtpote quam vinum immodicũ, quotidie haustum, veluti oleum, in dies nutrit, atque adeò sopiri non sinit. Quantas verò rixas vinum excitare soleat (vt alios missos faciam, vnus August. doceat in libello de sobrietate, & castitate (vel si quis alius est illius auctor libelli.) *Quicunque etiam honore sacerdotali præditus proximus fuerit ebrietati, vicinus erit etiam vitioni; & hi etiam, qui Deo proximant, si fuerint temulenti proximi sunt ira sauienti*, & infra. *Assumit vinolentus inter pocula iniusta certamina, &, nullis stantibus causis, asperam excitat rixam, quia interponendo verba vana aliorum sana non patitur, & in contumeliam erigitur conuiuarum, & crimina proximorum.* Augustinum excipiat Clemens Alexandrinus in Pædago. lib. 2. c. 2. *Ebrietate*, inquit, *maximè vtuntur Scytha, Celta, Iberi, Thraces, qua vniuersa sunt bellicosæ nationes, pulchrumque, ac beatum vita sua studium belligerare putant. Nos autem, qui sumus genus pacificum, ad vsum, non ad petulantiam, & contumeliam conuiuantes, sobriis haustibus amicitia ergo bibamus, velut conuenienti nomine appellentur pocula amicitia.* Vocat autem pocula amicitiæ de more suo, ea, in quibus aqua, vinumque in concordiam veniunt, ac mutuò sese ad temperantiam condiunt, quæ ad suadendas amicitias idonea sunt. August. Clem. Alex.

Cui fouea? Hebr. שיח *Sicha*, ex verbo שוח *Suach*, quod si pũctum gerat in sinistro cornu, est *loqui*, &, *confabulari*. Pagninus putat germanam huius verbi significationem esse, *exponere*, aut, *narrare mærores & angores suos*: si autem in dextro cornu punctum infigatur, significat, *deorsum inclinare*, aut, *in sepulchrum, foueamque demittere*. Hæc igitur varietas à verbo migrat in nomen *Sicha*, quod punctum in sinistro cornu si excipiat, *loquacitatem* significat, *murmur, fabulam*, & similia; si autem in dextro latere apex ille defigatur *foueam*, & *sepulchrum* notat. Hinc nata lectionum diuersitas: Pagninus, *cui loquacitas?* Regia, *cui murmur?* Chald. *cui malorum congeries*, ad sententiam videlicet spectans, & verba non curans. LXX. *Cui molestia, & trica?* sic habet Vaticanus codex. Complutensis verò sic extulit. *Cui tristitia, & ineptia?* Interpres Clement. *Cui iniucunda nuga?* Vatabl. similiter. *Apud quem nuga?* 128.

Vnum igitur nomen secundùm diuersas translationes valde diuersa ebrietatis incommoda complectitur. Pendamus singula. *Cui fouea?* ad spontaneos lapsus, & ruinas quibus nullo impellente ebrius vacillantibus gressibus passim decumbit, referre licet. Nam perinde certè ambulat, ac gressus regit, ac si passibus singulis apertæ foueæ pedes fallerent. Vel etiam quia ludentibus imaginibus ipsimet foueas sibi fingunt. Ambrosius in libro de Helia & ieiunio. *Hinc*, ait, *vana imagines, incertus visus, instabiles gressus, vmbras sæpe transiliunt sicut foueas.* Nil certius. Si verò per foueas sepulchra intelligamus, non illepida sententia euadit. *Cui*, scilicet, *fouea?* aut *sepulchra?* (non quidem propter celerem mortem, quam ipse sibi ebrius immoderato potu adducit; ad id enim vel vna tantum fouea satis erat:) sed *fouea* in multitudinis numero, quia cùm ex temulentia sæpe admodum ebrius decumbat, tanquam vita functum cadauer, sine motu, atque sensu, non semel illi foueam, vel sepulchrum effodere, atque aperire, & reliqua ad funus opportuna comparere necesse est. Aut denique *cui fouea?* aut *sepulchra?* quia, vt ex Chrysostomo, & Augustino 129. Ambros.

Augustino alibi obseruauimus, *ebrietas quædam est viui hominis sepultura*. Vinolentus ergo tot, & non pauciora sibi sepulchra aperit, quot ebrietates infœlix incurrit.

Illæ autem lectiones, *cui murmur? cui loquacitas? cui fabula?* aut *nugæ?* de loquendi intemperantia leuitate, scurrilitate, & nugacitate accipi possunt; hæc enim omnia ex temulentia accidere solent. Vinum enim labia soluit, linguam concitat, & verba sine delectu inspirat: cuius vis ad loquacitatem tanta est, vt plerisque auibus instillatum, vt auctor est Albertus ex Philosopho, & experientia ipsa comprobat, ad efformanda, & dearticulanda verba blæsam linguam expediat. Pseudo-Augustinus supra, *Vinolentus*, inquit, *sermone longo superflua verba emittit, nugas spargit, vana dicta componit, malè clamans, bene sibi sonans.* Possunt etiam quædam ex præmissis lectionibus de garrulitate, ac secretorum detectione explicari, de qua non pauca supra in hoc cap. ver. 1.

130\. Chald. *cui malorum congeries?* accinit Chrysostomus Homil. 10. in Genes. *Vini*, inquit, *largior vsus infinitorum est causa malorum.*

Cui sine causa vulnera? Hebræa; *cui vulnera gratis?* aut, *frustra?* Caietanus. *Cui percussiones capitis frustra?* putat enim פצעים *Petsaghim*, capitis ictus significare. LXX. *Cui contritiones superuacuæ?* Si quidem hæc verba de inflictis capiti vulneribus accipiamus, possunt exponi iuxta ea, quæ in ebrios iacit Basilius supra. *Hem, quid agis, ô homo? famulus fugit Dominum cadentem, ac vulnerantem, tu autem permanes cum vino quod singulis diebus caput ferit, seu percellit tuum.* Itaque capitis vulnera licet appellare, vini caput subeuntis, tentatisque ictus, quos capitalia vulnera peculiari sensu appellare non ineptè licet: quia hominem sternunt, & temporariam quandam mortem eidem consciscunt. Vnde Chrysostomus in ea homilia 10. in Genesim, ebrium *viuum cadauer*, nuncupauit. Vel aliter, verba isthæc de plagis, ac vulneribus interpretari possunt, quæ ebrij nulla de causa sibi inuicem imponere solent. Nonne gratis, & nulla prorsus ex causa Alexander ebrius Ephestionem sibi familiarissimum iaculo confodit, cuius funus postea lacrymis suis decorauit? & Ambrosius supra capite 14. *Quos mane insignes armis spectaueras, vultu minaces, eosdem etiam vesperi cernas à puericulis rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos.* Audi eundem Ambrosium hæc vulnera celebrantem cap. 12: *Vno die bibunt multorum dierum labores, de ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt, pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt.* Mitto alia hisce similia.

131\. *Cui suffusio oculorum?* Hebr. *cui robur oculorum?* in Primitiuis est הכלילות *Hachelìloth*, ex radice *Chalal*, id est, *consummauit, corrupit*: hinc alij, *cui suffossio oculorum?* LXX. *Cui lucidi oculi?* sic habet codex Vaticanus, sed mendum suspicor & legendum potius, vt est in scoliis, *Cui liuidi oculi?* Complut. *Cui nigri oculi?* Aquil. cui κενοί, id est, *vacui*; aliqui verò suspicantur potius restituendum, ἀκάθαρτοι, id est, *impuri*, scilicet distillatione, & rheumate laborantes.

Etiam hæc clausula non pauca continet ebrietatis nocumenta. *Cui suffusio oculorum?* oculi quidem vaporibus vini ad caput scandentis plurimo humore suffunduntur, & hebescunt; vnde non pauca incommoda, quæ satis eleganter colligit Clemens Alexandrinus loco suprà citato. *Vino*, inquit, *immodico oculi detorquentur, ac diuertuntur, cùm præhumoris multitudine visus tanquam in piscina latitet, atque adeò mentiri coacti existimant quidem omnia in orbe circumagi: numerare autem non possum quæ procul sunt, tanquam sint vnica. Atqui duos soles videre mihi videor, ebrius dicebat ille Thebanus senex. Motus enim visu à vini colore, sæpe eius, quod est vnum, multiplicatam apprehendit visione substantiam. Nihil enim differt an visum moueat, an id quod videtur. Idem enim visui ex vtrisque accidit, qui propter fluctuationem non potest subiectū perfectè comprehendere.* Hæc ille ad Philosophiæ numeros istius vitij passiones aptè reuocans. Lege Basil. Ambrof. & Augustinum supra.

Sed vt reliquas omittam lectiones, quæ à Vulgata parum recedunt, retegenda est translatio Septuaginta, *Cui liuidi oculi?* quam illustri commentario donauit Clemens Alexandrinus loco citato. *Cui sunt*, inquit, *liuidi oculi? an non eorum qui in vinis tempus consumunt?* &c. *Salomon quidem eum, qui potu vinoso delectatur, vel iam ratione mortuum esse ostendit per liuentes oculos, quod est signum mortui, eam, quæ est in domino, ei mortem annuncians, obliuio enim eorum, quæ ad verum vitam pertinent, vergit ad interitum.* frustra hîc plura, cùm Clemens omne punctum tulerit. 132.

Subdit Salomon in sequenti versu, omnium, quæ præmiserat, malorum & incommodorum rationem. *Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Hebr. *Morantibus super vinum, & ingredientibus ad quærendam mixturam.* Vatablus. *Apud eos qui veniunt scrutatum vbi vinum misceatur.* Eodem sensu Septuaginta, *nonne vestigantibus vbi compotationes fiant.* Chaldæus, *his qui inuestigant domum mixtionis*, id est, œnopolium aut vini tabernam, sensus est luculentus.

31\. *Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè.*

32\. *Sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*

Ne intuearis vinum, &c. Hebr. *Ne intuearis vinum, quando rubuerit, cùm dederit in calice oculum suum.* Pagninus, *colorem suum.* Chald *cum posuerit in calice splendorem suum.* Septuaginta in hoc loco satis multa verba miscent, quæ ab originibus prorsus absunt, & Vulgatis etiam non respondent, sic enim scribunt. *Nolite inebriari in vinis, sed conuersamini in locis deambulationis. Nam si in phialas, & pocula dederis oculos tuos, postea ambulabis nudior pistillo.* De concordia huius lectionis cum Vulgata, aut cum originibus, nihil in mentem venit, nisi illos diuinissimos prophetandi licentia vsos fuisse. Extrema illa verba, *Nudior pistillo*, putant quidam respondere illis, *ingreditur blandè.* sed de his postea. 133.

Sed in nouissimo, &c. Hebr. *In nouissimo sicut serpens mordebit, & sicut regulus punget*, Vatablus *Postremum eius sicut serpens*, &c. Chaldæus, *Nouissimum eius sicut coluber mordet, & sicut aspis, quæ volat.* Septuaginta. *Nouissime autem tanquam à serpente percussus extenditur, & tanquam à Ceraste diffunditur ei venenum.* Pro regulo subest צפעני *Thaphghoni*, quam vocem sæpius regulum, nonnumquàm etiam, *aspidem*, Vulgatus conuertit, sed hoc ad sententiam non valdè refert.

Salomon ergo nouo schemate à temulentia dehortatur. *Ne intuearis* (inquit) *vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius.* Quasi dicat, tanta est vini ad bibendum stimulantis pellacia, vt sibi ab illo temperare volens, ne contemplari illud debeat; nam color illius rubescens, & splendor scintillans oculis ebibitus concupiscētiam sui maximam excitat. Hebr. *Quando dederit in vitro oculum suum.* Caietanus. *Oculus*, inquit, *vini appellatur perspicuitas eius, oculus enim naturalis* 134.

naturalis est animatis pars, habens in se perspicuum, ac propterea quod est perspicuum, ac viuax ipsius vini, eiusdem oculus appellatur. Itaque perinde est ac si dicat, viuax vini color tibi haud contemplandus erit, quia illa viuacitas coloris ad bibacitatem sua pellacia pertrahet te. Tamen nescio an alia sit illius metaphoricæ locutionis ratio. *Quando dederit in vino oculum suum.* Oculis quidem fascinatio tribui solet. Nil certius. Addo etiam ex à Porta in Physiognomicis, oculos nimis rubentes, quos vinaceos appellitant, veneni plus habere ad fascinum inspirandum. Erit ergo sensus, *Ne vinum intuearis*, &c. Ne scilicet contueri illud velis cùm rubrum in vitro colorem præbet; est enim vino oculus quidam rubescens, ac virulentus, qui solo aspectu inficit, ac fascinat, *aioa, bechiza*. Fuit etiam non nemo, qui hanc oculi metaphoram ad reflexionem, seu repercussionem specierum spectare dixerit, quia vinum rubrum vitro fusum præ cæteris liquoribus vultum intuenti reddit. Itaque sensus erit, Noli vinum contemplari tum cùm *oculum* reddit. i. cùm faciem, & oculos inspicienti restituit. Quorsum hæc? subnectit, ne quemadmodum ille sui ipsius amator & admirator adolescentulus. Narcissus (vt in fabulis est) speciem suam è fonte, aut stagno repercussam intuens, ad tantam insaniam adductus est, vt se in aquas dederit, demersusque interierit: tu quoque pari conditione ac sorte dum vultus tui reflexionem è vino emicantem inspexeris, te in vinum des, ac similiter vino obrutus pereas.

Sed expendamus translationem LXX. *Nolite*, inquit, *inebriari in vinis*, non in vino, sed *in vinis* dixit suadens non esse conquirenda plura & exquisita vina; neque etiam permiscenda, nam vina vinis permixta ocyus inebriant. Naz. apud Maxim. serm. 40. *Vina*, inquit, *alia in vini numero non habemus, alia florum instar odorata indicamus, & de his ipsis philosophamur, damnumque putamus, nisi vernaculo externum aliquod vinum quasi tyrannus addatur.* Externum autem vinum vernaculo additum propterea tyrannum appellat, quia simul atque percolatum est capitis arcem petit, eam sibi subiiciens: cui accinit Basil. suprà in Hom. de ebrietate, & ingluuie. *Cum enim*, inquit, *multum meri infusum fuerit, quasi tyrannus quidam arcem petit, & à summo vertice imperans, nulli rei, ne principali quidem, parcit, sed ipsam primum rationem in seruitutem adducit.* At vinorum multitudinem exquisitam pereruditè carpit Clemen. Alex. l. 2. Pædag. c. 2. *Non est*, inquit, *vinum Chium magna cura requirendum, si absit, nec Arethusium, si non adsit; sitis enim est quædam indigentiæ affectio, & ad eam explendam quæri conueniens auxilium, non autem vinum ardens, & fumosum. Languescentis autem, & imbecillæ propter intemperantiam appetitionis sunt transmarinæ importationes, desipiente in desideriis animo, vel ante ebrietatem*, id est, ebrij iam, & temulenti per per sua desideria, antequàm à vino inebrientur. Itaque vinorum multorum conquisitio, & permixtio tantam vim habet ad inebriandum, vt non modò ipsa, cùm bibuntur, ebrietatem immittere soleant, sed ipsorum sola concupiscentia temulentos reddat. Vbi autem vina quædam generosissima recensuit Clemens, sic demum infert. *Multa quidem hæc nomina, moderato conuiuæ vinum vnum, quod ex vnius Dei agricultura prouenit. Annon cuicumque vinum sufficit in sua patria natum*, &c. Meritò igitur Salomon vinorum dissimilitudinem interdicit. *Nolite inebriari in vinis.* Attexit.

136. *Sed conuersamini cum hominibus iustis, & conuersamini in locis deambulationis.* Quasi dicat, sic sobriè, ac temperanter bibite, vt mentis vestræ omnino cõpotes cum viris etiam sobriis, ac iustis confabulari,

A & conuersari, nec non in fora, ac plateas prodire, & deambulare possitis. Ita nimirum vt caput sit integrum, & incolume ad confabulandum, & pedes etiam non imbecilles, aut nutantes ad deambulandum: hæc enim sunt duo præstantissima sobrietatis commoda. Subdit.

Nam si in phialas & pocula dederis oculos tuos, postea ambulabis nudior pistillo. Noster Martinus Delrio existimat illa extrema verba prouerbium, aut paræmiam vulgarem sapere. Nam quemadmodum apud Latinos, *Pistillo caluior*, dicitur vir magnopere glaber, prouerbiumque iacitur in vehementer egenos, aut etiam in eos, qui per nimiam simplicitatem nihil dissimulare aut tegere nouerūt: ita etiam illud, 137.
B *Pistillo nudior*, in vtrosque iactari potest; ita vt egenos, aut etiam dissimulandi imperitos notet. Itaque sensus erit. Abstine à vino; si enim ad calices hauriẽdos, & phialas percolandas animum adieceris, breuissimo tempore ad angustias redactus, *nudior eris pistillo*, id est, decoctis fortunis ad summam indigentiam, & copiarum deficientiam deuenies. Vel, *nudior eris pistillo*, id est, nihil tegere, aut dissimulare poteris, sed omnia animi tui arcana profundes.

Sed licet hæc non ineptè dicta videantur, aliam tamen fuisse reor mentem Septuaginta, quam vt teneas, conabor priùs illorũ translationẽ ad Origin. reuocare: sanè isthæc verba, *nudior pistillo*, respondent 138.
C illis, *ingreditur blandè*, Hebræus יתהלך במישרים *Lithalech, Bamesarim.* Plerique ex Hebr. *ibit in rectitudinibus.* Pag. *Ingredietur directè*, Vatabl. ad calorẽ vini refert, sic enim hanc partem cum superiori nectit, *Cum phiala colorem tuum reddit rectà procedẽtem*, qui omnes referunt eam vocem *Mesarim*, ad radicẽ ישר *Iasar*, id est, *rectum esse*, aut, *rectà pergere*; hinc *Mesar*, id est, *rectitudo*. Septuaginta verò interpretes. (ni mea me fallit coniectura) eam vocem hauserunt ex radice שרה *Sarah*, quæ significat dissoluere, aut etiam exprimere; & quidem de vuarum expressione dicitur, Numer. 6. *Et quidquid de vua exprimitur non bibet.* Hebræi autem eum locum non vno modo extulerunt. Pagninus, *Et omnem madefactionem vuarũ non* Num. 6.
D *bibet.* Alij, *omne quod dissoluitur cum vuis.* Alij, *Omnem expressionem vuarum*, ad nostrum videlicet accedentes interpretem: Est autem pro expressione, madefactione aut dissolutione משרה *Misrah*, quod quam sit affine illi voci *Misarim*, nullus non videt. In Græcis verò est γυμνότερος ὑπέρου. Quamuis autem ὕπερος vulgo *pistillum* significet, instrumentum videlicet ad pinsendas, aut conterendas res in mortario idoneum; tamen vt hæc vox ad origines reuocetur, certè in hoc loco aliquod aliud instrumentum significari puto, quo vuæ in lacu calcari, ac premi, aut vinacea in doliis versari, & suffundi solent, vulgò. *esprimidor*, ô *mecedor*. Quam significationem capit etiam vox Græca, ὕπερος, sed & Latina *pistillum*. Ergo iuxta præmis-
E sas notationes sensus euadit luculentior ad hunc modum. *Nã si in phialas, & pocula dederis oculos tuos*, si videlicet vinum placere cœperit, breui tempore in tantam bibendi intemperantiam euades, vt similis sit pistillo, aut paxillo vuas in lacu prementi, aut vinacea in doliis impellenti. i. totus eris in vino, totus in poculis: itaque significat eos, qui vinum gustare cœperunt, facilè ad intemperantiam delabi. Et quidem ebrij, ac vino dediti hominis satis apta similitudo est paxillus vinacea in doliis impellens, aut vuas in lacu exprimens. Neque verò superiorem expositionẽ excludere est animus, quæ verba hæc de paupertate accipit. sed ita quidem intelligo, vt vinolentus, *nudior pistillo*, dicatur, sic, scilicet, vt vox *nudior*, ad egestatem pertineat, in quam vini immodicus vsus ebrios redigere

Maxim. (margin, beside "mixta ocyus inebriant. Naz. apud Maxim.")

redigere ſolet, *piſtillus* verò immoderatam vini ingurgitationem innuat, modo ſupra dicto.

139. Noſtræ verò lectionis perſpicua ſententia eſt, *ingreditur blandè*, id eſt, tunc cùm percolatur delinit fauces, & guſtui pergratum eſt. Eundē ſenſum reddit illud, *ingreditur directè*, id eſt, rectà in fauces influit, vulgo, *entraſeſim ſentir*, neque aliam eſſe puto lectionis illius originalis ſententiam, *Vadit in rectitudinibus*, quamuis alij alia commenti ſunt; hæc nimirum vitrum phialæ infuſum, recta in faciem, aut in oculos vibratur, vulgò, *ſe ſalta alos oſos*, aut in ſtomachum delapſum, inde in caput rectà fertur, id eſt, *ſe ſube ala cabeza*, mitto alia minus congrua. Subdit Vulgatus.

140. *Sed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Sunt qui ad hunc locum interpretandum viperæ mores acceſſant, ita vt coluber hic viperæ partum ſignificet, qui perroſo, ac pertuſo matris vtero erumpit in lucem, atque adeò priora illa, *in nouiſſimo mordebit vt coluber*, de arcanorum detectione capienda putant; Quaſi dicat; vinum ſimul atque in ventrem influxit, interna concutit, atque latens in animo ſecretum impellit, vt viperini ad inſtar fœtus, laceratis quodammodò viſceribus prodeat. Et quidem hanc viperarum ſimilitudinem ad

Plutarch. garrulos ſecretorum reuelatores accommodauit Plutarchus in moral. cuius eſt illa ſententia. *Iaculos, & viperas proprij rumpunt fœtus: ſic garrulus vel cum ſua pernicie promit arcana*, pro garrulo ſubijce vinolentū, & habebis integram Salomon. ſententiam. Cæterum hæc interpretatio meritò aliis non probatur. Reliqui locum iſtum ſic ediſſerunt. *In nouiſſimo mordebit vt coluber*, id eſt, vinum colubrum imitatur, quia ſicut coluber blandè primùm irrepit, ac demum virus ſuū fallaci morſu inſpirat: ad eundem modum vinum blandè quidem illabitur; at vbi ſe intra viſcera explicare incipit, venenum exitiale corpori immittit ſcilicet morbos inſanabiles, & immedicales etiam concupiſcentias, quæ veneni ad inſtar, totum hominem inficiunt. Et quidem vinum cum veneno paſſim conferunt doctores, ſed ex omnibus acceſſendus huc

Ambroſ. Diuus Ambroſius ſupra ca. 14. vbi ſic ait. *Quis tale miſcuit furoris poculum? quis tantum infudit mentibus venenum?* Et infra. *Cibos promittis, tormenta irrogas; vina prætendis, venena ſuffundis; omne enim quidquid nocet, venenum eſt, tollit ſenſus, viſcera exurit, ſomnum infeſtat, caput vexat. Etiam maior vis vini quàm veneni eſt: denique venenum vino excluditur, non vinum veneno. Meritò Deus per Moyſem non veneno, ſed etiam veneno draconum vinum comparauit dicens: Furor draconum vinum eorum & ira aſpidum inſanabilis. Et pulcrè additur inſanabilis, multi enim à reliquorum ſerpentum veneno curantur, nemo ab ebrietate; certè veneno caro vulneratur, vino mens.* Hæc ille ſatis ad rem noſtram. & infrà cap. 16. *Ebrietas fomentum libidinis, incentiuum inſaniæ, venenum ſapientiæ.* Mitto alios Patres, & ex vno Ambroſio aliqua decerpo, vinum venenum eſt omni veneno longè virulentius, nam reliqua venena corpus inficiunt, animæ parcunt; vinum autem corpus corrumpit, atque illi innumerabilium morborum peſtes inſpirat, & vitæ etiam ipſi nonnumquàm inſidiatur: à corpore verò ad animam luem transfert, illique peccatorum virus præſentiſſimè necans immittit: inde verò vlterius ſerpit, & præſtantiſſimum animi receſſum, mentem ſcilicet, corruptione ſua inficit, ait enim Ambroſius, *veneno caro vulneratur, vino mens*, hanc enim ſibi ipſi eripit, & tabo ſuo aſperſam perimit. Neque ſuum inibi virus cohibet, ſed vlterius eā, quę in mente eſt, rationem, & ſapientiam vi ſua corrumpit, ac tabefacit. Ait enim idem Ambroſius, *ebrietas ſapientiæ venenum eſt.* Nullum ergo cum eiuſmo-

A di veneno conferri venenum poteſt. Meritò proinde Salomon, *in nouiſſimo mordebit vt coluber*, veneno ſuo totum hominem contaminans.

Et vt regulus venena diffundet. Quidam putant, per 141. hanc ſecundam reguli, ſeu baſiliſci comparationem, ſententiam prioris hemiſtychij amplificari, non autē euariari, aut diſtingui, quibus fauet originalis lectio, quæ ſic habet, *Et tanquam regulus pungit.* Itaque de reguli morſu, & punctura ſermo eſt. Poſſumus verò hanc extremam clauſulam cum poſteriori ſuperioris verſus hemiſtychio conferre; nam cùm ibi (ſi verba ex verbis exprimas) ita legendum ſit, *Quando dederis in calice oculum ſuum*, Baſiliſci ſolo aſpectu necātis ſimilitudinem ſubodorare licet in hoc loco, & ſic

B demum præmiſſa verba exponere, *& tanquàm regulus venena diffundit.* Vinum ſcilicet ex calice ac vitro oculum ſuum vibrans, reguli adinſtar, ſolo aſpectu animam inficit. Et quidem aptè quadrat hæc ſimilitudo in hunc locum, in quo Salomoni non modò hauſtum, ſed etiam vini aſpectum interdicit. Eam verò Baſiliſci ex oculis venena iaculantis viam refert Plinius libr. 8. capite 21. & libr. 29. capite 4. Solinus capite 33. & alij paſſim. Cæterum ſi verba Salomonis in lancem mittantur, facilè conſtabit illum nequaquam vinum cum regulo compoſuiſſe ante potum, cùm oculis obiicitur contemplandum, ſed poſtquam hauſtum eſt, ait enim: *Ingreditur blandè, & in nouiſſimo, &c.* deinde etiam in primitiuis eſt, *Et ſicut regulus*

C *pungit*; vnde liquet de illius punctura, non de aſpectu ſermonem fieri. Ergo de reguli morſu ſic Ariſtoteles Ariſtot. de Hiſtoria animalium libr. 8. cap 25. *Quidquid momorderit, continuò circiter putreſcit.* Plinius totum hu- Plin. ius venenatiſſimi animantis virus in halitu, & afflatu eſſe dicit. *Necat*, inquit, *frutices, non contactos modò, ſed etiam afflatos, exurit herbas, rumpit ſaxa. Talis vis malo eſt.* Huic ergo virulento ſerpēti ſimile vinum dicitur, quia quemadmodum ex illius punctura mēbra continuò putreſcunt, & in tabem ſoluuntur, ita etiam ex immoderato vini vſu non corpus ſolùm, ſed animus etiam tabeſcit, hoc eſt, omnium voluptatum & concupiſcentiarum corruptionem trahit. Ruſſus ſicut reguli totum virus in afflatu eſt, ita etiam vini tota

D vis in flatibus ſeu vaporibus conſiſtit, quibus caput petit, atque illi omni veneno præſentius veternum inhalat.

Septuaginta habent. *Et tanquam à Ceraſte diffunditur ei venenum.* Ceraſti hoc certè proprium eſt, teſte 142. Plinio, quod duo velut cornua gerit, & vtrinque venenum ſimul fundit; eandem vino vim tribuere licet, qui quaſi duobus ſpiculis corpus ſimul & animam confodit, & vtrique virus aſpergit. Sed illud magis ad rem noſtram, quod quidam affirmant, in his Magnus Albertus, Conradus, & alij, Ceraſtem, atque Dipſadem vnum eſſe ſerpentem; ſi igitur id tibi probabitur, adeundus eſt Nazianzenus, qui in poëmate iam- Nazianz. bico aduerſus opum amatores de Dipſadis punctura

E ſic cecinit.

Eſt viperarum quodpiam Dipſas genus,
Quas ſolitudo Pharia complures alit,
Ac vulnus eius quale ſit, nomen docet,
Huic namque morbus quem parit, nomen dedit.
Perit bibendo quiſquis hac ictus fuit,
Aquis repertis totus in eas irruens,
Quouſque nimio turgidus potu crepet.

Hæc ille. Quæ omnia in vinum immoderatē ſumptum aptiſſimè cadunt. Sic ergo locum conuerte. *Et tanquam à Dipſade infunditur ei venenum*, id eſt, qui vino deditus eſt venenum excipit ei adſimile, quod Dipſas ſerpens morſu ſuo hominibus immittere ſolet: nam ſicut hi bibendis ſine menſura aquis depereūt, ita etiam vinolenti exhauriēdis vini calicibus interi-

tum

tum sibi accersunt. Et quemadmodum à serpente illo ictì, quò plura bibunt, plus sitiunt: ita etiam cum ebriis agitur, de quibus sic Chrysostomus in Homilia de ebrietate. *Quantò magis meri sibi infundunt, tantò maiore siti inardescunt semper, haustus plurium phialarum sitis fit fomes, & voluptas ad extremum euanescit: sitis verò facta insedabilis in ipsum ebrietatis præcipitiū relabi passim facit eos, quos captiuos tenet.* Quod si etiam à Dipsade perculsi ex potu denique rumpuntur, & crepant, id etiam in ebriis minimè desiderabis; sic etiam Chrysostomus attexit. *Hinc vel maximè stupescat quis amentiam eorum, qui vino dediti sunt, quod ne sibi ipsis tantum parcere volunt, quantum alij vtribus; nam hos quidem vini venditores non patiuntur plus æquo implere, ne rumpantur, ipsi verò miserum ventrem nec hac quidem prouidentia dignantur, sed vsque ad crepitum, & ruptionem implent, & infarciunt.* (Chrysost.)

143. Chald. aspidē cōuertit. *Et sicut aspis, quæ volat.* Sed nullus volaticæ alicuius aspidis meminit, solet tamen aspis (auctor est Magnus Albertus) cùm iram concipit homini in caput & faciem insilire, atque illi lethale vulnus infligere; hunc ergo saltum dicit quispiam volatus nomine donatum; ac Thargum, & quidem satis accommodatè, vini in caput ascensum notat, quod vi sua aspidis in morem violat, atque veneno suo cōplet. Quid plura? Sunt etiam alij, qui putant hîc scorpium reddendum esse ad hunc modum, *Et sicut scorpius pungit.* Et quidem nulla est comparatio magis apposita ad versiculi istius sensum. Nam cùm præmisisset, *ingreditur blandè, & in nouissimo mordet*, &c. nihil illi certè magis adsimile videtur quàm scorpius, qui cùm os atque faciem innoxiam habeat, in cauda virus, & aculeum gerit. Illustrat hanc translationem Chrysostomi sententia, vbi supra, *Non ita*, inquit, *scorpius, aut serpens visceribus cuiuspiam insidens quoquo versus inficit, sicut ebrietas omnia peruertit atque perdit. Ferit enim illis ad corpus duntaxat procedunt insidia, ista vero cùm insederit cum corpore animum perdit.*

33. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.*

144. OCuli tui, &c. Hebræa prorsus consonant. Caiet. *Oculi tui videbunt extranea*, nonnulli *extraneos*, LXX. *Oculi tui cùm viderint alienam, os tuum tunc loquetur peruersa*, Vatablus, *Si oculi tui spectabunt meretrices, iam pectus quoque tuum peruersa cogitauit.*

Subnectit Salomon duo item alia ebrietatis incommoda, alterum est illud. *Oculi tui videbunt extraneas.* Satis extra rem Caietanus, hæc verba de oculorum vitio interpretatus est, qui in vinolentis longè aliter res vident quàm ipsæ sunt, nam stantia ipsis nutare, & conuerti videntur; & sæpe in vno aliquo plures intuentur, & quædam alia his similia oculis vino innatantibus & ludificatis conspiciuntur. Eodem etiā modo audiendi non sunt illi, qui cùm legant, *Oculi tui videbunt extraneos*, sic aiunt. Qui ex vini intemperantia in crapulam inciderunt, sibi coniunctissimos, sc. vxorem, parentes, filios & fratres non satis agnoscunt, atque adeò extraneos ducunt, sæpe etiam in eos tanquam in extraneos desæuiunt; vnde Basilius in ea Homilia suprà citata. (Basil.) *Quod*, inquit, *pecus, per Deum immortalem, ita vt ebriosus visu & auditu delinquit; nā vino obrutus familiarissimos suos non agnoscit, & sæpe etiam ad extraneos tanquam ad necessarios accurrit*, &c.

145. Præferenda igitur est communis interpretatio, quæ verba isthæc de ebriorum lasciuia & libidine cōcipienda esse docet. *Oculi tui videbunt extraneas*, idest, cùm vino immadueris inflammata libidine ad fœminarum concupiscentiam inardesces. Nihil sanè compertum magis, quàm vino luxuriam irritari, ac stimulari: sed quia sunt perueunsta in hanc sententiam Patrum testimonia, selectiora quædam hîc adscribam. Basilius vbi supra. *Dicere ausim temulentos magis expertes rationis esse, quàm ipsas belluas. Quadrupedia enim ac feræ omnes ordinatos habent ad coitum impetus: at illi quorum animus ebrietate detinetur, corpusque præternaturali calore refertum est, omni penè hora ad immundos & turpes complexus delabuntur.* Sed ne lapidem aliquem immotum relinquam, sunt quidam qui lectionem illam Caietani ad Vulgatæ translationis sensum vocare cùm velint, sic illam edisserunt. *Oculi tui videbunt aliena*, id est, libido tua effrenis ac bruta, ad ea, quæ ab omni ratione aliena sunt, impetu quodam belluino æstuabit, scilicet ad illicitam venerem. Auget ergo sententiam Basilius, qui belluas ipsas rationis expertes à vinolētis vinci affirmat: & infra, turpem hāc ebriorum victoriā nouo schemate celebrat, *Ipsa*, inquit, *incontinentia apertè ex vino, velut ex quodam fonte, manat, quæ brutorum omnem in fœminas insaniam longè superat; si quidem bruta animantia naturæ terminos non excedunt: at hi, qui vino obruuntur, in masculo fœminam, in fœmina rursus masculum quærunt.* Et quidem ad hanc sententiam allicere possumus lectionem illam, *Oculi tui videbunt extraneos*, (si quidem non omnino expungenda sit;) idest, non in fœminas tantum libido tua inflammabitur, sed etiam in eam, quæ ab omni natura aliena est, masculorum præposteram concupiscentiam. Quam concupiscentiam infra œstrum appellat. *Luxuria*, inquit, *quæ ipsos immodica libidine diffluentes œstri instar exagitat.* Multa etiā de hac thesi Clemens Alexandrinus 2. Pædago. cap. 2. vbi illud præcipuè animaduertit, scilicet in iuniotibus ex vini vsu venerē anteuerti. (Clem. Alex.) *Non enim*, inquit, *feruenti ætati vinum infundere conuenit, perinde enim est ac si quis ignem in igne deriuet, ex quo agrestes, immanesque appetitiones, ardentesque cupiditates, & mores ignei incenduntur: excalefacti enim adolescentes intus euadunt propensi ad libidines, adeò vt præuisum earum damnum per corpus properet celerius, quàm oportuit, maturatis membris cupiditatis.* & infra sub finem capitis sic addit. *Mihi videtur qui à Mathematicis vocatur Acephalus, qui ante stellam errantem numeratur capite in pectus compresso, & collapso, significare helluones homines ad ebrietatem propensos; nam in his quoque facultas ratiocinandi (cuius caput symbolum gerit) in ventrem, & in obscœna membra deflectitur.* Est autem Acephalus altera ex cælestibus constellationibus, quam aliqui non aliam esse putant nisi Taurum, cuius caput in ventrem pronum ac depressum ab Astrologis pingitur; nam de signo Tauri sic Manil. cecinit. (Manil.)

Respicit admirans aduersum tergore Taurum
Summisso vultu.

Hæc coniectura placet Heruetuo, vel ex eo maximè quia (vt auctor est Monantholius) eos, qui sub illius signi dominio sunt, vinolentos, & ad Venerem procliues futuros eo præsagio indicatur. Quapropter eo argumento Taurum ipsum ab Astrologis capite in vētrem depresso discribi solitum putat doctus Scholiastes. Chrysostomus est subnectendus, qui vinolentos ad porcos amandat in Homilia de ebrietate. (Chrysost.) *Quid enim non mali facit ebrietas? porcos facis ex hominibus, ac porcis etiam deteriores; nam porcus quidem in luto volutatur, ac stercore pascitur; ista verò abominabilior quā illa est, mensa vescitur, illicitos concubitus excogitans, & exleges amores.* (qui planè cōcinit cum Basilio) & Homilia in Psalm. 33. *Delitiæ*, inquit, *& ebrietas est fons perennis fornicationū.* Obserua hanc perennitatem, & confer etiam ista verba cum his, quæ supra ex Basilio adscripsimus. *Omni tempore, & omni pene hora ad illicitos concubitus dilabuntur.* Quid enim perennius? frustra

frustra hîc plura, cùm huius argumenti innumera apud Patres suppetant testimonia. Subdit Salomon.

146. *Et cor tuum loquetur peruersa.* De loquendi intemperantia, quæ vinolentiæ ac crapulæ semper hæret, iam inde supra non paucis in hoc cap. vers. 1. & vers. 3. & vers. 25. dicitur autem cor loqui, non lingua aut
Plutarchus. os. *Quia ebriosi, atque vinolenti* (vt ait Plutarch. in Moral.) *cor in lingua, non è contra linguam in corde habent. Cor*, nimirum, *loquetur*, id est, quidquid in corde delitescit, lingua enunciabit. Caietan. de linguæ impedimento, quod temulentis accidere solet, interpretatur hæc verba, sed non audiendus. Non probatur etiam Vatablus, qui sententiam totam in mentem cogit, ita vt non sit legendum, *cor loquetur*, sed *cor meditabitur peruersa*, quia scilicet cor vino obrutum, siue à libidine, siue ab ira impelli solet: hæ autem affectiones peruersas admodum cogitationes excitare, & permouere in animo solent.

Septuaginta interpretes locum istum aliter contexuerunt. *Oculi tui cùm viderint alienam, os tuum tunc loquetur peruersa.* Quæ verba videntur à superioribus exolui, & nouam sententiam inchoare ad solam libidinem spectantem: sed tamen, ne vis afferatur contextui, cũ superioribus consuenda, & ad hunc modum interpretanda sunt. Postquam effusè biberis, & vino ingurgitatus fueris, si fortè videris scortum, aut meretricem, nequaquam poteris os cohibere, aut linguam infrænare quominus illi turpia, obscæna, & libidinem stimulantia verba effundas. Nam cùm vinum libidinem accendat, & linguam præterea soluat, vtraque simul pestis tunc conspirat, & hominem in præceps agit.

---

34. *Et eris sicut dormiens in medio mari, & sicut sopitus gubernator, amisso clauo.*

147. ET *eris*, &c. in Primitiuis, subest enim hic pro *clauo*, חבל Chibel, quæ vox fluit ex radice Chabal, quæ inter alias significationes, numerat etiam illam, *nauem gubernare*, aut *nauclerum agere*. Hinc multa interpretum discordia, nam cùm pleraque ad nauis gubernationem faciant; alij alia prætulerunt. Noster quidem *clauum* expressit; in hoc enim vertendo nauticæ artis præcipua vis sita est. Pagnin. Vatabl. & alij ex Rabbi Dauid ad *malum* retulerunt, quẽ propterea, *Chibel*, dictum putant, quia illi adalligati sunt funes, & rudentes, quibus vela explicantur, aut comprimuntur. Itaque sic legunt, *& sicut dormiens in summitate*, aut *in vertice mali*. Regia, Caietanus, & plures alij ex Rabbi Ionath. sic lectitant, *& sicut dormiens in capite rudentum*. Chaldæus admodum sincerè, *& sicut dormiens in naui*. Septuaginta verò integram sententiam sic dederunt. *Iacebis tanquam in corde maris, & tanquam gubernator in magna tempestate.* Aquila & Symmachus. *Et eris sicut dormiens*, quos imitatus est Vulgatus.

148. Hæc quoque sententia ebrietatis præcipuam quãdam ærumnam continet, scilicet rationis naufragiũ, & somnum, aut potius veternum, quod ad vinum eliquandum homines post crapulam corripit. Producit autem Salomon ex nauigatione aptissimum exẽplum. In prima verò huius exempli conceptione, ac conformatione magna interpretum lis, singulas illorum lectiones enucleabo. Sed ante omnia constituere oportet, an duæ, an vna tantum similitudo sit? Caietan. Iansenius, Rodolphus, & alij passim duas similitudines agnoscunt, aliam quidem in prioribus illis verbis. *Et eris tanquam dormiens in medio mari.* Vel, vt est in Primitiuis, *tanquam iacens in corde maris.* Alteram verò in sequenti hemystichio. Sed enim Caietanus priorem illam clausulam duplici sensu donari posse dicit. Prior est. *Et eris tanquam iacens in corde maris*, id est, tanquam naufragus quispiam demersus, & ad profundissimum mare delapsus, ebrius enim vino obrutus in miserandum incidit naufra- Chrysost.
gium. Præclarè admodum Chrysostomus hom. 10. in Genesim. *Nam sicut nauis, quæ aquis ita impletur, vt exhauriri nequeat; ita & homo quando per crapulam & ebrietatem vini plurimum excipit, in præceps vadit, & rationem suam submergit.* Hæc vna nauis demergendæ ratio, si videlicet aqua per rimas influat. Altera est oneris magnitudo. Hanc idem Chrysostomus in homil. illa de ingluuie & ebrietate ebriis accommodat. *Et quemadmodum*, inquit, *nauis, quæ maiorem quàm pro modo suo mercium vim receperit, oneris magnitudine depressa submergitur: ita & animus, & corporis nostri natura, si plus cibi, aut potus, quàm pro virtute sua acceperit, obruitur, & pondus mercium non sustinens, in profundum submergitur, nautasque & gubernatorẽ, & proretam, & nauigantes, & ipsum denique onus cũ omnibus perdit.* Quid autẽ nautæ? quid gubernator? quid proreta quid demum adnauigantes? Nautæ quidem virtutes, gubernator ratio, proreta voluntas, nauigatores externi sensus; hi omnes vnico naufragio depereunt. Rursus temulentus nauem imitatur vadis illi- 149.
Seneca. sam. Seneca in libro de beata vita. *Quemadmodum qui in mari Syrtico nauigant, aliquando in sicco deseruntur, aliquando vnda fluctuante obruuntur: ita etiam qui voluptatibus, & ebrietati dediti sunt, aliquando inopia soluuntur, aliquando etiam copia obruuntur.* Nam cùm iam vinolentiæ assueuerint, non sólum eos nimia vini copia demergit, sed etiam eiusdem defectus: Nam veluti naues, quibus satis profunda aqua ad lapsum non suppetit, vadis ac syrtibus illiduntur; ita etiã vinosi illi quoties vinum ad crapulam vsque non suppetit, tanquam in vadis deficiunt, ac pereunt. Quid plura? nauim etiam tempestas, ventorumque ac flatuum violentia in naufragium impellit. Est etiam hoc ebriosis non insolens. Petrus Rauennas sermone 41. Petr. Rau.
de ieiuniis atque eleemosynis, tempestatem in conuiuio exortam describit ad naufragium vsque sæuientem. *Sicut à terra excitatæ nubes caligant cælum, sic obscurant animas intemperata conuiuia: sicut ventorum turbines elementa confundunt, sic fercula congesta stomachum perturbant; vt nauim fluctus, corpus ebrietas sic demergit, hominem dat in profundum, & mortis facit subire naufragium.* Quod si Scyllas desideras, & Charybdes, vbi miserrima olim credita naufragia, Chrysostomus etiam homil 71. in Matthæum, ebrietatem cum Scylla composuit. Itaque ebrius non vno tantum, sed omnibus naufragij generibus quatitur, & eliditur, vt ex dictis constat; ex quibus etiam liquet, corpus, animam, rationem, voluntatem, sensusque omnes his naufragiis obrui. Pseudo-August. in eo Pseudo-August.
sermone de ebrietate, & castitate, sic scribit. *Ebrietas vitiorum omnium gurges, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis.* Et infra, *per vinum castitas submersa est.* Sed & vniuersalem quandam bonorum omnium submersionem ebrietati dat Chrysost. homil. 51. ad populum, cuius verba postea dabo.

Cæterùm quamuis verùm sit per temulentiam tot 150.
bona simul cum homine submergi, & in profundum delapsa perire, tamen prima interpretatio Caietani mihi non probatur: subiicit ergo alteram idem interpres, quam libenter amplectitur Iansenius. *Et eris sicut dormiens, aut iacens in medio mari*, id est, cùm iacueris ebrietate prostratus, omnia tibi fluctuare, & susque deque verti videbuntur. Vel aliter, vino obrutus, velut fluctibus perculsa nauis, non quiesces, sed

mirum in modum iactaberis. Illustrat hance expositionem Sanctus Ambrosius de Helia & Ieiun. c. 15. *Et bene*, inquit, *ebriosos naues dixit; sicut enim illæ vento, ita hi cibo iactantur & vino; in insulas repleta potu nauigant corpora, naufragiis circunsonant, tunduntur fluctibus ebrietatis, nec per diem, nec per noctem quiescunt*. Itaque temulentos assidua quadam tempestate iactari dicit, de qua tempestate aliquid sub finem huius commentarij dicemus.

Ambros.

151. Sed licet hæc non ineptè dicantur, tamen mihi semper visum est, non duas, sed vnam ex vtroque hemistychio similitudinem coalescere, atque sic textum esse pangendum. *Et eris sicut dormiens in medio mari, & sicut gubernator sopitus amisso clauo.* Scilicet per omnia conferendus eris cum nauclero, qui naui in altum pelagus deuecta, deposito clauo stertit, ac dormit. Sed antequam nostræ interpretationis sensum enucleemus, aliorum lectiones trutinæ committere libet.

Rabbi Ionah, & ex hoc alij interpretes supra adscripti, sic locum restituerunt. *Et eris iacens in medio maris, & sicut dormiens in vertice rudentum.* Quam lectionem ac vocem *Chibel*, quæ subest in hoc loco, sic edisserit præfatus magister. *Est*, inquit, *Chibel nescio quid ex funibus contextum, natans in maris superficie, quo vtuntur nautæ, quando nauem bitumine liniunt, seu calafatant: nam istiusmodi* (inquit) *funium, seu rudentum colligatione, aut orbe vecti, circum latera nauis oberrant, & rimas agnoscunt, easque infarta stupa, multoque bitumine obturant*. Quid inde? *& sicut dormiens in vertice aut summitate rudentum*, id est, quemadmodum qui in altum pelagus actus in prædicto funium orbe considens, inibi obdormisceret, in maximo versaretur vitæ discrimine: ita etiam temulentus semper in vitæ, atque salutis suæ periculo versatur. Non placet.

152. Posset tamen ea lectio faciliori alio sensu donari. *Et sicut dormiens in summitate rudentum.* Profectò si nauis structuram, & instrumēta spectes, facilè agnosces præcipuam illius gubernandæ partem in rudentum, ac funium vsu sitam esse; nam funibus vela explicantur, & rursus contrahuntur, funibus anchoræ demittuntur, aut leuantur, per funes etiam nautæ scandunt, & pleraque alia rudentum auxilio fiunt, ex quibus nauis incolumitas maximè pendet. Erit ergo sensus, Vir ex crapula decumbēs, ac dormiens, persimilis est nautæ alicui, qui cùm rudentum impellendorum curam habeat, tum cùm maximè illis opus est ad vela explicanda, aut comprimenda, ipsissmet rudentibus impositus dormit, ac stertit, atque adeo totam nauim periculo exponit. Quæ interpretatio non abhorret à Vulgati nostri sententia vt statim dicemus, si tamen per rudentes recta consilia, & prudentes cogitationes accipiamus, his enim perinde vitam nostram moderamur, quemadmodum nautæ funibus nauim regunt. Neque abhorrebit etiam hoc à germana vi illius vocis *Chibel*, ab eodem enim fonte manat vox תחבולה *Thubbulah*, quæ consilium, & industriam sonat, de qua supra cap. 15. ad illa verba, *& intelligens gubernacula possidebit*. Ad hæc alia etiam sese dat huius translationis interpretatio. *Et eris sicut dormiens in vertice funis*, id est, in summitate funis. Quasi dicat, si vino immoderato madueris vsque ad crapulam, haud dissimilis eris nautæ funes scandenti, qui vbi ad summitatem illius deuenit, inibi obdormisceret; sicut enim hunc inde labi necesse est & in vndas decidere: haud dispar est ebriorum discrimen, qui crapulam obdormientes, & à rationis vsu alieni, maximarum ruinarum sibi auctores sunt.

153. Secunda translatio est quorundam Hebræo-
A rum, quos refert Rabbi Himanuel, locum istum sic restituentium. *Et sicut dormiens in vertice anchoræ.* Putant enim anchoram eo nomine, *Chibel*, notari, quia hæc tereti fune in mare dimitti solet, ad nauem sistendam. Potest autem hæc translatio non insulso sensu donari. Sanè ebrius (vt suprà dixi) semper fluctuat, iactatur, impellitur, nunquam quiescit, ac sistitur; atque adeo aptè super anchoram dormire dicitur eam premens, ne in mare demissa fluctuationem, & iactationem illum coërceat. Quasi dicat, ebrius omni quietis & otij spe sublata, assiduè mouetur, concutitur, & turbas nullo tempore intermittendas patitur, vtpote qui supra anchoram, hoc est, supra rationem, & consi-
B lium dormit, & incumbit, quæ sola inter huius vitæ fluctus hominem stabilem, & constantem reddere potest.

Tertia translatio, quam interpretes non pauci sequuti sunt, illa est. *Et sicut dormiens in summitate mali*. Hanc ergo Caietanus eleganter exposuit, quem melius vt capias, cogita corpus nauem quandam esse, & in summitate mali, vulgò, *en la gabia* (nam & huic nomini respondere videtur vox *Chibel*) ad omnia vndequaque speculanda rationem colloca. Quid inde? *Et eris*, inquit Caietanus, ô temulente, *sicut iacens aut dormiens in medio mari*, quia nimirum corpus, nauis ad instar fluctibus perculsæ, assiduò decumanis concupiscentiarum vndis iactabitur, & agita-
C bitur, *& sicut dormiens in summitate mali*. secundùm mentem atque rationem, quæ insanos etiam motus, & iactationes patietur. Nam sicut in naui, cùm carina impellitur, non potest non malus agitari, imò experientiâ ipsâ compertum est, exiguum carinæ motum, cùm ad summitatem mali peruenit, longè maximum esse: ita etiam de corpore animoque decernere oportet; nam corporis omnes motus ad mentem transeunt, illamque non æquali modo, sed maiori, ac vehementiori agitatione succutiunt. Nihil certius: sed tamen non valdè probo. 154.

Hanc eandem translationem alium ad sensum vocauit Rodolphus, qui verbi illius, *dormiens*, energiam
D melius exhaurit. Nam ille, ait, qui in mali summitate, id est, in catchesio, seu gabia, considet, eo certè considet, vt inde maria quoquouersum speculetur, pyratas videlicet, & cælum, terram, portus, scopulos, aliaque præuideat ad nauim moderandam opportuna. Quemadmodū ergo huiusmodi speculatore dormiente nauis atque vectorum periclitatur salus; ita etiam ratione per ebrietatem sopita, reliquæ tam corporis, quàm animæ facultates, infœlici naufragio pereunt. Itaque *dormiens in summitate mali*, est ratio homini ad speculandum data, & eadem per temulentiam extincta. Denique potest etiam hæc lectio aliter exponi de ruinis ebriorum, sicut illa, *dormiens in summitate rudentis*, id est: Quemadmodum siquis ma-
E lum scandat, ac tunc cùm summitatem illius attigit, inibi obdormiscat, eum ad ima statim delabi, ac perire necesse est: non aliter vinolenti, tunc cùm maxima vigilantia, & prudentia opus est, crapulam edormire coguntur, atque adeò magnarum ruinarum sibi opifices sunt. 155.

Succedat demum Vulgata lectio. *Et quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Ducitur metaphora à nauclero, cuius partes sunt ad polum inspicere & temonem vertere, ac sic demum nauis cursum in destinatum locum regere, ac moderari. Quemadmodum ergo nauarchus somno pressus, atque adeo, nec polum contemplans, nec clauum impellens, nauim à fluctibus abripi, & in scopulos, aut syrtes illidi sinit: ita etiā de temulentis decernēdum est, hi enim vino sepulti, & con 156.

& consopiti, nihil sublime, aut cæleste meditantur, quin imò rationis gubernaculo amisso, se totos tentationum insanis ventis, ac vitæ istius violentis fluctibus permittunt, donec illos tempestatis alicuius ingruens vis ad scopulos, & syrtes impactos quasset. Sic fere interpretes in hunc locum, inter quos vix aliquid dissidij reperire licet, nisi quod alij per nauclerum rationem, per nauem animam, per temonem autem consilium atque industriam accipiunt. Sic Beda & Hugo. Alij rursus per nauim corpus, per nauclerum mentem, per temonem voluntatem intelligunt; hæc enim vi sua reliquas siue corporis, siue animi vires ad nutum conuertit, sicut temo reliquam nauim: sed tamen hæc dissidia leuiora sunt.

157. Ego sanè, vt dicam quod sentio, non satis præscriptæ interpretationi acquiesco; puto enim hæc verba ad rectores intendi, ad quos Reipublicæ, domus, familiæ, vel alterius cuiuspiam rei gerendæ ac gubernandæ cura pertinet. Itaque sensus est. *Et sicut sopitus gubernator amisso clauo.* Quasi dicat: Tu quisquis es, ad quem alicuius rei administratio pertinet, ebrietatem declina; nam quemadmodum gubernator somno correptus clauum è manibus abiicit, nauimque ventis, ac fluctibus iactãdam tradit: ita etiam tu, siue Princeps, siue Dux, siue œconomus, siue quomodolibet alicui rei gerendæ præfectus fueris, si quidem vino immadueris, ad crapulam edormiendam decumbens, Reipublicæ, domus, exercitus, ac præfecturæ curam & gubernacula abiicies, easque res tamquam naues quasdam ventis, ac fluctibus ad naufragium certissimum permittes. Et quidem nauarchus dormiens magistratum, aut Principem inertem adumbrat apud Tull. lib. 1. Epist. ad Quint. fratrem. *Tibi*, inquit, *data est summa pax, summa tranquillitas, ita tamen vt ea dormientem gubernatorem vel obruere possit.* Quasi dicat, Principem nunquam dormire aut inertem esse oportere, nam in summa etiam rerum omnium tranquillitate, quasi in malacia, sopito gubernatore nauis periclitatur. Hinc ergo constat quantum illum ab omni temulentia abhorrere oporteat. Ad hæc Dio Chrysostomus ad vigilantiam Principis gubernatoris exemplum transfert oratione 3. *Nauclero soli noctu quidem minus licet obdormire, quàm nauigantibus; interdiu autem, sicubi breuem aliquem somnum suffuratur, hunc tamen suspensum habet, & dubium, vt sæpe exclamet, aut velum contrahi, aut clauum sisti, aut aliud rerum nauticarum; vt dormiens ille magis gerat nauis curam, quàm alij valde vigilantes.* Et Ægidius in libro de institutione Principis, *Non licet*, inquit, *dormitabundum esse qui clauo assidet, & in tantis rerum periculis stertit Princeps; nullum mare tam graues habet tempestates vnquam, quàm omne regnum assiduè: semper itaque Principi vigilandum est, ne quid erret, qui non nisi plurimorum pernicie delinquit.* Basilius in ea homil. de ingluuie & ebrietate, omnes quidem, sed præcipuè rectores, abstemios esse iubet. Et Plato Dialog. 3. de Republica sic scripsit. *Principibus*, inquit, *ab ebrietate diximus abstinendum; vnicuique enim magis concedi quàm custodi, vt ebrietate grauatus, vbi terrarum sit nesciat; nempe ridiculum esset custode indigere custodem.* Solon etiam, vt tradit Laërtius in eiusdem vita, lege sanxit, magistratum quemlibet aut Principem ebrium deprehensum morte mulctari, vide plura infrà cap. 31. ad illa verba, *Noli Regibus ò Lamuel*, &c. Et quidem ad hanc sententiam omnes suprà adscriptas lectiones allicere integrum est, quod quia facile ac pronum, lectori permittendum putaui.

[Margin: Cicer. — Dio. Chryſ. — Ægid. — Plato. — Laërt.]

158. Ad extremum examini subiicienda est translatio Septuaginta, quæ à reliquis tantisper differt; sic enim habet, *Iacebis tanquam in corde maris, & tanquam gubernator in magna tempestate.* quam Clemens Alexandrinus perillustri commento donauit his verbis. *Iacebit*, inquit, *tanquam in corde maris, & tanquam gubernator in multis fluctibus. Ex hoc loco etiam adiuta dicit Poëtica:*

Vinum hominem vincens velut ignis corda furore
Pellit, ceu Lybyci fluctuat vnda maris.
Quam Notus, aut Boreas agitant, &c.

[Margin: Clem. Alex.]

Videtis naufragij periculum. Cor quidem multo potu obruitur; Multam autem temulentiam minis maris cõparauit; in qua corpus, tanquam nauis, demersum turpitudinis ac dedecoris profundum subiit, decumanis vini fluctibus obrutum. Gubernator autem, mens scilicet humana, supereminentis ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari versans caligat, & propter procellæ tenebras à portu veritatis aberrat, donec in saxa mari latentia irruens seipsum in voluptates impactum perdiderit. Hactenus Clemens, cui aliquid adiicere fas non duco. Tantummodò id dico, hanc translationem ad nostrã interpretationem, quæ suadet Principes atque rectores sobriè admodum vino vti, allici oportere. Rursus addo ad expendenda illa verba, *Et sicut gubernator in multis fluctibus*, seu, *in magna tempestate*, facere etiam Basilij Magni verba, qui vbi ebrietatem cum magna tempestate contulit, sic attexit. *Quemadmodum nauigia onusta, tempestate si fortè correpta fuerint, necessariò onerum abiectione leuia fiunt; sic etiam & si necessariò ea, quæ ipsis oneri sunt, deponunt, vinumque vomentes, & eructantes vix onere liberantur, sed tanto miserabiliores sunt his; qui aduersa tempestate iactantur, quanto hi ventos, mare, necessitatemque omnem externam accusant; at isti voluntariam ex ebrietate tempestatem subeunt.* Sed iterum huc adsciscenda sunt verba Chrysostomi supra exhibita, qui de hac mercium atque commeatus proiectione in mare sublimius aliquid excogitauit. *Itidem*, inquit, *in ista temulentiæ tempestate; sicut enim illic mercium fit iactura & isthic omnium fere bonorum efficitur, siue modestiam inueniat, siue pudorem, siue prudentiam, siue mansuetudinem, aut humilitatem in iniquitatis pelagus omnia proiicit ebrietas.* Est igitur ebrietas *sicut gubernator in magnis fluctibus*, aut *in magna tempestate*: quia quemadmodum hic tempestate sæuiente commeatus, ac mercium proiectionem vectoribus indicit, ita etiam ebrietas è corpore quidem cibi atque vini onus; ex animo autem pretiosas virtutum omnium merces in pelagus iactare hominem cogit. Ad extremum subiiciendus est Magnus Gregorius, qui pastoralis curæ 3. par. Adm. 33. hæc verba ad allegoriam traducit. *Hinc superius scriptum est; Et eris quasi dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo. In medio enim mari dormit, qui in huius mundi tentationibus positus, prouidere motus irruentium vitiorum, quasi imminentes vndarum cumulos, negligit: Et quasi clauum gubernator amittit, quando mens ad regendam nauem corporis studium solicitudinis perdit; clauum quippe in mari amittere est intentionem prouidam inter procellas huius sæculi non tenere*, &c.

[Margin: Chryſoſt. — Gregor.]

35. Et dices, verberauerunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non sensi, quando euigilabo, & rursus vina reperiam?

159. ET dices, &c. Vrget Salomon ebrietatis incommoda, & tria alia recenset, ex quibus duo ad dedecus pertinent, tertium ad intemperantiam; singula expendam. *Verberauerunt me, & non sensi.* Hebr. *verberauerunt me, & non ægrotaui*, LXX. *Ferierunt me, & non dolui.* Duplicem sensum possunt sortiri

sortiri hæc verba; alter est simplicior ad hunc modum; Fingitur ebrius ad se rediens vibices plagarum, aut etiam liuores contemplans, atque adeò dicens, *Verberauerunt me, & non dolui*, scilicet pudore suffusus ob dedecus acceptarum plagarum. Mens autem sapientis non est alia quàm ebriis hoc exprobrare, quod ipsis crapulam dormientibus sæpè inhonestè verberantur, & plagis onerantur, aut certè verberari, ac tundi possunt, ipsis id minimè sentientibus, aut discernentibus, quod sane turpissimum est. Vel aliter, adludit Sapiens ad turpe quoddam ebrietatis amuletum, quod apud veteres in vsu fuit; Hi enim vt ebrios celerius ad mentem reuocarent, aut funibus restrictis torquebant, aut etiam impactis verberibus percellebant, quod medicamenti genus tum ebriis, tum etiam his, qui ex febri delirant & insaniunt, impendi iubet. Medicorum facilè Princeps Galenus, vt alibi obseruauimus. Medicamenti autem huius naturalis ratio est facilis, quia verberum ictus sanguinem, aliosque humores ad ima euocant (hinc vibices, atque liuores, qui ex plagis relinqui solent) atque adeò caput exonerant Propterea apud Moscouitas, vt tradit Sigismundus in eorum Historia, ebrij tandiu verberibus pulsari iubentur, donec ad sanitatem redeant, vt supplicium hoc simul sit, ac medela. Ait igitur ebrius apud Salomonem (sequor lectionẽ originalem) *verberauerunt me, & non ægrotaui*, ebrius nimirum verberibus ad se redire incipiens, sic addit: verbera excepi, cùm tamen non ægrotarem: nimirum ægrotum ex febri furiosum verberari haud turpe est, at ebrium verberibus affici probrosum valde. Id ergo probrum refero, ait ebrius, quod sine ægritudine, ac morbo plagas sustineo, vel, si mauis, idem ipse temulentus verbera, quibus ad sanitatem adduci contenditur, aspernatus, ex amore vinolentiæ sic ait. *Verberauerunt me, & non dolui*, id est, quamuis aliquando temulentia prostratus, verberibus percellar, id tamen non curo, quia impactas mihi plagas nec sentio nec percipio.

160. *Traxerunt me, & non sensi.* Hebr. *concusserunt me, & non cognoui.* Vatablus iterum vsurpat verbera, ait enim, *Verberarunt me*, &c. Septuaginta, *illuserunt mihi, ego non sensi.* Chaldæus, *Spoliauerunt me, & nesciui.* Triplex etiam hinc emicat interpretatio, primam nobis offert Vulgata lectio. *Traxerunt me, & non sensi*, sic ebrius sibi restitui incipiens. Nihil enim vulgò frequentius, quàm ebrios extra se factos, ac tellure decumbentes ab alienis portari. Ambrosius de Helia & ieiunio c. 13. *Itaque hac atque illac tanquàm nauigia sine gubernatore fluctuant, & tanquam vulnere icti in terram defluunt, nisi excipiantur à seruulis. Alij referuntur in scutis, sicque pompa ludibrij.* Loquitur de militibus ebriis. Basilius suprà. *Miserandum profectò spectaculum! vir ætate integra, & florente, inter militares copias clarus domum deportatur, cùm ipse potis non sit seipsum attollere, atque propriis pedibus incedere.* Secundam expositionem exhibet translatio LXX. *Illuserunt mihi, & non sensi.* Appositè ad hanc lectionem subdit Basilius. *Vir, qui terrori debebat esse hostibus, pueris in foro materiem ridendi præbuit.* Huc spectat etiam illud Ambrosianum, *fit pompa ludibrij.* Chrysostomus etiã accinit. *Quid enim*, inquit, *turpius ebrio temereque vagante, ac graue illud naufragium perferente, & Dei dona stultorum conuitiis exponente?* Denique tertiam expositionem spirat paraphrasis Chaldaica. *Spoliauerunt me, & nesciui*, id quoque ebrietatis turpitudinem ac dedecus amplificat, quod temulentos spoliare licet non repugnantes, nec iniuriam istam sibi illatam percipientes, quæ non leuis contumelia est. Puto autem ea translatione non tam significari ebrium pretiosis vestibus, aut etiam pecuniis spoliari, quàm eundem discingi & exarmari posse; hoc enim probrosum magis; cuius probri meminit etiam Ambrosius supra cap. 13. Subnectit Salomon.

Quando euigilabo, & rursus vina reperiam? Hæc posterior pars Iansenium in eam sententiam induxit, vt reliqua inter dormiendum, aut certè inter ipsam crapulæ insaniam, & furorem à vinolento pronunciata existimaret, sed tamen non audiendus in Primitiuis ad verbum est, *Quando dilucidabo, addam, quæram illud adhuc*, Septuaginta, *Quando erit diluculum, vt vadens quæram, quibus cum conueniam?* Ergo ad hunc sensum etiam vocari debet lectio nostra, ita vt illud, *Quando euigilabo?* non reddat eum sensum, Quando è somno hoc, & insaniâ resipiscam? hæc enim deprecatio in ebrium parum aptè cadit, qui quandiu sui compos non est, ne id quidem sapit. Sed ita capiendum est, vt ebrius ad se tantisper reuersus diluculum poscat, vt denuò calices repetat, & in ebrietatem relabatur. Ad istos ebriorum mores spectauit noster Salomon Ecclesiast. 10. *Væ tibi terra, cuius Rex puer est, cuius Principes mane comedunt*, id est, quos summo mane comedendi, & bibendi concupiscentia excitat. Et Isaiæ. 5. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potãdum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* Quos lepidè admodum vellicat D. Ambrosius c. 15. *Non immeritò*, inquit, *væ illis qui mane ebrietatis potum requirunt, quos conueniebat Deo laudes referre, præuenire lucem, & vacare orationi, occurrere soli iustitiæ, qui nos visitat, & exurgit nobis, siquidem nos Christo, & non vino aut sicera surgamus; Hymni dicuntur, & tu cytharam tenes? Psalmi canuntur, & tu psalterium personas, aut tympanum? Meritò væ qui salutem relinquis, mortem eligis, vix diluculum, & iam cursatur per tabernas, vinum quæritur, excutiuntur tapetes, accubitum festinant sternere, lagenas aureas, aureos calices exponunt.* Hæc Ambrosius.

Sed audiendus D. Gregor. Magnus hæc allegoricè versans, curæ pastoralis 3. part. Adm. 33 *Vnde per Salomonem vox percussi & dormientis exprimitur, qui ait, Verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me, & ego non sensi; quando euigilabo & rursum vina reperiã? Mens quippe à cura suæ sollicitudinis dormiens verberatur, & non dolet: quia sicut imminentia mala non prospicit, sic neque quæ perpetrauerit, agnoscit. Trahitur, & nequaquam sentit, quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad sui custodiam suscitatur. Quæ quidem euigilare optat, vt rursum vina reperiat, quia quamuis somno torporis à sui custodia prematur, vigilare tamen ad sæculi curas nititur, vt semper voluptatibus deebrietur, & cùm ad illud dormiat, in quo solerter euigilare debuerat, ad illud vigilare appetit, ad quod laudabiliter dormire potuisset.*

CAPVT

CAP. XXIV. SALOMONIS.



1. E Æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis. 2. Quia rapinas me-
ditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. 3. Sapientia ædi-
ficabitur domus, & prudentia roborabitur. 4. In doctrina replebuntur cel-
laria, uniuersa substantia pretiosa & pulcherrima. 5 Vir sapiens, fortis
est: & vir doctus, robustus & validus. 6. Quia cum dispositione initur
bellum: & erit salus vbi multa consilia sunt. 7. Excelsa stulto sapientia, in
porta non aperiet os suum. 8. Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. 9. Cogitatio stulti
peccatum est: & abominatio hominum detractor. 10. Si desperaueris lassus in die angustiæ: im-
minuetur fortitudo tua. 11. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum
liberare ne cesses. 12. Si dixeris: Vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, &
seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua. 13. Comede, fili mi, mel,
quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo. 14. Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ:
quam cùm inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non peribit. 15. Ne insidieris, &
quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius. 16. Septies enim cadet iustus, &
resurget: impij autem corruent in malum. 17. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in
ruina eius ne exultet cor tuum. 18. Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo
iram suam. 19. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios. 20. Quoniam non habent
futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur. 21. Time Dominum, fili mi, & Re-
gem, & cum detractoribus non commiscearis. 22. Quoniam repentè consurget perditio eorum
& ruinam vtriusque quis nouit? 23. Hæc quoque sapientibus cognoscere personam in iudicio
non est bonum. 24. Qui dicunt impio: Iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tri-
bus. 25. Qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio. 26. Labia deoscu-
labitur, qui recta verba respondet. 27. Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum
tuum: vt posteà ædifices domum tuam. 28. Ne sis testis frustrà contra proximum tuum: nec la-
ctes quemquam labiis tuis. 29. Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam vnicuique
secundùm opus suum. 30. Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti 31. Et
ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa
erat. 32. Quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. 33. Pa-
rum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, vt quiescas. 34. Et ve-
niet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir armatus.

---

1. *Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis.*

2. *Quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.*



E æmuleris, &c Hebr. *Ne æmuleris hominis malitiæ.* De hac æmulatione supra cap. superiori ver. 17. non pauca diximus, vbi etiam decreuimus sermonem esse non de imitatione impiorum, sed de zelo, & inuidia prosperitatis, ac secundæ fortunæ, quâ impij vti solent Itaque ait, ne impiis prosperitatem & fœlicitatem inuideas, neve zelo, & inuidentia inductus ad eorum cœtum, & classem transire velis. Hoc sibi vult illud, *Neque desideres esse cum eis*, le- A ge ibi plura. Subdit rationem.

Quia rapinas meditatur mens eorum. Hebr. *& laborem labia eorum loquuntur*, est enim anceps vox Hebraïca, & *fraudem laboremque*, aut etiam *iniquitatem* sonat. Hinc Chald. *Et iniquitatem labia eorum loquentur.* Septuaginta. *Mendacia enim meditatur cor eorum, & labores labia eorum loquuntur.* Sunt qui pro, *mendacia fucos* reddiderint.

Reddit rationem, ob quam istiusmodi æmulatio vitanda sit, quia eam fœlicitatem impij iniustis artibus sibi parant, scilicet rapinis, ac fraudibus, quæ verò sic parta sunt bona, beatum hominem efficere nō possunt. Itaque ait, *Quia rapinas meditatur mens eorū.* i. ingenio suo moliuntur rapinas, & furta, *& fraudes labia eorum loquuntur*, quasi dicat, os, mentemq; malè admodum impendunt, illud scilicet fraudibus, mendaciisque nectendis, hanc verò variis furandi rationibus,

bus, artibusque excogitandis; atque adeò inuidentiâ prorsus indigni sunt.

2. Septuaginta interpretes possunt quidem ad eum sensum vocari, sed tamen in eorũ verba aliam etiam interpretationem accipiunt. *Mendacia enim meditatur cor eorum, & labores labia eorum loquuntur.* i. bona illa, quæ assiduò meditantur, nequaquam vera, sed falsa, atque mendacia bona sunt; illa etiam, quam ipsi fœlicitatem, & fortunam nuncupare solent, non tam fœlicitas, quàm labor, & molestia dici debet. Vtrumque satis certum. Aliqui conuertunt. *Fucos enim meditatur cor eorum*, eodem sensu. i. bona quærunt, non vera, sed fallaci quodam fuco illita. Hunc fucum detegit Chrysostom. in hom. de diuitiis & paupertate. *Quemadmodum enim meretricantium mulierum forma frictionibus & fucis composita, pulchritudinem mentiuntur, qua omnino carent. Ita diuitia infames cum sint, & turpes, honorem præseferunt.* Et infrà, *Quod si quando personam istam ex metu compositam rerum commutatio superueniens de conspectu subduxerit, & redarguerit, sicuti facies illas sol calidiori radio immisso redarguit, hinc probè cernes superiori tempore supra omnes te fuisse contemptissimum apud eos, qui te coluerunt*, &c. Itaque ex mente Chrysostomi fortunæ commutatio diuitiarum fucos & pigmenta detegit, & earum fallacem, mendacemque fœlicitatem coarguit. Meritò igitur Salomon docet illam impiorum fortunam nõ esse desiderandam, quæ nimirum mendax est, & *fucata*, atque adeò commutationi obnoxia. Rursus in homil. *quod nemo læditur nisi à se ipso*, de diuitiarũ fucis sic idẽ Chrysostom. *Sicut plerumque meretricis vultus, cùm fœdus, & turpis est per naturam, fucis & coloribus pigmentariis prostituitur ad decipiendos eos, qui ignorant, quanta fœditas sub velamine fuci illius contegitur; ita & diuitiæ faciunt*, &c. hom. 33. ad Hebr. sic habet. *Propterea Deus abstulit tibi diuitias, vt te liberet à pessima seruitute. Nam & pater optimus cum viderit filium suum amore cuiuspiam meretricis deperire, si admonitiones eius audire neglexerit, illam meretricem in exilia longa detrudi facit. Talis est etiam abundantia diuitiarum, meretricios vultus habet fucatos, ac pigmentatos; curam ergo de nobis gerens verus pater & omnipotens Deus, volens nos ab hac læsione liberare, aufert nobis pecunias, quarum amore mens nostra corrumpitur.* Nullus ergo impiis diuitias, & fœlicitatem inuidere debet, quia non solùm sua ipsarum inconstantia labiles sunt, sed etiam ad Dei prouidentiam spectat vt eas suis amatoribus eripiat. De laboribus autem, atque molestiis, quæ diuites & fortunatos illos assiduò vexant, alibi sæpè diximus.

Chrysostom.

3. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.*

3. SApientia, &c. Hebræa prorsus consonant cum nostris. Vatabl. *Et cum intelligentia absoluitur.* Chald. *Et in prudentia preparatur.* Sept. *Cum sapientia ædificatur domus, & cum intellectu erigitur.*

Per domum eleganti metaphora rem domesticam, & familiarem notari iam inde suprà non semel dixi: sed illud vestigandum in hoc loco, quid *sapientia*, quid *prudentia*? Et quidem duas omnino istorum nominum acceptiones inuenio. Alij enim per sapientiam, & prudentiam, virtutem, & honestatem hîc notari volunt: alij industriam, & artem faciendi quæstus. Ego quidem hæc verba ita distribuo, vt sapientia priori loco posita industriam illam significet, prudentia posteriori loco subiecta, honestatem, & virtutem. Sed iuxta has sapientiæ, atque prudẽtiæ acceptiones, aliæ, atque aliæ interpretationes occurrunt.

A Prima ergo, per sapientiam, atque prudentiã, probitatem in vniuersum capiens sic locum edisserit. *Sapientia ædificatur domus.* i. res domestica, & familiaris non fraudibus, & iniuria conquiritur, non etiam improbitate & impietate seruatur: sed cum morum honestate, ædificij cuiusdam celsi in morem attollitur, & eadem honestate robur illi additur, ne temporis decursu excitata moles corruat. Itaque sensus est, diuitias tum demum amplas, & diuturnas esse, cùm probitas tanquam fundamentum iacitur, eademque probitas tamquam faber, aut opifex illas attollit. Nã diuitiæ virtuti, tamquam fundamento, incumbentes, nulla vi subrui, aut cõuelli possunt, & cùm illas probitas tamquam domum aliquam affabrè attollit, non B possunt non amplificatæ, & auctæ in magnam molem euadere. Chrysostom. in hom. 2. in Epistol. ad Ephesios de diuitiarum fundamento pereleganter disserit. *Quanam vis te impellit ad rapiendum? paupertas, inquies, ac timor, de rebus necessariis. Imò propterea non debes rapere: non sunt enim stabiles, & firmæ istiusmodi diuitiæ. Tu autem idem facis, ac si quis rogatus cur in arena domus fundamenta iaciat, dicat propter frigus, & propter pluuiam. Propter hoc quidem non oportebat fundamẽta iacere in arena: Ea enim certò euertunt procella, & venti. Quare si vis esse diues, non sis auarus, nec plura habendi cupidus; si vis filiis tradere diuitias, posside iustas, si vlla sint tales: ea enim manent stantque firmæ, ac stabiles.* Quemadmodum ergo de fundamentis C hæc Chrysostomus commentus est, ita etiam de reliqua istius domus structura affirmare licet. Nam sicut, qui parietes alicuius domus ad regulam, & perpendiculum non exquirit, non potest illos in sublime leuare, quia illos nedum à terra sublatos modica inclinatio ab initio inchoata tandem detorquet, & in terram deuoluit: Ita etiam de diuitiis illis iudicandum est, quæ nisi iustitiæ regula, & æquitatis perpendiculo corrigantur, nedum è paupertatis infimo solo attolli, & in altum leuari cœperunt, cùm statim collapsæ in antiquam paupertatem recidunt.

Chrysost.

Non longè abit ab hac prima expositione secunda, quæ per sapientiam & prudentiam, iustam acquirendi industriam concipit. Est enim sensus. *Sapientia ædificatur domus.* i. diuitiæ non fraudibus cumulan- D tur, sed industria: neque firmæ sunt, ac constantes, nisi eas etiam industria pepererit. Vt autẽ hæc secunda interpretatio à prima aliqua ratione differat, sic debet conformari. Diuitiæ non tam conatu nimio, aut laboribus multis, molestiisque susceptis augentur, & offirmantur, quàm industria, & arte. Quemadmodum enim ad summos parietes alicuius domus construendos, magni ponderis lapides non vi, & conatu (nulla enim vis satis esset) sed arte leuantur, ædificiumque ea ratione in dies assurgit, & in sublimem molem euadit. Et sicut etiam ad explorandam alicuius ædificij rectitudinem nullius quamlibet acutissima acies sufficit, nisi accedat etiam ars, quæ regulam, & per- E pendiculum adhibere docuit. Ita etiam de diuitiarum quæstu decernere opus est: non enim labor nimius, aut ingentes molestiæ, aut vehementes animi angores ad magnos quæstus pariendos faciunt: sed ars, atque industria: hæc enim sæpè nullo ferme labore, ac perbreui interuallo copias ad maxima incrementa promouet. Rursus etiam, qui parta tueri velit, suo ipsius consilio, fidei, aut memoriæ nequaquam res committere, sed artem etiam adhibere debet, scilicet libros rationum, crebras etiam subductiones & calculationes. Non pauci enim quia in re sua familiari construenda absque præmissis auxiliis, memoriæ, aut etiam fidei suæ multum tribuerunt, inclinatis demum muris in angustias reciderunt. Quid certius?

4.

Subest

5. Subeſt etiam ſecunda interpretatio nomina illa diſtribuens,quæ nimirum *ſapientiæ* nomine induſtriã intelligit, ac per *prudentiam* probitatem, & iuſtitiam captat,hoc modo. *Sapientia ædificatur domus*, id eſt, induſtria rem domeſticam & familiarem auget & cumulat:*& prudentia roboratur*,id eſt,probitas æquitaſque illam confirmat,conſtantiaque,ac ſtabilitate donat. Hanc interpretationem ſuperioribus libenter præfero,quia ea,quæ propria ſunt vnicuique adſcribit: nam induſtriæ proprium eſt rem augere, probitatis autem,& iuſtitiæ,auctam tueri.Primò,quia hæc ſumptus moderatur. Secundò, quia meritis ſuis id impetrat à Deo.Tertiò,quia præcipua ratio,ob quam Deus homines ablatis opibus ad anguſtias redigere conſueuit, eſt earum abuſus ad ſcelera, & crimina, B quorum copioſam ſegetem diuitiæ adminiſtrare conſueuerunt, atq; adeò qui opes cum pietate, & honeſtate cõiungit,eas ſibi quaſi perpetuo fœdere obſtringit,& infidam,feram,& fugacẽ earum naturam continet.Nam(vt aliàs me dixiſſe memini ex Chryſoſtomo)pietas diuitias alioqui efferas, & indomitas cicures reddit,& ad manſuetudinem traducit,eademque labilem eorum naturam ſtagnat: (addo etiam nunc ex Salomone) illas tamquam domum atque ædificium,aliàs ruinoſum,atque caducum,perpetua ſtabilitate communit.

6. Sed non prætereunda lectionum diuerſitas. Vatablus habet.*Sapientia ædificatur domus,& prudētia abſoluitur.* quæ verba ſatis moralem ſententiam cohibent. C Diuitiæ quidem apud auaros ad inſtar obtinent magni cuiuſdam ædificij,ac molis inceptæ quidẽ,ſed numquam perfectæ: nam quò ſublimius aſſurgit,& latius etiam protenditur moles iſthæc, eò ſublimius excitari,& latius etiam produci poſtulat, atque adeò nunquam perficitur.Non ita,inquit, Salomon, apud prudentes,& ſobrios homines,ab his.n. *Per ſapientiã ædificatur domus*, ideſt, per induſtriam iuſtam res domeſtica amplificatur. *Et per prudentiam domus abſoluitur*,ideſt,eadem nimirum res perficitur, & ad iuſtã quãdem magnitudinẽ peruenit,quam vbi adepta nec concupiſcentia vlterius aliquid appetit, nec induſtria etiã latius protenditur. Sed quemadmodũ aliquis ſatis amplã domum ad habitationem nactus id tantũ con- D tẽdit,ne deterior fiat,atq; illã auxiliis omnibus à ruina prohibeat: ita etiam vir ſobrius,& temperans,ſtatum atque ſufficientes ad victum copias ſibi peperit, id tantum ſatagit induſtria ſua,ne in deterius abeant,& dummodò parta iam bona ſarta tectaque ſint, de cætero nihil curat.Contra verò diuitiæ & opes apud improbos auaros ſimiles ſunt ædibus inchoatis,& nunquam perfectis. Quia nunquam in illis morari ac quieſcere licet,& nouos ſemper ſumptus recentemque laborem exigunt.

7. Chaldæus legit, *Sapientia ædificatur domus,& prudentia præparatur.* Prudens vtique homo antequàm ædificiũ aliquod magnũ attollere incipiat, prius quidem lapides,ligna, & cæmentum, & reliquam mate- E riem cõparat, & in ipſo domus conſtruẽdæ loco hæc omnia cumulat,deinde ædificium aggreditur.Ex iſta igitur lectione haud inſulſa depromitur ſententia ad hunc modum. *Et prudentia præparatur*,&c.ideſt,quicumque domum aliquam magnam ſubſtruere apud ſe cogitat,domum,inquam,magnam,ideſt, ingentem aliquã familiam ſeruorum,clientum,ac miniſtrorum (id.n.eſt,quod vulgò dicimus, *Poner vna grancaſa*)is quidem neceſſariam ad hanc ſubſtructionem materiẽ prius comparatam,& congeſtã apud ſe habere debet: ſatis videlicet copiarum,ac ſumptuum ad illud ædificium, molemque excitandam obtineat opus eſt,ne ſi poſtea defecerit, incipiant illud ſuggerere ei dicen-
Luc.14. tes,*Hic homo cœpit ædificare,& non potuit conſummare.*

A Denique Septua.Interpretes ſic habent: *Cum ſapientia ædificatur domus,& cum intellectu erigitur.* Certè cùm ædificium aliquod inchoatur, & moles parũ à terra ſublata eſt,facilis admodum,& compendioſa eſt ſtructura,ars etiam ad ædificandum minor requiritur: at vbi moles excelſius aſſurgit, tunc quidem labore,atque etiam arte maiori,largioribuſq; expenſis opus eſt. Puta ergo ſapientiam ex vi ſua digniorẽ quandam notitiam ſignificare, quàm intelligentiam. *Sapientia* .n.abſolutã plenamq; rerum notitiam complectitur, *intelligẽtia* non item.Salomon ergo à cõtrario ſenſu iuxta hanc lectionem non ineleganter ſententiam commentus eſt. *Cùm ſapientia ædificatur domus,& cum intelligentia erigitur.* Quaſi dicat,in domibus exædificandis initia quidẽ faciliora ſunt, at poſtquam fabrica altius aſſurgit maiori labore,atque arte opus eſt.Non ita in diuitiarum quæſtu,ſed ex aduerſo opes inchoare perdifficile eſt, attamẽ cœptas iam augere,& amplificare pronum valde,ac procliue eſt: nam ex paupere diuitẽ fieri arduũ valde,ex diuite autem ditiorem,ac ditiſſimũ euadere, haud difficile eſt, hoc ſibi volũt illa verba. *Cũ ſapiẽtia ædificatur domus*, ideſt,ad rei familiaris prima fundamenta iacienda maxima quadem arte,& induſtria opus eſt. *Et cum intelligentia erigitur.* Iactis nimirum iam fundamentis,reliquam molem imponere, & maximam fortunarum fabricam attollere minoris intelligentiæ atque induſtriæ eſt. 8.

C Vel ſi id non placet, & ductam ex ædificio ſimilitudinem cum diuitiarum fabrica omnino congruere velis,licet quidem ad moralem, & ethicam huius rei conſideratiõe accurrere: Nam quamuis (liceat ſic dicere)phyſicè, ac naturaliter faciliora ſint rei familiaris incremẽta,quàm auſpicia,& initia:tamen,quod ad mores ſpectat facilius eſt aliquem cum iuſtitia,& æquitate diuitiarum poſſeſſionem ordiri,quàm poſtmodùm eaſdẽ iuſtis in dies quæſtibus cumulare. Quia cùm,creſcente pecunis, concupiſcentia quoque ſua incremẽta capere ſoleat,hæc certè ſæpius ad iniurias, & damna proximi d nda auidas mentes ſtimulat, vt ſiue per fas,ſiue per nefas fortunis qualit unque fiat acceſſio. Ait ergo Salomon. *Cum ſapientia ædificatur* D *domus*, id eſt ad inchoandam cum iuſtitia,& rectitudine rei familiaris,ac domeſticæ fabricam qualiscumque probitas ſufficit *Et cum intellectu erigitur* (Iuxta hanc expoſitionem intellectus ſapientiæ anteponi debet:Ita vt ſenſus ſit:)ad eandem fabricam pari rectitudine, æquitate promouendam, inſigni quad m morum probitate,& honeſtate opus eſt. Nil certius. Sed de hoc verſu aliquid etiam in ſequenti ferendum eſt. 9.

---

4. *In doctrina replebuntur cellaria, vniuerſa ſubſtantia pretioſa,& pulcherrima.*

E IN *doctrina*, &c. Hebr. *In ſcientia penetralia replebuntur omni copia pretioſa , iucunda.* Vatabl. *Omnigenis opibus raris,& amœnis.* Septuag. *Cum ſenſu implentur cellaria ex omnibus diuitiis pretioſis , & bonis.* 10.

Caietanus , vt hæc verba cum ſuperioribus conſuat, veramq; iuxta literæ ſonum exponit,atque adeò in præmiſſis verbis, *Sapientia ædificatur domus*,nomine domus ædes ipſas ad incolendũ conſtructas accipit,hoc ſenſu,ad ædes affabrè excitandas,ita vt ſtructura ſit elegans,& vtilis,locus item idoneus & ſalubris,non mediocri ſapientia opus eſt. Subdit. *Et cum prudẽtia dirigitur.* Singulas eius partes diſtribuere,& ad idoneam habitationem accommodare haud vulgaris etiam prudentiæ eſt. Attexit. *In doctrina replebuntur cellaria* , &c. ideſt , eandem domum pretioſa,

& eleganti ſuppellecti inſtruere, & annona etiam affatim implere maximæ cuiuſdam induſtriæ eſt. Quæ interpretatio vt moralem ad ſenſum traducatur, ſic concipienda eſt, vti hæc à Salomone ad excitandam, acuendamque hominum induſtriam præſcripta ſint: quaſi dicat: Aliqua ſunt ad vitam hanc decorè, & honeſtè tranſigendam neceſſaria: hæc ſunt, domus ampla, pretioſa ſupellex, annona ſufficiens: hæc verò non facilè conquiruntur. Quapropter quicumque iſtiuſmodi res ſibi affatim ſuppetere voluerit, neruos contendere, & diligentiam, induſtriamque haud vulgarem his parandis impendere debet. Et quidem ſic conformata interpretatio mihi valde probatur.

11. Hugo Cardinalis de more ſuo hæc ad ſpiritualem ſenſum, myſticaſque diuitias transfert: Cui hærent etiam ex antiquis non pauci. Ianſenius tres & in diuitiis parandis, & augendis gradus contemplatur. Nam prima, inquit, induſtriæ noſtræ collocatio eſt, diuitiarum ſatis ad vitam tuendam comparare. Secunda, ea, quæ quis iam peperit, tueri. Tertia, eadem nouis acceſſionibus augere, & amplificare. Hos igitur tres induſtriæ gradus percurrit Salomon. *Sapientià ædificatur domus* i. vt fortunarum ſatis ad viuendum ſuppetat induſtria non mediocris neceſſaria eſt. *Et prudentia roboratur*, i. ne parta iam ſors deterior fiat, prudentia etiam non vulgaris requiritur. *Et in doctrina replebuntur cellaria*, &c. Nimirum vt eadem res familiaris incrementa ſuſcipiat, adeò vt non modò ſufficientia, ſed etiam affluentia ad victum ſuppeditent, inſigni quadam induſtria opus eſt. Non diſplicet etiam Ianſenij conſilium.

Rodolphus aliam interpretationem excogitauit, hic enim per doctrinam prudentiam, & ſapientiam vnam quandam virtutem notari vult, ſcilicet ſobrietatem ſeu temperantiam, quæ videlicet paucis, & ad victum opportunis contenta eſt. Sic autem verba exponit, *Sapientia ædificatur domus*, &c. i. iuſti hominis prouidentia paucis contenta, & ad ea paranda induſtriam iuſtam collocans, nunquam indiget domo ad habitandum ſufficienti, nec rudi illa quidem, & ruinoſa, ſed ſtabili, atque firma: neque etiam deeſt illi ſatis ampla, & honeſta ſupellex, & affluens etiam annona ad victitandum. Haud inſulſa eſt etiam hæc expoſitio: ſed noſtram etiam cenſuram accipe.

12. *Sapientia ædificatur domus*, &c. Significat Salomon quibus gradibus vir induſtrius domum ſuam promouere debeat. Primò quidem ex iuſtè partis domus exædificanda eſt, deinde familia diſponenda, ſubinde comportanda annona abundans, ac demum ſupellex pretioſa conquirenda. Itaque ſignificat quatuor has res diuitiarum incrementa, & menſuram ſuo ordine ſequi debere. Nam qui aliqualem ſubſtantiam nactus eſt, non ſtatim de eleganti, ac pretioſa ſupellectili cogitare debet, id enim conſilium præceps eſſet, ſed hunc conſtruendæ domus cura ſubire debet: huic autem curæ reſpondent illa verba, *Sapientia ædificatur domus:* quod ſi copiæ incrementa ceperint, tunc quidem familia diſponi ſeruorum ſcilicet, ac clientum tantundem adhiberi poteſt, quantum ſors ipſa patitur, hoc ſibi vult illud *prudentia roboratur*, vel vt habent origines, *dirigetur, diſponetur.* Sin verò diuitiis maiores in dies acceſſiones fiant, licebit quidem tunc affluentius pœnum ſtruere, atque adeò delicatius veſci. Huc ſpectat illud, *In doctrina replebuntur cellaria.* Denique ſi copiæ ſubinde magis, ac magis excreuerint, tunc quidem pretioſa, & eleganti ſupellectile domum adornare, atque illuſtrare integrum erit. Quicunque ergo per eiuſmodi gradus res ſuas promouet, is demum ſapiens, prudens, ac doctus: qui verò eum ordinem non tenet, is ſanè imprudens, inconſultus, ac præceps cenſeri debet. Pergo ad alia.

---

5. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus, & validus.*

13. Vir Sapiens, &c. Hebr. *Vir ſapiens in fortitudine, & vir ſcientia roborans potentiam.* Chald. *Melior eſt ſapiens robuſto, & vir ſcientia magis, quàm ille qui accinctus eſt fortitudine ſua.* Sept. *Melior ſapiens forti, & vir prudentiam habens agro magno.* Sic habet Codex Vaticanus Regius verò, ac Complutenſ. *Agricola magno.* Subeſt enim γεώργιον, quæ vox vtramque ſignificationem recipit.

Non ſatis liquet inter expoſitores an iſthęc ſubſequenti verſu nectenda. Rodolphus, & Ianſenius cum ſequentibus contexunt, ita vt ſenſus ſit, *Vir ſapiens fortis eſt*, &c. Quaſi dicat, non ſolum ad rem domeſticam amplificandam, & augendam ſapientia & doctrina opus eſt, ſed etiam ad bella gerenda. Nā vir ſapientia pollens is quidem fortitudine fortiſſimos quoſque vincit: & qui doctrina antecellit, is demum viribus, ac robore prȩſtat: quia fortitudo, ac robur non tam in lacertorum, ac neruorum contentione conſiſtit, quàm in ſapienti, & opportuno virium etiā in firmārum exercitio, & vſu. Subdit Salomon. *Quia cum diſpoſitione initur bellum*, &c. Fauet huic expoſitioni Chaldęus interpres, ſic enim habet. *Melior ſapiens robuſto, & vir ſcientia magis quàm ille, qui accinctus eſt fortitudine ſua*, qui planè ad militare robur, & ad rem bellicam ſpectaſſe videtur. Quantum autem ſapientia ad bella conficienda poſſit, ſequenti verſu dicemus.

14. Cæterùm, vt noſtra lectio cum tranſlatione Sept. cohæreat, ſatius eſſe puto hunc verſum cum ſuperioribus innodare. Nam Sept. ſic habent *Melior ſapiens forti, & vir prudentiam habens agro magno.* Præmiſerat enim ſapientiam ad rem familiarem augendam, & tuendam imprimis neceſſariam eſſe, vtpote quæ non tam labore, & moleſtiis ſuſceptis, quàm induſtria, & arte conquiritur, & ſeruatur. Ergo appoſitè ad hæc ſubiungit ad rem amplificandam, conducibilior eſt vir aliquis gnauus, & induſtria præditus, quàm robuſtus, & fortis. *Melior eſt ſapiens forti*, ſed quid ſibi vult illud, *& vir prudentiam habens agro magno?* ſenſus eſt perelegans. Non modò ad rem augendam vires ſapientiæ cedunt, ſed etiam, qui ampliſſimum à parentibus ſuis iure hȩreditario fundum obtinuit, ſi idem ſapiens non ſit, cedit viro perito, & induſtrio: hic enim maiori compendio, ac certitudine diuitias amplas naniſcitur, quàm ille. Nam licet facile ſit, ac pronum (vt nuper v. 3. obſeruaui) cum, qui aliquales copias ſibi peperit, eas nouis acceſſionibus plurimum augere, difficile autem, atque arduum, ex paupere diuitem euadere: tamen ea eſt vis ſapientiæ, atque induſtrię, vt ad diuitias ingentes parandas pauper aliquis, & inops, peritia tamen prȩditus magis poſſit, quàm alius quiſpiam, qui, ampliſſimo fundo patrimonij loco à parentibus accepto, deſipit prorſus, atque induſtria caret.

15. Quod ſi cum aliis legamus. *Et vir prudentiam habens agricola magno:* ſenſus ſic inſtituendus erit. Aptior vtique ad copias cumulandas vir prudens, ac prouidus, quàm fortis, ac peritus agrorum cultor. Quaſi dicat, nihil eſt quod maiore compendio homini magnas, eaſque iuſtè partas diuitias aſportare ſoleat, quàm perita ſimul, ac robuſta diligentia in excolendis agris poſita: ſed tamen hęc ſapientię, ac prouidentię primas dat, eamque facilè ſibi prȩferri ſinit. Itaque mens Salomonis eò ſpectat, vt ſuadeat nullā eſſe

eſſe artem, quæ ad opes parandas, tuendas, & augendas magis valeat, quàm ſapientiam & induſtriam, atque ea ſublata, vel ipſam agriculturam, qua nulla magis quæſtuoſa eſt pro lucris, ac quæſtu detrimenta, & iacturas allaturam. Ad hunc igitur ſenſum allicienda eſt Vulgata tranſlatio. *Sapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus.* Quaſi dicat, is demum fortis, robuſtuſque ad rem augendam, qui ſapientia, & induſtria præcellit: imperiti verò, & væcordes infirmi prorſus atque imbecilles.

---

6. *Quia cum diſpoſitione initur bellum: & erit ſalus, vbi multa conſilia.*

16. QVia cum diſpoſitione, &c. Hebr. *Quia in induſtriis facies tibi bellum, &c. Et ſalus in multitudine conſilij.* Chald. *Quoniam in gubernaculis facies tibi bellum: ſalus autem erit in multitudine conſilij.* Sept. *Cum ratione gubernandi fit bellum: auxilium autem cum corde conſilium habente.* Sym. & Theod. concinunt cum noſtra. Pro *diſpoſitione* autem ſubeſt vox illa תחבולות *Thachbuloth*, de qua non ſemel aliàs. Significat enim propriè nauis gubernacula, aut rudentes, & per tropum transfertur ad conſilia, & rationes.

Sententia eſt luculenta. *Quia cum diſpoſitione initur bellum*, quaſi dicat, non militum multudine, ſed ordine bella conficiuntur: præſtat enim exigua militũ manus bene ordinata, quàm copioſiſſimus exercitus tumultuariè, & inordinatè irruens. Xenophon de dictis, & factis Socratis. *Bonum*, inquit, *eſt Imperatori, vt aciẽ ordinare perquàm doctè ſciat. Quemadmodum enim lapides, ligna, & tegulæ inordinatè quidem proiecta ad nihil vtilia ſunt: eadem verò ſi rectè ſurſum, deorſumque ordinentur, domum fortem & nunquam ruituram componunt: idem de exercitu iudicium eſt. Nam militum confertiſſimæ phalanges niſi in ordinẽ redigantur ad nihil præſtant: pauciſſimi autem bellatores, ſi rectum ordinem, & diſpoſitionem ſuſcipiant, validiſſimi, atque inſuperabiles ſunt.* De ordine autem ipſo ducta etiam ab ædificio ſimilitudine pereleganter diſſerit. *Nam cùm ædes*, inquit, *molimur, primò quidem lapides iacimus, deinde lateres, ne ipſi circa terram humore corrumpantur, & fluant, deinde verò ligna inducimus. Non alia eſſe debet ſtructura maximi exercitus. Nam illos primos, atq; vltimos ordinare oportet qui fortitudine excellant, in in medio autem timidiores, vt à primis ducantur exemplo, & à poſterioribus vi impellantur in prælium.* Hactenus ille. Quantum vero ordo ad bellum fœliciter gerendum emolumenti habeat, vel ex eo dignoſcere licet, quod inter præſtantiſſima ſtratagemata numerat Vegetius hoſtem adhuc in ordinando exercitu diſtentum, antequam ordinem perfectè digeſſerit aggredi. lib. 3. cap. 17. Et cap. 27. docet victoriam minimè perſequendam, & vrgendam, cùm illius vrgendæ gratia ordo ſoluendus eſt. Sic enim ait: *Qui diſperſis ſuis inconſultè ſequitur, quam ipſe acceperat, hoſti vult dare victoriam.* Quanti verò fuerit apud veteres hic ordo ex eo etiam liquet, quod illius violatio militi capitalis erat, teſte Liu. lib. 2. De inardinato etiam exercitu ſic Macrinus apud Herodian. lib. 4. *Arma capiamus, & vt mos eſt Roman. ordines in acie ſeruemus, quippe in acie Barbarorũ incompoſita multitudo, & tumultuaria ipſa ſe impediet, ac premet.* Veget. etiam l. 3. c. 14. *Acies*, inquit, *in pugna publica ſi ſapienter diſponitur, plurimum iuuat, ſi tamen imperite, quãuis optimi bellatores ſint, mala ordinatione frangentur.* Ordines autem quamplurimi fuerũt apud antiquos, videlicet alæ, cornua, teſtudo, forceps, ſerra, cuneus, & alij, quorũ nomina perſequi valde lõgũ, & operoſũ eſſet. Hęc de ordine militari iuxta priorẽ expoſitionẽ, quę nomen *diſpoſitionis* accipit, vt ſonat.

17. Cæterùm alij paſſim interpretes vim illius vocis *Thachbuloth* attentius prætimantes, per *diſpoſitionem*, non acierum ordinem, ſed tùm militũ, tùm etiam Imperatoris peritiam, & induſtriam accipiendam eſſe dicũt. Caiet. enim ſic conuertit, *In ingenijs conficitur bellum.* Vatabl. & Pagnin. *In conſiliis.* Sept. *Cum ratione gubernandi.* Ex quibus omnibus conſtat de militari arte, ac peritia in vniuerſum ſermonẽ haberi, ita vt ſenſus ſit, *Cum diſpoſitione initur bellũ*, ideſt non robore, aut multitudine militum, ſed conſilio, & arte victoria paratur in bello. Et quidem huius theſis obuia valde teſtimonia ſuppetunt. Succedat memorię illud Euripidis in Antrope. *Viri*, inquit, *prudentia ab bellum magnum momẽtum eſt. Conſilium enim ſapienter initum multas manus vincit: imperitia verò cũ multitudine deterius malum eſt.* Sophocl. etiam apud Stob. ſer. 52. *Cõſilia has res fecerunt, non manuum robur.* Et infr. *Rationes manuum viribus præpollent.* Sed elegãtiſſimè Plutarchus in lib. contra vires corporis. *Quanam tibi tanta fœlicitas videtur viribus pollere, vt eius cauſa naturã exiſtimes hominibus nouercam, brutis autem parentem fuiſſe? At hominibus propria vis in animi ratione conſiſtit, qua & elephãtos per ſiluas pedicis capit, frenat equos, ſubiugat boues, volucres deijcit arundinibus, & in profundo ſubmerſa retibus extrahit: Quis nõ Vlyſſes, quam Cyclops eſſe malit ad bellum?* Habes etiã illud apud Stob. quod rogatus Alexander, qua demum ratione perbreui tempore totius orbis imperium obtinuiſſet, ſic occurrit, *Conſiliis, eloquentia & arte Imperatoria.*

18. Sed quamuis hæc accommodatè dicta ſint, tamen vox illa *Thachbuloth*, mihi ſuadet, vt credam in hoc loco nomine *diſpoſitionis*, nõ omnem in vniuerſum militarem ſcientiam, & peritiam notari, ſed ſermonem eſſe de Imperatore, ac ſupremo Duce, qui totius exercitus clauum tenet. Quia (vt iam inde ſupra c. 1. v. 6. obſeruaui) vox iſthæc תחבולות, *Thachbuloth*, iuxta germanam ſignificationem clauum ſignificat, aut temonem, qui nauis curſum moderatur: at clauum vertere in naui vnius eſt. Itaque ſenſus erit. *Cum diſpoſitione initur bellum*, ideſt, conſilio, atque arte Imperatoris non aliter exercitus regitur, quàm nauis clauo, & gubernaculo, & quidem aptè. Nam quemadmodum miraculo ſimile eſt vnum aliquem hominem conuerſo clauo ingentem nauim arbitrio ſuo in omnẽ partem impellere, ita etiam admiratione non vacat vnius Imperatoris prudentia, & arte innumerabiles militum copias coërceri, atque regi. Quàm verò aptè in Principem, atque Imperatorem cadet naucleri ſimilitudo ſuprà etiam c. 1. v. 6. non paucis probauimus, lege ibi plura de officio Imperatoris. Subdit:

19. *Et erit ſalus vbi multa conſilia.* Senſus cum ſuperiori expoſitione cohærere debet ad hunc modum, Imperator, ſcilicet, non ſua tantùm prudentia ad bella conficienda vti, ſed aliorum etiam prudentiã erogatis conſiliis adhibere debet, tunc enim res bellica proſperè cedet, & victoria, ſaluſque quaſi præiudicio quodam certiſſimo in manibus eſt, cùm Imperator ad res ſuſcipiendas multos conſiliarios exquirit. Ita Vegetius libr. 3. cap. 9. *Præcipua*, inquit, *res, & vtilitas eſt Ducis, vt adhibitis ex vniuerſo exercitu ſciẽtibus belli, & ſapientibus viris de ſuis, atque hoſtiũ copiis ſæpius tractet, omni, qua plurimum nocet, adulatione ſemota.* Item Lampridius in vita Seueri ſic ſcribit. *Si de re militari negotium aliquod inciderat milites veteranos, ac ſenes bene meritos locorum, bellorum, & caſtrorum peritos & litteratos etiam, & eos maximè qui hiſtoriam nouerant, conuocare ſolebat, requirens à ſingulis quid Romani vel cæterarũ gentiũ Principes in re, qualis tunc in diſceptationẽ venerat, conſilij cepiſſent, ſtatuiſſent, fuiſſent, &c.* Huc ſpectat etiã illud Alex. reſpõſũ, qui ſubiugatũ à ſe orbis artẽ rogatus ſubiecit. *Cõſilijs, & arte imperatoria.*

Vegetius

Vegetius item modum præscribens, quo Imperator in exquirendis suorum consiliis vti debet, lib. 3. c. 27. sic ait. *Quid fieri debeat, tractato cum multis. Quid verò facturus tandem sis, cum paucissimis, ac fidelissimis, vel potius ipse tecum.* Sed quia, vt nuper diximus, Salomon similitudinem ducit ex nautica, accipe etiā ex
Plutarch. Plutarcho elegantem sententiam, qui petita etiam ex re nautica similitudine suadet Principibus, vt consiliarios sibi optimos asciscant. *Gubernator*, inquit, *optimos quærit nautas, eosque sæpius in consilium adhibet. Ita etiam Princeps eos asciscit consiliarios, qui ad rempublicam administrandam maximè idonei sunt.* Et quidem quod ad id attinet Imperatoris, ac Principis non dispar ratio est. Non solum autem consiliarios in bellis adhibere Imperatores debent, vt tutior sit victoria, sed alio etiam nomine, ne scilicet si Mars aduersus fuerit totius exercitus odium & inuidiam sibi cōciliet, qui infœlicem belli successum Imperatori tunc adscribit, cùm ducibus non requisitis rem suo arbitrio gerendam existimauit. Itaque loci istius sententia cohæret omnino cum illa, quam supra exposuimus c. 11. vers. 14. *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus vbi multa consilia.* Id tantum interest, quod ibi de Principe, hîc autem de Imperatore sermo est. Adi eum locum.

---

7. *Excelsa est stulto sapientia: in porta non aperiet os suum.*

8. *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.*

10. Excelsa, &c. Hebr. *Excelsæ stulto sapientia* in numero multitudinis. Vatabl. *Sapientia ardua res est stulto.* Chald. *Murmurat stultus aduersus sapientiam.* Septuag. longè aliter. *Sapientia, & cogitatio bona in portis sapientum, non declinant à lege Domini.* Codex Vatican. habet. *Non declinant ab ore Domini.*

Qui cogitat mala, &c. Hebr. *Qui cogitat mala facere, eum patronum cogitationum malarum vocabunt.* alij *Dominum.* nonnulli etiam *coniugem.* Subest enim ibi vox illa בעל, de cuius vi, ac significatione sæpè aliàs diximus. Vatabl. *vocabitur sceleratus vir.* Pagn. *Virum malas habentem cogitationes vocabunt.* Caietan. *Illum herum cogitationum malarum vocabunt.* Chald. *Vocabunt eum habentem astutiam pessimam.* Sept. partim hęc verba nectunt cum superioribus, partim cum sequenti versu. Itaque sic integram sententiam nobis donant. *Non declinant ab ore Domini, sed cogitant in consessibus*, aut, *in conciliis.*

11. Prima interpretatio est Iansenij, *Excelsa est stulto sapientia.* i. cùm stultus in terra, atque in fæcibus suis hæreat, sapientia quidem longo interuallo supra ipsū attollitur. Quæ interpretatio significat eos, qui terrenis ac sordidis rebus animum suum affixerūt, sapientiam attingere non posse: hæc enim super omnia terrena, & caduca altissimè fertur. Hugo Card. Alta est,
Hugo. inquit, sapientia, & à stultis prorsus remota, ita vt nullis auxiliis eam attingere possint. Subiicio pauca illius verba. *Ideò stultus non potest eam attingere, quia modicus ipse, ac breuis est, nec ascendere potest, quia oneratus est amore terreno, & solicitudine temporali: ipsa etiam sapientia ad talem descendere dedignatur, quia, vt habes Sapientia primo, in maleuolam animam non introibit*
Sap. 1. *sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et quidē Hugo in hac expositione per *sapientiam*, probitatem, & bonos mores, ac per *stultum*, improbum hominem accepisse videtur, atque adeò appositè ad hæc verba interpretatur sequentia, *Et in porta non aperiet os suum.* i. in futuro iudicio cùm ante Dominū

A sistendus erit conuictus tacebit: quemadmodum ille alius, qui veste nuptiali exutus ad cœnam venit, & cum audisset, *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* nullum contra verbum dedit. Sic Matth. 22.
enim habes in textu. *At ille obmutuit.* Nam per portam, iudicum subsellia notari in scripturis sæpè aliàs monuimus.

Cæterùm in hoc loco nomine sapientiæ non virtutem, aut honestatem, vt sæpè aliàs: sed eam doctrinam, & rerum cognitionem, qua Principes, ac magistratus pollere debent, significari mihi compertū est. 22.
Itaque ait Salom. *Excelsa est stulto sapientia.* Vatabl. *Ardua est*, ait, *& difficilis ad illam cliuus*, atque adeò stultus ad eam satagere, & contendere præ otio, ac
B desidia non vult. Cæterùm si hæc interpretatio congrua esset, non stultum, aut insipientem, sed socordem, atque inertem Salomon hic adscripsisset. Melius Caietan. Isidorus Clarius, Rodolphus, & secundo etiam loco Iansenius, qui sic habent, *Excelsa est stulto sapientia*, id est, vir insipiens ita sublimem, & inaccessam putat esse sapientiam, vt ad illam se peruenire posse desperet, nō quidem labore deterritus, id enim inertiæ daretur, sed mentis suæ captu, & angustiis: ratus, scilicet, nunquam futurum, vt tantam sapientiæ celsitudinem mente consequi possit: id enim insipientiæ proprium est. Et quidem Salomon non loquitur de illo, qui præ stupore, & stoliditate nihil prorsus addiscere potest, sed de eo, qui insipientiam
C affectat & vanis quibusdam difficultatū vmbris exterritus à sapientiæ studio seipsum arcet. At enim cur sapientia (quæ sæpè alibi profunda) hic excelsa dicitur? occurrit August. in Psal. 58. *Nam duplex*, inquit, August.
hominum genus est, qui ad sapientiam peruenire non possunt; superbi, ac pusillanimes. Est igitur sapientia erga superbos profunda, erga pusillanimes excelsa. Et quidem aptè, quia superbis, & elatis ideò sese in profundum demittit sapientia, vt constet superbos ad eam obtinendam fastum, & animositatem deiicere, ac seipsos ad humilitatis profunditatem deponere debere: At pusillanimis, quorum animus iacet, ac depressus est, sese eadem sapientia in sublime tollit vt ipsi etiam animum excitent, & ad eam capessendam mentem
D erigant. Et quidem nulla fortasse est, vel ad humilitatem inuitatio, vel ad magnanimitatem inflammatio maior, quàm hic sapientiæ locus, ac situs. Nam cùm tantus homini à natura inditus sit sapientiæ amor, atque impetus, sponte sua superbus, vt eam nanciscatur, ad profunda sese deiicit, & pusilli etiam animi vir ad eam quoque consequendam sese attollit, atque erigit: sed quid inde?

In porta non aperiet os suum. Porta quidem magi- 23.
stratuum ac iudicum subsellia notat. Itaque ait, quicumque affectata insipientia ad eam minimè aspirat, nullum præclarum magistratum obtinebit: sola enim sapientia ad istiusmodi munera gradus sternit. Itaque mens Salomonis est in hoc, & in superioribus locis,
E sapientiæ vtilitates, & emolumenta percensere, quæ videlicet siue ad domesticam rem augendam, siue ad bella fœliciter conficienda, siue ad publicos honores gerendos necessaria est. *Et in porta non aperiet os suum*, id est, nunquam pro tribunali sedens sententiam dicet. Vel aliter, etiam in propriis causis non audebit in subselliis dicere, ac res suas tueri. Quemadmodum ex aduerso de sapiente dicitur. *Non* Psal. 35.
confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta. Psalm. 35.

Ad extremum subiicienda est interpretatio Bedæ 24.
moralis. *Excelsa stulto*, &c. *Non potest*, inquit, *stultus* Beda.
ad sapientiam attingere, quia in infimis iacet vitiorum; qui, etsi in præsenti se aliquid sapere putat, in porta tamen ciuitatis, id est, in exitu huius vitæ, inueniet nihil fuisse,

fuiſſe, quod ſapuit. Quàm verò excelſa, & ſupra captũ hominis inſipientis, ſit hæc ſpiritualis ſapientia, vel ex eo deprehendere licet, quod ad illam contingendam ſeptem gradus ſatis difficiles ſternit Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 7. hi ſunt. *Timor Dei, pietas, dilectio Dei ſuper omnia, Conſolatio Spiritus ſancti, deſiderium rerum cæleſtium, mori ſæculo, ac tunc demum in ſeptimi gradus faſtigio eſt vera ſapientia.* Hos gradus latiſſimè perſequitur ibi Aug. quos ego compendij loco perſtrinxi. Iam intelligis quàm latè ſuos greſſus explicare, & quanta animi contentione aſcendere debeat quicumque hos gradus permetiri, ac ſuperare deſiderat.

Auguſt.

25. Succedat lectio Septuaginta, quæ locum iſtum cũm ſequenti magna ex parte connectit, *Sapientia, & cogitatio bona in portis ſapientum, non declinant ab ore Domini: ſed cogitant in conſeſſibus.* Quæ verba à Vulgatis longiſſimè abire videntur, ſententia tamen eadem eſt: quaſi dicat: In portis ſapientum, ideſt, in ſenatu, & ſubſelliis iudicum, ſeu magiſtratuum, ſcientia, & doctrina præſtantium, ſapientia ipſa præſidet, ac moderatur omnia, eiuſque auxilio iudices in ſententiis dicendis, nec latum vnguem diſcedunt ab ore Domini, hoc eſt, à legibus, & ſtatutis, quas Dominus ore ſuo denunciauit. In his verò vbi lex nihil ſanxit, ſed iudicis arbitrio tranſigenda ſunt, non temerè iudicant, ſed longa cogitatione iuſtitiæ momenta librant, & ſic demũ ſententias iuſtiſſimas pronunciant. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem docet in magiſtratibus, ac Dynaſtis ſapientiæ plurimum requiri ad leges interpretandas, & cùm leges non ſunt, ad iuſtò arbitria ferenda, atque adeò, quicumque ipſorum honores aſſequi volet, ad ſapientiam contendere, & eniti debere.

Chaldæus vero ſic conuertit. *Murmurat ſtultus aduerſus ſapientiam,* &c. Quia nimirum cùm eam conſequi non poſſit, de ipſa detrahit, & illius claritatem, & ſplendorem verbis extenuat. Ita enim fert hominum ingenium, vt ea quæ ignorant, blaſphemiis proſcindant, Iudas in Canonica. *Hi autem quæcumque quidem ignorant blaſphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam bruta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* Ergo quia excelſa nimis eſt ſtulto ſapientia, ideò illam ſuis obloquutionibus deprimere, ac deiicere contendit: Subdit,

Iudas.

26. *Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur.* Hęc (ſi excipias Septuaginta Interpretes) reliqui à ſuperioribus exſoluũt, ac nouã illis ſententiã ſubeſſe putãt. Si ergo Vulgatæ lectionis ſonũ teneamus, ſententia eſt luculenta ad hunc modum. Quiſquis aliquid ſapiẽtiæ, aut doctrinæ nactus, id totũ ad ſcelera perpetranda impẽdit, is ſanè non ſapiens, ſed inſipiens planè, ac ſtolidus vocari debet. q. d. ſapientiæ nomẽ neutiquã fert docta quædam ad ſcelera perpetrẽda verſutia, & calliditas, (hoc enim eſt propriũ iſtius degeneris ſapiẽtię nomẽ) hinc Chaldaïca paraphraſis. *Qui cogitat malè facere, vocabunt eum habentem aſtutiam peſſimam.* Aſtus enim & calliditas in hoc differunt à ſapiẽtia, quod hæc ad bene viuendum hominem inſtruit, illa verò ad ſcelera impunè patranda eundem perdocet.

27. *Caiet.* Quod ſi origines perſcrutemur, aliæ atque aliæ ex his emicabunt interpretationes. Caiet. quidem ſic locum extulit. *Cogitantem ad faciendum malum illum herum cogitationum malarum vocabunt.* Is ſcilicet, qui cogitationes ſuas ad ſcelus aliquod admittendum ſeriò adhibet, earum quidem herus, ac Dominus vulgò habetur, quia illi ſuæ ipſius cogitationes, & conſilia famulari, & obſequi videntur ad ſucceſſum. Nam qui ad malè faciendum ſtudia, & cogitationes adiiciunt ſuas (neſcio quã mala eorum pernicie) fere voti compotes euadunt; cuius rei rationes aliquas offert. Caietanus: tùm quia ipſe qui deliberat ad malum procliuior eſt, atque adeò maiori ſtudio de malo, quàm de bono cogitat: tùm etiam quia malum plures patronos habet: miniſtri quoque libentiùs vitiis famulantur, quàm virtutibus. His ergo, atque aliis auxiliis, qui mali aliquid committere apud ſe ſtatuerunt, animi ſui decretum facilè perficiunt, atque adeò malarum cogitationum heri, ac domini dicuntur. Poteſt etiã hæc lectio differentiam expreſſius notare, quæ bonam inter cogitationem, quam ex Dei auxilio, & gratia obtinemus, & malam, quam aut diabolus ſuggerit, aut noſtra etiam concupiſcentia ſuadet, intercedit: illa enim bona cogitatio in noſtra poteſtate non eſt, atque adeò illius heri, atque domini nequaquàm ſumus: at mala cogitatio noſtræ ſubiacet poteſtati, quia & illam nobis accerſere, & illi etiam obſequi per naturæ vires licet. Hæc autem eſt præcipua ratio, propter quam faciliùs homines mala, & turpia, quàm bona, & honeſta exequi ſolent.

28. Aliter etiam locus iſte ſecundùm præmiſſam lectionem explicari poteſt. *Herus,* aut, *Dominus ſuarum cogitationum vocabitur,* ideſt, qui mali aliquid facere apud ſe conſtituit, hic quidem ſuarum cogitationum dominium habet, ideſt, non fato aliquo, aut violenta lege ad malum compellitur, nam cuicumque malæ cogitationi occurrere poteſt homo, atque eam refellere. Quid certius? Rurſus licet etiam alio modo illa verba replicare, iuxta ea, quæ de vi, atque ſignificatione huius Hebraiſmi ſuprà non ſemel dixi, vbi ſimiles loquutiones libraui, hæc ſunt *Dominus doni, Dominus alæ,* de quibus ſic ſtatuebam, *Dominum alæ* dici ad volandum celerem, & *doni Dominum,* liberalem, & profuſum appellari. Ergo ad eundem modum hîc *Dominum malarum cogitationum,* dictum exiſtimo eum, qui maxima cõtentione aliquid cogitat, eum ſcilicet, in quo cogitatitiones, malum ſuadentes, dominantur, ſicut *Dominus doni,* aliàs dicitur ille, in quo liberalitas excellit, & ſic de aliis. Quantum verò ſit dominium cogitationum ſiue ad bonum, ſiue ad malum, eruditè, ac lepidè D. Auguſtinus in Pſal. 148. *Facta,* inquit, *de cogitatione procedunt, nec quiſquam poteſt aliquid facere, vel ad aliquid agendum membra mouere, niſi primò præceſſerit iuſſio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quidquid iuſſerit Imperator per imperium Romanorum emanat, quidquid videtis agi per Prouincias. Quantus motus fit ad vnam iuſſionem Imperatoris intus ſedentis? Mouet ſolum ille labia dum loquitur, & mouetur omnis prouincia cùm fit, quod loquitur; ſic, & in vnoquoque noſtrum intus eſt Imperator, intus in corde ſedet,* &c. id eſt, cogitatio bona, vel mala.

Auguſt.

29. Sunt etiam qui legant, *Illum coniugem,* aut, *Virum ſuarum cogitationum vocabunt.* Et quidem non ineptè ſuarum cogitationum coniux dicitur, qui eiſdem nimis adhæret. Itaque ſenſus erit, quicumque mali aliquid perpetrare apud ſe ſtatuit, huic cogitationi tãto ſtudio adhærere ſolet, vt ab illa diſtrahi perdifficilè queat. Sicut n. matrimonium pactum ſolui difficile eſt, ita etiam homo peſſimæ alicui cogitationi addictus à ſuſcepto conſilio reuocari vix poteſt. Non abhorret hoc à vulgari loquendi modo, nam homines ſuis conſiliis deditiſſimos dicimus. *Que eſtan caſados con ſu parecer,* ſed iſtiuſmodi nuptiæ quid tandem pariunt? Hinc certè infœlici partu naſcuntur furta, peculatus, adulteria, periuria, & omnigena ſcelerum turba. Et quidem huic vxori, ideſt, malæ cogitationi, cum qua homo, velut coniux copulatur, tanta vis pariendi, & fœcunditas tanta ineſt, vt ſæpe geminos, aliquando etiam plures vno nixu edat, id enim cogitationi proprium eſt, vt vno in opere externo multa ſimul peccata cogat, dum ſingula obiicit voluntati, & eidem proſequenda tradit. Ideo ſubdit.

9. Cogi-

9. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt, & abominatio hominum detractor.*

30. COgitatio, &c. Hebr. *Cogitatio mala ſtultitiæ peccatum, & abominatio homini deriſor*, ſubeſt hîc vox illa לץ *Letſ*, de cuius vi nõ ſemel alibi ſignificat enim *deriſorem, peſtilentem*, aut *peſtem*. Pagnin. *Cogitatio mala hominis ſtulti peccatum eſt*. Vatabl. *Facinus hominis ſtulti peccatum eſt, & irriſorem abominantur homines*. Chald. *Aſtutia ſtulti peccatum eſt*, &c. LXX. partem ſuperioris ſententiæ huic adſtringunt, atque adeò hc conuertunt. *Indiſciplinatis occurrit mors, moritur autem imprudens in peccatis*. Illa verò extrema verba. *Et abominatio hominum detractor*, ſic extulerunt. *Immunditia autem viro peſtilenti*. Sed hæc verba cum ſubſequenti verſu connectunt, vt ibidem dicemus.

Ianſenius, & Rodolphus præmiſſa verba ſic exponunt. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt*. i. ſtultitia homini cogitationes peccandi aſſiduò ſuggerit: hoc enim differt ſapientia à ſtultitia, quod illa bonorum operum cogitationes immittit, hæc autem malorum. Non diſplicet hæc interpretatio. Rodolphus ſecundã etiam expoſitionem affert. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt*, ideſt, tanto ſtudio ſuis cogitationibus obſequitur, vel tanta vi ab eiſdem impellitur, vt cùm ſemel mala cogitatio delinquendi ſubiit animum, peccatum, & delictum pro admiſſo iam & perpetrato haberi debeat. Quaſi dicat, nunquam reſiſtit, vel occurrit malis cogitationibus, ſed illis ſemper ad nutum paret. Nam inter ſapientes, & inſipientes, inter probos, atque improbos, quod attinet ad primos cogitationum motus, nihil certè intereſt, vtrique enim malis cogitationibus tanguntur: hoc ſolùm diſtant inter ſe, quod improbi prauas cogitationes animo libenti excipiunt, & eiſdem parent: probi autem, ac iuſti, ſtatim in aditu ipſo eas perimunt, ac refellunt, quos ſatis aptè ſignificauit Chryſoſtom. hom. 4. in Geneſ. vbi ſic ait. *Iuſti primam quamque malam cogitationem ſtrangulant, improbi autem eandem excipiunt, atque alunt*. Et quidem aptè admodum dixit cogitationem improbum ſtrangulare oportere: quia tunc cùm caput in animum miſit, id eſt, primum motum, præfocanda eſt antequam ſe totam ingerat, & mentem vndequaque occupet; tum etiam quia quemadmodum nulla eſt facilior, aut præſentior mors, quàm ſtrangulatio, ita etiã nulla ratione facilius, aut præſentius cogitationes malæ perimuntur, quàm ſi ſtatim cùm caput inſerunt, quaſi compreſſo iugulo, præfocentur: & ſi licet à ſuſcepto themate tantiſper exorbitare, nonnemo *ſtrangulandi* metaphoram ad temperantiam retulit, ſtrangulare enim perinde eſt atque gulam, & fauces adſtringere. Ergo cùm conſtet per gaſtrimargiam, & intemperantiam cibi, & potus, peſſimas quaſque in animo excitari cogitationes, tunc certè malæ cogitationes ſtrangulari, ac præfocari dicentur, cùm per temperantiam, & inediam gula conſtringitur; atque adeò illis mors præſentiſſima infertur. Et quidem ſi hæc non ineptè dicta alicui videantur, poterit quidem verbum illud *ſtrangulo*, eodem modo de loquacitate coërcenda interpretari, ita vt ſtrangulari ſit, fauces adſtringere, vt verbis exitus præcludatur. Nam ex immoderato etiam linguæ vſu prauæ cogitationes multò plures in animum ſubeunt, quàm ex intemperantia, & gaſtrimargia. Hinc autem ſterni poteſt gradus ad ſequentem ſententiam.

31. *Et abominatio hominum detractor*. Ita vt ſenſus ſit. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt*. Sed cur cogitatio iſta tanta vi hominem ad peccatum pertrahit? Ratio eſt in

A promptu; Quia non ſtrangulatur, quia fauces, hoc eſt loquendi licentia non coërcetur, ac cõprimitur. Sed in detractiones, obloquutiones, & irriſiones lingua ſoluitur, quæ præterquam quod ipſas cogitationes ad ſcelera perpetranda mirum in modum exacuit, hominibus ingratæ valde, atque inuiſæ ſunt.

Cæterum (ni fallor) alia eſt Salomonis ſententia in hoc loco. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt*. i. peccatum ſæpius in ipſa mala cogitatione perficitur, etiãſi ad opus externum non prodeat. Eiuſmodi autem peccata ſtultis, & inſipientibus valde familiaria ſunt. Quaſi dicat: ſtultus, etiam cùm operis mali perpetrandi copia non eſt, ſola animi cogitatione, & deſtinatione grauiter delinquit. De his perelegãter D. Auguſtin. in 32.

B Pſalm. 93. *Hi ſi per infirmitatem perſonæ ſuæ, vel animi timent mala facere, ne aliquid illis ſecundum leges ſæculi mali accidat, abſtinent ſe quidem à factis malis, ſed nõ à cogitationibus malis, & inter cogitationes iniquas præcipuè caput iniquitatis illa tenet iniquitas, quod videtur Deus illis negligere, & non curare res humanas, & alia dehinc multa mala cogitant. Qui ergo talia cogitat, etſi nihil mali alicui faciat, facit plurimum ſibi, & in ſemetipſum impius eſt, & iniquitate ſua non lædit Deum, ſed interficit ſe. Ergo homicidia eorum, adulteria eorum, fraudes, & rapinas eorum videt Deus, & punit in cogitationibus eorum*. Et infra. *Tales ſi occaſiones inueniant, non mali fiunt, ſed manifeſtantur, non vt ſcias, quid denuo factum ſit manifeſtum; ſed quid iam ibi latebat incluſum*. Et poſt pauca ſubiicit elegãtem ſimilitudinẽ.

C *Lupus, inquit, tantum vult cogitatque nocere, quantum leo, & licet diſſimiliter noceant, non tamen diſſimiliter cupiunt. Leo enim non tantum contemnit canem latrantem, ſed etiam fugat, & venit ad ouile, & obmuteſcentibus canibus rapit, quod poteſt: lupus verò non audet inter latratus canum. Nũquid propterea, quod non potuit auferre à canibus territus ideò innocentior remeauit? Minimè verò: qui enim ex timore non nocet, non eſt innocens, quamuis non noceat, cùm vult nocere*. Hæc ſanè perſpicua ſunt.

Sed qua ratione, inquies, hæc prior pars cum ſequentibus cohæret? Ego quidem ita reor Salomonẽ 33.

D loqui de his, qui proximis damna dare cupiunt, ſed tamen cum reipſa hæc damna inferre non poſſint, illa quidem cogitant, & decernunt apud ſe, & quos factis lædere non poſſunt, ſaltẽ verbis violare contendunt. Vtrunque ergo taxat, & coërcet Sapiens. *Cogitatio*, inquit, *ſtulti peccatum eſt*, id eſt, ſola cogitatio, & decretum nocendi lethalem culpam continet, etiamſi reipſa non noceas: atque adeò id tibi accidit, quod ſtatim attexit Auguſt. *Hic non nocet alteri per effectũ malum, ſibi autẽ plurimum per cogitationem mala. Nam quomodo ſibi noceat, audi ſcripturã. Qui autẽ amat iniquitatẽ, odit animã ſuam*, &c. Et ſupra, *Et ſi nihil mali alicui faciat, facit plurimũ ſibi, & in ſemetipſum impius eſt*. Meritò ergo hũc ſtultum appellauit Salomõ, qui damna alterius cogitans, illi quidẽ paruit, ſibi autem

E vulnus infligit. Deinde verò ad eum ſe conuertẽs, qui non audens, aut non valens proximo reipſa, & factis damna inferre, eundẽ conuitiis, ac detractionibus petit. Sic addit. *Abominatio hominum detractor*. Quaſi dicat: detractoris etiam ſimilis eſt conditio; nam cum ſuis detractionibus inuidiam, & odium aduerſario conciliare velit, ipſe quidem omnium odium, & deteſtationem ſibi accerſit: omnibus enim perquàm inuiſus eſt detractor. Itaque eam plagam, quam hoſti intentat, ſibi prorſus infligit.

Tranſlatio verò LXX. alium ſenſum reddit. *Indiſciplinatis occurret mors, moritur autẽ imprudẽs in peccato*. Itaq; eos, quos textus originalis *Suarũ cogitationũ dominos*, aut cõiuges appellauit, vt in ſuperiori verſu diximus. Septuag. indiſciplinatos nuncuparũt, hoc 34.

eſt

Chryſoſtom. Auguſt.

eſt indociles, doctrinam, & diſciplinam refutantes. Et quidem aptè, nam qui ſuis prauis cogitationibus, aut opinionibus conſtanti quadam hæreſi addicti ſunt, licet ſic appellare. *Gente caſada conſuparner :* ægrè admodum dediſcunt ea, quæ iam inde animo inſederũt, & ad nouas ſententias difficilè flectuntur. His ergo indiſciplinatis, & indocilibus *Mors occurrit*, inquit, Salomon. i. morti iam ſunt deuoti, ac deſtinati. Quaſi dicat : non tam ipſi in mortem incidunt, quam mors in illos per quandam præoccupationem, & quaſi præiudicium incurrit. Nam cum omnem iam ſaluti aditum præcluſerint, etiã cum viuunt mortuis iam adiudicantur, & res ipſa præiudiciis reſpondet. *Nam moritur imprudens in peccato.* i. in peccatis ſuis tandẽ decedit. Hos ergo indociles, & ſuis ſententiis, ac opinionibus addictiſſimos homines, ſic deſcribit Auguſt. in Epiſt. 173. contra Arrianos. *Homines minùs intelligentes, quid propter quid dicatur, potentes volũt habere ſententias, & cum arripiunt defenſionẽ cuiuſquam opinionis, ab ea, vel nunquam, vel admodum difficile deflectuntur, dum docti, & ſapientes magis putari, quàm eſſe concupiſcunt.* Has verò tam obſtinatas ſententias à diabolo ex inuidentia immitti docet Auguſt. de ciuitate lib. 6. c. 3. *Maligni*, inquit, *ſpiritus, noxias opiniones, quibus anima humana magis, magiſque vaneſcat, & incommutabili, æternaque veritati coaptari, & inhærere non poſſit, inuidentia mirabili, & occultè inferũt cogitationibus impiorum, & apertè aliquando inferunt ſenſibus, & quà poſſũt fallaci atteſtatione confirmant, vt eas mordicus teneant.* Pende illa verba, *Inuidentia mirabili.* Nam cùm diabolus praui animi ſui decretis, ac ſententiis tã pertinaciter adhæreat, inuidẽtia inductus grauiter fert hominum docile ingenium, atque adeò illos, ad ſimilẽ obſtinationem trahere contendit. Vnde idem Aug. ſupra poſtquam dixit ex indocilitate obſtinationem, & indurationem, ex hac verò hæreſin effluere : addit tandem indociles iſtos, & indiſciplinatos homines, dæmones, & eorum inflexilem indomabileque mentem æmulari. Quid mirũ ergo ſi in mortuorũ, & dãnatorum cenſum iam olim referantur hi, qui dæmonum ingeniũ in ſe exprimentes ad eos pertinere exiſtimandi ſunt, atque adeò cum ipſis computari debẽt?

35. Alias verò lectiones non valde curandæ ſunt, quia ita prius hemſtichium reſtituunt, vt cum poſteriori vix conſui poſſit. Ex hoc genere eſt illa Vatabli tranſlatio. *Facinus ſtulti peccatum eſt*, ideſt, ſtultus inter ſua facinora, & res præclarè geſtas peccata numerat, ac vendicat. Sed quorſum attexit, *Abominatio hominũ detractor?* Nexus me fugit. Huic adſimilis eſt paraphraſis Chald. *Aſtutia ſtulti peccatum eſt*, ideſt, ſtultus tunc cùm aſtutiſſimus ſibi videtur prorſus deſipit, quia aſtum in peccatis perpetrandis ponit. Sed hoc etiam cum ſequentibus non concinit.

---

10. *Si deſperaueris laſſus in die anguſtiæ, imminuetur fortitudo tua.*

36. Si deſperaueris, &c. Heb. ad verbum. *Remiſſus fuiſti in die anguſtiæ, anguſta fortitudo tua.* Caiet. *Si laxaſti in die anguſtiæ*, &c. Vatabl. *Si remiſeris in ipſo neceſſitatis articulo, anguſta eſt fortitudo tua.* Chald. *Si remiſeris in die tribulationis, arctabitur fortudo tua.* LXX. ſuperioris verſus magnam partem ad hanc ſententiam euocant, ſic enim conuertunt. *Immunditia autem viro peſtilenti, inquinabitur in die mala, & in die tribulationis quoad vſque deficiat.* Symmach. *Ceſſare quaſi deſperantem in hora tribulationis, tardi, atque ignaui eſt.* In Vulgatis codicibus ante Vaticanam correctionem ſic olim erat. *Si deſperaueris lapſus.* Sed meritò hoc mendum emaculatum eſt, & Vulgata ad origines reuocata, in quibus eſt venuſta ſatis nominum deflexio

A inter צרה *Tſarah*, & צר *Tſer*, ex eadem radice צור *Tſur*, ideſt, *anguſtum eſſe, & arctari.*

Huius loci diſſimiles valde interpretationes offerunt doctores, perſtringam ſingulas. Rodolf. h. vt verba hæc cũ ſequentibus cohæreant, in quibus de miſericordia ſermo eſt, hanc à Salomone tradere putat. 37.
Si remiſſus fueris in die anguſtiæ, anguſta erit fortitudo tua, hanc lectionem amplectitur, eamque ſic ediſſerit, ſi proximo in anguſtias coniecto, aut tribulationibus depreſſo præ remiſſione, & ſocordia opitulari nolueris, ad ſimiles anguſtias redactus deficies, & à robore, & fortitudine tua excides: ſic. n. ferunt diuinæ prouidẽtiæ leges, *vt in proximis noſtram beatitudinem, & fœlicitatem veluti preludamus*, ait Aug. ſerm. 20. de
B tempore. Præludere autem nihil aliud eſt quam per luſum, & iocũ ea meditari, & experiri, quæ poſtmodum ſeriò perfici oportet: hinc præludia militaria dicuntur bellica exercitamenta, quibus in gymnaſio tyrones edocentur ad caſtra, & in omni arte præluſiones dicuntur, cũ in rudi materia noui artifices ſuã periclitantur induſtriam, & peritiam. Ergo cùm ait Aug. *In proximis noſtram fortunam, & fœlicitatem præludium*, hoc ſibi vult, quoties proximis noſtris ex animo ſubuenimus, præludia quædam noſtræ fœlicitatis agimus; nam quæ nos in rudi materie. i. in bonis tẽporalibus erga pauperes, quaſi per luſũ exhibemus, hæc Deus in ſpiritualibus ſeriò erga nos poſtea imitatur. Quapropter quemadmodum nos in pauperes, August.
C ſeu parci, ſeu liberales in caducis, ac temporalibus exiſtimus; ita viciſſim Deus ſe in nos liberalem, aut parcum in ſpiritualibus præbet, ita vt pretioſa hæc rudi illi materiæ omnino reſpondeat.

Hæc ergo Salomonis mens in hoc loco, *Si remiſſus fueris in die anguſtiæ, anguſta erit fortitudo tua.* Si enim temporalia auxilia proximo nõ impenderis, auxiliis etiam ſpiritualibus deſtitutus caſſâ fortitudine concides in aduerſis. Huc ſpectat etiã Maximus ſer. 45. verba illa perpendens. *In menſura, qua menſi fueritis remetietur vobis. Noſtra*, inquit, *beneficentiæ per omnes ſuas dimenſiones diuina exæquatur beneficentia.* Dimenſiones omnes appellat, latitudinem, longitudinem, altitudinem, atque profunditatem, quas in mi- 38. Maximus. Matth. 7.
D ſericordia adinuenire non eſt difficile: tunc enim lata eſt miſericordia cùm ad plures peruenit, tunc longa cùm liberalis valde ac profuſa (nam beneficos lõgimanos appellamus:) tunc etiam alta eſt, cùm non modo temporalia auxilia, ſed etiam ſpiritualia adminiſtrat; tunc demum profunda eſt cùm humilitatem ſibi ſociam adiungit, & cùm opus eſt, infirma etiam officia proximis impendit. Has igitur noſtræ miſericordiæ, ac beneficentiæ dimenſiones Dei erga nos miſericordia, & beneficentia in ſemetipſa exprimit (inquit Maximus) atque latam, longam, ſublimem, & profundam eadem menſura nobis ſeſe præbet, qua noſtra liberalitas erga mendicos ſeſe exhibuit. At quomodo, inquies, has omnes menſuras diuina bene-
E ficentia capit? haud diſpari certè ratione. Nam eatenus longa eſt diuina clementia, quatenus non parcè, ſed effuſè admodum, & copioſè largitur bona ſua; propterea etiam lata eſt, quia nõ ipſum modò virum beneficum, & miſericordem, ſed eius etiam filios, nepotes, ac poſteritatem omnem attingit, dicente ſcriptura Pſalm. 36. *Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen illius in benedictione erit.* Denique ideò alta eſt, Pſal. 36.
atque profunda, quia non modò ſpiritualia, quæ per ſe ſublimia ſunt, ſed etiam temporalia, quæ in infirmis numerantur liberaliter impendet. Ab his ergo ad Salomonis verba gradum faciamus. *Si remiſſus fueris in die anguſtiæ.* Si videlicet cùm proximus ad anguſtias redactus fuerit, auxilia non impenderis, *anguſta erit fortitudo tua*, (liberales nonnũquam ſcriptura fortes

fortes appellat, vt supra obseruauimus ad illa verba. *Manus autem fortium diuitias parat*, cap. 10. & iterum, *Manus fortium dominabitur*. cap. 12.) Ergo cùm ait. *Angusta erit fortitudo tua* sic accipe, idest, liberalitas tua perangusta erit, nam quid angustius, quidve arctius, & contractius ea beneficentia, quæ homini cuipiam ad angustias maximas redacto non succurrit, cùm possit: Is ergo, qui suæ misericordiæ mensuras tantopere arctauit, & contraxit, diuinam erga se clementiam eadem mensura arctam, & contractam experiri cogetur. Sed quamuis hæc expositio ad cohærentiam cum sequenti versu non sit insulsa, tamen quia Vulgatæ lectioni ęgrè admodum adaptari potest, non mihi probatur.

39. Caiet. Secunda interpretatio est Caietani, qui locũ istum sic extulit. *Si laxasti in die angustia, angusta erit fortitudo tua.* Si videlicet angustiis, & laboribus pressus ad eos propulsandos laxamenta animi, & solatia externa aliquando vestigasti, tuæ constantiæ robur facilè elidetur. Et quidem ita se res habet, & experientia duce cognouimus eos, qui ad labores, & molestias fallendas humana solatia adhibent, non tam animos recipere, quàm despondere; quia omnis humana voluptas animi neruos, & lacertos frangit, & totum hominem demulcet. Hoc enim interest inter sanctam, & humanam delectationem, quod hæc exanimat, illa inanimat hominem; hæc exarmat, illa armis omnibus instruit: autor huius discriminis est Chrysost. hom. 1. in 2. Epistol. ad Cor. *Is*, inquit, *qui spirituali gaudio fruitur, à mœrore arripi non potest, sed probe vndique armatus ingruentia omnia tela propulsat, etenim quibusvis armis valentior est voluptas ea, quæ secundum Deum percipitur.* De illo verò, qui externas voluptates sectatur, & internis caret, hæc verba interserit. *Contra verò, qui terrenis voluptatibus affluit, à quibusuis arripi, & expugnari potest, ac perinde ei accidit atque illi, qui imbecillibus armis instructus est, ac vel leuissimo ictu sauciatur.* Aptè igitur Salomon *Si laxasti in die angustiæ, angusta erit fortitudo tua.* Nam qui animum terrenis delectationibus laxat (liceat sic dicere) eiusdẽ animi armaturam laxat, & soluit, illumque inermem reddit. Quapropter quærenda potius, ac studiis omnibus vestiganda illa, quæ secundùm Deum est voluptas: hæc enim armatura est valde fortis ad retundendos laborum, atque ærumnarum ictus.

40. Vatabl. 3 Expositio ex Vatabli. *Si remiseris in ipso necessitatis articulo, angusta erit fortitudo tua*, idest si instante labore aut calamitate aliqua, tũc cùm vires aduocare & animum confirmare oportet, tu contra vires, & animum abieceris tribulationis pondus ferre non poteris. Itaque docet Salomon tunc maximè cùm vrget tribulatio, vires, & animum contra afferre oportere. Nam si quis tunc cesserit, & calamitas superior esse, & hominem corripere cœperit, illum demum suis fluctibus inuoluit. Huc spectat illud Poëtæ.

Virgil. *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.*

Ire autem contra labores, si spiritualiter capiatur, nihil aliud est, quàm illos sponte aggredi, & lacessere; qui enim tantummodò sperat incidentes labores, facilè ab eorum impetu trahitur: qui verò contra illos audacter fertur, & enititur, eos etiam impetu suo conuertit, ac fugat.

Clarius. 4 Expositio est Clarij, qui illud, *Si remiseris* ad sapientiæ studium refert hoc sensu. Si in paranda sapientia remissus, ac deses fueris, posteriora autem verba sic nectit. *In die angustia angusta erit fortitudo tua*, idest, cùm grauior aliqua tribulatio inciderit, fortitudo tua oppressa deficiet. Itaque significat fortitudinem roburque ad tolerandas æquo animo calamitates, si absit sapientia, parum constantem esse, atque adeò in opportunitate concidere solitam.

Posset etiam quispiam illud, *Si remiseris*, ad inertiam, & socordiam referre hoc sensu. Si longo tempore in desidia fueris nullis laboribus exercitus, *In die angustia angusta erit fortitudo tua*, i. grauiori aliqua calamitate subito ingruente fortitudo tua prorsus corruet. Hinc Paulus, *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur*, ad Rom. 5. & Iacobus, *Scientes quod probatio vestræ fidei patientiam operatur.* Vtriusque autem vna mens est; nimirum homines tribulationibus in dies exerceri ad patientiam, & fortitudinem, vsu laborum confirmari, quemadmodum ferrum malleorum ictibus densius fit, ac robustius. Hoc argumento Chrysost. Iobi fortitudinem exaggerat, & eam miraculo similem esse dicit, quod nullis antea calamitatibus exercitius, tãtam, tamque subitam fortunæ commutationẽ sustinere potuerit. Nam Hom. 5. de ipsius patientia sic scribit. *Id quidem eò intolerabilius, quod incogitato sibi omnia inexpertoque ingruerunt. Nam qui à parentibus egenis, aliquo in domo nutritus est, quod, & exercitio eadem, & cogitatione pensauerit, facilè onus paupertatis tulerit: iterum qui liberos amiserit, tametsi omnes amiserit, non tamen vno, atque eodem tempore, reliquos solatio abeuntium tenet, atque prioris amissionis deficiente dolore, si secũda post aliquod tempus amissio acciderit, id sibi tolerabilius fiet malum, non enim vlceri obuiat recenti, sed dormienti iamdudum, & extincto, quod non parum doloris amputat.* Subdit deinde Chrysost. Iob. contra euenisse, nam ex summa fortuna, ad misertimam egestatem subitò deiectus est; & filios simul etiam omnes amisit. Sed tamen hæc patientiæ portenta sunt. Nos quidem laboribus ad patientiam exerceri, & robur nostrum vsu calamitatum confirmari in maximis Dei beneficiis numeremus; vt cum grauior inciderit calamitas à constantia, & fortitudine minimè excidamus. — 41. Rom. 5. Iacob. Chrysost.

Quintam interpretationem exhibet Iansenius, qui propiùs ad Vulgatam lectionem accedens sic locum istum edisserit. *Si desperaueris lassus in die angustiæ*, id est, si incidente calamitate, aut tentatione animus diuturnitate lassus defecerit per impatientiã, id quidem nõ ex calamitatis magnitudine prouenit; sed ex eo, quod tua fortitudo, & constãtia valde exigua est. Hunc ad sensum allicienda sunt extrema illa verba, *Imminuetur fortitudo tua*, quasi dicat, si desperaueris, ideò certè desperabis, quia imminuetur fortitudo tua, id enim tuo vitio, non calamitatis grauitate continget. Huc spectat Chrysost. hom. 44. ad Populum, vbi eos increpans, qui suæ ruinæ culpam omnem in tribulationis magnitudinem referebãt sic addit. *Quid igitur de his dices, qui frequenter ab incidente tribulatione subuersi sunt? quod non sit tribulationis opus subuersio, sed eorum imbecillitatis. Neque enim, si quis infirmum habens stomachum, amaram non accipiat medicinam ipsum curare valentem, sed potius atteratur, medicinam non accusabimus, sed membri infirmitatem, ita, & hic mentis facilitatem, Etenim à tribulatione subuersus multo magis hoc à remissione pateretur. Nam si ligatus cadit (hoc. n. est tribulatio) multo magis lasciuè viuens.* Sed licet hæc interpretatio superiores ex eo vincet quod ad sensum Vulgatæ lectionis lenius fluat, tamen non omnino sponte ad illum allicitur. — 42. Iansen. Chrysost.

6. Igitur interpretatio est Bedæ, Hugonis, Lyræ, & aliorum, qui hæc verba, vt sonant, de animi desperatione accipiẽda esse dicũt. Ita vt sensus sit, *Si desperaueris in die angustia*, &c. i. si videlicet in tribulationem incidens spẽ abieceris, fortitudo, quæ ab spe constantiam, & firmitatẽ accipit, omnino deficiet, ex quibus sic Beda. *Nihil execrabilius desperatione, quam qui habuerit, & generalis huius vitæ labores &, quod maximè nocet in fidei certamine constantiam fortitudinis perdit.* Ambros. in Epist. 1. ad Thessal. cap. 2. *Omnis*, ait, *qui sine* — 43. Beda. Ambros.

sine spe egerit, exorta tribulatione succumbit, & idem *spem, patientiæ radicem* appellauit, quæ verba paulò ante expendimus. Et quidem spei ad tollendos labores duo sunt auxilia. Nam primo labores ipsos extenuat. Chrysost. hom. 67. in Gen. *Bonam*, inquit, *eius spē auget, ita vt expectatione alleuientur. Nam spes bona huius vitæ labores semper imminuit, deinde vires roborat, & confirmat, non animi solum, sed etiam corporis.* Chrysost.
August. August. de quantitate animæ c. 22. *Nam etiam in magno metu cum aliqua spes subest, maiores vires apparere solent, eadem autem desperatione retunduntur.* Igitur duo ista auxilia tollit desperatio, & duo item alia apposita mala inuehit; nam, & vires retundit, & calamitates ipsas adauget, &c.

44. Sed licet hæc aptè dicta sint, tamen aliam in his verbis sententiam delitescere arbitror, quam iam subiicio. *Si desperaueris lassus in die angustiæ imminuetur fortitudo tua.* i. si quando in difficultate aliqua, seu calamitate lassescit semel, ac succumbit animus, iam deinceps nihil magnum audet, sed obiecta leui difficultate deterritus cedit. Itaque mens Salomonis est, ne semel quidem in difficultatibus, aut laboribus animum despondendum esse, nam is, qui aliquando in difficultate aliqua manus dedit, quantumuis postea vires & animos aduocet, timore perculsus ad leuissimos etiam malorū occursus cōteritur, de his perelegantcr D. Chrysost. in serm. contra desperationem. Chrysost.
Mihi, inquit, posse videtur horum hominum timiditatem cum stuppa aliqua flammescente conferri, quando post incendium mox illa inflatur, ac surgit; postmodum verò leuiori quodam tactu dissoluitur omnis in cineres tenuissimos. Eiusmodi sunt istorum animi, quorum tumores, & inflatos spiritus quilibet aduersus casus comprimere, ac disturbare poterit, est enim necesse eum, qui semel ex desperatione concidit, debilem deinceps esse, atque infirmū.

45. Sept. Ad extremum de translatione Sept. aliquid dicendum est. *Immunditia autem viro pestilenti, inquinabitur in die mala, & in die tribulationis quoad vsque deficiat.* Cùm *pestilenti* in originibus respondeat *detractor*, ac *derisor*, hæc verba ad detractores pertinere credo; neque abhorret hoc nomen ab ipsorum moribus. Nam de verbis detractorū sic Chrysost. hom. in Psal. Chrysost.
140. *Verba*, inquit, *improbitatis ea sunt, quæ faciunt dicentes improbos; quemadmodum enim est aër pestilens, & qui morbos procreat, ita, & verba; quod autem facit aër ille pestilens in corpore, id verba illa faciunt in anima.* Hæc ille, expendens illa verba. *Non declines cor meum in verba malitiæ*, ait ergo Salomon. *Immunditia viro pestilenti*, quæ respondent illis verbis, *Abominatio homini detractor*, & sensus est. Vir pestilens, seu detractor immundus vulgo habetur, atque adeo velut immundus, ac peste infectus à communi hominum cōsortio, & consuetudine remouetur, ne suorū verborum peste, ac veneno alios afflare possit. *Inquinabitur in die mala, & in die tribulationis, quoad vsque deficiat*, q.d. hæc immunditia, quę illi hominum odium, & inuidiā conciliat, continget quidē illi in tēpore aliquo difficili, & in maxima aliqua calamitate, vt omnium auxilio destitutus non secus deficiet, ac aliquis peste perculsus, qui cunctis infectionē illius vitantibus solus, ac separatus mori dimittitur. Et quidem hæc satis digna pœna est hominis detractoris, qui ad maledicta serenda hominum frequentiam captat, vt tamquàm immundus, ac pestilens ab hominum frequentia, & consuetudine repellatur.

11. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.*

46. ERue eos, &c. Hebr. *Erue captos ad mortem, & nutantes ad interitum prohibebis.* Pagnin. *Et qui labuntur ad mortem prohibebis.* Chald. *Redime eos, qui capiuntur ad mortem, & qui ducuntur ad interfectionem prohibe.* LXX. sic extulerunt extrema verba. *Et redime eos, qui interficiuntur, ne parcas.*

Omnium interpretum vna mens, qui existimant hîc suaderi misericordiā. *Erue*, inquit, *eos, qui ducuntur ad mortem*, vel, *qui capti sunt ad mortem*, vt habent Primitiua. Verbum *capti*, inquit, Caiet. iniuriam, atq; vim innuit: non enim sermo est de his, qui dignas pro suis sceleribus pœnas luunt; hos. n. morti eripere non semper laudabile; sed de illis, qui iniustè ad mortē rapiuntur: vt cohæreant hæc verba cum illis Psalm. 81. *Eripite pauperem, & egenū de manu peccatoris liberate.* Sed quibus auxiliis homo iste per iniuriam ad mortē
B ablatus, liberandus, ac vendicandus est, D. Ambros in Ambros.
Psal. 114. serm. 8. cùm incidisset in hæc verba, sic addit. *Eripe eum, qui ducitur ad mortem, hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia tu sacerdos, aut tu Imperator eripe subscriptione indulgentiæ, & soluisti peccata tua: Eruisti te à vinculis, vinculis enim peccatorum suorum vnusquisque constringitur.* Ex quibus liquet hæc non ad iudices, ac magistratus tantummodo spectare, sed etiam ad alios, qui homines illos morti deuotos quomodolibet tueri possunt, siue gratiâ, siue oratione, siue etiam sumptibus.

Et quidem (ni fallor) de hoc pecuniarum, ac sum- 47.
ptuum auxilio potissimum sermo est. Hanc vim habet translatio Chald. quæ sic locum extulit. *Redime*
C *eos, qui capiuntur ad mortem*, nec non etiā lectio Sept. qui extrema verba sic extulerunt, *& redime eos, qui interficiuntur, ne parcas.* Nam verbū *redime*, eam vim habet. i. oblato pretio, & cōpensatione vendica: illud etiam, *ne parcas* hunc sensum reddit. hac in re minimè parcus, & illiberalis esto; sed munificus, & profusus. Nam si bonus rerum ęstimator fueris, facultates tuas vitæ proximi tui facilè postponere debes. Itaque si verborum vim callemus, redemptionem captiuorum suadere videtur Salomon.

Caietanus posteriori hemistychio aliquid subesse 48.
contendit, quod sensum prioris euariet, sed leuior differentia, atque adeò eam supprimendam duxi. Beda, Hugo, Dionysius, & ex his alij, hæc verba spirituale
D ad sensum vocant, & ad doctores transferunt, quorū est doctrina, & exemplo homines à morte ad vitam reuocare, & à diaboli captiuitate vendicatos libertate Christiana donare. In his autem Beda sic habet. Beda.
Erue eos, qui ab Hæreticis decipiuntur, rectam fidē prædicando, liberaque bonorum operum exempla monstrando eos, qui à male viuentibus Catholicis trahuntur ad interitum. (Nota dissimilē doctrinæ atque exempli vim, doctrina quidem hæreticorum ducit, sed exemplum malorum trahit.) *Sed etsi quos in certamine persequutionis lapsos, vel lapsuros aspexeris, solicita hos exhortatione ad vitam restaurare satage: si quos fame perituros, si quos algere videris, illis dato victum, & vestitu recrea*, &c.

E

12. *Si dixeris: Vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.*

SI dixeris, &c. Hebr. *Si dixeris, an non nouimus* 49.
hunc, nonne librans corda ipse intelliget, & custodiens animam tuam ipse cognoscet? Caiet. *Quia dices nō sciuimus hoc: an non director cordium ipse intelligit?* Vatab. *Si dixeris, ecce ignorauimus illud; an nō cordiū artifex?* &c. Chald. absolutè promit. *Si dixeris, nō nouimus.*

Septuag. *Si autem dixeris nescio hunc, scito, quoniã Dominus omnium corda noscit, & qui figurauit spiritum omnibus, ipse nouit omnia, qui reddit vnicuique secundum opera eius.* Aquila. *Nonne ponderans corda ipse intelligit?* Lucifer. *Et qui figurauit spiritum omnibus illis.* Aquila, & Theod. concinunt cum nostris, in quibus id tantummodo difficile, qua ratione priora illa verba cum originibus cohæreant. *Si dixeris, vires non suppetunt,* pro quibus omnes interpretes. *Si dixeris, non nouimus hoc,* vel *hunc,* subest. n. לא ידענו זה *Lo Iadaghnu Zeh.* Certè non alia ratio occurrit, nisi quod verbum *Iadangh* duas capit significationes, videlicet *nosse,* ac *frangere.* Noster ergo interpres ad posteriorem fortasse significationem transferens sic ad verbum transferendū putauit. *Non fregi hoc,* atque adeo sensum excutiens ad vires retulit. *Vt res non suppetunt,* & si quidem de captiuis eruendis sermo sit, erit sententia, *non suppetunt vires,* supple, ad frangendum carcerem, vincula, aut quid simile.

50. Hunc versum cum superiori cohærere concordi cōspiratione docent interpretes. Præmittam aliquas eorum expositiones, quæ à nostra Vulgata discedūt. Caietan. Rodolphus, Iansenius, Clarius, & alij, priora illa verba, *Si dixeris, non noui hoc,* vel *hunc* (sic enim lectitant) hoc sensū donant. Si videlicet causaueris tibi nequaquam perspectum esse, an ille, qui ad necem rapitur, vel captus abducitur, commeruerit hoc supplicium, an non, ac propterea ad eum defendendum, aut redimendum nihil conferre vis, cogita hanc excusationem ab eo examinandam, & librandam, qui cordis, atque conscientiæ libellator, & explorator est, quem fallere nemo potest, quique meritis digna retribuit, siue præmium, siue pœnam. Hæc ille; quæ licet mihi non inepta videantur, tamen secundùm eam lectionem, quam etiam LXX interpretes amplexi sunt, locus (mea quidem sententia) aliter edisserendus est.

51. *Si dixeris, non noui hoc,* &c. hæc est prior translatio, si videlicet causaueris proximi tui calumniam, calamitatem, & ærumnam tibi non satis inoluisse, *Qui inspector est cordis, ipse intelligit.* Deus scilicet, cui corda nostra peruia sunt, verum id noueris, probè nouit. Vel, vt alij habent, *librans corda ipse intelligit.* Sane animi nostri affectiones, & voluntates, quibus res prosequimur eiusdem pondera appellari solent Hinc illud Augustini tritum prouerbium, *Amor meus, pondus meum.* Sic igitur accipe, *libras corda ipse intelligit.* i. Deus ipse, qui animarum nostrarum propensiones examinat, & quam in partē momentis suis pendeant, vel ad liberalitatem, vel ad sordes & auaritiam, probè nouit, ipsi quidem res hæc apprime cognita, & perspecta est. *Et seruatorem animæ tuæ nihil fallit,* hæc verba duplicem sensum capiunt: Nam *seruator* potest accipi quasi *obseruator,* vt sensus sit: Qui animi tui cogitationes, & internos motus attentissime obseruat, decipi nulla arte potest. Vel aliter, *seruator,* significat conseruatorem, hoc sensu. i. ei, qui animam, hoc est, vitam tuā incolumē seruat, quo beneficio ad aliorum animas vitamque tuendam te plurimū obstringit, impostutam aliquam facere nequaquam poteris. *Reddetque homini iuxta opera sua,* quia sic cum quolibet homine se gerit, prout ipse erga proximum se habet. si enim animam proximi seruauit, cùm posset, Deus vtique illius animam, vitamque tuebitur; si autem eandem è vitæ discrimine eripere noluit, Deus quoque illi paria referet, & in discrimen vitæ vocatum perire sinet. Hic est singulorum verborum intellectus iuxta priorem lectionem.

52. Quod si ad hunc modum legas cum LXX. *Si dixeris non noui,* vel *nescio hunc,* &c. sensus aliter conformandus est. i. si ita obieceris, eum, qui ad necē raptus

A est, amicum, familiarem, aut cognatū non esse, (hanc enim vim capere solet verbum *noui*) si videlicet, vt obligationem illius leuandi excutias, sic obtendas, ad eum defendendum te nullo amicitiæ, aut cognationis iure obstringi, *Scito quoniam Deus corda hominum noscit,* (sequor lectionem Sept.) i. ad eum tutandum id tibi satis esse debet, quod Deus optimus maximus homines omnes nouit. *Et qui figurauit spiritum omnibus, ipse nouit omnia.* i. qui omnibus animam, atque vitam inspirauit, ipse quidem omnes perspectos habet. Quorsum hæc? sententia quidem sic institui debet. Noli propterea à beneficentia excusari, quia is, qui auxilio tuo indiget, alienus est, nullóque amicitiæ vel cognationis nomine tibi perspectus. Nā Deus, qui vitā ab initio tibi inspirauit, eamque assiduè conseruat, B illū probe nouit, atque adeo si hoc illi te debere inficias iueris, Deo quidē, cui ille notus & familiaris est, & cui tu vitam tuam, & salutem acceptam refers, id ipsū te debere haud inficiari poteris. Quasi dicat, noti tui notus est; nam à Deo, qui tibi tot nominibus notus esse debet, probè agnoscitur: & quidē lex amicitiæ hæc est, vt amicorum etiam familiares, & notos amplectamur. subdit. *Qui reddit vnicuique secundum opera sua.* Deo inquam hæc gratia reddenda est, qui operibus nostris paria refert, & ad eundem modum nobiscum agit, quo nos ipsi cum proximis nostris.

Quod si integrum locum ad origines referamus, & priora verba sic restituantur. *Si dixeris, nō noui hūc,* 53.
C aliter sensus institui potest. si scilicet eo nomine apud teipsum excusationem obtendas, quod ille, qui in discrimine vitæ versatur tibi nullo amicitiæ, aut cognationis vinculo obstrictus est, *Nonne librans corda ipse intelligit.* i. hanc tuā pessimam, & omnia charitatis iura violantem excusationem Deus non modo percallet, sed etiam damnat & refellit; Deus, inquā, qui corda. i. animas hominum librat, apud quem. s. nulla est acceptio personarū, in cuius bilance nullus alteri præponderat, sed (liceat sic dicere) omnes in æquilibrio sunt. Rationem autem huius æqualitatis reddit ex eo, quia omnes ipse condidit, *& seruantem animas nihil fallit,* vel, vt reddunt Sept *& qui figurauit spiritum omnibus,* &c. atque adeò, quod ad condi- D tionem spectat, inter omnes nulla inæqualitas versatur, tota. n. hominum disparitas ex propriis cuiusque meritis pendet. Propterea subdit. *Redditque homini iuxta opera sua.* Itaque secundū hanc interpretationē suadet Salomon, ne in beneficentia sit personarum respectus, exemplo Dei optimi maximi, apud quem omnes æqualia prorsus obtinēt momenta; vnumque ab alio tantummodò operum merita discernunt.

Sed ad nostram lectionē dilabamur, quæ reliquas 54.
elegantia, & energia facilè vincit. *Si dixeris vires non suppetunt.* Si videlicet proximum in discrimen vitæ, & salutis adductū videns id causaberis, tibi non suppeditare vires, hoc est autoritatem, sūptus, vel si quid aliud ad eum eripiendum opus est, *Qui inspector est* E *cordis, ipse intelligit,* &c. hæc verba duplicem ad sēsum vocari possunt. Prior est eiusmodi. Deus optimè nouit animum tuum, & vera ne, an mēdax sit excusatio tua perspicuè intelligit (vel si locus fiat primitiuæ lectioni, *Qui librator est cordis, ipse intelligit*) sensus erit, Deus. s. vires cuiusque & voluntatem iudicij, atque æstimationis suæ lance pōderat, & vbinā sit deficientia, in viribus-ne, an in voluntate, & affectu, hoc examine deprehendit, & quidem certissimè, *Nam seruatorem animæ tuæ nihil fallit.* i. eum, qui animam omnipotentia sua condidit, & eandem prouidentia sua seruat, nihil in eadē existens latere potest. *Redditque homini iuxta opera sua.* i. cū operis etiā perficiendi potestas est, solā voluntatē, neque probat, neque præmio, aut mercede cōpensat. Itaque mēs Salomonis secūdū

hanc

hanc expoſitionem ea eſt, apud Deum nihil poſſe ſolam bene merendi voluntatẽ, cum operis etiam perficiendi, & beneficij conferendi copia ſuppetit.

55. Poſterior ſenſus, qui mihi accõmodatior videtur, ſic habet. *Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit*. i. ſi verè, & non ſimulatè dixeris ad eripiendum neci proximum vires præmiſſo modo te deficere, ne propterea deficiat animus, ſed bonam voluntatem habeto, quia Deus, qui corda hominum penitus callet, bonam cuiuſque voluntatem probat, & boni conſulit, quoties operis facultas deeſt. Iuxta origines, *Qui librator eſt cordis, ipſe intelligit*, id eſt Deus, qui non opera externa, ſed voluntatem, & animi propenſionem expendit, & illi defert, ipſe quidem voluntates noſtras perſpectas habet, *& ſeruatorem animæ tuæ nihil fallet*. i. eum, qui animam creauit, & eam aſſiduo ſeruat, nihil fugit, ex his, quæ in ipſa penitus ſunt, *& reddit, homini iuxta opera ſua*. i. vnicuique mercedem appendit iuxta id, quod poteſt operari. Itaque illud, *iuxta opera ſua*, perinde eſt, ac iuxta facultatem ſuam: quaſi dicat non operum quantitatem, ſed facultatem pendit; & licet opera abſint, voluntatem ſolam præmiis compenſat. Aug. in Pſal. 103. concione 1. *Supplicem, inquit, nullum ſpernas, & eum cui dare non potes, quod petierit, non ſpernas, ſi potes dare da: ſi non potes affabilem te præſta; coronat intus Deus voluntatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat non habeo, charitas non de ſacculo erogatur.* Hanc verò interpretationem ideò alteri præferendam cenſeo, quia exiſtimo Salomonem, qui ſupra dixerat in damnis dandis ſolã nocendi voluntatem puniri à Deo v. 8. *Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur*; & v. 9. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt*, &c. iam nunc idem de beneficiis conferendis appoſitè ſubiicere, ſolam videlicet bene merendi voluntatem à Deo probari, & liberaliſſima etiam mercede donari. August.

---

13. *Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt: & fauum dulciſſimum gutturi tuo.*

14. *Sic, & doctrina ſapientiæ animæ tuæ, quam cùm inueneris, habebis in nouiſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit.*

56. Comede, fili mi, mel, &c. Hebr. *Et fauum dulcem ſuper palatum tuum.* Sept. *Comede fili mel, bonus enim fauus, vt dulceſcat guttur tuum.* Vatabl. *Mel comede, fili mi, quia bonum*, &c.

Sic, & doctrina ſapientiæ, &c. Hebr. *Sic ſcientia ſapientiæ animæ tuæ, ſi inueniſti, & eſt nouiſſimum, & expectatio tua non excidetur.* Vatabl. *Quam ſi inueneris, erit tibi proſperitas*, &c. Chald. *Quod ſi inueneris, primis venient nouiſſima meliora, & ſpes tua non conſumetur.* Septuag. *ſic ſenties ſapientiam in animo tuo, ſi enim inueneris, erit bonus obitus tuus, & ſpes te non deſeret.*

Huius loci perſpicua admodum ſententia eſt, inuitat Salomon auditorem ſuum ad ſtudium ſapientiæ, proponens illi vtilitatem, & ſuauitatem ipſius. *Comede*, inquit, *fili mi, mel, quia bonum eſt*. i. vtile admodum, atque ſalubre, *& fauum dulciſſimum gutturi tuo.* Itaque duo ſimul in melle coire bona ſignificat, vtilitatem ad valetudinem, & ſalutem; dulcedinem, & ſuauitatem ad guſtum, *Sic, & doctrina animæ tuæ*, i. eadem ſacræ doctrinæ vis. Sept. aptè admodum tranſtulerunt, *ſic ſenties ſapientiam in animo tuo*. i. illa duo bona ſenſu ipſo experieris, ſcilicet, ſalubrem vtilitatem, & iucundam dulcedinem. Attexit. *Quam cùm inueneris, habebis in nouiſſimis ſpem*, ſolet quidem mel, quod ſumenti primum ſuaue ſapit, ac dulce, in acorem denique, & amaritudinem verti, iuxta illud intra c. 25. v. 16. *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud*, & intra v. 27. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum*, &c. Ait ergo Salomon, doctrina ſapientiæ, quæ de cætero cum melle congruit, in eo certè mel vincit, quod hoc in nouiſſimis deſipere, & acidum reddi ſolet; at illa in nouiſſimis ſuauior eſt: nam ipſe in animus noſtris alit, quæ nouiſſima noſtra fortunat: *Et habebis*, inquit, *in nouiſſimis ſpem*, non illam quidem infirmam, & imbecillem, ſed conſtantem, & firmam, *& ſpes tua non peribit.* Expendamus ſingula, & ſuus etiam huic extremæ clauſulæ locus dabitur.

Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt. i. vtile & ſalubre (vt iam dixi.) Conferamus mellis vtilitates, & eaſdem in ſapientiæ doctrinam quadrare perſpicuum erit. Hypocrates de internis affectionibus, *Mel*, inquit, *cum aliis commixtum, & nutrit, & bonum calorem exhibet.* Ex quo medici conficiunt, mel cum ſolum ſumitur, non admodum ſalubre eſſe: addit etiam Hypocrates lib. 2. de dieta. *Mel pituitam exſiccare, & aluum perpurgare.* Quid plura? melli hanc ineſſe vim affirmat, vt corruptioni obſiſtat, & parcè ſumptum, *corpora condiat in æuum*, id eſt, diuturnam vitam corporibus ſuppeditet, vnde ille alius quæſitus qua tandem ratione, aut arte in multam ſenectam perueniſſet, ſic occurrit. *Intus quidem melle, ac foris oleo*, denique ob eam vim arcendi corruptelam, vulneribus etiam mel infundi conſueuit; aliquando etiam cadaueribus aſpergi ne putreſcant; lege Plin. lib. 22. c. 24. vbi has omnes mellis virtutes collegit, qui lib. etiam 11. c. 14. ſic de melle ſcribit. *Solis radiis medicamenta, non mella gignuntur, oculis, vlceribus internisque viſceribus dona cæleſtia.* Tantam enim huic liquori ad medendum vim ineſſe dicit, vt medicamentum antonomaſticè, potius quàm mel appellandum putet, donumque cælitus datum. 57. Hippocrat. Plin.

Has igitur omnes mellis facultates imitatur doctrina ſapientiæ, quæ ſcilicet mellis inſtar bona, ac peruтilis eſt. Imprimis enim ſtomachi calorem ad decoquendos difficiles quoſque, ac duros cibos confirmat. Nam, vt tradit Nazianz. in poëmate de definitionibus. *Patientia eſt decoctio moleſtiarum*, doctrina autem ſapientiæ alit patientiam, & ad omnes moleſtias decoquendas, & eliquandas plurimum roborat. Rurſus doctrina iſthæc non ſola per ſe ſumi debet, ſed aliis rebus admiſceri, & infundi: ſic enim ſalutaris & proficua magis eſt; doctrina quippe, ac ſcientia ſola cùm ſumitur ocyus aceſcit, & quod melli, tum poſt corruptionem proprium eſt, inflat, iuxta illud, *Scientia inflat*, cùm verò eadem operibus bonis adiungitur, & ipſo virtutum exercitio diluitur, ac ſoluitur, peruтilis eſt. Nam quemadmodum mellis aliis cibis infuſi ea vis eſt, vt ad illos decoquendos calorem exacuat, & à corruptione eoſdem vendicet: doctrinæ, atque ſapientiæ par etiam poteſtas eſt, quæ ad virtutum difficultates decoquendas animi calentes motus accendit, ac ne eædem aliquo modo à vitiis contrariis tabeſcant ſua virtute defendit. 58.

Quid plura? Mel frigidam pituitam ſiccat, & bilem exacuit: eadem quoque ſanioris doctrinæ vis; hac enim ſumpta, frigida torpensque ſocordia, ſeu pituita, conſumitur, & animus (liceat ſic dicere) bile inflammata calеſcit, & ad rectè agendum excitatur. Ad hæc mel ventriculum purgat; doctrina quoque animi fæces eluit, ac detergit. Mel item vulneribus infuſum eadẽ ſanat, & ad cicatricem adducit: non aliter doctrina vitiorum vulnera inducta cicatrice ſanitati reſtituit. Mel denique cadauera à tabe, & corruptione vendicat: haud diſpar ſacræ doctrinæ poteſtas, (ita liceat ſic dicere) tanta eſt corporũ noſtrorũ ad laſciuiæ ac tur- 59.

Septuag. *Si autem dixeris nescio hunc, scito, quoniã Dominus omnium corda noscit, & qui figurauit spiritum omnibus, ipse nouit omnia, qui reddit vnicuique secundùm opera eius.* Aquila. *Nonne ponderans corda ipse intelligit?* Lucifer. *Et qui figurauit spiritum omnibus illis.* Aquila, & Theod. concinunt cum nostris, in quibus id tantummodo difficile, qua ratione priora illa verba cum originibus cohæreant. *Si dixeris, vires non suppetunt*, pro quibus omnes interpretes. *Si dixeris, non nouimus hoc*, vel *hunc*, subest. n. לא ידענו זה *Lo Iadaghnu Zeh.* Certè non alia ratio occurrit, nisi quod verbum *Iadangh* duas capit significationes, videlicet *nosse*, ac *frangere*. Noster ergo interpres ad posteriorem fortasse significationem transferens sic ad verbum transferendũ putauit. *Non fregi hoc*, atque adeo sensum excutiens ad vires retulit. *Vt res non suppetunt*, & si quidem de captiuis eruendis sermo sit, erit sententia, *non suppetunt vires*, supple, ad frangendum carcerem, vincula, aut quid simile.

50. Hunc versum cum superiori cohærere concordi cõspiratione docent interpretes. Præmittam aliquas eorum expositiones, quæ à nostra Vulgata discedũt. Caietan. Rodolphus, Iansenius, Clarius, & alij, priora illa verba, *Si dixeris, non noui hoc*, vel *hunc* (sic enim lectitant) hoc sensu donant. Si videlicet causaueris tibi nequaquam perspectum esse, an ille, qui ad necem rapitur, vel captus abducitur, commeruerit hoc supplicium, an non, ac propterea ad eum defendendum, aut redimendum nihil conferre vis, cogita hanc excusationem ab eo examinandam, & librandam, qui cordis, atque conscientiæ libellator, & explorator est, quem fallere nemo potest, quique meritis digna retribuit, siue præmium, siue pœnam. Hæc ille; quæ licet mihi non inepta videantur, tamen secundùm eam lectionem, quam etiam LXX interpretes amplexi sunt, locus (mea quidem sententia) aliter edisserendus est.

51. *Si dixeris, non noui hoc*, &c. hæc est prior translatio, si videlicet causaueris proximi tui calumniam, calamitatem, & ærumnam tibi non satis inoluisse, *Qui inspector est cordis, ipse intelligit.* Deus scilicet, cui corda nostra peruia sunt, verum id noueris, probè nouit. Vel, vt alij habent, *librans corda ipse intelligit.* Sane animi nostri affectiones, & voluntates, quibus res prosequimur, eiusdem pondera appellari solent Hinc illud Augustini tritum prouerbium, *Amor meus, pondus meum.* Sic igitur accipe, *libras corda ipse intelligit.* i. Deus ipse, qui animarum nostrarum propensiones examinat, & quam in partẽ momentis suis pendeant, vel ad liberalitatem, vel ad sordes, & auaritiam, probè nouit, ipsi quidem res hæc apprime cognita, & perspecta est. *Et seruatorem animæ tuæ nihil fallit*, hæc verba duplicem sensum capiunt: Nam *seruator* potest accipi quasi *obseruator*, vt sensus sit: Qui animi tui cogitationes, & internos motus attentissime obseruat, decipi nulla arte potest. Vel aliter, *seruator*, significat conseruatorem, hoc sensu. i. ei, qui animam, hoc est, vitam tuã incolumẽ seruat, quo beneficio ad aliorum animas vitamque tuendam te plurimũ obstringit, imposturam aliquam facere nequaquam poteris. *Redderque homini iuxta opera sua*, quia sic cum quolibet homine se gerit, prout ipse erga proximum se habet. si enim animam proximi seruauit, cùm posset, Deus vtique illius animam, vitamque tuebitur; si autem eandem è vitæ discrimine eripere noluit, Deus quoque illi paria referet, & in discrimen vitæ vocatum perire sinet. Hic est singulorum verborum intellectus iuxta priorem lectionem.

52. Quod si ad hunc modum legas cum LXX. *Si dixeris non noui*, vel *nescio hunc*, &c. sensus aliter conformandus est, i. si ita obieceris, eum, qui ad necẽ raptus est, amicum, familiarem, aut cognatũ non esse, (hanc enim vim capere solet verbum *noui*) si videlicet, vt obligationem illius leuandi excutias, sic obtendas, ad eum defendendum te nullo amicitiæ, aut cognationis iure obstringi, *Scito quoniam Deus corda hominum noscit*, (sequor lectionem Sept.) i. ad eum tutandum id tibi satis esse debet, quod Deus optimus maximus homines omnes nouit. *Et qui figurauit spiritum omnibus, ipse nouit omnia.* i. qui omnibus animam, atque vitam inspirauit, ipse quidem omnes perspectos habet. Quorsum hæc? sententia quidem sic institui debet. Noli propterea à beneficentia excusari, quia is, qui auxilio tuo indiget, alienus est, nullóque amicitiæ vel cognationis nomine tibi perspectus. Nã Deus, qui vitã ab initio tibi inspirauit, eamque assiduè conseruat, illũ probe nouit, atque adeo si hoc illi te debere inficias iueris, Deo quidẽ, cui ille notus & familiaris est, & cui tu vitam tuam, & salutem acceptam refers, id ipsũ te debere haud inficiari poteris. Quasi dicat, noti tui notus est; nam à Deo, qui tibi tot nominibus notus esse debet, probè agnoscitur: & quidẽ lex amicitiæ hæc est, vt amicorum etiam familiares, & notos amplectamur. subdit. *Qui reddit vnicuique secundùm opera sua.* Deo inquam hæc gratia reddenda est, qui operibus nostris paria refert, & ad eundem modum nobiscum agit, quo nos ipsi cum proximis nostris.

Quod si integrum locum ad origines referamus, & priora verba sic restituantur. *Si dixeris, nõ noui hũc*, aliter sensus institui potest. si scilicet eo nomine apud teipsum excusationem obtendas, quod ille, qui in discrimine vitæ versatur tibi nullo amicitiæ, aut cognationis vinculo obstrictus est, *Nonne librans corda ipse intelligit.* i. hanc tuã pessimam, & omnia charitatis iura violantem excusationem Deus non modo percallet, sed etiam damnat & refellit; Deus, inquã, qui corda. i. animas hominum librat, apud quem. s. nulla est acceptio personarũ, in cuius bilance nullus alteri præponderat, sed (liceat sic dicere) omnes in æquilibrio sunt. Rationem autem huius æqualitatis reddit ex eo, quia omnes ipse condidit, *& seruantem animas nihil fallit*, vel, vt reddunt Sept. *& qui figurauit spiritum omnibus*, &c. atque adeò, quod ad conditionem spectat, inter omnes nulla inæqualitas versatur, tota. n. hominum disparitas ex propriis cuiusque meritis pendet. Propterea subdit. *Redditque homini iuxta opera sua.* Itaque secundũ hanc interpretationẽ suadet Salomon, ne in beneficentia sit personarum respectus, exemplo Dei optimi maximi, apud quem omnes æqualia prorsus obtinẽt momenta; vnumque ab alio tantummodò operum merita discernunt. 53.

Sed ad nostram lectionẽ dilabamur, quæ reliquas elegantia, & energia facilè vincit. *Si dixeris vires non suppetunt.* Si videlicet proximum in discrimen vitæ, & salutis adductũ videns id causaberis, tibi non suppeditare vires, hoc est autoritatem, sũptus, vel si quid aliud ad eum eripiendum opus est, *Qui inspector est cordis, ipse intelligit*, &c. hæc verba duplicem ad sẽsum vocari possunt. Prior est eiusmodi. Deus optimè nouit animum tuum, & vera ne, an mẽdax sit excusatio tua perspicuè intelligit (vel si locus fiat primitiuæ lectioni, *Qui librator est cordis, ipse intelligit*) sensus erit, Deus. s. vires cuiusque & voluntatem iudicij, atque æstimationis suæ lance põderat, & vbinã sit deficientia, in viribus-ne, an in voluntate, & affectu, hoc examine deprehendit, & quidem certissimè, *Nam seruatorem animæ tuæ nihil fallit.* i. eum, qui animam omnipotentia sua condidit, & eandem prouidentia sua seruat, nihil in eadẽ existens latere potest. *Redditque homini iuxta opera sua.* i. cũ operis etiã perficiendi potestas est, solã voluntatẽ, neque probat, neque præmio, aut mercede cõpensat. Itaque mẽs Salomonis secũdũ hanc 54.

hanc expoſitionem ea eſt, apud Deum nihil poſſe ſolam bene merendi voluntatẽ, cum operis etiam perficiendi, & beneficij conferendi copia ſuppetit.

55. Poſterior ſenſus, qui mihi accõmodatior videtur, ſic habet. *Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit.* i. ſi verè, & non ſimulatè dixeris ad eripiendum neci proximum vires præmiſſo modo te deficere, ne propterea deficiat animus, ſed bonam voluntatem habeto, quia Deus, qui corda hominum penitus callet, bonam cuiuſque voluntatem probat, & boni conſulit, quoties operis facultas deeſt. Iuxta origines, *Qui librator eſt cordis, ipſe intelligit*, id eſt Deus, qui non opera externa, ſed voluntatem, & animi propenſionem expendit, & illi defert, ipſe quidem voluntates noſtras perſpectas habet, *& ſeruatorem animæ tuæ nihil fallet.* i. eum, qui animam creauit, & eam aſſiduo ſeruat, nihil fugit, ex his, quæ in ipſa penitus ſunt, *& reddit, homini iuxta opera ſua.* i. vnicuique mercedem appendit iuxta id, quod poteſt operari. Itaque illud, *iuxta opera ſua*, perinde eſt, ac iuxta facultatem ſuam: quaſi dicat non operum quantitatem, ſed facultatem pendit; & licet opera abſint, voluntatem ſolam præmiis compenſat. Aug. in Pſal. 103. concione 1. *Supplicem*, inquit, *nullum ſpernas, & eum cui dare non potes, quod petierit, non ſpernas, ſi potes dare da: ſi non potes affabilem te praſta; coronat intus Deus voluntatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat non habeo, charitas non de ſacculo erogatur.* Hanc verò interpretationem ideò alteri præferendam cenſeo, quia exiſtimo Salomonem, qui ſupra dixerat in damnis dandis ſolã nocendi voluntatem puniri à Deo v. 8. *Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur*; & v. 9. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt*, &c. iam nunc idem de beneficiis conferendis appoſitè ſubiicere, ſolam videlicet bene merendi voluntatem à Deo probari, & liberaliſſima etiam mercede donari.

Auguſt.

---

13. *Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt: & fauum dulciſſimum gutturi tuo.*

14. *Sic, & doctrina ſapientiæ animæ tuæ, quam cùm inueneris, habebis in nouiſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit.*

56. COmede, fili mi, mel, &c. Hebr. *Et fauum dulcem ſuper palatum tuum.* Sept. *Comede fili mel, bonus enim fauus, vt dulceſcat guttur tuum.* Vatabl. *Mel comede, fili mi, quia bonum*, &c.

Sic, & doctrina ſapientiæ, &c. Hebr. *Sic ſcientia ſapientiæ animæ tuæ, ſi inueniſti, & eſt nouiſſimum, & expectatio tua non excidetur.* Vatabl. *Quam ſi inueneris, erit tibi proſperitas*, &c. Chald. *Quod ſi inueneris, primis venient nouiſſima meliora, & ſpes tua non conſumetur.* Septuag. *ſic ſenties ſapientiam in animo tuo, ſi enim inueneris, erit bonus obitus tuus, & ſpes te non deſeret.*

Huius loci perſpicua admodum ſententia eſt, inuitat Salomon auditorem ſuum ad ſtudium ſapientiæ, proponens illi vtilitatem, & ſuauitatem ipſius. *Comede*, inquit, *fili mi, mel, quia bonum eſt.* i. vtile admodum, atque ſalubre, *& fauum dulciſſimum gutturi tuo.* Itaque duo ſimul in melle coire bona ſignificat, vtilitatem ad valetudinem, & ſalutem; dulcedinem, & ſuauitatem ad guſtum, *Sic, & doctrina animæ tuæ*, i. eadem ſacræ doctrinæ vis. Sept. aptè admodum tranſtulerunt, *ſic ſenties ſapientiam in animo tuo.* i. illa duo bona ſenſu ipſo experieris, ſcilicet, ſalubrem vtilitatem, & iucundam dulcedinem. Attexit. *Quam cùm inueneris, habebis in nouiſſimis ſpem*, ſolet quidem mel, quod ſumenti primum ſuaue ſapit, ac dulce, in

A acorem denique, & amaritudinem verti, iuxta illud infra c. 25. v. 16. *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud*, & infra v. 27. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum*, &c. Ait ergo Salomon, doctrina ſapientiæ (quæ de cætero cum melle congruit) in eo certè mel vincit, quod hoc in nouiſſimis deſipere, & acidum reddi ſolet; at illa in nouiſſimis ſuauior eſt: nam ſpẽ in animis noſtris alit, quæ nouiſſima noſtra fortunat: *Et habebis*, inquit, *in nouiſſimis ſpem*, non illam quidem infirmam, & imbecillem, ſed conſtantem, & firmam, *& ſpes tua non peribit.* Expendamus ſingula, & ſuus etiam huic extremæ clauſulæ locus dabitur.

Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt. i. vtile & ſalu- 57.
B bre (vt iam dixi.) Conferamus mellis vtilitates, & eaſdem in ſapientiæ doctrinam quadrare perſpicuum erit. Hypocrates de internis affectionibus, *Mel*, inquit, *cum aliis commixtum, & nutrit, & bonum calorem exhibet.* Ex quo medici conficiunt, mel cum ſolum ſumitur, non admodum ſalubre eſſe: addit etiam Hypocrates lib. 2. de dieta. *Mel pituitam exſiccare, & aluum perpurgare.* Quid plura? melli hanc ineſſe vim affirmat, vt corruptioni obſiſtat, & parcè ſumptum, *corpora condiat in æuum*, id eſt, diuturnam vitam corporibus ſuppeditet, vnde ille alius quæſitus qua tandem ratione, aut arte in multam ſenectam perueniſſet, ſic occurrit. *Intus quidem melle, ac foris oleo*, denique ob eam vim arcendi corruptelam, vulneribus
C etiam mel infundi conſueuit; aliquando etiam cadaueribus aſpergi ne putreſcant; lege Plin. lib. 22. c. 24. vbi has omnes mellis virtutes collegit, qui lib. etiam 11. c. 14. ſic de melle ſcribit. *Solis radiis medicamenta, non mella gignuntur, oculis, vlceribus internisque viſceribus dona cæleſtia.* Tantam enim huic liquori ad medendum vim ineſſe dicit, vt medicamentum antonomaſticè, potius quàm mel appellandum putet, donumque cælitus datum.

Hippocrat.

Plin.

Has igitur omnes mellis facultates imitatur doctrina ſapientiæ, quæ ſcilicet mellis inſtar bona, ac perutilis eſt. Imprimis enim ſtomachi calorem ad decoquendos difficiles quoſque, ac duros cibos confirmat. Nam, vt tradit Nazianz. in poëmate de definitio- 58.
D nibus. *Patientia eſt decoctio moleſtiarum*, doctrina autem ſapientiæ alit patientiam, & ad omnes moleſtias decoquendas, & eliquandas plurimum roborat. Rurſus doctrina iſthæc non ſola per ſe ſumi debet, ſed aliis rebus admiſceri, & infundi: ſic enim ſalutaris & proficua magis eſt; doctrina quippe, ac ſcientia ſola cùm ſumitur ocyus aceſcit, & quod melli eſt in poſt corruptionem proprium eſt, inflat, iuxta illud, *Scientia inflat*, cùm verò eadem operibus bonis adiungitur, & ipſo virtutum exercitio diluitur, ac ſoluitur, perutilis eſt. Nam quemadmodum mellis aliis cibis infuſi ea vis eſt, vt ad illos decoquendos calorem exacuat, & à corruptione eoſdem vendicet: doctrinæ, atque ſapientiæ par etiam poteſtas eſt, quæ ad virtu-
E tum difficultates decoquendas animi calentes motus accendit, ac ne eædem aliquo modo à vitiis contractis tabeſcant ſua virtute defendit.

Quid plura: Mel frigidam pituitam ſiccat, & bilem exacuit: eadem quoque ſanioris doctrinæ vis; hac enim ſumpta, frigida torpenſque ſocordia, ſeu pituita, conſumitur, & animus (liceat ſic dicere) bile incaleſcit, & ad rectè agendum excitatur. Ad hæc mel ventriculum purgat; doctrina quoque animi fæces eluit, ac detergit. Mel item vulneribus infuſum eadẽ ſanat, & ad cicatricem adducit: non aliter doctrina vitiorum vulnera inducta cicatrice ſanitati reſtituit. Mel denique cadauera à tabe, & corruptione vendicat: haud diſpar ſacræ doctrinæ poteſtas, (ſi liceat ſic dicere) tanta eſt corporũ noſtrorũ ad laſciuiæ ac tur- 59.

pitudinis corruptionẽ procliuitas, vt etiam si per assiduã mẽbrorũ mortificationẽ mactata quodãmodo, ac demortua sint, illi corruptelæ obnoxia nihilominus maneant; nihil autẽ est quod corpora nostra ad incorruptionem melius condiat quã sacra doctrina, quæ animas mirũ in modũ castificat, & ab omni turpitudinis putredine vendicat. Itaque sic habeto, sola membrorum mortificatio ad castitatis tutelam satis non est, attamen si huic sacræ doctrinæ studiũ, tamquam mel accedat, & animæ infundantur, ab omni deinceps lasciuiæ corruptela libera manet. Ad hunc modum doctrina sapientiæ, mellis ad instar bona, vtilis, atque salubris est. Plures verò sapientiæ vtilitates attingere volui, persequi autem non volui, quia multo plura in hanc sententiam sibi quisque fingere potest, atque adeò satis duxi viam commonstrasse.

60. Ab vtilitate ad dulcedinẽ transit Salomõ, *Et fauũ dulcissimũ gutturi tuo.* Beda, Hugo, & alij, inter fauũ, ac mel id interesse putant, quod melle doctrinã illam adũbrari volunt, quæ tota est in promptu, facilis, & aperta: per fauos autẽ eam, quæ parabolis, atque allegoriis inclusa est. (Beda.) Nã Beda sic habet. *Hoc inter vtriusque significantiam distat, quia mel, quod in prõptu est ad comedendũ moralẽ literæ superficiẽ insinuat: fauus autẽ, in quo mel de cera exprimitur, allegoricã loquutionem figuratè denuntiat, vt subducto literæ velamine suauitas sensus spiritualis aliquanto cũ labore, vel mora percipiatur.* (August.) Hanc faui atque mellis differentiã hausit ex Aug. in Psal. 118. ad illa verba. *Quàm dulcia faucibus meis verba tua, super mel, & fauum ori meo,* sic. n. ait. *Mellis est similis aperta doctrina sapientiæ, fauo verò, quæ abstrusioribus sacramentis tamquã de cellis cereis, ore disserentis velut mãdentis exprimitur.* (Pseudo-August.) Itẽ Pseud. Aug. serm. 14. de verbis Domini, qui est Eradij Presbyteri. *Quãdo possumus de Diuinis operibus, quæ leguntur, intellectũ alicuius mysticæ significationis exculpere, quasi de abstrusis fauorũ cellis mella producimus.* Et sane hoc fauorũ, ac mellis discrimen aptissimè cadit in doctrinam huius libri; nam cũ sententias plures habeat apertas, & faciles, Ethicam, & moralem doctrinam menti offerentes, perplures etiam continet parabolas, atque adeò satis accommodatè Salomon ad doctrinam eam inuitans quã liber iste suppeditat, mel & fauum proposuit. Nec minori consilio melli vtilitatẽ, fauis dulcedinẽ dedit. *Comede fili mi, mel, quia bonũ est, & fauũ dulcissimum gutturi tuo,* quia ex doctrina morali, cùm præclara est, & aperta, vtilitas in auditorem manat, cum verò eadem ex allegoriis, metaphoris, aut ænigmatibus exprimitur, vtilitati voluptas, & suauitas incredibilis adjungitur, quia ex internorum sensuum vestigatione, & expressione percipi solet. Vnde Quintilianus tropicam loquutionem, (quam initio necessitas inuenit) postea ob delectationẽ celebratam esse affirmat; quia dum mens sagax inclusas metaphoris, & allegoriis sententias propria vestigatione assequitur, mirificè deliniri solet. Ergo de suauitate, & dulcedine sapientiæ sic Salomon.

61. (August. Beda.) *Et fauum dulcissimum gutturi tuo.* Aug. in Psal. 80. *Mel, inquit, sapientia est, primatũ dulcedinis tenens in escis cordis.* Et quia mel dulcedinis primatum tenet, ideò ad reliqua dulcoranda adhiberi solet: audi Bedã. *Patet, inquit, facillimè quare doctrina sapientiæ melli comparetur, quia nimirũ sicut illud cibus, ita hæc doctrinis cæteris dulcedinẽ præstat.* hæc mihi suadent, vt putẽ Salomonẽ, qui vt iam inde animaduerti, c. 9. v. 1. & alibi, cunctas illius libri parabolas, & sententias in conuiuio sapientiæ iactare se ab initio finx.t, atq; ita innuere voluit, illas ad cœnas condiendas esse accõmodatas, nũc quidẽ idipsũ docere voluisse; Quasi dicat, equidẽ melle infuso reliqua ciborũ genera dulcia simul, & salubria redduntur: sint ergo hæc mea

A documenta pro melle, ac fauis, vt cœnis, atque epulis intermixta, illas quidẽ suaues simul, atq; salutares efficiant. Et quidem obseruandum est mel, atque mellita omnia sub finẽ conuiuij inferri solita, non solùm quia initio sumpta aliorum ciborum tædium immittere solent; sed etiam quia dulcia cùm supra reliquos cibos ingeruntur eos ab omni corruptela vendicant, vt ex Plinio supra docuimus.

Succedat igitur memoriæ, quod supra toties inculcauimus, sed præcipuè in Isagoge huius cõmentarij, 62.
& c. 1. v. 1. & c. 33. v. 1. & 2. 1. parabolas, problemata, & griphos, olim in splendidissimis conuiuiis obiici, atque edisseri solitos, qui inter cœnandũ iactari quidẽ solebãt, sic tamen vt locus daretur musicæ, atque
B aliis oblectamẽtis. Ita. n. suadetur Eccles. c. 32. *Loquere maior natu: decet. n. te primũ verbũ diligenti scientia, & nõ impedias musicã. Gemmula carbunculi in ornamẽto auri, & cõparatio musicorũ in conuiuio vini,* &c. (Eccles. 32.) Sub epulis autẽ seriæ inducebãtur quæstiones, & de problematis, ac griphis sermo prolixior texebatur. Quẽ morẽ in postrema illa cœna ad vnguẽ seruauit Christus Dominus, qui quosdam inter epulas discipulis obiecit griphos. Nã griphũ appellare licet illũ, *Veruntamen manus tradentis me mecũ est in mensa,* &c Ille etiã griphus quidã fuit in ablutione pedum, qua discipulos ad posteriorem cœnã comparabat, illatus, *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* At post cœnã valde longũ ad discipulos suos habuit sermonem
C solẽni videlicet mori obtẽperans. Salomon ergo ad eum perantiquum morem respiciens sic monet auditorem. *Comede fili mi, mel, quia bonũ est,* &c. q. d. cum ita more cõparatum sit, vt sub cœnã mel, atque mellita inferri soleant, tibi quidem pro melle, atque mellitis sit doctrina sapientiæ, quã à me accipis ad cœnas tuas claudendas, & finiendas; hæc nimirũ documẽta mea post epulas tãquam mel, & fauos vsurpa. (Cum verò audis *fauos*, omnia mellita intellige. Nam in primitiuis iubetur נפת *Nopheth*, quæ vox non fauum solũ, sed quidquid melle conditũ est, sonat, vt nos obseruauimus Cant. 5. v. 1. ad illa verba. *Comedi fauum cũ melle meo,* pro quibus Sept. *Comedi panem cũ melle meo.* i. mellitũ panem) Quasi dicat, Hæc monita mea,
D tãquam mel, atque mellita tunc degusta: quia sicut mel, atque mellita omnia post reliquos cibos dulcia valde sunt, atque salubria, ita etiam huius libri documenta tunc vsurpata voluptatem, & salutem animis afferunt. Hoc sibi vult cùm addit.

Sic, & doctrina sapientiæ animæ tuæ. i. parem vtilita- 63.
tem, & voluptatem ex doctrina sapientiæ hauries. *Quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem,* hæc verba cũ superioribus initio sic contexui. Mel quidẽ, ni parcè admodum sumatur, ad extremum acescit, & in amaritudinem vertitur, atque adeo doctrina sapientiæ mel facilè vincit, hæc. n. etiam largè sumpta in nouissimis spẽ alit, & animũ ea voluptate implet, quam spes parere consueuit. Subiicio prætera duos
E alios nodos, quibus licet etiam extremã hanc clausulam cũ superioribus copulare. Prior est eiusmodi. Mel vtique vt supra adscripsi, vitam seruat, adeò vt plures mellis auxilio ad multam senectã vegeti admodum, ac robusti peruenerint. Ergo Salomon fortasse ad hãc mellis virtutẽ alludens ait. *Quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem.* i. ad canos vsque peruenies, non quidem infirmus, atque imbecillis, sed spe roboratus, ac confirmatus. Fauent huic expositioni ex Hebr. nónnulli, qui locum istum sic extulerunt. *Habebis in senecta spem.* Posterior verò nodus sic habet. Mel quidem, atque mellita, vt modo prænotabam, sub finem conuiuij exhiberi solebant. Ergo Salomon (ni fallor) his verbis suadet, ne studiũ sapientiæ vnquã intermittatur, sed hoc etiã in senectute, tanquam

quam

quam mel in conuiuij clausula, adhibeatur. Quid inde? *Et habebis in nouissimis, aut in senecta, spem.* Vel vt Chald. transtulit. *Primis venient nouissima meliora*, id est, quemadmodum in conuiuio dulcia, & salubria magis fercula sub finem inferuntur, ita etiam doctrina, atque sapientia in senectute colenda est, sic enim fiet vt ea vitæ tuæ clausula suauior sit, atque sanior, plena videlicet futurorum bonorum spe.

Sept. verò sic restituunt. *Si enim inueneris, erit bonus obitus tuus*, quæ verba ad superiorem sensum transferri possunt, idest, quemadmodum finis conuiuij illatis dulcibus suauior est, ac iucundior: ita etiam si sapientiæ studium in senecta adhibueris, erit vtique prædulcis, atque fiducia plenus obitus tuus.

---

15. *Ne insidieris, & quæras iniquitatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.*

16. *Septies enim cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malum.*

64. NE *insidieris*, &c. Hebr. *Ne insidieris impiè habitaculo iusti, nec vastes accubitum eius*, Pagn. *Nec rapias accubitum eius*. Caiet. simili schemate. *Nec prædaueris discubitum eius*. Vatab. *Cubile eius*. Chald. *Nec proiicias domum habitationis eius.* Sept. longè aliter. *Noli applicare impium ad pascua iustorum, neque seducaris saturitate ventris*, sic Lucifer de non conueniendo er. & Cassian. collatione 14. c. 17. Sanctus Hieron. in Michæam ca. 3. *Ne inducas impium* &c S. Cypr. 3. test. *Ne adduxeris*. Pro illis autem verbis ad *pascua iustorum*, Aquila, & Theodot. *in decoro iusti*. Sym *in domo iusti*. S. Hieron. *In tabernaculũ iustorum*. S. Cyprian. *in habitaculum*. Et quidem si origines consulamus, pro *domo*, subest, לנוה *Linueh*. quæ vox *habitaculum, domũ, & pascua* etiam adsignificat: adhæc ארב *Arab*, non tantum est *insidiari*, sed etiam *inducere*, aut *impellere*. Quid plura? habes in fine huius loci רבצו *Ribtsu*, ex radaci *Rabath*. idest, cubare, aut iacere: ad oues propriè spectans, cùm in pascuis saturæ discumbũt. Hinc ergo fluxit translatio Sept. de cuius sententia postea dicemus.

Septies enim, &c. Heb. non dissonant, nisi quod futuri temporis sunt verba omnia, quod discrimen nullum est. Nam Heb. hæc duo tempora futurum, & præteritum passim permutant. LXX. *Septies enim cadet iustus, & resurget, magis autem infirmabuntur in malis.*

Hieronym. Diuus Hieron. ad Rusticum circa finem Epist. hæc verba eo modo extulit, quo solent vulgò circumferri. *Septies in die cadet iustus, & resurget*, &c. cui accinit etiam Gregorius infrà citandus.

65. August. Duas omnino capit interpretationes vers. iste. Prima est Aug. l. 11. de ciuit. c. 31. qui septenos casus iusti hominis non de culparũ lapsibus, sed de casibus in tribulationes aut molestias accipiendos esse putat, sic enim, habet. *Septenarius numerus pro vniuerso sæpe ponitur, sicut scriptum est, Septies cadet iustus, & resurget, idest, quotiescumque ceciderit, non peribit, quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit.* Hæc Aug. qui sequitur lectionem Sept. iuxta quam locus integer sic edisserendus est. *Noli applicare impium ad pascua iustorum, neque seducaris saturitate ventris*, id est, noli improbum hominem in societatem, & conuictum iustorum inducere, (id sibi vult etiam Hieronymi translatio. *Ne inducas impium in tabernaculum iustorum.*) Neque ad id faciendum seducat te prospera fortuna, & bonorum affluentia, qua vtuntur: dissimilis enim valde est probi, atque improbi sors, & conditio, atque adeò minimè permisceri debet,

A sed quænam hæc dissimilitudo, ac disparitas? *Septies*, inquit, *cadet iustus, & resurget*, id est, iusti sæpius à Deo immissis tribulationibus deiiciuntur, sed casus eorum leues sunt, atque adeò facilè emergunt: *cadet*, inquam, tribulationibus quotidianis depressus iustus, *& resurget* diuino auxilio erectus, & subleuatus. *Impij autem infirmabuntur in malis*, idest, improborum hominum ruinæ graues admodùm sunt, cumque semel decidunt, non amplius receptis viribus assurgunt. Ad hanc sententiam pertinet illud Iob. 5. *In sex tribulationibus liberabit te, in septima non tanget te malum.* Iob 5. Cæterùm vt hæc interpretatio aliquam energiam habeat, non de exercitatione iusti hominis accipienda est, q. d. *iustus septies*, idest, sæpe B admodum laboribus exercetur à Deo, atque eiusdem auxilio eripitur, sed de fortitudine, & constantia ipsius, ita vt sensus sit, *iustus septies*, imò centies calamitatibus atque ærumnis oppressus se se erigit, & animo constantissimè assurgit, obuiumque malis pectus offert: ex aduerso impij, malis, & calamitatibus in ruinam impulsi prorsus consternantur.

Cadet, inquit, *& resurget*, fortior nimirum, ac vegetior. Ea enim est iusti hominis constantia, vt laboribus, & ærumnis fortior reddatur. D. Gregor. Nazianz Orat. 23 de iusto differens, quem familiari sibi loquendi formula philosophum appellat, sic scribit. 66.
Philosophicus animus ex eo quod passus sit, generosior redditur, atque vt candens ferrum frigida aspersione, ita C *periculis obdurescit*: si autem verbum illud *resurget*, ad orig. reuoces, licebit quidem transferre. *Cadet, & regerminabit*, eam enim vim habet verbum primitiuum, quod respondet illi *assurget*: ita ex Hebræis non pauci; iuxta quam lectionem accommodata est eiusdem Nazianz. sententia, in Orat. 17. *Est*, inquit, *quædam in fabulis arbor, quæ cum caditur viret, & aduersus ferrum certat, ac si de re noua nouo more loquendum est, morte viuit, & sectione pullulat, atque cum absumitur, crescit. Habetis fabulam iure suo quiduis liberè confingentem. Mihi verò eiusmodi quiddam planè esse vir Philosophus videtur; floret enim inter cruciatus, ac vitæ molestias virtutis segetem existimat, atque in aduersis gestit, & gloriatur; sic nimirum se comparans, vt neque ob dextra iu-* D *stitiæ arma efferatur, nec ob sinistra flectatur; sed in diuersis rebus idem semper, suique similis permaneat, atque adeo probatior, tanquam aurum in fornace, reperiatur.* Nazianz. Et infra, insuperabilem iusti animum describens, *Nihil*, inquit, *philosophia fortius est, nihil inexpugnabilius, omnia prius cedent, quam vt manus det Philosophus.* Et breui interstitio verborum. *Vt in summa dicam, duo hæc arripi, & superari nequeunt, Deus & Angelus; tertium est Philosophus, in materia materiæ expers: in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se facilè cedens, præterquam animi magnitudine, & eo ipso quod vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, deuincens.*

Pende extrema verba, quibus Gregor. (vt obseruat ipsius Scholiastes) ad Antheonis fabulã planè al- 67.
E ludit, qui quoties à suo aduersario ad terram deprimebatur, tellure ipsa (quæ mater illius ferebatur) vires inspirante, instaurato robore ad pugnandum assurgebat: Propterea deiici se in terram sæpius permittebat, vt robustior, ac vegetior factus, certamen innouaret, & instauraret. Haud dispar est iusti hominis cõditio, de quo sic Salomon, *Septies cadet iustus, & resurget.* Cadet, inquam, tribulationibus ad humilitatem perductus (vt ait August.) ipsa tamen humilitate iustitiæ parente vires suppeditante, recuperata fortitudine audacior simul, ac robustior ad certamen veniet. Ideóque libenter se se deiici, & deturbari boni cõsulit. *Quoniã eo ipso, quod vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, deuincit*, vt scribit Gregorius.

In

68. *Cassian.* In hanc translationem LXX. incidit Cassian. collatione 14. cap 17. ac priora quidem verba alio sensu donat: sic enim habet. *Caue etiam ne hac, quæ tàm lectione, quam experientia sudore didiceris, immundis hominibus passim ingeras: illudque, quod sapientissimus Salomon interdixit, incurras, Noli applicare impiū ad pascua iusti, neque seducaris saturitate ventris.* & rursus, *Auribus imprudentis noli quidquam dicere, ne forte irrideat sapientes sermones tuos; & ne dederitis sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos,* &c. hæc ille. Quæ interpretatio difficilè admodum cum reliquo textu innodari potest, sed tamen id conabor. *Noli*, inquit, *applicare impium ad pascua iustorum*, idest, noli impiis ea mysteria reuelare, quæ solis iustis peruia, & comperta esse debent. *Neque seducaris saturitate ventris*, quasi dicat, neque illis plenus tu atque satur, eadem improbis eructes, vel, Ne quia tu si præfatis illis mysteriis plenus iam, atque saturatus es, propterea improbos ad easdem epulas admittendos putes. Rationem autem attexit. *Septies enim cadet iustus, & resurget, impij autem infirmabuntur in malis*, quasi dicat. Ideò ad sacratiores illas doctrinæ sanioris epulas, quibus iusti vtuntur, impij excipiendi non sunt, quia iusti his enutriti iuuantur plurimum, quod quidem ex eo compertum fit, quia multis tribulationibus, aut tentationibus vexati, & oppressi, illius doctrinæ auxilio eriguntur, & à constantia sua non excidunt; id sibi volunt illa verba, *Septies cadet iustus, & resurget.* At impij eo pastu minimè proficiút, nec iuuantur: atque adeo aduersitatibus, aut etiam tentationibus petiti deiiciuntur prorsus, atque animis concidunt: id verò de ipsius doctrinæ grauitate, & sanctitate tantisper derogat, propterea improbis denuncianda non est. Cæterum prior interpretatio ex August. petita præferri debet.

69. Quæres autem vtrum Vulgata lectio ad August. sensum transferri possit? videntur enim verba ipsa obluctari, quæ sic habent. *Nec insidieris, nec quæras iniquitatem in domo iusti, neque vastes requiem illius.* Ná cum *iniquitatis* meminerit in hoc priori versu, non tam de tribulationum ruinis, quàm de culparum lapsibus capienda videtur. Ita Vulgo interpretes, Beda, Hugo, Lyra, Iansen. Rodol. Caiet. & alij passim. Sed licet communis expositio ad verborum sonú aptius cadat, tamen haud dubito ad August. sensum eadem allici benignius posse. *Ne insidieris, nec quæras iniquitatē in domo iusti* id est, ne insidias iusto pares, neq; illum immissis tribulationibus, & calamitatibus ad iniquitatem flectere frustra coneris *Neque vastes requiem illius*, pro *requie*, Hebr. *linbeh*, ... est, *accubitum*, seu *cubile*, ad iacendum, aliquando etiam locū significat; in quo aliquid offirmatur, & insistit. Vtraque autem significatio est apposita, id est, ne etiam requiē illius perturbationem aliqua frustra interturbare, aut illum è sua constantia frustra deiicere velis. Quasi dicat, si virum iustum, aut sublata animi quiete perturbare, aut tentata constantia impellere contendis, frustra id conaris *Septies enim cadit iustus, & resurgit.* Nam etsi sæpè admodum tribulationibus, aut tentationibus concussus ad humilitatem deiicitur, non tamen prosternitur, sed ex eo casu audacior atque fortior exsurgit. *Impius autem corruet in malum*, idest, vel leuiter tentatione aut tribulatione impulsus miserè concidit, ac prolabitur. Itaque Salomon docet iustū hominem eum esse, cuius animus nullo modo ad iniquitatem flecti potest, cuius etiam quies, aut constantia, nequicquam tentatur; sed vrgeo præmissam expositionem.

70. *Ne quæras iniquitatem in domo iusti*, nō tantum suadet, ne de peccatis hominis iusti frustra inquirat, quasi nihil vnquá grauioris culpæ in ipso inuenire liceat; sed etiam ne illū ad iniquitatem aliquā nequicquam inducere contendat: quia nulla vi, aut arte id assequi poterit, vt iustus aliquo se scelere capitali obstringat. Subdit. *Neque vastes requiē illius.* Sanè mens illa, quæ nullius sibi culpæ conscia est requie gaudet mirabili, quæ nulla etiā vi aut industria perturbari potest, atque adeo aptè subdit, Iusti hominis quē nullo modo ad iniquitatē inducere valuisti, frustra requiē deuastare, & cōmouere contendis: animi n. quē nullius culpæ conscientia mordet, aut stimulat, quies subuerti non potest. Et quidē iuxta hunc sensum specialē energiam habet lectio originalis. *Ne vastes, aut ne depraderis accubitū, aut cubile illius.* Lectus. n. aut cubile conscientiam notat. Greg. in Psal. 1. ex pœnitentialibus. *Gregor.* *Per lectum*, inquit, *conscientiā accipimus, quia sicut in lecto iacentes quiescimus, ita in ea, vel legi Dei, vel legi peccati cōsentimus, & sicut in laboribus pressi in lecto quiescentes reficimur, ita dū mūdi huius aduersitatibus premimur, in bona conscientia interius delectamur.* Lege etiam Bern. serm. 46 in Cant. Ait ergo Salomó, *Ne vastes, aut ne depraderis cubile illius.* Vastatio quidē manifesta irruptione fit, deprædatio verò secreta surreptione perficitur. Sensus ergo est, pacatissimam iusti conscientiam, in qua, velut in lecto mollissimo, animus illius conquiescit, vel manifesta tentatione vastare, vel occulta surreptione deprædari nequicquam conaris, quia tā manifesta, quàm occulta peccata mirabili quadam vigilantia cauet, ac propulsat. Vel aliter; Consciētia quidē (teste Gregor.) lectus est, in qua animus laboribus pressus conquiescit, ac reficitur. Ait ergo, *Ne vastes cubile illius.* i. frustra illū immissis laboribus, & molestiis perturbare, & commonere satagis, cùm lectum illius. i. conscientiam bonā subuertere nequaquā possis, in qua, tanquam in mollissimo, ac suauissimo cubili, à laboribus cóquiescit, viresque in dies reficit, seu instaurat. Itaque illud *Ne quæras iniquitatem*, nec non illud, *Ne vastes requiem*, non tam probibentis vox est, quàm frustra id fieri ostendentis. Quam interpretationem libenter aliis antepono, quia illam proculdubio translatio Vulgata capit, & Sept. interpretum lectioni, & sententiæ adhæret maximè, necnon priorem cum posteriori versu melius sarcit.

Subiicienda nihilominus est communis interpretatio, quæ præter supra adscriptos nobilem patronū habet Greg. Magn. lib. 8. in 1. Reg c 15. vbi sic fatur. 71. *Gregor.* *De iustorū casu scriptum est, septies in die cadit iustus, & resurgit. Iustorum certè casus quodammodo status eorum est, quia aliquando permittuntur cadere, vt semper valeant fortius stare; permittuntur, vt in malis corruant, ne summa virtutum dona per elationem perdant. Hi profecto, etsi verba Domini quandoque non implent, a Domino longius non recedunt, quia ad tempus relinquuntur vt in æternum teneantur, & in modico desipiunt, sed postmodum resipiscunt.* Et quidem Greg. videtur discrimen aliquod inter graues, aut leues culpas inducere. Atque iustum inter, & improbum id interesse significat, quod ille, siue in graues, siue in leues culpas prolapsus fuerit, ocyus resipiscit; hic verò delictis immoratus, vix vnquàm ad bonos mores redit. Et quidem iuxta hanc expositionem locus integer sic edisserendus est. *Ne insidieris, & quæras iniquitatem in domo iusti.* i. ne clam, & per insidias, scelus, aut culpam aliquam obserues. *In domo iusti*, hoc certè emphasi non caret. Quasi dicat, apud iustum diutius degentem, & in domo cordis eius, tamquam incolam perseuerantem, nullam culpam quærito. Appositè ad hanc sententiam Chrysostom. hom. 12. in Epist. 1. ad Corinth. *Chrysost.* qui, vt peccatum perbreui mora, pœnitentia, & lachrymis eluendum, & emaculádum suaderet, *Peccatum*, inquit *si quando ad animam tuam diuertit,*

uertit, hospes sit, non incola. Ergo similem ad sensum vocanda sunt Salomonis verba. *Ne quæras iniquitatem in domo iusti,* hoc.n. non est incola, sed hospes, atque adeò ocyus discedit, quàm vt à te in domo illius inueniri possit. *Neque vastes requiem, aut accubitum illius,* idest, ne curiosè admodùm illius opera obseruans, quietem illam, qua gaudet, illi eripias: nihil enim hominem æquè perturbare, & commouere solet, quam insidiosa vitæ ipsius obseruatio, & inquisitio. Vel aliter. *Neque vastes requiem illius,* idest, ne immissis peccandi occasionibus eam conscientiæ pacatissimam quietem, qua fruitur, illi eripere frustra contendas: offert autem rationem.

72. *Septies.n.in die cadit iustus, & resurgit,* sic Gregor. quibus verbis Salomon non significat id quod accidit, sed ex suppositione loquitur, q. d. etiamsi iustus vna in die *septies,* idest, sæpius labatur in culpam, toties in eadem die recuperata salute & gratia resurgit, & ad animi sui quietem redit: ex quo fit, vt nec peccatum aliquod diutius apud ipsum perseuerans reperiri liceat, neque pax illius diuturno tempore interturbari possit. *Septies,* inquit, *in die cadit iustus, & resurgit.* non.n.in crastinum protrahit resipiscentiam, sed eadem die calidis, vt aiunt, vulneribus medetur. *Cadit,* inquam, per culpam, *resurgit* per pœnitentiam: & quidem vix cadit, cum ex ipsomet casu quasi resilit, & ad statum reuocatur, adeò vt Gregor. dicat, *Iustorum casus quodammodo status eorum est.* Primò, quia cũ ruina à statu nihil differt, ruinam ipsam statum appellare licet: Tum etiam quia ipsimet casus firmioris status causam offerunt, cum sese deiiciendi per humilitatem homini materiam plurimam præbent. Tum demum quia iustus, vbi cecidit, insolentia casus deterritus, ad statum illicò adspirat.

73. Chrysost. Ob eam causam Chrysost. hom. de verbis Isaiæ, *vidi Dominum,* &c. Iustorum lapsus pulchros, & egregios appellat. Nam de peccato Dauid verba faciens; qui ad leuissimam quandam Nathami obiurgationem resipuit. *Vidisti,* inquit, *cor contritum? vidisti summissam animam? Vidisti etiam vt lapsus sanctorum sint egregij? Quemadmodum.n. præclara corpora, etiam in aduersa valetudine, multa nobis formæ suæ vestigia ostendunt: sic etiam sanctorum animæ in ipsis etiam erratis suæ virtutis signa præ se ferunt.* Sed rursus vide quam aptè dixerit *cadit,* atque *resurgit.* Augustinus in sermone 58. de tempore. *Si fortè,* inquit, *aliquis ex vobis, vt se habet humana fragilitas, calliditate diaboli superatus, & capitalibus criminibus inuolutus templum Dei in se violando destruxerit, citò de malo iniquitatis suæ consurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis suis sepeliat.* Hæc igitur est iusti solertia. Si quando per culpam lethalem interiit, sepeliri se peccati demoratione non finit (ita enim accidit defunctis, vt citius illis funus, & sepultura præparetur) sed dicto citius per pœnitentiam rediuiuus surgit.

August.

74. Quid plura? aliqui (vt nuper dixi) illa verba sic extulerunt, *Cadit iustus, atque regerminat.* Atqui, inquies, haud facile est charitatem per culpam reuulsam, iterum in animum inseri, & regerminare; minimè. Audi Augustinum. *Peccatores* (inquit) *si ad pœnitentiam conuertuntur, euulsa cupiditate citò plantam recipiunt charitatis.* Hæc de iustorum celeri resipiscentia. De impiorum verò resipiscentia sic attexit. *Impij autem corruent in malum,* sic videlicet prolabentur, vt salutem amplius non recuperent: nam dilata pœnitudine, *per consuetudinem peccandi ipsi se suismet ruinis sepeliunt.* (vt August. verba vsurpem,) non quatriduani tantummodò, vt Lazarus, sed pluribus nonnumquam annis, in prauæ consuetudinis tumulo tabescentes, quos ad vitam vocari, etiam Christo Domino fremente, vix possibile est.

August.

Reliqui interpretes verba Salomonis de leuioribus culpis exponunt. *Septies.n.cadit iustus, & resurgit,* id tamen difficile habet vulgatissima hæc interpretatio, quod qui leuiores culpas admittit, atq; eas postmodùm pœnitudine delet, cadere, ac resurgere minus aptè dicitur, quàm ille, qui capitalia crimina perpetrat. Eam ob causam D. Greg. expositionem magis probo. Audiendus tamen est Beda, qui huius interpretationis cæteris autor fuit. *Ne insidieris,* &c. *Ne quæras,* inquit, *aliquam occasionem, qua deroges homini iusto, ille.n. si ceciderit, citò admouet pedem suum, vt careat vitio, nec illud iterat in facto. Impij autem sic corruunt, vt vlterius non resurgant. Quomodo autem iustus appellatur, qui cadere.i. peccare memoratur, nisi quia de leuibus quotidianis proloquitur peccatis, sine quibus nec iustorum quispiam in hac vita esse potest? Quia nimirum per ignorantiam, per obliuionem, per cogitationem, per sermonem, per surreptionem, per fragilitatem, per necessitatem singulis diebus vel inuiti, vel volentes frequenter reatum incurrimus.* (loquitur autẽ de necessitate illa, quã quis voluntariè sibi imposuit, & inuitos appellat eos, qui non plena, & perfecta voluntate transgrediuntur.) *Et tamẽ resurgit,* inquit, *iustus, videlicet, quia iustus est, nec iustitia eius præiudicat lapsus humanæ fragilitatis. Vnde bene cùm de iustis loqueretur non adit, in malum; quia etsi malum est, quòd cadunt, ne tamen malo, in quo ceciderunt, hærere possint, citius resurgendo procurant. At contra de reprobis, Impij autem* inquit, *coruent in malũ, quia videlicet ipsi cum ceciderint, vel (quod grauius est) corruerint.i. cum capitalia crimina perpetrauerint, ita suo casui delectando assentiuntur, vt ab hoc pœnitendo releuari despiciant.* Itaque secundùm hanc expositionem locus iste sic paraphrasticè commentandus venit. *Ne insidieris, ne quæras,* &c.i. ne curiosè obserues delicta. *In domo iusti.* Non ineptè quispiam dixit ita; ne tanto studio de illis delictis inquiras, vt cùm fortè nihil in ipso peccati reperetis, domesticorum crimina explores, (ratus scilicet hæc ad ipsum pertinere.) *Neque vastes requiem illius,* ne scilicet, illa tua vitæ inquisitione curiosa, & insidiosa, ipsum inquietum reddas, aut immissis peccandi occasionibus animi pacem illi eripias. *Septies enim cadit iustus,* in leuiores videlicet, ac venia dignas culpas sæpius labitur. Et quia eiusmodi casus leuiores sunt, ideò facilè resurgit; & quas admiserat noxas, pœnitentia delet. Quasi dicat, ideò non est inquirendum de iustorum delictis, non quia nulla omnino sint, humanæ enim fragilitatis est labi, sed quia leuiora sunt, atque illis nouæ frugis materiem suppeditant: ac demum in ipsorum bonum recidunt. Contra verò, *impij corruent in malum,* quia grauiora perpetrantes, culpis suis affixi ab eisdem emergere vix possunt, ac demum sibi ipsis æternæ pœnæ malum accersunt. 75.

Beda.

---

17. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum.*

18. *Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.*

CVm ceciderit, &c. Heb. *In cadendo inimicum tuum, ne læteris: & impingendo eum.* Chald. *Et cum corruerit in malum, ne exultet cor tuum.* LXX. *Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas super illum, & in supplantatione eius ne extollaris.* 76.

Ne fortè videat, &c. Heb. *Ne fortè videat Dominus malum in oculis eius, & auertat desuper eo narem suam.* Alij, *& redire faciat ab eo iram suam.* Chald. *Ne fortè displiceat in conspectu eius, cum viderit.* LXX. *Quoniam videbit*

videbit Dominus,& nõ placebit ei,& aduertet indignationem suam ab eo. Symmach. *desuper eo iram suam.*

Beda. I. interpretatio est Bedæ Venerab. cui primas vtique defert Iansen. ad hunc modum. *Cũ ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruina illius ne læteris.* Eiusdem sententiæ iteratio hæc est. Neque enim placet illorum consilium, qui verbum *cecideris*, de lapsu hostis in culpã interpretantur, illud verò, *& de ruina illius*, &c. de eiusdem deiectione per externas calamitates, aut infortunia. Nam vtramque partem de ruinis externis capiendam esse puto; ita enim postulat ipsius sententiæ scopus. Itaque ait, cùm fortè is, qui hostilem erga te animum habet, & inimicitias tecum exercet, in aduersam fortunã reciderit, ne propterea animo gestias. Repetitio illa addit vim significationi: bis quidem lapsum ponit ad significandam magnam quandam ruinam: bis item lætitiam prohibet, vt sic innuat hominem ab ea lætitia, quam odium proximi parit, quam longissimè abfuturum. Quasi dicat, eo magis ab impia illa lætitia quisque alienus esse debet, quo maior fuerit proximi pernicies, ac ruina. Rationem attexit. *Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Hinc Beda suam interpretationem aggreditur, qui nomen illud possessiuũ *suã*, non ad Deum, sed ad inimicum referendum esse putat, hoc sensu. Ne scilicet Deus vidẽs illum malè animatum erga te, prauam illam voluntatem perosus, iram, qua prius inflammabatur, in amicitiam, & gratiam vertat. Quid inde? Tunc, inquit Beda, pudebit te odij pristini, quod scilicet eum aliquando despexeris, qui tecum iam concordi consuetudine, vsuque copulatur. Non displicet.

77. Tamen ego iuxta hanc interpretationem Salomonis mentem aliò deriuandam esse dicerem; ita vt sensus ad perantiquam illam sententiam spectet. *Sic oderis, tamquàm paulò post amaturus*, quam sententiam vulgus tribuit Bianti: & quidẽ alterã eius partem de industria resecui: ea est, *Ama tamquam osurus.* Eam Cicer. enim meritò carpit ac vellicat Tullius in lib. de Amicitia. *Quo iam enim*, inquit, *modo quisquam amicus eius esse poterit, cuius se putauit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere, & optare, vt quàm sæpissimè peccet amicus, quo plures det tibi tanquam ansas ad reprehendendum. Rursus etiam rectè factis, & commodis amicorũ necesse erit angi, dolere, & inuidere. Quare hoc quidem preceptum, cuiuscumque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, vt eam diligentiam adhiberemus in amicitiis parandis, vt nequando amare inciperemus eum, quem aliquãdo odisse possemus.* Aristot. In eandem opinionem abit Aristoteles in libris Rethoricorum, qui eam Biantis sentẽtiam ad hunc modum coërcuit. *Non est amandum, quasi sis osurus, quemadmodũ aiunt, sed ita exercendum odium, quasi sis aliquando amaturus.* Itaque posteriorem illius bimembris sententiæ partem probat Philosophus. Est autem valde prudens consilium, sic odisse, quasi amicitiam tandem aliquando cum his iungere oporteat, quos odio prosequimur: sic enim fiet, vt odia nostra taliter temperemus, vt nihil vnquam aduersus inimicos committamus, cuius postea, cùm in gratiam redierimus, pœnitentia nos capiat. Quid enim magis dignũ pænitentia, quàm eum aliquando violasse, quo iamiam suauissimè vteris? Salomon igitur ad hanc sentẽtiam adludens, sic addit. Noli inimico tuo in ruinam impulso lætitiæ signa dare. *Ne forte videat Deus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam*, ne scilicet Deus iram illam, qua nunc in te sæuit inimicus, extinguat, & in gratiam commutet: tunc enim seriò dolebis, quod eum læseris aliquando, cuius consuetudine dulcissima iam frueris.

78. Secunda interpretatio est Caiet. qui verba hæc, vt A sonant, exponit, & possessiuum nomen, *suam*, Deo Caiet. adscribit. *Cum ceciderit*, inquit, *inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina illius ne exultet cor tuum.* Noli scilicet hosti tuo sic inuidere, vt illius casus, seu ruina tibi lętitiæ materiem suppeditet. *Ne fortè videat Deus, displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Ratio hæc specie tenus absurda videtur (inquit. Caiet.) quia si quis ægrè ferat Deum iram suam temperare, & alicui propitium fieri, grauiter delinquit, atque adeo ipsius Dei furorem in se concitat. Quomodo ergo Salomon ob eam causam inimici casum, & ruinam lætitia, & plausu excipere prohibet, ne Deus inde offensus iram suam ab illo auertat? Occurrit Caiet. affirmans Salomonem hæc verba ad imperfectos intendisse, quos B humaniores quædam rationes permouere magis solent, quàm diuinæ, & sublimes. Displicet Iansenio, Rodolpho, & aliis passim interpretibus hoc responsum; neque enim adduci possunt, vt credant Salomonem tam absonam excogitasse rationem. Quapropter aliam idoneam magis commenti sunt ad hunc modum, *Ne fortè videat Deus, & displiceat*, ne scilicet Deus tanto in proximum odio violatus & offensus, sententiam mutet, *Et auertat ab eo iram suam.* Addunt verò, & quæ hosti tuo immittere mala decreuerat, in te ipsum iratus deriuet. Itaque sensus est, cum, qui inimico suo cadente, aut impingente plaudit, eas pœnas in caput suum vltro accersere quas hostem dare oportebat. Quam verò decens hoc sit, vt is, qui C calamitatibus alterius adgaudet, easdem ipse experiatur, res ipsa suadet. Et quidem Salomon non dicit hunc in calamitatum, & ærumnarum participium, ac societatem simul cum inimico vocandum, id enim solatij genus esset: tum quia laborum socios habere per se volupe est; tum etiam, quia hostem perpeti, & cruciari vtcumque gratum est: sed addit, Deum iram suam ab inimico ablatam in eum translaturũ, qui tãta immanitate præditus est, vt pœna ipsius grauior sit, dum vice versa aduersario suo iamiam gaudente, & ouante, dolet ipse, ac cruciatur. Rationem hanc Tertul. attigit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. 18. qui Talionis legem ad hanc sententiam venustè admodum deflexit, *Mihi*, inquit, *defensam, & ego defendam dixit Dominus: vt interim commissio iniuriæ metu* D *vicis statim occursura repastinaretur, & licentia retributionis prohibitio esset repassionis, vt sic improbitas æstuata cessaret, dum secunda permissa, prima terretur, & prima deterrita, nec secunda cõmittitur, qua, & alias facilior timor talionis per eundem saporem passionis, nihil amarius, quàm idipsum pati, quod feceris aliis.* Quibus verbis significat Tertullianus pœnã talionis ideo latam à Deo in antiqua lege, vt pacem, & concordiã constabiliret. Nimirum, vt quicumque alteri damnũ dare parabat, vel ex eo cõtineretur, quia eidẽ damno ipse subiiciendus foret, verbi gratia, qui alteri oculũ eruere, aut dentem excutere apud se decernebat; vel eo maximè sibi temperaret, quod illi etiam in mulctã damni illati oculus similiter excludẽdus, & dens ex- E trudendus foret. *Nihil. n.* inquit, *amarius, quàm idipsũ pati, quod feceris aliis*, id est, amarum valde videtur ex Dei iustissima prouidentia, & dispositione, idipsũ pati hodie, quod heri aduersario tuo patienti exultabũdus exprobraueras, talioni pro meritis subiectus.

Sed licet hæc appositè dicantur, tamen (ni fallor) 79. opus non est aliquid huic sententiæ vel addere, vel assuere; ipsa enim per se vti sonat elegans satis, ac venusta est. Succedat ergo memoriæ illud Pauli ad Rom. 11. *Non vosmetipsos defendentes charissimi: sed* Rom. 11. *date locum iræ, scriptum est enim. Mihi vindictam, & ego retribuam*, quæ verba Chrys. Theoph. Oecumen. & Theodor. in eum locũ, quibus hæret etiam Aug. in Psal. 78. de ira diuina interpretantur, ita vt sensus sit.

Date

Date locum iræ, idest, itæ Dei vestras iniurias permittite, quæ iustas aliquando his pœnas exposcet ab iis, qui vos violarunt. Quam expositionem suadent illa verba, quæ Paulus producit ex Deuter. cap. 32 *Mihi vindictam, & ego retribuam.* At inquies, eam etiam non esse accommodatam, neque piam rationem: Nam Paulus vindictam à Deo expectare iubet, vt satisfiat aliquando acceptæ iniuriæ: charitas verò & dilectio erga proximum id postulat, vt læsus de vindicta nihil cogitet: sed placatus omnino pro suo aduersario preces ad Deum fundat, vt omne ab illo malum auertat. Nam, & Paulus addit, *Cùm esurierit inimicus tuus ciba illum, cùm sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Quæ etiam verba autores præmissi, quibus adde etiam Origenem, sic exponunt. Opportuna beneficia in hostem colloca, id, enim nobile vindictæ genus. Nam cùm hostis videt merita, & beneficia in se proficisci ab illo quem ipse violauerat, intimè vritur, atque ex animo dolet, vel erubescit Ad quam Pauli sententiam proculdubiò respexit Basilius in Homilia de ira, vbi sic fatur. *Si enim ab aduersario iniuriis petitus mitis fueris, è duobus alterum proculdubio consequeris: aut inimicum tua mansuetudinis exemplo mitiorem reddes, vel certè si despexeris, acrius illum vindicabis. Quid enim aduersario tuo durius esse potest, quàm te animum gerere contumelys omnibus altiorem. Sine illum frustra te adlatrare, in se ipso disrumpi. Sicut enim ille, qui minimè sentientem, aut curantem verberat, se ipsum lædit, & incommodo afficit, quod nec inimicum plectere, nec animam, iramque exsatiare se videat: sic & is, qui contumeliam in eum, qui nequaquam dolet, iacit, perturbati animi consolationem inuenire nullo modo poterit: quin potius, quemadmodum diximus, ardebit magis, & animo æstuabit.* Vide plura, quæ de hac sententia conflabimus infra cap. 25. v. 21. simile autem ex his incommodum sese offert, quia hæc Pauli doctrina non tam vindictam tollere, quàm permutare videtur: Charitas autem vera ab omni vlciscendi libidine plurimùm abhorrere debet.

Deuter. 32.

Basil.

80. Respondeo ergo Paulum his verbis, atque rationibus non ideò vsum fuisse, vt suaderet ea intentione, & animo vindictæ parcẽdum, quia Deus vel tandem aliquando pœnas expetit, vel ipsamet iniuriæ patientientia absque vlla perturbatione aduersarium seuerius excruciat, quàm quęlibet alia damni accepti redditio. Nam eo consilio à vindicta abstinere à charitate alienum est. Sed id, quod reipsa contingit, aperit, ne animus vlciscendi libidine inflammatus ad referendas hosti suo iniurias, damnaque restituenda præceps feratur. Itaque præmissæ rationes non præscribunt intentionem, qua vindictæ parcendum est: absit, sed causas, quibus homo ad vltionem induci solet, extenuat, & eleuat ne mens damni compensandi ardore decipiatur. Ad eundem modum Salomon in hoc loco, dum ait: *Ne fortè videat Deus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam*, non suadet ea intentione de inimici damnis gaudendum non esse, sed ne quem ad id gaudium iniuriæ reddendæ libido perducat, ea ratione persuadet: quia tantùm abest vt id gaudij, quod quis ex aduersariorum ærumnis suscipit ad vindictã pertineat, vt potius illud in causa sit, vt Deus ne tam deprauatæ libidini obsequi videatur, mala, quæ hosti inferre decreuerat, intermittat, & iram in misericordiam conuertat. Et quidem eam esse puto germanam huius loci interpretationem. *Ne fortè videat Deus, & displiceat.* Ne scilicet Deus voluntatis tuæ prauum motum inspiciat, atque illum meritò detestans, *auferat ab eo iram suam*, idest, supplicium intercipiat. Est enim hoc dignum Deo consilium: nam si te gaudente, & exultante hostis tui pœnam Deus ipse vrgeret, daretur ansa cuipiam existimandi tuam Deo voluntatem nequissimam probari, vtpote, qui eidem velut de industria obsecundare videretur. Quapropter mauult Deus de sua iustitia aliquid detrahere, & misericordiæ id tribuere, quàm suam bonitatem, & sanctitatem in suspicionem adducit: ad quam spectat bona probare, & mala detestari.

---

19. *Ne contendas cum pessimis, neque æmuleris impios.*

20. *Quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur.*

NE contendas, &c. Hebr. *Ne succenseas malignis, neque æmuleris in impios.* Vatabl. *Ne succenseas propter malos, neque æmuleris propter impios.* Septuag. *Ne gaudeas in malefactoribus, neque æmuleris peccatores.* Chald. Non imiteris pessimos, neque æmuleris *improbos.* Omnia in idem recidunt. 81.

Quoniam non habent, &c. Hebr. *Quia non erit nouissimum maligno*, &c. Pagnin. *Quia non erit finis homini maligno.* Vatabl. *Nam malo tandem nihil supererit.* Chald. *Quia non erunt nouissima bona pessimis.* LXX. *Non enim sunt posteri maligno: fax autem impiorum extinguetur.* Rodolph. *Non erit impio merces.*

Prior ille versus, *Ne contendas cum pessimis*, &c. ad verbum depromptus est ex Psalm. 39. nam licet paulò aliter à Vulgato interprete translatus sit, sic, scilicet, *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*, tamen in Primitiuis ipsissima vtrobique verba sunt. Sed subest difficultas: Nam quia quemadmodum apud Latinos verbum *æmulari* tres capit significationes, scilicet, *imitari, inuidere*, aliquãdo etiam ex quadam indignatione *contendere*: sic etiã Hebraïcæ radices חרה *Tachar*, & קנא *Kana*, easdem suscipiunt. Hinc lis inter expositores

Caietan. ad imitationem morum refert hoc sensu; Ne cum impiis commercia ineas, neque illorum mores æmula imitatione in te exprimas, *Quoniam non erit finis malo, & lucerna impiorum extinguetur.* Sic locum restituit. Sunt (inquit Caiet.) impiis mala, & bona; bona quidem eorum sunt opes, ac secunda fortuna, quæ ad hanc vitam pertinent; hæc verò per *lucernam* significantur: mala autem ea sunt, quæ post hanc vitam illos manent scilicet pœnæ, ac supplicia. Ait ergo nequaquàm impij æmulatione digni sunt; nam eorum mala non habent finem, idest, æternæ sunt pænæ, quas pro sceleribus daturi sunt, & eorum *lucerna*, id est, prosperitas, & fortuna, ocyus extincto spendore deficiet. Vide quæ supra diximus ad illa verba. *Ne æmuletur cor tuum peccatores*, &c. c. 23 v. 17. & supra in hoc ca. vers. 1. ex quibus aliqua ad hanc sententiam spectant. Caietan.

Secunda interpretatio est Rodolphi, Iansenij, Clarij, & Vatabli, qui verba illa *contendere*, & *æmulari* ad inuidentiam, & liuorem transferunt, hoc sensu. *Ne contendas cum pessimis, neque æmuleris impios*, id est, noli illis fœlicitatem, & fortunam inuidere. *Quia nõ erit nouissimum maligno, & lucerna*, &c. Isidior. Clarius certè per *nouissimum* prolem, & posteritatem intelligit, per *lucernam* autem vitam. Quasi dicat, fortuna illorum non est inuidia digna, quia omnis impius carebit liberis, atque ipsius etiam vita ocyus deficiet. Nec caret lepore ista sententia; nam sensus est, ipsius vtique vita, atque fœlicitas breuissimis finibus, ne dicam momento, concludetur, quia nullos liberos numerabit: nam in liberis parentum fortuna, & vita propagatur quodammodò, & ad seram posteritatem transmittitur, vnde eius, qui absque liberis discedit, fortuna leuis admodum, ac momentanea est. Huic interpretationi 82.

Isidor. Clar.

pretationi subscribere videtur Sept. qui locum istum sic extulerunt. *Ne gaudeas in malefactoribus, neque amuleris peccatores: non enim fiunt posteri maligno, fax autem malorum extinguetur.*

83. Vatablus verò in eo dissidet ab Isidoro, quod illa verba *non erit nouissimum maligno*, sic paraphrasticè restituit, *Nam malo tandem nihil supererit*, quæ verba duplicem sensum capiunt. Prior est; Nullus illi erit superstes filius, atque hæres; qui cum superiori expositione omnino conuenit. Posterior est Iansenij ad hunc modum; Quidquid copiarum, & fœlicitatis habent, cum ipsis simul fluet, atque intercidet, nihilque
Psalm. 75. reliqui apud ipsos manebit, iuxta illud, *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* quæ verba concordant prorsus cum
Psal. 36. illis Psal. 36. *Simul reliquiæ impiorum interibunt.* Illa autem verba, *Lucerna impiorum extinguetur.* Iansen. Vatab. & Rodol. vel de prosperitate impiorum, vel etiam de vita eorum, aut (si placet) de sobole, ac posteritate accipi posse dicunt: quas omnes *lucernæ* acceptiones perstrinximus, & expendimus supra ca. 20. v. 20. & c. 13. v. 9. Vide ibi plura.

84. Cæterùm licet hæc non ineptè dicta sint, tamen à Vulgata lectione tantisper abeunt, nec satis exhauriunt vim illius verbi, *Ne contendas*. Ergo Lyranus, ne verbum illud missum faceret, interpretationem parū idoneam commentus est. *Ne contendas cum pessimis*, &c. idest, ne verbis, & rationibus cum illis agas de virtute, & probitate disceptans: hos etenim non verba, aut contentio dicentis, sed verbera, & pœnæ ab ipsis expetitæ à malitia ad bonam frugem reuocant, sed hanc interpretationem contextus ipse arguit, qui subdit. *Non æmuleris viros impios*: præsertim secundùm eiusdem Lyræ interpretationem, qui illud, *non æmuleris*, perinde esse dicit, ac non *imiteris*, &c. Iam vides incohærentiam. Quapropter perplacet mihi Hugonis interpretatio, quam secundo loco exhibet; si tamen sententiam, quam ipse perstringit, & in angustias cogit, ampliorem reddamus. Ille enim sic fatur. *Ne contendas cum pessimis*, ne scilicet illis litem intendàs, tua repetendo, sed mage iniuriam patere, iuxta illud 1.
1. Cor. 6. Corinth. 6. *Iam quidē omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis iniuriam patimini?* sic ille. Ego verò existimo sententiam istam cum superiori cohærere. Nam cùm præmisisset, aduersariorum ruinis, & ærumnis minimè gaudendum esse, ne Deus auertat ab illis iram suam; iam nunc subdit, cum eisdem minimè contendendum decertandúmve, neque iram cōtra illos suscipiendam, sed vindictam Deo prorsus permittendam esse. Itaque sensus est, *Ne contendas cum pessimis*, vel vt alij conuertunt. *Ne succenseas improbis*, pessimos appellat eos, qui damna dederunt, aut iniuriam intulerunt, quasi dicat, ne cum his cōfligas, aut depugnes, vt pœnas damni dati ab eisdem exigas, neque etiam in illos irasci velis (verbum *æmulor* in hoc loco ad iracūdiam pertinet) quasi aliter impunes, & inulti habituri sint, quoniam propter damnum, atque iniuriam tibi illatā grauissimæ illos manent pœnæ à Deo infligendæ. *Non enim habent futurorum spem mali*, idest, improbi illi ob eam causam priuantur spe æternæ fœlicitatis capessendæ. *Et lucerna impiorum extinguetur*, idest, humanæ etiam fortunæ, & fœlicitatis splendor, quo gaudent, Deo etiam retribuente, ac vicem reddente, deficiet. Itaque Salomon tantùm abesse ait, vt ille improbus damnorum dator inultus abeat, vt non modò in futura via æternis, sed etiam in hac externis bonis priuatus, pœnas, Deo autore, maximas daturus sit. Et quidem hæc interpretatio ad eum canonem exigenda est, cui superiorem sententiam nuper subiecimus. Non enim hæc ideò dicun-

A tur, quod ea intentione vindictæ parcendum sit, vt Deus puniat: sed quia stimulos quibus hi, qui violati sunt ad repetendas suis manibus pœnas incitantur, omnino hebetant, facileque mouent homines, vt suarum iniuriarum actionem Deo permittentes, ipsi mansuescant.

Quod si ampliorem hanc sententiam tantisper coërcere, ac perstringere quispiam velit atque verbū illud, *Ne contendas*, iuxta mentem Hugonis, de litibus illi minimè intentandis à quo læsi sumus, accipiamus, sensus euadet non insulsus ad hunc modum. *Ne contendas cum pessimis.* Actionem iniuriarum apud iudices sæculares, & humanos omittere consulit Salomon hoc optimo argumento. Ne aduersus hostem 85.
B tuum litem suscipias & de iniuriis tibi illatis apud iudices humanos expostules. *Neque æmuleris impios*, &c. ne scilicet æmulationi, hoc est, indignationi tuæ obsequaris, quasi aliter hostis te impunè læso gloriaturus sit. Est enim supremus iudex, qui aduersario tuo vicem reddat, Deus ipse, qui, te iniurias dissimulante, sententiam contra impium illatorem feret, qua illum perpetuæ fœlicitatis hæreditate priuet, æternisque ignibus addicat, interim verò in hac vita temporalia bona proscribat, & fortunarum omnium priuatione mulctet: id sibi volunt illa verba, *Non enim habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur.*

Alias verò lectiones huius posterioris versus ad hunc sensum allicere integrum est, omnes enim pœ- 86.
C nas continent satis magnas, quas Deus impiis immittit, quibus impares sunt omnes illæ, quas læsus per se ipsum sumere potest, etiam apud iudices externos agens. Percurram singulas. *Quia non erit finis homini maligno*, sic Pagninus, id est, pœnas dabit æternas, & nullo fine carentes, quasi dicat: Quidquid pœnarum tu vindictæ loco vtcumque ab aduersario tuo expetere potes, tandem aliquando finiri oportet: at Deus pœnas exposcit æternas. Rodolph. *Non erit impio merces.* sensus concinit cum lectione nostra. Simili etiam modo paraphrasis Chaldaicæ sententia cum nostra concors est, *Quia non erunt nouissima bona pessimis.* sed tamen ad hanc interpretationem euocata emphasim specialem habet. Hominis quidem nouissima hæc
D sunt, mors, & iudicium, gehenna, aut beatitudo æterna: hæc autem extra humanæ potestatis terminos se se efferunt, & diuinæ tantummodò subiiciuntur potestati. Itaque sensus erit. Quantumcunque contendas aduersario tuo damna dare, eius certè nouissima infortunata, & infœlicia reddere nequaquam poteris: hæc autem omnia Deus potest, cui te tuarum iniuriarum castigationem permittere suadeo.

Vatablus verò sic habet: *Quia malo tandem nihil supererit.* Hæc est altera ratio non inelegans. Nullus 87.
certè homo iræ acquiescens suæ, aduersario suo bonorum omnium amissionem inferre potest, ita vt nihil boni illi vltra supersit. Nam etsi bona externa humanæ violentiæ subdita sint, at interna, & externa ex
E Dei tantummodo nutu pendent, & ab eo dari, vel auferri possunt. Ait igitur Salomon, Vindictam tuarum iniuriarum Deo relinque, neque per te ipsum, aut iudices humanos illam exquire: nam si animi tui motus perscrutari velis, facilè agnosces non aliter tuæ vlciscendi libidini satisfaciendum iri, nisi hoste bonis omnibus spoliato; id autem solus Deus præstare potest, qui in externa, atque interna bona ius habet. Septuaginta conuertunt, *Non enim fiunt posteri maligno*, quibus alij non pauci adhæserunt: hinc quoque nouus huic sententiæ splendor accedit. Nam iudicia humana quoties reum aliquem puniunt liberis illius parcunt, atque adeò supplicium leuius fit, quia cùm filij magna sint parentis pars, si quidem hi incolumes sint, magna vtique illorum pars salua est.

Deinde

Deinde cum in filiis parentes viuere dicantur, his superstitibus, ipsi interire non possunt. Quid inde? tuarum iniuriarum vltionem supremo iudici Deo committe, inquit Salomon, neque illum apud humanos magistratus conuenire velis; nam hi cum seuerissimè agunt, etsi parentem capite mulctent, liberis tamen parcunt: atque adeò præcipua morientium pars salua manet: quinimò emori ipsi minimè dicendi sunt, quandoquidem eorum vita in filiis perennat. Cùm ergo tuę indignationis vis eò feratur, vt hostem tuum omnino de medio tollas, id certè Deo permittere debes, ipso enim autore, atque iudice, *Non fiunt posteri maligno*, illum videlicet pro meritis, liberis, ac posteritate iustè priuare, & mortem integram non dimidiatam eidem inferre solet.

88. Ad hunc modum præmissæ lectiones huic nostræ expositioni adaptari possunt, quam non parum illustrant Origenis verba ad illa Pauli, *Date locum iræ*, scilicet Dei. (Origen.) *Ira*, inquit, *absolutè sic dicta, Dei indignationem significat: nam nostra indignatio vix ira nomen meretur, qua videlicet, hoste sæpius inulto, nosipsos lædimus, & maiorem, atrocioremque plagam nobis ipsis, quàm aduersario infligimus. Date igitur locum iræ. Cui iræ? diuinæ vtique indignationi: hæc enim proprissimè ira est, quia, & in hostem tuum quidnis potest, atque, te illæso, hosti extremam perniciem afferre potest.* Et quidem dum Paulus dicit, *Date locum*, manifestè innuit nostra in hostes sæuiente ira diuinam iram loco suo excludi, Deumque illis parcere solitum, à quibus nos iniuriarum pœnas exquirimus, *Date*, inquam, *locum*. Syriacus codex, *Date sedem*, aut, *thronum*, per sedem autem ac thronum tribunal intelligo, ex quo magistratus iura dicere consueuerunt: Ita vt sensus sit, Cùm læsi fueritis, nolite vestrarum iniuriarum actionem ad humanos magistratus deferre, sed date sedem, ac thronum iræ Dei, eam scilicet causæ vestræ iudicem præficite, quæ in aduersarios vestros sola pro meritis animaduertere potest. Nam quemadmodum leges humanæ hoc decernunt, vt in eo tribunali lis necessariò peragenda, & finienda sit, vt primum contestata est: ita etiam diuinis decretis quodammodò cautum esse dixerim, vt in eo tribunali, aut subsellio, nostrarum iniuriarum actio definiatur, ad quod primum delata fuit. Itaque si apud humanos iudices agimus, aut nostro etiam iudicio causam peragi volumus, vindictam propriis manibus exquirentes, ibi certè causa terminatur, & diuinæ indignationi locus non fit: sin verò ex aduerso humanis iudiciis prætermissis causam nostram ad diuinæ indignationis tribunal primum detulerimus, lite apud ipsam contestata, nobis vtique silentibus, ac dissimulantibus, Deus ipse actoris simul atque iudicis personam exercebit, atque dignas flagitiis suis in aduersarios nostros pœnas statuet.

Denique extrema illa verba, *Lucerna impiorum extinguetur* ideò missa facio, quia de his sat multa diximus supra cap. 13. vers. 9. & cap. 20. vers. 20. lege ibi.

---

21. *Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum detractoribus ne commiscearis.*

22. *Quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit?*

89. **T**ime Dominum, &c. Hebr. ad verbum. *Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum iterantibus non misceas te.* Pagn. verò sic extulit. *Et cum iterantibus iniquitatem ne miscearis.* Caiet. *Et cum mutatoribus ne misceas te.* Vatablus, *Et cum his, qui rerum nouarum studiosi sunt ne misceas te.* Isidorus. *Cum variantibus.* A Chald. *Cum stultis.* •Et quidem subest in originibus עם שונים *ghum sonim*, ex radice *Sanah*, quæ significat *mutare, alterare, iterare, & variare.* Existimo autem Septuaginta nō שונים *Sonim*, sed שנים *Senim*, lectitasse, idest, *duo*, atque adeò sic ad verbum locum restituendum censuerunt. *Et cum duobus ne misceas te.* Sed tamen verbis omissis sensum expresserunt ad hunc modum. *Time Deum, & Regem, & neutri eorum sis inobediens.* Schol. *Et neutri eorum commiscearis.* Ex Vulgatis etiam codicibus aliqui sic habent in hoc loco. *Et cum aliter agentibus ne miscearis.* Quæ lectio proximè accedit ad Originalem.

Quoniam repente consurget, &c. Hebr. *Quoniam repente surget exitium eorum, & contritionem amborum* B *eorum quis nouit?* Chald. *Quoniam repente veniet interitus eorum, & calamitatem amborum quis scit?* Sept. *Subito enim vlciscentur impios; supplicia autem vtrorumque quis nouit?*

90. Locus iste præcipit timorem Dei, & Regis. Et quidem interpretes verba illa, *Time Deum, fili mi, ac Regem*, sic ordinant. Deum vtique metue, & post Deum Regem, atque adeò his verbis suaderi primùm existimant, vt timor Regis, atque cuiusuis alterius potestatis humanæ, Dei timore omnino subiiciatur: Ita vt quoties vtriusque leges dissidere inter se visæ fuerint, diuinis potius, quàm humanis præceptis ad vnguem obsequendum sit. Ad quam sententiam benignè admodum allici possunt verba sequentia secun- C dùm lectionem Originalem. *Et cum mutantibus ne misceas te.* nequaquam mores illorum consectari velis, qui ordinem istum permittant: & Regi primum, deinde Deo deferendum esse existimant. Hunc etiam ordinem præscribit Petrus in 1. can. cap. 2. *Timete Deum, Regem honorificate:* (Petr. 1. Can. 2.) neque solùm ordo iste elucet in verborum serie, sed ex ipsa quoque illorum sententia emicat. Nam cùm Deum timendum, Regem verò honorificandum dicit, hunc illi postponendum apertè demonstrat: si quidem timoris obsequium fortius adigit, quàm honoris. Ergo mutantibus, aut inuertentibus ordinem hunc valde accommodatè minitatur Salomon repentinum interitum. *Quoniam repente consurget perditio eorum*, &c. D Sed cur his repentinum interitum interminat Salomon? Quoniam illi, qui Regibus potius, quàm Deo timorem, & honorem reddendum putat, ex his plerumque sunt, qui Deo rerum humanarum prouidentiam denegant, & omnia absque consilio magna cum temeritate fieri existimant. Succedat ergo memoriæ id, quod tradit Chrysostomus Hom. 1. de verbis Isaiæ, (Chrysost.) nimirum subitas quorundam hominum ruinas Dei prouidentiam plurimum commendare. *Nam quemadmodum*, inquit, *cùm in desperatis morbis subitæ, atque extemporariæ sanitates contingunt, eas in miraculis ponimus, & Deo confestim tribuimus, is enim solus ea ratione sanare potest. Ita etiam cùm eos, qui prospera nuper vtebantur fortuna subito deiici, & in sum-* E *mam miseriam ruere videmus, statim credimus illam ruinam non casu, aut ab hominum industria, sed ex Dei prouidentia venisse.* Verba perstrinxi, & sententiam dedi. Ergo aptè admodum subiungit Salomon. *Quoniam repente consurget perditio eorum*, &c. Videlicet vt eo argumento de prouidentia Dei erga res humanas certiores facti, si fieri possit, ipsi resipiscant, aut certè reliqui eorum malis edoceantur.

91. Alij rursus de ordine nihil curant in hoc loco, sed tantummodò suaderi dicunt, vt duas res potentissimas, quæ hominem facilè perdere, & euertere possunt, Deum videlicet, atque Reg. obsequio, & timore colere, atque eorum legibus ad nutum parere velimus. *Time Dominum, fili mi, ac Regem*, hæc perspicua sunt: addit. *Et cum detractoribus ne commiscearis*, per

detractores hîc (vt communis interpretum sententia fert) non accipiendi sunt obloquutores qui aliorum famam, & bonum nomen verbis violant, (hanc enim significationem vox originalis non capit) sed mutatores, ac rerum nouarum studiosi: hi scilicet qui legum seueritatem mutari, publicam administrationẽ euariari, etsi fieri possit, prodito aut sublato iusto Principe, alium minus seuerum præfici vellent. Vel, si ita libet, pro *detractoribus* subiiciendi sunt *Iterantes iniquitates*, vt placuit Pagnino. Ita tamen vt eo nomine significentur hi, qui sua scelera impune sæpè ac sæpius admittere cupiunt: atque vt id ipsius prorsus liceat, à Deo prouidentiam, & à Regibus seueritatem auferri vellent: cum his igitur, inquit Salomon, ne *commisceaeris*, ne scilicet in ipsorum mores discedas, vel consilia illorum probes.

92. *Quoniam repente consurget perditio eorum. Et ruinam vtriusque quis nouit?* Hic versus distrahit interpretes. Nam ex his Beda, Hugo, Dionys. Lyra, & alij eiusdem notæ, illa verba *perditionem eorum, & ruinam vtriusque* intelligunt quidem de detrahente, & de eo, qui illi vel acquiescendo vel fauendo adiunctus, vel sociatus est; quasi dicat, Cum *detractoribus*, &c. ne te detractoribus, aut mutatoribus adiungas. (deinde, vt solemne est scripturæ, stilum quodammodò vertit, & personas variat.) *Quoniam repente consurget.* Ei nimirum, qui detrahit, & qui detractori etiam obsequitur, imminet subita pernicies & ruina. Vnde ab ipso Deo (inquit Hugo) qui non modò in suos, sed etiam in Principum violatores seuerè admodum animaduertit Iuxta illud Pauli ad Rom. 13. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Alij verò interpretes Rodolph. Iansen. & Vatabl. pronomina illa *eorum, & vtriusque*, ad Deum, & Regem referenda esse existimant, ita vt sensus sit, *Repente enim consurget perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit?* idest, *perditio, & ruina*, quam duo illi, Deus videlicet, ac Rex inducent super illos, qui eos non timuerint, & debita ipsis obsequia non exoluerint. Itaque *perditio eorum* dicitur quasi actiuè, idest, ab eis immissa, & *ruina vtriusque*, idest, ab vtroque inducta. Hanc verò subitam, ac repentinam fore dicit, quia Dei, atque Regum ea in parte haud dispar consilium esse solet, vt suos violatores repente obruant. Id enim maximam illorum potentiam testatur, quæ vbi supra aliquem pondere suo incubuit, illum subitò opprimit. Huic interpretationi suppetias venit translatio Sept. qui locum istum sic extulerunt, *Subito enim vlciscentur impios, supplicia autem vtrorumque quis nouit?*

Rom. 13.

93. Ego verò, quod spectat ad hanc extremam quæstiunculam, assentior Caiet. qui sic dissidium componit, vt prius illud pronomen *eorum*, ad detractores reuocetur, posterius autem illud *vtriusque* ad Deum atque Regem. Locum autem integrum sic edisserendum puto. *Time Deum fili mi, ac Regem.* Hæc prior clausula duplici sensu donari potest. Alter est ille, quem initio præmisi *Time Deum*, & secũdùm Deum *Regem time*; id enim rectus ordo sibi deposcit. Hunc ad sensum alliciunt nonnulli illa verba Pauli ad Rom. 2. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt*, sic verba dispungi debent: in Græcis verò sic habes. τὰ ὑπὸ θεοῦ. atque adeò sic efferri possunt. *Sub eo ordinata sunt.* i. omnes potestates, quæ verè tales sunt, sub Deo, & secundum Deum suum ordinem habent, atque sibi post Deum deferri volũt. De hoc ordine eleganter admodum August. serm. 6. de verbis Domini. *Sed quid si Princeps iubeat quod non debes facere? contemne potestatem, timẽdo potestatẽ. Ipsos humanarum rerum gradus adnerte: si aliquid iusse-*

August.

A *rit Curator, nonne faciendum est? ita quidem: tamen si contra Proconsulem iusserit, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire; neque huic debet minor irasci, si maior prælata est. Rursum si aliquid ipse Proconsul iubeat, & aliud iubeat Imperator, numquid dubitatur illo contempto isti seruiendum? Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus: quid iudicatis? solue tributum, esto mihi in obsequiũ. Rectè, sed in dolio prohibet, Quis prohibet? Maior potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur.* Quibus verbis rationem præscribit, ob quam Dei timor præferendus est.

Audiendus est etiam Tertul. in apolog. cap. 36. vbi sic scribit. *Nos*, inquit, *pro salute Imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum, quem,* 94. Tertul.
B *& ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malũt. Sciunt quis illis dederit Imperium, sciunt qua homines, qui & animam sentiunt, cum Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi ante omnes, & super omnes Deos. Quidni? cùm super omnes homines, qui vtique viuunt, & mortuis antestant.* Et infra. *Cœlum vtique depellet Imperator, cœlum captiuum triumpho suo inuehat, cœlo mittat excubias, cœlo vectigalia imponat: non potest vtique. Ideò magnus est, quia cœlo minor est; illius enim est ipse, cuius cœlum est, & omnis creatura. Inde est Imperator, vnde est, & homo antequam Imperator. Inde potestas illi, vnde spiritus*, &c. Et cap. 33. de eodem ordine pereleganter scribit. *Imperans*, inquit, *maiestatem Cæsaris infra Deum magis*
C *illum commendo Deo, cui soli subycio: subycio autem cui non adæquo. Non enim Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dicere, si homo sit. Interest enim homini Deo cedere, satis habeat dicit Imperator, grande hoc nomen est, quod à Deo traditur: nisi homo sit, non est Imperator. Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur, suggeritur enim ei à tergo, respice post te, hominem memento te: & vtique hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, vt illa admonitio conditionis suæ sit necessaria. Minor erat si tunc Deus diceretur, quia non vere diceretur. Maior est, qui reuocatur, ne se Deum existimet.* Quibus verbis Tertul. contendit præcipuam Imperatorum gloriam in eo versa-
D ri, vt Deo cedant, & post Deum coli se, ac reuereri velint. Est etiam sibi similis Tertul. in lib. de Idolo. cap. 15. *Colimus*, inquit, *Imperatorem, si quomodo, & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consequutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet, sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.* Salomon ergo vt timoris, & obsequij humani rectum ordinem præscriberet aptè dixit. *Time Deum fili mi, & Regem*, hunc scilicet post illum time, atque cole.

Vel certè alia fuit mens Salomonis, in quam mens mea pendet magis. Voluit scilicet significare Regibus atque Principibus propter Deum esse deferendum. Itaque perinde est ac si dicat. *Time Deum fili* 95.
E *mi, ac Regem*, Regem scilicet vereri debes, si Deum times, nam ad præstandum Regibus obsequium, & cultum, ipse Dei timor adigit: sunt enim Reges Dei ipsius ministri, & vicarij. Paulus ad Rom. 13. *Dei enim ministri sunt in hoc ipsum seruientes.* Quemadmodum ergo Regis ministros, eiusque personam sustinentes ideò colimus, quia Regem reueremur: ita etiam Reges ipsos, qui Dei ministri sunt, ac vicarij, adeò cultu, ac reuerentia prosequi debemus, quia Dei supremam maiestatem timemus. Ideò Paulus paulò ante præmiserat: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Necessitas hîc debitum, & obligationem sonat, ita verò ad Principes pertinent, conscientia ad Deum. Itaque sensus est. Vt Principibus obsequia deferatis non modò ipsorum, Rom. 13.

Ipſorum ira, quæ in refractarios plurimum ſæuit, ſed A
etiam ipſa conſcientia vos adigit, quæ aliter faciens
rea eſt omnino apud Deum. Et quidem ita decuit, vt
hæ poteſtates diuina, atque humana, inter ſe conſpi-
rarent, ita vt diuina humanæ autoritatem compara-
ret, & humana etiam diuinæ obſeruiret. Sæpè.n. quos
Dei timor coërcere non poteſt, Principum metus in
Irinæus. officio continet. Huc ſpectauit Irenæus lib. 5. cap. 24. *Quoniam enim abſiſtens à Deo homo in tantùm efferatus eſt, vt in omni inquietudine, & homicidio, & auaritia ſine timore verſaretur; impoſuit illi Deus humanum timorem. Non enim cognoſcebant timorem Domini: vt poteſtati hominum ſubiecti, & lege eorum adſtricti aliquid aſſequantur iuſtitiæ, & moderentur ad inuicem, in manifeſto poſitum gladium timentes, ſicut Apoſtol. ait. Non enim ſine cauſa gladium portat.* Et infrà. *Ad vtilitatem gentium,* (& idem iudicium eſt de improbis Chriſtianis) *terrenum regnum poſitum eſt, adeò vt timentes regnum humanum non ſe alterutrum hominus ritu piſcium conſumant, ſed per legum diſpoſitiones repercutiant multiplicem iniuſtitiam.* Atterit Salomon.

96. *Et cũ detractoribus ne cõmiſcearis,* &c. vel, *cum mutatoribus,* vel, *Alteratoribus.* i. cum ſeditioſis hominibus, qui rerum nouarum ſtudio Principum ſuorum obedientiam, & iugum excutere volũt, & libertatem, impunitatem, vitámque exlegem, & ab omni onere immunem affectant; cum his ergo nequaquam *admiſcearis.* i. ne fœdera ineas, ne conſpires cum illis: exiſtimo enim Salomonem ſeditiones, & coniurationes in legitimos Principes his verbis prohibere.

Quoniam repente conſurget perditio eorum, ſcilicet detractorum, aut eorum, qui mutationibus ſtudent, & contra Principes ſuos conſpirant. Nam illorum fraus, & coniuratio detegi tandem ſolet, & tunc vel maximè à Principibus inopinantes opprimi. Quia cùm eiuſmodi proditiones, quas contra Regum ſalutem coniurati moliri ſolent, non modò maieſtatem illorum lædant, ſed etiam Deum ipſum, cuius illi vicariam poteſtatem gerunt, grauiter offendant, nunquam profectò tuti eſſe poſſunt, quominus Deus illorum fraudes retegens, temerarios auſus ſubito, atque digno ſupplicio coërceat, aut Regi coërcendos tradat. Propterea ſubdit. *Et ruinam vtriuſque quis nouit?* ruinam ſcilicet ab vtroque immiſſam, à Rege, & à Deo. Hebraïçe. *Et contritionem amborum quis nouit?* Non ſolùm quia eos inopinantes opprimet, ſed etiam quia alij iudices in ſuppliciis decernendis leges iam latas ſequuntur, atque adeò pœnas, quas illi delictis ſtatuunt præſcire licet. At Reges ſupremi nullis legibus aſtringuntur, ſed arbitrio ſuo pœnas imponere, & delicta quibuſlibet ſuppliciis coërcere poſſunt, quapropter quid tandem illi decreturi ſint nulli compertum eſſe poteſt. Qua in re diuinæ iuſtitiæ formam, & rationem imitantur, quæ nullis etiam legibus obſtricta, pœnas etiam arbitrio ſuo definit. Et quidem mens Salomonis eſt ciues à ſeditionibus, proditionibus, & coniurationibus in Reges dehortari, quia nimirum contra eos, qui eo modo in principes coniurant, vtraque poteſtas, diuina, & humana, conſpirant; quia vtraque eiuſmodi coniurationibus violatur, quarum vim declinare aut fugere nullus poteſt.

Sed enim in Codice Vaticano Septuaginta interpretum ſubiiciuntur verba non pauca, quæ in Vulgatis deſiderantur, & ab originibus etiam abſunt: libet tamen illa huic loco aſſuere, nam ad Principes etiam pertinere videntur. Mitto autem alteram ſententiam, quæ ſic habet. *Verbum cuſtodiens filius extra perditionem erit, excipiens autem excepit illud.* Hæc enim infra c. 29. reperitur etiam in Vulgatis, & ea tãtummodò verba hîc adſcribã, quæ alibi nõ occurrũt.

22. *Nihil falſi de ore Regis dicatur, & nihil falſi de lingua illius exeat: gladius lingua Regis, & nõ carnea: quicumque autem traditus fuerit, conteretur. Si enim irritatus fuerit furor eius cum neruis homines abſumit, & oſſa hominum deuorat, & comburit tamquam flamma, ita vt ſint inepta eſui pullis Aquilarum.* Sub eunte v.

HOrum verborum ſcopum collimare facile 97.
B eſt, eorumdem verò ſententiam texere difficultate non vacat. Docet vtiq; Salomon nihil falſi apud Regem aſſerendum, nihilque per dolũ, aut fraudem cum ipſo gerendum eſſe. (Exiſtimo autem hæc verba ad eos deterrendos addita fuiſſe, qui doloſè, ac fraudulenter in Principes cõiurant. Quod autem ſubdit, *Et nihil falſi de lingua illius exeat,* ſic reſtituendum puto, *Et nihil falſi de lingua illius exit,* hanc enim lectionem capit text. Græcus: particula verò &, vt ſæpè aliàs dixi, vim habet cauſalis, *quia,* quaſi dicat, *Quia nihil falſi de lingua illius exit.* Ideò ſcilicet nihil per fallaciam, & artificioſos dolos Regi dictandum, aut cum illo actitãdum quia quidquid ille contra fraudulentos, & proditores lingua ſua ſtatuit,
C nunquam fruſtratur, ſed verum certumque euadit: nam quod lingua ſua vel temere denunciat, regali, & ſuprema potentia facilè exequitur. Quid inde?

Gladius lingua Regis, & non carnea. In quibuſdam 98.
Græc. codicibus legitur etiam, *Gladius igneus lingua Regis,* quæ lectio cum reliquis huius ſententiæ verbis optimè congruit: exiſtimo enim hîc igneum gladium metaphoricè fulmen, quemadmodum in Pſal. 79. ful- Pſal. 76.
mina, *ſagittarum* nomen ferũt *Etenim ſagitta tua trãſeunt, vox tonitrui tui in rota* & Pſalm. 17. *Miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Pſal. 17. Nota verò verò eſt fulminum natura, quæ, cùm corpora tangunt, molles carnes ne violare quidem ſolent: neruos autem, & oſſa intra carnes pe-
D nitus deliteſcentia, vi ſua ſoluunt, atque conterunt. Nihil certius. Addo etiam ex Alberto Magno, ful- Albertus.
mine tacta cadauera à nullo animante depaſci. In promptu cauſa eſt, quia fulminis flamma ſulphurea tetro odore, atque ſapore, quas attigit carnes inficit, atque adeo nulli animanti edules relinquit. Salomon erga ad proditores exterrendos, qui contra Principes occultè conſpirant, & vires, copiaſque clanculum adornant, ſic ait. *Lingua regia,* ideſt, illius ſcilicet mandatum, & præceptum ad inſtar eſt ignei gladij, ſeu fulminis igniti. *Quicumque autem traditus fuerit, conteretur,* ideſt, quicumque illi retectis fraudibus, proditiſque conſiliis commiſſus fuerit, fulminea vi conteretur. Et quemadmodum fulmen neruos,
E oſſaque intra carnem latentia confringit, ac comminuit: ſic etim Rex, ſi iratus fuerit, furor eius cum neruis homines abſumit, & oſſa hominum deuorat, & comburit tamquam flamma, ideſt, vires, copiaſque neruorum, atque oſſium in morem, cõtra illum, clam comparatas, & publico, commentitioque obſequio, & obedientia, tamquam carne, exterius contectas, fulminea quadam vi perculſa labefactat & comminuit. Itaque hac ſimilitudine ſignificat Regum vim, ac furorem contra proditores, atque ſeditioſos inualidum eſſe, is enim fulminis naturam æmula imitatione in ſe exprimit, atque adeò eos, qui, velut oſſa, neruique, fraudulenter & occultè contra ipſum roborantur, & armantur, facilè admodum euertit ac cõminuit. Subdit tandem. *Ita vt ſint inepta eſui pullis*

99. Aquilarum, nimirum tanquam è cælo tacta, & fulmine icta, quæ nulli animanti in pabulū cedunt. Fortasse autem ea similitudine significantur bonorum proscriptiones, quibus proditores liberis hæreditate priuatis multari solent, quasi dicat, Regali sententia, velut fulmine cælitus tacti, bonis omnibus fisco addictis, filios suos, seu quosdam pullos aquilinos, impransos, famelicosque relinquunt. Vel, quod satius reor, ea similitudine significatur infamia, & turpitudo, quæ seditiosis & proditoribus inuri solet: ea enim infecti, ac deturpati, non secus ac cadauera fulmine tacta, atque adeò tetro odore, & sapore corrupta, ab omnibus illis, qui Aquilinorum pullorum generosos mores ingenua nobilitate imitantur, vitari, ac detestari consueuit. Hæc de translatione Septuaginta.

23. *Hæc quoque sapientibus, cognoscere in iudicio personam, non est bonum.*

100. HÆc quoque, &c. Hebr. non dissonant, quamuis Vatab nescio quid discriminis inuexit. Sic enim extulit. *Hæc quoque sapientum sunt.* Chald. *Hæc quoque sapientibus dico.* Sept. *Hæc autem dico vobis sapientibus, cognoscere, & revereri faciem in iudicio non bonum.*

Huius loci sententia est luculenta. Vatabl. qui sic legendam censuit, *Hæc quoque sapientum*, &c. perinde esse putat ac si dicat, hæc quoque sapientes præcipiunt, vel hæc est doctrina à sapientibus dictata; non tamen decernit an sit hæc clausula ad superiores sententias reuocanda, an ad subsequentes alliciēda. Caiet. dicit ancipitem esse, & posse quidem antecedentes sententias claudere, & consequentes etiam ordiri. Reliqui ad sequentes trahunt, quibus ego libetius assentior. Itaque sensus germanus est, *Hæc quoque Sapientibus*, &c. idest, ea, quæ iam subiicio, ad sapientes vtique intendo, ac destino, sapientes autem vocat Magistratus, & iudices, quorum sapientia & prudentia publicæ res administrantur. Et quidem inter ea, quæ Salomon seriò admodum his sapientibus denunciat, id primum obtinet locum, *Cognoscere personam in iudicio non est bonum*, idest, valde malum est, ac perniciosum. Personarum acceptionem remouet Solomon à Magistratibus, ac iudicibus, quia hæc om-
101. nes iustitiæ leges violat. Hebr. בל טוב *Bal tob.* i. *non bonum*, significat etiam *Tob decorum*, aut, *pulcrum* atque adeò conuertere licet, *non decorum*, vel, *pulcrum*, idest, maximè turpe est, & ipsis Magistratibus maculas, næuosque valde indecoros affigit, ita vt Dei oculos sustinere non possint. *Qui cognoscit in iudicio faciem, à facie Dei vtique stare non poterit*; Verba sunt Bernardi in lib. 1. de Consideratione, quia nimirum maculas, quas in aliorum facie vident, probant in se transferuntque. Ægidius Diac. in lib. de regimine Princip. eundem alloquutus sic addit. *Ne sit specularis, sed opacus Princeps*, &c. & quidem loquitur de arcanis non prodendis. Possumus tamen eisdem verbis appositè ad hanc sententiam ludere. *Ne sit specularis Princeps*, ne scilicet speculi in morem facies intuentium excipiat, sed opacus, & ater, nullius faciem in se exprimens, id enim ad ius dicendum pernecessarium est. *Et cognoscere in iudicio faciem non est pulcrum.* Nam quemadmodum speculum indecoram faciem in semetipso adumbrans, illius turpitudinem excipit: ita etiam iudices, qui speculari quadam facilitate improborum hominum facies accipiunt, eorum improbitatem sibi ipsis affigunt. Sed de hac personarum acceptione plura dicemus infra cap. 28. vers. 27. non pauca etiam diximus supra cap. 18. vers. 5.

Bernard.

Ægid. Diac.

24. *Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.*

25. *Qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio.*

QVi dicunt, &c. Hebr. *Dicenti impius iustus tu,* 102.
maledicent populi, & detestabuntur eum nationes. Septuag. *Dicens impio, iustus es, maledictus in populis, & odiosus in gentes. Qui arguunt eum*, &c *Et increpantibus erit iucundus*, vbi non exprimitur substantiuū; hinc factum vt alij hæc verba ad populum referant, qui præcesserat in superiori versu: sic Caietanus, qui locum istum ad modum restituit, & *arguentibus dulcescet os populorum.* Alij ad Deum: in his Pagninus, qui sic transtulit. *Et arguentibus impios dulcescet Dominus.* Chald. absolutè. *Corripientibus autem suaue erit.* Septuaginta. *At redarguentes meliores apparebunt, super eos autem veniet benedictio bona.* In Primitiu. est ינעם, *Iingham* ex verbo *Nagam*, idest, *pulcrescere*, aut, *dulcescere*, aut *amænari*: hinc natæ lectiones supra adscriptæ, quibus duas item alias adnecte. Prior est, *Et increpantibus amænum erit.* Posterior, *pulcrum erit*, omnia in idem recidunt.

Duæ omnino huius loci expositiones sese offerūt, altera de adulatoribus sermonem fieri docet hoc modo. *Qui dicunt impio iustus es*, idest, qui suis lenociniis & adulationibus Principi impio & per tyrannidem subditos opprimenti suadent, quidquid agit cum iustitia, & probitate esse coniunctum, *Maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus*, quasi dicat, gratiam vtique Principis inire solent, sed tamen totius Reipublicæ odium sibi accersunt, & omnium animos in se prouocant. Hoc autem miseriæ plus, & infœlicitatis continet, quàm illud fœlicitatis, & beatitudinis. Nam si vera est Philosophi illius sententia apud Stobæum in sermone de odio & gratia. *Plus ad infœlicitatem valet vni inuisum esse, quàm multis probari ad fœlicitatem*, certè miserrimum erit cunctis inuidētibus, vni tantum gratum & iucundum esse. At, inquies, ille, cui me probabilem reddidi, Princeps est, qui solus hominem beare potest. Non inficior, tamen parum tutam apud Principem gratiam ille habet, qui reliquum populum in se concitauit.

Stobæ.

Et quidem adulatorum præcipua improbitas hæc 103.
est, malitiam honestatis colore expingere, & fucare: Cassiod. verba sunt. *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salue dicit, prodigos vocat liberales, auaros parcos, & sapientes, lasciuos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos, & graues, hac sagitta leuiter volat, citò infigitur*, & Seneca in Epistola 21. *Per adulationem vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt, temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauia, pro canto timidus accipitur, in his certè magno periculo erramus.* Ad hunc ergo modum adulatores *dicunt impio iustus es*, qui, vt fidem sibi comparent, vitiis earum virtutum nomina indunt, quæ maximè vicina sunt, quo artificio molles Principum mentes facilè capiunt, ac deludunt: & dum eos hac simulatione gratos sibi, ac secundos reddunt, totius populi odium & detestationem incurrunt, quia dum multitudo videt ad eum modum virtutum titulis colorata propinari Pincipibus suis vitia ab adulatoribus, communem perniciem experta sæuit in eos, qui publici detrimenti autores sunt.

Cassiod.

Seneca.

Sed ex aduerso, *Qui arguunt eum laudabuntur, &* 104.
super eos veniet benedictio. i. qui Principem impium, & tyrannum obiurgantes vitia eidem audacter obiiciunt, communi populorum plausu excipiuntur, bonorum

bonorumque bonas preces capiti suo accumulant. A Multitudini enim valde pergratū est Principum vitia publicè carpi,& incusari,atque adeò studiosè admodum illi succlamat,qui libertate vsus id audenter aggreditur. At quis, inquies,istius sententiæ scopus? Plures existimant huius sententiæ alteram partem contra adulatores intendi,alteram pro his enunciari, qui liberè Principum vitia reprehendunt. Cæterùm ego aliter existimo. Nam si huic interpretationi aliquid tribuendum est,tota certè ad Principes ipsos,& Magistratus,intendi debet. Præmisit enim Salomon verba illa. *Hæc quoque Sapientibus*,quibus significauit sententias infra subiectas ad Principes, & Magistratus publicos instituendos spectare;atque adeò Salomonis mentem hanc esse puto. Suadet Dynastis, ne B faciles aures illis accommodent,qui *Dicunt impio,iustus es*.i.adulatoribus qui Principum vitia celebrant, & laudibus in cælum vehunt,hos enim populi ac tribus valde exosos habent,sed his,qui ipsorum delicta coarguunt, & obiurgant:hi enim apud plebem probantur,plausu,ac benedictionibus omnium excipiũtur. Nam cùm Principibus nil antiquius esse debeat, quàm populis,tribubusque probari,certè adulatores ab se lõgius arcere operæpretium est;nam odia,quæ vulgus contra illos suscipit, in ipsos etiam Principes redundant,& liberos quosque obiurgatores libenter admittere; quia gratia etiam,quam illi apud plebem inueniunt,ad Principes redit. Quemadmodum è cõtra cùm istiusmodi homines libertate dicẽdi in Prin- C cipes vtentes ab his aut coërcentur, aut vexantur, populi aduersus Principes concitantur. Et quidem ob
Diogen. eam causam Diogenem Philosophũ olim apud Græcos à Regibus obseruatum,cultumque docet Plutarchus in eius vita,quia eam dicendi licentiã,qua ipsos etiam Reges numquam non petebat,vulgo probari, & laudari videbant,atque adeò vt se populo Principes commendarent,cum vel inuiti colebant. *Ne viderentur*(inquit Plutarch.) *populis de industria male agere, si liberum admonitorem constanter repudiarent*, est autem hæc satis accommodata ratio ad Principes permouendos.
Plutarch.

105. Cæterum licet hæc prior expositio non omnino insulsa sit, tamen posterior præferenda est quæ de D magistratibus, aliisque iudicibus hæc verba intelligit. Nam cùm præmisisset, *Cognoscere in iudicio personam non est bonum*, appositè ad hanc sententiam attexit, *Qui dicunt impio,iustus es,maledicent eum populi*, &c.i. Magistratus ille,qui muneribus,aut gratia corruptus,iustum suo iudicio comprobat eum,qui sceleratus & impius est, & reum magni criminis insontem declarat. Simile est illud Isaiæ. 5. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo*. Supra etiam c. 17. vers. 15. sic habes. *Qui iustificat impium,& qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum*. Quem igitur ibi apud Deum abominabilem esse decreuit, eundem hunc multitudini ita E exosum esse dicit,vt in illũ maledicta innumera vulgo iaciantur(nam verbum, *maledico*, in hoc loco non tam significat mala alicui precari, quàm probris, & maledictis eum proscindere:)cùm enim vulgus hominum reos de medio tolli impensè cupiat,in iudices illos,qui ipsis impunitatem præstant,plurimum inuehi solet. Subdit. *Qui arguunt eum,laudabuntur,& super eos veniet benedictio*:idest,magistratus illi,ac iudices interrigimi & incorrupti, qui reum alicuius magni criminis accersitum conuincunt, conuinctumque iuxta legum præscripta puniunt, populis plaudentibus celebrantur,& apud omnes optimè audiũt.
Isai. 5. 23

106. Sed expẽdamus varias lectiones supra descriptas. Caiet. *& arguentibus dulcescet populus*, idest,populi acclamationes dulce sonabunt his, qui integritate supra dicta in reos animaduertunt. Et quidem verbum illud, *dulcescet*, quod ex originibus expressum est(vt obseruauit hîc non insulsus interpres) ad harmoniam & cantum pertinere videtur : concentus enim propriè dulcis esse,aut dulcescere dicitur. Ait ergo Salomon, *& arguentibus dulcescet populus*, idest, Magistratibus seueritate vtentibus in reos, ac sceleratos homines, populus vtique dulcis ipsis, atque iucundus erit. Nã ad eum modũ temperata respublica ciuibus inter se concordantibus,harmoniã,& concentũ suauissimũ reddit. Vnde Plato in dialogo de iusto,postquam multa de reis coërcendis,ac puniendis miscuit, subdit tandem ea ratione rempublicam ad temperãtiam,& modestiam traduci,ac de his sic statim fatur. *Cernis quàm aptè vaticinati sumus paulò ante harmoniæ cuidam esse similem temperantiam? Cur nam? Nam quemadmodum fortitudo fortem efficit ciuitatem,ita etiã modestia,sed instar harmoniæ, quæ Diapason dicitur,per totam ciuitatem diffunditur,efficiens vt in idem debiliores homines fortioresque & medij, prudentia, potentia, multitudine, pecunijs item, aut alio quodam huiusmodi consonent*. Hanc autem consonantiam & concentum ciuium per seueram iustitiæ administrationem induci statim docet Plato, sicut in cithara per neruorum contentionem efficitur harmonia.
Plato.

Pagninus conuertit. *Et arguentibus impios dulcescet Dominus*, quasi dicat, ne quis putet futurum, vt in reos seueritatem adhibens Dei numen seuerum etiam in se experturus sit,nam contra prorsus fit: his enim iudicibus,qui in sceleratis coërcendis acres sunt, & seueri,facilem se,mitem ac placabilem prębet Deus, nam his,qui iræ, ac iustitiæ diuinæ operas suas præstant, misericordia, ac benignitas ipsius Dei præsto adest. Luculentius dicam, iræ Dei absynthium aliis propinantes misericordiæ dulcedinem iucundissimè hauriunt. 107.
Pagn.

Chald. habet. *Corripientibus autem suaue erit*. Hæc verba absolutè dicta possunt alio sensu donari,idest, ipsamet sceleratorũ correptio, punitio,& cruciatio, ipsis suauis,atque iucunda erit : nam acerbum prorsus videtur punire,dulce admodum, atque suaue indulgere,ac parcere. Non ita,inquit Salomon,sed his, qui impios pro meritis corripuerint, volupe hoc periucundum erit. Ita ferunt Franciscum Borgiam Candiæ Ducem, & nostræ deinde Societatis præclarissimum columen cùm apud Catalaunos Prorex creatus prædones & sicarios, quibus ea regio infestari solet, magno studio cõquisitos morti addiceret, iactare solitum, numquam se ex venatione & aucupio (cui olim deditissimus fuerat) tantam voluptatem hausisse quàm in sectandis, mactandisque sceleratissimis illis, ac Deo infensissimis hominibus. Quæ vox concinit prorsus cum Hieremia cap. 16. qui præcinens, Chaldæos à Deo mittendos contra Iudæos, vt ab his Idololatriæ, aliorumque flagitiorum pœnas exposcerent, sic Deum ipsum loquentem inducit. *Post hæc mittam eis multos venatores & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum*. Et Rabbi Himanuel in eum locum. *Quanta voluptate nostros persequerentur Chaldæi significat venationis similitudo, nam metu perculsos nullo suo discrimine, & ingenti alacritate insectabantur. Itaque illa verba, Mittam eis multos venatores, nostrorum metum, & eorum alacritatem planè demonstrant*. Salomon ergo, *Corripientibus*, inquit, *suaue erit*, nam quædam illos voluptas oblectabit, ei adsimilis, quæ ex ferarum venatione concipi solet: qua similitudine interim significatur ipsorum magistratuum seueritas,nam quosdam à puniendis reis metus deterrere solet, quasi se ipsos discrimini certissimo obiiciant. Valeat ergo hæc suspicio, & metus: quia iudices 108.
Chald.
Hierem. 16.
Rabbi Him.

ad puniendos flagitiosos à Deo præfecti, venatores sunt, qui metu perculsos exagitant, nullo suo discrimine, vt ait Himanuel, quippe quæ diuinæ iustitiæ famulantur, & obseruiunt, quæ reos omnes ipsorum metu complet.

110. Denique Septuaginta sic restituunt, *At redarguentes meliores apparebunt*, idest, iudices illi, qui integrè, & incorruptè iura dixerint, & in flagitiosos sine personarum acceptione pro meritis animaduerterint, ipsi quoque pro meritis amplificata autoritate digniores magistratus capessent: id enim sibi volunt illa verba, *Meliores apparebunt*, idest, dignioribus honestatis infulis spectabiles erunt. Ita enim fieri consueuit, vt hi, qui iustitiam in reos exactè administrant, ad superiores munerum gradus à Principibus vocentur. Vel aliter. *Meliores apparebunt*, idest, maiorem sibi apud plebem autoritatem comparabunt, cui iustiores, ac sanctiores in dies videbuntur. Aut denique, *meliores apparebunt*, idest, fient in dies ipsi meliores, & iustiores: Nam quia scelera & vitia aliorum insectantur, ipsos quidem probitate & integritate Deus augebit, & condecorabit. Et quidem hæc etiam translatio vanos quosdam iudicum metus facessere iubet, quidam enim reos ideò punire acrius non audent, quia verentur ipsorum calumniis aditum sibi ad superiores honores præcludendum iri: alij rursus reis indulgent, ne sibi aliquod ab ipsis scelus, aut delictum falsis attestationibus imponatur, quo ipsorum autoritas lædi possit. Vanissima hæc sunt, inquit Salomon: nam ad Dei prouidentiam spectat, vt qui ab ipso gerendis magistratibus præficiuntur, eo meliores indies appareant nouis aucti honoribus & probitatis autoritate apud plebem parta, quo ipsi exactius & seuerius subditos suos in officio continuerint.

26 *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.*

111. Labia, &c. Hebr. prorsus cohærent cum Vulgatis. Chald. *Osculabuntur labia eorum, qui respondent verba recta.* Septuaginta. *Labia autem osculabuntur respondentia sermones bonos*, qui videntur hæc verba cum superioribus consuere. Vatab. *Si quis respondet rectè, perinde est, ac si labijs deoscularetur.* Theodot. *Labijs oscula accipiet, aut dabit, qui recta verba profert*, subest enim φιλησθήσεται, ex verbo medio, quod tam actiuæ, quàm passiuæ significationi inseruit. Sed tamen sententia eadem prorsus est, nam quicumque dat oscula, etiam excipit.

Circa germanam huius loci expositionem plura sunt apud nostros inter se discrepantia: illud verò imprimis concordiam soluit, quod alij existimant hæc verba à superioribus excindenda esse, & absolutè de his accipi, qui vtcumque ab aliis rogati accommodatè, falsè, & ad rem responsum referunt (hi sunt Iansenius, Rodolphus, & alij non pauci.) Quidam verò, qui superiores numero superant, hanc sententiam cum antecedentibus illigandam, & de iudicibus tantùm, & magistratibus capiendam esse docent. Sed tamen, vt singulorum expositiones perstringam, de antiquo deosculandi, & dissuauiandi more pauca initio præmittam, quæ ad rem nostram spectare videbuntur. Primò constat manuum oscula, adorationis, & obsequij symbola semper fuisse, similiter etiam genua deosculari. Secundò labris impressa oscula amicitiam significabant: de vtrisque osculis latissimè, & absolutissimè Petrus Gregorius in syntagmat. iuris lib. 8. cap. 8. & lib. 36. cap. 12. Alexand. lib. 2. Genial. cap. 19. Cælius lib. 4. cap. 3. & alij passim. Tertiò

Petr Greg. Alex ab Alexand. Cal. Rhod.

A apud Persas Principes ac Reges, Proceres tantùm & quos nimium honestare vellent osculo excipiebant, vt constat ex Xenophon. lib. 1. & lib. 5. Pædiæ, & in oratione de laudibus Agesilai. Viget etiam hic mos apud Gallos inter quos Rex ad osculum non recipit ignobilem vassallum, sed ingenuum: quo genere officij gaudent etiam supremi magistratus, Petr. Gregor. l. 6. Syntagm. cap. 15. & apud Romanos eiusmodi oscula inuicem libabant Imperator, & Consul. Apud Græcos discipulos etiam præceptores datis osculis excipiebant, & dimittebant, Spiegerus in lexico iuris. Et quidem ex his officiis aliqua etiam apud Hebræos solemnia fuisse compertum est, lege nostrum Ioannem de Pineda in cap. 31. Iob. verb. 27. ad
B illa verba. *Et osculatus sum manum meam ore meo*, reliqua suspicione quadam inducti autores eisdem tribuunt.

Xenophon. *Spieger.* *Pineda.*

His ergo prælibatis, hi quotquot locum istum absolutè de his interpretantur, qui ad quæstiones obiectas aptè respondent, cum duplici sensu donare possunt. Alter est Iansenii valde simplex & sincerus. *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet*, id est, qui cumque rogatus opportunè, & rem occurrit, gratiam eorum inibit, qui quæstionem obiecerunt: tamque pergratum illis faciet, ac si eorum labris oscula libasset, quod dulcissimum officij genus est. Sic per similitudinem verba hæc edisseri posse docent Iansenius, & Bainus vel etiam sincerius, *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet*, idest, admittetur ab
C aliis ad osculum labiorum, quod amoris maximum argumentum est, quasi dicat. Erit omnibus in delitiis, & in amoribus, eaque labia deosculari cuncti volét, qui tam aptas sententias reddunt, atque in eius familiaritatem insinuari in magna lucri parte ponent. Ad eundem modum Chrysost. Homil. de mansuetudine virum mitem mirificè commendans sic addit. *Gratus & amabilis est videntibus, gratus etiam & his, quibus solo nomine notus est: neque facilè vllum inuenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, illum videre, & exosculari non desideret, & non habeat in aliqua sui lucri parte eius amicitia posse perfrui.* 112

Chrysost.

Alter verò sensus peti potest ex perantiqua præ-
D ceptorum, ac doctorum consuetudine, quibus discipulos osculis excipere solemne fuit non modò apud Græcos, vt docet Spiegerus: sed etiam apud Hebræos, apud quos eum morem viguisse fuadet Iudæ osculum Matth. 26. *Et confestim accedens ad Iesum dixit, Aue Rabbi, & osculatus est eum*, idest, aue magister, nimirum discipulum se ea significatione præbés. Fortasse etiam ob eam causam apud Lucam capite 7. Christus Dominus cum Pharisæo expostulat, quod ad prandium inuitatus non fuisset ab illo osculi honestatus officio, à quo Pharisæus data opera abstinuerat, ne se Christi discipulum eo signo monstraret. Ad rem nostram. *Labia deosculabitur*, inquit Salomon, *qui recta verba respondet*, id est, qui sæpius rogatus,
E quæsitusque, his, quæ illi obiiciuntur aptè satisfacit, plurimos nanciscitur discipulos, qui sub illius disciplina se esse, libatis de more osculis, publicè testentur. Et quidem, si huius sententiæ cum superioribus laxetur nodus, hæc interpretatio alteri mibi præferenda videtur. 113

Matth. 26.

Cæterum cùm superioribus sententiis adalliganda esse mibi multa suadet. Primò, facilis ipsius nexus, secundò translatio Sept. quæ addidit aduersitiuam particulam. *Labia autem deosculabuntur.* &c. Tertiò plurium interpretum conspiratio, qui etsi vna omnes in eam sententiam abeant, vt putent hîc de iudicibus, ac magistratibus sermonem esse; tamen expositiones valde dissimiles commenti sunt. Beda, Hugo, Lyra, & Arboreus sic exponunt, *Labia deosculabitur, qui recta verba*

verba reſpondet, id eſt, iudex, qui depoſita perſonarum acceptione recta verba, id eſt, iuſtas ſententias pronunciat, etſi eos, quos iudicio ſuo damnauit in ſe fortaſſe concitet, tamen plures ſibi conciliabit, gratoſque, ac beneuolos reddet, id ſibi vult illud, *Labia deoſculabitur*, &c. eſt enim oſculum gratiæ, ac beneuolentiæ documentum id eſt, bonorum omnium gratiã inibit, & eorum oſculis excipietur. Nullus enim pius, ac modeſtus erit, qui ea labra amoris ergo diſſuauiari impensè nõ cupiat, quæ minis, gratia aut muneribus flecti, ac lentari non poſſunt, quominus iuſtas vbique ſententias proferant.

114. Vatab. quẽ ſequitur noſter Sapiens, expoſitionem nobis tradit petitam ex eo antiquo Regum more, quem nuper adſcripſimus. Hi enim cùm aliis manus exoſculandas offerre ſolerent, tamen regni ſui proceres, ac ſupremos magiſtratus labrorum oſculis excipiebant, quod apud Hebræos vſu etiam comparatum fuiſſe perſuadent verba illa ſecundi Reg. 19. vbi Dauid nobilem, ac prudentem virum Bercellai oſculo demittit, ſic enim habes. *Oſculatus eſt Rex Bercellai, & benedixit ei, & ille reuerſus eſt in locũ ſuum*, (2. Reg. 19.) & 3. Eſdræ, cap. 4. ex tribus illis, qui in palatio Regis quid fortius eſſet contenderant, tertium, id eſt, Zorobabelẽ, qui in ea quæſtione reliquos vicerat, oſculo honeſtauit Darius. *Tunc ſurgens Darius Rex oſculatus eſt illum, & ſcripſit epiſtolas ad omnes diſpenſatores*, &c. (3. Eſdræ 4.) Ait ergo Salomon. *Labia deoſculabitur, qui recta verba reſpondet*: ad hæc verò ſi Vatabl. *qui verax eſt*, *habetur certè eo loco, vt non ſolùm accipiatur ad oſculum manus, ſed in arctam amicitiam recipiatur*, quæ verba ex Rabbi Heman. in ſua trãſtulit Scholia. Senſus autem eorum ſic conformandus eſt, eiuſmodi iudex, aut magiſtratus, qui integrè & incorruptè ſententiam dixerit, ad ſupremos regni honores euectus labrorum oſculis apud Regem dignabitur, id eſt, aliis Regis manus exoſculantibus, ipſe quidem ori, & labris oſcula libabit, quod ſupremis tantummodò magiſtratibus licet.

115. Sed licet hæc non inſulsè dicta ſint, tamen duas alias interpretationes ſubiiciam. Eſt autem prænotandum id, quod nuper animaduerti, cùm varias lectiones expenderem: ſcilicet nihil differre, Vulgatam lectionẽ à trãſlatione Septuag. nam tametſi in Vulgatis ſit, *Labia deoſculabitur*, &c. Septuaginta verò ſic extulerint, *labia deoſculabuntur reſpondentia ſermones bonos*, quibus accinit etiam Chaldæus. *Oſculabuntur labia eorum, qui reſpondent verba recta*, adde etiã Theodotionem, cuius interpretationem ſupra dedi tamen vna harum lectionum ſententia eſt: quia in oſculis libandis perinde eſt dare, & excipere, nam qui dat excipit: & rurſus, qui excipit, etiam reddit. His ergo ſic conſtitutis, addendum eſt, iuxta ſolemnem ſatis apud Hebræos loquendi modum, perinde eſſe os cuiuſque deoſculari, ac præcepta, ſeu imperia eiuſdem exequi. Geneſ. 4 vbi nos habemus. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, ſi primitiua conſulas, & verbum ex verbo reſtituas, ſic locus efferendus eſt. *Super os tuum oſculabitur omnis populus*, id eſt, tua mandata omni populo gratiſſima accident: hinc etiam nata illa tranſlatio Septuaginta Pſalm. 2. *Apprehendit diſciplinam nequando iraſcatur Dominus*, &c. cui ſubeſt in primitiuis, *oſculamini filium*, &c. quod perinde eſt atque ipſum audite, & imperia illius ad nutum dirigite. Cum his ergo concinit omnino locus Salomonis. *Labia deoſculabitur, qui recta verba reſpondet*: vel quod idem eſt, *Labia deoſculabuntur, reſpondentia ſermones rectos*, nimirum illi iudici, aut gubernatori populus omnis libenter parat, mandataque illius probat, ac celebrat, qui iuſta ſemper decernit, ac ſancit.

Geneſ. 1

Pſal. 2.

116. Quod autem ait, *Deoſculabitur labia*, &c. emphaſi A non caret, nam ſi hanc ſententiam non ad priuatos magiſtratus, ſed ad Principes ipſos ſupremos intendi dicamus (vt de aliis etiam tribus iam præmiſſis ſuprà decreuimus) ſenſus euadet non inelegans, labiorum oſcula ex ore Regis regni proceres, ac Dynaſtæ tantum carpebant (vt nuper dicebamus) quod quidem officij genus ex parte Regis ſignum erat beneuolentiæ, ac gratiæ, quo eos complectebatur: ex parte autem illorum pacis & obedientiæ iudicium. Deinde certum etiam eſt, proceribus, ac Dynaſt. Regi obedientiam præſtantibus reliquam multitudinem facilè contineri: ait ergo Salomon. *Labia deoſculabuntur reſpondentia ſermones rectos*, id eſt, Principi iuſta, & recta decernenti, atque ſancienti, omnes Dynaſtæ B & proceres regni in fœderis, ac præſtitæ obedientiæ ſymbolum oſcula dabunt: his autem Regi ad nutum parentibus reliqua multitudo facilè iugum excipit. Ad eundem ſenſum poſſunt vocari verba Gen. 41. (Geneſ. 41.) *Super os tuũ oſculabitur omnis populus*; quia etſi plebs manuum oſcula dare atque eo ſigno ſuam erga Regem obedientiam teſtari ſoleret, tamen os exoſculari proterea dicitur, quia dum proceres ea ſignificatione exoſculati oris obſequij ſui erga Regem teſtimoniũ exhibebant, reliqua multitudo ſponte cedebat ſeruitutis iugo ſe ſubmittens. Itaque illa verba, *Labia deoſculabuntur*, &c. propriiſſimè ſignificant proceribus ſubiectis, reliquam turbam Regi ad nutum parituram; proceres autem ſibi obſtringere Principi haud C difficile eſſe dicit, hi enim Regis ſeueri iuſta decernentis, & perſonas minimè acceptantis imperia numquam detrectant.

117. Poſteriori expoſitioni anſam præbet tranſlatio Septuaginta, quæ ſic habet. *Labia deoſculabuntur reſpõdentia ſermones bonos*. Nam per bonos ſermones non tam ſententias, vel decreta cum iuſtitia & integritate coniuncta, quàm verba grata, mollia, & minimè acerba, aſperave notari videntur. Et quidem iuxta hanc ſignificationem dicemus Salomonem in ſuperioribus ſententiis, iudicibus, ac magiſtratibus id præcepiſſe, vt ſumma cum integritate ius dicant, & reos conuictos ſeuerè admodum puniant; ac ne ſeueritas iſthæc illos populo inuiſos præſtet, iam nunc eiſdem D perſuadere vt *bonos ſermones*, id eſt, placidos, ſuaues & comes omnibus reſpondeant, id enim eos cunctis amabiles, ac pergratos reddet. Nimirum vult Sapiens magiſtratus iuſtè, atque ſeuere admodum agere in ſubditos, placidè autem, atque comiter eoſdem alloqui. Conſtat enim quamlibet ſeueritatem in agendo blanditiis verborum leniri, quemadmodum è contra ſi quis parcat & indulgeat, verba autem immitia, & aſpera ſubiiciat, eorum quibus pepercit, & indulſit, animos in ſe concitat.

---

27. *Præparà foris opus tuum, & diligenter E exerce agrum tuum, vt poſtea ædifices domum tuam.*

118. PRæpara foris, &c. Hebr. *Præpara in vico opus tuum, & præpara illud in agro tibi, & poſtea ædificabis domum tuam*. Chald. *Præpara foris opus tuum, & ſtatues illud tibi in agro*. Septuag. *Præpara in egreſſu opera tua, & præparare in agro, & vade poſt me, & ædificabis domum tuam*.

Ianſenius & Rodolph. exiſtimant illa verba, *Præpara foris opus tuum*, nihil differre ab illis, *& diligenter exerce agrum tuum*, ſed per hæc poſteriora propria explanari, quia verbum *præpara*, in vtraque clauſula reperitur. Cæterùm tametſi id ad ſententiam parum faciat, aliquid tamen diſcriminis inter vtramque eſſe puto.

puto. Nam illi voci *foris*, subest in primitiuis, *in vico*, aut *in pago*. Rursus *praeparare opus*, nihil aliud est, quàm operas suas nauare. Itaque perinde est, ac si dicat operas tuas studiosè pone *in vico*, aut, *in agro*. Duae enim omnino sunt rei parandae artes, negotiatio, & agri cultura: negotiatio quidem in vrbe, agricultura ruri exercetur: atque adeò sensus est priusquam domum exaedifices, negotiationem in pago, & agriculturam in campo diligenter admodùm exerce, vt his ditatus, necessarij ad construẽdam domum sumptus tibi suppetant. Id enim prudentia suadet, ne prius quis ad moliendam domum adiiciat animum, quàm diuitias non mediocres nactus fuerit: nam aedificia sumptus ingentes poscunt. haec est prima interpretatio, cui ego libenter primas do.

119. Restat nihilominus alia, atque alia. Prior est Rodolphi, cui haeret etiam Iansenius, qui Salomonem his verbis id praescribere existimat, vt suum cuilibet rei tempus accommodetur. Sunt enim quaedam opera, quae certos temporum articulos sibi vendicant, quibus elapsis non habent locum. Ex eo genere est agricultura, quae arandi, occandi, seminandi, & metendi certas tempestates habet: cui addere etiam negotiationem possumus, quae suas etiam vendendi, atque emendi opportunitates obseruat. At domus aedificatio non ita, nam nullum fermè est anni tempus, quod ad aedificandum idoneum non sit. Salomon ergo sic ait, *Praepara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum*, &c. idest, negotiationi, & agriculturae suas oportunitates accommoda: haec enim certa tempora sibi vendicant: deinde, si ita libuerit, quidquid illis temporis reliquum fuerit aedibus conẽstrudis impendere licebit. Itaque sententia suadet cuiuslibet rei agendae opportunitatem captandam esse. Sed tamen haec expositio parum arridet.

120. Magis certè probatur posterior interpretatio, quã secundo loco tradit Iensenius, qui postquàm obseruauit verbum, *aedifico*, in scriptura sacra familiis etiam accommodari (quod aliàs in hoc libro non semel animaduerti) sic locum edisserit. *Praepara foris opus tuum*, &c. agriculturae, & negotiationi diligenter operas adiice, & postquam his artibus opes non mediocres collegeris, tunc quidem *aedificabis domum tuam*, idest, ducere vxorem, filios procreare & familiam augere integrum tibi erit. Nam ad filios, familiamque decorè alendam, vix maximae copiae sufficiunt. Vel dicemus quidem Salomonem non tàm his verbis postulare, vt opes eâ ratione augeantur ante nuptias, quàm vt illae artes exercitatione & vsu perdiscantur, quibus deinde vti opus est nequis nouus postea ad ea veniat sine quibus agere, & viuere non potest: & quidem huic significationi meliùs aptantur verba ipsa. Nam illud verbum, *Praepara*, eam vim habere videtur, *praepara*, videlicet, *opus tuum*, idest, vsu ipso instrue, & expedi te ad eiusmodi artes, scilicet agriculturam, aut negotiationem earumque labores seriò postea suscipiendos: nam praeparatio in futurum spectat.

121. Vocanda denique in trutinam translatio Septuag. quae à nostra tantisper dessidere videtur. *Praepara in egressu opera tua, praeparare in agro & vade post me, & aedificabis domum tuam.* D. Hier. in Sophon cap. 3. cum incidisset in priora illa verba, *Praepara in egressu opera tua*, ea quidẽ sic interpretatur, diluculo surge, & primum mane capta ad operandum; nam *praepara*, idem esse putat ac praemitte. Iuxta quem sensum Salomonis mens haec erit, à primo mane, idest, ab adolescentia labora, & agriculturam diligenter exerce, & eâ ratione opes ingentes nactus licebit tandem domum exaedificare. idest augere familiam, & liberis satis amplam haereditatem legare (agriculturam verò appellat cuiuslibet proprium munus, & officium,) Illis au- Hieronym.

A tem verbis, & *vade post me*, semetipsum imitandum proponit Salomon, qui ab adolescentia sublata desidia labori incubuerat. Nam quatuordennis imperij habenas susceperat, & administrationi publicae nunquàm non vacauerat. Vel sincerius, operas praemittere, & mane primum captare iubet ad operandum, & laborandum, nimirùm, socordiam, & somnolentiam discutere: Sed praestat prior interpretatio. D. Cyrillus Alexandrinus in Ioan. lib. 3. cap. 27. praemissam translationem accommodatitio quodam sensu donat, verba subiicio. *Si cui, inquit, suppliciorum fuga curae est, is nulla se corrumpat ignauia, misericordiam Dei considerans, sed praeparet (vt scriptum est) opus Dei in exitũ suum, praeparet donec in agro, id est, donec in hoc mundo* B *est; sic enim agrum Dominus ipse interpretatus est, praeparet autem se, vt cum sanctitate, & iustitia pro tribunali iudicis possit consistere.* Cyrill. Alex.

Magnus autem Gregor. libro 10. Moral. cap. 11. Vulgatam lectionem non minori elegantia spiritualem ad sensum vocat, sic enim scribit *Praepara*, inquit, *foris*, &c. *Quid nanque est praeparato opere agrum diligenter exterius exercere, nisi euulsis iniquitatis sentibus, actionem nostram ad frugem retributionis excolere? & quid est post agri exercitium ad aedificium domus redire, nisi quod plerumque ex bonis operibus discimus quantam vitae munditiam in cogitatione construamus? penè cuncta namque bona opera ex cogitatione prodeunt. Sed sunt nonnulla cogitationis acumina, quae ex operatione nascuntur:* C *nam sicut ab animo opus sumitur: ita rursus ab opere animus eruditur: mens quippe diuini amoris exordia capiens imperat bona, quae fiant, sed postquàm fieri imperata coeperint, ipsis suis exercitationibus discit cum imperare bona inchoauerat, quantum minus videbat. Foris ergo ager excolatur, vt domus postmodum exstruatur, quoniam plerumque ab exteriori opere videmus, quantam subtilitatẽ rectitudinis in animo teneamus.* Hunc sensum ex Gregorio libauit Beda, & ex vtrisque Hugo Cardinalis, qui per *agrum* etiam corpus, per *domum* verò conscientiam internam in animo, aut mansionem aeternam in caelis accipi posse dicit. Pergo ad alia. 122. Gregor.

D 28. *Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis.*

NE sis testis, &c. Heb. *Ne sis testis gratis in socium tuum*. Pagn. *Ne sis testis mendax*. Vatab. *Ne testeris temerè contra proximum tuum, nec in labiis tuis persuadebis* Alij *pellicies*. Chald. *Ne sis testis accusator aduersus proximum tuum, neque decipias eum labiis tuis.* Septuag. *Ne sis falsus testis in tuum ciuem, neque dilateris in labiis tuis.* Ex Hebraeis alij demum sic restituunt, & *ne confringas eum labiis tuis*, constat enim verbum פתה, quod in hoc loco subest, omnes illas significationes capere, videlicet, *delinire, pellicere, lactare, seducere, & confringere*, adi lexica. 123.

E *Testem frustra*, in aliquem *esse* non eodem modo capiunt interpretes. Iansenius ergo sic exponit. *Ne sis testis frustra*, vel, *gratis*, ne scilicet testimonium in aliquem dicas praeter causae eius meritum, quod perinde est, ac si dicat, ne sis testis falsus, aut mẽdax. Sed cùm saepe aliàs in hoc libro falsis testibus seuera admodum supplicia denunciet Salomon, adduci certè non possum, vt credam hîc de falso teste sermonem esse, nam sola exhortatio absque minis, ad deterrendum falsum testem parum idonea videtur. Caietanus ergo *testem frustra* eum esse dicit, qui non citatus, nullaque causa cogente, testem se aduersus proximum suum offert, vel illum ad iudicium primò defert. Cum Caietano consonat Chaldaeus, qui sic habet. *Ne sis testis accusator aduersus proximum tuum*, his assentior potius

potius quam aliis. Ita tamen vt ſermo ſit de eo, qui nulla inductus ratione, vel publica, vel priuata vt odio, vel indignationi ſuæ obſequatur, proximũ teſtimonio dicto lædere cotendit, qui, etſi verum teſtimonium in ſocium, & conciuem pronunciet, tamen culpa non vacat, quia prauo animo id facit, tunc cùm ad id præſtandum nulla priuata, aut publica cauſa ipſum adigit. Rodolph. verò minimè audiendum puto, qui, vt ſententiam iſtam bonum ad ſenſum trahat, putat interpoſitis quibuſdam verbis ſic efferendam. *Ne ſis teſtis falſus pro amico tuo contra proximum tuum, neque lactes eum labijs tuis*, ne ſcilicet, vt amico tuo pergratum facias, in eius cauſa falſum teſtimonium contra aliquem proferas: minimè, inquam, audiendũ eſſe puto, quia vim manifeſtam vtrique textui affert.

124. At quomodo, inquies, poſterius hemiſtychiũ cum priori ſarciendum eſt, ſi Rodolphi interpretatio refutetur? Beda, Hugo, Caietan. Lyra, Ianſenius, & alij plures de nexu nihil curant, ſed illis verbis, *Ne lactes quemquam labijs tuis*, adulationem remoueri affirmãt. i. ne quemquam blanditiis, ſeu lenociniis verborum ſeducas: adulationem verò cum lacte componentem Hugonem lege, qui non pauca, nec inſulſa in eam ſententiam cogit. At quis credat hunc verſum eo lepore, ac ſale prorſus carere, quo alij conditi ſunt, in quibus poſterior pars ſemper priori reſpondet? Vatablus igitur, vt duas inter ſe cõferat, vbi priorem partem de falſo teſte interpretatus fuit, non ineptum de poſteriori iudicium tulit: ait enim, *Ne ſis teſtis falſus contra proximum tuum*. Quid plura? *Et ne lactes quemquam labijs tuis*. i. ne verbis, aut promiſſis quemquam allicias, vt tibi ſuffragetur, & falſum quoque contra proximum teſtimonium tecum promat: id enim flagitioſum valde eſt. Hebræi etiam, vt duas partes innodare poſſent, extremam ſic extulerunt. *Ne conteras aut confringas quemquam labijs tuis*, ipſo nimirum falſo teſtimonio ne illum ſubuertas, & rebus eius perniciem, aut exitium afferas; nam falſo teſtimonio aliquẽ perdere facile eſt. Tranſlatio etiam Septuag. vtramque partem non inſulſè deuincit. *Ne ſis teſtis falſus in tuum ciuem, neque dilateris labijs tuis*. Labia vtique dilatare in ſcriptura, vt alibi docuimus, perinde eſt, ac mentiri; nam cùm vera dicimus, labia cum mẽte omnino cohærent, & eidem omnino adſtringuntur; cùm verò falſi aliquid prounnciamus, labia quidem ſeſe quodammodo explicant, ac dilatant, mentiſque terminos tranſiliunt. Itaque ſenſus eſt, ne falſum contra proximum teſtimonium dicas, odioque inductus labia tua dilatans falſum crimen eidem imponas. Sed tamen cùm Vatabli nodus in noſtram expoſitionem non cadat, atque Hebræorum nexus à Vulgata lectione alienus ſit, aliud vinculum veſtigare oportet, quod vtramque partem adſtringat.

125. Subiiciam vnum, atque aliud. Prius autẽ ſic habet, *Ne lactes quemquam labijs tuis*, per relatiuum illud, *quemquam*, non alius ab ipſo ſocio, & proximo intelligi debet. Nam in primitiuis ad verbum ſic habes. *Ne ſis teſtis gratis in ſocium tuum, & numquid lactabis eum in labijs tuis?* quibus verbis ipſemet ſocius minimè lactandus dicitur. Ait ergo Salomon, ne id committas, vt fruſtra, & nulla de cauſa indignationi tuæ obtemperans fratrem accuſes, & teſtimonio tuo reũ peragas, tũc cùm externis ſignificationibus gratiam, & amicitiam ſimulas, vel potius mẽtiris. Itaque illud, *Nec lactes labijs tuis*, ita cum priori clauſula conferẽdũ eſt, vt vtrũque vnà fieri, ſcilicet accuſare ſimul & lactare proximum, extremæ cuiuſdam improbitatis eſſe Salomon affirmet. Quod ſi vinculum hoc laxius cuipiam videbitur, aliud ſubinfero ad hunc modum. Puta Salomonem non loqui de teſtimonio ante iudicem dicto (id enim mihi perſuaſum eſt, vt poſtea dicam) ſed teſtem contra proximum hìc appellari, quicumque de proximo detrahit, & famam eius, ſeu verè, ſeu falsè, verbo, obiectiſque criminibus lædit. Adde etiam, proximum, cuius fama ea ratione violatur, alium eſſe ab eo, qui lactari dicitur, vt verba ipſa ſonant. Ad rem. *Ne ſis*, inquit, *teſtis fruſtra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labijs tuis*. Ne ſcilicet vni aduleris, & in alterum contumelioſus, & iniurius ſis; vtrumque enim in culpa, & vitio poni debet. Hãc verò interpretationem plurimum commendat cohærentia cum ſequenti ſententia. Subdit enim. *Ne dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, & reddam vnicuique ſecundùm opus ſuum*. Itaque ſenſus eſt. Ne quibuſdam propitius, & mitis ſis, aliis verò contumelioſus detractor, eo conſilio, vt eiſdem vicem reddas, & ſic cum illis agas provt de te meriti ſunt, id enim à charitate, & dilectione maximè alienum eſt.

Cæterùm licet hic vtriuſque ſententiæ concentus aures, mentemque demulceat, tamen ipſa verborum originalium energia in aliam me interpretationem impellit, quam reliquis anteponendam exiſtimo. Sic enim habent primitiua ad verbum. *Ne ſis teſtis gratis, aut temere in ſocium tuum, numquid lactabis*, aut, *pelliciet in labijs tuis?* De accuſatione, & teſtimonio apud iudicem dicto ſermonem hìc non haberi mihi exploratum eſt, (vt nuper dicebam) ſed *teſtis in proximum*, appellatur, qui illum quacumque ratione verbo lædit, aut contumelia violat. Itaque ait, ne ſocium, aut amicum tuum, obiecto temere crimine, aliqua infamiæ nota aſpergas, & in te prouoces; nam ſi id commiſeris, *Numquid lactabis eum labijs tuis*, ideſt, nequaquam illum poſtea verbis placabis, neque vllis rationibus induces, vt poſtquam ad eum modum læſus à te eſt, depoſita ſimultate, in gratiam redeat. Itaque Salomon his verbis ſuadet ne quid temerè in amicos dicamus: nam amicitiæ, quas contumeliæ probraque diſſociant, non amplius coaleſcunt. Huc ſpectat peruulgata illa ſententia Eccl. cap. 22. *Ad amicum ſi aperuerit os triſte, non timeas, eſt enim concordatio* (os triſte appellat verbum ſubiratum & aſperum,) *Excepto cõuitio, & improperio, & ſuperbia, & Myſterij reuelatione, & plaga doloſa. In his omnibus effugiet amicus*. Eccleſ. Hunc ad ſenſum allici poteſt tranſlatio Vulgata, ita tamen vt aduerbium, *fruſtra*, repetatur in poſteriori clauſula, hoc modo. *Ne ſis teſtis fruſtra*. i. ſine cauſa, *contra proximum tuum, nec lactes quemquam labijs tuis*, ideſt, ne fruſtra etiam lactes, quaſi dicat. Si tuum amicum verbo violaueris fruſtra, deinde eundem verbis lactare, & allicere contendas, vt ad gratiam rurſus redeat. Quod ſi hæc interpretatio, quæ, me iudice, reliquis præſtat, lectori etiam probetur, conſequentis verſus ſententia ab hac ſeparari, & ſecerni debet.

126.

---

29. *Ne dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, reddam vnicuique ſecundùm opera ſua.*

NE dicas, &c. Hebræa non diſſonant. Septuag. *Ne dicas, quemadmodum vſus eſt me, vtar eo, reddam autem illi ea, in quibus mihi iniuriatus eſt*. 127.

Sententia eſt perſpicua, docet Salomon non eſſe reddendam malorum vicem, illamque vocẽ omnino abſurdam eſſe. *Quomodo fecit mihi, ſic faciam illi. Ne dicas*, inquit, id enim non modò non ita agendum, aut ſentiendum, ſed ne verbis quidem vſurpandũ eſt, nã verba ipſa humanas aures lędũt. Baſil. in Hom. de ira, Baſil. ab omni humanitate alienum eſſe dicit, *irati hominis ſpeculum fieri*, aut etiam, tamquam Echo, ab aduerſario iactas contumelias detorquere, cuius verba alibi dedimus. Prior ſimilitudo ad actiones, poſterior autẽ ad

ad verba ipsa pertinet, vtrumque autem, seu actiones, seu verba iniuriantis imitari, & talionem hosti suo reddere non solùm charitati aduersatur, sed ipsi
Ambros. retalianti perniciosum est. Ambros. in Epist. ad Vercellensem Ecclesiam sic habet. *Lædimur plerumque fraude alterius, dolo proximi: numquid hoc virtutis putamus, vt dolum vlciscamur dolo, referamus fraudẽ fraudibus? Etenim si iustitia virtus est crimine debet vacare, nec improbitatem improbitate refellere, quæ enim virtus, hoc à te fieri, quod in altero punias? contagio ista improbitatis, non vltio est.* Quibus verbis significatur eum, qui malum alteri restituit, satis impropriè dici vltorem, cùm non tam illi, quàm sibi malum inferat, illius malitiam quodam quasi contagio sibi accersens.

128. Constans est hominum opinio iniuriarum acceptarum labes, vice reddita, emaculari, & detergi, & vulnera ab aduersario accepta repercussione sanari, hinc nata vlciscendi libido, inquit August. in serm. 41. de verbis Domini, sed tamen hanc opinionem ipse confutat his verbis. *Cùm humiliari dedignantur, vindicari volunt, quasi pœna cuique prodesse possit aliena: læsus, & iniuriam passus vindicari vult, de aliena pœna sibi quærit medicamentum, & acquirit grande tormẽtum.* quasi dicat. Quemadmodum fieri non potest, vt altero amaram potionem sumente, aut cauterio in alterius vulnus immerso, morbus, aut liuor qui in me est curetur; ita etiam impossibile videtur, vt quis damnis alteri datis medeatur acceptis; quinimo pro medicamento sibi tormentum adducit, tormentum, inquam, consciẽntiæ, quæ læso fratre grauius ipsa sau-
August. ciatur. Audi eundem August. serm. 11. de sancto Stephano. *Exercete*, inquit, *vos quantum potestatis ad exhibendam mansuetudinem, etiam erga inimicos vestros: ira enim scorpius est, si se interius flammis excitauerit*, id est. Sicut scorpus flammis per orbem inclusus conuerso spiculo seipsum cõfigit: eiusmodi enim est, qui iracundiam, & vlciscendi libidinem, tanquam flam-
August. mam sibi circumdat, sua enim ira confixus perit. Subdit Aug. *Magnũ aliquid putas si te de inimico tuo vindicas; sed si te vis vindicare de inimico tuo, ad ipsam irã te cõuerte, quoniam ipsa est inimica tua, quæ occidit animam tuam.* Meritò ergo Salomon ait. *Ne dicas. quomodo fecit mihi, sic faciam ei*, grauius aliquid in ipsum apud te statuens; nam tibi potiùs, quàm illi damnum facis, leuissima enim aduersarij tui plaga altissimum tibi vulnus infert. Quod autẽ ait Aug. odiũ cõuertẽdum esse contra iram, & inimicitiam, vt proximo inuiolato, ipsa pereat, iterum suadet in libro de concordia fratrum, *Non expectemus* (inquit) *vindicari, fratres, quid est vindicari, nisi in malo alieno pasci? Planè ora, vt occidat Deus inimicum tuum, & saluet fratrem tuũ: vt occidat nimirum inimicitiam, & saluet naturam; sic ora vt vindicet te Deus.* Ad hunc modũ vltus est Christus Dominus aduersarium, *interficiens inimicitias in semetipso*, vt ait Paulus. Malè ergo dicis illud, *sic faciam ei*, nam, si sapis, non ei, sed tibi ipsi vim afferre debes, & in te ipso grauissimum hostem, ipsam scilicet iram, & inimiciam perimere.

129. At inquies, hæc verba talionem tantũmmodò includũt, hic autem in veteri lege permissus fuit Leuit.
Leuit. 24. 24. *Qui irrogauerit maculam alicui ciuium suorum, sicut fecit sic fiet ei; fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet; qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Salomon ergo nimis seuerus est, dum damni accepti vicem reddere tam seriò prohibuit, quod Moyses lubẽtissimè indulgebat, sic obiiciunt contra locum istum non ignobiles interpretes.
August. Hanc verò obiectionem diluit August. lib. 19. contra Faustum. *Illud quod antiquis dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. quomodo contrarium habet ei, quod ait Dominus, Ego autem dico vobis nõ resistere ma-*

A *lo, sed si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe ei & alteram? Quin imò illud antiquum ad reprimendas flammas odiorum sæuientiumque immoderatos animos refrenãdos, ita præceptum est. Quis enim tantũdem facilè contentus est, rependere vindictæ, quantũ accepit iniuriæ? Nonne videmus homines leuiter læsos moliri cædem, sitiri sanguinẽ, vixque inuenire in malis inimici vnde satientur? Quis pugno percussus non aut iudicia concitat in damnationem eius qui percussit, aut si ipse repercutere velit totum hominem, si non etiam telo aliquo arrepto, pugnis, calcibusque non contundit? Huic ego immoderatæ, ac per hoc iniustæ vltioni lex iustum modum figens pœnam talionis instituit, vt qualem quis intulit iniuriam, tale supplicium pendat. Proinde oculum pro ocu-*
B *lo, dentem pro dente, non fomes, sed limes furoris est, non vt id, quod sopitum erat, hinc accẽderetur; sed ne id, quod ardebat vltra terminum extẽderetur impositũ.* Hæc August. quibus docet talionis legem limites quosdã satis angustos iræ præscribere, non quasi vnquam licitum fuerit eam pœnæ mensuram ex ira, aut furore in hostem meditari, nedum inducere, absit, sed Deus, id quod licet, nimirum per iudices, & magistratus, iniurias acceptas persequi vltra eos limites euadere nequaquam voluit, ita vt id tantummodo mali à iudice in hostem suum statui quis contenderet, quod sibi ab illo fuerat illatum, idque sine aliqua vlciscendi libidine, hæc enim nunquam non turpis, & vitiosa est. Quid autem per talionis legem priuatis in aduersa-
C rios minimè liceret, sed tantummodo per iudices, & magistratibus docet idem August. in Psam. 108. vbi August.
sic habet. *Reddere mala pro malis habent mali, vel mediocriter mali, vel mediocriter boni. Vsque adeo, vt lex dederit vlciscendi modum, oculum pro oculo, dentem pro dente. Quæ si dici potest, iniustorum iustitia est. Non quia iniquum est, vt recipiat quisque quod fecit, alioquin lex nequaquam id constitueret, sed quia vlciscendi libido vitiosa est, magisque ad iudicem pertinet hoc discernere, quàm bonum hominem sibi expetere.* Hinc Tertullianus, Tertul.
cuius verba supra dedimus vers. 17. & 18. talionis legem non eo fuisse latam à Deo docet, vt faueret his, qui læsi fuerant, aliquam illis vlciscendi licentiam
D indulgens, sed vt ipsos proximorum violatores compesceret, ac coërceret, damni dati restitutionem eisdem interminans; adi eum locum. Ex his ergo liquet nihil hîc Salomonem contra eam legem decernere, nec scripturam sacram sibi contrariam esse.

---

30. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti.*

31. *Et ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.*

32. *Quod cùm vidissem, posui in corde meo,*
E *& exemplo didici disciplinam.*

Hi tres versus vnicam sententiam complent.

Per agrum, &c. Hebr. *Super agrum hominis pigri transiui, & super vineam hominis carentis corde*, reliqua non dissonant. Chaldæus. *Carentis intelligentia, & ecce effuderat se super ipsam sylua*, idest, imputata syluescere cœperat. Septuag. *Tamquam ager vir imprudens, & tamquam vinea homo egens sensu. Si dimiseris eum desertus fiet, & syluescet totus, & fiet derelictus; sepes autem lapidum eius defodientur*, D. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 31. & Epist. 7. *Sicut agricultura homo insipiens*, &c. 130.

Quod cùm vidissem, &c. Hebr. *Vidi ego, & apposui cor*

cor meum, vidi, & accepi eruditionem. Sept. *Postea ego pœnitentiam egi, adspexi ad eligendam disciplinam.*

Dubium est, an verba ista iuxta literam accipienda sint, vt sonant, de otio, ac desidia in agris colendis, aut in aliis externis negotiis peragendis an potius ad internam animi culturam traduci debeant. Iansenius vtique, Rodolphus, Caiet. Vatabl. & alij in priorem sententiam pendent, atque pigri hominis incuriam obiurgari putant, subiiciam eorum interpretationem, & quoad fieri possit illam alioqui impolitam, expoliam. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam stulti.* Nimirum quia cùm maceria esset diruta, liberum mihi fuit in agrum, & vineam illius penetrare. Tum etiam quia dum ille penetrantibus, & transeuntibus diu non obstitit, agrum suum, atque vineam illi seruituri subiecit, vt cuilibet per illam trāsire æquum esset, hæc enim duo augent magnopere pigri hominis socordiam. Subnectit.

131. *Et ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant faciem eius spinæ.* Spinarum certè nomen commune est, ac nimis anceps. Pro spinis ergo in originibus est חרלים *Charulim*, aliqui *carduos*, restituunt sed melius Caietanus, qui extremam clausulam sic extulit. *Et operuerant faciem eius rubi, aut rhamni:* existimo autem duas huius hemistychij partes sic distribuendas esse, vt prior de agro, posterior de vinea accipiatur, hoc sensu. *Et ecce totum* (scilicet agrum *repleuerant vrticæ*) pro vrticis Hebr. קמשונים *Kinsonim*, nomen est commune quod tribulos, carduos, & vrticas, & quidquid ager incultus progerminat significare consueuit, *& operuerant faciem eius spinæ, seu rubi*, aut, *rhāni*; vineam nimirum, quia scilicet (vt natura ipsa fert) deficiente cultura inter vites rubi, rhamnique adoleuerant, aut (si fas est ita dicere) vites ipsæ syluescentes in rubos abiisse dicuntur, non equidem mutata specie, sed similitudine ascita; Nam vites imputatæ, syluescentibusque palmitibus hirsutæ, ac perplexæ, rubos inter se consertos, & implicatos referunt. Hinc nata translatio Chaldaïca, *Et ecce ascenderat super ipsam sylua.* Hunc ad sensum allici potest Isaias cap. 5. *Isaiæ 5.* qui de vinea populi sic serit *Non putabitur, non fodietur, & ascendent vepres, & spinæ*, idest, ipsæmet vites ruborum, seu veprium in morem, hirsutæ atque horridæ in syluam demutabuntur. Quid plura?

132. *Et maceria lapidum destructa erat*, hæc est altera socordiæ indicatio: maceria tota diruta iacebat. Nam cùm vinearum maceriæ in dies refici & instaurari debeant, ne citius collapsæ ruant, vir vtique incuriosus, ac deses, eam reficiendi, instaurandique curam deposuit, atque adeò totius sepis ruina consequuta est. *Psalm. 79.* Sed quid inde incommodi? audi Psalmographum. *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?* &c. Sed quamuis verba præmissa, vt sonant, incuriam, desidiamque in agris, vineisque colendis incusare videantur, cęterum mens Salomonis latiùs patet & sub ea vineæ similitudine omnem in vniuersum in quibuslibet rebus, aut negotiis transigendis socordiam, & pigritiam carpit. Similitudinem verò ab agrorum, vinearumque cultura ideò duxit, quia hæc cùm primis accurata, & diligens esse consueuit, & agricolam nullo tempore feriari prorsus, & otiari sinit. Attexit ergo, *Quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam*, idest, agrum illum vineamque ob domini negligentiam, incuriamque perditam, ac dirutam, conspicatus, planè comperi in omni negotio curam, & diligentiam serio nauandam esse, nihil enim est, quod ex incuria non pereat.

133. Sed tamen locum istum de externis causis, aut negotiis accuratè gerendis qui capiunt, mentem Salomonis assequuti non sunt. Meliùs ergo alij de interna

A animorum cultura interpretantur. Et quidem in hāc interpretationem impellit me autoritas Septuaginta, quorum translationem supra dedi, & paulò post eandem excutiam. Ambrosius ergo lib. 1. Officiorum *Ambros.* cap. 10. de gratitudine, & beneficiorum relatione locum exponit, sic enim scribit. *Vnde imitanda nobis est in hoc quoque natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiore solet numero reddere, quam accepit, ideò est tibi scriptum, Sicut agricultura est homo insipiens, & tamquam vinea homo egens sensu, si reliqueris eum desolabitur*, &c. (Vsurpat Ambrosius translationem Septuaginta) *Sicut agricultura ergo etiam homo sapiens, vt tamquam fœnerata sibi maiore mensura semina suscepta restituat. Terra ergo aut spontaneos fructus germi-* B *nat, aut creditos vberiori cumulo refundit, ac reddit.* Hæc ille, quibus gratum, & ingratum hominem inter sese componit, & illum quidem cum agro exculto, & mollito, suscepta semina cumulatissimo fœnore reddenti confert; illum verò agris, atque vineis similem esse dicit, quæ quia non coluntur, & expoliuntur, pro segetibus carduos, & pro vitibus rubos afferunt, eiusmodi enim sunt ingratissimi quidam homines rustici quidem, & inculti, qui accepta beneficia non modò non restituunt, sed nonnumquam etiam officia maleficiis compensant. Et quidem iuxta mentem B. Ambrosij Salomon in gratitudinem rusticitati, & insipientiæ tribuere videtur, dum ingratum virum cum agro inculto, & vinea syluescente comparat & C eundem insipientem vocat. Sic enim legis. *Tamquam ager vir imprudens, & tamquam vinea vir egens sensu.* Audi Senecam in Epistola 81. ad Lucill. *Itaque negamus quemquam scire gratiam referre, nisi sapientem.* Et infra: *Nemo referre gratiam scit, nisi sapiens.* Hanc verò thesim longa oratione confirmat, lege ibi multa, sed tum maximè illud, quod ad finem Epistolæ subnectit. *Beneficia qui insipienti dat perdit; Syluestris rusticitas creditum semen restituere non potest* idest, quemadmodum sylua inculta commissam sibi sementem fœlici prouentu referre nequit, ita etiam à syluestri, ac rustico ingenio accepta gratia officiis compensari non potest. Quæ sententia Ambrosij expositionem illustrat non parum.

D Id verò quod suadet Sanctus doctor in referenda 134. gratia terras æmulari oportere, ex Marco Tullio excerpsisse videtur, qui in primo etiam lib. Officiorum sic habet. *In referēda gratia (si modò Hesiodo credimus) debemus imitari agros fertiles, qui plus multo adferunt, quàm acceperunt. Etenim si in eos quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt.* Hanc Hesiodi, Tullij, & Ambrosij sententiam incusantes aliqui, serio affirmant in beneficiis compensandis accepta dona officiis exæquari, non vinci debere. Si enim (inquiunt, æqualitas dati, & accepti ad iustitiam sufficit, cur non eadem ad gratitudinem suppeditet? Occurrit huic obiectioni Seneca in ea Epist. 81. *Ingratus*, inquit, *est*, *Seneca.* E *qui beneficium reddit sine vsura*, rationem autem talem subiungit, quia is, qui officio suo accepti beneficij quantitatem non attingit, planè deficit, atque gratitudinis mensuras non explet; qui verò beneficium æquali officio compensat, donanti quidem iniurius est: nam cùm æqualitas in iustitia seruari soleat, qui ad eum modū parē restituit gratiā, innuit quodammodò eum, qui de ipso bene meritus est, non liberalem, & beneficum donatorem, sed creditorem potius fuisse, cui non ex gratitudine, sed ex iustitia restitutio fieri debeat. Quapropter is, qui gratitudinis numeros omnes explere vult, accepti beneficij mensuram suis officiis longo interuallo superare debet, vt ea ratione acceptam gratiam pendat, & bene de se merentem non lædat: ex quo fit eam telluris similitudinem

tudinem meritò ab his vſurpati ſolitam, qui de gratitudinis natura probè ſentiunt.

135. Neque ſolum ſimilitudo iſthæc gratiæ reddendæ modum, ſed etiam beneficij conferendi rationem præſcribit. Vir enim liberalis agricolam imitari debet: Nam quemadmodum agricola de prouentu incertus, ſemen tamen audacter iacit: ſic etiam liberalis, quamuis ignoret ingratus ne, an gratus futurus ſit ille, in quem beneficus exiſtit, audacter nihilominus in illum beneficia ſua collocare debet. Audi Senecam. (Senec.) *Quid ſi neſcis vtrum gratus ſit an ingratus? ſic ſerimus, ſic nauigamus. Quis enim pollicetur ſerenti prouentum? quis nauiganti portum?* Quaſi dicat, liberalis homo, agricolæ in morem, beneficiorum ſuorum ſemina in alios ſpargere debet, etiamſi de illorum gratitudine nihil comperti, & explorati habeat; aliter enim non liberalis donator, ſed ſordidus auaruſque mutuator dicendus eſſet.

136. (Ambroſ.) Rurſus idem Ambroſ. cùm in locum iſtum iterum incidiſſet lib. 2. Epiſt. 7. accommodatam magis illius expoſitionem commentus eſt. *Reſcindatur*, inquit, *luxuries, delitiæ reſecentur, & ſi quis fuit luxurioſus vale dicat ſuperioribus. Reſciſſa enim vinea fructum affert, ſemiputata frondeſcit, neglecta luxuriat: ideoque ſcriptum, Tamquam agricultura homo imprudens, & tamquam vinea homo egens ſenſu, ſi relinqueris eum deſertus erit. Colamus ergo corpus hoc noſtrum, caſtigemus illud, redigamus ad ſeruitutem, non illud deſpiciamus: ſunt enim membra noſtra; arma iuſtitiæ ſunt, & arma peccati.* Itaque Ambroſ. lectionem Septuaginta inibi vſurpans, de caſtigatione corporis locum exponit. Poteſt autem hic ſenſus dupliciter inſtitui, vel de caſtagatione, & afflictione proprij corporis cum Ambroſio, ait enim. *Colamus corpus hoc noſtrum*, &c. vel de alieni, ita vt, de ſuperioribus, aut præfectis hìc ſermo ſit. Si ergo de proprij corporis afflictione ſermo ſit, tunc quidem iſtius vineæ vites, & propagines non alias eſſe dixerim quàm ſenſus quinque, de quibus ſic Philo Iudæus in lib. de plantatione Noë. (Philo Iud.) *Videamus*, inquit, *quomodò in homine minore mundo ſapientiſſimus opifex Deus arbores quaſdam condidit, primum in corpore noſtro, tamquam in bono agro ſenſuum ſcrobes præparauit, in quas vnumquemque, tamquam mitem, vtilemque vitem indidit: auditum in aures, viſum in oculos, innares odoratũ, & ſuis quoſque locis cæteros. Atteſtatur autem huic meæ ſẽtẽtiæ fatidicus Vates, qui in ſuis hymnis ſic loquitur.* (Pſal. 93.) *Qui plantauit aurem non audiet?* Redeat ergo Salomon. *Tanqum vinea homo egens ſenſu.* Tamquam vinea ſcilicet ſenſuum varietate, ſeu vitibus quibuſdam conſita, quæ vites (vt Ambroſij verba reſumam) *Reſciſſæ fructum afferunt, ſemiputatæ frondeſcunt, neglecta verò luxuriant.* Voluntaria ergo caſtigatione reſecandæ nobis, & amputandæ ſunt, vt eas vtilem ad frugem traducere poſſimus.

137. Ad eundem ſenſum allicere licet noſtram lectionem. *Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Nimirum contemplatus ſum hominem ſocordem, otio, ac voluptatibus deditum, cui corpus tamquam *agrum*, voluntariæ afflictionis vomer diu non inciderat, & tamquam *vineam*, ſeuerior caſtigatio non reſecuerat, atque adeò prauarum affectionum cardui adoleuerant, ac bonæ vtileſque naturalium facultatum vites naturam demutantes, in ſteriles, ſpiniſque hirſutos rubos demigrauerunt, & maceria, ideſt, cuſtodia ac obſeruatio eorumdem ſenſuũ prorſus conciderat. Quid inde? *Quod cùm vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Poſſunt hæc verba duplici ſenſu donari. Vel enim ad ipſum allegoriæ corticem referri poſſunt, quaſi dicat; Cum aliquando A per campos oberrans vidiſſem agrum, vineamque aliquam ad eum modum incuria domini deſertam, atque dirutam, inde quidem ad mores ſimilitudinem traduxi, atque in his corpus aliquod incaſtigatũ cõtemplatus ſum. Vel certè illa verba ad rem ipſam per allegoriam ſignificatam pertinere dicenda ſunt, ad hunc modum. Cùm vidiſſem corpus hominis otioſi, & voluptatibus addicti, ob caſtigationis, afflictioniſque defectum, tamquam agrum, vineamque incultã prauarum affectionum carduis, rubiſque horrere, ac ſylueſcere, inde quidem doctrinam traxi, & ad mores meos inſtituendos exemplum deriuaui; vterque ſenſus accommodatus eſt. Obſeruauit hìc non inſulsè neſcio quis illud à Salomone extremo loco de induB ſtria additum fuiſſe. *Et maceria lapidum deſtructa erat.* Prius quippe vinea illa ob culturæ defectum in ſyluam abierat, deinde verò cùm iam nihil boni fructus afferret, quod vallari, & cuſtodiri opus eſſet, maceria, aut vi depulſa eſt, aut labi permiſſa: quod ad mores tranſlatum (hæreo in eadem expoſitione) ſignificat eos, quorum in corpore neglecta caſtigatione ſenſus nimia luxuria iam ſteriles eſſe cœperunt, eorundem curam, & cuſtodiã, tamquam inutilẽ abiicere ſolitos.

Altera verò interpretatio de alieni corporis afflictione præmiſſa verba ſic concipit. Sequor lectionem 138. (Sept.) Sept. *Tamquam ager vir imprudens, & tamquam vinea homo egens ſenſu, ſi dimiſeris eum, deſertus erit, & ſylueſcet totus, & fiet derelictus, ſepes autem lapidum eius de-* C *fodietur.* Alloquitur Salomon ſuperiorem Patremfamilias, & in vniuerſum eum, ad quem aliorum cura pertinet. Quaſi dicat, vir imprudens ab agro nihil differt, aut à vinea; atque adeò, quemadmodum vinea aut ager, ſi cultura adhibeatur, copioſas fruges, vbereſque fructus reddunt; ſi autem cultura omittatur, ea negligatur, carduis, vepribuſque redũdant: ad eundem modum imprudentes, & ſtulti homines, aſſidua ſuperiorum caſtigatione, & correptione exculti, ſæpius ad bonam frugem traducuntur; iidẽ verò neglecti, ac derelicti, in deterius abeunt, vitia, nouaſque affectiones ſponte germinant, prærupta legum maceria in maximam licentiam euadunt. Quid certius? Hunc ad ſenſum Vulgatam tranſlationem peculiari, D ac proprio lepore traducere æquum eſt. *Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineã ſtulti*, &c. Duo quippe ſunt hominũ genera, quæ excoli, & elaborari neceſſe eſt, *pigri* videlicet ac *ſtulti*, ſeu *inſipientes*, hos enim cultura ſæpius emendat. Pigri igitur nihilo diſſident ab agro perianti, qui quamdiu nullum ſemen excepit, ſpinas, & tribulos ſpõte affert. Stulti verò, & imprudentes, à vineis illis non abeunt, quæ non purgantur, aut putantur. Nam ſicut hæ indies magis, ac magis ſylueſcunt, & naturam quodammodò vertentes in labruſcas diſcedunt: ita etiam ſtulti neglecti, & inculti, magis, ac magis indies deſipiunt, & quodammodò etiam humanam mentem, & mores exuentes, in brutorum naturam, & mores demigrant. Ait ergo E Salomon, cùm fortè pigrum hominem præuidiſſem, illum quidem velut agrum deſidem, ac nullo excepto ſemine feriantem conſpicatus ſum, atque adeò vitiorum omnium carduos tribuloſque pullulantem: cúmque alium ſtultum, & imprudentem adſpicerem, videre mihi videbar vineam imputatam, & incultam, atque adeò horridam, & ſylueſcentem, ac diruta maceria cunctis peruiam. Ingenium ergo hominis inſipientis, niſi cultus accedat, ruſticum magis, ac ſyluanum indies efficitur, & tamquam vinea depulſo ſepimento, omnibus dogmatibus peruium redditur. Itaque in vtroque culturam deſiderabam, per quam rebar illos ad bonam frugem transferri poſſe: Ideò ſubnectit, *Quod cùm vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo dedici diſciplinam*, non modò vt meme

memetipſum aſſiduò excolerem, ſed etiam vt alios ſimili modo induſtria mea expolirem. Hæc expoſitio reliquis, me iudice, præferenda eſt, ſi Vulgatam lectionem ſequamur.

139. Cæterùm, ſi tranſlatio Septuaginta rurſus ad trutinam vocetur, aliter ſentio, nam illi extrema huius ſententiæ verba ſic extulerunt. *Poſtea ego pænitentiā egi, adſpexi ad eligendam diſciplinam*, quæ ſuadent vt integrum locum de pœnitudine, & reſipiſcentia exponamus, ad quam interpretationem facem præfert

Gregor. nobis Diuus Gregor. Magnus, qui Moral. lib. 30. cap. 20. hunc Salomonis locum ſic enucleat. *Per agrum hominis pigri, atque per vineam ſtulti tranſire, eſt cuiuslibet vitam negligentis inſpicere, eiuſque opera conſiderare; quam vrtica, vel ſpina replent, quia in corde negligentium prurientia terrena deſideria, & punctiones pullulant vitiorum, quia ſcriptum eſt, In deſideriis eſt omnis otioſus. Maceria lapidum deſtructa erat, id eſt, diſciplina patrum ab eius corde diſſoluta erat, atque ideo protinus adiunxit; Quod cum vidiſſem poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Itaque Diuus Gregor. agrum, & vineam ipſam, vitam, operaque hominis ſocordis intelligit; per vrticas, & ſpinas, praua deſideria, atque vitia, ſeu peccata conſcientiam vnius cuiuſque pungentia accipit; quaſi dicat, vita, atque actiones humanæ niſi agri in morem excolantur, & vineæ ad inſtar purgentur, ac reſecentur, ſylueſcunt prorſus, ſpinaſque, ac ſentes conſcientiam ſauciantes ex ſe proferunt. Ad hanc vinearum, vitiumque ſimi-

Philo Iud. litudinem adludens Philo Iudæus in lib. de plantatione Noë, pulchra admodum verba miſcet. *Quoniam igitur is, qui ad virtutem introducitur longè à fine abeſt, meritò poſtquam plantauit, iubetur auferre à planta impuritatē; nam in medio multa agnoſcuntur noxia, quæ neceſſariò ſunt auferenda, ne officiant melioribus. An non dicemus mitem arborem animæ redditionem depoſiti? verùm hæc putatione opus habet, & curioſiore diligentia. Quænam igitur eſt iſta putatio? nimirum hæc, depoſitum quod accepiſti à ſobrio, nec ebrio, nec prodigo, nec furenti, reddere debes.* Et infra. *Ergo ſicut ab arbore, ita ab actione quidquid impurum eſt auferas, mite facias quod alioquin abiturum erat in naturam ſylueſtrem; in amicitiæ verò planta ſimiles ſtolones amputandi ſunt.* Stolones appellat impudicos, libidinoſoſque motus, adulationes, & id genus alia, quæ amicitiæ ſinceritatem corrumpunt. Ac demum ait. *Reſecanda ergo ſunt eiuſmodi res ab amicitiæ planta, tamquam peſtes agnatæ. Itidē ſacrificia, fœderaque, ſtirpes ſunt pulcherrimæ, ſed quibus adnaſci ſolet malum ſuperſtitionis, quod excidendum priuſquàm coaleſcat firmius.* Et poſtquam alia ſubtexuit, ſic demum inſit. *Oportet ergo talia cuncta magnum damnum afferentia reſecare, & tollere, ſicut oraculum diſertè monet, Aufer impuritatem plantæ pomiferæ.* Itaque Philo omnes virtutum actiones, velut arbores, viteſque fructiferas, perpurgandas, & amputandas eſſe dicit, ne naturam ſuam mitem, & lenem, in ſylueſtrem, horridamque demutent, id eſt, ne ex virtutibus in vitia demigrent.

140. Salomon ergo appoſitè ad hoc ſic ait. *Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam ſtulti*, &c. id eſt, Cùm aliquando fortè fortuna per agrum, vineamque viri ſocordis, negligentiſque iter regerem, vidi vtrique ob domini incuriam ſementem bonam, quam nuper in agrum ſparſerat, carduis, vrticiſque adnaſcentibus peremptam; vites etiam imputatas, & infectas, in ſylueſtres labruſcas conuerſas, ac demum

A maceriem ruina ingenti depulſam fuiſſe: ac tunc quidem venit in mentem propenſiones, actioneſque meas ſimilem admodum ob negligentiam, & iniuriam obortis peccatis, tamquàm ſentibus ſpiniſque, ſuffocari, quæ mentem aculeis ſuis aſſiduò compungebant. Rurſus id comperi, quod ſi quid virtutis, & honeſtatis nonnumquàm actitabam, dum agnatos vitiorum ſtolones non reſcindebam, vitis adinſtar quæ non putatur, aut purgatur ocius ſylueſcebat, & in ipſam vitii naturam vertebatur: Ac demum illud agnoui, animum meum, ſeu vineam, maceria legis diruta, cunctis vitiis peruium, & propatulum fuiſſe. Quid inde? *Poſtea ego pænitentiam egi, adſpexi ad eligendam diſciplinam*, id eſt, dum hæc conſiderarem, ac

B mecum ipſe perpenderem, totius anteactæ vitæ pœnitentia tenuit me, ac planè reſipiſcens ad bonam frugem me recepi: vide an hæc verba ad extremam Salomonis pœnitentiam comprobandā aliquid præſtent? Et quidem aptè admodum pœnitentiam vſurpauit, qua omnibus illis incōmodis occurreret; hæc enim peccatorum ſentes conſcientiam penitus ſauciantes radicitus euellit. Sic Beda ad illa verba Iſaïæ Iſaia 1. Beda. *Lauamini, & mundi eſtote. Spinis*, inquit, *purga agrum tuum, & aratro etiam proſcinde, & tunc feres in eo ſemen, vnde gaudeas in futuro: deſere, inquam, peccata, & plange illa per pænitentiam, & tunc bonum facere conſueſce.* Rurſus pœnitentia ſuccreſcentes, noxiaſque vitiorum propagines exſcindit, purgat, amputat. Ni-

C hil enim animæ ſuorum ſcelerum pœnitudine tactæ magis adſimile, quàm vitis exſectis ſarmentis illacrymans, atque eo documento futuræ vindemiæ ſpem præmonſtrans. Lege ſacros interpretes ad illa verba Cantic. 2. *Tempus putationis aduenit.* Denique ad pœnitentiam quoque ſpectat materiæ ruinas inſtaurare, ac reficere, legem ſcilicet in eam ſublimitatem attollere, vt illam deinceps nulla vitiorum irruentium vis tranſgredi, aut tranſilire poſſit, id enim futuræ emendationis propoſitum præſtat, quod non minimam pœnitudinis partem continet: vide quæ alibi diximus ad illa verba Iſaïæ, *Lapides elegit ex ea, & ſepem circumdedit ei*, &c.

D

33. *Parum inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conſeres, vt dormias.*

34. *Et veniet tibi, quaſi curſor egeſtas, & mendicitas quaſi vir armatus.*

Hæc verba abſunt hic àb originibus Hebraïcis. Aliqui ergo exiſtimant illa ex cap. 6. vbi ipſiſſima reperiuntur, hùc aſcita, & ſuperiori verſui ſubtexta, vt duæ ſententiæ contra pigros ac deſides cohærerent: non aſſentior. Imò potius exiſtimo hanc

E ſententiam in antiquis exemplaribus hoc etiam loco adſcriptam fuiſſe; ſuadet hoc Septuaginta interpretum, Vulgatique concordia: nam ſacri illi interpretes eandem hic vſurpant. Nec mirum ſi eadem verba bis legantur; quandoquidem ſolemne eſt Salomoni in hoc libro vnam eandemque ſententiam ſemel & iterum diuerſis in locis inculcare, (vt alibi non ſemel animaduerti.) Cæterùm quia locum iſtum ſupra cap. 6. verſ. 10. & 11. longa interpretatione donauimus, fruſtra hìc plura.



CAP. XXV. SALOMONIS.

HÆ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iudã.
2. Gloria Dei est celare verbum, & gloria Regum inuestigare sermonem.
3. Cælum sursum, & terra deorsum: & cor Regum inscrutabile. 4. Au-
fer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. 5. Aufer im-
pietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius. 6. Ne glo-
riosus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne steteris. 7. Melius
est enim vt dicatur tibi: Ascende huc; quàm vt humilieris coram Principe. 8. Quæ vide-
runt oculi tui, ne proferas in iurgio citò: ne posteà emendare non possis, cùm dehonestaueris
amicum tuum. 9. Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles:
10. Ne fortè insultet tibi cum audierit, & exprobrare non cesset. Gratia & amicitia liberant:
quas tibi serua, ne exprobrabilis fias. 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur ver-
bum in tempore suo. 12. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & au-
rem obedientem. 13. Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, ani-
mam ipsius requiescere facit. 14. Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir glorio-
sus, & promissa non complens. 15. Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet
duritiam.. 16. Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.
17. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te. 18. Iaculum,
& gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimo-
nium. 19. Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ. 20. Et
amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut
tinea vestimento & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi. 21. Si esurierit inimicus
tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere. 22. Prunas enim congregabis super ca-
put eius, & Dominus reddet tibi. 23. Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis
linguam detrahentem. 24. Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigio-
sa, & in domo communi. 25. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra lon-
ginqua. 26. Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio. 27. Sicut
qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.
28. Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere
spiritum suum.

---

1. *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda.*

I. 
Æ quoque, &c. Sept. *Hæ sunt disciplinæ Salomonis indistinctæ, quas descripserunt amici Ezechiæ Regis Iudææ.*

Dubium est, an isthæc verba ad cõtextum huius libri pertineant, vtrũ scilicet à Salomone dictata, an potiùs ab aliquo alio hic adscripta, & inserta sint. Plerique interpretes isthæc verba tanquam titulum sequentium Parabolarum ab aliquo præscripta, & præfixa fuisse autumãt; hunc verò & non alium nisi Sobnam fuisse, ex coniectura Aben Hezræ docent non pauci, quem tempore Ezechiæ scribam fuisse memorat sacra pagina.

A Addunt etiam hunc vnà cum aliis Ezechiæ Regis familiaribus, reliquas huius libri sententias dispersas ex peruetustis membranis collegisse, & compilasse. Itaque verbum illud, *transtulerunt*, non significat (inquiunt) parabolas istas ab vna lingua in aliam à viris illis conuersas, ac redditas fuisse; sed ex diuersis schedulis in hoc volumen transcriptas, ac superioribus adnexas. Caietan. autem addit sequentes Parabolas ad huius libri integritatem nequaquam pertinere: sed cum constet ex lib. 3. Reg. cap. 4. Salomonem tria Parabolarum millia dictasse, viros Ezech. ex his millibus, quarum pleraque interierant, paucas istas hinc inde conquisitas, & ab interitu vendicatas in hunc librum velut appendicem aliquã contulisse suspicatur. Caiet.

Cæterùm vtraque suspicio (mea quidẽ sententia) suos fefellit auctores. Vt autem nostram coniecturã 2.
subiiciamus,

ſubiiciamus, memoria repetenda ſunt ea, quæ ſuprà A
in Iſagoge huius Commentarij longa oratione diſ-
cuſſimus: ſcilicet hunc librum eſſe Sapientiæ, aut Sa-
lomonis conuiuium, in quo Salomon ſeipſum, nec
non Agur, ſeu Congregantem, Lamuelemque Regẽ
loquentes inducit. Quemadmodum Plato etiam in
ſuo cõuiuio Socratem, Phædrum, Pauſaniam, Eryxi-
machum, & alios quoſdam amoris laudes perſonan-
tes: & Plutarchus in ſuo etiam epulo ſeptem Græciæ
ſapientes de legibus perorantes induxit. Rurſus etiã
ibidem dixi Salomonem, qui primo loco dicit in hoc
conuiuio à cap. 10. (vbi ſic initio legis, *Parabolæ Sa-
lomonis*) ſermonem ad vſque 24. capitis finem pro-
tuliſſe: tunc autem Agur, & Lamuelem ſuas inſe-
ruiſſe Parabolas, & problemata: ac demum poſt illos B
Salomonem dicere iterum, & adorſum opus perfeciſ-
ſe. Ad hunc modum olim huius libri, ſeu potiùs con-
uiuij telam fuiſſe contextam ſuadet tranſlatio Vati-
cana Septuaginta interpretum, quæ Agur, Lamueli-
ſque Parabolas ſub finem huius capitis 24. inſerit, &
ad Salomonis parabolas rurſus redit. Ergo viri Eze-
chiæ, cùm librum hunc Salomonis conſcriberent, vt
parabolas, quas Salomon ſuo nomine dictauerat, in
vnum conflarent, eas, quas poſt duos illos, Agur, La-
muelemque ſubiecerat, è ſuo loco in hunc transtu-
lerunt, ac duorum, Agur videlicet, Lamueliſque, ora-
tiones poſt omnes Salomonis parabolas ſubſcripſe-
runt. Quapropter ita ego reor priora illa verba. *Hæ
quoque parabolæ Salomonis*, ad textum ipſum ſacrum
pertinere, & ab ipſo Salomone hic adſcripta fuiſſe: C
quemadmodum etiam ſuprà c. 10. decreuimus de il-
lis, *Parabolæ Salomonis*, atque infrà etiam idem iudi-
cium feremus de illis, *Verba congregantis filij vomen-
tis*, necnon de illis, *Verba Lamuelis Regis*: eiuſmodi
enim præſcriptiones ſignificant perſonã, quæ in hoc
conuiuio ſapientiæ fari incipit. Ergo cùm Salomon
ſemel & iterum, iuxta veterem, germanamque huius
libri ſeriem, ſermonẽ haberet, ſemel quidẽ ante duos
illos ſapientes, & iterum poſt illos, priori quidẽ ora-
tioni hic titulus præfixus fuit: *Parabolæ Salomonis*,
poſterior autem ſic inſcripta eſt. *Hæ quoque parabolæ
Salomonis*. Illa autẽ verba: *quas transtulerunt viri Eze-
chiæ Regis Iuda*, non pertinent ad textum, ſed ab aliis D
hic adſcripta ſunt, & (mea quidem ſententia) paren-
theſi claudi deberent: ſignificant autem ſequentes
parabolas non ab vna lingua in aliam, nec ab ſchedu-
lis in hoc volumen, ſed ab vno loco in alium tranſla-
tas, vt cum prioribus Salomonis parabolis nullo in-
terſtitio cohærerent.

3\. Hunc ad ſenſum vocanda eſt tranſlatio Septua-
ginta, quæ præmiſſa verba ſic extulit. *Hæ quoque pa-
rabolæ Salomonis indiſtinctæ, quas deſcripſerunt amici
Ezechiæ Regis Iudææ*. Græcè αἱ ἀδιάκριτοι, id eſt, *non
diſcretæ*. Hæ ſunt (inquam) Salomonis parabolæ, quas
olim amici Regis Ezechiæ indiſtinctas, & indiſcretas
conſcripſerunt: nam eas, quæ prius aliis interiectis
diſcretæ fuerant, ipſi copularunt, & contexuerunt. E
Hæc autem addita ſunt à Septuaginta interpretibus,
non quia ipſi duas illas Salomonis orationes ſimilem
ad modum copulauerint, aut contexuerint (conſtat
enim vtramque ſecundùm perantiquam huius libri
formam ab illis ſeparatam, & ſecluſam) ſed vti ratio-
nem redderent, cur duas illas iam olim ab Ezechiæ
temporibus cohærentes, conſertaſque orationes dua-
bus aliis interpoſitis ipſi meritò ſeiungerent. Nimi-
rum id obiicientes, quod eas Ezechiæ familiares in-
diſcretas conſcripſiſſent: cùm tamen olim diſcretæ,
& ab inuicem ſeparatæ fuiſſent, iuxta genuinam, pri-
mæuamque libri ſeriem, ac methodum.

2\. *Gloria Dei eſt celare verbum: & gloria
Regum inueſtigare ſermonem.*

GLoria Dei, &c. Hebræa non diſſonant. Chal- 4.
dæus *Gloria Dei qui celat verbum: & gloria Re-
gum, qui inueſtigat ſermonem*. Septuag. *Gloria Dei
celat verbum: gloria autem Regis honorat res*. In quibuſ-
dam etiam codicibus legitur: *gloria autem Regis hono-
rare preceptum eius*. Procopius habet, *gloria autem
Regis honorare precepta*. Nomen דבר *Dabar*, quod
ſemel & iterum eſt pro verbo, aliquando etiam in
ſcriptura ſumitur pro re, aut facto, nihil certius; non-
nunquam etiam præceptum adſignificat, Pſalm. 148. *Pſal. 148.*
Et ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius, & *Pſalm. 102.*
Pſalm. 102. *Facientes verbum illius ad audiendam vo-
cem ſermonum eius*, & paſſim alibi. Hinc nata lectio-
num præmiſſa varietas.

Sunt etiam valde diſſimiles iſtius loci interpreta-
tiones, ſed parum accommodatæ. Hebræi inſulſam
expoſitionem commenti ſunt: Aiunt enim illos Eze-
chiæ Regis familiares magnam huius libri partem
reſecuiſſe, in qua erant ſententiæ quædam arcanæ,
quas in vulgus ſpargi, & effundi prophanum duce-
bant, ac pro his alias eiuſdem Salomonis magis ob-
uias hinc & inde collectas ſententias ſubrogaſſe. Ra-
tionem ergo offerentes, qua inducti fuerant ad eam
parabolarum partem celandã, ſubiiciunt. *Gloria Do-
mini eſt celare verbum*, id eſt, ad gloriam Dei pertinet
quædam ipſius verba abſcondere, & aſſeruare, ne in
vulgus effluant. *Et gloria Regum inueſtigare ſermonẽ*,
id eſt, glorioſum etiam nimis Regibus eſt, vti quæ-
dam nouerint ipſi, quæ vulgus aſſequi non poſſit:
nam ea verba, & documenta, quæ à multitudine ab-
ſcondebantur, Regibus patebant. Cæterùm hæc in-
terpretatio mihi abſurda prorſus videtur, quia hæc
verba Salomoni adimit, quæ omnium interpretum
communis calculus illi tribuit.

Occurrunt etiam aliæ non paucæ interpretatio- 5.
nes, quibus id vitij commune eſt, quod duas illius
ſententiæ partes ita ab inuicem dirimunt, vt nulla
inter vtramque cohærentia ſit. Eiuſmodi eſt expoſi-
tio Hugonis Cardinalis. *Gloria Domini celare verbũ*, *Hugo.*
id eſt, glorioſum eſt Deo, quod illius tum dicta, tum
facta captum, & ſapientiam humanam ſuperent. *Et
gloria Regum inueſtigare ſermonem*, ſcilicet ipſius Dei,
ſi quoquo modo illum aſſequi, & capere poſſint. Fri-
get etiam hæc expoſitio. Subdit aliam idem Cardi-
nalis, *Gloria Domini eſt celare verbum*, id eſt, qui bona,
quæ facit, aut dicit, ex demiſſione animi celat, abſcõ-
ditque, eam certè gloriam, quam ſibi non vſurpat,
Deo reddit. Sed vide duarum partium incohæren-
tiam. *Et gloria Regis inueſtigare ſermonem*, id eſt, glo-
rioſum valde illi eſt legem perſcrutari, atque illud
Deuteronomij præceptum explere. *Cùm ſederit* *Deut. 17.*
*Rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium
legis huius in volumine; accipiens exemplar à Sacerdo-
tibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque omnibus
diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum,
& cuſtodire verba, & ceremonias eius*. Eodem vitio la-
borat expoſitio Rodolphi, quæ ſic habet. *Gloria Dei* *Rodolph.*
eſt celare verbum, &c. id eſt, Deus in ſumma gloria po-
nit ea dicere, quæ homines penitus callere non poſ-
ſint: Rex autem glorioſum ſibi ducere debet aliorum
ſecreta, & arcana cognoſcere, quid ſcilicet amici,
quid hoſtes moliantur, indecorum ratus aliquid ex
his ſibi non exploratum, & compertum eſſe. Piget
alias eiuſmodi incohærentes interpretationes ad-
ſcribere.

6. Caietan. Caietanus accommodatam magis expositionem contulit: præmisit autem in his verbis, *Gloria Dei*, loco *Dei* subesse nomē *Elohim*, quod secundùm germanam significationem *iudicem* sonat. Sermo igitur (inquit Caietanus) de Deo est, tanquam de Iudice, & arbitro rerum omnium hoc sensu, *Gloria Dei est celare verbum*, id est, cùm Deus sit supremus iudex, & arbitrio suo cuncta administret, magnam suæ gloriæ partē ducit suorū iudiciorum rationes, causasque occultare. Non ita Rex, aut Princeps humanus; *Gloria*. *n. Regis est inuestigare sermonē*. i. ad eius gloriā & splēdorē pertinet nihil vnquam agere, aut decernere, cuius rationem aliis indicare non possit. Quasi dicat. Reges suorum iudiciorum factorumque rationes multitudini compertas esse in magna gloria ponere debent. Nā quoties iudicij à Principe lati, aut rei patratæ rationē vulgus non assequitur, sæpius illam damnat, & malam in partē vertit. Ratio autē huius discriminis, quod inter Deū, & alios Principes versatur, in promptu est: quia Deus iudicia sua occultās, cùm iniustitiæ argui, & appellari non possit, reuerentiam, & obseruantiā sibi conciliat: at Principem illum, qui decreti sui rationem multitudini nō indicat, populi imprudentia perstringit, vulgique temeritas condemnat. Nam in vulgi foro semper reus peragitur is, qui insons planè non agnoscitur, tantùmque illi in omnes licet, vt etiam in Principes decernere, illosque arbitrio suo damnare, aut absoluere audeat. Hinc illa

Stobæus. Cleomenis sententia apud Stobæum. *Vulgi arbitrium supra Principes est*. Id est, vulgus de Principibus etiā supremis iudicat, cúmque nullum sit tribunal superius in terra, ad quod Regū causæ deferantur, vulgi tamen iudicio, & multitudinis arbitrio dirimuntur: hæc enim illos aut reos, aut insontes declarat. Itaque secundùm hanc interpretationem verba illa: *& gloria Regum inuestigare sermonem*, sic accipienda sunt. Decorum valde Regibus est suorum decretorum rationes vestigare, & in promptu habere, vt nunquam non calumniatoribus occurrere, & satisfacere possint. Sed licet hæc expositio communi aliarum vitio non laboret, tamen extrema verba præscriptæ sententiæ non sponte, sed coactè quodammodo inseruiunt.

7. Quapropter alia mihi facilior, ac lenior interpretatio succurrit ad hunc modum. *Gloria Domini est celare verbum*. Loquitur Salomon de subiecta materia: nam cùm nouum sermonem ab hoc cap. 25. auspicetur, eius naturam, stylumque in fronte præscribit. Et quidem sequentes parabolæ (vt Cardinalis Hugo hîc obseruat) obscuriores sunt, quàm superiores, & plures allegorias cohibent, quod cuilibet librum hunc perlegenti compertum erit. Salomon ergo sic ait. Ad gloriā Dei maximā spectat, ea, quæ per suos Prophetas enuntiat mysteria, aut documenta, allegoriis tegere, aut ænigmatibus inuoluere. *Et gloria Regum est inuestigare sermonem*, id est, decorum valde Principibus est ea, quæ Deus ipse ad eum modū occultauit, retegere, & euoluere, eorūque arcanos sensus rimari. Itaque sequentium parabolarum formam describit Sapiens, in quibus pleraque difficilia, & perobscura sunt: & Reges, Principesque exacuit, vt in his perscrutandis operam libenter ponant, atque suos inde mores informent. Hāc expositionem amplectitur D.

Gregor. Gregor. homil. 6. super Ezech. cuius verba emaculāda sunt: irrepsit enim illis mendum turpissimum, sic enim hodierni codices habent. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris, quia obscura est scientia in Prophetis. Sed Salomonis voce attestante audiuimus, Gloria Regum celare verbum, & gloria Dei est inuestigare sermonem; quia honor est hominum eorum secreta abscondere, & gloria Dei est mysteria sermonis eius aperire*. Mendum habes, quod planè scripturæ textum corrumpit. Sic ergo locus restituendus est. *Sed Salomonis voce attestante audiuimus, Gloria Dei est celare verbum, & gloria Regum inuestigare sermonem. Quia honor est Dei secreta sua abscondere: & gloria hominum mysteria sermonis eius aperire*. Et quidem appositè ad hanc sententiam è vestigio attexit. *Ipsa quidem per se Veritas discipulis suis dicit. Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, id est, aperte exponite quæ in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magna verò vtilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque aliud maius, quia scriptura sacra intelligentia si in cunctis esset aperta, vilesceret. Atque adeo in quibusdam locis obscurioribus tantò maiore dulcedine inuenta reficit, quantò maiori labore fatigat animum quæsita*. Iam vides qua ratione ad Dei gloriam pertineat sermones suos ad eum modum obscuris quibusdam allegoriarum inuolucrisconuestire: quia aliter (inquit Gregorius) *si sacra scriptura in cunctis esset aperta, vilesceret*. Salomon ergo cùm pleraque sequentium capitum documentā ad Reges, Principesque destinaret, ne isthæc si plana prorsus, & aperta essent, apud illos sordescerent, obscurioribus allegoriis eadem inuoluit: vtque ipsos ad ea discutienda excitaret, subiunxit. *Et gloria Regum inuestigare sermonem*, id est, gloria est Regibus digna, vestigandis, perscrutandisque horum verborum sensis operam impendere.

Quantum verò doctrinam commendat aliqualis ipsius obscuritas, attigit etiam Clemens Alexand. lib. 8. Clem. Alex.
1. stromatum. *Continebunt, inquit, hi libri admixtam veritatem philosophiæ decretis, vel potius coopertam, & absconsam, sicut testa cooperitur id quod est in nuce esculentum: fidei enim semina solis, vt opinor, seruari debent fidei agricolis*. Quasi dicat, fidei mysteria non quibuslibet propalanda sunt, sed his tantùm, qui, seu agricolæ, in proscindendis, vertendisque agris laborant, sic ipsi in euoluendis mysteriis assiduò desudant. At, inquies, dedecet Reges agricolarum similitudo. Accipe igitur aliam ex eodem Clemente à venatione ductā: hæc enim exercitatio Regibus decora simul, ac familiaris est. *Taceo*, inquit, *quod hæ nationes volunt ex arte celare semina cognitionis. Quemadmodum ergo qui studio tenetur venationis, postquam quæsiit, inuestigauit, indagauit, canes, qui simul persequerentur, emisit, feram capit: ita etiam apparet verum dulcedine quæsitum, & labore paratum*. Hęc ille. Vide ibi plura in hanc sententiam.

Sed licet superiori interpretationi plus tribuam, aliam nihilominus subiiciam minimè insulsam, quam 9.
translatio Septuaginta nobis offert. *Gloria Dei celare verbum: gloria autem Regis honorat res*. vel, vt alij codices habent, *honorat præcepta eius*. Pronomen *eius*, ad Deum referri debet, quasi dicat. Deus verbum, id est, præcepta sua, sic intimare, & insinuare solet, vt tamen rationes præcipiendi prorsus occultet: gloriosum enim ducit hominum non modò voluntates, sed etiam mentes, iudiciaque sibi substerni, & ad nutum obsequi. Ad eum modum cùm præcepit Deus Saūli, vt Amalecitas, omnemque illorum substantiam perderet; rationem huius præcepti celauit: Rex verò eidem rationi magis consentaneum existimans pinguissimos greges Deo mactare, illos contra Dei præscriptum seruauit, quod ipsi ruinæ omen fuit. Salomon ergo ait. *Gloria Regum honorat præcepta eius*. Id est, ad gloriam Regum pertinet Dei mandata actorum exequi, etiamsi illorum rationes non assequantur: decorum enim valde Principibus est non suas modò voluntates, sed etiam mentes, iudiciaque

Deo incuruare, ac demittere: vult enim Deus, vt nõ modò Rex ipſe, ſed id etiam, quod in ipſo Rege regnat, imperatque, ſcilicet ratio, atque mens, ſibi ſubdatur. Id verò obſequium Regem ipſum mirum in modum honeſtat: fit enim ea ratione, vt idem ipſe Princeps ſibi imperet (quo nullum eſt dignius imperium) dum eam ſui partem, quæ maximè imperia detrectat, mentem videlicet ſubiugat, & Deo ſubmittit. Ad hæc pendendum eſt verbum illud, *honorat præcepta eius*; ſignificat enim maximum ſplendorem diuinis præceptis accedere, & auctoritatem conciliare, cùm non priuati ſolùm, ſed etiam Reges illis parent. Et quidem vel ob eam cauſam Reges humanis legibus obtemperare oportere docet D. Iſidorus: quia ſi ipſi latis à ſe iuribus non deferant, reliqui eadem facilè contemnunt. Idem prorſus de legibus diuinis iudicium eſt: cùm enim eas Principes temerè violant, in aliorum hominum contemptum veniunt: cùm verò illas iidem ſuſpiciunt, ac magnificiunt, earum obſeruantiam reliquis commendant. Nihil certius. Similem ad ſenſum Vulgatam lectionem allicere integrum eſt, ſi nomine verbi, aut ſermonis, præceptum capiamus. *Gloria Dei celare verbum*. Solet ſcilicet aliquando Deus ſua mandata non tam intimare apertius, quàm inſinuare occultius. *Et gloria Regis inueſtigare ſermonem*, id eſt, tunc quidem Regi decorum valde eſt diuinæ voluntatis nutum obſeruare, & veſtigiis omnibus perſequi, vt illi ſemper obſeruiat. Quaſi dicat, Princeps ſupremus, ſi ſapit, etiam tunc cùm diuini imperij leuis aliqua ſignificatio eſt, illi obſecundare debet.

Iſidor.

3. *Cœlum ſurſum, & terra deorſum: & cor Regum inſcrutabile.*

10. *Cœlum ſurſum*, &c. Hebr. *Cælorum in altitudine, & terra in profunditate, & cordis Regum non eſt inueſtigatio*. Huius autem tranſlationis ſententiam poſtea dabo. Chald. *Cœli ſunt excelſi, & terra profunda, & cor Regum inueſtigabile*. Vatabl. *Cor autem Regum imperueſtigabile*. LXX. *Cœlum ſurſum, terra autem profunda: cor autem Regis, quod redargui non poteſt*. Aquila, & Symmachus concinunt cum noſtro interprete.

Rodolph.

Non vna, ſed multiplex huius loci interpretatio. Rodolphus exemplariam lectionem ſequutus ſic locum edifferit. *Cœlum ſurſum, & terra deorſum*, id eſt, cœlum ſublime valde eſt, ideò motus eius ſpeculari difficile eſt: terra etiam depreſſa eſt, ac profunda, atque adeo quæ intra illius viſcera penitus deliteſcũt, nemo aſſequi poteſt, cordis autem Regum non eſt veſtigatio. Quaſi dicat, cœli, terræque ſpeculatio, & inueſtigatio, Regibus minimè glorioſa eſt: vel non decet Reges in eiuſmodi rebus ſpeculandis ac veſtigandis verſari. Debet autem locus iſte iuxta hanc expoſitionem cum ſuperiori conſui ad hunc modum. *Gloria Regis eſt inueſtigare ſermonem*, id eſt, ad gloriam Regum ſpectat, leges, ac documenta practica quæcumque ad bonam Reipublicæ adminiſtrationem faciant, ſtudioſius, attentiúſque perueſtigare: at in ſcientiis merè theoricis, & ſpeculatiuis verſari, ac tempus inſumere, cuiuſmodi eſt Aſtrologia, aut Geometria, non ſic: nam iſtæ artes ad moderandam rempublicam nihil præſtant.

11. Sed licet hæc interpretatio non incongruè contextui adaptetur, eam tamen Vulgata lectio non capit, atque adeo reiicienda eſt. Reliqui ergo interpretes eandem ex hoc loco ſententiam exprimunt, licet illam non eodem modo conforment. Vatabl. ſic habet. *Cœlum ſurſum, & terra deorſum*, ſcilicet in defini-

Vatabl.

A to loco eſt, atq; adeo illũ hominum ſtudio, atque obſeruatione metiri licuit: at cor Regis nulla diſquiſitione, & obſeruatione cõprehendi poteſt. Beda, Caiet. Ianſen. Hugo, aliique interpretes aliter ſenſum effingunt, *Cœlũ ſurſum, & terra deorſum*: illud ſcilicet præ altitudine, hæc verò ob profunditatem nullo ſtudio cõprehendi poſſunt. Ad eundẽ modũ cor Regis inſcrutabile. At quiſnam (inquies) huius ſententiæ ſcopus? Caiet. & Ianſen. exiſtimant Salomonẽ eo tantùm ſpectaſſe, vt illos, qui in perſcrutandis Regum conſiliis verſantur, vanæ cuiuſdam curioſitatis inſimularet. Quaſi dicat, Quemadmodum cœli, & terræ ſpeculatio partim impoſſibilis; partim vana, & nullius frugis eſt, & tamen eos, qui his rebus contemplandis B operam impendunt, maximopere diſtinet, totoſque ad ſe rapit: ita etiam qui Regum conſilia, cogitationes, motuſque obſeruant, rem quoque impoſſibilem, vanam, & inutilem meditantur, & tamen in his obſeruandis, & explorandis toti hærent. Cæterum friget mihi hæc ſententia.

Quapropter ego de iſtius ſententiæ ſcopo aliter ſentio, quem non vno modo collimare contendam. Primò quidem dici poſſet Salomonem Regum mores inſectari, quia nunquam ſibi ſimiles ſunt: nam in ſumma rerum omnium licentia, & poteſtate poſitis illis cùm ſemper æquum ſit exequi quidquid volunt, nunquam eadem aut volunt, aut ſentiunt. Ergo ſuadet Salomon ne in perſcrutandis Regũ conſiliis ſtultam C operam teramus; quia quemadmodum cœli nũquam eadem facies eſt, ita etiam Regum mens animuſque nunquam idem, ſed varius, & à ſeipſo paſſim diſcrepans. Hoc ſibi vult illud *Cœlum ſurſum*. Sed cur ſtatim addit, *& terra deorſum*? Ego quidem ita reor, vtramque cœli ac terræ comparationem non eſſe vni Regi accommodandam, ſed per cœlum Regem, per terram autem priuatum hominem notari hoc modo. *Cœlum ſurſum, & terra deorſum*. Nimirum Rex quidẽ maieſtate ſua non aliter ſupra priuatos attollitur quàm cœlum ipſum ſupra terram, priuati etiam non ſecus infra Reges iacẽt, quàm terra infra cœlum. Ergo quemadmodum cœlum ex terra ſpeculari & metiri difficile admodum, tum ob diſtantiam, tum etiam D ob ipſius cœli diſſimiles facies atque inſtabiles motus; ad eundem modum difficile eſt, atque arduum, priuatum hominem Regum conſilia & cogitationes aſſequi ſiue ob longam vtriuſque diſtantiam, ſiue etiam ob Regum mobilem inſtabilemque mentem. 12.

Secundò aliter dici poſſet, Salomonem id priuatis ſuadere, ne propius ad Reges accedant, neque in eorum gratiam ſeſe inſinuent. *Cœlum*, inquit, *ſurſum, & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile*. Quaſi dicat, mobile in primis eſt atque inſtabile cor Regum, atque adeo vir prudens eorum gratiæ ſeſe permittere non debet, ſed quoad fieri poſſit longè ab illis remoueri & abſiſtere. Reges enim *cœlum* imitantur, quapropter, quemadmodum vicina omnia corpora motu E ſuo impellit ac conuertit, ita vt ſola terra, quæ ab ipſo remotiſſima eſt, quieta, immobiliſque perſeueret; ita etiam eos, qui Regibus ac Principibus proximè adhærent, & eorum familiares ſunt ipſorum inſtabilitas agitat; illi verò, qui tanquam tellus à cœlo, ſic ipſi à Regibus longè diſtant, & priuatam omnino vitam degunt, inconcuſſi etiam, & immobiles perſeuerant. 13.

Tertiò poteſt etiam locus iſte aliter aptius edifferi, ſi vtraque cœli & terræ ſimilitudo Regi accommodetur. Dicemus ergo Salomonem priuatis omnibus ſuadere, ne Principum gratiam & fauorẽ ſectentur, quia *cor Regum inſcrutabile*, ſeu *imperueſtigabile*, id eſt, eorum voluntatem animumque peruadere, & penitus agnoſcere difficillimum eſt, quia numquam 14.

idem est, ac sibi omnino similis; sæpius enim gratia in odium, fauorque in iram vertitur. Sensus ergo sic conformandus est: *Cœlum sursum & terra deorsum, cor autem Regum inscrutabile*, id est, ita fert Regum mobile ac dissimile ingenium, vti sæpe illos, qui eorum gratiam inierunt muneribus amplissimis auctos ad cœlum vsque sublimes leuant, ac rursus eosdem, vertente rota, è cœlo deturbatos ad terram deprimunt; quapropter eorum beneuolentiam aucupari valde periculosum est. Quasi dicat, cor, id est animus studiumque Principis, cœlum inter ac terram medius quodammodò versatur, vt cùm libuerit aliquem attollat, & in cœlum inferat, & eundem rursus demittat, & ad terram deponat. Quid tamen, quomodo, aut quando velit, nemini exploratum est; nam cùm ipsius voluntatem nihil obstringat, velle ac nolle ipsi valde liberum existit. Huc spectat etiam translatio LXX. *Cœlum sursum & terra deorsum, cor autem Regis redargui non potest*. i. Regum potestas ac licentia in res omnes summa est, atque adeò siue hominem in cœlum sublimem vehat, siue eundem ad ima deiiciat, siue hoc iure, siue iniuria faciat, nullus est superior iudex, à quo redargui & conuinci possit. Quasi dicat, quidquid vult impunè facit, & nullus est, qui rationem facti exigat.

15. Cæterùm quamuis ex præmissis interpretationibus aliquæ sint non incongruæ, tamen verba ipsa contextumque attentius considerans in aliam inducor expositionem, quam cæteris facilè præfero. Existimo ergo verba isthæc non ad subditos intendi, sed ad ipsosmet Reges. Nam cùm antecedens ac subsequens versus ad Reges monendos spectet, eum qui inter vtrumque iacet eodem pertinere credendum est. Suadet igitur Salomon magnis Principibus, ne sua consilia & rationes aliis temerè manifestent, sed celent potius & asseruent. Nihil enim magis publicæ administrationis neruos elidit, quàm secreti aut mysterij Regij propalatio. Itaque sic ait. *Cœlum sursum, & terra deorsum, & cor Regum inscrutabile*. vel, vt habent origines: *Altitudinis cœlorum, & profunditatis terræ, & cordis Regum non est inuestigatio*. i. tria isthæc valde inter se consimilia esse oportet, cœlum, terra, & cor Regum, ita vt quemadmodum nulla artis, ingenij, aut obseruationis, vi cælorum altitudinem certò metiri, & terræ profunditatem penitus rimari cuiquam licet: ita etiam Reges sic se gerere debent, vt eorum cor. i. consilia, & rationes, nullus indagare, nedum deprehendere possit: sic. s. vt quædam propter sublimitatem, alia verò ob nimiam profunditatem cunctos fugiant. Vbi etiam obiter Principes monet Salomon, ita illos sublimia & præalta mente agitare oportere, vt nonnunquam etiam ad humilia & inferiora mentem nutumque deiiciant.

---

4. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.*

5. *Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius.*

16. AVfer rubiginem, &c. Hebr. *Remoue scorias de argento, & egredietur argentario vas: Remoue impium à facie Regis*, &c. Chald. *Colligite rubiginem de argento, vt egrediatur vas à conflatorio: Eiiciatur impius à facie Regis*, &c. LXX. *Percute argentum improbatum, & mundabitur mundum totum. Interfice impios à facie Regis, & recta procedet in iustitia thronus eius*. Symmach. *Purga scorias ab argento*. סיגים *sigim*, quæ propriè quascumque fæces metallorum sonat, siue ex permixtione ignobilioris materiæ (vulgò *liga*) siue aliunde contractas.

Beda literæ sonum secutus docet his verbis suaderi Regibus ne impietatem, seueritatem, minasque, vultu præferant. *Qui enim*, inquit, *præsunt populis, si volunt firmum esse solium suum, semper hilaritate, & gratia plenos vultus exhibeant, ne per arrogantiam rigidiores effecti in mussitationem incidant populorum*. Sensus ergo huius loci sic conformandus est. *Aufer rubiginem de argento*, &c. id est, Quemadmodum vas argenteum detersa rubigine nitidum redditur, ac splédore suo oculos delinit: ita etiam vultus Regis seueritate detracta dignior & gratior est, omniumque ad se lumina animosque conuertit; atque ea ratione deuinctis subditorum animis solium regni sui stabilitate perpetua donat. Et quidem in vultu Principis hilaritatem & clementiam semper spectari debere pereleganti similitudine docuit Diogenes Pythagoricus apud Stobæum in sermone de Regno. *Non minus*, inquit, *quàm tibia & concentus bonus Regis intuitus animos ad se conuertit*. Quibus verbis obiter insinuat vim, quam habet Regis vultus hilaritate, ac clementia temperatus: sicut enim tibia concinnè personante chorus ad numeros saltat; ita etiam Regibus clementiam vultu ac moribus præferentibus, tota Respublica numerosè, & concinnè mouetur. Subdit enim statim. *Eadem certè ratio est rithmi ad motum, & harmonia ad vocem, & clementia ad communionem*. Et paulò superius dicit, diuinitatem quandam vultu præferre illum, qui regiam grauitatem hilaritate & clementia condire potest: innuens scilicet eam clementiam vultu exhibitam regiam dignitatem non extenuare, sed augere, adeo vt eiusmodi Principibus veluti numinibus populi deferant. Atque hinc factum, inquit Diogenes, vt Ioui, Cæsari Augusto, Alexandro, aliisque Principibus diuinos honores populi decreuerint, quia illos clementia supra humanitatem venerandos reddidit.

Non minus elegans est Salomonis similitudo ad illam clementiam & humanitatem vultu ipso proditam notandam, scilicet vas argenteum, climatis sordibus, detersaque ærugine splendidum. Quia ex ira & furore vultus quodammodo situm & æruginem contrahit: sordidum enim & rubigine infectum argentum à plumbo nihil differt. De vultu autem hominis ira perciti sic Gregor. Nazianz. in poëmate de ira. 17.

Cena (esse quales morte confectis solent)
Aliis rubentes, sunt quibus plumbo pares
Hunc nam colorem nunc, & nunc rursus genis
(Furibundus indit pictor & prorsum improbus.)

Illum igitur plumbeum ac sordidum colorem, quo ira faciem tingit, atque imbuit, hilaritas extergit atque emaculat. *Et egredietur vas purissimum*. Sed quid inde? Certè ex deterso ac splendenti vase amara etiam potio sine fastidio hauritur, ita etiam Princeps clementiam & humanitatem vultu præferens, multitudini adeò pergratus est, vt ab illo, tanquam ex nitidissimo argenti vase, quamlibet amaram seuerissimarum legum, aut præceptionum potionem cum voluptate arripiant. Propterea subdit Salomon, *Firmabitur iustitia thronus eius*, quia humanus ille, ac clemens Princeps quamlibet legum seueritatem nullo negotio in populi mores inducet, & sublatis proditorum insidiis tutus erit. Hæc Bedæ sententia.

Reliqui interpretes per rubiginem argenti scorias intelligunt, quas igni traditum, & conflatum abiicit. Et quidem per eiusmodi scorias improbos legum osores accipiendos esse dicunt. Hæc enim significatio in scripturis valde obuia est. Psal. 118. *Præuaricantes reputani* 18.

Beda. Stobæus. Nazianz. Psal. 118.

reputaui omnes peccatores terræ. Hebr. *Tanquã ſcorias coputaui omnes impios terræ.* id eſt, eos omnes, qui diuinas leges temerè violant, velut ſcorias, fæceſq; aliorũ hominum cogitaui. Sed tamen non vna ex cauſa
Num. 1. improbi cum ſcoriis conferuntur. Numer. 1. mali cõſiliarij cum Principibus collati ſcoriæ nomen ferũt.
Iſai. 1. Et Iſaïæ cap. 1. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam.* Neque verò totum argentum in ſcorias demutatum fuiſſe vult Propheta, ſed illud ſcoriis, ignobilioribuſque metallis admixtum: Subdit enim, *Principes tui infideles ſocij furum*, id eſt, miniſtros improbos ſibi ſociant, quibus adiuncti tanquàm argentum ſcoriis immixtum, à dignitate, & ſplendore ſuo excidunt. Appoſitè autem ad hæc attexit. *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferã omne ſtannum tuum, & reſtituã iudices tuos, vt fuerant priùs, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus.* Quaſi dicat; Principes tuos ad antiquam integritatem, & probitatem transferam, improbos illis conſiliarios auferens & iuſtiſſimos, integerrimoſque tribuens.

19. Rurſus tota multitudo ex probis hominibus improbiſque coaleſcens cum argento etiã ſcoriis permixto
Ezech. 22. contulit Ezech. 22. *Fili hominis verſa eſt mihi domus Iſraël in ſcoriam; omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbũ in medio fornacis, ſcoria argenti facti ſunt.* i. multi improbi & exleges, probi autem atque pij vix pauci, atque adeò totus populus in ſcorias abiiſſe, & argenti vix aliquid reliquum videtur. *Propterea hæc dicit Dominus Deus, eo quod verſi eſtis omnes* (id eſt plures) *in ſcoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Hieruſalem congregatione argenti, & æris, & ſtanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis, vt ſuccendam in ea ignem ad conſlandum*, &c. id eſt, furorem meum vobis immittam, vt improbis omnibus, tanquam ſcoriis eliquatis, & conſumptis, probi tantummodo, ac pij reliqui fiant. Ad hæc ipſorũ Principum iniuſtitia, malitia, improbitaſque, ſcoria nonnunquã dicitur, illis, velut argento, infuſa, & permixta. Accipe
Hierem. verba Hieremiæ. *Omnes iſti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum, vniuerſi corrupti ſunt, defecit ſufflatorium; in igne conſumptum eſt plumbum; fruſtra conſlauit conflator, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ; argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.*

20. His ergo prælibatis, verba Salomonis triplicem ad ſenſum vocare licet. Primus eſt. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.* Rubiginem, inquam, id eſt ſcorias, & ignobilium metallorum fæces: quaſi dicat. Excoque prius argentũ, & fæces eius conſume: cùm autem ad eum modum defæcatũ fuerit, licebit ex illo vas puriſſimum, ac nitidiſſimum efformare. *Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.* Vox illa, *impietatem*, capienda eſt, vt ſonat, pro malitia & improbitate, ſenſuſque iuxta tertiam ſcoriarum acceptionem talis euadet, id eſt, Deponat Rex omnem iniuſtitiam, & improbitatem; hæc enim illum, veluti ſcoria, corrũpit, & adulterat: ſic enim depoſita improbitate, & iniuſtitia, iuſtus, pius, & argenti inſtar defæcatiſſimi, ſplendidus, integer & incorruptus erit. Sed tamen, vt huius ſententiæ leporem teneas, cogita iuſtitiam vulgò *integritatem* appellari; ducitur autem ſimilitudo (ni fallor) ab auro & argẽto cùm impermixta ſunt, & nullis fæcibus adulterata: ſic etiam iudices muneribus aut gratia corrumpi, ab eodem auro & argẽto ſimi-
Rhodig. litudine petita, dicimus, vt auctor eſt Cælius lib. 2. c. 20. Nam quemadmodum aurum ex permixtione alterius metalli corrumpitur, & ex vero falſum redditur, ita etiam iudex aut Princeps, cùm gratiæ, aut muneribus, vel alteri cuipiã corruptelæ locũ fecit, quo-
A dammodò adulteratur, & ex vero falſus, & ex iuſto iniuſtus efficitur. Hùc ſpectat Hieremiæ ſententia, quæ ſic habet. *Omnes iſti Principes declinantes, vniuerſi corrupti ſunt.* Et Iſaïas c. 1. duas rationes cõplexus eſt, ob quas Principes populi, argenti in morem, corruptionem traxerant; hæ ſunt, impiorum ſocietas, & munerum acceptio. Sic enim ait. *Principes tui ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Itaque Principes iuſti atque integri appellantur ſimilitudine aſcita ab auro, & argento percolato, & ad purum excocto, cui nihil ſcoriæ, aut fætis adhæret. Hinc ergo lux Salomoni affertur, qui appoſitè ad hanc ſimilitudinem hoc docet quod quemadmodum ex argento excoctis atque conſumptis ſcoriis vas
B ſplendidum, atque precioſum efficitur, ita etiam ex homine iuſto & integerrimo, ab omnique corruptela libero, præclarus, & numeris omnibus abſolutus Princeps euadit, cuius thronus iuſtitia, & æquitate ſuffultus diutius perſeueret.

Secundus ſenſus, qui ex præmiſſa notatione colligitur, ſic habet. *Aufer rubiginem* (id eſt ſcoriam) *de* 21.
argento, & tunc demum ex ipſo *egredietur vas puriſſimum*. *Aufer impietatem de vultu Regis.* Solemne admodum eſt ſcripturæ ſacræ vſurpare abſtracta pro concretis; quem canonem ſæpè alias inculcauimus; hic ergo *impietas* accipi debet pro impio; ita ſuadent aliæ huius loci lectiones; nam Chald. ſic habet. *Eiiciatur impius à facie Regis*, &c. Et LXX. *interficite im-*
C *pios à facie Regis.* Ergo iuxta primam ſcoriarum acceptionem, quæ, vt ſupra animaduerti ex Iſaïa, improbos Regum conſiliarios, & miniſtros adſignificant; ſententia eſt luculenta. Quemadmodũ ex auro conflatis ſordibus, & ſcoriis, quæ ipſi adhæſerant, purum ac ſplendidum vas effingitur, ſic etiam Princeps, qui improbos conſiliarios & familiares, tanquam ſcorias, abiicit, & à vultu ſuo, id eſt ab amicitia, & gratia lõgè remouet, optimus erit, & rempublicam ſuam iuſtè adminiſtrabit. Obiter autem dum dicit improbos iſtos familiares ſic à Principibus ſeparandos eſſe, quemadmodum ſcoriæ ab argento, modum inſinuat, quo iſti à Principum gratia excidere conſueuerunt; nam ſicut ignis ſcorias, fæceſque ſeparat, conſumit,
D & in fumos difflat, ſic etiam Regũ ira improbos amicos vnà ſeparat, & bonis omnis exhauſtos conſumit, aliquando etiam vitam adimit. Vbi illud expende, pro illis noſtræ lectionis verbis, *Aufer impietatem*, vel *impium, à vultu Regis*, apud LXX. legi, *interficite impios à facie Regis*: nam illi, quos Principes poſt vſum aliquem, & familiaritatem à ſe longius ex cauſa remouent, ocyus emori ſolent: atque adeò perinde eſt illos gratia atque vita ſimul, vnàque priuare.

Ad hanc expoſitionem allici poſſunt LXX qui lo- 22.
cum iſtum ſic extulerunt. *Percute argentum improbatum, & mundabitur mundum totum, interficite impios à facie Regis, & recta procedet in iuſtitia thronus eius.*
E Senſus eſt, vas ex argento immundo & necdum probato percutere, hoc eſt conterere, ac diſrũpere oportet, vulgò *abollarle y hacerle pedaços*, vt denuo excoctum, & conflatum ex puro, & defæcato argento refingatur: ſic etiam vniuerſam aulæ Regiæ familiam, cùm fortè permixtis improbis hominibus, tanquàm argentum ſcoriis, ſordet, percuti & contundi à Principe neceſſum eſt, vt conſumptis impiorum fæcibus, ex probis, atque iuſtis clientibus inſtauretur. Hoc ſibi vult illud, *Interfice impios à facie Regis.* (Sermo intenditur ad Principes.) Quaſi dicat, id contendite, vt iſtiuſmodi impij familiares perdantur, & tanquam ſcoriæ, ſeparentur, & conſumantur; vt fœlix, fauſtumque ſit veſtrum imperium. Quid certius?

13. Rursus potest etiam hic secundus sensus de adulatoribus capi: hi enim magnis Principibus, seu scoriæ, tantoperè adhærere solent, vt vix ab eisdem separari ac secerni queant, atque veluti scoriæ aurum, sic etiam illi iustissimos & integerrimos Principes corrumpunt, & adulterant. Hinc Plutarchus in moralibus semel adulatores cum auro adulterino componit, & iterum cum solis scoriis auro intermixtis. *Adulterina*, inquit, *splendorem ac nitorem auri tantummodò imitantur; sic adulator gratiam & amicitiam tantummodò etiam simulat*. Et rursus. *Adulator Principi, seu scoria, tenacissimè miscetur*. Id est, velut plumbum cum argento permixtum vnius metalli massam efficere videtur: sic assentator Principi adhærens, amicitiam, gratiam, & animorum vnionem mentitur. Cæterùm quemadmodum eam plumbi, argentique societatem ignis dirimere solet, sic etiam quælibet incidens aduersitas assentatores dissociat. Suadet ergo Salomon Regibus vti eiusmodi adulatorum scorias fæcesque ab se longius remoueant, ne veluti argentum, cui plumbum adhæsit, falsi, & adulterini Principes sint, sed veri, & germani. At, inquies, quanam demum ratione istiusmodi scoriam à Principibus separatam esse constet? lxx. interpretes id præscribunt, *Percute* (inquiunt) *argentum improbatum, & mundabitur mundum totum*. Rex, scilicet, qui falsos assentatores, vt scorias, hactenus admisit, veraces deinceps homines & libertate dicendi vtentes deligat, atque ipsorum ictibus, idest correptionibus, & obiurgationibus se subiiciat: exploratum enim est, atque vsu compertum, illud aurum, argentumve esse purum magis ac defæcatum, quod malleis fortius excussum non dissilit, aut dissipatur, sed in tenuiores laminas bracteasve ictibus complanatur. Ad eundem igitur modum tunc demum constabit Principem abiectis adulatorum scoriis purgatum esse, cùm plures veracium hominum ictus, id est correptiones, & obiurgationes sustinuerit. Possunt etiam hæc verba ad subditos referri. *Percute argentum*, &c. allusione scilicet facta ad vsitatum explorandi argenti morem, cuius puritatem declarat sonus & tinnitus, cùm percutitur. Ait ergo Salomon. Princeps ille qui regnum suum firmum ac stabile manere vult, non prius aliquem ad familiaritatem suam debet excipere, quàm ipsum, seu argentum, quasi percutiendo probauerit; atque ex verbis, tanquàm ex sono, integritatem aut incorruptionem illius didicerit; sic enim fiet, vt nullos habeat adulatores, sed contrà veraces ac liberos & fideles omnes experiatur: hoc sibi volunt verba ista. *Et mundabitur mundum totum*, &c.

14. Tertius sensus, qui ex supra adscripta obseruatione fluit, sic habet. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum*. Scorias nimirum ab argento secerne, & ex eo vas purissimum effingere licebit. *Aufer impietatem* (id est impios) *de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius*. Sententia ergo isthæc iuxta secundam scoriarum acceptionem supra notatam sic concinnanda est. Suadet Salomon Regibus vt suas Respublicas, quæ, velut argentú admixtis scoriis, fermè probis, improbisq; coalescunt, consúptis sontibus expurgare numquàm desinant: nam sic demum fiet, vt extincta impietate probitas vigeat, & regnum ipsorum, sublatis insidiatoribus, perenne sit. Hæc interpretatio ex verbis Ezechielis suprà exhibitis petita est quæ hûc etiam accersenda sunt, vt quod Deus in eo loco in populum decernit, id ipsum Principes in suas Respublicas statuant. Atque hæc mihi cæteris præferenda videtur,

---

6. Ne gloriosus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne steteris.

7. Melius est enim vt dicatur tibi, ascende huc: quàm vt humilieris coram Principe.

NE gloriosus appareas, &c. Hebr. *Ne te decorum ostendas*, aut *facias*. Reliqui cohærent cum Vulgatis. Chal. extrema verba sic extulit. *Ne deiiciaris coram dominatore, quem viderunt oculi tui*. Itaque illa verba, quæ noster interpres ad sequentem sententiam transtulit, Chaldæus cum ista copulauit. Et quidem iuxta hodiernam exemplarium Hebræorum dispunctionem, ita etiam locus efferri deberet, sed tamen meritò Vulgatus interpres prætulit lectionem LXX. qui etiam verba illa cum sequentibus contexuerunt; sic enim habent. *Ne gloriosè te ostentes coram Rege, neque in locis Principum steteris. Melius enim est tibi dici, ascende ad me, quam humiliare te in facie potentis*. 15.

Huius loci sententia valde perspicua est, & cum ea omnino cócinit, quam Christus Dominus vsurpauit Lucæ 14. *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te, & illum inuitauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade & recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi; Amice ascende superius, & erit tibi gloria coram simul discumbentibus*, &c. Quod igitur ibi Christus de conuiuio, hîc Salomon de magnatum consessu & concilio præcipit. Nam in conuiuiis olim ad symposiarcham spectabat loca conuiuantibus distribuere pro dignitate. Propterea suadet Iesus conuiuæ, ac compotori, ne locum superiorem ab initio capessat, ne deinde si ita symposiarchæ penes quem est locorum distribuendorum ius, inde descendere, & alteri locum facere iubeatur. Quapropter satius est, inquit Dominus, extremum locum, & longè inferiorem, quàm ipsius personæ dignitas postulat, ab initio occupare; ea enim animi demissio in causa erit, vt à conuiuij magistro conuiua euocetur superius, ac digniori fortasse honestetur loco, quàm illum aliàs ex decentia ferre oporteret. Ac demum Dominus mentem suam exprimens sic parabolam absoluit. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Luc. 14.

Ad eundem modum Salomon à Dynastarum consessu in quo Rex præsidet, ducta similitudine, humilitatem, & animi demissionem suadet. *Ne gloriosus*, inquit, *appareas coram Rege* (vel, vt habent Primitiua, *ne te gloriosum ostentes*, aut *facias*) *& in loco magnatorum ne steteris*. idest, cùm aliquando ad Principum, Heroumve concilium accersitus fueris, in quo Rex præsidet, primùm quidem si sapis, gloriam, & dignitatem tuam nequaquàm ostentabis; omnis enim priuati hominis gloria & decor, dum maiestati obiicitur quà Rex fulget, hebetatur, & tenebris offusa disparet. Deinde locum superiorem minimè inuadas, in quo supremi Dynastæ considere consueuerunt. *Melius est enim vt dicatur tibi, ascende huc*, &c. id est, gloriosum magis erit tibi, si locum infimum captans ab ipso Rege digniori loco honesteris, quàm vt illum dignitati tuæ imparem priùs occupans, ab illo indecorè pulsus erubescere cogaris. Sed licet id aptè dictum sit, ad istius sententiæ energiam aliquid aliud pertinere existimo: Nam Salomon (ni fallor) suadere velit priuatis hominibus neu supremas sedes & magistratus apud Reges ambiant, sed vt inferiori aliquo & medio dignitatis gradu contenti sint: quia longè melius est in eo gradu honoris esse, à quo possit tandem quis ad 16.

alium

alium ſuperiorem honeſtè euocari, quàm cum iam tenere, à quo non poſſit quis niſi indecorè deſcendere. Cùm enim rerum humanarum inſtabilis conuerſio ſit, quando aſcendere atque euehi vltra non licet, deſcendere ac demitti neceſſum eſt. Propterea inquit Salomon. *Melius eſt vt dicatur tibi, aſcende huc, quàm vt humiliteris coram Principe*

27. Quod ſi verba vt ſonãt, de loco ac ſede in conſeſſu multorum capienda ſermo ſit; dicemus quidem Salomonem id monere, ne ſimiles ſimus illis, de quibus Chriſtus Dominus apud Lucam. *Væ vobis Phariſæis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro.* Et cap. 20. *Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro, & primas cathedras in ſynagogis, & primos diſcubitus in conuiuiis.* Et quidem locum ſupremum nequaquàm eſſe affectandum ſuadet vetus illud proloquium, *Locus non nobilitat hominem, ſed homo locum.* Quod Ariſtippo tribuit Laërcius; nam cùm Dionyſius Syracuſanus illi indignatus extremum ſedere feciſſet, ſubiicit Ariſtippus. *Hunc planè locum decorare, & illuſtrem reddere voluiſti.* Et de Ageſilao puero etiam narrat Plutarchus, quod cùm aliquando in loco parum honeſto à ludi magiſtro collocaretur, ſic ille occurrit. *Bene quidem eſt; dabo operam, vt oſtendam non loca viris, ſed viros locis auctoritatem conciliare.* Sed longè elegantior ac venuſtior idem Plutarchus in conuiuio ſeptem ſapientum, vbi eorum factum coërcere volens, qui ſupremos in conuiuiis diſcubitus contendebant, appoſitè admodum inducit Alexidemum Mileſium Traſybuli tyranni filium de ſympoſiarcha expoſtulãtem, quod illi honeſtiſſimum in eo conuiuio locum non aſſeruaſſet. Cui Thales illius conuiuij Princeps ad hunc modum occurrit. *Itane verò vereris ne ſicut Ægypty ſtellas, prout vel ſublimius eleuata vel depreſſa ſunt, in locis, quæ permeant, euadere aiunt, quàm pro natura ſua meliores: ita etiam tu quoque ex loco obſcurior atque depreſſior fias. Profectò Lacone illo vilior efficeris, qui in choro quodam ordine locatus nouiſſimo à Præfecto chori. Rectè, inquit, hoc comme..tus eſt, quo & hic locus honoratus reddatur.* Hactenus Plutarchus, ex quibus conficitur de locorum ac ſedium conditione non eſſe curandum, cùm iſthæc nihil honoris, vel auctoritatis ſedenti comparent. Auget autem Salomon eam ſententiam docens, ſupremi loci ambitionem non modò nullam ſedenti gloriam afferre, ſed ſæpius eandem prodere, ac traducere, dum quis ſede ſua indecorè pellitur, vt alteri digniori locum faciat. Nihilominus tamen ſuperior interpretatio præferenda mihi videtur.

Laërt.

Plutarchus.

A B C D

---

8. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò: ne poſtea emendare non poſſis, cùm dehoneſtaueris amicum tuum.*

28. Quæ viderunt, &c. inuehitur Caietanus in Vulgatam lectionem, eamque ab Hebraicis originibus plurimum abhorrere dicit, ſed tamen ipſius potius coërcenda licentia, qui plus æquo Rabbinis tribuens, Vulgatę lectioni ſuccenſet. Itaque locum ſic efferendum eſſe dicit, *Ne egrediaris ad litem feſtinanter, ne quid facias in fine eius cum pudefaciet amicus tuus.* At quis obſcuram, & inſulſam ſententiam, pulchræ, & eleganti anteponat? Vulgatus quidem ſequutus eſt tranſlationem LXX. qui ſic habent. *Quæ viderunt oculi tui ne dic, & ne precurras ad litem citò, vt non te pœniteat in nouiſſimis.* Poſteriorem clauſulam nectunt LXX. cum ſequenti verſu; ſed de hac poſtea. Chald. *Ne egrediaris ad iurgium citò, vt non contendas poſtea, quando exaſperaueris amicum tuum.* Pro verbo illo *dehoneſtaueris*, ſubeſt ex בהכלים *Behaclem*, ex radice הכל *hiphil*, id eſt. *In pudore afficiendo*, vel *pudore afficiendo amicum tuum.* Hinc noſter interpres valde appoſitè. *Cum dehoneſtaueris amicum tuum*, cauſam ſcilicet pudoris innuens.

Caietanus ergo iuxta ſuam illam tranſlationem ſic locum iſtum ediſſerit. *Ne egrediaris ad litem feſtinanter, ne quid facias in fine eius cum pudefaciet amicus tuus.* id eſt, Ne temerè, & abſque conſilio, litem alicui intentes, ne quid accidat vnde proximus tuus, contra quem litem mouiſti, verecundia te afficere poſſit, ne ſcilicet in lite ab ipſo victus erubeſcere cogaris. Rodolphus etiam exemplaria Hebraica conſectans plures interpretationes coniicit in hunc locum; quæ tamẽ cùm omnes à Vulgata lectione prorſus abhorreãt, audiendæ certè non ſunt. Eiuſmodi etiam eſt illa expoſitio Aben Hezra. *Ne exeas ad litigandum, niſi prius cauſam expenderis, & eam iuſtam eſſe apud te decreueris, ne male audias apud amicos tuos, & litium conſectator appelleris.* Idem iudicium eſt ferendum de interpretatione Rabbi Salomonis. Ne litem contra amicum ſuſcipias, ne tandem pudore ſuffundaris quod leges amicitiæ violans cum illo ex iure agis, cui gratiam omnem exhibere deberes. Mitto alias his adſimiles expoſitiones, quibus illud vitium commune eſt, quod à Vulgata lectione quàm longiſſimè abeunt. Addit prętereà Rodolphus locum iuxta origines legi poſſe ad hunc modum. *Ne egrediaris ad litem, ſed feſtina vt finem imponas.* id eſt, ſi nondum litem ſuſcepiſti, ne proſilias, ſi autem illam iam intentaſti, ocyùs eidem terminum impone, & de concordia ac fœdere paciſce, *ne pudefaciat te amicus tuus.* Ne ſcilicet ſi amicus tuus te præoccupauerit, & pacis conditiones obtulerit, pudore ſuffundat te, dum ſimultate depoſita prius ad beneuolentiam inuitat.

Caiet.

Aben Hezra.

Rodolph.

Sed tamen his omnibus valere iuſſis noſtræ lectionis ſententia valde luculenta eſt. *Quæ viderunt oculi tui ne proferas in iurgio citò, ne poſtea emendare non poſſis, cum dehoneſtaueris amicum tuum.* id eſt. Si quando tibi cum amico tuo contentio aliqua, aut ſimultas, vt fieri ſolet, oborta eſt, ne ſubito furore incenſus, ea exprobres illi, quæ cum ipſo amicè conuerſans obſeruaſti; nam eiuſmodi ſubiti æſtus ocyus deferuere, ac deſæuire ſolent. Si quid autẽ probri, aut contumeliæ in amicum ex tempore coniectum eſt, quod illius honorem læſerit, id quidem reuocare, & conuertere non licet. Hûc ſpectat illa Diui Bernardi ſententia in altero ex paruulis. *Leuis*, inquit, *ſermo* (loquitur autem de conuiuio) *quia leuiter volat, ſed grauiter vulnerat: leuiter tranſit, ſed grauiter vrit; leuiter animum penetrat, ſed non leuiter exit; leuiter profertur, ſed non leuiter reuocatur.* Hûc ſpectant duæ ſimilitudines quibus Plutarchus hanc verborum irreuocabilem naturam ſignificauit. *Veluti nauem*, inquit, *arreptam fluctibus anchora non licet ſiſtere: ita nec verbum in altum emiſſum.* Et iterum. *Vt procline non eſt auem è manu emiſſam recipere, ita nec dictum ſemel ab ore profectum.* 29.

Plutarch.

Plutarch.

E

Sed licet hæc interpretatio non ſit inepta, tamen aliam eſſe exiſtmo Salomonis mentem; affatur enim Sapiens (ni fallor) teſtes, qui in litibus, controuerſiiſque forenſibus teſtimonium dicunt: ſuadetque illis ad hunc modum. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò;* iurgium appellat litem ciuilem, aut cauſam criminis, quaſi dicat. Ne in cauſa eiuſmodi teſtimonium rogatus, ea quæ vidiſti, temerè, & inconſideratè dicas. *Quæ viderunt*, inquit, *oculi tui.* His verbis apertè innuit, teſtem oculatum eſſe oportere, qui ea tantùm, quæ oculis obierit ſuis, apud iudicem conteſtetur. Addit etiam, illum ea, quæ viderit, non citò, & ex tempore, ſine delectu, & præuia meditatione exponere 30.

ponere debere; nam id, quod testis in iudicio semel deponit, reuocari postea aut corrigi non potest. Id sibi vult illud, *Ne postea emendare non possis cùm de honestaueris amicum tuum.* (amicum vocat proximum quemlibet;) hoc est, ne postquàm testimonio tuo proximum reum feceris, & contumeliæ sempiternæ addixeris, damnum hoc ipsi allatum vitare & reparare non possis. Huc certè spectat translatio LXX. quæ licet à nostra non parum discedere videatur, ipsi tamen proximè hæret. *Quæ viderunt oculi tui dic, & ne procurras ad litem citò, ne te pœniteat in nouissimis,* id est, Tu quisquis testimonium apud iudicem dicis, ea tantùm depone, quæ oculis tuis aspexeris; & rursus ex his, quæ vidisti, ne quid celeriter, & imparatè in causa aliqua rogatus dixeris, ne sera te posteà pœnitentia dictorum capiat, tunc, scilicet, cùm reum liberare non possis. Itaque illud, *ne te pœniteat in nouissimis*, sic accipiendum est, quasi dicat, ne pœnitentia nouissima, sera scilicet atque inutilis, subeat. Itaque Salomon ex natura testimonij in iudicio prolati, colligit illud attentissimè, & candidissimè dicendum: nam vbi semel depromptum est fidem irreuocabilem facit. Nemo enim, etsi possit, & aliquando etiam debeat testimonium semel dictum rursus inficiari, & refellere, adduci vnquàm potest, vt id faciat, ne falsi testis infamiam sibi adspergat. Propterea monet Iurisconsultus, vt priusquàm testis ad dicendum ex iure veniat, seorsim instruatur, & ad veritatem enunciandam confirmetur à iudice: nam si semel aliquid deprompsit, quamuis falsum sit, tenax dicti semper idem mordicus asseuerat. Verè etiam quidam affirmant propterea falsis testibus ex multarum gentium legibus, dentes extrundi, ad eam tenacitatem puniendam, qua falsitatem mordicùs affirmarunt; haud dissimiles quibusdam animantibus, qui vbi semel aliquid admordêtes dentes difixerunt suos, vix vnquàm euellunt. Hæc sunt, Crocodilus, Canis venaticus, & alia quædam.

9. *Causam tuam tracta cum amico tuo; & secretum extraneo ne reueles.*

10. *Ne fortè insultet tibi, cùm audierit, & exprobrare non cesset.*

31. Causam, &c. Hebr. *Litigium tuum litiga cum amico tuo, & secretum alterius ne reueles.* Sic conuertunt Hebræi recentiores: sed restituendum potius est cum Vulgato. *secretum alteri ne reueles*, tùm quia nulla vis infertur exemplari, tùm etiam quia accommodatam magis sententiam reddit, vt infra dicemus. *Ne fortè probris afficiat te audiens, & infamia tua non reuertatur.* Caietanus. *Et infamia tua non quiescat.* Vatablus. *Ne forte audiens subtrahat à te beneficentiam, teque infamet, quod amoliri non possis.* Chaldæus. *Causam tuam indica socio tuo in nouissimo, & secretum alteri ne reueles, vt non exprobret tibi audiens, & famam tuam non peruertat.* LXX. verò interpretes superiores sententię partem huic adnectunt, atque locum integrum sic restituunt. *Cùm te exprobrauerit amicus tuus, recede in posteriora ne cõtemnas, ne te quidem exprobret amicus: rixa autem tua, & inimicitia non aberit, sed erit tibi æqualis morti.* Symmachus. *Vituperatio tua ne reuertatur.* Aquila, & Theodot. cohærent cum Vulgatis.

Caiet. Caietanus locum istum singulari interpretatione donat; nam cùm sic legat, *Lis tua, lis socij tui, & secretum alterius ne detegas, nec exprobret tibi, & infamia tua non quiescat*, id nobis suaderi putat, vt litem amici, causamque illius non alienam, sed nostram esse ducamus; id enim postulat lex amicitiæ. Id verò quod

A quod de secreto, & arcano minimè retegendo subdit, eodem modo accipiendum est, quasi dicat, secretum tibi ab amico commissum tuum esse repùta, atque adeò nemini aperire debes, ne si aliquid contra hanc legem committas, amicus tibi iure optimo exprobrare id possit, & violatæ gratiæ reus infamia laborare incipias apud omnes, adeò vt tuam cuncti amicitiam meritò repudient.

Secunda interpretatio, cuius meminit Vatablus, sic habet. *Causam tuam tracta cum amico tuo.* Id est, si quid causæ, aut litigij tibi cum alio est, ne iudicem statim adeas, sed si fieri potest, amicus aliquis, cui te ac tua omnia credere possis, illam dirimat, & sedatis controuersiis componat. Sed tamen consequens sen- 32. Vatabl.
B tentia cum hac expositione nexum habet difficilem; posset tamen sic innodari. *Et secretum extraneo ne reueles*, id est, controuersiam illam, quæ tibi cum alio est, si fieri potest, extraneus ignoret, & inter amicos finiatur: Nam ex causis, quæ ad iudices delatæ sunt, & publicè in foro agitantur, multa probra, contumeliæ, & diffamationes in actores ipsos redundare solent, dum alter alteri non parcit, sed semetipsos inuicem lædere, ac violare non cessant.

Tertia atque communis interpretatio, quam sequuntur Hugo, Dionysius, Iansenius, Arboreus; & alij passim, verba accipit vt sonant, de arcanis in vniuersum seruandis. *Causam tuam tracta cum amico tuo*, id est, non omnino opprimere ac obruere res, & cau- 33.
C sas tuas debes; eas quidem cum amico aliquo conferre, & pertractare oportet, nemo enim sua in causa iudex integer existit. *Cum amico*, inquam, non cum amicis: nam vix vnus est, cui secretum tutò committi possit. *Et qui duobus arcanum suum credit, fidem vtriusque soluit*, ait Seneca, quia neutri violatæ fidei culpam inferre potest. Subdit statim, *Et secretum extraneo ne reueles*, (loquitur autem de vitio aut crimine occulto.) in Primitiuis est, *Et secretum alteri non reueles.* Amicus, vt vulgò circumfertur, est *alter ego*: concordia amicos in vnum conflat: itaque ait; ei, qui vtcumque alius à te fuerit, quia illum beneuolentia, & gratia necdum tibi prorsus adstrinxit, & vnum eundemque tecum effecit, ne secretum committas tuum. *Ne fortè insul- Seneca.
D tet tibi, cùm audierit, & exprobrare non cesset.* Vel, vt habent origines, *& infamia tua non cesset.* Duo enumerat incommoda, quæ ex arcani reuelatione euenire solent. Alterum est quod ab eo, qui secreti conscius factus est, multa perpeti necessum est, ne læsus fidem violet, & commissum sibi arcanum in vulgus spargat. Id sibi vult illud, *Ne forte insultet tibi cum audierit*, idest, ne liceat illi tibi insolenter insultare, eumque quoquomodò insultantem tolerare tibi opus sit. Alterum est quod is, qui delictum secretum alicuius didicit, quando nulla, aut certè laxior amicitia intercedit, siquidem vel leuissimè ipse lædatur, illud passim obiicere, & probro dare non cessat, sic enim habes, *& exprobrare non cesset.* Addo etiam tertium, & maxi-
E mum incommodum, quod scilicet tâdem aliquando leui ex causa secretum prodit, & publicè retegit; inde autem infamia & dedecus indelebile, de quo loquitur extrema illa translatio, *& infamia tua non quiescet*, vel vt alij lectitant, *non reuertetur.*

Sed licet hæc expositio eo modo, quo à nobis præscripta est, accommodata videatur, tamen in aliam mens pendet, quam reliquis præferendam esse existimo. *Causam tuam tracta cum amico tuo, pro causa*, subest ריבך *Rebecha*, quæ vox propriè iurgium, aut litigium sonat. Itaque sensus est, si quando ab amico tuo læsum te, ac violatum putas, & inde inter vtrumque iurgium obortum est, id quidem cum ipso amico priuatè transige, & apud illum expostula. *Tracta*, inquit, *cum amico*, idest, ne ab illo abstineas, causas discordiæ 34.

cordiæ apud te concoquens, ſed illum ocyus adi, & A
acceptas iniurias illi expone. Fiet enim ſic vt ocyus in gratiam redeatis. *Et ſecretum extraneo ne reueles.* id eſt, ſi quid arcani tibi amicus conmiſit, id iurgio perſeuerante indices; ſi enim ſecretum illius prodideris, numquàm amplius coibit amicitia. Hûc ſpectat illud. *Ne forte inſultet cùm audierit, & exprobrare non ceſſet,* Quæ verba non ad extraneum, ſed amicum referri debent, ita vt ſenſus ſit. Ne cùm amicus creditum tibi ſecretum abs te in palàm datum acceperit, meritò tibi indignetur, aliquid nactus, quod nunquàm non tibi probro vertere poſſit. Et quidem amicitiam, quam ſecreti reuelatio diſtrahit, nunquàm amplius ſolidè
Eccleſ. 21. coaleſcere certum eſt. Eccleſiaſtici cap. 21. *Ad amicum, etſi produxeris gladium, non deſperes, eſt enim regreſſus.* B
Ad amicum etſi aperueris os triſte, non timeas, eſt enim concordatio. Excepto conuitio, improperio ac ſuperbia, & reuelatione myſterij, & plaga doloſa; in his omnibus effugiet amicus. Itaque inter ea, quæ amicitiam ita diſſociant, vt concordiæ locus vltrà non ſit, numerat Eccleſiaſticus myſterij reuelationem. Ideò Salomon id in primis cauendum eſſe dicit, cum aliqua diſcordię occaſio incidit inter amicos, ne ſecretum violetur; nam alias iniurias amici ſibi inuicem facilè condonát.
Seneca. Hûc ſpectat illud Senecę in libr. 3. de beneficiis. *Alia,* inquit, *vulnerant amicitiam, alia perimunt.* In his eſt myſterij detectio. Et quidem ea vulnus amicitiæ inferre docet Seneca, quibus mederi, & cicatricem inducere licet, illa vero eadem perimere, quibus icta, & C
læſa amicitia nulla arte à morte vindicari, aut poſt mortem vitæ reſtitui poteſt.

35. Cum extrema hac ſententia concinit prorſus tranſlatio LXX. quæ ad eundem ſenſum vocari debet. *Cùm te exprobrauerit amicus tuus, recede in poſteriora.* Complutenſis, & Regia. *Recede retro,* ideſt, cùm amicus tibi indignari, & probra ex furore iactare cœperit, noli contrà obſiſtere, ſed terga eidem obuerte, donec ardor ille intepeſcat. *Ne contemnas, ne te quidem exprobret amicus.* Ne ſcilicet illum à te contemni, ac deſpici verbis ſignifices, hoc eſt, ne accepta probra ex deſpicientia regeras; nam his denuò inflammatus augebit contumelias, & conuitia; eam vim habet repetitio illa. *Ne te quidem exprobret amicus,* id eſt, ne probra iteratò repetat. Sed quid inde? *Rixa autem tua, & inimicitia non aberit, ſed erit tibi æqualis morti.* Quia D
nimirum dum viciſſim iniuriæ reciprocantur, eò res deduci conſueuit, vt rixæ, & inimicitiæ tunc excitatę, & conceptæ nunquam amplius ſedentur: & peruetus amicitia his confoſſa vulneribus internoriatur. Sic intelligo extrema illa verba, *ſed erit tibi æqualis morti,* iuxta Senecæ ſententiam ſupra exhibitam. Niſi etiam velis ſeparationem vtriuſque amici per mortem notari; nam cùm amicorum animæ ab his, quæ inanimant, corporibus ad ea, quæ adamant, quodammodò demigrent, inde quidem per diſcordiam diuelli, & abſtrahi, mortis quædam imago eſt. Vnde
Auguſt. Auguſt. lib. 4. c. 5. Confeſſionum, qualiter ob amicum E
amiſſum eius animus affectus fuiſſet, deſcribit his verbis. *Ita miſer eram, & habebam chariorem illo amico meo vitam ipſam miſeram; nam quamuis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis quàm illum; Et neſcio an vellem vel pro illo, ſicut de Oreſte, & Pylade traditur, ſi non fingitur, qui vellent pro inuicem vel ſimul, mori, quia morte illis peius erat non ſimul viuere.* Hæc ille de amico per obitum amiſſo; quæ de amico etiam per ſimultatem diuulſo accipere licet. Vel aliter, cùm dixit rixam illam *futuram morti æqualem,* ſignificat Salomon ſimultatem eiuſmodi non amplius componendam, ſed ad ipſam vſque mortem, & extremum obitũ peruenturam eſſe. Hanc verò expoſitionem ideò reliquis anteponendam dixi, quia cohęret cum verſ. ſeq.

10. *Gratia, & amicitia liberant: quas tibi ſerua, ne exprobrabilis fias.*

GRatia, & amicitia, &c. Hæc verba deſiderantur in Primitiuis, ſed leguntur apud LXX. 36.
hoc modo. *Gratia, & amicitia liberat, quam ſerua tibi, ne fias exprobrabilis: ſed cuſtodi vias tuas compoſitè.* Extrema etiam huius tranſlationis verba non reſpondent Vulgatis. Complutenſis codex aliter ordinat hæc verba; nam priora illa, *gratia, & amicitia liberat,* cum ſuperiori verſu contexunt; ex ſequentibus autem nouam ſententiam concinnant ad hunc modum. *Ne fias exprobrabilis, ſed cuſtodi vias tuas liberaliter.* Alij, *conciliabiliter,* (Gręcè ἀσυναλλάκτως, ex verb. συναλλάττω. ideſt, paciſcor, contractus, aut commercia in eo,) ſed tamen in exemplari Græco ſic iacent iſta verba quemadmodum à me ſupra exhibita ſunt.

Sententia huius loci eſt valde perſpicua. Nam cùm Salomon in ſuperiori verſu ſuaſiſſet lites, iurgiaque inter amicos oborta ſedari, & componi oportere, ne amicitia prorſus dirimatur, ſubdit rationem, *Gratia, & amicitia liberant,* id eſt, amici, & familiares hominem protegunt, & à multis incommodis eripiunt. Verbum illud *liberant* additum eſt abſolutè; nec exprimitur aliquid, à quo liberum faciant, vt conſtet, nullum eſſe malum à quo hominem non vindicent amici. Eccleſiaſtici 6. *Amicus fidelis protectio fortis.* Eccleſ. 6.
Nazianzenus oratione 6. ad Gregorium Nyſſenum. Nazianz.
Amicus, inquit, *fidelis protectio fortis, munitum palatium.* Et infra. *Amicus fidelis ſolatij portus.* Idem etiam alibi. *Aſylum tutiſſimum* vocat, *nauemque contra omnes tempeſtates munitiſſimam.* Græcus Iſidorus amicitiam Iſidor.
appellat *panopliam fortiſſimam*, & alij alia eiuſmodi multa nomina amicitiæ tribuunt, quæ ſignificant illam ad omnia mala propulſanda perquàm vtilem eſſe. Hæc eſt communis expoſitio.

Cæterùm, vt bene obſeruauit Ianſen. verbum *liberat,* ſi origines Græcas conſulas, eſt ἐλευθεροῖ, quod 37.
non tam ſignificat à malis, & incommodis quemquam eximere, quàm eundem ſeruituti eripere, & liberum, ingenuumque reddere, atque adeò ſenſus erit, *Gratia, & amicitia liberant,* ideſt, amicitiam colere generoſi, liberalis atque ingenui animi eſt; vera enim amicitia hominem à ſeruitute eripit, non ſolùm quia timores ſeruiles, atq; degeneres tollit, quibus hi concuti ſolent, qui amicis deſtituti ſunt, ſed tùm maximè quia vt docet Philoſophus Ethicorum 4. & 5. libro, Ariſtot.
Vera amicitia eſt, quæ nihil ad ſuam ipſius vtilitatem, ſed omnia ad amici commodum refert: quemadmodum ergo propriis commodis inſeruire ſordidum eſt, ac ſeruile, ita etiam his poſtpoſitis multa amicorum gratia facere liberale ac generoſum eſt. Cùm ergo Salomon in ſuperiori verſu præceperit iurgia atque lites componere, quæ ob leuiores cauſas inter amicos excitari ſolent, ne quis indecorum ſibi putaret, illatas ſibi ab amico iniurias non perſequi, ſubdit, amicitiam, & gratiã eſſe honeſtiſſimas, & glorioſiſſimas res, eaſque obortis iurgiis, aut ſimultatibus dirimi turpius eſſe, quàm aliquid iniuriæ ab amico nonnunquàm perpeti. Ideò ſubnectit. *Quas tibi ſerua, ne exprobrabilis fias.* Hoc eſt, initam ſemel gratiam, & familiaritatem ſtudioſè adſerua, neque diſtrahi vſquàm patiaris, ne tibi illud probrõ, & dedecori vertatur, quod amicitiam colere non ſatis poſſis, quod liberali atque ingenuo homine indignum eſt.

Attexunt LXX. *Sed cuſtodi vias tuas compoſitè,* aut, 38.
conſociabiliter, ideſt, vitam, & mores tuos ad ſocietates, amicitiaſque plures copulandas, aptè inſtitue; ſic ſcilicet age, vt pactæ olim amicitiæ tua cauſa non diſtra

distrahantur; sed nouæ in dies coalescant. Appositè ad hanc sententiam Plutarch. in libro de adulatoribus vitandis, vites imitari iubet. *Vites* (inquit) *effusis palmitibus, proxima quaque arbusta claniculis suis complexa latiores fiunt: sic plures per amicitiam sibi adiungere fœlicissimum est.* Et infra ad eandem sententiam polypi similitudinem transfert, qui flagellis etiam suis proxima quæque adstringit, & vbi arctius aliquid tenet, inde facilè auelli non potest. Illum ergo consociabiliter vias suas instituere dicemus, qui vitem imitatus proximum quemque sibi deuincit, atque polypi æmulus vbi cuipiam per beneuolentiam adhæsit, diuelli amplius non potest.

Plutarch.

---

11. *Mala aurea in lectis argenteis verbum dictum in tempore suo.*

39. Mala. Hebr. תפוחים *Taphuchim*. propriè poma significant, quæ ex arboribus leguntur. Cantic. 2. v. 5. & 7. v. 8. Quid verò per translationem hîc adsignificent, postea dabimus.

In lectis. Hebr. במשכיות *Bemaschyoth*. De vocis istius significatione varium, & anceps interpretum iudicium. Plures referunt ad radicem שכה *sachah*, id est, *aspexit*, aut etiam *pinxit*. Hinc natæ plurimæ lectiones. Pagnin. *In picturis argenteis*. Chald. *In imaginibus argenteis*. Caiet. *In casuris*, alij *in calaturis*. Rabbi Abraham. *In absconditis*, vel, *in thesauris argenti*. Vatabl. *In celatis vasis argenti*. Montanus. *In thecis transparentibus argenti*. Noster interpres (ni fallor) vocem illam *Maschyoth* petiuit ex radice שכך *Sachah* duplicanti secundam, id est *conquieuit, resedit*, ideò *lectum* transtulit. Occurrit ipsissima hæc vox Ezechielis 8. vbi noster etiam cubiculum conuertit. Sic enim habes. *Vnusquisque in abscondito cubiculi sui*. משכית *Maschithe*, vbi etiam transtulit Chald. *Vnusquisque in cubiculis domus cubilis sui*. LXX. *Vnusquisque ipsorum in cubiculo abscondito suo*. Ex quo fit plerosque temerè inuehi in vulgatum interpretem, quod hîc *lectulũ* conuertit, cùm vox Hebraica eam etiam significationem capiat. LXX. hîc à reliquis dissident: sic enim conuertunt. *Malum aureum in monili sardij*. Symmac. & Theodot. *in conspicuis argenti*. Isidor. Clarius, *in cancellis*.

Ezech. 8.

Verbum dictum in tempore suo. Hebr. על־אפניו *Ghalaphnau*, id est, *in rotis suis*, nam vox אפן *ophan*, rotam adsignificat, supra c. 20. vers. 26. Ezech. 1. vers. 15. Exod. c. 4. vers. 25. & sæpè alibi. Pagnin. *Cum modis suis*. Rabbi Dauid. *Sicut vola eius*. Caiet. *Verbum ordinatum super rotas suas*. LXX. verò sic præcisè legunt. *Sic dicere verbum*: verbi autem modum non exprimunt. Chaldæus, & Vatabl. *Verbum dictum opportunè*. Symmach. & Vulgatus. *In tempore suo*. Aliqui nostræ lectionis eam rationem reddunt, quia *rota*, temporis circulum, aut periodum adsignificet: non repugno.

40. His prælibatis multæ occurrunt huius loci interpretationes, quæ à Vulgata lectione quàm longissimè abeunt. Caietanus integrum locum sic restituit. *Mala aurea in casuris argenteis verbum ordinatum super rotas suas*. Per cæsuras argenteas innui existimat foramina in argento incisa, in quibus poma aurea includerentur; sæpius enim auri quædam formæ in argento includi solent, vt auri pallor, & argenti candor permixti pulchrius emicent. *Verbum autem ordinatum super rotas suas*, sermonem esse putat rhetoris arte ornatum, ac figuratum, insertis tropis, atque figuris elegantibus: itaque sensus est. Tropi atque figuræ peruenustæ sic orationem pingunt, & exornãt, quemadmodum *poma aurea in argento* ab artifice ar-

Caietan.

A tificiosè inclusa. Hæc autem rotarum acceptio à modo loquendi satis familiari non abhorret. Tullius de claris oratoribus, *Verborum*, inquit, *apta, & quasi rotunda constructio*. Et de Oratore. *Thucydides autem præfractior, nec satis, vt ita dicam, rotundus*. Et Iuuen. *Aut certum sermone rotato Torqueat enthimema*. Horatius. *Et malè tornatos incudi reddere versus*. Mitto alia.

Cicer. Iuuenal. Horatius.

Secunda interpretatio est Vatabli, qui sic habet. Propriè vox Hebræa significat thecas, in quibus lapides pretiosi recluduntur, apud nostrates *engastes*, in quibus pars lapidis inclusi tegitur, pars etiam conspicua est. Hæc à Caietani expositione non longè abeunt, & de reliquo dissidium est. Vatablus enim B integrum locum sic extulit. *Mala aurea in celatis vasis argenti, verbum dictum tempestiuè*, id est, sententia opportunitati adaptata nihil differt à malo quopiam aureo in pretiosissimo argenti vase aptè, & eleganter incluso. Quasi dicat. *Vn buen dicho en su occasion es como vna manzana de oro engastada en plata*. Opportunitas enim sententiis splendorem maximũ affert. Cæterùm in hac atque superiori interpretatione id planè difficile, quod poma aurea ad eum modum argenteis vasis impressa, & infixa parum elegantiæ habere videntur. Quapropter si Salomon eam sibi sententiam proposuisset, longè melius, & aptius à lapide aliquo pretioso in auro, vel argento incluso similitudinem duceret, atque adeò tanto vaC te indignam sententiam istam reor.

41. Vatab.

Tertia expositio est eorum, qui vocem illam *Maschyoth, cancellos*, aut *reticula* significare dicunt, qui locum integrum sic exhibent. *Mala aurea in reticulis*, aut, *cancellis argenteis*, *verbum dictum super rotas suas*. Et idem iudicium est de his, qui legunt, *in transparentibus*, aut *in conspicuis argenti*; putant enim similitudinem duci ab auri massa solida in mali figuram tornata, quam argenti retia vndique ambiant, foraminibus hinc, & inde apertis, per quæ latens intus aurum conspicere liceat. Putant ergo Salomonẽ, hîc de parabolis, ac prouerbiis sermonem facere, atque adeò integram sententiã sic conformant. Quemadmodum aureum pomum intra reticulum argenD teum conclusum per subtilissimas illius rimulas attentius intuenti sese prodit; ita etiam in parabolis aurea quædam sententia, metaphora, aut similitudine aliqua argentea vndequaque tegitur: sic tamen vt subtilior intellectus delitescentem sententiam rimari possit. Hæc expositio petita est ex Moyse Hebræo, qui verba hæc sequenti commentario donauit. *Appone cor tuum ad audiendam expositionem huius rationis. Maschyoth sunt calaturæ reticulatæ, scilicet in quibus sunt loca cauata calaturæ apta sculptilibus, sicut opus aurificum. Itaque ait. Quod sicut est similitudo pomorum aureorum cum calaturis argenteis, quarum cancelli sunt nimis subtiles, ita est verbum, quod dicitur duobus modis. Et scias, & intelligas quàm suauis sit ista* E *similitudo. Nam Salomon dicit, quod omnis parabola habet duas facies, scilicet modum apertum, & modum occultum; & necesse est, vt forinsecus sit pulchrum, vt ostendat inspicienti id quod est occultum, & abscõditum: sicut malum aureum, quod est opertum reti, in quo sunt calaturæ subtiles. Et cùm videtur à remotis ascendit in cor, quod est argenteum malum, & cùm intuitus sit diligenter homo acuti visus, demonstrabitur ei id, quod intus latet.* Hactenus Hebræus ille. Quod si obiicias, hanc expositionem in Vulgatam lectionem cadere non posse, occurrunt illius auctores, reticulum argenteum non insulsè appellari *lectum*, quod in eo pretiosa alia materia quiescere videatur. Sed tamen ego huic effugio non satis acquiesco, totamque interpretationem parùm idoneam esse puto, quia nullum ornamentum

41.

Moyses Heb.

eo artificio elaboratum vsquam vidimus, imò stultum esse auri solidam massam ad eum modum argento immergere, ac contegere: vt perspicacissimis tantùm oculis per subtiles rimulas sese proderet: credibile autem est, Salomonem hanc similitudinem ex vulgari aliqua, & artificiosa auri elaborandi ratione duxisse.

43. Quapropter siquidē præfatis illis lectionibus, *In cancellis, reticulis, conspicuis*, aut *picturis argenti*, aliquid tribuēdum esset, ego quidem metaphorā aliunde ex pervulgato auri expoliendi artificio ductam dicerem. Succedant igitur memoriæ ea quę in cap. 1. Cantic. diximus, ad illa verba, *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, vbi illius ornamenti structuram, & formam attentius examinantes decreuimus argentum ibi non ad metalli naturam, sed ad colorem referendum esse. Habes hanc argenti significationem Psal. 62. *Penna columbæ deargentatæ*, idest, albæ, & candidæ, vt ad eum locum docent multi interpretes; nam cùm Hebræis non suppetat vox aliqua certa, quæ propriè significet cādidum colorem, niuem, ebur, byssum, lac, & argentum pro candore sæpius vsurpant. Denique est illud eiusdem Psalmi. *Niue dealbabuntur in Selmon*. De lacte etiā subest illud Cantic. 7. *Oculi tui sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ*, idest, sicut columbæ candido colore præditæ. De bysso quoque suppetit illud eiusdem libri cap. 5. *Crura eius columnæ marmoreæ*. Hebræa ad verbum *columnæ byssi*, idest, candidæ ex pario marmore. De ebore (vt alia dimittam) occurrit illud eiusdem capitis. *Venter eius eburneus*. Hebræa, *Venter eius nitor eboris*. Ergo per *argentum* tam hîc, quàm in eo loco Cantic. non verum argentum, sed id quod colore suo argentum imitatur, vulgo *esmalte blanco*, quo aurum expoliri solet, & quod vni auro adhæret firmius, & à reliquis metallis facilè excidit. Itaque, illud *Mala aurea in cælaturis*, siue *cancellis argenteis*, sic edissero. Per *mala aurea* ornamentum aliquod intelligo ex his quæ fœminis ex collo in pectus pendere solent, & apud Hispanos appellantur *Pomas de oro*, in quibus vnguenta, & aromata includi solent; id verò nominis propterea ferunt, quia pomorum figurā referūt, quæ apud Latinos olim *bullæ* dicebātur. Rursus per *verbū dictū in tempore suo*, parabolā accipio, aut etiam sententiam opportunitati aptatam: nam (vt infra dicam) Salomon in hoc loco de illis parabolis, ac sententiis loquitur, quæ in conuiuiis iactari olim consueuerunt ad epulas condiendas, de quibus iam inde supra in Isagoge, & c. 9. v. 1. 2. & 3. & capite item 23. v. 1. & 2. atque adeò sensus erit. Parabola, aut sententia in conuiuio opportunè, & ad rem dicta, *es semejante à vna poma de oro esmaltada*, vel potius, *es semejante al esmalte que se assienta sobre el oro en vna poma hermosa*. cui similitudini non leporis tātùm, sed etiam significationis plurimum inest. Nam primò significatur, eiusmodi parabolas, aut problemata accommodatissimè misceri in in conuiuiis. Quemadmodum enim vermiculatus labor, seu stigmata, aut notæ illæ candidæ, nimirum *el esmalte*, nulli metallo melius insident quàm auro, ita etiam optimum aliquod problema nusquam accommodatius iactatur, quam in cōuiuio. Vel, si in vniuersum de sententia opportunè dicta sermo est, erit sensus eiusmodi. *Assi como el esmalte tiene su assiento en el oro, assi vn buen dicho en la occasion*. Et quidem, ex pomo aureo prædicto artificio elaborato similitudo sumpta est, nimirum ex illo ornamento, quod ex collo supra pectus, & cor, appenditur (ita enim decreuimus, illud à veteri bulla minimè differre:) sic certè versus iste cum sequenti pulchrè cohæret. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem*, dum in vno de pectoris aut cordis

Cant. 1. Psal. 62. Cant. 7. Cant. 5.

A monili, in altero verò de aurium ornamento sermo est. Et sanè illud verbum *opportune dictum*, cū eo monili, aut bulla in cor pendente aptissime cōponitur, ad significandū verbum ad eum modum opportunè depromptum, cor, animumq; permouere, & excitare solitum. Atque adeò hæc sententia ad auxilium gratiæ, quo Deus animos ad bona opera excitat, non illepidè accommodari potest; hoc enim vim ex opportunitate sumit, & ad cor permouēdum à Deo immittitur, &c.

Ad hanc expositionem allici debet translatio LXX. quæ sic habet. *Malum aureum in monili sardij, sic dicere verbum*. Nam hi mali aurei nomine monile intellexerunt, non quidem aliud, nisi bullam in cor pendentem: (nulli enim accommodatius id nominis dari B potest.) Existimo autem grauissimos illos interpretes planè intellexisse *argentum* in hoc loco non sumi pro metallo ipso, sed, vt dictum est supra, (*por el esmalte blanco*) quo aurum distingui solet; pro illo verò *sardium* lapidem ideò subiecisse, quia eadem sic perseuerabat sententia, & apertior reddebatur similitudo. Verba autem sic accipienda sunt. *Sicut malum*, seu, *pomum aureum in monili sardij*. In hoc loco latet figura illa Hebræis familiaris, quæ in regimine genitiui nominum casus permutat, de qua sępè aliàs diximus, cuius præstantissimum exemplum occurrit Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obūbratio*, idest, nec vicissitudo obumbrationis. Quapropter in hoc loco ad hunc modum verba restituēda, C & contexenda sunt. *Sicut sardius in malo aureo monilis*, idest *como la piedra sardo engastada en la poma de oro en que se remata el collar, o la cadena*. Quasi dicat, sententia tempori, & opportunitati aptata, similis est lapidi pretioso foramini suo aptè cohærenti, *como la piedra preciosa en su engaste*. Cum hac sententia prorsus concinit Eccles. perelegans locus, qui cap. 32. de musica verba faciens, quæ in conuiuiis per interualla misceri solet, quàm aptè in illud tempus cadat eadem similitudine declarat. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri signū est smaragdi, sic numerus musicorum in iucundo, & moderato vino*. Quocirca, si de parabolis ac problematis in conuiuio pro- D positis sermo est, vt statim dicemus, præclarus erit vtriusque sententiæ concentus. 44.

Iacob. 1. Eccles. 32.

Non prætereunda interpretatio Rodolphi hæc enim inter eas, quæ à Vulgata lectione discedunt, non caret elegantia, & lepore. *Mala aurea in retiaculis argenti* (sic ipse legit) *verbum dictum cum rotis suis*, nimirum verbum dictum in castigationem, aut correptionem amici. Vide tamen an Salomon alluserit hoc loco ad *Rotam*, tormenti genus, quo olim sontes cruciabantur, ita vt *verbum cum rotis suis*, admonitionem significet ad torquēdum coërcendumque amicum accommodatam. Quasi dicat: licet nōnunquam ad corripienda amicorū vitia verba adhibere, quę illū cruciare, & velut in rotam agere videātur: verba au- E tem eiusmodi cùm ab amico, & beneuolo animo proficiscuntur, sunt equidem mala aurea in foraminibus argenti, quia nimirum in argenteo eloquio seueræ admonitionis, pretiosum charitatis aurum inclusum delitescit, quod attentius dispicienti satis proditur. Mitto alias interpretationes minus elegantes, & ad Vulgatam lectionem venio, nam ex præmissis expositionibus nulla est, quæ ipsi satis aptari possit. 45. Rodolph.

Mala aurea in lectis argenteis, &c. Iansen. & alij recentiores interpretes, *lectos* accipiunt, vt sonant, pro thalamis. Ergo Iansen. sic habet. Quemadmodum mala aurea affixa lectis argenteis, vel ab ipsis cortinarum circulis pendentia, plurimum exornant lectos, & oculos intuentium oblectāt; sic etiam verba tempori, & opportunitati accommodata, ei qui dicit, au- 46. Iansen.

ctoritatē cōciliant, & auditorē mirificè afficiūt. Supra verò per istiusmodi *mala* intelligere videtur tornatos orbes, qui supra lectorum columnellas refigi solent, quæ apud nostrates vulgò dicuntur *manzanas, o mãzanillas de la cama*. Nimirum sicut isthæc mala thalamos magnopere decorant, & eorum fastigia peficiūt; sic etiam verbum opportunè prolatum, decorū valde finem, exitumque causis, negotiis, discordiis, & aliis quibuscūque rebus afferre, vel imponere solet.

74. Sed tamen, vt nostrum de hoc loco consilium subiiciamus, præmittere oportet id quod nuper attigimus, scilicet Salomonem de his parabolis, problematibus, aut griphis loqui in hoc versu, qui in conuiuiis proponi, & obiici olim consueuerunt ad torquenda conuiuarum ingenia, de quibus multa diximus cap. 6. vers. 1. 2. & cap. 23. vers. 1. 2. plura tom. 1. in Isagoge huius commentarij. Itaque *verbum dictum in tempore suo*, parabolam intelligo in conuiuio iactatam, id enim tempus opportunum parabolis serendis. In primitiuis est, *Verbum dictum cum rotis*, aut, *super rotas suas*. Pineda noster voluit formam verborum rotatā, & volubilem notari; quibus prouerbia cogi solent, nam ferè partibus constār similiter sonātibus, quemadmodum illæ, quæ ob rhythmos similes ab Hispanis dicuntur *Redondillas*. Sed tamen, vt dicam quod sentio crediderim potius Salomonem in hoc loco ad rotam spectasse, quæ erat olim tormenti genus valde celebre, de quo sæpè aliàs in scriptura mentio fit. Vide multa, quæ nos contulimus suprà c. 20. vers. 26. ad illa verba, *Et deuoluit super eos rotam*. Ergo cùm obscuriores illæ parabolæ, & ænigmata, ad perurgēda, & torquenda conuiuarum ingenia proponi solerent, appositè admodum dicūtur *verba cum rotis*, verba. s. quæ mentes, velut in rotam actas, mirum in modum cruciant, quoad difficiles eorum explicatus attingant. Secundò notandum est per *lectos argenteos* hîc non thalamos ad cubandum accipi; lectos enim argenteos nusquam legimus nisi in conuiuiis. Apud prophanos quidem passim; in sacris verò Esther 1. *Lectuli quoque aurei, & argentei, super pauimentum smaragdino, & pario stratum lapide*. Nil certius. Lege Fuluium Vrsinum in triclinio Romano.

75. Altera ergo expositio sumi potest ab his lectis tricliniaribus. Cōstat enim in his cùm primis pedes aut columnellas commendari solitos, quibus innitebantur. Obseruauit hoc Athenæus qui lib. 1. adducit Platonem comicum quosdam inducentem, qui *in lecto eburneis pedibus suffulto* in cœnis cubarent; adducit etiam inibi lectos ἀργυρόποδας. i. argenteos pedes habentes Clemens Alexand. in Pedagogo χρύσῃ πάκτυς i. auro insistētes appellat, scilicet aureis pedibus subnixos. Quid plura? Idem Athenæus, vt obseruat illius scholiastes Casaubonus lib. 10. eiusmodi lectorum fulcra, aut pedes φακὰς appellat, i. lenticulas, quia nimirum orbes erant, seu bullæ quædam in lētis figuram tornatæ: talis enim erat pedum forma. Subdit idem Scholiastes pedes istos ab aliis μῆλα. i. mala nuncupari, vulgò *Manzanas*, atque inde lucem afferri posse putat translationi Vulgatæ. *Mala aurea in lectis argenteis*. Nec displicet ista interpretatio; potest enim inde non inelegans sensus elici ad hunc modum. Sicut mala, lenticulæ, aut fulcra aurea, lectulis tricliniaribus subiecta, illos non modò sustinent, sed etiam mirificè exornant; sic etiam verbum *dictum in tempore suo*. Hebræa habent, *Verbum dictum super rotas suas*. Obserua illud *super rotas*, ex quo apparet comparationis congruitas: nam verbum *super rotas* comparatur cum lecto argenteo super mala, seu orbes aureos incumbente. Quasi dicat, verbum elegans opportunè prolatum, sermonem longum perinde ornat & sustinet, idest, *honra y sustenta vna larga conuersacion*, quemadmodum aurei orbes, seu mala, reliquam lectorum structuram fulciunt. Quod ad eas parabolas translatum, quæ in conuiuiis obiici solebant, aptius cadit. Trahitur enim similitudo ex re proxima, scilicet ex ipsis tricliniorum lectis in quibus conuiuę discumbebant. Vel aliter, si altius speculemur, ea similitudine lectorum aureis pedibus incumbentium sententiæ veræ, ac solidæ fidei principiis innixæ notari possunt. Quasi dicat: super doctrinam aliquam ex verissimis fidei principiis deductam, & illis innixam perinde acquiescit, atque oblectatur animus, quemadmodum conuiua super lectulum argenteum aureis pedibus suffultum discumbens.

Sed licet hæc non ineptè dicta sint, alia nihilominus occurrit interpretatio, quæ mihi ante alias probatur. 76. Animaduertere autem oportet apud veteres olim in vsu fuisse, tricliniorum lectulos floribus omnigenis spargere, & inter flores etiam mala præsertim cydonia mittere; putabāt enim florum atque malorum odore caput aduersus ebrietatem roborari, atque adeò conuiuæ floribus, ac malis vndique stipati, temulentiæ obsistebant. Vsus iste lucē capit ex Athenæo lib. 3. vbi Stesicorum Poëtam inducit sic canentem. *Multa cydonia mala iaciebant in thorum Regi*, sic lego, non *currum*, vt alij conuertunt, quia mendosam esse eam translationem vel ex eo coniicit Casaubonus scholiastes, quia malorum cydoniorū missus, aut iactatus in currum, triumphatores non tam delinire quàm sauciare posset. Sic ergo restituendus est locus iste. *Multa mala cydonia mittebant in thorum Regi, multaque myrti folia, rosarumque ac violarum elegantes orbes*. Ad hæc Timæus apud eundē Athenæum, inter alia conuiuij oblectamenta numerat, *vnguenta, rosas, & mala*, & quidem hæc omnia amuleta erant contra ebrietatem. Vide plura, quæ non contulimus ad illa verba Cant. 2. *Sicut malus inter ligna syluarum*. Et infrà *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Vbi sponsam in thoro discumbentem, ac de more in sponsi brachia, & amplexus insinuatam ea postulare diximus quibus ebrietati succurrere solent conuiuæ, flores videlicet, ac mala; languorem enim illum ad ebrietatem referendum esse ibidem decreuimus. Ex multis verò, quæ inibi collegimus, id tātummodò excerpam, quod huic loco maximè proprium est, scilicet mala, seu cydonia, seu melina, aut camusina, odore suo caput contra ebrietatem firmare; docuit hoc Athenæus suprà; qui ob eam causam mala olim Baccho sacra fuisse dicit, producitque testimonium Theocriti, qui conuiuam contra ebrietatem obarmatum describit his verbis.

Mala sinu seruans Dionysi dulcia, frontem
Cui tegit Herculeus ramus, qui populus alba.

Lege ibi plura. Ad hæc memoria recole id quod latè discussimus in huius commentarij Isagoge ex Plutarcho, Platone, & aliis; scilicet veterem morem philosophandi, problemata, griphosque iactandi in conuiuiis ideò ab antiquis inuentum, & celebratum fuisse, vt ebrietatem à conuiuiis relegarent: nam cùm ad soluenda, diluendaque eiusmodi ænigmata, & griphos multo consilio, & mentis robore opus esset, ne mens ad respondendum, & disceptandum ex vino hebesceret, conuiuæ parcè admodum bibbant.

Iam intelligis quò tendam. *Mala aurea in lectulis argenteis*, &c. 77. Per mala aurea, mala cydonia seu melina intelligo, hæc enim à colore aurea dicuntur. Virgilius Ecloga 3. *Aurea mala decem misi*, quæ verba non de citriis aut medicis, sed de cydoniis capienda esse, optimis aureisque rationibus euincit noster Ioannes Luis de la Cerda in eum locum. Et quidem aurum nonnunquam ad pallorem notandum assumi in scriptura, quemadmodum argentū ad candorem, vt

vt nuper dicebamus, exploratum eſt, euinciturque ex illo loco Pſal. 62. *Penna columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Vbi deſcribitur columba dorſo auri, ac reliquo corpore argenti colorem imitans, alba nimirum, & ſubpallida. Sunt etiam qui verba illa *caput eius aurum optimum*, ad capillorum colorem referant; aureus enim comarum color commendari ſolet. Virgilius, *Auream cæſariem* dixit, 8. Æneidos. Ouidus etiam lib. 12. Metamorphoſ. *Auream comam*, qui libro item 8. ſic habet. *Flauentes auro ſpicas*, &c. Ait igitur Salomon: Quemadmodum mala aurea, id eſt cydonia, aut meſina, ſuper lectos argenteos, ideſt tricliniares ſeu epulares, ad ſtipandos conuiuas miſſa, ebrietatem arcent; ſic etiam *verbum dictum in tempore ſuo*, vel, *cum rotis ſuis*, nimirum problema aliquod obſcurum opportunè inter epulas cõiectum mirificè conuiuarum ebrietati ſuccurrit, vel potius ipſam prohibet: nam ne mentes, obtuſis mero capitibus, ad illud ediſſerendum ineptæ reddantur, nullus non temperanter bibit. Ideò autem hæc verba de griphis, ac parabolis conuiualibus exponi debere affirmaui, quia ſic illuſtris, & accommodata magis eſt ſimilitudo è re proxima deſumpta. Quod ſi in vniuerſum de ſententia opportunè deprompta accipiantur iſta verba, placet mihi coniectura Rodolphi, qui vt verſus iſte cum ſequenti cohæreret, docuit illum ſpecialiter de amica, & beneuola morum correptione amico tempeſtiuè exhibita intelligi debere; atque adeò ſenſus erit. Quemadmodum mala ſuper lectulos triclinij argenteos coniecta couiuæ temulentiam coërcent, & caput contra metum obfirmant, ita etiam beneuola, & amica correptio morum tempeſtiuè adhibita, hominem ira, aut aliqua alia vehementi affectione corruptum debriant, ac ſibi reddunt.

51. Ad extremum ſubiicio, ex recẽtioribus interpretibus aliquem ſeuerius, quàm par erat, in Medicum quendam noſtri temporis ſatis doctum inuehi, qui locum iſtum ediſſerens, per *mala aurea* medica mala, ſeu aurangia concipi debere affirmauit; & quidem ita ego cenſeo coactè admodum mala medica huic loco accommodari poſſe, ſi tamen viſum eſt huic auctori hæc verba non poſſe intelligi de veris malorum fructibus, ſed metaphoricè de re aliqua, quæ mali figuram referat, ipſe mihi potius obiurgãdus videtur. In primis enim vox originalis תפוחים *Phucham*, nuſquam aliàs metaphoricè ſumitur in ſcriptura, ſed veros malorum fructus vbique ſonat. Ad hæc Beda, qui locum iſtum ſpiritualem ad ſenſum vocauit, de fructibus interpretatus eſt, ſic enim habet. *Sacra*, inquit, *eloquia rectiſſimè lectis comparantur argenteis, quorum lectorum ornatui mala aurea ſuperaddit quiſquis eadem diuina eloquia & ſpiritualibus plena ſenſibus, & myſteriis exponendo demonſtrat: qui nimirum ſenſus aptè mala vocantur, quia de arbore vitæ, ideſt, Dei ſapientia ſunt orti.* Eandem ſententiam mutatis verbis tradit Hugo Cardinalis & alij. Denique quidquid aliud dicitur, vel à Vulgata lectione longè abit, vel inſulſam ſatis ſententiam continet.

---

12. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem.*

52. INauris aurea, &c. Hebr. *Inauris aurea, & ornamentum obryzi arguens ſapiens ſuper aurem obedientem.* Caietanus. *Et monile auri ſolidi ſapiens arguens.* Vatabl. *Torques auratus, & monile aureum eſt*, &c. Chald. *Inauris aurea, & vaſa ſmaragdina, correptio ſapientis in aure obediente.* LXX. *In auream inaurem etiam ſardium pretioſum ligatum eſt, ſermo ſapientis in aurem obedientem.* Lectio ſcholia. *Inauris aurea, & poculum aureum.* Has omnes lectiones peperit ambiguitas vocum originalium: nam pro *inaure*, ſubeſt נזם *Nezem*, quam vocem volunt aliqui quodlibet monile in vniuerſum ſignificare: ſed tamen propriè atque germanè eſſe aurium ornamentum comprobat locus Geneſ. 35. *Et inaures, quæ erant in auribus eorum.* & Exod. 32. *Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me.* Illud certè ex duobus hiſce locis excipere licet, nomen illud *Nezem*, ornamentum aliquod viris ac fœminis commune ſignificare. Nam viros etiã olim apud Hebræos aures perforare, & circulos aureos inde ſuſpendere ſolitos certo certius eſt. An verò hoc ſuperſtitioſum eſſet, & idololatriæ argumentum, non ſatis liquet. Rurſus margariti fulgentis loco in exemplaribus eſt חליכתם *Chalichatem*, vocem, *Chali*, Vulgatus aliàs aliter conuertit. Oſeæ 2. monile tranſtulit. *Ornauit*, inquit, *ſe inaure ſua, & monili ſuo*, & Cantic. 7. *Iunctura fœmorum tuorum ſicut monilia.* Nam cùm de iſtius vocis ſignificatione non ſatis conſtaret, modò hanc, modò illam prætulit noſter interpres. Hic autem preſſit veſtigia LXX. interpretum, qui etiam pretioſum aliquem lapidem illi voci in hoc loco ſubiici exiſtimantes, ſic reſtituerunt. *Et ſardium pretioſum ligatum.* Itaque quatuor huius nominis ſignificationes habes in hoc loco ex diuerſis interpretibus, *ſardium* videlicet, *margaritum*, *monile*, & *vas*, ſeu *poculum.* Ad hæc de radice illius non liquet; nam quidam trahunt ex radice חלה *Chalah*, i. infirmari & ægrotare: atque ideò hæc ornamenta id nominis tuliſſe dicunt, quòd quædam eſſent aduerſus ægritudines amuleta: Alij rurſus deducunt ex radice חלל, i. perforare aut perfodere, quia videlicet ex auribus perforatis penderent: & alij alia dicunt. Denique vox illa *Chatem*, non minus anceps eſt. Hebr. docent auri maſſam ſolidã, defœcatam, & purã eo nomine notari. Hieronym. tam hic, quàm alibi, fulgorem, & nitorem rerum ſignificari vult. Iob. 2. v. 26. ſi verbum ex verbo reddas, ſic efferendũ eſt. *Non æſtimabitur cum* כתם *Chatem ophir.* Hieronym. autem tranſtulit. *Non conferetur cum tinctis Indiæ coloribus.* i. cũ nitidis ac ſplẽdentibus coloribus Et Threnor 4. *Mutatus eſt*, כתם *optimus.* Hier. *Mutatus color.* (i. nitor) *optimus.* Chald. verò tum hìc, tum alibi *ſmaragdum* tranſtulit.

53. His ergo prælibatis de ſententia huius loci vix aliquid diſſidij eſt. Id tantùm intereſt, quod alij volunt ſapientem appellari eum, qui corripit: alij verò eum, qui audit correptionem. Itaque alij legunt *qui arguit ſapiens*, alij verò, *qui arguit ſapientem.* Ab his verò lxx. & Chald. tantiſper diſcedunt, qui, vt comparatio eſſet concinnior, non arguentem, & corripientem, ſed ipſammet correptionem, & redargutionem inauri adſimilem eſſe dixerunt. Id ergo tantummodo deſiderabis in noſtris interpretibus ſcilicet huius comparationis illuſtrem aliquam rationem.

Beda, Hugo, & alij, duas ſimilitudines diſtribuũt, & ſeuerum præceptorem cum margarita, auditorem autem beneuolum cum inaure conferri docent. Sic n. ſcribit Beda in hunc locum. *Rectè humilis auditor inauri comparatur aureæ, qui dum libenter increpanti, & arguenti aurem accommodat, iam ſe ad accipiendam claritatem cæleſtis ſapientiæ præparat: iam ſupernæ lucis viſioni appropiat.* Poſteà verò de doctore ſic attexit. *Rectè doctor eruditus margarito fulgenti aſſimilatur, quia dum emendationem morum, dum ſupernorum ſcientiam deſiderantibus, ac piè quærentibus animis oſtendit, quaſi aureo ornatus maiorem inſuper gratioremque fulgorem gemmæ ardentis adnectit.* Itaq; Beda Venerab. interpretatio luculentius explicata ſic habet. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem; & aurem obedien-*

obedientem. Inauris aurea, & margaritum fulgens vna ex parte: doctorque seuerus, & auditor facilis ex altera, duo quidem cum duobus aptè componuntur: doctor vtique cum inaure aurea: auditor verò cum fulgenti margarito. Nam sicut margaritum præfulgidum inauri aureæ pulcrè admodum aptatus: ita etiam doctor seuerus auditori beneuolo decentissimè accommodatur: hîc enim illum mirificè exornat: nam quò seuerior est magister corripiens, eò gloriosius ac nobilius est obsequium acquiescens discipuli.

55. Caiet. Caietanus etiam alia ratione duas similitudines diuidit, sic.n.legit. *Inauris aurea, & monile obryzi arguens sapiens super aurem obedientem*, sapiens, inquit, redarguẽs monili auri obryzi, & auditor facilis inauri aureę adsimilis dicitur, quia vterque valde pretiosus est: Iacet sanè Caietani expositio: Posset tamen aliquis (quandoquidẽ ista lectio nõ omnino displiceat) vtráque similitudinem doctori serio sic adaptare. *Inauris aurea, & monile obryzi*, monile hîc aliquod ornamentũ significat è collo in pectus pendens, vt docet idem Caiet. Grauis ergo atque seuerus magister, auditoris obsequentis mores seriò corripiens, inauris est, auribus inserta, & monile cordi appensum, quia nimirum eius monita non solùm aures discipuli imbuunt, sed inde etiam ad pectus descendunt, & intima viscera peruadunt. Quasi dicat, doctoris admonitio & correptio cùm auditorem difficilem, & proteruum nactus est, auribus tantummodò insonat, ad animum verò non pertingit: cùm verò auditor beneuolus est, ac docilis, ab auribus in animũ influit. Quod si duas similitudines inter doctorẽ, & auditorẽ partiri libeat, tũc quidem per *monile obryzi*, torquem guttur, faucesque ornãtem accipere opus erit, hoc sensu: Auditor quidem auribus excipit correptionem, doctor verò gutture, ac faucibus eandem exprimit. Dicit ergo Salom. seueram admonitionẽ maximo vtiq; ornamẽto esse doctori, atque auditori: huic.n. quia illam auribus suis haurit, pro inaure aurea est: illi verò, qui illã gutture emittit, pro torque, & monili peruenusto.

56. Reliqui interpretes vtramq; similitudinem inauris, atque margariti, vni doctori adscribendam putãt: sed tamen illarum vim, atque energiam non satis exponunt.

Hugo. Hugo. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem*.i. aureæ inauris, ex qua margaritum ingentis pretij suspẽditur, similis est doctor seuerus, qui docilem auditorem commonefacit. Quia quemadmodũ inauris illa pretiosa auri decentissimè aptatur: ita etiam doctor grauis docili, ac prompto discipulo, nihil vltra interpretes. Sed tamen huius similitudinis vim attentius expendens aliquid vlterius subiicere libet.

57. Inauris ergo pretiosa aurem perforat, ac pertundit, perforatã pertusamque exornat, ac decorat. Non alia, inquit Salomon, est doctoris seuerè corripientis contentio, quæ acri correptione docilis discipuli aurem perforare, ac perstringere videtur: si tamẽ hæc beneuolè excipiatur, eandem aurem mirificè decoram reddit. Præstantissima.n. aurium gloria est dociles esse, & ad audiendam disciplinam promptas, & faciles. Hunc ad sensum, (ni fallor) allici debent verba

Psalm.39. Psalm.39.v.7 *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* Primitiua ad verbum, *aures autem perforasti mihi*, vbi planè LXX. illi interpretes de præmissa aurium perforatione hæc verba intellexisse videntur, cũ ad suspendendas ornamenti gratia inaures terebrãtur auriculæ: id.n. expresserunt ea voce *perfecisti mihi*.i. adornasti aures meas, insertis nimirum inauribus, decorem, & ornatũ eisdem cõparasti. Itaq; sensus illius loci talis est. Non sacrificia, & hostias à me exegisti, sed dociles, prõptasque ad obediendum aures: Tu igitur præceptis seuerioribus, tan-

A quam inaurium quibusdam circulis, eas simul perforabas, & perficiebas, seu ornabas, quia ego semper ad nutum parebã. Subdit enim, *Holocaustum, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam*, &c. Et quidem ad hunc locum exponẽdum facit, (ni fallor,) id quod supra obseruabam, scilicet non fœminas solùm, sed etiam viros inauribus olim vti, atque his religionem suam testari solitos, quia nimirum deorũ, quos colebant, imagines, notas, aut nomina inauribus impressa gestabant. Et quidem Rabi Abraham veteres Hebræos aliquid semper inauribus inscribere solitos dicit, damnatque illorum superstitionem, qui aliquid exarabant per modum incantationis, aut

B orationis occultæ, quemadmodũ hodie in annulis à quibusdã superstitiosè fit. Hanc nostram suspicionẽ cõprobant aliqua scripturæ sacræ loca. Gen. 35. cùm Genes.35.

Iacob suos alloquutus hæc dixisset. *Abijcite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini*, &c. subdit sacer textus eos imperia perfecisse. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebãt, & inaures, quæ erat in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem.* Itaque cum ipsis idolis inaures obtulerunt illi, ex eo nimirũ, quia in his idolorum suorum, aut imagines, aut nomina impressa gerebant. Item Oseæ 2. *Et visitabo*, inquit, *super eam dies* Osee 2.

Baalim quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, illos.s. Deos colebat, gestans il-

C los in inauribus atque in monilibus suis, in antiquis exemplaribus. *Et ornabatur inaure sua*, in qua nimirum ipsi, aut eorum nomina exarata erant.

Et quidem tantundem religionis inauribus inesse 58.

existimabãt antiqui, vt ex his deorum suorum simulacra conflare solerent. Iudic.8. Gedeon expugnatis Iudic.8.

Ismaëlitis sic populum ex præda redeuntem affatus est. *Date mihi inaures ex præda vestra*, (inaures enim aureas Ismaëlitæ habere consueuerant) *qui responderunt libentissimè dabimus, expandentesque super terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra, fornicatusque est omnis Israel in eo*, &c. Rursus Exod. Exod.32.

D 32. Aaron populi tumultũ conflato vitulo sedere volens, inaures etiam postulauit. *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, ac filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quod iusserat, deferens inaures ad Aaron: quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Et infrà cap 35. cum Moyses tabernaculũ, vestes, & vasa sancta affabrè conficere vellet, obtulit rursus populus inaures, & armillas. Ergo iuxta ea, quæ diximus, Psaltis verba exponenda sunt. *Holocaustum & oblationem noluisti, aures autem perforasti*, aut, *perfecisti mihi*.i. repudiatis holocaustis, obedientiam, ac obsequium tibi à me exhiberi voluisti: & in huius rei argumentum memet pertusis auriculis inauribus decorasti, in quibus nomen tuum exaratum esset.

E Appositè ergo ad hæc Salomon in hoc loco sic dicit. 59.

Inauris aurea & margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem.i. Magister seuerus docilem auditorem nactus, non aliter illum sibi honestè deuincit, ac mancipat, quàm si auream inaurem suspenso margarito auribus eius inseruisset. Quasi dicat; non illum per correptionem & seueram admonitionem in se prouocat, sed conciliat, & obsequentem sibi reddit. Nam etsi correptio aurem terebrare, ac perforare videatur, tamen eadem illam velut inauris, incluso margarito, mirum in modum exornat. Quid plura? Suauiores equidem ac leniores adhortationes ad aures quidem perueniunt, sed non affiguntur, ideò facilè excidunt: attamen sapiẽtis doctoris austerior correptio aures perfodit, atque illis infixa, velut inauris,

inauris, nunquàm amplius excidit, aut elabitur. Rurſus, vt nuper dicebam ex Rabbi Abraham, Hebræis olim ſolemne fuit, inauribus, quas geſtabant, aliquid inſcribere, quod ſcilicet in memoria ſemper vigere vellent. Salomon ergo fortaſſe huc ſpectans, *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem*, &c. vel, vt habent LXX. *Sermo ſapientis in aurem obedientem*. i. ſeuera doctoris cohortatio ſimilis eſt aureæ inauri, idest, perinde hæret memoriæ, ac menti obaudientis diſcipuli, ſicut ea, quæ aureis inauribus impreſſa, & inciſa, ad memoriam excitandam afferri ſolet. Ad hæc Apuleius ex Platone, & ex Apuleio Cælius Rodig. antiquarũ lectionum lib. 5. c. 25. docet, olim aureos circulos, ſeu inaures aureas, auriculis appendere nobilitatis inſigne fuiſſe. Atque adeò licebit ſic comparationem iſtam inſtituere. Sunt quibus turpe & indecorum videtur corripi, & corripientibus acquieſcere, ſed tamen falſa eſt eiuſmodi exiſtimatio: nam correptionem doctoris ſeueri beneuolè audire non eſt turpe, aut indecorum: quin imò talis correptio auribus immiſſa, & obſequenter excepta, ad inſtar eſt inauris aureæ, quæ generoſos, & liberales diſcipuli mores innuit. *Apuleius.*

60. Denique conſulendus eſt Iob extremo capite, ibi familiares ad eum conſalutãdum venientes, & ob recuperatam fœlicitatem illi congratulantes: *Obtulerunt ei ouem vnam, & inaurem auream vnam*. At quorſum, inquies, Iobo inaures donatæ ſunt ab amicis eo tempore? Vide, an veteris conſuetudinis aliquid effulgeat in hoc loco: nam more comparatum olim fuit, vt natales amicorum dies, oblatis inauribus, amiciſſimi quique cõcelebrarẽt: ita docet ex Hebręis Rabi Salomon. Quò ſpectaſſe etiam videtur Plautus in Epidico, vbi ſic ipſe Epidicus. *Non meminiſti me inaurem auream ad te adferre natali die*: idest, quotãnis ſolitum adferre. Addit verò Plauti ſcholiaſtes, eos, qui ab amicis per annum aliqua ratione læſi, aut violati fuerant, his donis placari, ac veterũ iniuriarum oblitos in gratiam redire ſolitos. Atque hinc fortaſſe nata eſt vox illa Hebr. חלי *Chali*, idest, *inauris*, quæ in hoc Salomonis loco occurrit, de qua ſic Mercerus: *Sunt qui vocẽ hanc à precando dictam putent, quaſi precatorium, aut placatorium dicas, quod ad demerendam gratiam adhibeatur*. Amici ergo illi, qui Iob ex priſtina calamitate, velut è morte rediuiuum, aut denuò natum, editumque receperant, aureas inaures eidem afferunt, ſic ſcilicet quaſi natales ipſius dies celebrarent, & quem ſuis etiam contumeliis olim violauerant, illis muneribus placatum illatas ab illis iniurias obliuiſci cupiebant. Liceat ergo hunc etiam per quãdam accommodationem reliquis expoſitionibus inſerere. *Inauris aurea, & margaritum fulgens qui arguit ſapientem*, &c idest, correptionem morum ab aliquo doctore ſeuero profectam is, qui ſapit, ac docili ingenio eſt, non ægrè fert, ſed placidè ac beneuolè excipit: ac, veluti is qui inaurem auream in natali ſuo ab amico donatam capit; inimicitias & ſimultates obliuioni committit, & veterum gratiam repetit: ad eundem modum vir ſapiens correptionem ſibi exhibitam boni conſulens, quaſi donum aliquod eximium in natali die ſibi collatum æſtimat: & non modò non iraſcitur, ſed eo beneficio deuinctus placatur, atque doctorem ſuum ardentius adamat, & omnium antiquarum ſimultatum obliuionem ſibi ipſi indicit. *Plaut.* *Mercerus.*

61. Libet etiam aliquid hîc aſſuere de interpretatione Chald. *Inauris aurea, & vaſa ſmaragdina correptio ſapientis in aure obediente*. Ad quam proximè accedit lectio Scholaſt. *Inauris aurea, & poculum aureum*, &c. Poſſet quidem aliquis dicere vaſis, aut poculi nomine monile aliquod notari è collo in ventrem pendens, qui hanc ſuam ſuſpicionem roborare poſſent verbis

A illis Cant. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis*. Vbi non pauci ex recentioribus interpretibus per craterẽ illum tornatilem, monile quoddam intelligunt, crateris ſimilitudinem referens, ſupra vmbilicum pendens: atque adeò hæc lectio à ſuperiori illa non diſcederet, *Inauris aurea, & monile obryzi*, quam nuper expendimus. Quod ſi hæc ſpeculatio non placeat, duplex illa comparatio inauris, ac poculi ſmaragdini: ſeueræ correptioni doctoris eruditi accommodari ſic poterit. Increpatio acris viri ſapientis docilem, ac beneuolum auditorem nacta, ſimilis eſt inauri aureæ: quia ſicut hæc aures decenter exornat, ita etiam illa. Ad hãc priorem ſimilitudinem pertinent omnia, quæ nuper diximus. Rurſus eadem B increpatio ſimilis eſt vaſi ſmaragdino, aut poculo ex auro ſolido conflato. Ni fallor, adludit hæc lectio ad perantiquium morem propinandi in conuiuiis, quo amici amicos ſeſe inuicem libatis pateris excipiebant in beneuolentiæ argumentum: de qua veteri conſuetudine: quæ ad noſtra vſque tempora viguit, multa diximus in cap. 2. Cant. v. 4. vbi etiam obſeruauimus veteres illos calices quoſdam valde pretioſos ad eiuſmodi amicas inuitationes adhibere ſolitos, & ex his alterum fuiſſe illum, ob quem poſt epulas furti rei facti ſunt apud Ioſeph fratres eius, de quo Geneſ. 44. *Calicem, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo Dominus meus augurari ſolet*. Cuius loci abſolutã expoſitionem inibi habes. Mens ergo Salomonis hæc eſt: grauis & ſeC ria admonitio viri ſapientis, cùm docili & beneuolo auditori exhibetur, ſimilis eſt vaſi, aut poculo pretioſo, quo in conuiuio propinationes fiunt: quemadmodum enim calicem à propinatore ſibi deſtinatum nullus non excipit, ac boni conſulit, quia id non paruam amoris ſignificationem continere credit, ita etiã gratus & obſequens auditor correptionem ſibi à ſapiente exhibitam libẽter excipit, quia non leue amoris argumentum æſtimat ſuos mores ad eum modum coërceri, & perſtringi. Hîc autem obſerua veterum propinationes in conuiuiis ſic inſtitui ſolitas, alter præbibens, & ſalutem amico ſuo deprecans illum ad bibendum laceſſebat, calicem eundem, quem hauſerat illi offerens: ille verò euictus ea gratia eumdem D calicem ſiccabat, & reciprocas etiam ſalutes reddebat. Eandem eſſe dixerim præceptoris & diſcipuli legem: præceptor enim doctrinam, quam alteri propinat, prius ipſe ebibere ac percolare debet, illam in ſemetipſo exprimens: rurſus dum illam auditori ſuo inſtillat, ſalutem ipſius ſibi cordi eſſe argumentis pluribus inſinuare: hîc verò cã gratus excipere, & ſalutes adhortatori ſuo mutuas referre omnino debet. *Cant 7.* *Geneſ. 44.*

---

13. *Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei, qui miſit illum, animam eius requieſcere facit.*

E

62. Sicut frigus niuis, &c. Hebr. *animam Domini ſui reuerti faciet*. Quaſi dicat, *Le vuelue el alma al cuerpo*. LXX. *Sicut exitus niuis in meſſe, per æſtum prodeſt, ſic fidus legatus his, qui miſerunt eum, animas eorum qui ipſo vtuntur, iuuat*. Chald. concinit cum noſtra.

Interpretes quidem in hoc loco verba ipſa capiũt, vt ſonant & legatum fidelem commendari dicunt, ſed illorum energiam non ſatis expendunt. Aliquid ergo de ſententiæ iſtius germana vi ſubiiciam. Sed tamen cùm argumentum contineat à ſimili prius ſimilitudinem conſtituere oportet. *Sicut frigus niuis in die meſſis*, de frigore aliquo niuali, qui ſubitò meſſis tempore ingruit, nonnulli exponunt: non quia tem-

pore tale quid euenire soleat, sed quia fingitur incidere. Quasi dicat: finge tibi in maximo æstatis feruore, niuem, glaciemque è cœlo subitò demitti, quandiu nihil tale speratur. Quemadmodum ergo frigus hoc ante tempus incidens æstum temperaret, & corpora mirificè reficeret: ad eundem modum legatus fidelis, qui mandata Domini sui ocyus peragit, & prius ad ipsum confectis rebus redit, quàm sperabatur, mittentis animum expectatione anxium, mirum in modum consolatur. Itaque secundùm hanc priorem interpretationem nuntius commendatur eximiè diligens, qui spem anxiè expectantis sua celeritate vincit.

63. Secunda huius similitudinis accommodatio sic habet. *Sicut frigus niuis in die messis.* Iansenius & Rodolphus de messoribus exponunt. Messores ergo, inquiunt aliqui, æstu magnopere vtuntur, quia cùm ardor æstatis illi accedat, qui ex fatigatione, & labore excitatur, vehementissimè incalescunt, atque adeò refrigerium impensius desiderant. Sed quia ad eiusmodi homines calore ac fatigatione nimiũ æstuantes reficiendos aura aliqua mollior haud satis est, ideò si fieri posset, hyemem atque niues sibi euenire vellent, vt istum conceptum temperarent: ideò Salomon frigus niuis vsurpauit. Hinc ergo sensus eiusmodi elici potest. Quemadmodum ad messores ab æstu, & fatigatione nimium incalescentes reficiendos non auræ molles sufficiunt, sed exæstuantem illorum ardorem opinione nostra sola nimium atque hyemalis glaciei frigora reficere possunt: ita etiam hominem alicuius rei magni momenti expectatione sollicitum, & anxium, non famæ, aut rumoris aura incidens sedare potest: sed legato fideli, ac veraci opus habet, qui illum de re, quæ animum illius tangit, certiorem faciat; hîc enim tantummodò illius solicitudinem temperare quiuerit. Itaque iuxta hanc secundam expositionem, hominis de re aliqua grauiori solliciti anxietas extollitur, quæ non opinione, sed certissima rei denunciatione temperari potest.

64. Tertiò aliter similitudo, & mea quidem sententia, longe melius conformari potest. *Sicut frigus niuis in die messis.* Frigus niuis appellatur non ex niue, quæ eo tempore, è cœlo decidat: hæc enim naturaliter æstate flagrante euenire non potest, sed frigus niuis dicitur illud, quod venti ab Aquilone, & niualibus montibus perflantes secum afferunt, qui sæpius æstatis ardores mitigant, & placidam tempestatem reddunt: Similitudine autem ad eum modum constituta sententia aliter institui potest. Sicut æstatis vehementis ardores frigidus ventus ab Aquilone, ac niuosis montium verticibus perflans, mirificè temperat: ita etiam animum de alicuius rei expectatione sollicitum denũciatio, & fama bona, à veloci nuntio, tanquam à celeri vento perlata, magnopere sedat. Iuxta quam interpretationem boni alicuius nuntij consolatio, & voluptas exprimitur: interim etiam legati celeritas cum vento non insulsè confertur.

Quartò præfata comparatio alio sensu donari potest. *Sicut frigus niuis in die messis*, idest, sicut nix ad refrigerandum potum æstatis tempore adhibita. Nam constat etiam apud veteres solemne id fuisse Hieronymo de locis Hebraicis, vbi tradit montem Hermon perpetuis niuibus rigere solitum, atque inde Tyrum niues comportari ad æstiua procula temperanda. Itaque sensus erit simplicissimus. Quemadmodum potus niue refrigeratus æstatis tempore viscerum calorem mitigat, aliquando etiam febri ardentissima laborantem ægrum valetudini restituit: ita etiam legatus fidelis, quando, re aliqua graui confecta, ad Dominum redit, illius animum curis, & sollicitudinibus æstuantem delinit, ac sibi re- A stituit, id sibi vult illud, *animam eius reuerti facit.*

Sed licet hæc non ineptè dicta sint, tamen, (ni fallor) alia est Salomonis mens in hoc versu: non enim agit de legato obita legatione iam redeunte, & bona denuntiante: sed ipsomet tunc cùm legatio illi demandatur, & res perficienda committitur, ita vt sensus sit: sicut vehementis æstatis ardores Aquilonates venti à niuibus inspirati temperant, ita etiam hominis de aliqua re alibi agenda solliciti curas & metus legatus quispiam fidelis imminuit, quia causam suam viro, cuius fidem compertam habet commissam apud se cogitans, curam & sollicitudinem omnem abiicit: eam vim habet clausula illa ei, *ei qui misit illud*, quæ significat solatium, ex ipso missionis B tempore inchoari. Huc etiam spectat illud, *animum eius requiescere facit*, quia nimirum quoties rei peragendæ sollicitudo, & cura animum subit, recordatio fidelis legati, cui res demandata fuit, tanquam aura quædam mollis, æstum animi refrigerat, ac recreat. 65.

Denique locum istum spiritualem ad sensum plures interpretes vocant, in his Beda. *Legatus* (inquit) *fidelis doctor est Catholicus, qui autem mittit eum, Dominus. Porrò dies messis in æstu, tempus est prædicationis inter feruores persequentium, de quo dictum est, Messis quidem multa, operarij autem pauci. Frigus niuis in messe aliquantula est quies prædicantium à persecutione repugnantium: rectè ergo dicitur: sicut frigus* C *niuis in die messis, &c. quia sicut optabile est prædicatoribus verbi, cùm ab infidelium rabie fortè aliquid refrigerij accipiunt, nec facultas docendi negatur: ita ipsi, qui ad prædicandum eos misit, Domino gratum esse constant, cùm susceptam ab eo legationem etiam inter aduersa obsistentium fideliter complent.* Hæc ille, ex quo id assumere licet, legatum hunc esse Apostolum, Doctorem, & Ecclesiastem diuini verbi: quo posito procliue admodum erit superiores expositiones à littera ad spiritum transferre.

---

14. *Nubes, & ventus, & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.* D

Nubes & ventus, &c. Hebr. *Vapores & ventus, & non pluuia vir se iactans in dono falsitatis.* Chaldæus. *Dicit nubium, & venti, in quo non est pluuia, similis est vir, qui gloriatur in dono falsitatis* Vatabl. *Qui magnificè pollicetur, sed præstando fallit.* LXX. *Sicut venti, & nubes, & pluuiæ clarissima, sic qui gloriatur in dono mendaci.* Sic Complutens. & Regia, legũt enim ἐπιφανέστατοι, ita vt ad pluuias referatur vox ista. Codex tamen Vaticanus habet, ἐπιφανέστατα, idest, *clarissima*, aut (si licet dicere) valde *diaphana*, scilicet ob tenuitatem & leuitatem. 66.

Huius etiam similitudinis vis prius enucleanda est. E *Nubes & ventus, & pluuia non sequentes.* Hæc comparatio triplici sensu donari potest. Primus est, veluti cùm nubes excitantur, & ventus australis perflat, pluuiæ præsagium est. Sed tamen prognosticum istud fallit nonnunquam expectationem, iuxta illud Horatij. Horat.

Albus, & obscuro detergit nubila cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos.

Hæc igitur est prima huius comparationis significatio: veluti si nubes, ventusque imbrem polliceri videantur, & tamen imber non consequatur. Secundus comparationis instituendæ modus, vt per ventum non aliquem natura sua imbriferum, sed quendam ex his qui nubila fugant, & cœlum sudum, purumque

rumque reddunt concipit, iuxta illud, *ventus Aquilo dissipat nubes*. Quasi dicat, veluti si nubes adsint imbrem spondentes, ac ventus aliquis vehementior, nimirum Aquilo, aut Eurus, eas subitò impellat, atque toto cœlo euertat, pluuiæ sponsionem fallens, &c. Tertius similitudinis sensus erit, si per se singula nubes, ventum & pluuiam accipiamus: hæc enim videtur mens LXX. qui sic habent. *Sicut venti, nubes, & pluuia clarissima*. Nimirum, sicut ventus fugax, ac sese proripiens, sicut nubes prætenues, quæ ocyus difflantur ac soluuntur, ex his nimirum, quas Iudas *nubes* appellat *sine aqua*: & sicut pluuię admodum leuiter perstillantes, & terram nequaquam infundentes. Vel aliter, iuxta nostram lectionem. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes*, extremum illud verbum *non sequentes*, non cùm pluuiis tantummodò, sed cũ vento ac nubibus copulari ac construi debet, ita vt sensum reddat, quem Caiet. his verbis expressit. Quemadmodum apparent quandoque futuræ nubes, futurus ventus, futuræ pluuiæ, & tamen non sequuntur neque venti, neque nubes, neque pluuiæ, &c.

67. Ergo iuxta triplicem ipsius comparationis sensum diuersas interpretationes comminisci licet; Et quidem primò non sunt audiendi illi, qui verba hæc nõ de promissione alicuius doni, aut officij capienda esse affirmant, sed in vniuersum de sponsione indolis, ingenij, industriæ: qui locum istum sic exponẽdum esse censent. Non pauci cùm primùm magnas sui spes in aliis excitassent, quia scilicet eos aut sapientissimos ob ingenij præcocis signa, aut ditissimos ob industrię prima argumẽta, aut honestate & probitate insignes, ob indolis præmatura documenta futuros esse credebant, & tamen postea omnium expectationem fefellerunt: hi verò haud dissimiles sunt nubibus ventisque imbrem portendentibus, & tamen eam minimè effundentibus. Hos ergo interpretes minimè audiendos esse aliqui propterea dicunt, quia præmissa expositio nõ continet Ethicam & moralem doctrinã. Huic tamen rationi non acquiesco, quia dici potest carpi eos, qui leuioribus inducti argumentis de aliis magna sperare facile audent. Aut etiam illos corripi, qui cum quædam bonæ frugis futuræ præsagia habeant, quæ de illis alios bene sperare iubent, propterea efferuntur, & alios præ se despiciunt, quorum factum pro meritis coërcens Deus, præsagiis in diuersum conuersis, efficit, vt conceptæ spei nequaquam respondeant. In quos aptè admodum quadrat hæc comparatio iuxta secundum illius sensum suprà adscriptum. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens*, idest, veluti cùm nubes pluuiam portendentes ventus Aquilo subitò incumbens dissipat, ac dissoluit, & imbrem auertit: sic etiam accidit, cùm aliquis ingenio, indole, aut industria magni aliquid in futurum designat, aut præmõstrat: si enim hic præsagiis istiusmodi efferatur, ac turgeat, ipsa eius elatio ac tumor, tamquam ventus Aquilo, suscitatas spes distrahit, aliquando etiam in diuersum conuertit. Huc spectat illud Hieroclis apud Stobæum. *Bonam*, inquit, *adolescentis indolem fastus enecat, & frugem in herbis corrumpit*, qui ex simili alia comparatione à glacie petita, quæ herbescentem adhuc segetum luxuriem, futuræ messis spem adurit, eandem sententiam perstruxit. Ego verò alia ex causa huic expositioni partum tribuẽdum esse dico, quia nimirum in Primitiuis pro illis extremis verbis, *Vir gloriosus, & promissa non complens*, subest, *vir iactabundus in dono mendacij*, quæ verba manifestè euincunt Salomonem loqui de promissione donorum fallaci.

68. Ob eandem rationem refellenda est illorum expositio, qui docent hîc sermonem fieri de hypocritis, vt nimirum hæc verba omnino concinant cum illis, quæ Iudas Apostolus de iisdem hypocritis enuntiauit. *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*. Quia licet comparatio iuxta primum sensum supra exhibitum in hypocritas optimè etiam quadret, qui sanctitatem & probitatem non secus mentiuntur quàm nubes, ventusque, cùm imbrem vtraque fallaci significatione portendunt: tamen cùm constet Salomonem de donorum ac beneficiorum sponsionibus loqui, præmissa expositio vim verbis infert, illud tantum do, ista verba per accommodationem quandam ad eam sententiam allici posse; exemplum habes apud Cassianum collatione decima quinta, capite septimo, vbi sic scribit. *Quapropter nunquam monachos probos, & morbo cenodoxiæ vacuos nostri maiores esse dixerunt, qui semetipsos exorcistas coram hominibus profitentur, & inter admirantium turbas hanc, quam inuenerunt, gratiam iactantissima ostentatione diffamant, sed incassum: sine dubio enim eueniet eis illud quod in prouerbijs dicitur, Sicut venti, & nubes, & pluuiæ manifestissima sunt; ita qui gloriantur in dato falso. Ita si quis coram nobis horum aliquid fecerit, non de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet apud nos esse laudabilis.* In quibus Cassiani verbis id animaduersione dignum est, quod verba illa, *in dato falso*, quæ ex translatione LXX. accipit, non de dono in aliis collato, sed de dono accepto exposuit, atque adeò illorum interpretum mentem hanc esse existimauit. Sicut venti, & nubes, & pluuiæ manifestissimæ sunt, ita qui gloriantur in dato falso, idest, quemadmodum manistifestissimum est, ac sensu ipso compertum, ex quanam cœli plaga nubes impellantur, venti perflent, & pluuiæ influant, & pluuiæ influant, adeò vt id inficiantem conuincere non difficile sit: ita etiam eum, in dono aliquo à Deo accepto fallaci sui æstimatione perinde gloriatur, ac si non accepisset, confutare, & refellere admodum facile est: sicut enim ventos, nubes pluuiasque hinc vel inde regi & moueri exploratissimum est, ita etiam de donis ac beneficiis à Deo ne, an aliunde promanent decernere in promptu est. Nam sicut ventos, nubes largius terram, infundentes ab austro impelli notissimum est: illi enim venti ac nubes, quæ ab aliis cœli plagis veniunt, vix aliquando pluuias emittunt: sic etiam quoties beneficiis donisque (liceat sic dicere) nos compluі quodammodò videmus, ea quidem à Deo in nos proficisci pro certo habendum est, nihil enim veri boni aliunde fluere ac proficisci potest.

69. Sed siquidem in translationem LXX. incidimus, germanam eius interpretationem prius accipe. *Sicut venti, & nubes, & pluuiæ clarissima sunt*, sic lego non, *clarissima*, aut, *manifestissima*, *sic qui gloriatur in dono mendaci*. In primis autem illud constanter asserendum est, *donum*, aut, *datum falsum*, in hoc loco pro beneficio promisso, & non persoluto capiendum esse, ne concedamus LXX. interpretes, & ab originali, & à nostra lectione longè abirè, deinde notandum vocem illam Græcam ἐπιφανέστατα, fluere à verbo ἐπιφαίνω, idest, appareo, itaque apparentia significat, & (ni fallor) impressionem aliquam notat ex his, quæ Philosophus in Meteoris φαινόμενα vocat, quo nomine censentur apparentes in aëre cometæ, nubeculę etiam præaltæ, vulgò *arreboles*, & alia id genus, quæ serenitatem, aut pluuiam pręmonstrãt. Sensus igitur loci sic habet: sicut venti valide perflantes, & sicut nubes in sublimiores aëris plagas nimiùm euectæ, & pluuiam spondere videntur: nunquam tamen pluunt: *sic qui gloriatur in dono mendaci*: sic scilicet illi qui se daturos arroganter & superbè iactant, nihil tamen vnquàm donant: nam

eorum pollicitationes fastu plenissimæ (liceat sic dicere) venti sunt vehementes, & nubes nimium altæ, quæ ferè aridæ, & impluuiæ sunt. Hunc spectăt illud Threueri in Apophthegmatis, quæ alio schemate eādem sententiam venustè tradit. *Cùm cœlum rutilans est* (scilicet primo mane) *tempestatem præsagit, & quam minimum spectandum est ab eo, qui plurima arroganter promittit.* Quæ verba hunc sensum reddunt, cùm cœlum mane primo nubibus atris offusum est, vespere quidem serenum effici solet, at cùm perraris, rutilisque nubeculis splendent, vespere nimbum emittit: Sic etiam hi, qui multa promittunt, quàm minima donare solent: illi verò, qui in promissionibus suis parci sunt, quàm maxima largiri consueuerunt. Ad quam significationem allici potest translatio Chaldaica, quæ sic habet. *Dies nubium, & venti, in quo non est pluuia, &c.* idest, sicut nubes ab initio diem obtenebrantes tandem non pluunt, si, &c. Rursus similem ad sensum translationem LXX. vocare licet. *Sicut venti, & nubes, & pluuiæ clarissimæ*, aut, *splendidissimæ* (nam hoc etiam sensu Græcam vocem donare licet) quæ verba de nubeculis intelligo, quæ vespere rutilant, & sequentis diei serenitatem prænunciant, ita vt sensus sit. Sicut nubes occidente sole splendentes imbriferæ non sunt, sed futuri diei serenitatem præsagiunt, ita etiam qui non statim donant, sed magnifica promissa in diem spondent, ferè promissa falliunt, & beneficia nulla in alios collocant. Hæc de lectione LXX.

Threuerus.

70. De nostra verò interpretatione aliud indicium est; nam quamuis aliquæ ex præmissis accommodationibus illi aptari possint, tamen aliæ sunt magis germanæ ipsius interpretationes. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes vir gloriosus, & promissa non complens.* Isidorus Clarius hæc verba de his edisserit, qui multa beneficia se in alios collocasse ex iactantia affirmant, quæ minimè contulerunt: hos.n. ventum arrogantia, parcitate autem, ac sordibus nubes impluuias imitari affirmat; quia dum se de aliis benemeritos iactăt, ventosa verba proflant: dumq; nihil vnquam beneficij ab illis in alios proficiscitur, nubes impluuias præ se ferunt. Sed tamen hanc expositionem non probo.

Isidor.

71. Alij ergo de superbis atque arrogantibus beneficiorum promissionibus verba accipiunt, vt sonant. His assentior. Similitudinis autem vis ex tribus supra præscriptis illius acceptionibus petendam esse puto. Primò, quemadmodum cùm Notus natura sua imbrifer, & nubes etiam atræ cœlum offundentes, quæ præsentissima videntur pluuiæ præsagia aliquando spem fallunt, & imbres nullos perstillant, *sic vir gloriosus, & promissa non complens*, vir, inquam, qui seriò iactat munificè se daturum, & postea promissis stare non potest. Et quidem iuxta hanc expositionem illos existimo à Salomone his verbis capi, qui ea pollicentur, quæ postmodum explere non possunt, quos vento, ac nubi, imbres quodammodo parturientibus, sed non parientibus, haud dispares esse dicit. Et sane istiusmodi dies atri, nubili, atque impluuij ferè molestissimi ac grauissimi putantur, quia luci candorem offundentes diem subtristem reddunt, & alioqui opportunioris pluuiæ spem conceptam non adimplent. Ad eundem modum hi qui magnificè promittunt, sed promissa non complent his, qui indigent eorum ope, grauissimi, & molestissimi, esse solĕt, adeò vt eos, quibus mentiendo promittunt, sæpius infensissimos sibi hostes reddăt. Hinc est illud glossæ in cap. 22. Ecclesi. *Sunt qui plura promittunt, sed pauca, aut nulla reddunt, atque adeo eos, quibus promittunt, inimicos sibi faciunt.* Concinit illud Stobæi in libello de Moribus. *Priusquam promittas delibera, & cùm promiseris facias, nam postea non facere, fallere est, vide ergo ne quis merito*

Eccles.

Stobæus.

A *tuo te oderit.* Quapropter seruanda est ad vnguem illa Pythagoræ sententia apud eundem Stobæum in sermone de Virtute. *Age res præclaras, nihil magnifici interim promittens.*

Secundò aliter similitudo hæc nouo schemate cōformari potest, iuxta comparationem suprà secundo loco traditam. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, &c.* sic nimirum, Veluti cùm nubes imbrificæ cælum inuoluere incipiunt, sed tunc postea ventus Aquilo incumbens, illas distrahit, & pluuiam auertit; sic ille, qui magnificè promisit, postea verò ex leuitate animi promissionis suæ pertæsus illam non adimplet. Leuitas enim hæc, atque inconstantia mentis, aptè admodùm cū vento confertur, qui pollicitationū

B nubes difflat, & beneficentiam expellit. Et quidem huic interpretationi præ cæteris tribuendum esse existimo, & comparationem sic institui oportere iuxta germanum literæ sensum reor. Potest tamen eadem compatio contra superbos promissores aliter intendi, ita vt locum habeat Caietani expositio, aptius fortasse quàm ipse excogitauit, sic enim scribit. *Quemadmodum enim apparent quandoque futuræ nubes, futurus, & futura pluuia, & tamen non sequuntur: ita apparet donatio iactantis se donaturum, & non sequitur donum, ipsa enim iactantia signum est quod non implebit quæ promittit.* Hanc ergo sententiam ex præmissa similitudinis acceptione venustiùs elicere integrū est. Sicut nubes imbriferas Aquilo subito excitatus dis-

Caietan.

C soluit, & pluuiæ locum non facit: ita etiam in magnificis ac spendidis promissionibus, si adsit arrogantia, & fastus, hæc venti in morem, pollicitationes ipsas, & donandi voluntatem auferre solent. Ratio autem est in promptu, quia arrogantia id efficit, vt superbi maiora promittant quàm præstare possint, atque adeò promissionem ipsam abnegare coguntur. Huc spectat non inelegans Plutarchi sententia in Apophthegm. Græcis. *Qemadmodum*, inquit, *cupressus arbor sublimis, compositoque in conum vertice procul egregium quiddam polliceri videtur, at vix vlla sterilior est; tales sunt illi, qui splendida ac magnifica iactant se daturos,* hi enim nihil rē ipsa præstant, quia nimirum cùm ea, quæ spoponderunt, difficili admodum, aut nullo mo-

Plutarch.

D do explere possint, verba sua redimere, & fidem liberare quomodolibet contendunt.

Tertiò præmissa comparatio secundum tertiam illam acceptionem, quam initio dedi, aliter accommodari potest, sic nimirum, vt tria illa per se singula sumantur, *Nubes, & ventus, & pluuiæ non sequentes*, &c. iuxta expositionem Caietani nuper adscriptam. Quemadmodum cùm ex coniecturis temporum, quæ ab Astronomis obseruantur, nubes, ventum, ac pluuias euenturas esse speramus, quæ tamen frustratis indicationibus sæpissimè non eueniunt: ita etiam aliquos videre licet, à quibus magnæ illorum pollicitationes magna sperare iubent, tamen sæpius promissa fallunt. Admonet autem Caietanus tribus illis

Caietan.

E similitudinibus Salomonem omnes complexum fuisse, quotquot de aliis optimè mereri possunt; sic enim addit. *Per hæc autem tria intendit vniuersa dona, vniuersosque fallaciter pollicentes comprehendere, nubes ab ascendentibus vaporibus apparentes, dona ab inferioribus, pluuiæ descendentes, dona à superioribus, & ventus lateraliter ventures, dona ab æqualibus significat.* Cæterùm hæc leuiora sunt, si tamen id Caietano permittamus (quod ergo certè non probo, scilicet singula illa, nubes, ventum, & pluuiam per se seorsim diuersam similitudinem exhibere) poterunt certè tres similitudines ad hunc modum aliter accommodari. Promissiones suas duplici ratione fallere quiuis potest, vel nihil omnino eorum, quæ pollicitus est, donans, vel non tantum præstans quantum

quantum promisit. Rursus is qui nihil donat, aut ideò fidem violat, quia facultas non suppetit donandi, aut quia ex lenitate animi sententiam mutat. Has igitur tres hominum promissiones suas fallentium species, tribus illis similitudinibus cōplexus est Salomon. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes.* Nubes scilicet prætenues, ventus instabilis, & pluuiæ parcè admodum perstillantes; nam hæc tria sic exponi posse supra diximus. Nubes ergo tenues & graciles sunt illi, qui propterea non stant promissis, quia facultas deest: quemadmodum enim tenuitas & gracilitas in causa est, ne nubes illæ in pluuias cogi, & in imbres solui queant; ita etiam tenuitas, angustia, & penuria efficit, ne hi suas promissiones adimplere possint: his ergo ita consulere oportet, ne temerè ex iactantia quadam promittant ea, quæ postmodum præstare non valeant. Rursus ventis adsimiles sunt illi, queis suppetit certè donandi facultas, sed tamen ex sola animi leuitate fidem datam violant, in quos quadrat illud Nasonis. Ouidius.

Mobilis Æsonide, vernaque incertior aura,
Cur tua polliciti pondere verba carent?

Qui certè admonendi sunt, vt quandiu promiserint, sua promissa serio adimpleant, maxima enim fidei datæ vis est. Denique pluuiis parcè admodum stillantibus haud dispares illi sunt, qui magna spondentes parua reddunt, quibus id etiam suaderi debet, vt promissa non modò seruent, sed etiam expleant, vel si id ægrè admodum ferunt, monendi sunt, ne in promittendo largi admodum ac profusi sint; ne vulgari illo errore sese obstringat, qui apud perfidos magnam habet autoritatem.

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.

---

15. *Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiam.*

74. Patientia, &c. Hebr. *In longitudine narium persuadebitur gubernator, & lingua mollis confringet os.* Pagnin. *In longanimitate flectetur Princeps.* Chald. *In patientia spiritus lactatur Princeps, & verbum molle confringit os.* Vatabl. *Longanimitate suadetur Princeps.* LXX. *In longanimitate prosperitas Principis, lingua autem mollis conterit ossa.* Aquila, *Lingua autem simplex*, aliàs, *lingua tenera.*

De sententia huius loci anceps est interpretum mens. Quidam enim officij sui Principem admoneri dicunt; alij ad priuatos sententiam intendi asseuerāt. Ex his ergo, qui Principem edoceri volunt, Caietanus, Iansenius, Rodolphus, & alij nō pauci sic exponunt. *Patiētia lenietur Princeps.* Hebr. *longitudine narium*, Græcè μακροθυμία, id est, longanimitate, aut magnanimitate: id est, Princeps cùm non statim iræ acquiescit, & vindictam expetit, sed iram suam per longanimitatem diutius ducit, tandem aliquando furor deferuet, & iracundia desæuit. Nam cum Regum ira sæuire ac furere nimiùm soleat, ipsosque in multa flagitiosa & immania scelera præcipites agat, his quidem meritò suadetur, vt subitos illius impetus coërceant, nam furor dilatus sponte sua paulatim sedatur, ac mitior redditur. Quàm verò Regium, ac magnificum sit iram longanimitate domare alibi diximus. Rodolphus, & ex hoc Iansenius, & alij, exemplum huius rei producunt ex historia Tripartita lib. 7. cap. 3. & Theodoreto lib. 5. cap. 8. qui narrat Theodosium Imperatorem aliquando ira correptum ingentem cædem in Thessalonicenses ciues edidisse, re autem ad Ambrosium delata sanctissimus Antistes Imperatoris scelus seuerè corripuit, & hanc demum

A legem illi indixit, vt non nisi post aliquot dies sententia à Principe lata executioni mandaretur, vt scilicet interim, si quid præceps iracundiæ impetus immane decreuisset, sedato animo deliberationi & reuocationi locus esset. Huic expositioni venustè aptatur lectio originalis. *In longitudinem nariū lenietur Princeps.* Et sanè quidam huic lectioni accommodāt Elephanti exemplum, cui præ cæteris animalibus oblongus est nasus, ac naso longior patientia, & tolerantia. Narrat enim Plinius, & alij historiæ naturalis scriptores, illum non statim ira concepta, ad pugnam venire, sed longo sæpe interuallo semetipsum cohibere, & iram proflare: adeò vt antiquis monimentis cōsignatum sit, Elephantum quendam post annum in B magistrum, qui illum grauiter læserat, iram effudisse. Plinius. Quod narrans Conradus. *Æqualis*, inquit, *proboscidi eius ira; nimirum eadem longitudine prædita.* Et quidē ita reor superiorum iram Elephanti ob longam proboscidem imitari oportere, nam reliqua animantia nasum rigidum habent, Elephanti verò nasus lentus & flexibilis, quem nunc comprimit, & in angustum cogit, nunc etiam exerit, & in longum producit, atque, vt libet, in omnem vsum exercet. Talis esse debet Principum indignatio, non rigida, sed lenta, quæ scilicet coërceri, & extendi, leuari, & demitti pro nutu possit: vel (liceat sic dicere) talis esse debet Principum nasus, longus latusque, qui iram proflare, & diutiùs continere valeant. Subdit Sapiens. Conradus.

C *Et lingua mollis confringit duritiam.* Hæc verba ad superiorem sensum trahere non est admodum proliue. Sed tamē dici posset moneri Principes ne suos verbo percellant, ne contumelias & conuitia fastuosè ipsos iaciant, ne etiam aduersus illos seuerissimas sententias ferant: nam mites blandique Principum sermones longè fortiores ac validiores sunt, vt subditorum proteruiam & indociles mores doment, & ad excipiendum seruitutis iugum rigidas ceruices flectant. Sic intelligo lectionem originalem, *& lingua mollis flectit os*, os enim hìc antonomasticè appellatur spina dorsi; hæc enim rigida & erecta subditorum indocilem, & inobsequentem proteruiam adumbrat; deflexa verò & demissa, eorundem obsequium & D obedientiam innuit, atque adeò sensus erit, *Et lingua mollis flectit os*, idest, dorsi spinam, nimirum ceruicem, iugo legum ac mandatorum summittit, & dorsum tributorum ac vectigalium oneribus inclinat. 75.

Secunda interpretatio est aliorum, quo nomine Principis non eum intelligunt, qui aliis, sed qui sibi imperat, ita vt sensus sit. *Patientia lenietur Princeps*, vel vt est in Primitiuis, *longitudine narium*, aut *longanimitate.* Quasi dicat, is, qui sui ipsius Princeps est, atque adeò irā coërcet (hæc enim præstantissima & dignissima istius priuati imperij existit) dū cōuitia, probra, iniurias, & alia eiusmodi æquo animo fert, in dies magis ac magis mansuescit & eū mitiorem leniorēque sufferentia ipsa reddit. Pro *Principe* subest hìc קצין *Katsin:* Regia *gubernatorem* conuertit, quia voce E ex Hebræis aliqui nauclerum notari volunt, ex radice קצן *Katsan*, quę iam nunc in desuetudinem abiit, olim verò significabat nauim regere: conferunt autē hanc cum radice קצף *Katsaph*, quæ ducta etiam à mari similitudine significabat ira efferuere, & ebullire; quasi is demum peritus sui ipsius gubernator sit, quisquis inter efferuescentes, tumentesque iræ æstus, & vndas nauim suam naufragio ereptam in portum regit. Audi Plutarchū apud Stobæum in sermone de ira, hâc eandem similitudinem venustè accommodāte. *Proinde rationem oportet agendorum gubernatorem, & nauclerum constituere, atque ita demum rationes vitæ aggredi, iram interea contingentem semper castigando, vt naucleri fluctus ingentes. Est enim sanè non minor* 76. Stob.

metus,

metus, ne ira nimium aduersa, seu prora fluctus, & sui auctorem, & familiam funditus perdat, euertatque, nisi quis per industriam praeternauiget. Hoc est incidentem iram, velut irruentes fluctus naui in diuersum acta superet. Accedat Chrysost. Hom. 7. de fide Annae, vbi sic scribit. *Hanc verò fœminam* (id est Annam) *non anxietat modò ab sterilitate proueniens, verùm & aliud quiddam obsidebat malum, ira videlicet, propter æmulæ opprobria. Et quemadmodum ventis inter se concurrentibus mediámque scapham, dum inter se depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim à prora, partim à puppi insurgentibus, gubernator clauo assidens seruat nauim, vndarum incursus gubernandi prudentia depellens: sic mulier illa cùm ira & angor in animum ipsius facerent impetum, rationem illius perturbantes, multosque fluctus excitarent, fortiter pertulit tempestatem, nec passa est rationem demergi. Siquidem Dei timor, tãquam nauclerus, gubernaculis assidens persuasit, eam tempestatem magno animo perferendam esse; nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum onere plenam, hoc est vterum pretioso thesauro onustum,* &c. Denique Maximus Monachus in sermone de ira sic habet. *Vt naues egregiæ sunt non quæ sereno cœlo nauigant, sed quæ tempestati resistunt, & in portum euadunt; sic homines iræ ac furori resistentes magni sunt atque fortes.* Ergo appositè ad hæc Salomon, *In patientia lenietur gubernator*, idest, qui se in ira, seu gubernator vel nauarchus in tempestate, gesserit, dum incidentes vndas æstuantis furoris patientia, & sufferentia malorum præterlabitur, in tranquillum mansuetudinis portum tandem appellet. Et quidem mansuetudinem ac mititatem portum esse tranquillissimum, docet Chrysost. Homil. 34. in Genes. *Mansuetudo, inquit, animam nostram in perpetua tranquillitate, & quasi in portu constituit, & omnis recreationis ac quietis nobis occasio est. Quid enim beatius, quàm intestino liberari bello? Nam quamuis plurima pace externa fruamur, si intra nos irarum nascatur tempestas, tumultus, & seditio, nihil externa pax proderit.*

77. Difficile etiam est sequentem clausulam ad hunc sensum accommodare. *Lingua mollis confringet duritiam.* Potest autem sic explicari. Qui iram domauit suam ad eum modum ad mititatem, & lenitatem traductus, verbis vtitur mollioribus ac mitioribus, quibus quamlibet suorum aduersariorum duritiam lenit, & hostes implacabiles ad beneuolentiam traducit.

Sed licet hæc non ineptè dicta sint, censeo nihilominus aliam esse Sapientis mentem, ac primũ id constituo, sententiam istam ad priuatos intendi, deinde dico illos edoceri à Salomone, qua demum ratione Principum gratiam inire, & inferiorum beneuolentiã conciliare, & odia extinguere possint. Asserit autem Principes patientia, inferiores autem mollibus verbis ac blanditiis conciliari. Itaque ait, *Patientia lenietur Princeps.* Hebraicè *lactatur*, idest, Principum gratiam subditorum patientia promeretur, atque adeò hi, qui illam assequi volunt, multa sufferentia opus habent, vt illorum fastum, & difficiles mores, aliquãdo etiam probra, & conuitia perferant, ac sic demum illos sibi deuinciant. *Et lingua mollis confringit duritiam*, scilicet inferiorum, hos enim blanditiæ, & lenocinia magnopere obstringunt. Illud verò quod est in exẽplaribus, *Lingua mollis effringit os*, intelligi debet, vt supra diximus, de spina dorsi, vt sit idem sensus quem nuper dedimus; nam inferioribus ac subditis accommodatissimè aptatur. Hanc verò expositionem ideò præfero, quia, & in verba ipsa aptius cadit, & cum sequenti versu pulchrè nectitur, vt statim patebit.

De translatione autem LXX. ad extremum id dico, verba illa, *in longanimitate prosperitas Regis*, aut sic esse accipienda, vt vox illa, *prosperitas*, non significet secundam ipsius Regis fortunam, sed eorum, qui Regis gratiam adepti apud ipsum fortunati sunt; est enim Græcè εὐοδία, id est, *bona via*, ita vt sensus sit: patientia, longanimitas, & sufficientia præclara via est ad ineundam Principis gratiam: est enim tum certior, tum etiam breuior, tametsi difficilis, & accliuis: ita enim necesse est difficilem, & accliuem ad fastigia summa viam esse. Vel aliter, si ipsius Regis fœlicitas eo nomine significetur, sensus erit facilis. *In longanimitate Regis prosperitas*, seu εὐοδία, idest, *bona via*, quasi dicat, nimia Principis seueritas aut immanitas, ardua, salebrosa, difficilis via est; longanimitas autem bona, facilis, ac procliuis existit: hæc ad fœlicitatem, illa in exitium, & perniciem. Priorem tamen interpretationem huic antepono, quia cum nostra lectione melius cohæret.

---

16. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud.*

78. Mel inuenisti, &c. Heb. *comede sufficientiam tuam*, reliqua concinunt. LXX. *Mel inueniens comede quod sufficit, ne fortè repletus euomas*, de cætero nullum est translationum dissidium.

Primò Caietanus, Strabo, imò etiã Beda, hæc verba non consuunt cum sequenti versu, nexus autem non est iniucundus. Si quando, inquiunt, inuenisti gratiam, mellis in morem, dulcem, & suauem apud amicum, ne immodicè vtaris ea gratia, illum *sæpius* adeundo quàm par est, quia sicut mel immoderatè sumptum in bilem vertitur, ita etiam amicitia, & familiaritas si modum non habeant, in inimicitias abire solent. Nam nimius vsus, & conuersatio nimia amicorum, eorum despectum, ne dicam nauseam, & fastidium adducere solet, vnde fit vt sese inuicem ex tædio, &(si fas est ita loqui) ex nausea euomunt. Hinc est illud Comici. *Nimia familiaritas contemptum parit.* Quapropter sapis, inquit Salomon, subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te. Hanc interpretationem, vt à me præscripta est, cæteris libenter præferrem, si crederem in hoc sequẽti versu sermonem esse de amico, & familiari. Sed tamen puto Salomonem loqui de omni proximo, nam in Primitiuis habetur, *Rarum*, aut *pretiosum fac pedem tuum in domo proximi tui.* Hæc autem lex nimium seuera est inter amicos, quibus id maximè cordi est, vt inuicem perfrui possint.

Secundo D. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 3. sic habet. *Mel quippe inuenire, est sancti intellectus dulcedinem degustare* (scilicet in scripturis sanctis) *quod tunc sufficienter comeditur, quando nostra intelligentia iuxta mensuram sensus sub moderamine tenetur. Nam satiatus mel euomit, qui plus appetens penetrare quàm capit, illud perdidit vnde potuit nutriri.* Eundem sensum elicit Beda paucis mutatis, & Orig. in Isaiam Hom. 2. vbi sic habet, *Mel*, inquit, *inueniens comede quod sufficit, ne forte plenus euomas. Num curauit Spiritus Sãctus de melle isto, quod notum est, ne fortè plus comedamus? Sed sciens vtique Spiritus Sanctus mel spirituale, de hoc melle ait. Mel inueniens, &c. Sed quid sentiens Spiritus Sanctus præcepit, vt si inueniremus mel, comederemus illud? Vade ait, ad apem, & disce quomodo operaria est. Inueniuntur Prophetæ apes esse; fingunt siquidem ceras, & mella conficiunt. Et si mihi expedit dicere, faui eorũ scripturæ sunt, quas reliquerunt, & in his fauis inuenitur mel.* Et infra sic attexit. *Si quis meditatur eloquia diuinina, & nutritur sermonibus scripturarũ, cõplet mandatum diuinum*, lege ibi plura. Ad quem referri potest Clementis non inelegans sẽtẽtia lib. 1. Pedag. c. 11.

Atque

Atque mel, inquit, *cùm ſit dulciſſimum, bilem generat ad eum modum quod bonum eſt, contemptum; quod quidem cauſa eſt peccandi.* Loquitur autem de verbo Dei, atque ſenſus eſt. Sicut mel intemperanter ſumptum in bilem vertitur, & nauſeam faſtidiumque adducit: ita etiam Dei verbum, ſi abſit temperantia, & ſine delectu paſſim adhibeatur, parit contemptum, & ſui nonnunquam tædium immittit.

80. Bernard. Tertiò D. Bernardus in ſermone quodam ex paruulis, mellis nomine laudes humanas intelligit, atque ſic ſcribit. *Meritoque non ab omni, ſed ab immoderato mellis edulio prohibemur. Eſt enim cùm vtiliter humanas laudes recipimus, fraterna dumtaxat intuitu charitatis, & ad ſalutem eorum, qui nobis propterea faciliùs acquieſcunt. Hac ergo parcitate ſeruata mellis huius moderata* B *comeſtio non nocebit. Si quid verò amplius eſt, à malo eſt, & in perniciem conuertitur. Inuento enim melle immoderatius veſcitur quiſquis apponens omnino cor ſuum, fauore humanæ laudis inflatur, incraſſatur, impinguatur.* Et paucis interiectis ad extremum ſic attexit. *Vis noſſe quando euomat immoderatus epulator mellis edulium, quod vſque ad ſatietatem ſumens modum parcitatis exceſſit? Tunc ſine dubio laudes, quibus ſatiabatur, non alium fructum quærens, ſed fauore ipſo contentus humano, tunc, inquam, multa cum ſatietate euomit, quod cum pernicioſa delectatione comedit, quando alium quemlibet laudari audiens inuidia contabeſcit. Mens enim dedita vanitati, & arrogantia tumens, laudem alterius ſuam reputat vituperationem.* Hactenus Bernardus, qui mel- C lis nomine laudes humanas propterea accepiſſe videtur, quia ſicut mel, teſte Galeno, flatus creat, inflatque, ac diſtendit ventriculum, ſic illæ animum faſtu, & arrogantia complent.

81. Quarto alij mellis nomine diuitias, & fortunas intelligi malunt, hæc enim bona ſunt cùm parcè, & ex iure quæruntur ea menſura, quam Paulus definiuit 1. Timot. 6. 2. ad Timot. 6. *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia, habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Itaque ſenſus eſt. *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi*, &c. ideſt, diuitias, & fortunas nactus ex his quidem tantundem ſume quãtum conditioni tuæ, ac moribus ſatis ſit; vel quantum iuſtè, & ſine iniuria potes: ne ſi iuſtitiæ modum exce- D das, id quod vltra ſumpſiſti, quaſi per vomitum extrudere poſtea cogaris. Accedit proximè ad hanc expoſitionem Plutarchi ſententia, qui in tractatu de Plutarch. virtute, & vitio ſic ait. *Congere aurum contra fas, contrahe argentum, extrue ambulationes, comple domum ſeruitijs, vrbem nominibus, vinum roganti febricitanti, & bilioſo mellis copiam tribueris, vnde non confirmetur, ſed maximopere lædatur.*

82. Quinto plures per *mel*, voluptatem, & delitias in vniuerſum accipiendas eſſe putant, & ſenſum eiuſmodi conformant. *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi*, ideſt, ſi voluptatum, & delitiarum mel affatim ſuppetat tibi, eas parcè deliba, & ex his tantundem carpe, quantum ad honeſta ſolatia huius vitæ ſatis E eſſe videatur, *ne forte ſatiatus euomas illud*, ne ſcilicet ſi voluptatibus plus æquo indulſeris, quemadmodum mel in bilem, & amaritudinem tranſit, ſic etiam delitiæ in mœrorem, & animi acerbitatem conuer- Chryſoſt. tantur. Huc ſpectat Chryſoſtomi ſententia Homilia 2. in Marcum, vbi rationem offerens propter quam in ſacrificiis olim mel non libaretur, ſic ait. *Mel penitus non offertur* (inquit ſermo diuinus), *& quodcunque contigerit immundum erit. Mel ſane voluptatis indicium eſt, & ſuauitatis, ſemper enim voluptas mortificat, ſemper voluptas Deo non placet. Mel quidem ipſum videtur dulce eſſe, & ſenſum ſuauitate demulcens, ſicut & voluptas, ſicut & libido, ſicut & laſcinia. Mel videtur hinc inde confectum eſſe de floribus, ſed ſi reſpicias inter* A *ipſos flores, & cadauera, & putredines habere* (quia nimirum ſæpius in fauorum cellis iacent demortuæ apes, & ſordes illæ, quæ vulgò appellantur *hamago*, acerbi admodum auſterique ſaporis.) *Mel igitur non ſolum de floribus, ſed de quocumque voluptuoſo eſt, videtur quidem ſuaue eſſe, ſed ſi diſcrimen reſpicias, mortiferum eſt.* Id verò dicit Chryſoſtomus propter quaſdam apes, quæ tenaci mellis adipi adhærentes, atque inde emergere non valentes, ſæpius operi ſuo immoriuntur. Itaque mens ſanctiſſimi illius doctoris hæc eſt; voluptates, & delitiæ nimiæ cauendæ in primis ſunt, quia mellis adinſtar obtinent, & quemadmodum in fauis cum melle pariter putredines ſunt auſteri admodum ſaporis; ita etiam voluptatibus multi inſunt acerbi, & amari angores, qui dulcedinem illarum corrumpunt. Rurſus quemadmodum ſæpe apes ipſæ melli tenaciſſimo immerſæ pereunt; ita etiam ſæpius homines voluptatibus dediti, iidemque ingurgitati miſerrimum interitum ſibi accerſunt. Quæ ſententiæ ad Salomonis doctrinam non parum faciunt.

Sed licet hæc non ineptè dicta ſint, tamen duas 83.
alias interpretationes ſubiiciam, quæ mihi accommodatæ magis videntur. Mel vtique teſte Galeno in Plin. lib. 3. de dieta, faſtidium creat, bilem auget, & vomitum incitat, idipſum tradit in lib. 3. de potentiis naturalibus, neſcio an alibi. Cui accinit etiam Plinius lib. Galen. 12. cap. 24 Salomon ergo per mel omne delectabile in vniuerſum intelligere videtur. *Mel*, inquit, *inueniſti, comede quod ſufficit tibi*, ideſt, ſi qua exercitatio aut occupatio ſuauis, ſi qua familiaritas, aut amicitia dulcis, ſi quis vſus aut conuerſatio delectabilis, ſi quid denique quomodolibet iucundum tibi ſuppetit, dum perfrueris modum ſerua, & menſuram quandam neceſſitatis, aut honeſtæ voluptatis tibi ipſi indicito, *ne ſatiatus euomas illud*, ne ſi his delectabilibus nimium indulſeris, eadem ocyus deſipere, & ſui tædium, & faſtidium adducere incipiant. Hæc enim eſt natura rerum delectabiliũ huius vitæ, moderatè ſumpta, deliniunt; ſi modus abſit, ſui faſtidium, & nauſeam citò creant. Itaque vel ex eo delectabilibus parcè admodum vtendum eſſe docet Salomon, vt eorum ſuauitas, perpetua, & conſtans ſit; ac ne demum tædium ſui immittant. Et quidem mel, atque in vniuerſum omnia dulcia laxant ventriculum, & immoderatè ſumpta non ſui modò, ſed aliarum etiam vtilium epularum nauſeam afferunt: eadem delectationis immodicæ natura eſt: quia dum animum intemperantia ſua diſſoluit, ſui, atque omnium aliarum vtilium actionum, & exercitiorum faſtidium generat. Septuaginta ergo de induſtria abſtinent à pronomine *illud*, legunt enim, *ne fortè repletus euomas*. Vt notent hanc nimiæ delectationis vim, quę non ſui tantùm, ſed cunctorum bonorum faſtidia parit.

Rurſus aliter locus iſte exponi poteſt, ſi cum ſuperiori verſu conſuatur, ad hunc modum. Salomon in 84.
præcedenti camine docuerat Principum gratiam patientia, & tolerantia iniri ſolitam, *Patientia lenietur* (aut) *lactabitur Princeps.* Nunc ergo illum, qui diuturno labore, & patientia eam gratiam adeptus eſt, ſic idem affatur, *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi*, ideſt, gratiam apud Principem nactus es (hæc enim mel ſatis aptè dicitur, præſertim ſi apum ciuilem vitam cõſideres, quæ mella ſua ſub vno Rege ac Principe conficiũt, atque eo deſiderato nõ amplius mellificant. Ita docẽt Ambroſius, & Baſilius in Hexam.) Si igitur mel iſtud, aut gratiam apud Principem nactus es, parcè vtere, & ex ea id tantùm ſume, quod tibi, i. tuæ conditioni, & ſtatui opportunum videbitur, *ne forte ſatiatus euomas illud*, ne ſi ea gratia ad ſatietatẽ vſque

vſque abuti velis, tanquam mel aceſcat, & in bilem abeat, nimirum ex gratia in odium commutetur, adeò vt illam quaſi per vomitum, magna vi extrudedere cogaris. Sed tamen præferenda eſt (me iudice) ſuperior interpretatio.

17. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne fortè ſatiatus oderit te.*

84. *Subtrahe pedem tuum*, &c. Hebr. *Pretioſum fac pedem tuum à domo proximi tui*, vel, *rarum*; nam pretioſú pro raro in ſcripturis paſſim occurrit. LXX. *Rarum introduc pedem ad tuum amicum, ne fortè ſatiatus oderit te*. Symmach. *cohibe*, aut *contine pedem tuum*. Chald. *Prohibe*. Vatabl. *reuoca*. Hebr. הֹקַר *Hokar*, ex radice יקר *Iakar*, eſt autem pretioſum haberi, aut magni æſtimari, ſed in Hiphil ſignificat, *prohibere*, aut *pretioſum*, aut *rarum facere*.

Duplex omnino huius loci expoſitio reddi poteſt. Prior eſt vt Salom. doceat perraró adeundá eſſe amici domum; altera verò vt omnino aditum illius interdicat. Poſteriorem hanc expoſitionem qui ſequitur, exiſtimat Salomonem id cauiſſe, ne amicus in amici domum pedem inferat, ne aliquàm ſui ſuſpicionem illi immittat, quod prætextu amicitiæ, vt fieri ſolet, vxorem illius ambiat. Itaque illud, *Subtrahe pedem tuum*, perinde eſſe putat ac ſi dicat; contine omnino, ne fortè ſatiatus oderit te, ne ſcilicet illi ſuſpectus eſſe cœperis, & tuam familiaritatem pertæſus odio habeat te, & ex odio aliquid in tuam perniciem tentet.

85. Sed licet hæc interpretatio non ſit abſurda, tamen communem expoſitionem probo. *Subtrahe pedē tuum à domo proximi tui:* vel vt habent LXX. *rarum introduc pedem ad tuum amicum*, ideſt, ſi fortè amicum aliquem nactus es: ne illi plurimum aſſueſcas, neque illum frequenter adeas, ſed vtere illo parcè, *ne fortè ſatiatus oderit te*, ne ſcilicet nimio vſu tuo ſatur te faſtidire incipiat, & gratia in odium vertatur. Originalis lectio peculiarem energiam habet. *Pretioſum fac pedem tuum*, ideſt, ſic age vt perrarum tuum ad amicum acceſſum ipſe magnifaciat: & dum poſt moras aliquas ad ipſum venis, tui deſiderium, & famem in ipſo excites: ne, ſi te ſæpius ingeris, vſu tuo exſatiatus abſtineat deinceps à te. Itaque docet Salomon, famem ſui, non ſatietatem in amicis creare oportere, illa enim amorem exacuit, hæc odium immittit. Huic adſimilis eſt altera Eccleſiaſtici ſententia. *Aduocatus à potentiore diſcede, ex hoc enim magis te aduocabit*, loquitur de inuitatione ad conuiuium; & ſenſus eſt, vocanti te ad conuiuium potentiori ne facile acquieſcas, ſed enixè petenti tantiſper renitere; ſic enim ille magis, ac magis inſtabit, ac perurgebit. *Eccleſ.*

Sed (ni fallor) ad communem interpretationem aliquid addere oportet, vt acrior ſententia euadat; puto enim Salomonem non tam frequentem illum aditum ad domum proximi, aut amici interdicere voluiſſe, qui ſit familiaritatis, & beneuolentiæ teſtandę gratia (hunc enim tantam amicitiæ commutationem in odium vix efficere poſſe credo) quàm eum qui fit aliquid petendi cauſa, cui expoſitioni adſtipulatur anagogia Nili Abbatis, quam ſtatim ſubiiciam, ita vt ſenſus ſit. *Subtrahe pedem tuum à domo proximi tui*, id eſt, ne illum frequenter adeas, liberalitatem eius crebris petitionibus exhauriens, *ne ſatiatus oderit te*, ne ſcilicet gratia in odium vertatur, ſic enim fieri ſolet, vt hi, qui amicos nimium emungunt, eoſdem contra ſe conuertant. Vel quod verius reor, Salomon non loquitur de amico, & familiari, hæc enim nimium ſeuera lex eſſet inter amicos, vt perraró ſe inuicem adirent, ſed in vniuerſum de quocumque proximo

A homine verba facit, id ſuadens ne alienas domos ſępius adeamus, id enim moleſtum valdè ac faſtidio plenum eſſe ſolet.

Ad extremum ſubiicienda eſt expoſitio ſpiritualis Nili Abbatis in Aſcetico *Multiplici*, inquit, *pedum numero monetur qui rebus corporeis circumagitur. Idcircò ſapiēs ille prouerbiorum auctor ne duos quidem hominem ſapientem habere vult pedes, ſed vnum tantùm, eumque raró ad res corporeas mouere. Raró, inquit, infer pedem ad amicum tuum, ne fortè, &c. Si enim raró ad ſpiritum acceſſerit res obſecrans corpori neceſſarias amicus erit, ſin frequētius, & nihil aliud ſpectans quàm res corporeas, inuiſus erit. Quid enim exorabit, aut quomodò non erit deteſtandus, qui rebus eiuſmodi ſemper intentus nunquam ad rectam viuendi rationem animum excitabit?* 86. *Nilus Abbas.*

B *Propterea quod crura ſuper pedes non habet, quibus ſe à terra poſſit erigere. Quemadmodum enim crura toto corporis onere in ſe ſuſcepto terræ parumper appropinquant, ſtatimque illud tollunt in ſublime: ita ratio rerum naturæ index, ſimul atque ad ea, quæ corpori neceſſaria ſunt cōparanda, ſeſe deiecerit, celeriter ſurſum leuem ad cœleſtia mentem tollit, & nihil terrenis è rebus ſecum affert: nam habere crura omnino rigida conuenit cum illis, qui delitiis valdè ſunt dediti, atque adeò ſemper iacent.* Hęc Nilus, qui hîc ad elephantis crura rigida reſpexit, quē vertebris circa crura carere aiūt, ac propterea ſi quādo deiectus iacuit, rurſus erigi, & eleuari nō poteſt.

C 18. *Iaculum, & gladius, & ſagitta acuta, qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium.*

Iaculum, &c. Hebr. *Malleus, & gladius, & ſagitta acuta reſpondens in ſocium ſuum, teſtimonium falſitatis*. Pro *iaculo* Hebr. *eſt* מפיץ *Mephits*, ex radice פוץ *Phuts*. i. *diſperſit, contriuit, confregit*, Hebręi docent eo nomine ſignificari, *clauam*, qua vtuntur equites grauis armaturæ. Alij rurſus *malleum* eſſe dicunt, quo petræ conteruntur, vulgò *almadena*. Montanus ſic tranſtulit. *Diſpergens gladius, & ſagitta acuta*. Atque tres comparationes in duas coēgit. Pagn. Vatab. & Caiet. Chald. paraphraſim ſecuti, *malleum* conuer-D tunt. LXX. *Claua, gladius, & ſagitta acuta*. Hieronym. contra Rufinum, *& ſagitta pernitioſa*. Ambroſ. lib. 3. Offic. cap. 16. *Sagitta ferrata dans falſum teſtimonium contra amicum ſuum*. Noſter verò, *Iaculum* tranſtulit, nimirum pilum vel lanceam, vt quibuſdam videtur. 87. *Hieronym. Ambroſ.*

In primis decernere oportet quiſnam iſte ſit, qui falſum teſtimonium contra proximum loqui dicitur. Plerique docent, de falſo teſte, qui in iudicio contra proximum deponit, hæc verba capienda eſſe; non pauci etiam de illo in vniuerſum, quia aliquid falsò imponit ſocio extra iudicium; illis aſſentior, ab his diſcedo. Ergo illi, qui de falſo teſte intelligunt, & Regiam tranſlationem tenent, ſic locum ediſſerunt. *Diſpergens gladius, & ſagitta acuta qui loquitur contra* E *proximum ſuum falſum teſtimonium*, ideſt, qui rogatus in iudicio contra proximum falſum teſtimoniū profert, ſimilis eſt gladio atque ſagittæ. Sed quænam, inquies, vtriuſque ſimilitudinis vis, & energia? Interpretes vulgò hanc energiā in eo ponūt, quod quemadmodum gladius, & ſagitta mortē homini inferunt, ita etiam falſus teſtis præſentiſſimam inſonti perniciem adducit. Cæterùm ſi duæ tantummodò ſimilitudines ſint, gladij videlicet atque ſagittæ, non ineleg antem accommodationem excogitauit Montanus. *Gladius enim, ait, cominus ferit, ſagitta verò eminus iaculata hominem transfuerberat.* His ergo falſus teſtis adſimilis eſſe dicitur, quia cùm abſente reo rogatur, & conuenitur, illum veluti ſagitta eminus configit, cùm autē reus illi ſiſtitur, & obiicitur, vulgò dicimus,

Quando

Quando le carean con el delinquente, tamquàm gladius cominùs illum confodit. Itaque falsi testis summa libertas, & licentia his verbis notatur; qui non absentem solùm damnare, sed etiam præsentem audacter accusare, & conuincere audet.

88. Reliqui interpretes cum Vulgato tres similitudines agnoscunt, sed tamen, quod ad sententiam attinet, à superioribus non discedunt. In his Iansenius translationem LXX. præferens sic ait. Tria Salomon enumerat, *clauam, gladium, & sagittam*; & quidẽ claua caput contundi, & effringi, gladio iugulum peti, sagitta cor transfigi solet. Ergo ait, *Claua, gladius, & sagitta acuta, qui loquitur contra proximum suum falsũ testimonium.* Quia perinde facit ac si caput hominis claua contunderet, & gladio iugulum refunderet, & sagitta cor transuerberaret. Sed quorsum hæc? Iansenius & Caiet. non insulsè dicunt multiplici armorũ genere multiplex nocumentum notari, quod à falso teste in eos proficiscitur, contra quos pronunciat; & quia hæc nocumenta ferè tria sunt, scilicet corporalis pœna, honoris violatio, aut pecuniarum mulcta, eapropter triplex illud instrumentũ ad vulnera danda idoneum præscripsit Salomon. Sed licet hæc non inepta sint, tamen de hac armorum diuersitate aliquid vlterius dicam. *Claua, gladius, & sagitta acuta*, &c. Illud verò sumo ex Iansenio, claua caput, gladio iugulũ, sagitta cor percuti. Puta ergo his similitudinibus falsi testis miram versutiam, & simulandi artem notari, quippe qui tanto artificio testimonium suum confingit, vt caput eius, cui perniciem parat, claua primùm percellat, id est, mentem atque rationem obtundat, ita vt modum, quo quis ab illius calumnia tandem euadat, excogitare non possit: deinde guttur gladio confodiat, ita vt ne verba quidem suppetant, quibus impositi sibi criminis falsitatem reuincere queat: ac demum sagitta cor, pectusque transverberet, adeò vt si quid etiam profundo corde celabat, id quoque enunciare cogatur. Accidit enim persæpè in iudicio id quod vulgò dici consueuit, *mendacium nonnumquàm veritatem exsculpit*, id est, *diras mentira y sacaras verdad.* Sed tamen alia digniora subiiciam.

89. Mihi enim literæ sensum attentius perscrutanti duæ interpretationes succurrunt, quæ accommodatę magis videntur. Præmittere autẽ oportet Iansenium, & alios, qui docent in Vulgata lectione, *iaculum*, & *sagittam*, permisceri ac confundi, atque duas omnino similitudines relinqui, minimè audiendos esse: quia armorum illa diuersitas vim maximam huic sententiæ conciliat. *Iaculum* ergo, vt nuper dicebam, pilum aut lanceam adsignificat apud Vulgatum, atque adeò à *sagitta* omnino differt. Siue autem *lanceam*, cum Hieronymo, siue *clauam*, cum LXX legamus, sententia eadẽ euadit. Altera igitur expositio sic habet. *Iaculum, gladius, & sagitta acuta*, seu, *claua; gladius*, &c. complectitur Salomon instrumenta quibus lata sententia sceleratis & flagitiosis hominibus capite damnatis nex inferri consueuit; illos enim, qui delinquebant in bello, militum lanceis confodi olim mos fuit: & his, qui in vrbe transgressi fuerant, gladio iugulũ exscindi; qui verò extra vrbẽ facinus perpetrauerát, sagittis configi consueuerunt: illud etiam non insolẽs fuit apud veteres, sontes malleis, aut clauis ad necem vsque tundi. Hæc, & alia suppliciorum genera cogit Iustus Lipsius in libello de Cruce. Ait ergo Salomon. *Iaculum, gladius, & sagitta acuta, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*, id est, cùm iaculo, gladio, aut sagitta arbitrio iudicis homini innocenti, & insonti mors infligitur, falsus testis, qui iudicem ad sententiam capitalem in eundem ferendam impulit, hæc omnia, scilicet iaculum, gladius, & sagitta esse dicitur, quibus, ipso auctore, innocẽs homo perit,

Posterior interpretatio, quam priori libenter præfero, sic habet: enumerat Salomon armorum genera dissimilia, *iaculum*, aut, *lanceam, malleum*, aut *clauam* (nam ego ita reor nomen illud מפיץ *Mephus*, communem quandam esse vocem, & pleraque arma cõplecti) *gladium & sagittam*, atque falsum testem hęc omnia esse dicit, vt significet, ei, qui illo vtitur, ad nutum obsequi, & ad proximum lædendum pro quolibet armorum genere esse, pro lancea, claua, gladio, aut sagitta: nam quidquid dicere iubetur, id asseuerat, & voluntati obseruiens illius, qui illum adhibet, scelus quodlibet innocenti imponit, seu iaculo, seu gladio, seu sagitta dignum. Itaque significat Salomon his verbis testem quemlibet falsum non ad vnum quid, sed omnia promptum esse: adeò vt pro nutu eius, qui illum adhibuit, nunc claua, nunc lancea, nunc gladius, nunc sagitta, nunc quidlibet aliud sit ex his, quibus homo contra aduersarium suum vti possit. Vel, si placet, notatur his verbis falsi testis inconstantia & mutabilitas, cuius falsitas explorata facilè deprehenditur, dum per vices quasdam, ait, negatque, iuxta vulgarem apud nostros paræmiam. *Vna vez cesta y otra vallesta.* Id sibi vult illud, *Iaculũ, gladius, & sagitta acuta*, id est, falsus testis non semper idem, modò claua, modò gladius, modò sagitta est, quia falsitas illum in omnes formas compellit. Pergo ad alia. 90.

19. *Dens putridus, & pes lassus qui sperat super infideli in die angustiæ, & amittit pallium in die frigoris.*

DEns putridus, &c. Hebr. *Dens confractus, & pes luxatus fiducia præuaricatoris in die angustiæ.* Pagn. *dens fractus, & pes labens*, Vatabl. *dens fractus, & pes non insistens suo vestigio.* Caiet. *& pes dimotus*, Chald. *Dens malus, & pes lapsus.* LXX. interpretes lõgè aliter, *via mali, & pes iniqui peribit in die mala.* Sic habet codex Vatic. Regius tamen & Complutensis legunt. *Dens mali, & pes iniqui*, quia nimirum non ὁδὸς sed ὀδοὺς in exemplaribus legendum putarunt: & quidem facilis erat vnius vocis cum altera commutatio. Itaque pro voce illa *putredo*, alij *confractum*, alij *malum* restituunt, subest enim רעה *Roghah*, quã vocẽ alij referunt ad verbum רעה *Raghah*, id est, fregit, contriuit: alij ad רע *Rangh*, id est, malum esse. Hieronym. autem pro *malo*, accommodatissimè *putridũ* vertit. Rursus pro voce illa *lassus*, subiicitur מועדת *Mughadeth*, ex radice *Magdah*, quæ pedibus sæpius tribuitur. Psalm. 17. *Non sunt infirmata vestigia mea*, & Iob. 12. pro illis verbis *Parata ad tempus statutum*, in Primitiuis est. *Parata nutantibus aut vacillantibus pede*, & Psal. 37. *Non supplantabuntur gressus mei.* Semper autẽ apud interpretes anceps est, an eo verbo significetur aliquis pedum morbus, nimirum luxatio neruorum, aut ossium emotio, vel aliquis alius ex his qui pedes afficere solent: an lapsus tantùm & nutatio. Hinc nata translationum diuersitas. 91.

Psal. 17. Iob 12. Psalm. 37.

Et amittit pallium in die frigoris. Hæc verba, si origines consulamus, iuxta dispunctionem hodiernam cum sequentibus conferri debent: nam in fine superioris clausulę adest accẽtus Soppasuch, cuius est periodum vnam ab alia distinguere. Sed tamen pręferenda est absque dubio nostra translatio, quia similitudo amittentis pallium in die frigoris, vix sequenti sententię aptari potest, cùm in hãc mirificè quadret. Heb. *Remouẽs vestimentũ in die frigoris.* Caiet. *Parans sericũ in die frigoris.* Ex quibus autẽ originibus nõ satis calleo.

De sensu horum verborũ vna est interpretũ mẽs, 92.

solum diffidi esse potest, an denti fracto, & pedi lasso conferatur infidus socius, an potius ille ipse, qui in illo fiduciam locauit, an denique spes ipsa, aut fiducia in eodem reposita. Nam duæ similitudines præmissæ diuersis diuerso modo accommodari debent. Plures ergo dicunt, cum dente putrido, & pede lasso, aut luxato, amicum infidum componi à Salomone. Nam quemadmodum Christus amicos, & socios, oculos, ac manus, ac pedes cõpellauit Matth. 5. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proiice abs te.* Et infra, *Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te.* Marcus etiam c. 9. pedē addit. *Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum,* &c. Sic etiam Salomon hîc *dentes*, ac *pedes*, nominat. Et quidem apta est vtraque similitudo, nam primò dētium atque amicorū non dispar cōditio est. Plutarch. in Moral. *Amicū tollere est dentē excutere*, nimirū vtrūque æquè molestū ac graue existit: nã sicut dens, qui gingiuis profundè infixus est, maximo cum dolore euellitur, ita etiam amicus, qui nobis per intimã familiaritatem adhæret, dum separatur aut eripitur, ingenti nos cruciatu & dolore afficit. Salomon ergo dentem putridum appellat infidelem amicum: primò quia vti dens cùm primùm putrescere incipit, statim mouetur, & male fixus vacillat, atque adeò præproperè eximi debet, iuxta Hipocratis sententiam in libro de affectionibus. *Si corrosus fuerit dens & mouetur, illicò eximatur:* sic etiam amicus, cuius fides corrūpitur, mirabili quadam inconstantia nutat semper ac vacillat, & dentis in morem tabidi, per dies singulos dolores ingentes affert, donec tandem euellitur, & dolor cessat. De hoc ergo amico sic Salomon. *Dēs putridus, qui sperat super infideli in die angustiæ.* Quia sicut dens putridus mouetur, ita etiam infidelis amicus mobilis & inconstans est. Et quemadmodū etiam dens mobilis ac nutans, cùm durum aliquid premere, seu terere necesse est, excuti aut excidere solet: ita etiam amicus ille, cuius fides vacillat, in duris, asperisque rebus à gratia & amicitia excidere consueuit.

93. Appellatur etiam iuxta præmissam expositionem infidelis ille amicus, *pes lassus*, vel *luxatus*, ob similem rationem: quia quemadmodum eiusmodi pes ex fatigatione lassus, vel ex morbo laxus, cū cliuum aliquē, aut præruptum montem, si ascendere opus est, prorsus deficit, & fractis viribus procūbit: ita etiam amicus, qui iuxta præmissum Christi Domini testimoniū homini pro pede est, si illum infidelitas luxauit, aut dissoluit, tum cum res arduas, difficilesque nimium superare oportet, concidit statim ac proruit: id sibi vult illud. *Pes lassus qui sperat super infideli*, &c. Præpositio autem illa *super*, hanc priorem interpretationem commendat, quia perinde est ac si dicat, is cuius spes infideli amico, tamquam pedi, insistit atque innititur: pedes, cùm ægri sunt postulant discubitū & quietem, alter ex motu deficiunt, atque indies deterius habent. Monet hoc Hipocrates in libro de Chirurgiæ officina. *Conducit*, inquit, *hoc tempore* (cùm scilicet pedes malè habent) *decumbere: totum enim corporis pondus pedes vehunt.* Eadem natura amici infidelis, qui pedis adinstar ægri, in aduersis iaceat necesse est, aut ponderis impatiens procidit. Cæterùm, *pes luxatus*, vt supra dicebam, pedem significat propriè, cuius ossa aut articuli è loco suo mota sunt: & quidē pedi ad eū modū luxato insistere non licet, & sēper claudicare necesse est. Huic adsimilis est perfidus amicus, qui per gratiam non satis cū familiari suo cohæret, atque adeò illi per fiduciã insistere, & inniti non est integrum, vel, si alia desint, talē amicitiam claudicare necesse est: quia infidelium amicorum fœdera vtilitas aut voluptas semper adstringit. De eiusmodi verò amicitia sic Tullius in libro primo de Finibus. *Sunt*, inquit, *qui meritò verentur, ne si amicitiam propter vtilitatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur.* Aptè igitur Salomon, *pes*, inquit, *luxatus qui sperat super infideli in die angustiæ*: quia infidelis amicus qui gratiam voluptate aut vtilitate metitur, tamquàm pes, cuius nerui elisi aut soluti sunt, reflante fortuna, statim claudicat, & tota amicitiæ stabilitas vacillat.

Secunda interpretatio, quam Iansenius, Rodolph. & alij tuētur, his similitudinibus dentis excesi, & luxati pedis, ipsãmet fiduciã, quæ in homine perfido collocatur, adūbrari putãt: nimirum quia sicut dēs putredine arrosus fermè nutat, ac mouetur: nam gingiuis haud firmiter inhæret: ita etiam spes in perfido reposita nō est solida, sed mobilis & infirma. Quapropter sicut dēs ille, vbi durū aliquid premendū aut terendum occurrit, luxatis gingiuis protinus excutitur: ita etiam spes ista, vbi aduersi aliquid cōtingit, dissoluta amicitia actutum excidit. Itaq; spes dēti putrido, infidelis autē amicus laxis & infirmis gingiuis confertur, iuxta præmissam expositionē, quã non parū illustrat Galen. de partibus affectis, vbi gingiuas, *fideles, atque infideles*, nō semel appellat, fideles autem dicit eas, quæ solidè dētes cōtinent, infideles verò eas, quæ laxæ cùm sint, & decarnatæ, dentes facilè abiiciunt. Quē loquendi modū habes apud Isaiam 22. *Figã illū paxillū in loco fideli.* Et infra. *Et auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli*, id est, pariete firmo, ac solido, qui defixum clauum non facile abiicit. 94.

Pedi etiam lasso, aut laxo, confertur spes illa *infirma*: quia quemadmodū si corpus pedi luxato incūbit, aut insistit, statim procūbit ac concidit, ita etiam quidquid huic imbecilli admodum spei imponitur, protinus corruit: & quidē pes rectus, erectus, ac robustus spei firmitatē & constantiã notat. Sic Chrysost. in Psalm. 25. ad illa verba. *Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine*, vbi inter alia sic ferit. *Pes vester, id est, spes vestra non extollatur in prosperis, & in aduersis non deiiciatur, sed clamate cū Propheta dicentes, Pes meus stetit in rectitudine, id est, rectus constitit, nec vnquam imposito onere claudicauit.* Aptè igitur Salomon, *Pes laxus qui sperat super infideli in die angustiæ*, quia nimirum spes illius adinstar obtinet pedis luxati, atque adeo aduersitatis onus illum protinus opprimit, aut claudicantem reddit.

Aliter etiam vtraque ista similitudo cum spe, quæ in amico parum fideli ponitur, componi potest. Ergo per lassum pedem eum intellige qui ex nimia fatigatione lassescit: id enim verba Vulgata sonare videntur. De putrido autem dente aliquid etiam concipe: scilicet dentes tunc maximè putredine exedi consueuisse, cùm otiosi sunt, & cibos non terunt. Hinc fit, Galeno auctore in lib. de partibus, vt in his, qui alteri mandibulæ cibos terendos semper mandant, dū quæ ex aduerso est, otiosa manet, molares dentes ocyus tabescant, & putrefiant. Denique per *angustiam*, in hoc loco paupertatē aut penuriam accipe, hæc enim angustiæ significatio valde familiaris est scripturæ sacræ. Nec desunt etiam qui in hoc loco ita verterint. *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die penuria.* His autem positis mēs Salomonis sic habet. Qui in paupertatis angustias redactus, auxilium, & opem ab infideli amico sibi exhibendam sperat, hic sanè frustrà sperat, quia quemadmodū dens inedia putrescit, & correptionem contrahit, sic etiam ipse inedia contabescet. Aut certè *dens putridus* dicitur, accepto singulari numero pro plurali: id est, dentes putridi, quia nimirum dentes eius nihil ciborum mandentes, aut terentes, putredine exeduntur, & *pes lassus*, id est, *lassi pedes*, quia dū sæpe ac sæpius amicum 95.

amicum adit ad flagitandam illius opem, pedes lassescunt, ac deficiunt. Quasi dicat: vir inops ab eiusmodi amico nunquam obtinebit cibum, quo tenuitatem suam subleuare possit, ac demum dilata ope lassus ac fatigatus ab spe excidit. Vel aliter, spes ipsa viri tenuis in perfido amico locata, *dens putridus*, aut *pes lassus* esse dicitur, quia veluti dens nihil cibi carpens putrescit, postquã verò putrediné cõtraxit citiùs excidit: ita etiã spes hominis ad angustias redacti, dũ ab amico infideli nihil obtinet, tabescit, ac demum spõte sua ruit: & sicuti pes longo tempore stare non valẽs lassescit tandem ac deficit: ita etiam spes in perfido posita dum differtur nimium ac trahitur, tandiu perstare non potens, quasi ex nimia lassitudine corruit.

96. Sed licet hæc non ineptè dicta sint, tamen, ni fallor, alia est Salomonis germana sententia. Præmittere autem oportet, dentibus putridis ac luxatis pedibus id maximè proprium esse, vt temporum differẽtias in se exprimant: nam sereno, & candido cælo valent, cùm autem tempestas verti, & cælum nubibus obduci incipit, tunc quidem dolere solent, adeò vt hi, qui denté exesũ, aut pedé contusum, seu languidũ habent, ex horũ valetudine, certissimo quodam præsagio pluuias, & nimbos pridie, aliquando etiam longius coniicere ac diuinare soleant, quod quia experientia ipsa compertum est, probatione non indiget: inde autem sensus elicitur facilis, si per dentem putridum, & pedem lassum, infidelem amicum accipiamus: sicut enim eiusmodi pes vel dens nubilo tempore dolent, atque alter ad ambulandum, alius verò ad cibos terendos ineptus redditur, ita etiam infidus sodalis reflante fortuna, & aduerso tempore deficit, & amicum deserit. Huc spectat illud peruulgatum.

Cum fueris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Cæterum quamuis hæc interpretatio apposita sit, tamen aliquid vlterius desideratur. Dico ergo dentem putridum, & pedem lassum, aut laxum in hoc loco non amicum infidelem, non spem ipsam infirmam, & vacillantem notare, sed eum potius, qui tali amico cõfidenter vtitur, tum quia ita suadet ipse textus, sic enim habes. *Dẽs putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ*, & quæ huic adnectitur clausula, id etiam conficit. *Et qui amittit pallium in die frigoris*. (Nã cùm posterioré similitudinem amittentis palliũ illi in recto adscribere necessũ sit, qui amico vtitur infideli, idé iudiciũ ferendum est de duabus prioribus) tum etiã quia illustrior euadit sententia. Salom. ergo sic ait. *Dens putridus, & pes lassus*, &c. scilicet qui in perfidum amicum spem suam contulit, denti putrido & pedi lasso, aut languido adsimilis est: nam sicut eiusmodi dens atque pes, cælo sereno bene habent, nubilo autem cælo dolent maximè ac languescunt: ita etiam ille, cùm prospera adflat fortuna, amico suo iucundè fruitur, gaudet, ac validus est: cùm verò eadem reflat, & serenitas in nubilum vertitur, amico fugiente dolet plurimùm & angitur.

Vtramque expositionem commendat obseruatiuncula non insulsa noui auctoris, qui notat aduersam fortunam, *diem angustiæ* appellari. In Primitiuis enim pro *angustia*, subest צרה *Tsara*, quæ vox si referatur ad radicem צרר *Tsarar*, nubium conglobationem sonat. Itaque, *dies angustiæ*, in hoc loco perinde est ac dies nubilus: & sanè vix aliquid occurrit quod fortunæ commutationes melius adumbret, quàm cæli facies, cùm solita vicissitudine ex serena in nubilam, & ex candida in atram demutatur. Quemadmodum ergo omnes has temporum varietates affecta & languida membra, vt pote *dens putridus & pes lassus*, excipere, & earum vicissitudinem sequi solent, sic etiam amici, cùm familiaritas non satis valens ac firma est.

97. Vel si placet, licebit etiam duas illas similitudines inter vtrumque partiri, ita nimirũ vt *dens putridus* is dicatur, qui in perfidum amicum spé coniicit, *pes* autem *lassus*, perfidus ipse atque inconstans amicus: accommodationes verò ex superioribus peti possunt. Subdit Salomon.

98. *Et qui amittit pallium in die frigoris*. Huius similitudinis vis atque energia perspicua est, interpretes quidem per *diem frigoris*, aduersam etiam fortunã intelligunt. Cæterùm his non satis acquiesco, malim enim odiũ aut simultaté aliquã inter amicos subortã per frigus notari, nã hæc frigoris significatio celebris est. Sicut enim calor amorem, ita etiam frigus, & glacies odiũ adsignificat. Hinc est illud Christi Domini, *Refrigescet charitas multorũ*. Matth. 24. Illi ergo, qui frigoris nomine aduersam fortunã capiunt, præmissam similitudiné sic accõmodant. Qui in amico infideli spé reponit, similis est viatori, qui cùm lacernã bonã ad pluuias & frigora arcenda secũ domo exportasset, eam quidé in die illa, in qua maximè frigus vrgebat, amisit, atque adeò frigoris vim, detecto corpore, excipere coactus fuit. Simili ratione in aduersa fortuna infidelis ille amicus eum deserit, qui in illũ spé cõiecerat suam, tunc cùm maximè fortunæ iniurias & incõmoda ab eodé depellere debuisset. Translatio auté Caiet. lepida est ad hanc sententiã. *Parans sericum in die frigoris*, id est, eiusmodi homo qui amico vtitur infideli, perinde facit, ac si vesté sericã & prætenué in dié frigoris cõparasset: nã velut hæc vestis frigoris inclemẽtiã arcere nõ potest, sic etiã infidelis socius incidentes calamitates, & molestias depellere non valet.

99. Sed tamé cùm duo sint, quæ infideles amicos dissociate, & amicitiã eorũ parum solidam dirimere soleant, scilicet alterius infœlicitas, atque incidens temerè simultas, vel oborta discordia, vtrumque, mea quidé sententia, cõplexus est Salomon hoc versu: nã per *diem angustiæ*, aduersam fortunã innuere voluit: per *diem* verò *frigoris*, discordiã aut simultatem. Ex eo auté in vtraque huius sentẽtiæ parte *diem* vsurpauit, vt significaret amicitiam, quæ cum infideli socio copulatur, adeo infirmã esse & imbecillé, vt illam vna tantũ infœlicitatis, vel discordiæ dies omnino distrahere possit. Sẽsus ergo posterioris hemistychii sic habet. *Et qui amittit palliũ in die frigoris*, id est, qui amicũ perfidum sortitus est, oborta simultate aliqua ex his, quæ inter amicos euenire solent, similis est ei, qui in die frigoris pallium amisit, quia sicut is iniurias tẽporis absque aliquo integumento sustinere cogitur: sic etiam illũ à perfido amico multa perpeti necessum est, quæ refrigescente charitate in ipsum effundet, ita vt illa nulla industria arcere possit, quia nimirum illum sine pallio, hoc est detectum, & apertum frigus inuasit, quippe qui animum suum nudauerat amico suo, & omnia arcana atque secreta ei patefecerat, atque adeo eiusdem iniuriis & probris maximè expositus est.

100. Quod si cũ aliis velis eum, *qui pallium amisit*, non illi adsimilé esse, qui confidit in perfido socio, sed ipsimet infideli amico, vt cohæreat hæc pars cũ superiori, iuxta magis cõmunem illius interpretationé, sensus idem euadere poterit. Quasi dicat, perfidus ille socius eum imitatur, qui pallium amittit in die frigoris: nam sicuti hominem istum detecto corpore iniurias temporis excipientem plurimum frigescere, ac rigere necessum est, ita etiam socius ille parum fidelis subeunte quarumlibet discordiarum ac simultatum rigore, pulsoque amoris, & beneuolentiæ calore, ab odii atque inimicitiæ frigore congelari opus est: vtpote qui caret pallio, id est tolerantia & sufferentia, quæ amicitiam colentibus pernecessaria est: sicut enim pallium temporis iniurias & inclemen-

tias arcet, sic etiam hæc tolerantia amicorum tam iniurias, quàm asperitates, quæ inter familiares etiam euenire solent, depellit. Cùm ergo eiusmodi careat pallio infidelis amicus, vel leuiter læsus, ac violatus, odio plurimum frigescit. Huic interpretationi inseruit lectio originalis, quæ verbum ex verbo sic reddit. *Remouens pallium*, aut, *vestimentum in die frigoris*, quæ verba in simulatum amicum optimè quadrant, qui oborta discordiæ aut simultatis causa, ea, quæ odij atque inimicitiæ frigus excutere possint, detrectat omnino, ac refutat, scilicet rationes omnes, quæ amicitiam suadere, & quidquid beneuolentiam commẽdare, fouere, ac defendere possit, prorsus excludit. Denique non ineptè ad hanc interpretationem vocatur Caietani lectio. *Parans sericum in die frigoris*, talis enim est simulatus amicus, qui quemadmodum serico gracili ac tenui vestitus, frigus, & alias temporis iniurias depellere non potest: sic ille quascunque simultatum atque discordiæ causas arcere non valet, quominus ab odii frigore animus illius rigescat.

101. Ad extremum de translatione LXX. aliquid subiicere libet. *Dẽs mali, & pes iniqui peribit in die mala*, quæ verba ad superiores expositiones facilè allici possunt, nam *dens mali, & pes iniqui*, dentem malum, & pedem iniquum sonant: *dens* autem *malus*, vt supra dicebam, perinde est ac *dens putridus*: cùm verò pedem iniquum audis, Græc. παράνομοι, puta vocem hanc non ad morum improbitatem referendam esse, sed ad ægritudinem, ita vt *pes iniquus*, perinde sit, ac pes inæqualis, inæqualitas verò claudum pedem reddit, atque adeò sensus est. *Dens putridus & pes claudus*, verba autem sequentia, *in die mala peribit*, ad superiores interpretationes facilè vocari possunt. Quod si aliter legas, vt in Vaticano exemplari habetur, *via mali, & pes iniqui in die mala peribit*, alium ad sensum transferendus est locus iste. Puta autem vocem illam שן *Seen*, quæ hîc subest, & pro qua noster Vulgatus, & alii interpretes, *dentem* restituerunt, non dentem solùm, sed rupem etiam excelsam, & præaltam significare, atque adeò fieri potuit vt Septuaginta interpretes hanc comparationem sic effixerint: sicut pes claudus ineptus est ad rupem excelsam conscendendam, ac propterea verterint, *via mali*, id est, via mala, aspera videlicet ac difficilis, & *pes iniqui*, id est, pes iniquus, inæqualis scilicet, ac claudus. Quasi dicant, veluti claudus per cliuum scopulosum, aut per scopulum accliuem, sic amicus infidelis in die angustiæ *peribit*, id est deficiet. Sensus autem est: quemadmodum pes claudus per excelsam & incomptam rupem viam regens deficit, & vltra conscendere non valet, ita etiam infidelis amicus tempore aduersitatis, cùm arduum aliquid ac difficile superare opus est, veluti pes elisus, concidit. Quæ similitudo inter alias supra adscriptas non infimum locum habere debet.

20. *Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo.*

102. ACetum, &c. Hebræus codex, quemadmodum hodie dispunctus est, extremam superioris sententiæ partem hunc ad versum euocat, sic enim habet. *Remoues vestimentum in die frigoris, acetum super nitrum & cantans in canticis super corde mali.* Sed tamen, vt iam inde supra animaduerti, lectio ista refutanda est, & cum Hieronymo sentiendum, qui eam comparationem amittentis pallium in die frigoris superiori sententiæ adnexuit. Ergo ab illius verbis exorsi, *Acetum in nitro*, &c. Caietanus sic vertit. *Acetum super saponem.* Chaldæus longè aliter. *Sicut qui proiicit acetum super nitrum, ita probat corda dolor.* LXX. *Sicut acetum trahit inutile, sic accidens passio in corpore cor contristat.* Symmach. proximè ad Hieron. accedit. *Sicut acetum in nitro, qui cantat in canticis ad cor triste.* Hanc translationum dissimilitudinem peperit primum vox נתר *Nether*, nam quidam vocem hanc deriuant ex radice יתר *Nathar*, id est, *abundauit*, sed perperam: quid enim nitro cum abundantia? Alij ergo melius petunt ex נתר *Nathar*, id est, *traxit, expressit*: & apud LXX. *stillauit, defluxit*, quia nitrum quædam terræ expressio aut defluuium est, vt postea dicemus. Occurrit hæc vox iterum Ieremiæ 2. *Si laueris te nitro*, vbi etiam LXX. nitrum conuertunt. Sed cur hîc aliter restituerint non facile est constituere: sic enim habent. *Acetum trahit inutile.* Quidam putant vocem illam, *inutile*, positam pro *nitro*, & Martinus noster rationem huius translationis nequaquam se assequi ingenuè fatetur. Mihi verò aliquid occurrit, censuræ tamen aliorum stabo: existimo ergo LXX. qui puncta seu apices literarũ Hebræarum non agnouerunt, vt sæpe aliàs docui, hoc in loco non quidem נתר *Nether*, nomen, i. *nitrum*, sed נתר *Nathar*, ipsam verbi radicem accepisse. Quapropter verbum verbo respondere puto, *Nathar*, scilicet verbo *trahit*, vel *exprimit*, hanc enim esse illius radicis vim iam præmonui. Cúmque oratio illa imperfecta videretur, ipsimet LXX. de more suo compleuerunt eo modo. *Acetum trahit*, aut, *exprimit inutile.* Existimo autem his verbis significari propriam quandam aceti proprietatem, quod in tellurem effusum latentes sordes ac fæces in superficiem trahat. De qua aceti vi nonnihil postea subiiciemus. Hierem. 2.

Rursus quid, inquies in causa est, quod in sequenti hemistychio alij, *carmina*, alij *accidentes passiones*, reddiderint? Dicẽdũ est in Primitiuis esse שרבשרים. i. *Sarbasirim, carmen cum carminibus*, carmen autem in scriptura non cantica solùm iucunda, & læta, sed etiam tristia, & lugubria significat, Ezech. 2. *Lamentationes, & carmen, & va*, & cap. 27. *Assument super te carmen lugubre*, & 32. *Fili hominis cane carmen lugubre*, &c. LXX. ergo qui hîc passionem restituunt, nomine carminis lugubre aliquid notari existimarunt, vel certè non שר, sed צר i. *angustiam*, aut, *dolorem*, legendum putarunt, nam duarum literarum ש & צ frequens permutatio est, vt aliàs non semel obseruaui. Hæc de variis huius loci translationibus. 103. Ezech. 2. 27. 32.

Iam nunc decernere oportet, quod *nitrum*, quemve vsum habeat nitri & aceti permixtio. De nitri natura & proprietatibus disseruit Georgius Agricola de re metallica lib. 12. vbi nitri conficiendi modos omnes cogit. *Nitrum*, inquit, *fieri solet vel ex aqua nitrosa, vel ex diluto, vel ex lixiuio. Aqua etiam Nili in nitrarias deriuata; & eodem ardore solis decocta, vertitur in nitrum. At dilutum, ex quo conficitur nitrum, fit ex aquis dulcibus terra nitrosa percolatis.* Deinde verò subiicit modum quo ex nitro fit chrysocolla, *Decoctũ nitrum* (inquit) *infunditur in cuppas, in quibus sunt fila anea, quibus adhærescit & fit chrysocolla.* Dicitur autẽ chrysocolla eiusmodi nitrũ, quia eo interfuso, aurum auro, & argentũ argento copulatur. Huius verò nitri alter vsus est ad maculas eluendas, nam ex illo lixiuium, & ex lixiuio etiam nitrum conficitur, vt ex verbis Georgij suprà adscriptis constat. Hoc verò lixiuium nitro confectum fœminæ olim adhibebant, vt cæsariem flauam, & auream redderent. Hinc nata paræmia illa Vulgaris, *Caput asini ne laues nitro*, id est, ne sumptus aut laborem nimium in rem inutilem impendas. Hodie etiam præcipuus nitri vsus ad puluerem tormentarium compingendum; *in medicinis verò*, verba sunt Plinii l. 31. c. 10. *calfacit, extenuat, mordet, spissat, & exulcerat.* 104. Georg. Ag. Plin.

De nitri autem acetique mixtione aliquid etiam præmittendum est, illud verò obseruatione dignum, 105.

vocem

vocem חמץ *Chometh*, quæ hîc subest, non acetũ mo-
dò, sed etiam fermentum significare, atque adeò conuerti posse. *Fermentum in nitro*, &c. quid verò fermentum in nitro possit, docet Plin. supra, *In nitro*, inquit, *optimum quod tenuissimum, & ideo spuma melior.* Et infra. *Spumam nitro, quæ maximè laudatur, antiqui negabant fieri, nisi cùm ros cecidisset prægnantibus nitrariis. Alij verò opertum fermento gigni existimauere.* sic lego, non *operimentum*, vt mendosi codices habent. Itaque fermentum vi sua spumam nitri exprimit, quæ est nitri maximè acris & austera pars, adeò vt detracta & expressa eiusmodi spuma quod reliquum sit nitri, acrimonia prorsus careat. Sed de aceto dicamus.

Primò acetum in terram nitrosam effusum nitrum confestim exprimit, & foras trahit: id quidem egomet experientia comperi, & ex Plinio etiam colligitur loco citato.

Aristot. Secundò Aristoteles Meteor. lib. 4. c. 6. docet nitrum oleo nequaquam solui aut dilui, aqua verò & quolibet humore algido facilè solui. Docet autem *Galen.* Galen. lib. 3. de medic. comp. nullo liquore citiùs solui, quàm acri vino, seu aceto.

Tertiò nitrum aceto infuso, calcis in morem viuæ, *Beda.* efferuescit, & exæstuat. Beda in hunc locum. *Acetũ*, inquit, *si mittatur in nitrum, efferuescit nitrum protinus atque ebullit, & calcis in modum viuæ crepitat.*

106. *Plin.* Quartò acetum non solùm nitrum soluit, ac diluit, sed etiam acrimoniam illius temperat. Plin. supra. *Quidam*, inquit, *in hoc vsu accensum vino austero restinguũt, atque ita trito in balneis vtuntur.* Quemadmodũ autem acetum nitro infusum eius vim & acrimoniam mitigat, ita vicissim nitrum in acetum missum ipsius aceti austeritatem demulcet: atque adeò sicut medici cùm nitrum adhibent, illud aceto restinguũt, ita etiam cùm acetum infundunt, illius acrimoniam nitro macerant. Hinc alius istius mixtionis vsus, nam acetum pulueri tormentario infusum, illius celerem vim retardat.

Quintò cùm nitrum acetũque permixta alterũ alterius acrimoniam hebetet, tamen quod ad vim purgatiuam attinet, sese inuicem iuuant plurimum; nam cùm vtrumque purgandi ac detergendi facultate preditum sit, alterũ vtique alterius vim exacuit, adeò vt metallorum rubiginem aut æruginem hæc permixtio facilè detergat, eamque hodie aurifices ad eluendas auri & argenti sordes adhibere solitos compertum est.

107. *Dioscor.* Sextò in medicinis plurimus istius mixtionis vsus. Primò Dioscor. lib. 5. cap. 86. ita scribit. *Nitrum purulentas aures & sonitus earum sanat, sordes expurgat cum*
Galen. *aceto instillatum.* Idem docet Galen. in lib. 3. de com-
Plinius. positione medicam. Plinius etiam lib. 31. c. 10. *Auribus purulentis vino liquatum infunditur, sordes eiusdem partis erodit ex aceto, sonitus & tinnitus discutit, si cui additum.* Secundò vitiligines curat. Plin. ibidẽ. *Nitrũ vitiligines albas ex aceto in sole illitum emendat.* Dicuntur autẽ *vitiligines maculæ extensæ per totum corpus respersæ, quæ etsi nullum homini periculum creent, tamen*
Celsus. *deformes admodum ac turpes sunt.* Verba sunt Celsi. Tertiò serpentum puncturis, & aliis etiam vlceribus, quęcunque serpunt, occurrit. Plin. *Serpentum*, inquit, *morsibus, phagadenis* (sic appellantur vlcera carnes celeriter depascentia) *& aliis vlceribus, quæ serpunt aut putrescunt, ex aceto illitum aduersatur.* Quartò lassitudines membrorum depellit. Plin. *Reficit lassitudines cum oleo ex aceto perunctorum.* Quintò ictericos sanat,
Plin. Plin. *Comprimit & pruritus suffusorum felle, maximè cum aceto datum.*

108. His prælibatis facilè admodùm est verba Salomonis diuersis interpretationibus donare. Ex multis aliquas perstringam, & lectori alias atque alias adin-

A uueniendi relinquam locum. Cogita igitur, *carmina* in hoc loco vocem esse valdè ancipitem apud interpretes. Beda per *carmina*, increpationes & correptiones motũ in lenitate adhibitas notari voluit, qui etiã, per *cor pessimũ*, cor intelligit prauum, & ad scelera propẽsum. Caiet. nomine *carminum*, verba consolatoria accipi debere existimat, & idem per *cor pessimum*, cor triste intelligendum putat. Rodolphus & Iansenius musicam, & concentum suauem significari volunt, & sub his prædicationẽ, aut scripturæ sacra eloquia. Denique plures sunt, qui per *carmina*, lugubre aliquid notari existimantes, iuxta ea quæ nuper dicebamus, vt aceti austeritas insinuetur, correptiones peraces & seueras adhortationes, aut verba luctifica, &
B lacrymas suadentia, significari docent. Multos facio LXX. qui non carmina, sed internam aliquam passionem, seu angorem animi conuertunt. De his enim posteà dicemus. Iam vides quantam & quam vberem sententiarum segetem hæc verba parturiant. Nam si iuxta omnes prædictas carminum acceptiones, & diuersas nitri aceto perfusi facultates, ac virtutes versemur, vix aliquis expositionum excitandarum finis erit. Sed ex omnibus paucas seligam, quæ mihi magis accommodatæ visæ fuerint.

Prima interpretatio est Caietani, qui aliquid sua 109.
obseruatione se comperisse dicit, nitrũ scilicet, quod *Caiet.*
natura sua ad vestes eluendas idoneum est, aceto infuso non tam eluere ac mundare, quàm maculis re-
C spergere, quæ vix postea elui possint. atque adeò sic locum edisserit. Quemadmodum acetum nitro infusum non eluit, sed inficit laneas, aut lineas vestes; sic etiam carmina, id est, consolationes importunæ, cùm cordi mœrenti, aut dolenti adhibentur, tristitiæ sordes non emundant, sed augent: nam etsi carmina & consolationes, nitri in morem, ad detergendas animi fæces, id est, quæ ex tristitia fluunt passiones, per se valerent, tamen si in animum valdè amarum incidãt, ipsa mœroris amaritudo & acerbitas, aceti in morem, efficit, ne per illas animus eluatur, sed magis ac magis sordescat. Itaque iuxta hanc interpretationem, *nitrũ* consolationes significat, *acetum* verò animi angorem & mœrorem, suadetque Salomon consolationes
D tunc intempestiuæ, & sine emolumento adhiberi, cùm animus nimis amarus est, atque adeò expectandam semper consolatori opportunitatem, vt aliàs non semel diximus; atque adeo concinit hæc sententia cum illa Ecclesiast. 22. *Musica in luctu importuna* *Eccles. 22.*
narratio.

Secunda interpretatio est Valesij de Sacra Philo- 110.
sophia cap. 60. qui loci huius sensum ex Medicina *Vales.*
petiuit; nam postquam præmisit aurium sordes & purulentiam nitro in acetum infuso expurgari, & earumdem tinnitus sonitusque sanari, vt ex Galeno, Dioscoride, ac Plinio supra decreuimus, sic statim attexit. Quemadmodum nitrum cum aceto instillatum in aures, earum sordes eluit, & tinnitus sanat: ita ex-
E hortationes sanctæ sæpius auribus instillatæ, sordes animi eluunt, & eius perturbationes, quæ velut tinnitus quidam aurium, veritatem audire prohibent, sanant prorsus. Et quemadmodum etiam nitrum acrimoniã suã exulcerata mordet, ita etiam sanctæ illæ adhortationes mordent quidem aures, & non sine ingenti molestia ab ægris animis excipiuntur donec sanantur vlcera, & obducta cute occallescunt. Hæc ille non ineleganter. Sed quandoquidem ex medicina lux Salomoni afferenda esset, si alias huius facultatis obseruationes supra adscriptas huc accersamus, aliquid etiam boni sensus præbebunt ad eam quam significari diximus morum correptionem austeram accommodatæ.

Nam primò nitrum infuso aceto vitiligines, ma- 111.
culas

culas scilicet externas, corpus non parum deturpantes præsentissimè sanat. Correptio etiam tùm maximè locum habet, cùm delicta sunt externa, & publica, & scandalum proximis præbentia. Ad hæc nitrum aceto maceratum *Phagedenis* & aliis vlceribus, quæ serpunt, adhiberi solet. Eadem correptionis ratio est; nam tunc maximè increpanda sunt delicta cùm in futurum pendent, & velut vlcera serpentia in deterius abitura in dies sperantur.

Rursus acetum nitrumque ictericos mixta sanant. Icterici autem sunt hi, quibus fel intimum è vase naturali effusum ad externam cutem fluit: atque his adsimiles sunt, qui iras & intestina odia non cohibent penitus, sed foras in proximos effundunt, & publicas inimicitias gerunt: quos etiam quia scandalo aliis sunt, serio corripere, & seueris increpationibus coërcere necesse est. Quid plura? nitrum aceto immersum lassa & deficientia membra reficit & valetudini restituit: similis adhortationi & correptioni vis est; nam sæpe eos qui lassi iam deficiunt, ad laborem instauratis viribus exacuit. Quod si hæc non placeant, huius medicamenti dissimiles curationes alio modo versare; & alias tu te tibi interpretationes fingere poteris.

112. Tertia expositio est Bedæ, Hugonis, & aliorum, quam ex tertia nitri in acetum missi proprietate petunt. Beda enim sic habet. *Acetum si in nitrum effundatur, efferuescit nitrum protinus, & ebullit; sic & peruersa mens quando per increpationem corripitur, aut ei per prædicationis dulcedinem bona suadentes. De correptione enim fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem succenditur, vnde debuit ab iniquitate compesci.* Quæ verba petita sunt ex Greg. Magno in cap. 3. Ezech. Hugo autem sic addit, *Efferuescit atque ebullit irascendo, crepitat murmurando.* Hæc illi de corde prauo. Si verò per *cor pessimum* cor triste ac mœrens accipiamus, non insulsa euadet sententia ab eadem similitudine petita: sicut nitrum in acetum missum efferuescit ac crepitat: ita etiam verba, nitri in morem, austera, si in animum tristitiæ acerbitate amarum incidant, tum certè non corrigunt aut emendant, sed magis ac magis lacessunt, & ad iram & indignationẽ maximam prouocant. Itaque sententiæ scopus erit, austera documenta nimium mœstis ac tristibus animis instillanda non esse, quia hæc in tristitiam, velut in acetum, immissa, iræ feruorem, & obtrectationis crepitum mouent.

113. Huic adsimilis est quarta expositio ex secunda nitri aceto permixti proprietate deprompta: nam vt ex Aristotele ibi obseruatum est, nitrum oleo infusum non illiquatur aut diluitur, aceto verò immersum breuissimè soluitur. Puta ergo acetum, vt res ipsa postulat, acerbam morum correptionem denotare. Nam illud prouerbij loco circumfertur *aceto perfundere*, id est, aliquem seuerius obiurgare. Hinc Plautus in Bacchide, vt patrem ad filium corripiendum pædagogus exacuat, sic addit. *Nunc experiar sitne aceto tibi cor acre in pectore.* Et iterum in Pseudolo. *Ecquid habet hic homo aceti in pectore?* Horat. 1. Serm.

At Græcus postquam Italo perfusus aceto.

Quibus accinit etiam Persius.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

Mitto alia. Ait igitur Salomon. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.* Per *carmina* seueram increpationem, aut amaram orationem intelligo, iuxta ea quæ nuper dicebam. Itaque sensus est; Vir prauus non leni & suaui oratione, sed acri & acerba correptione opus habet; nam suauis ac mollis oratio, olei in morem ipsi instillata, ipsius proteruiam & animi duritiam soluere & eliquare non valet. At verò seria & seuera morum obiurgatio, aceti in modum, sua acerbitate eiusdem duritiam emollit, ac diluit, & ad virtutem, ac pietatem facilè transfert.

Quod si per *cor pessimum* intelligamus cor mœstum, ac triste, alia erit huius sententiæ energia. *Acetum in nitro*, &c. quasi dicat: Cor triste, nitri in morẽ, non est imbuendum aceto, nam quemadmodum acetum in nitrum decidens, illud quam primùm soluit, ac diluit; ita etiam amara acerbaque obiurgatio, si in cor, alioqui mœstum ac triste, effundatur, protinus illud dissoluit. Quapropter mœstis ac dolentibus animis non acetum amaræ correptionis, sed oleum blandæ admonitionis instillandum est, quia sicut oleum nitro inspersum non illud diluit, sed potius continet ac conseruat; ita etiam blanda admonitio aut consolatio, cor triste reficit atque oblectat. Qualis autem oratio haberi debeat ad tristes, eleganter docet Diuus Gregor. Pastoral. curæ lib. 3. adm. 4. *Aliter*, inquit, *admonendi sunt læti, aliter verò tristes, lætis videlicet inferenda sunt tristia & amara, quæ sequuntur ex supplicio, tristibus verò inferenda sunt læta, quæ promittuntur ex regno. Discant læti ex minarum acerbitate quod timeant, audiant tristes præmiorũ gaudia, de quibus præsumant.* Quasi dicat, illis acetum, his oleum infundendum est. Rationem verò proximè attingit his verbis. *Habent enim læti ex propinquo luxuriam, tristes iram.* Quasi dicat, tristes si minarum & acerbæ obiurgationis aceto infundantur, ad indignationem concitantur, quæ tristitiæ valdè affinis est.

Quinta interpretatio desumenda est ex quarta nitri aceto perfusi proprietate, constat enim ex supradictis nitrum aceto macerari, & suam austeritatem abiicere, nec non aceti acerbitatem nitro emendari, ac temperari. Puta ergo per *carmina corde pessimo decantanda*, lenem ac minimè seueram correptionem notari, vt sentit Hugo. Tunc autem correptio leniri dicitur, cùm obiurgatio, quæ per se austera est, verborum lenociniis, vrbanitate, salibus, & gratia obiurgantis demulcetur. Ait ergo Salomon. *Acetum in nitro*, &c. id est, sicut aceti acrimonia refuso nitro obtundi solet, sic etiam seueritas & asperitas correptionis, sale & gratia obiurgantis temperari cõsueuit. Hac ergo correptione ad modũ verborum blanditiis temperata vti debet, quisquis pessimum hominem commonefacere volet. Id suadet Salomon cùm ait. *Acetũ in nitro qui cantat carmina cordi pessimo* i. qui seueram praui hominis correptionem sic temperat, quasi cantionis cuiuspiam modulis illam inuoluat, qui scilicet monita austera sic infert, vt non fremere ex ira, sed quasi ex voluptate cantare videatur, similis est ei, qui aceti acerbitatem nitro infuso coërcet. Iuxta quam interpretationem nomine aceti acerbitas correptionis notatur: per nitrũ autẽ lepida, gratiosa, atque salsa verba intelliguntur, quemadmodũ etiam per sal. (nã nitrum, teste Plinio supra, salis quædam species est.) Puta ergo per *cor pessimum* cor significari ad iracundiã procliue: nam vox Originalis רע *Rangh*, quæ hîc subest, sæpè aliàs iracundum significat in scriptura: euaditque non insulsa interpretatio. *Acetum in nitro, qui cãtat carmina cordi pessimo.* i. qui hominis iracũdia perciti atque furentis, acerbitatem, lepidis, ac gratiosis verbis eludit, ac temperat (hæc enim carmina valdè appositè dicuntur) similis est ei qui aceti austerum saporem nitri aut salis adspersione demulcet. Et quidem subitos furentium impetus lepidis verbis optimè mitigari docet Nazianzenus in poëmate de ira.

Ira torridum iocis pete:

Aduersus iram nam ioco nihil fortius, &c.

Quod si dicas, nitrum è conuerso aceto infuso restingui, atq; illius acrimoniã hebetari: tunc quidẽ per *cor pessimum*, cor tristitia atque mœrore oppressum, 116.

per

per *carmina* etiam lugubrem ac flebilem orationem A capere oportet:nam,vt ſupra obſeruabam, *carmen* in ſacris litteris non ſemel lugubre aliquid ſonat. Itaque ſententia hæc continet alterum documentum, quod
Rom. 11. Paulus habet ad Romanos 11. *Flere cum flentibus*, quaſi dicat: *Acetum in nitro qui cantat carmina cordi peſſimo.* id eſt, quemadmodum acetum in nitrum effuſum ipſius nitri auſteritatem retundit, ita etiam nihil eſt quod luctuoſi hominis angorem æquè demulceat, ac deliniat, ſicut conſolatoris lacrymæ ac fletus. Audi
Gregor. Gregorium lib. 3. Moral. cap. 10. *Ordo*, inquit, *conſolationis eſt, vt, cùm volumus afflictum quempiam à mœrore ſuſpendere, ſtudeamus prius mœrendo eius luctui concordare: dolentem namque non poteſt conſolari qui non concordat dolori, quia eo ipſo quod à mœrentis afflictione diſ-* B *crepat, minus ab illo recipitur, à quo mentis qualitate ſeparatur. Sed emolliri debet animus prius, vt afflictio congruat, congruens inhæreat, inhærens trahat. Neque enim ferrum ferro coniungitur, ſi non vtrumque exuſtione ignis liquetur*, &c.

117. Sexta interpretatio ex quinta nitri acetique permixti proprietate ſupra adſcripta depromenda eſt, quia nimirum hæc ſe inuicem iuuant, & vim purgatiuam exacuunt, adeò vt metallorum æruginem facilè detergant, & vaſa vel aurea, vel argentea ſplendori reſtituant. Ergo per *carmina* ſeueram morum correptionem, & per *cor peſſimũ* prauum & flagitioſum accipe: tunc ſic locum ediſſere. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo*, id eſt, quemadmodum ace- C tum nitrumque permixta & confuſa, ſordes, quæ metallis etiam duriſſimis adhæreſcunt, vi ſua emaculant & detergunt, ita etiam ſeuera obiurgatio & increpatio doctoris proteruiſſimorum hominum delicta expurgat, & illos ad honeſtatem pietatemque traducit. Et quidem duo ſunt quæ vulgò circumferuntur, & adagiorum locum habent. *Aceto perfundere*, & *ſale defricare*, quæ per ſe ſingula ad ſignificandam ſeueram, & auſteram morum obiurgationem aſſumi ſolent: vtrumque verò copulat Salomon in hoc loco, acetum ſcilicet, ac nitrum, ſeu ſal (nam ſalis ac nitri vicina valdè natura eſt & proprietates conſimiles) Et quidem, ni fallor, ad hanc expurgandorum metallorum vim, quâ pollent acetum nitrumque permixta, D reſpexit Chaldæus Paraph. qui locum iſtum ſic extulit. *Sicut qui acetum in nitrum proijcit, ita probat cor dolor, ſicut argenteum vas.* Verbum illud *probat*, non ſignificat hic, vt ſæpè aliàs, conflationem igneam, ſed purgationem: nam argentum cùm ſordidum eſt ac rubigine obſitum, vix argenti ſpeciem retinet. Itaque ſenſus eſt. ſicut nitrum aceto dilutum argenteum eſſe demonſtrat, quod argenti ſpeciem amiſerat: ad eundem modum dolor, & labor, viri probitatem & honeſtatem, quæ otio atque indolentia multas vitiorum ſordes contrahere ſolet, velut argenteum vas deterſa rubigine ſplendori ac nitori ſuo reddit. Id ergo quod Chaldæus de dolore, atque labore, Vulgatus noſter de auſtera, atque ſeuera morum correptione E ſatis aptè pronuntiant, eiuſque vim ad extergendas vitiorum maculas, ſi quæ proteruiùs animis adhæſerunt, apta comparatione commendat.

118. Quod ſi per *cor peſſimum* cor triſte intelligamus cum aliis, ſenſus alter non inelegans conformari poteſt. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo*, id eſt, triſti atque mœſto: Triſtitiam vtique *cordis ru-*
Caſſian. *biginem* appellauit Caſſian. lib. 10. de ſpiritu acediæ: quia ſicut metalla, quæ vſu non teruntur, æruginem trahere ſolent, ita etiam eo otio acedia, & triſtitia euenire ſolet. Aptè igitur Salomon, ſicut nitrum aceto dilutum, argenti, aut cuiuſlibet alterius metalli æruginem tergit, ita etiam verba conſolatoria triſtitiam expurgant, quæ cordis quædam rubigo eſt. Ac ne ſordeat hæc interpretatio illud vlterius addendum eſt, conſolationem illam, quæ ad expurgandam mœroris rubiginem idonea eſſe dicitur, cum nitro acetoque permixtis aptè conferri: debet enim hæc conſolatio mœrore ac lætitia conſtare: prius enim cum flente flere, deinde ad lætitiam ſua lætitia mœſtum animum excitare opus eſt: mœror autem lætitiæ ſociatus nitri & aceti mixtione aptiſſimè notatur, acetum enim mœrorem adſignificat, nitrum verò lætitiam & voluptatem (nam nitri atque ſalis, vt iam dixi, affinis admodùm natura eſt) ſal autem voluptatis ſimulacrum exiſtit apud Philonem, quia quemadmodum ſal epulas, ita voluptas omnes actiones condit, & ſuaues reddit. Mœrorem autem ſimul cum lætitia in mœſtorum conſolatione adhibendum eſſe docet Nazianzenus apud Antonium Monachum in Meliſſ. Anton.
Magnum, inquit, *remedium triſtitiæ offertur à condolentibus: nam qui æquali afflictione laborant, plus ſolatij patientibus exhibent, cùm inter dolendum cauſas lætitiæ inueniunt, aut offerunt.* Adhunc modum alias atque alias huius loci interpretationes comminiſci licet ex ſupra ſcriptis nitri acetique proprietatibus: in his enim, quas hactenus contulimus, modum tantùm ac viam alias adinueniendi aperuimus.

Ad extremum aliquid dicendum eſt de tranſlatione LXX. *Sicut acetum trahit inutile, ſic accidens paſſio in corpore cor contriſtat.* Hæc lectio (ni mea me fallit coniectura) ad primam illam aceti in terram nitroſam affuſi proprietatem referenda eſt: Conſtat enim acetum ea ratione in tellurem miſſum nitrũ exprimere, & foras trahere, nitrum, inquam, quod terram ſterilem & infœcundam omnino reddit: ideò enim à LXX. *inutile* appellatur: quod adeò verum eſt, vt inter alia quibus exploranda eſt terræ fœcunditas, ſic Columella de re ruſtica. *Acetum ſuper faciem terræ effuſum, vtrum nitroſa & ſterilis ſit declarat.* Itaque ſenſus eſt: ſicut acetum in tellurem nitroſam effuſum, nitrum, quod illam ſterilem efficit, acrimonia ſua extrahit, & in ſuperficiem euocat, atque eo argumento inutilis prorſus ac infrugifera deprehenditur: ſic etiam labor, calamitas, infortunium, aut dolor quiuis in hominem imbellem, ac infirmum incidens, cor illius conſternat, & triſtitia implet, necnon etiam imbecillitatem & infirmitatem, aliaque interna vitia, quæ nitri in morem, illum ad omnem bonam frugem inhabilem reddunt, manifeſtare cogit. Vel aliter. per *accidentem in corpore paſſionem*, pœnam aut ſupplicium corpori inflictum accipere licet: ita vt ſenſus ſit, *ſicut acetum trahit inutile*, &c. id eſt, ſicut acetum in tellurem effuſum nitrum exprimit, quod illam ſterilem efficit, ita etiam ſupplicium corpori ſontis inflictum exultãtes illius paſſiones, & vitia penitus inſidentia extrahit, & maceratum & emendatum ad bonam frugem adducit. Sed enim, tàm hanc, quàm ſuperiorem interpretationem lectioni Vulgatæ accommodare integrum eſt, ſi quidem *nitri* nomine terram nitroſam & ſalſam, & per *carmina*, ſeueram morum correptionem intelligamus.

Quod ſi per *carmina* conſolatoriam orationem, 120.
aut ſacræ Scripturæ verba accipere libeat: licebit tunc non ineptam interpretationem inſtruere, dummodò *cor peſſimum* idem ſit atque cor triſte. Nam de
triſtitia D. Antiochus Homilia 25. *Dæmon*, inquit, Antioch.
inſtillat cordi importunam triſtitiam, vt mentem à propoſito auocet, ac proinde hominem ipſum infrugi reddat atque inutilem, ſic ſcilicet quemadmodum nitrum tellurem infrugiferam reddit. *Acetum*, ergo, *in nitro qui cantat carmina cordi peſſimo*, id eſt, triſti ac mœſto: quemadmodùm enim acetum in nitroſam terram effuſum, illam à nitro expurgat, & habilem ſatum reddit, ita etiam oratio conſolatoria, aut quæcunque do-

A ctrina spiritualis ex sacris literis petita, tristitiam animi, quæ illum, nitri in morem, infrugi & inutilem reddebat, prorsus exprimit, & ad excipienda virtutum semina comparat. Frustra hic plura; esset enim valdè prolixum omnia persequi, & inter tot expositiones aliquã seligere, ac cæteris præferre non facile.

20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.*

121. Sicut tinea, &c. Hæc verba desiderantur in Primitiuis, & ob eam causam à sacro textu expungenda censet Hebr. apud Caietanum pro sua in Vulgatam lectionem licentia. Cæterùm cùm Vaticanus B textus illa retineat, pro canonicis habenda sunt. Accedat etiam auctoritas LXX. interpretum, & paraphrastis Chaldæi, qui eadem verba in suis codicibus inserunt, LXX. quidem (vt iacent in Vulgatis) Chaldæus verò ad hunc modum, *Sicut tinea in ligno, sic stoliditas irritat cor hominis.* Alteram enim tineæ vestem perrodentis similitudinem omittit: missam quoque facit illam Origen. in Matthæum, sic enim habet. *Quemadmodum in ligno vermis, sic dolor viri lædit cor.* Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. aliter extulit locum istum *Sicut in ligno vermis, ita perdit virum suum uxor malefica.* Sed de mente Hieron aliquid ad extremum dicemus August. de Ciuitate Dei lib. C 21. cap. 9. *Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri.* Sed quamuis LXX. interpretes, quos Prophetarum munere functos non semel dixi, hoc iure vsi quasdam sententias inseruerint, quæ in Originibus non erant, ex quibus non paucas in hoc libro supra obseruaui, tamen de hac sententia aliud iudicium ferendum est: puto enim illam olim etiam in Primitiuis Hebræis extitisse, quod LXX. interpretum & Chaldæi concordia satis declarat. Quapropter alias aliorum de his verbis censuras minus accommodatas silentio obruere decreui.

Orig. Hieronym. August.

122. Adscribam prius verba Patrum, quibus locum istum illustrarunt, & ex his, si quid diuersi sensus occurrerit, excitabo. Cassian. lib. 9. de spiritu tristitiæ. *Sicut enim, inquit, tinea vestimento, &c. Satis euidenter, ac* D *propriè, vim noxij huius ac perniciosi vitij spiritus diuinus expressit: vestimentum namque tinearum esu attritum nullius pretij, vel honesti vsus poterit vlterius habere commercium. Itidem & lignum vermibus exaratum non iam ad ornatum vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis merebitur deputari. Ita etiam & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus deuoratur, inutilis erit, vel vestimento illi pontificali, quod vnguentum Spiritus sancti de cœlo descendens prius in barbam Aaron, deinde in oram suam solitum defluere sancti Dauid vaticinio perhibetur: secundum illud; Sicut vnguentum in capite, &c. sed neque ad structuram templi illius spiritualis atque ornatum poterit pertinere, cuius Paulus archite-* E *ctus sapiens posuit fundamenta dicens: Vos estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis: cuius qualia sint ligna sponsa describit in Canticis Canticorum. Trabes, inquiens, nostræ cypressinæ & tigna domorum nostrarum cedri. Et idcirco huiusmodi ad templum Dei lignorum genera deliguntur, quæ sunt & bona fragrantia, & imputribilia, quæque nec corruptela vetustatis, nec esui vermium valeant subiacere.* Hactenus Cassianus, qui planè per tristitiam, mœrorem & angorem animi accipit, & ad hunc locum spectans sanctus Antiochus homil. 25. de tristitia sic ait. *Tristitia vermis est cordis suammet exedens matrem.* Et infrà. *Quod si mens inertia animi eneruetur, mox tristitia arrodere incipit hominis cor, iuxta sententiam superiorem, seu assolet pallium exedere tinea, vermis lignum, in ligni quasi ossibus prognatus.* Tristitiæ immanitatem exprimere vult Antiochus, quæ cùm ex corde nascatur, ipsummet cor morsibus suis depascitur, ac dilacerat, quemadmodum vermis ex ligno prognatus ipsius ligni viscera perrodit, ac terebrat. Sed quanta immanitate tristitia animum conficere soleat elegantissimè Chrysostom. epist. 3. *Mœror, inquit, graue animorum tormentum est, siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem duntaxat, sed etiam animam perstringens: ac tinea est, non ossium tantum, verum etiam mentis: & perpetuus carnifex, non latus fodiens, verùm animi vires labefactans.* Hæc est prima atque verior huius loci expositio de mœrore ac tristitia, quam plerique libenter amplectuntur: sed comparationis energiam iuxta literam vestigare oportet.

Cassian. Rom. 5. Cant. Antioch. Chrysost.

Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, &c. Diuus Antiochus immanitatem tristitiæ notari existimauit, quæ ipsum cor, cui innascitur, assiduè conficit. Cassianus verò comparationem eo deriuauit, vt hominẽ tristitia confectum ad omnia inutilem esse monstraret, quia neque, vestis in morem, Christum induere, nec, tanquam lignum, ad templi spiritualis fabricam venire potest: vtrumque satis verum est. Sunt tamen qui has duas similitudines aliter expendunt. Vestis, inquiunt, ornamentum est, quo in publico vtimur, ligno autem ædium fabrica sustinetur. Quemadmodum ergo vestis tinea exesa non potest decorè in publicum produci, & lignũ vermibus pertusum ædium molem sustinere non valet, ita etiam homo tristitia, & mœrore confectus, neque in publicum decenter prodire, & publicas res agere, nec domesticas curas, & onera infractus perferre potest, ad vtrumque planè inhabilis, ad publica & ad priuata. 123.

Cæterùm ego potius dicerem his similitudinibus duas mœroris præcipuas causas Salomonem adnotare voluisse: hæ sunt, otium, & sui ipsius amorem. Has.n. duas tristitiæ radices esse docet Bernardus de interiori domo: Et quidem amantem sui hominẽ qualicumque molestia facilè contristari, & angi certo certius est: ex otio verò tristitiam euenire vel ex eo constat, quia, vt docet Cassianus suprà, *Acedia tristitiæ mater est,* & Antiochus hom. 26. sic habet. *Acedia planè intolerandus dæmon, & nihilo dispar ab spiritu tristitiæ.* Et postquàm plures acediæ affectus enumerauit, sic demũ infert. *Cuncta hæc quid aliud operatur quam iners otium ac socordia animi lentescentis?* Has igitur duas causas, seu radices mœroris complectitur Salomõ præmissis verbis. *Sicut tinea vestimento.* Hæc similitudo eam tristitiam denotat, quæ ex otio & acedia fluit. Quasi dicat: sicut vestimentum in arca inclusum, quod vsu frequenti non teritur, cosim ac tineam alit, quæ ipsum morsibus suis pertundit: ita etiam cor otio torpescens tristitiam gignit, quæ ipsũ assiduò depascitur. Hũc spectauit Antioch. supra cùm dixit. *Quod si mens inertia animi eneruetur, mox tristitia arrodere incipit hominis cor, seu assolet pallium exedere tinea, &c.* Subdit aliam similitudinem Salomon. *Et vermis ligno:* quæ mœrorem illum præclarè adsignificat, quod amor sui impressus parere consueuit. Plin. lib. 16. cap. 41. *Teredines, inquit, nasci prohibet, in aliis amaritudo, vt cupresso, & oleastro, & cedro: in aliis durities, vt buxo.* Itaq; his lignis teredo innascitur, quæ mollẽ, dulcẽ & minime austerã materiẽ habent: hæ autẽ molliũ, ac sui amantiũ hominũ mores præclarè notãt: illa verò seuera & rigida ingenia pulcrè innuũt. Hinc nõ iniucũdè ille alius de adulatione ferens. *Cupresso, inquit, non innascũtur teredines propter amaritudinẽ, neque buxo propter duritiem: ita pestis adulationis fugit seuera, & rigida ingenia, mollia captat, & facilia.* Ad eundem modum Salomõ de tristitia & mœrore, *Sicut vermis, inquit, in ligno, ita tristitia viri nocet cordi,* 124.

Antioch. Plin.

cordi, id est, ficut vermes ea ligna, quæ molliorem ac dulciorem habent materiem, perforare solent, amaris autem, & austeris lignis parcunt: ita etiam tristitia mollia, & facilia amatorum sui ingenia morsibus suis peruadit: eorum verò, qui etiam in se ipsos seueri, & austeri sunt, animum non attingit.

125. Aliquid præterea ex Chaldæo paraphraste ad hanc priorem interpretationem faciens subscribere libet. Nam licet illa verba, *sicut argenteum vas.* superiori sententiæ adnectenda esse suprà decreuerim, tamen alij putant cum hac copulanda hoc modo. *Et probat corda dolor, sicut vas argenteum: & sicut teredo ligno, sic stoliditas irritat cor hominis*, ita vt illud, *vas argenteum*, vices agat illius clausulę, *sicut tinea vestimẽto.* Sed quis sensus? non morabor. Duplex tristitia est, alia vtilis, & alia nociua: quæ igitur vtilis, bona, & secũdùm Deum est tristitia, animum expiat, atque adeò cum igne confertur, quod argentum purius atque nitidius reddit: quæ verò noxia est, animum consternat, & ideò cum teredine componitur, quæ lignum pertusum, corruptumque penitus vitiat. Et quidem vtramque tristitiam à conflatoria arte non discedens præclarè describit Antiochus loco suprà citato. *Quemadmodum*, inquit, *conflatoria ars ex plumbi natura detrahit ingi conflatione & imminuit, ita etiam tristitia mundi istius mentem assiduè conficit, atque atterit, & veluti argentum alioqui reprobum eadem conflatoria illustrat ac purius reddit: sic tristitia, quæ secundùm Deum est, cor expiat, licet valdè occalluerit peccati scoria.* Eadem prorsus est sententia Thargum, nisi quod pro similitudine ex conflatione plumbi petita, aliam subrogat à teredine lignum perforante ac terebrante simili accommodatione deductam. — *Antioch.*

126. Secunda interpretatio peti potest ex Nazianzeno oratione prima Apolog. qui de curis ac sollicitudinibus, quas publica Ecclesiæ administratio continet, verba faciens, sic scribit. *Sed fortasse tantum est hoc opus, támque molestum & laboriosum cordi sensu prædito, & mærenti: ac verè tinea ossium viro prudenti.* Putat autem eius scholiastes Nazianzenũ ad hæc Salomonis verba adspirasse, adque adeò tristitiam in hoc loco non priuatorum hominum mœrorem, sed Principum ac Præsulum angorem notare: quem curæ ingentes publicarum rerum afferre solent. Et sanè curas publicas tineam esse aut vermes animum vehementer arrodentes docuit idem Nazianz. in carmine 9. de vita Christo digna. — *Nazianz.*

Difficiles etenim curæ, densóque ruentes
Agmine, rodentes animum, resolutáque membra
Me totum in terram, de qua mortale creatum
Est genus, assiduè voluunt, misereque fatigant.

Et suprà easdem curas insectans ait.

Nec grauium nostram perturbent agmina mentem
Curarum, quas hic mundus, mundique tyrannus
Excitat innumeras miseris mortalibus: totus
Diuinam effigiem rodens absumere ferrum
Scabra velut rubigo solet, &c.

Ergo si hæc non displiceat interpretatio, verba Salomonis sic replicari poterunt. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristia viri nocet cordi*, per virum, Principem intellige (vt aliàs non semel in hoc libro.) Principum insigne præcipuum est purpura: nullum autem est vestimenti genus, quod tinearum iniurias magis sentiat quàm purpura, teste Plinio lib. 5. cap. 27. quia alij colores austeri tineas arcent: coccineus verò color dulcis est, atque adeò tineas excipit alitque. Sit igitur hic sensus. *Sicut tinea vestimento*, &c. id est, sicut tineæ vestes quaslibet arrodunt & pertundunt, sed tùm maximè purpureas, ita etiam curæ priuatos tangunt, sed Principes, ac præsules cùm primis angunt. Quemadmodum enim purpura plures tineas, — *Plin.*

A sic etiam Principatus plures & grauiores curas gignit. Subdit, *& vermis ligno.* Experientia etiam constat ea ligna, quæ ædium fastigia sustinent, teredinem citiùs sentire solita, siue quia pluuiis perstilentibus vitiantur, siue aliam ob causam. Hùc spectauit Plutarchus in moral. *Sicut ligna, quæ in tectis ædium sunt, vermes, sic principatus inuidiam alit.* id est, quemadmodum his lignis, quæ summa domorum tecta sustinent, potius quàm aliis vermes innasci solent: ita etiam Principes atque fortunati omnes, inuidos potius habẽt, qui eorum fœlicitatem corrumpere satagunt. Hæc igitur sententia ad curas transferenda est eodem argumento: sicut ligna, quæ fastigia domorum continent, teredines peruadere, ac terebrare solẽt, ita etiam curæ grauiores ac molestiores, eorum animos mordere & conficere solent, qui dignitatum fastigia tenent. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem, dignitatum purpuras, & fastigia minimè affectanda, aut petenda ex eo conficit, quia grauissimis, ac molestissimis curis, & angoribus redundant. — *Plutarchus.*

B

Tertia interpretatio per tristitiam, inuidentiam, atque liuorem concipit. Inuidia enim nihil aliud est quàm tristitia de aliena fœlicitate concepta. Itaque ait Salomon. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, sic tristitia viri nocet cordi.* Sensus est luculentus: similitudinem illam, quæ à ligno ducitur, vsurpauit Chrysostomus Homilia 45. ad populum. *Talis*, inquit, *est huius vitij malitia, vt se parientem priùs offendat, & sicut vermis de ligno nascens, ipsum priùs absumat, sic & inuidia illam prius, quæ se peperit, animam corrumpit.* Et infrà. *Antequam ab externis hostibus ab ipso obsessus vitio tantum non consumitur, & tanquam occultis depastus dentibus, ita clanculum, vt ita dicam, absumptus remanet.* Eandem sententiam similitudine non valdè dissimili inclusit Bias Philosophus apud Laërtium lib. 1. cap. 6. *Vt ferrum*, inquit, *rubigine absumitur, ita inuidus suo ipsius vitio contabescit.* Nimirùm id dixit, quia ferum ex se ipso rubiginem gignit, quę illud exterit, ac vitiat. Legimus eandem sententiam apud Periandrum, quæ ex Græcis fideliter reddita sic habet. *Quemadmodum ærugo ferrum, si inuidia animum illius, in quo inest, conterit.* Accedit etiam D. Basilius Homilia in aliquot scripturæ locos. *Hic est alius morbus vitæ hominum peculiaris, & animis nostris à natura insitus, & corda magis consumere aptus, quàm rubigo ferrum.* — 127. *Chrysost.* C *Bias.* *Periander.* D *Basil.*

Sed vt lectioni nostræ aliquid splendoris accersam, subiicio, duabus præmissis similitudinibus eorum mores notari, quos inuidia potissimùm admordet. Nam duo sunt vitia ex quibus inuidia gigni solet, vt docet passim Augustinus, superbia, & stoliditas: de hac extat illud Iob. 5. *Paruulum occidit inuidia*, id est, insipientem, ac stolidum hominem. Hinc autem lux paratur translationi Chaldaicæ, quæ extrema verba sic extulit. *Et sicut teredo ligno, sic stoliditas in corde viri.* Stoliditatem autem pro inuidia de industria supposuit, quia illius parens est. Augustinus etiam de vebis Domini sermone 53. *Non potest*, inquit, *superbus esse non inuidus: Inuidia filia est superbiæ, sed ista mater nescit esse sterilis, vbi fuerit continuò parit.* Ergo si per *tristitiam* hìc liuorem capiamus, sensus erit eiusmodi, *Sicut tinea vestimento*, &c. Succedat memoriæ id quod diximus, præ cæteris vestibus purpuram, quæ superbiæ ac fastus simulachrum gerit, tineam alere, & ab ea perrodi, vt constet superbos animos liuore potissimùm corrumpi. Subiungit Salomon, *Et vermis ligno*, alteram inuidiæ causam insinuans: hæc est vecordia ac stoliditas. Non pigebit hìc aliquid adscribere ex Hectore in cap. 19. Ezech. vbi sic habet. *Quemadmodum tinea non nascitur in cedro odorifera, & eius ligna cariem non sentiunt, sic inuidia non gignitur in* — 128. *Iob 5.* E *August.* *Hect. Pintus.*

ctrina spiritualis ex sacris literis petita, tristitiam animi, quæ illum, nitri in morem, infrugi & inutilem reddebat, prorsus exprimit, & ad excipienda virtutum semina comparat. Frustra hic plura; esset enim valdè prolixum omnia persequi, & inter tot expositiones aliquã seligere, ac cæteris præferre non facile.

20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.*

121. *Sicut tinea*, &c. Hæc verba desiderantur in Primitiuis, & ob eam causam à sacro textu expungenda censet Hebr. apud Caietanum pro sua in Vulgatam lectionem licentia. Cæterùm cùm Vaticanus textus illa retineat, pro canonicis habenda sunt. Accedat etiam auctoritas LXX. interpretum, & paraphrastis Chaldæi, qui eadem verba in suis codicibus inferunt, LXX. quidem (vt iacent in Vulgatis) Chaldæus verò ad hunc modum, *Sicut tinea in ligno, sic stoliditas irritat cor hominis.* Alteram enim tineæ vestem perrodentis similitudinem omittit: missam quoque facit illam Origen. in Matthæum, sic enim habet. *Quemadmodum in ligno vermis, sic dolor viri lædit cor.* Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. aliter extulit locum istum. *Sicut in ligno vermis, ita perdit virum suum vxor malefica.* Sed de mente Hieron aliquid ad extremum dicemus August. de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 9. *Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri.* Sed quamuis LXX. interpretes, quos Prophetarum munere functos non semel dixi, hoc iure vsi quasdam sententias inseruerint, quę in Originibus non erant, ex quibus non paucas in hoc libro supra obseruaui, tamen de hac sententia aliud iudicium ferendum est: puto enim illam olim etiam in Primitiuis Hebræis extitisse, quod LXX. interpretum & Chaldæi concordia satis declarat. Quapropter alias aliorum de his verbis censuras minus accommodatas silentio obruere decreui.

Orig. — Hieronym. — August.

122. Adscribam prius verba Patrum, quibus locum istum illustrarunt, & ex his, si quid diuersi sensus occurrerit, excitabo. Cassian. lib. 9. de spiritu tristitiæ. *Sicut enim*, inquit, *tinea vestimento*, &c. *Satis euidenter, ac propriè, vim noxij huius ac perniciosi vitij spiritus diuinus expressit: vestimentum namque tinearum esu attectum nullius pretij, vel honesti vsus poterit vlterius habere commercium. Itidem & lignum vermibus exaratum non iam ad ornatum vel mediocris ædificij, sed ad combustionem ignis merebitur deputari, Ita etiam & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus deuoratur, inutilis erit, vel vestimento illi pontificali, quod vnguentum Spiritus sancti de cœlo descendens prius in barbam Aaron, deinde in oram suam solitum defluere sancti David vaticinio perhibetur: secundum illud; Sicut vnguentum in capite, &c. sed neque ad structuram templi illius spiritualis atque ornatum poterit pertinere, cuius Paulus architectus sapiens posuit fundamenta dicens: Vos estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis: cuius qualia sint ligna sponsa describit in Canticis Canticorum. Trabes, inquiens, nostræ cypressinæ & tigna domorum nostrarum cedri. Et idcirco huiusmodi ad templum Dei lignorum genera deliguntur, quæ sunt & bonæ fragrantiæ, & imputribilia, quæque nec corruptelæ vetustatis, nec esui vermium valeant subiacere.* Hactenus Cassianus, qui planè per tristitiam, mœrorem & angorem animi accipit, & ad hunc locum spectans sanctus Antiochus homil. 25. de tristitia sic ait. *Tristitia vermis est cordis suammet exedens matrem.* Et infrà. *Quod si mens inertia animi eneruetur, mox tristitia arrodere incipit hominis cor, iuxta sententiam superiorem, seu assolet pallium exedere tinea, vermis lignum, in ligni quasi ossibus pro-*

Cassian. — Rom. 8. — Cant. — Antioch.

A *gnatus.* Tristitiæ immanitatem exprimere vult Antiochus, quæ cùm ex corde nascatur, ipsummet cor morsibus suis depascitur, ac dilacerat, quemadmodum vermis ex ligno prognatus ipsius ligni viscera perrodit, ac terebrat. Sed quanta immanitate tristitia animum conficere soleat elegantissimè Chrysostom. epist. 3. *Mœror*, inquit, *graue animorum tormentum est, siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem duntaxat, sed etiam animam perstringens: ac tinea est, non ossium tantum, verum etiam mentis: & perpetuus carnifex, non latus fodiens, verum animi vires labefactans.* Hæc est prima atque verior huius loci expositio de mœrore ac tristitia, quam plerique libenter amplectuntur: sed comparationis energiam iuxta literam B vestigare oportet.

Chrysost.

Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, &c. Diuus Antiochus immanitatem tristitiæ notari existimauit, quæ ipsum cor, cui innascitur, assiduè conficit. Cassianus verò comparationem eo deriuauit, vt hominē tristitia confectum ad omnia inutilem esse monstraret, quia neque, vestis in morem, Christum induere, nec, tanquam lignum, ad templi spiritualis fabricam venire potest: vtrumque satis verum est. Sunt tamen qui has duas similitudines aliter expendunt. Vestis, inquiunt, ornamentum est, quo in publico vtimur, ligno autem ædium fabrica sustinetur. Quemadmodum ergo vestis tinea exesa non potest decorè in publicum produci, & lignū vermibus pertusum ædium C molem sustinere non valet, ita etiam homo tristitia, & mœrore confectus, neque in publicum decenter prodire, & publicas res agere, nec domesticas curas, & onera infractus perferre potest, ad vtrumque planè inhabilis, ad publica & ad priuata. 123.

Cæterùm ego potius dicerem his similitudinibus duas mœroris præcipuas causas Salomonem adnotare voluisse: hæ sunt, otium, & sui ipsius amorem. Has n. duas tristitiæ radices esse docet Bernardus de interiori domo: Et quidem amantem sui hominē qualicumque molestia facilè contristari, & angi certo certius est: ex otio verò tristitiam euenire vel ex eo constat, quia, vt docet Cassianus suprà, *Acedia tristitiæ mater est*, & Antiochus hom. 26. sic habet. *Acedia D planè intolerandus dæmon, & nihilo dispar ab spiritu tristitiæ.* Et postquàm plures acediæ affectus enumerauit, sic demū infert. *Cuncta hæc quid aliud operatur quàm iners otium ac socordia animi lentescentis?* Has igitur duas causas, seu radices mœroris complectitur Salomō præmissis verbis. *Sicut tinea vestimento.* Hæc similitudo eam tristitiam denotat, quæ ex otio & acedia fluit. Quasi dicat: sicut vestimentum in arca inclusum, quod vsu frequenti non teritur, cosim ac tineam alit, quæ ipsum morsibus suis pertundit: ita etiam cor otio torpescens tristitiam gignit, quæ ipsū assiduò depascitur. Hùc spectauit Antioch. supra cùm dixit. *Quod si mens inertia animi eneruetur, mox tristitia arrodere incipit hominis cor, seu assolet pallium exe-* E *dere tinea*, &c. Subdit aliam similitudinem Salomon. *Et vermis ligno:* quæ mœrorem illum præclarè adsignificat, quod amor sui impressius parere consueuit. Plin. lib. 16. cap. 41. *Teredines*, inquit, *nasci prohibet, in aliis amaritudo, vt cupresso, & oleastro, & cedro: in aliis durities, vt buxo.* Itaq; his lignis teredo innascitur, quæ mollē, dulcē & minime austerā materiē habent: hæc autē molliū, ac sui amantiū hominū mores præclarè notãt: illa verò seuera & rigida ingenia pulcrè innuũt. Hinc nō iniucūdè ille alius de adulatione ferens. *Cupresso*, inquit, *non innascūtur teredines propter amaritudinē, neque buxo propter duritiem: ita pestis adulationis fugit seuera, & rigida ingenia, mollia captat, & facilia.* Ad eundem modum Salomō de tristitia & mœrore, *Sicut vermis*, inquit, *in ligno, ita tristitia viri nocet* 124.

Antioch. — Plin.

cordi,

cordi, id eſt, ſicut vermes ea ligna, quæ molliorem ac dulciorem habent materiem, perforare ſolent, amaris autem, & auſteris lignis parcunt: ita etiam triſtitia mollia, & facilia amatorum ſui ingenia morſibus ſuis peruadit: eorum verò, qui etiam in ſe ipſos ſeueri, & auſteri ſunt, animum non attingit.

125. Aliquid præterea ex Chaldæo paraphraſte ad hanc priorem interpretationem faciens ſubſcribere libet. Nam licet illa verba, *ſicut argenteum vas.* ſuperiori ſententiæ adnectenda eſſe ſuprà decreuerim, tamen alij putant cum hac copulanda hoc modo. *Et probat corda dolor, ſicut vas argenteum: & ſicut teredo ligno, ſic ſtoliditas irritat cor hominis*, ita vt illud, *vas argenteum*, vices agat illius clauſulę, *ſicut tinea veſtimēto.* Sed quis ſenſus? non morabor. Duplex triſtitia eſt, alia vtilis, & alia nociua: quæ igitur vtilis, bona, & ſecūdùm Deum eſt triſtitia, animum expiat, atque adeò cum igne confertur, quod argentum purius atque nitidius reddit: quæ verò noxia eſt, animum conſternat, & ideò cum teredine componitur, quæ lignum pertuſum, corruptumque penitus vitiat. Et quidem vtramque triſtitiam à conflatoria arte non diſcedens præclarè deſcribit

Antioch. Antiochus loco ſuprà citato. *Quemadmodum*, inquit, *conflatoria ars ex plumbi natura detrahit iugi conflatione & imminuit, ita etiam triſtitia mundi iſtius mentem aſſiduo conficit, atque atterit, & veluti argentum alioqui reprobum eadem conflatoria illuſtrat ac purius reddit: ſic triſtitia, quæ ſecundùm Deum eſt, cor expiat, licet valdè occalluerit peccati ſcoria.* Eadem prorſus eſt ſententia Thargum, niſi quod pro ſimilitudine ex conflatione plumbi petita, aliam ſubrogat à teredine lignum perforante ac terebrante ſimili accommodatione deductam.

126. Secunda interpretatio peti poteſt ex Nazianzeno oratione prima Apolog. qui de curis ac ſollicitudinibus, quas publica Eccleſiæ adminiſtratio continet, verba faciens, ſic ſcribit. *Sed fortaſſe tantum eſt hoc opus, tàmque moleſtum & laborioſum cordi ſenſu prædito, & mœrenti: ac verè tinea oſſium viro prudenti.* Putat autem eius ſcholiaſtes Nazianzenū ad hæc Salomonis verba adſpiraſſe, adque adeò triſtitiam in hoc loco non priuatorum hominum mœrorem, ſed Principum ac Præſulum angorem notare: quem curæ ingentes publicarum rerum afferre ſolent. Et ſanè curas publicas tineam eſſe aut vermes animum vehementer arrodentes docuit idem

Nazianz. Nazianz. in carmine 9. de vita Chriſto digna.

Difficiles etenim curæ, denſóque ruentes
Agmine, rodentes animum, reſolutáque membra
Me totum in terram, de qua mortale creatum
Eſt genus, aſſiduè voluunt, miſeréque fatigant.

Et ſuprà eaſdem curas inſectans ait.

Nec grauium noſtram perturbent agmina mentem
Curarum, quas hic mundus, mundique tyrannus
Excitat innumeras miſeris mortalibus: totus
Diuinam effigiem rodens abſumere ferrum
Scabra velut rubigo ſolet, &c.

Ergo ſi hæc non diſpliceat interpretatio, verba Salomonis ſic replicari poterunt. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi*, per virum, Principem intellige (vt aliàs non ſemel in hoc libro.) Principum inſigne præcipuum eſt purpura: nullum autem eſt veſtimenti genus, quod tinearum iniurias magis ſentiat quàm purpura, teſte

Plin. Plinio lib. 5. cap. 27. quia alij colores auſteri tineas arcent: coccineus verò color dulcis eſt, atque adeò tineas excipit alitque. Sit igitur hic ſenſus. *Sicut tinea veſtimento*, &c. id eſt, ſicut tineæ veſtes quaſlibet arrodunt & pertundunt, ſed tùm maximè purpureas, ita etiam curæ priuatos tangunt, ſed Principes, ac præſules cùm primis angunt. Quemadmodum enim purpura plures tineas,

A ſic etiam Principatus plures & grauiores curas gignit. Subdit, *& vermis ligno.* Experientia etiam conſtat ea ligna, quæ ædium faſtigia ſuſtinent, teredinem citiùs ſentire ſolita, ſiue quia pluuiis perſtilentibus vitiantur, ſiue aliam ob cauſam. Hûc ſpectauit Plutarchus in moral. *Sicut ligna, quæ in tectis ædium ſunt, vermes, ſic principatus inuidiam alit.* Plutarchus.
id eſt, quemadmodum his lignis, quæ ſumma domorum tecta ſuſtinent, potius quàm aliis vermes innaſci ſolent: ita etiam Principes atque fortunati omnes, inuidos potius habēt, qui eorum fœlicitatem corrumpere ſatagunt. Hæc igitur ſententia ad curas transferenda eſt eodem argumento: ſicut ligna, quæ faſtigia domorum continent, teredines peruadere, ac terebrare
B ſolēt, ita etiam curæ grauiores ac moleſtiores, eorum animos mordere & conficere ſolent, qui dignitatum faſtigia tenent. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem, dignitatum purpuras, & faſtigia minimè affectanda, aut petenda ex eo conficit, quia grauiſſimis, ac moleſtiſſimis curis, & angoribus redundant.

Tertia interpretatio per triſtitiam, inuidentiam, atque liuorem concipit. Inuidia enim nihil aliud eſt 127.
quàm triſtitia de aliena fœlicitate concepta. Itaque ait Salomon. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ſic triſtitia viri nocet cordi.* Senſus eſt luculentus: ſimilitudinem illam, quæ à ligno ducitur, vſurpauit Chryſoſtomus Homilia 45. ad populum. *Talis*, inquit, *eſt huius vitij malitia, vt ſe parientem prius offendat, & ſicut* Chryſoſt.
C *vermis de ligno naſcens, ipſum prius abſumat, ſic & inuidia illam prius, quæ ſe peperit, animam corrumpit.* Et infrà. *Antequam ab externis hoſtibus ab ipſo obſeſſus vitio tantum non conſumitur, & tanquam occultis depaſtus dentibus, ita clanculùm, vt ita dicam, abſumptus remanet.* Eandem ſententiam ſimilitudine non valdè diſſimili incluſit Bias Philoſophus apud Laërtium lib. Bias.
1. cap. 6. *Vt ferrum*, inquit, *rubigine abſumitur, ita inuidus ſuo ipſius vitio contabeſcit.* Nimirùm id dixit, quia ferum ex ſe ipſo rubiginem gignit, quę illud exterit, ac vitiat. Legimus eandem ſententiam apud Periandrum, quæ ex Græcis fideliter reddita ſic habet. Periander.
Quemadmodum ærugo ferrum, ſi inuidia animum illius,
D *in quo ineſt, conterit.* Accedit etiam D. Baſilius Homilia in aliquot ſcripturæ locos. *Hic eſt alius morbus vitæ hominum peculiaris, & animis noſtris à natura inſitus, & corda magis conſumere aptus, quàm rubigo ferrum.* Baſil.

Sed vt lectioni noſtræ aliquid ſplendoris acceſſam, ſubiicio, duabus præmiſſis ſimilitudinibus eorum mores notari, quos inuidia potiſſimùm admordet. Nam duo ſunt vitia ex quibus inuidia gigni ſolet, vt docet paſſim Auguſtinus, ſuperbia, & ſtoliditas: de hac extat illud Iob. 5. *Paruulum occidit inuidia*, id eſt, inſipientem, ac ſtolidum hominem. Hinc autem lux paratur tranſlationi Chaldaicæ, quæ extrema verba ſic extulit. *Et ſicut teredo ligno, ſic ſtoliditas in corde viri.* Stoliditatem autem pro inuidia de induſtria 128. Iob 5.
E ſuppoſuit, quia illius parens eſt. Auguſtinus etiam de verbis Domini ſermone 53. *Non poteſt*, inquit, *ſuperbus eſſe non inuidus: Inuidia filia eſt ſuperbiæ, ſed iſta mater neſcit eſſe ſterilis, vbi fuerit continuò parit.* Ergo ſi per *triſtitiam* hîc liuorem capiamus, ſenſus erit eiuſmodi, *Sicut tinea veſtimento*, &c. Succedat memoriæ id quod diximus, præ cæteris veſtibus purpuram, quæ ſuperbiæ ac faſtus ſimulachrum gerit, tineam alere, & ab ea perrodi, vt conſtet ſuperbos animos liuore potiſſimùm corrumpi. Subiungit Salomon, *Et vermis ligno*, alteram inuidiæ cauſam inſinuans: hæc eſt vecordia ac ſtoliditas. Non pigebit hîc aliquid adſcribere ex Hectore in cap. 19. Ezech. vbi ſic habet. *Quemadmodum tinea non naſcitur in cedro odorifera, & eius ligna cariem non ſentiunt, ſic inuidia non gignitur in* August. Hect. Pintus.
corde

Plin. *corde hominis sapientis.* Et quidem Plinius, vbi supra, docet teredines in his lignis procreari quorum materies non acri, sed nullo, aut fatuo sapore prædita est. *sed potissimum in his, quæ fatuum sapiunt*, vt in pino abiete, &c. vt vel sic constet ad eundem modum inuidentiæ cariem in fatuis, ac vecordibus mentibus progigni.

129. August. Quartam interpretationem exhibet nobis Augustinus de ciuitate Dei lib. 21. cap. 9. vbi per *tristitiam* illam, quæ cor viri tantoperè excruciat, peccati conscientiam intelligit, quæ tineæ aut vermis in modum, reproborum animos apud inferos sine intermissione depascitur, iuxta illud Mar. 9. *Et vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Cum Augustino cōcinit Hieronymus in c. 66. Isaiæ, vbi sic scribit. *Vermis autem, qui non morietur, à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos, quod vitio suo atque peccato caruerint electorum bono, iuxta illud quod dicitur: Versatus sum in miseria, dū infigitur spina. Et in Prouerbiis, Tinea ossium cor intelligens: & iterum sub oleo: Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mæror excruciat cor viri.* Sed licet sanctissimi isti patres de damnatis apud inferos Salomonis verba acceperint, possunt tamen in vniuersum de his intelligi, qui delictorum conscientia punguntur: quorum animos ipsamet delicti conscientia perinde mordet, & arrodit, sicut vestes tineæ, & ligna teredines. Frustrà hîc multis de verme conscientiæ, id tātummodò dicam iterum quod nuper adscripsi, ligna, quæ austerum & acerbum habent saporem, cariem nō sentire, sed illis innasci potissimum, quorum materies dulce sapit. Aio igitur malæ conscientiæ cariem ac teredinem, animos illos nequaquam sentire, qui internæ compunctionis amaritudine acidi semper sunt & austeri. (Hûc spectat illud Isidori lib. 3. de summo bono. *Semper conscientia serui Dei humilis esse debet, ac tristis, vt per humilitatem non superbiat, & per vtilem mærorem cor ad lasciuiam non feratur.*) sed voluptatum amatores, molles ac delitiosos. Hinc est illud Bernardi de interiori domo, *Mala conscientia delitiarum & voluptatum assiduus vermis est*, non solùm quia omnem earum suauitatem exedit, sed etiam quia animum voluptatis delinitum assiduò mordet ac rodit.

Mar. 9. Hieron. Isidor. Bernard.

130. Plinius. Nonnihil etiam de vestimento dicam Plin. lib. 28. cap. 3. aliquid admiratione dignum scribit: nam cùm præmisisset, ictos aliquando ab scorpione nunquam amplius ab apibus, vespis, aut crabronibus peti solitos, sic statim assuit. *Minus hoc mvictur qui sciat vestē à tineis amplius non attingi, quæ fuerit in funere.* Quorsum hæc? succedat memoriæ Ambr. sententia alibi à me obseruata, qui inter alia, quibus malæ conscientiæ vermis arcetur, numerat mortis ac funeris assiduam meditationem: nullum enim contra peccata, & eos qui ex peccatis oboriuntur, conscientiæ aculeos, præsentius remedium est. Ergo Salomon ait. *Sicut tinea vestimento, sic tristitia viri nocet cordi:* tristitia scilicet, quâ mens alicuius sceleris sibi conscia vrgetur: hæc enim non aliter mentem conficit, quàm vestem tinea: sed tamen quemadmodum illa vestis tineam nunquam sentit, quæ in funere aliquando fuit: ita etiam ex animis illi malæ conscientiæ morsus nō experiuntur, quibus mors, ac funus semper obuersatur. Subiiciā denique aliquid non insulsum, vestis sanè, quâ in publico vtimur, bonam famam adsignificat, non solùm quia per illam, tanquam per vestem, quis erga proximos suos bene ac decenter se habet, sed etiam quia, vestis in morem, protegit ac fouet. Cæterùm vt fama ad eum modum hominem exornet ac foueat, bona conscientia opus habet. Gregor. in Ezechielem hom. 9. *Quid enim prodest si omnes laudent & sola conscientia accuset?* Et Bernard. in Cantic. *Omnino sufficit aduersus os loquentium iniqua bonorum opinio, cum testimonio conscientiæ.* Opinio enim bona sine conscientiæ suffragio, non sufficit. Aptè igitur Salomon, *Sicut tinea vestimento, sic tristitia*, &c. id est, sicut tinea vestem pertundit, sic etiam malæ conscientiæ vermis bonam famam corrumpit, ita vt, vestis adinstar, ex tineæ morsibus exesæ, ac laceræ, hominem fouere, & exornare nullo modo possit. Habes non paucas huius loci interpretationes ex Patribus petitas, quarum delectum tibi permitto: ego enim omnibus multum tribuo.

Ambros. Gregor. Bernard.

---

21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere.*

22. *Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.*

131. SI esurierit inimicus tuus, &c. Heb. *Ciba illum pane, & si sitierit, poopina illi aquam.* Pro pane autem subest vox לחם *lachem*, quam ad omne alimenti genus notandum assumi in sacra Scriptura non semel aliàs obseruaui: ideò absolutè conuertit, *Ciba illum.* Sic etiam habent LXX. & Paulus ad Rom. 12. Hoc tamen interest, quod LXX. sic extulerunt τρέφε αὐτὸν: est autem verbum τρέφω *nutrio*, aut, *cibo*, in vniuersū. Paul. verò habet ψώμιζε αὐτὸν, quod propriè est *concidere*, aut. *in frusta diuidere*: dicitur autem propriè de auibus, quæ pullos suos alunt cibo rostris conciso, & minutatim in os misso: & de his qui in conuiuiis incisis carnibus fercula cuique assignant, vulgò *trinchantes*, aut etiam de his, qui ad cuiusdam beneuolentiæ significationem admorsos cibos familiaribus suis in conuiuiis destinant, vt postea dicemus. Rursus LXX. extrema illa verba *da ei aquam*, sic absolutè extulerunt. *Potum da illi.* Paulus etiam concinit: in vtroque textu est πότιζε αὐτὸν, id est, *pota illum*, vel, *propina illi*: sicut enim panem pro qualibet esca, ita etiam *aquam* pro qualibet potione accipi existimarunt LXX.

Prunas enim congregabis, &c. Hebr. *Quia prunas tu capies super caput eius.* Nimirum aliunde captas prunas capiti illius impones, subest enim verbum חתה *Cotheh*, ex *Chathah*, quod significat, *accipere*, aut, *corripere*: quod aliàs igni sæpius accommodatur. Isaiæ 30. *Quâ portetur igniculus de incendio.* Hebraïc. *Ad capiendum ignem de incendio.* Et suprà c. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo?* Hebr. *Nunquid capiet vir ignem*, &c. Leuit. 16. *Assumptoque thuribulo quod de prunis altaris impleuerit*, &c. Mitto alia. Caietan. aliter reddidit. *Prunas dilatabis super caput eius.* Vatabl. *Prunas incendes.* Cyprian. *Carbones superfundes.* eodem sensu.

Isaia 30. Leuit. 16.

Hunc locum Caietanus singulari interpretatione donauit, nā cùm sic legisset, *Si esurierit inimicus tuus, da illi panem: & si sitierit, da illi aquam bibere, carbones enim dilatabis super caput eius*, &c. sensum eiusmodi comminiscitur. Sermo, inquit, est de inimico ad extremæ necessitatis angustias redacto, ideò panem, & aquam, non autem alia delicatiora obsonia illi donare præcipit, quod vel ex eo licet colligere, quia explicat necessitatis articulum, esuriem videlicet, ac sitim. Sed quid sibi vult illud, *Carbones dilatabis*, &c. Nihil, inquit, aliud est, *prunas dilatare*, nisi illas scalpello mouere, & expandere, vt excusso cinere magis ac magis splendeant, & calor roboretur, ita vt non ad inferiora membra tantùm, sed ad caput ipsū calefaciendo pertingat. Itaque illud *super caput*, non 132. Caietan.

non ſignificat prunas vertici impoſitas, ſed præpoſitio, *ſuper*, ponitur pro, *ad*, vt ſæpè alias in ſcriptura, id eſt, *ad caput* vſque. Diſplicet aliis hæc ſimilitudinis conſtitutio, ſed tamen mihi non admodùm inepta videtur, dummodò pro verbo *dilatabis* (quod hîc perperam aſſumitur) ſubiiciamus verbum *congeres*, aut *congregabis*, vt eſt in Vulgatis, ita vt ſignificetur, prunarum cumulus ignitus: nam fortius agunt multi carbones ad eum modum conglobati, quàm pauciores explicati & diuulſi. Itaque ex tribus, quæ Caietanus in ſua expoſitione commentus eſt, duo refellenda omnino ſunt, nimirum id, quod docet agi hîc de aduerſario ad extrema redacto: nam, vt infra conſiciam, longè diuerſa eſt Salomonis mens, & id etiam, quod de mouendis dilatandiſque prunis adnectit. Alterum verò quod ait non ſignificari hîc prunas capiti impoſitas, ſed eas, quæ vi & actione ſua ad caput faciemque calefaciendam perueniant, non eſt abſurdum. Nam comparationes illæ lepôris habent plurimum, quæ duci ſolent ab aliqua re in vſu poſita: atqui prunas ſuper caput ſpargere inauditum videtur. Quod autem ait, præpoſitionem, *ſuper*, capi pro, *ad*, non ſatis probo, nam potius dicendum accipi, pro *ante*, aut, *iuxta*, non enim inſolens eſt vſus iſte. Ezechiel. 31. per breui quadam periodo ter Propheta præpoſitionem *ſuper*, vſurpat pro, *ante*, *Et ſtupeſcere ſuper te faciam populos multos, & Reges eorum horrore nimio formidabunt*, id eſt, ante te. Deinde attexit. *Cùm volare cœperit gladius meus ſuper facies eorum*, id eſt, ante facies eorum. Mitto alia. Vſus verò eiuſdem præpoſitionis, *ſuper*, pro, *iuxta*, adeò vulgaris eſt in ſcriptura, vt de induſtria ab exemplis abſtineam. Itaque vt ſenſus huius loci aptè cadat, ſic conformandus eſt. *Carbones congregabis ſuper caput eius*, id eſt, ante caput eius ſcilicet ante faciem, vt ab his incaleſcat & inflammetur. *Ezech. 31.*

123\. Alij rurſus ſimilitudinem hanc ſic conformant. *Prunas enim congregabis ſuper caput eius*, id eſt, tot illi accumulabis vndequaque carbones, vt cumulus ſupra verticem ſeſe attollat: quaſi dicat illum ignitis carbonibus immerges. Non diſplicet. Alij denique verba capiunt, vt ſonant, id eſt, prunarum globulos capiti illius impones. Quod ſi obiicias, carbones ad eum modum capiti nunquàm imponi ſolitos, atque adeò comparationi lepôrem adimi, Poſſent vtique occurrere, affirmantes id à medicis aliquando tentari: conſtat enim apoplecticis acerra ignitis carbonibus impleta & capiti impoſita nonnumquàm ſubueniri: aliquando etiam phreneſi laborantibus: tunc ſcilicet, cùm phreneſis ex eo accidit quod caput cerebrumque frigore riget, atque adeò ſenſus interni torpent. Quod autem ſyderatio & apoplexis cerebro ex frigore euenire ſoleant, docet Hipocrates in libro primo de morbis circa finem, & libro ſecundo non longè à principio, & iterum circa medium. Et quidem Auguſtinus ad hanc apoplexiæ, phreneſis, aut ſyderationis curationem videtur ſpectaſſe ſermone 163. de tempore, vbi locum iſtum expendens inter alia ſic ſerit. *Carbones ignis congeres ſuper caput eius. Nam cùm pœnitentiam cœperit agere ſenſus rationalis, hoc eſt caput ipſius, incipit charitatis igne ſuccendi, & qui prius quaſi frigidus & phreneticus contra te conſueuerat iracundiam retinere, ſpirituali calore de tua bonitate ſuccenſus incipit toto corde diligere.* Obſerua illa verba, *frigidus ac phreneticus*, hæc enim noſtram coniecturam confirmant. *Hippocrat.* *Auguſt.*

124\. His prælibatis circa comparationis iſtius corticem aut teſtam, iam nunc ex illa deliteſcentis ſententiæ cleus eruendus eſt. Græci Patres, Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Theodoretus, omnes in Paulum, & Imperfectus Homilia vndecima in Matthæum, carbones iſtos malam in partem vertunt, ac ſenſum verborum ad hunc modum inſtituunt. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c. id eſt, aduerſario in anguſtias coniecto neceſſaria ſuppedita, & victu famem, potuque ſitim leua: ſi enim ille hoc beneficio affectus non reſipuerit, & hoſtilem animum poſuerit, *Carbones congeres in caput eius*, id eſt, Dei optimi maximi ignitam iram, & indignationem in caput illius accerſes. Imperfectus enim in præmiſſa Homilia ſic habet. *Congerere autem carbones ignis ſuper eum, quid eſt aliud niſi eum magis reum facere apud Deum?* eum ſcilicet grauiorem pœnarum. Origenes verò ſic luculentius. *In quantum inimicis noſtris lædentibus non ſolùm vicem non reddimus, ſed & bona præſtamus, in tantùm pœnas eorum in Dei iudicio cumulamus: eſt enim verè iuſta damnatio, ſi arguantur ante Dominum his intuliſſe mala, à quibus perceperint bona.* Huic expoſitioni ſucceſſent recentiores Pauli interpretes, ſed immeritò, quia neſcio an alia aptius in textum cadat. Ait enim Salomon, *Carbones ignis congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi.* Quod perinde eſt ac ſi dicat: illi vtique irrogabitur pœna, & tibi pro meritis præmium conferetur. Id enim contendo, præmium bene merentis de aduerſario, eiuſdem aduerſarij ſupplicio opponi: quaſi dicat: beneficia in aduerſarium tuum colloca: nam ſi hæc illius animum fortè non emolliant, ipſe quidem ſupplicium, tu verò præmium referes. *Imperfect.* *Origen.*

125\. Quod ſi obiicias, iuxta hanc ſententiam iram & vlciſcendi libidinem non extingui, ſed ali quodammodo & inflammari, quatenus ea propriè in hoſtes beneficos eſſe præcipimur, vt illi acrius puniantur. Occurrit Chryſoſtomus his verbis. *Nam qui iniuriam paſſus eſt, ſi quãdo debilitatus fuerit, non ita ſuis propriis bonis afficietur, vt ſupplicio eius, per quem contriſtatus fuerat. Nihil enim adeò iucundum eſt, atque de inimico ſumptum videre ſupplicium: quod igitur capit, hoc ei primùm largitur, deinde poſtquam venenum illud obtulit, tùm deinceps ad altiora hortatur dicens, Ne vincaris à malo, ſed vince in bono malum. Sciebat enim (etiam ſi beſtia ſit inimicus) inimicum, ſi paſtus fuerit nõ manſurum: ſciebat etiam, eum, qui inimicum ſuum paſcit, & potat, illius ſupplicium deinceps non eſſe deſideraturum. Atque adeò concepta fiducia de rei ipſius exitu, non ſimpliciter interminatus eſt, ſed affatim ſupplicio indulget.* Hactenus Chryſoſtomus, qui elegãter admodum obiectam difficultatem eluſit: cuius ſententia petita eſt ex communi quadã prudentiæ lege, quæ dictat paſſionibus quibuſdam affrænatiſſimis non ſtatim validè obſiſtẽdum, ſed tantiſper acquieſcendum, & obſecundandum eſſe: deinde enim leniùs ac faciliùs ad rationem reuocantur, quemadmodum de his, qui mœſti admodùm ac triſtes ſunt, nuper decernebamus: oportet enim vt quiſquis eos conſolari aggreditur exæſtuanti dolori aliquid initio tribuat, rem luctu & lacrymis dignam eſſe affirmet, &, ſi fieri poteſt, cum flente fleat: vt deinde illius lacrymas ſubiectis rationibus exſiccare poſſit. Eadem lege iracundis mederi oportet, quæ non minus effrænata eſt quàm triſtitia: non enim ſtatim validè coërcendi ſunt, ſed aliquid etiam iræ tribui debet, &, ſi fieri poteſt, cum iratis nonnunquam ira ſimulanda eſt, vt illos facilius, ac ſuauiùs ad lenitatem, & manſuetudinem adducere poſſimus. Id ergo agit Paulus ex mente Chryſoſt. Primum quidem iræ tantiſper acquieſcit; non enim, prorſus vindictam interdicit, ſed id præcipit, ne quis illam per ſemetipſum ſumat, ſed vt illam Deo permittat. Id ſibi vult illud, *Date locum iræ. ſcriptum eſt enim, mihi vindictam, & ego retribuam.* Quod ſi aliquis hoſtem per ſemetipſum vlciſci adhuc velit, ſubdit bonam vindictæ ſumendæ rationem. *Si eſurierit*, inquit, *Chryſoſt.*

quit, *inimicus tuus, ciba illum, &c. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius,* id est, si enim ad eum modum de hoste bene meritus fueris, & ille nihilominus contrà sæuierit, grauissimarum pœnarum apud Deum illum reum facies: hoc sibi vult illud, *carbones ignis, &c.* id est, accumulabis illi hinc, & inde carbones ad verticem vsque: totum scilicet igni immerges apud inferos: (comparatio enim iuxta hanc sententiam in secunda acceptione suprà adscripta adaptanda est.) Statim verò attexit.

136. Chrysostom. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malū.* Hæc verba pereruditè explicat Chrysost. qui per malū ipsum præcipitem iræ motum notari voluit, itaque sic ait: *Istud profectò vincere est; pugnans tunc potissimum vincit, non quando suum ipsius corpus pugna exponit, vt plagas excipiat, sed quando seipsum erucit, efficit, vt omnem suam potentiam aduersarius in aëra frustrà, & inaniter effundat: sic enim nec ipse plagas excipit, & omnes aduersarij vires dissoluit, id quod in conuitiis etiam fit. Nā quando vicissim conuitia ieceris, vinceris, non ab homine, sed, quod turpius est, ab illibero illo iræ affectu exsuperaris: si verò tacueris, & vincis, & trophæum figis.* Itaque Paulus mentem suam aperit, & quo astu iræ quodāmodo in superioribus acquieuerit, ostendit his verbis. Ideò enim iracundis hoc dederat, vt beneficiis collatis diuini numinis iram in hostes prouocaret, quia futurum sciebat, vt & hostes beneficiis obstricti in gratiam redirēt, & iratus in illos beneficia collocans conceptam iram facilè deponeret. Igitur propterea subdit. *Noli vinci à malo,* idest, noli ab indignatione tua indecorè vinci, *sed contra vince in bono malum,* idest, beneficiis tuis hostem promeritus vince iram tuām. Quasi dicat, iræ tuæ quodammodò obtemperare videor, sed tamen id volo, id contendo, vt ea ratione iram ipsam peruincas, & illam tibi subiicias. Satius enim est iram ipsam officiis, quàm hostē iniuriis superare. Hæc est Chrysost. mens, quem propterea longiori oratione discutere volui, quia huic interpretationi plurimū tribuo. Atqui videtur inuehi in illam D. Augpst. serm. 163. de tempore his verbis.

Augus. *Hoc ergo loco cum grandi diligentia obseruandū est, ne fortè dum eum bene non intelligimus, de medicamentis nobis vulnera faciamus; solent enim nonnulli hoc præceptum quasi ad satiandum furorem suum assumere, dicunt enim, ecce cibabo inimicum, vt ardeat in æternum. Auertat Deus eiusmodi intelligentiam ab animis nostris.* Auertat certè; est enim impia eiusmodi sententia, cæterùm si ad Chrysost. mentem accommodetur, pia est atque prudens adhortatio, vt nuper diximus.

137. Sed licet præfatam interpretationem, quam tot Græcis patribus placuisse video, plurimi faciam; tamen alias subiiciam, quæ magis probantur. Secunda igitur

Origen. expositio est Origenis loco citato, qui postquàm datam supra expositionem paucis complexus est, statim subscribit. *Tamen videamus, dignius ne aliquid mādati huius contineat intellectus; dicit enim, & Hieremias Propheta ad peccatricem filiam Babylonis, Habes carbones ignis, sede super eos, hi erunt tibi in adiutorium. Fortassis ergo, & isti carbones ignis, qui congregantur super caput inimici, in adiutorium ipsius congregantur. Potest enim fieri, vt amens, ferus, & barbarus inimicus, si sentiat beneficium nostrum, si humanitatem, si affectum, si pietatem videat, compunctionem cordis capiat, commissi pœnitudinem gerat, & ex hoc ignis in eo quidam succendatur, qui eum pro commisso conscientiæ torqueat, & adurat; & isti erunt carbones ignis, qui super caput eius ex nostro misericordiæ, & pietatis operæ congregātur. Caput verò principale cordis appellatur, & meritò caput dicitur, cuius intellectu, & prudentia membra reguntur vniuersa.* Hactenus ille, qui per istiusmodi prunas aut carbones illatæ contra proximum iniuriæ conscien-

A tiam intelligit, quæ mentem ac rationem (hæc enim, est superior hominis pars) tunc demum, carbonum in morem, adurit acrius, cùm læsus iniurias officiis compensare incipit. Nam iniuria proximo illata, & expetita vindicta, quæ prius propter vlciscendi libidinem oblectabat plurimum, post acceptam ab hoste gratiam eadem animum reum vehementer torquet, & carbonis in morem, acrius adurit caput, id est, rationem, quæ in capite residere putatur, vrget ac pungit, ad gratiam scilicet, charitatemque illi rependendam stimulat: qui de ipso benemeritus est.

Tertia expositio est Hieron. in Epistola ad Hedibiam quæst. 1. qui per Carbones illos illatæ iniuriæ 138. Hieronym.
B pœnitudinem intelligit, quam in aduersario excitat ille, qui in ipsum beneficus est; sic enim scribit. *Quando enim inimicis nostris præbemus beneficia, malitiam eorum nostra bonitate superamus, & mollimus duritiam, iratumque animum ad mollitiem & beneuolentiam flectimus, atque ita congregamus carbones super capita eorum, de quibus scriptum est; Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis. Vt quomodo de altari Seraphim carbo sublatus, Prophetæ labia purgauit, ita & inimicorum nostrorum peccata purgentur,* scilicet admissi pœnitentia. Quod li. 1. contra Pelagianos iterum apertiùs insinuauit; sic enim habet *Hoc enim faciēs carbones ignis congregabis super caput eius, non in maledictum, & condemnationem, vt plerique existimant, sed in correctionem, & pœnitudinem, vt superatus beneficiis, excoctus feruore*
C *charitatis inimicus esse desistat.* Concinit etiam D. August. libr. 3. de doctrina Christiana cap 15. vbi sic fatur. *Ne igitur dubitaueris figuratè dictum, & cum possit dupliciter interpretari, vno modo ad nocendum, altero ad præstandum; ad beneficentiam te potius charitas reuocet, vt intelligas carbones ignis esse vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseria subuenitur.* Sed cur istiusmodi pœnitentia de illatis illi iniuriis concepta, à quo beneficia, & auxilia quis reportauit, carbonibus confertur? quia ignita est, & charitatem, & beneuolentiam extinctam iterùm inflammat, animumque odio, ceu glacie quadam rigentem, calefacit. At rur- Augus.
D sus, inquies, cur carbones illi capiti immitti non autem in sinum, aut in præcordia coniici dicuntur? *Caput in homine* (verba sunt Augustini) *sensus rationabilis est, qui sensus cùm à feruore charitatis recedit, factus est frigidus.* Magnam ergo huic sententiæ energiam attulit Salomon cùm dixit; non præcordia, id est, voluntatem, sed *caput,* hoc est intellectum, & rationem à pœnitentia illa ignita, & charitatem spirante incalescere, vt significaret ex acceptis beneficiis amorem quendam in aduersario accendi, qui ad mentem vsque perueniat, & secundum propriam, & genuinam vim suam, illam permoueat ad bene sentiendum de aduersario suo; nam, iuxta peruulgatam philosophorum sententiam, beneuola affectio erga aliquam rem
E ad bene de illa opinandum facit plurimum. Itaque prunarum cumulus caput inflammans, amor est menti bona quæque de aduersario suadens.

Quarta expositio Augustini, per *carbones super caput,* verecundiam notari vult; nam sermone illo 163. de tempore sic habet. *Carbones ignis congeres super caput eius; cùm enim inimico tuo pio animo frequentius benefeceris, quamlibet sit impius, & crudelis, barbarus, & cruentus; tamen tandem aliquando erubescit, & dolet, & pœnitere incipit quod admisit,* &c. Nec abit hæc interpretatio à vulgato apud nostrates dicendi modo; nam de illo, cuius facies rubore succenditur, iactare solemus, *tiene el rostro como vnas brasas.* Et quidem primus comparationis istiusmodi modus supra adscriptus huic expositioni accommodatissimè aptatur 139.

hoc

hoc modo, *si esurierit inimicus tuus*,&c. id est, aduersario tuo opportunè succurre, cùm opera tua indiguerit; nam si ita feceris carbones igniti; aggerati, & congesti, in facie ipsius quodammodò promicare videbuntur: is enim qui ab eo, quem priùs læsit, beneficiis cumulatur, pudore mirum in modum suffunditur; qui pudor non aliter faciem inflammat, & colorat, quàm si ignitis carbonibus obiecta ardorem & calorem ignis conciperet. Hispanè diceremus, *le pondra lacara como vnos brasas de pura verguenza*.

140. Quinta interpretatio est eiusdem Augustini in præfato sermone, qui per istiusmodi carbones caput vrentes, ipsammet Charitatem, quæ sublata simultate iterum redit, accipiendam esse dicit. *Caput*, inquit, *in homine sensus rationalis est, qui sensus cùm charitatis igne recedente factus fuerit frigidus, necesse est, vt quod obest saluti, contrarium sapiat, vt cui deberet esse amicus, inimicus existat. Ad sanandum ergo talem phreneticum, homines sanctos, & charitatis igne succensos hortatur Spiritus sanctus dicens: Carbones ignis congeres super caput eius. Nam eo modo sensus rationalis, hoc est, caput ipsius, incipit charitatis igne succendi, & qui prius quasi frigidus, & phreneticus contra te consueuerat iracundiam retinere, spiritualî carbone de tua bonitate succēsus incipit toto corde diligere*, &c. Hæc ille, ex quibus constat Augustinū planè ad eam phreneticos curandi rationem spectasse quam supra dedi, & eadem ratio est de syderatione, & apoplexi, (nā vtriusque morbi est cerebrum frigore obtundere, & hebetare) atque adeò acerra ignitis carbonibus plena, & capiti imposita, vtrique præsentissimè succurrere solet. Atqui conceptam in aduersarium iram phrenesim esse compertum est. Addo etiam nunc apoplexim meritò appellari, tum quia læthalis morbus est, vt docet Ioannes in 1. Epist. cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, tum etiam quia apoplexis sensus statim ligat ac mentem eripit, quod iræ maximè proprium est. Adhæc, morbus hic subitò hominem inuadere solet, sic etiam omnis ira subita est. Denique huius morbi curatio difficilis, & eiusdem medicamēta valdè acerba: indignationi etiam mederi difficile admodum est, nec sine acribus remediis ad sanitatem iratus adducitur. Cæterùm in tam difficili ac desperata ægritudine tanta est beneficentiæ vis, vt quemadmodum syderationi, & apoplexi carbones igniti ad eum modum capiti impositi ita subuenire solent, vt nullum remedium præsentius sit, quod frigus capite conceptū expellere, sensus obtusos acuere, & ereptam mentem restituere possit. Ita etiam nullum est beneficentia efficacius medicamētum, quod indignationis morbum curare queat pulso nimirum odii implacabilis frigore, mente ac sensibus restitutis. Ad energiam autem huius sententiæ pertinet, quod pro acri, & austero valde remedio facile medicamentum offert Salomon. Quasi dicat, id, quod aliàs carbonibus ignitis, aut aliis acrioribus remediis indigeret, suauissimo beneficentiæ medicamento sanatur.

Augus. 1. Ioan. 3.

141. Sed licet hæc omnia appositè dicta sint, tamē nescio an potius dici debeat per carbones istos ipsissima beneficia in aduersarium collata accipi, quæ nimirū aut obiecta vultui verecundiam prædicto modo accendant, aut cumulata frigidum caput charitatis calore foueant, aut imposita indignationis phrenesim seu apoplexim, ratione supra adscripta, penitus sanent. Sed aliquid de emphasi, & energia istius sententiæ subiicere libet, si lectionem exemplarium sequamur, quæ sic habet. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum pane, & si sitierit, propina illi aquam*. Et siquidem per *panem & aquam*, id tantummodò accipiamus, quod sonat, dicemus sanè Salomonem beneficentiæ vim amplificasse, quæ tanta est, vt aqua tantummodò ac panis hosti opportunè donata ad maximas discordias obruendas, pacemque restituendam valeaut. Illud verò sententiam in primis acuit quod ait panem, & aquam in prunas verti beneficentia intercedente, contraria nimirum ex contrariis. Hæc certè non insulsè dicuntur.

Tamen, vt supra obseruaui, in hoc loco *panis* pro cibo, *aqua* pro potu in vniuersum accipi debent, suadent hoc duæ locupletissimæ translationes LXX. & Pauli supra exhibitæ, quæ absolutè habent. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, & si sitierit, potum da illi*. Neque verò hæc panis, & aquæ significatio insolens est in scriptura, Ecclesiastici decimo quinto. *Obuiabit illi quasi mater honorificata, &c. cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum*. Isaiæ 3. *Omne robur panis, & omne robur aquæ*, & capite quarto, *Panem nostrum comedimus, & aquam nostram pecunia bibimus*, & supra cap. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior*. Nam in his atque aliis plerisque scripturæ sacræ locis, panis, & aqua victum potumque omnem adsignificant. Ergo secundùm hanc panis, & aquæ acceptionem sensus perelegans conformari potest. Sic lego cum Paulo. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitierit, potum da illi*. In priori hemistychio obseruari debet verbum illud ψώμιζε, quo vsus est Paulus, quod, vt initio dicebam, propriè significat *escas incidere*, & partiri, & licet nonnumquam significet escas pauperibus frangere ac distribuere, apud eundem Paulum 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero omnem substantiam meam in cibos pauperum*, &c. vbi est, ἐὰν ψωμίσω, tamen in conuiuiis vsurpatum propriè significat partes, quas Græci μέρας appellant, amicis, & familiaribus destinare in beneuolentiæ cuiusdam argumentum. De hac veterum consuetudine pluribus egimus in cap. 2. Cant. vers. 4. Ex pluribus autem pauca excipe. Erat enim non vulgaris amoris significatio amicorum erga amicos, in conuiuiis incisas ex sibi propositis ferculis partes, aliquando etiam admorsas, & prægustatas, amicis offerre. Apuleius lib. 8. *Partesque surreptas clanculum, & prægustatas offerebat hilaris*. Suetonius in Calig. *Qua epulatione equiti Romano contra se hilarius auidiusque vescenti partes suas misit*. Et Lampridius de Alexandri Seueri parsimonia. *Semper*, inquit, *de manu sua ministris conuiuij, & panem, & partes, aut olerum, aut carnis, aut leguminum dabat*. Mitto alia prophana; illud ex sacris suppetit Genes. 44. *Et mirabantur omnes sumptis partibus, quas ab eo acceperant, & maior pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet*. Quibus verbis significatur id officij à Ioseph præstitum cunctis fratribus in beneuolentiæ argumentum; sed Beniamin præ cæteris ea gratia decoratum, ita vt quinquies eo officio condecoratus fuisset: nam si hæc verba de quincupla portione Benjamino fratrum minimo apposita cum aliis accipias, Iosephi prudentiam extenuabis, qui cibos illi apponeret superfluos, & aliorum fratrum tanta disparitate gratiam læderet. Huc spectat etiam (ni fallor) Ecclesiast. cap. 32. vbi de cōuiuij Rege aut symposiarcha verba faciens, sic addit. *Vt ornamentum gratiæ accipias, coronam, & dignitatem consequaris corrogationis*, nimirùm vt conuiuæ alij collatis partibus te cohonestent in beneuolentiæ significationē. Rursus in secundo hemistychio non omittenda est vox originalis, nam pro illis verbis, *da illi aquam bibere*, in originibus est השקהו ex verbo שקה *Sakah*. i. *propina illi*, quod verbū in conuiuiis etiam locū habet, & prouocationes illas adsignificat, quibus cōuiuæ mutuò se ad bibendum inuitare ac lacessere solent, alij aliis præbibentes, & saluere iubentes; qui mos hodie etiam

142. Eccles. 15. Isai. 3. & 4. 1. Cor. 13. Apuleius. Sueton. Lamprid. Gen. 44. Eccles. 32.

etiam apud nos viget. Vide plura quæ hac super re coniecimus in eum locum Cant. 2. vers. 4. vbi quanta esset in his propinationibus amoris, & beneuolentiæ significatio, pluribus exemplis exposuimus.

143. Iam intelliges, quò tendant ea, quæ hactenus præmisi. Existimo ergo Salomonem in hoc loco ad perantiquas illas beneuolentiæ insinuandæ rationes in conuiuiis spectasse, atque adeò sensum esse. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Vel, si vim vocis originalis exprimere licet, *incide illi escas*, id est, non modò illum pasce, famem illius leuans, sed, si fieri potest, excipe illum lautius, ad conuiuiumque accersitum oblatis partibus in amoris argumentum condecora. *Et si sitit, potum da illi*, hoc est, propina ei, illum scilicet præbibendo saluta, & officiis omnibus prosequere, *hoc* B *enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Hæc nimirum officia, & beneficia pro carbonibus ignitis erunt, quibus pudorem simul, & amorem eidem afflabis. Itaque suadet nobis Salomon præstantissimas quasque amoris significationes inimicis præbere, hæc enim eorum animos magnopere emolliunt, & posita indignatione ac sæuitia ad lenitatem traducunt. Ex aliis verò significationibus illius verbi ψώμιζε, quas initio præmisi, tu tibi alias interpretationes effingere poteris, est enim satis grauida illa vox.

23. Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

144. Ventus Aquilo, &c. Hebr. *Ventus Aquilo parturiet pluuiam*, sic plerique vertunt, nam dictio תחולל *Thechulel*, ex חלל *Chalal*, significat *fugare*, & *parturire*. Chal. *Ventus Aquilo concipit pluuiam: sic facies irati, & lingua abscondita.* Et quidem posteriora verba, si origines consulas, ambigua sunt, & ancipitia; sunt enim in recto, hoc modo. *Facies conturbata lingua detrahens*; atque adeò licet conuertere. *Et facies tristis linguam detrahentem*, seu vicissim, *& faciem tristem lingua detrahens.* Ergo Caietanus locum illum sic extulit. *Aquilo parturiet pluuiam, & faciem iracundam lingua absconsionis.* Vatabl. *Vultus seuerus linguam delatricem* LXX. *Ventus Aquilo suscitat nubes, facies autem tristis linguam irritat.* Aquila. *Ventus Aquilo parturit imbrem.*

Ex diuersis translationibus diuersas admodum sententias depromere licet. Si ergo legas cum quibusdam. *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & faciem tristem lingua detrahens*, sensus vtique referendus erit ad eam voluptatem notandam, quam ex detractione haurire solent obtrectatores maledici, sæpè enim videas illos, alioqui subtristes, & vultu depresso hærentes, si detractorius sermo in fabulam incidat, subitò deposito mœrore erigi, & frontem exporrigere. Quorsum hæc? Tristitia, & mœror vultum quodammodò obnubilat, atrumque reddit; lætitia contrà frontem serenat. Ait ergo Salomon. *Sicut ventus Aquilo* è cœlo pellit nubila, purumque illum ac sudum reddit; ita etiam *lingua detrahens*, facies obstrectatorum tristes (liceat sic dicere) enubilat, serenas, claras, & exporrectas efficit. Quantam verò voluptatem obtrectatores illi ex calumniis atque maledicentia percipiant, innuit Lucianus apud Stobæum his verbis. *Quosdam comperi studio detractionis adeo suauiter titillari, vt si pennis confrices.* Respondet auté modus iste loquendi vulgaris apud nostrates paræmiæ, *como si se bañar an en agua rosada*, atque adeò vbi maledici, aut calumniari cœptum est, omnis ab illis discedit tristitia, & seriò lætari gestireque videntur. Stobæus.

145. Caietanus suam illam lectionem, *Ventus Aquilo* A *parturiet pluuiam, & faciem iracundam lingua absconsionis*, aliter exponit. Præmittit autem ventū ex Aquilone flantem in plerisque regionibus nubes dissipare ac soluere, in his maximè, quæ ad Septentrionem pertinent; at in aliis, quæ ad meridiem vergunt, nubes cogere, & pluuias excernere solitum. Sic Aristoteles, Metheor. lib. 2. c. 3. *Aquilones*, inquit, *euaporosi sunt, quippe qui ab locis humidis, & frigidis ingruant, atque ob id frigidi: sed apud nos amœni minúsque cœli auctores sunt, quod nubes disyciant, & abigant; contra australibus in locis, iisdémque cōtrariis in qua nubes impellāt, aquosi.* Et iterum in problem. sect. 26. *Aquilo* (inquit) *Hellesponto atque Cyrenæ imbrem affert.* Solet etiam aliquando apud nos Aquilo nubes cogere, vt admonet Magnus Albert. sed hyeme quidem niues effundit, æstate autem nimbos agit, nubes scilicet, grandinem, fulgura, fulmina, & tonitrua eiaculantes. His ergo positis Caietan. locum illum sic edisserit. *Quemadmodum*, inquit, *ventus Aquilonaris generat pluuiam, ita lingua detrahens generat faciem iracundam in illo, aduersus quem detractio, susurratio, delatio, & id genus reliqui sermones habiti sunt.* Frigida est hæc interpretatio. Quid enim iracundæ faciei cōmune cū nube, & pluuia? melius certe, & accommodatius redderet, *Et faciem tristem lingua absconsionis*: nam tristis facies, lacrymisque ex mœrore perstillans, cœli nubibus obducti, & pluuias vbertim effundentis quandam speciem refert. Tunc verò sensus erit, sicut *ventus* C *Aquilo* in australibus terræ plagis nubes cogit, & in pluuias soluit; ita etiam *lingua detractoris*, in his, quorum famam, & honorem violat sæpè admodum tristitiæ nubila, & lacrymarum imbres ciet. Aristot. Caietan.

Sed licet hæc non ineptè dici possent iuxta præmissam interpretationem, tamen si ab ea lectione nō discedamus, quæ significat, Aquilonem nubes ac pluuias nonnunquam parere, præferenda est translatio LXX. quæ bonum ad sensum vocari potest. *Ventus Aquilo suscitat nubes, facies autem tristis linguam irritat.* Ergo si huius venti naturam spectemus, illud certa experientia compertum est, quod si quando hyeme vehementiùs incitatur, solet tandem in pluuias desinere: nam Aquilones vehementius perflātes, D austri ferè excipere consueuerunt quadam naturæ ipsius lege, quam obseruauit Aristoteles loco citato. Quemadmodum enim in homine cùm manus, aut pedes ex frigore obriguerunt, sanguis calidus, qui ad ima viscera priùs compulsus fuerat, postmodū euocatus ad fouendos, vel pedes, vel manus, tanto impetu accedit, vt vim caloris perferre vix possint: Ita etiam cùm plagam aliquam frigidi Aquilones glacie sua diutius infestarunt, humidi calentesque vapores, quos prius fuga contrarij in terræ viscera compulerat, coacti denuò in aduersarium ruunt, & in nubes glomerati glaciem soluunt, & telluris siccitatē aquis pluuialibus infundunt. Itaque Aquilo hac demùm ratione *nubes suscitare*, vel, vt est in originibus He- E braïcis, *pluuias parturire*, dici potest, quatenus tunc cum vehementiùs inflatur, futuras nubes portendit, quæ dicto modo ad coërcendam aduersarij vim coactæ, & conglobatæ incumbunt cœlo. Iam intelligis quò tendam? *Ventus Aquilo suscitat nubes* (inquit Salomon) *facies autem tristis linguam irritat*, id est, quemadmodum cùm Aquilo vehementiùs sese incitauit, vapores, qui prius aduersarij vim declinantes sese continuerant, magno impetu erumpentes cœlū obducunt, & nimbos effundunt; idem de tristi facie iudicium ferendum est. Alloquitur autem Salomon in hoc loco difficiles atque morosos superiores, vel præpositos. *Tristem* autem *faciem* appellat seuerum nimis, morosum ac molestum eorum ingenium, facie, & externis aliis significationibus insinuatum, additque 146.

additque ab eiusmodi facie ac vultu seuero, & tristi, subditorum linguam ad maledicendum assiduò stimulari: Nam licet aliquandiu sese exhibeat, interim tamen maledicta, & probra cogit; quæ postmodùm maiori cum impetu effundat. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem superiores incusat, qui seueri nimiùm, & morosi erga alios sunt, atque illos ferè ob hanc seueritatem maledicta, & probra à subditis plerúque referre solitos dicit, quos sua morositate exercent. Sicut enim rigentes Aquilonis flatus, pluuia, aut nimbus consequitur; ita etiam superioris (liceat sic dicere) acerbos rigores maledictorum nimbus insequi solet. Nam ea maledicta, & probra, quæ, veluti vapores quidam calidi aduersarium fugientes, in occulto, & arcano priùs conferabantur, conglobata demùm in apertum sese dant, &, nimbi ad instar, in morosum superiorem effunduntur.

147. Possumus etiam lectionem LXX. alia interpretatione donare, si in memoriam iterú vocemus id quod nuper diximus, Aquilonem in nostris etiam regionibus nubes aliquando cogere solitum (vt tradit Albertus, cui experientia fidem facit) nubes, inquam, non imbriferas, sed ex his, quę hyeme niues ad grandinem, æstate verò grandinem quoque, aut nimbos effundunt, fulmina iaciunt: & tonitrua magna emittunt. Itaque sensus erit facilis. *Ventus Aquilo suscitat nubes, facies autem tristis linguam irritat.* idest, Quemadmodum ventus Aquilo sæuus, & rigidus, non semper nubes discutit, sed nonnumquam eas excitat, & quæ ab illo excitatæ sunt, non placidos imbres, sed grandinem, aut nimbos ingentes, fulmina quoque ac tonitrua emittunt: sic etiam superioris nimia seueritas aut sæuitia facie testata, non semper subditos in officio continet, imò sæpius linguas eorum in se commouet, quæ, veluti nubes rigido ab Aquilone actæ, & inspiratæ, maledictorum nimbum, aut copiosam grandinem, contumeliarum tonitrua, & iniuriarum fulmina in ipsummet superiorem eiaculentur. Nil certius. Quapropter superiores nimiam seueritatem & morositatem cauere in primis debent.

148. Sed ad Vulgatam lectionem veniamus, quæ longè diuersam sententiam continet. *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.* Sonus verborum adeò luculentus est, vt vix interprete indigeat. Lingua detrahens cum nube imbrifera aptè confertur. Quid sereno cœlo nitidius ac splendidius? illud tamen nubes obducunt, & splendorem ac nitorem illius eripiunt. Eiusmodi est lingua detractoris, nemini parcit, nullus est tam sublimus ac splendidus, cuius gloriam hebetare, & perstringere non audeat. Rursus linguæ detrahentis naturam nubes imbrifera alio ex capite perspicuè adumbrat. Huius enim superna pars, qua soli obuertitur, candida est ac splendida, acceptosque radios per repercussionem in solem ipsú quodammodò reuerberat; inferno verò quæ ad terram spectat, atra & obscura, ipsius solis candorem offundens; non aliter lingua detrahens erga præsentes candidam gratiam ac iracundam præbet, eorum laudes libenter vsurpat, & per omnia illis probari cupit; absentium verò splendorem famamque denigrat & offuscat, & in ipsorum probra ac vituperia tota soluitur. Ad hæc Antonius Monach. in Melissa serm. 53. sic habet. *Vt Cacias ventus nubes, sic piorum vita improborum in se cogit conuitia* (sic restituendus est locus iste, vt locuples quidam auctor obseruauit, quē alij aliter extulerunt) quasi dicat, hoc vitæ honestæ atque iustæ proprium est, vt non aliter improborum hominum conuitia, & probra in se conuertat, quàm ventus auster nubes colligit, sicut enim calidus ille ventus vapores terræ leuat, qui in nubes deinde conglobantur, sic etiam honesta piorum hominum vita inuidiam, & odium excitat improborum, quod tunc demùm (liceat sic dicere) in conuitiorum atras nubes conspissatur. Salomon ergo sic ait; Sicut vetus Aquilo nubes dispellit ac difflat, sic etiam facies tristis, & seuera auditoris, detractorum conuitia auertit, queis vita piorum, tanquàm atris quibusdam nubibus, obscuratur, & linguas eorum compescit. Hanc ipsam sententiam alia similitudine inuoluit D. Hieron. ad Rusticum. *Sicut sagitta, inquit, si mittatur contra duram materiem, nonnunquam in mittentem reuertitur, illudque completur, facti sunt mihi in arcum prauum. Et qui mittit in altum lapidem, recidit in caput eius; ita detractor cum tristem faciem viderit audientis, imò ne audientis quidem, sed obturantis aures suas, illicò conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua fugatur.* Nam vt habet Glossa in Psalm. 50. *Si tristi vultu detractorem audieris, discet ille non libenter dicere, quod nouit non libenter audiri.*

Antonius. Hieron. Psal. 77. Prouer. 26.

---

24. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa in domo communi.*

HÆc verba ipsissima occurrunt supra cap 21. vers. 9. vbi eadem longa interpretatione discussimus.

---

25. *Aqua frigida animæ sitienti: & nuntius bonus de terra longinqua.*

AQua frigida, &c. Hebr. *Aqua frigida super animam lassam, & auditus bonus de terra longinqua.* Chald. *Sicut aqua frigida animæ lassæ, sic nuntium bonum, &c.* Concinit etiam Vatablus, Caietanus, & alij Hebraïzantes, qui pro voce illa *nuntius*, neutro genere *nuntium* reddunt, sed dissidium hoc leuissimum est, & sententia minimè euariat. Hieronymus vestigia pressit LXX. qui sic locum istum extulerunt. *Sicut aqua animæ sitienti blanda, sic nuntius bonus de terra longinqua.*

Hæc sententia parum abit ab illa superiori, *Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum; animam ipsius requiescere facit.* Vide ibi multa, ex quibus pleraque in hunc locum transferri possunt. De istius comparationis energia aliquid hîc adscribā. *Aqua frigida animæ sitienti.* Hebr. *animæ lassæ.* Posteriora illa verba, *de terra longinqua*, non modò cum nuntio bono, sed etiam cum aqua frigida copulari debere quidam sentiunt, vt similitudo aptè in rem ipsam quadret hoc modo. Sicut aqua animæ lassæ è terra longinquá perlata, sic bonus nuntius ex longinquis regionibus aduentās. Comparatio enim sic instituenda est. Quemadmodùm viator aliquis in loco inaquoso siti arescens, lassitudine deficiens, vlteriusque ad fontem progredi non valens, adducta longo ex interuallo aquæ frigidæ potione, reficitur, vires ac spiritum recuperat: ita etiam homo loco dissitus, ex desiderio optatæ rei sitiens diuturna expectatione lassus, & ab spe in desperationem nimiam decidens, cùm quisquam boni aliquid è longinquo perlatum certò denuntiat, refrigerium, vires ac spiritum recipit. Itaque comparatio initur inter aquam distanti ex loco, & nuntium bonum longinqua ex regione perlatum Potest etiam aliter comparatio efformari. *Aqua frigida*, Hebr. מים *Maiym*, idest, *aqua*; quæ vox in scriptura flumina passim adsignificat Ecclesi. 10. *Mitte panē tuum super transeuntes aquas*, idest, iuxta flumina. Vulgo *en las vegas*, Isaiæ 43. *Cum transieris* Eccles. 10.

fieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. A Psal. 1. Psalm. 1. *Quod plantatum est secus decursus aquarum,* &c. in quibus locis,& sæpe aliàs vox illa *Maym*, fluminibus aut riuis accommodatur : fluminibus autem id proprium est, vt ex longo interuallo, vbi scaturigines suas habent, in alienas regiones influant. Bona ergo,& fœlix denũtiatio aliunde allata, aptè confertur cum flumine ex longinqua regione in aliam deriuato, & quidem si *nuntium* legamus, non autem *nuntius*, per hunc fluminis decursum nõ ineptè significatur famæ percrebescentis, sensimque ex vna in aliam regionem labentis,& permanantis natura. Hoc Isaie 32. verò ad sitim extinguendam facit Isaïæ 32. *Sicut riui aquarum in siti,& vmbra petræ prominentis in terra deserta.* Quo in loco ducitur similitudo à viatore, qui B fassus ac sitibundus ad riuum aut flumen peruenit,& rupis alicuius extantis vmbrã nactus decumbit. Auget autem emphasim clausula illa, *in terra deserta*, pro qua aliqui restituunt, *in terra arida*. Itaque sensus est, sicut viator qui per plagam aliquam arentem iter conficiens, ad flumen decurrit, ad flumen, inquam, quod ex longo tractu in aridam illam atque inaquosam tellurem deriuatum est, &c. Pari etiam ratione Salomon noster comparationem ducit à viatore, qui ex longa via lassus, sitique enectus flumini occurrit, itaque eum, qui alicuius rei expectatione angitur, cum viatore componit ; nuntium verò longinqua è regione perlatum cum flumine etiam è distanti plaga decurrente pereleganter confert.

C 150. Beda. Cæterùm cùm omnes huius libri sententiæ ethicæ sint,& ad mores spectent, non facilè occurrit, quid moris contineat iste locus. Beda existimat per legatum istum bona,& infœlicia denuntiantem, bonum Angelum intelligi posse:sic enim ait. *Angeli quotidie de terra longinqua, hoc est, à superna patria descendentes, iustos, vel in tentatione spe cœlestium roborant, vel finitis tentationum certaminibus ad palmam perpetuæ tribulationis inducunt.* Itaque per aquam longinqua ex terra adductam refrigerium intelligunt, quod in tentationibus ipsis, aut post tentationes Angeli cælitus Hugo. suppeditant. Hugo. *Bonus nuntius,* inquit, *est bonus prædicator bonos rumores nuntians de terra longinqua, id est, de cœlesti patria,* &c. Alij Christum Dominum D intelligunt, qui Euangelium, id est, bonum nuntium nobis attulit. Cæterum hæc mystica sunt.

151. Si tamen ad literam spectemus, vt verba ista ad mores traducantur, dici potest Salomonem alloqui ministros, quibus res magni momenti in remotis regionibus peragendæ commissæ sunt, vt scilicet re cõfecta quàm citissimè per literas, aut per nuntios moneant illos, quorum res ipsa interest, quò eorum angorem,& anxietatem sedare possint, quia quandiu in alea res est & futuri euentus spe torquentur, similes sunt lassis,& siti enectis viatoribus, atque adeò hi, qui illis bona,& fœlicia denuntiant, nihilo differunt ab his, qui lassis ac sitibundis frigidæ largam pótionem E suppeditant. Vel sermo dirigitur ad eum, qui rei alicuius diuturna expectatione angitur ne parcat, sed nuntium fidelem quamprimùm mandet, vt certior factus angorem, & anxietatem animi deponat. Aut aliter(quod magis probo,) suadet Salomon, vt bona, & fœlicia libenter alis denuntiemus, infausta verò, & infœlicia non ita ; illud enim ex charitate, hoc ex inuidia fluere solet. Vult nimirum Salomon vti cùm aliis prospera nuntiamus fluminum instar sponte sua labentium, sponte quoque feramur;& occurramus, atque proximis id refrigerij libenter impertiamur.

---

26. *Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio.*

152. FOns turbatus, &c. Hebr. *Fons conculcatus, & vena corrupta iustus lapsus ad faciem impij.* Vatab. *Fons conturbatus, & vena corrupta,* &c. Chaldaïc. *Sicut qui obturat fontem, & corrumpit venam,* &c. LXX. *Sicut si quis fontem obstruat, & aquæ exitum disperdat, sic indecens est iustum cecidisse coram impio.* Et quidem pro *fonte* subest vox illa עין *Ghen*, pro *vena* autem מקור *Makor*, inter quas voces hoc interest quod *Ghen*, fõtis scaturiginem sonat; *Makor* verò aquę ductum,& meatum per quem regitur, ac demum effluit, vt obseruant in hunc locum Hebræi. Id verò quod Hugo atque alij de vena sanguinis commenti sunt, à sensu literali omnino abhorret. Rursus verba illa, *Iustus cadens coram impio*, alij sic extulerunt. *Iustus inclinans se,* &c. verbum est מט *Mat*, ex radice מוט *Mut*, significat autem *cadere, labi, nutare, inclinari*. In hoc autem loco non vnam significationem sortiri potest ; nam *iustum cadere coram impio*, est ab impio impelli in ruinam, ab impio prosterni, subiugari, aut etiam de medio tolli, vel impio sponte inclinari, & illi acquiescere ; vel impium adorare. Hanc enim vim aliqui huic verbo tribuunt, iuxta illud Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.*

153. Hinc certè dissimiles valdè interpretationes fluxerunt. Prima est Bedæ, qui per *impium*, diabolum intelligit, ac locum istum sic edisserit. *Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio.* i. iustus, qui diabolo impellente ruit, labiturque in grauiores culpas, nihil differt à fonte, qui emoto cœno exturbatur,& inficitur, quia mens illius subiectæ carnis limo subeunte offuscatur, iuxta illud, *obscuratum est* Rom. 1. *insipiens cor eorum,* &c. Aliqui priorem similitudinem fontis exturbati ad reticentiam admissi criminis referendam putant ; ita vt sensus sit, iustus, qui diabolo suadente, in ruinam actus est, suam statim culpam nõ aliter cælare,& occultare satagit, quàm fons quispiã liquidus,& emoto cœno infectus, qui nihil eorum, quæ deintus latent, visendum præstat. Hoc enim differt iustus ab iniusto, ille enim, limpidi ad instar fontis, vitreus omnino ac pellucidus est, hic contra, turbatæ in morem scaturiginis, obscurus,& ater. Ad hũc sensum allici potest translatio LXX. & Chaldaïca, quæ priora illa verba sic extulit. *Sicut is qui obturat, vel obstruit fontem.* Quid enim ei magis adsimile, qui perpetrata scelera fateri abnuit, quàm is, qui fontis meatum obstruit ? Vide multa de hac similitudine supra cap. 10. ver. 11. vbi circa eam fontis obturati comparationem, id certè obseruauimus, fontem illum, cuius meatus obstruitur, alibi effractis aquæ ductibus erumpere solitum, atque ei simile quid euenire diximus illi, qui peccata sua reticet ; hæc enim diutius contineri non possunt ; sed si quis os suum obturat, ne effluant, ex alieno ore erũpunt. Propterea id in mandatis habes. *Dic tu iniquitates tuas prius vt iustificeris,* Isai 43. aliàs *prior*, dicitur autem *prior* respectu posterioris. Quasi dicat, ni prior ipse dixeris, alius aliquis easdem enuntiabit. Similem ad modum de alia comparatione fontis exturbati statuere licet. Sicut enim fons initio turbatus, & emotus perbreui interuallo subsidente limo inclarescit, adeò vt quidquid in illo prius latuerat, postmodum perspicuè visere liceat; ita etiam crimina admissa, quæ diabolo suadente, homo celat, ac reticet, haud longo tempore mendaciis, simulationibus, & excusationibus veluti subsidentibus cunctis innotescunt;& siquidem in hac vita omnino culpas celare liceat, tunc certè, cum ad Dei tribunal

1.Cor.5. bunal sisti necessum erit, manifestissimè prodentur. Ait enim Paulus 2.ad Corinth.5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi* Græcè, φανερωθῆναι licet sic vertere, *diaphanescere*, id est, limpidissimorum ad instar fontium vitreos, & pellucidos effici, vt nostra delicta non Deo solùm, sed Angelis etiam atque hominibus spectabilia sint.

154. Sed ad verba Salomonis memet referens, *& vena*, inquit, *corrupta*. Hæc est altera cõparationis pars, quam illi, qui à diabolo in ruinã alicuius culpæ grauioris actus est, sic accommodat Hugo. Hugo. *Sicut ex vena corrupta sanguis corruptus emanat, sic etiam casus iusti diabolo procurante multis est occasio corruptionis.* Sed, vt nuper dicebam, sanguinis vena huic loco perperam aptatur: si tamen ab ipso nominum sono abduci te sinas, & aliquid de sanguinaria vena hîc ludere velis, lege quæ supra c.11.vers.11. scripsimus ad illa verba, *vena vitæ os iusti*. Ergo *vena corrupta* is, qui diabolo impellente corruit, dicitur primò quasi aquæductus excisus, & disruptus. Nimirum quia is, qui grauiori aliquo delicto se obstrinxit, diuinæ miserationis in se ductus, & canales prorsus euertit, atque gratiæ fontem exsiccat. Exploratum enim est lethali culpæ id pœnæ pro meritis, & dignitate respondere, non modò vt diuina gratia, quasi exciso canali, careat; sed etiam vt quasi exsiccato fonte amissam nunquam amplius recuperet, & ad se traducat. Vel aliter, *vena corrupta* appellari potest iustus lapsus, quia iustus quilibet quandiu in iustitia & probitate perseuerat, ductus quidam est ac canalis, per quem Deus plerabona in homines regit ac deriuat. Ideò ergo diabolus iustos in ruinam agere tanto studio contendit, vt his dirutis canalibus, diuinæ erga homines beneficentiæ fluenta aliò detorqueat, aut fontem penitùs obstruat. Aut, si libet, allici possunt verba hæc ad sensum illum nuper adscriptum de reticentia admissi criminis, præsertim si adhibeamus translationem Chald. *Sicut siquis fontem obstruat, & venam* (i. aquæductum) *corrumpat*, &c.i. quemadmodum qui obturat fontis meatum, non omnino illius fluxum sistit, sed id efficit, vt effractis canalibus alibi erumpat; ita etiam qui os suum opprimit, ne peccatum suum confessario aperiat, id demùm obtinet, vt familiarium, seruorum, aut aliorum (per quos quasi per ductus facinus ad executionem perlatum est) ex ore erumpat, & in lucem veniat. Cæterum hæc prima expositio mihi non probatur.

155. Secunda igitur interpretatio, per *iustum coram impio cadentem*, virum intelligit probum ac pium, ab impio de medio sublatum, aut in grauem aliquam ruinam impulsum. Sic Rodolphus, Iansenius, & alij. Sensus autem sic conformari debet. Iustus ac pius vir, qui improbi, scelestique hominis opera sublatus, aut oppressus est, nihil differt à fonte exturbato, & vena corrupta; nam cùm bona pleraque ab homine iusto tanquàm ex fonte in publicum vsum emanare soleant, quisquis illum, aut sustulit, aut oppressit, publicum fontem quodammodò obturauit, & quasi effractis canalibus disrupit. Et quidem iustus quilibet fons est, ex quo perennis vtilitas in publicum fluit. Exempli loco producit Rodolphus, Ioannem Baptistam, quo ab Herode primùm oppresso, ac demùm sublato, fons quidam publicus innumerabiles vtilitates, & emolumenta in vulgus effundens obstructus est. Sed vide quàm aptè verba ista in Baptistam cadant. *Fons turbatus pede*, illum enim saltatricis puellæ pes exturbauit, & *vena corrupta*, fons, inquam, ex quo pœnitentiæ baptisma ad eluendas peccatorum sordes assiduò fluebat. Huic autem interpretationi, ne omnino displiceat, aliquid addere oportet. Dicendum scilicet, Salomonem præcipuam causam A adnotasse, ob quam impij in viros iustos sæuire, & illos opprimere, aliquando etiam de medio tollere solent, quæ nulla alia est, nisi quia illorum vitia liberè incusant. Nam illa verba, *vena vitæ os iusti*, vt inibi multis confeci, libertatem dicendi significant, qua iustus quilibet impiorum scelera coërcet. Itaque sensus est. *Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio*, id est, propterea iustus impio impellente cadit ac subuertitur, quia, fontis in morem purissimi, ac limpidissimi, verba in illum effundit præclara ac perspicua, illius vitia ac scelera apertè corripiens ac perstringens; quapropter illum metu primùm exturbare conatur, vt licentiam dicendi comprimat; id sibi vult illud *fons turbatus* B *pede*. Vt quemadmodum scilicet fons emoto cœno non amplius claras emittit aquas, ita etiam iustus calcatus, despectus, & metu exturbatus, non amplius clarâ & liberâ correptione vtatur. Quod si *fontem* iusti eâ ratione exturbare non valet, *venam* corrumpere & exscindere aggreditur, guttur scilicet, per quod tam claræ ac liberæ voces effluunt, exsiccare aut exsecare molitur. Hûc spectat illud *& vena corrupta*. Hæc omnia vno in Ioanne Baptista obseruare licet, quem liberè dicentem, vt, fontis in modum, iniecto primùm metu, exturbaret Herodes, in carcerem detrusit; sed cùm venæ illius claritatem, & candorem terror minimè permoueret, fluentem venam exciso capite corrumpere aggres- C sus est.

Potest etiam aliter similitudo isthæc captari. *Fons turbatus pede & vena corrupta*, &c. Vtique duplex vsus candidi ac lucentis fontis; nam pro speculo primum est, vt faciem intuentibus reddat (sic Plinius fontes *naturæ specula* appellauit, quos postmodum ars politis detersisque metallis imitata est,) deinde aquas illimes ac salubres haurientibus præbet. Eadem iusti hominis conditio; nam vita illius speculi adinstar obtinet, impiorum vitia & facinora coarguens, atque eius ex ore doctrina fluit præclara, & salubris, ad informandos aliorum mores idonea. Improbis autem, & scelestis vtroque nomine invisi sunt, atque adeò ne, candidissimorum in morem fontium, vitæ suæ puri- D tate, & innocentia eorum mores coarguant, eos persequútur, etsi fieri potest, emoto aliquo ipsorum perantiquo flagitio, quod iam iam velut cœnum temporis lapsu subsederat, eorumdem candorem conspurcare contendunt. Id enim familiare admodum est improbis, vel eo nomine de aliorum probitate detrahere, ne ipsorum flagitia explorata aliorum pietas damnet. Rursus ne probi hominis doctrina, quæ ex eius ore, velut ex fonte, promanat, per dicendi libertatem, ipsorum mores coërceat, venam ipsam obturare, aut corrumpere satagunt, aut metu incusso (nam metus verba opprimere solet) aut, si liceat, cæso gutture, & vita dicenti sublata. 156.

Sed licet hæc secunda interpretatio ad hunc mo- 157.
E dum explicata mihi valdè probetur; tamen aliam atque aliam subiiciam quæ mihi magis accommodatæ Lyra. videtur. Tertia igitur expositio est Lyræ de detractione ad hunc modum. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadens coram impio.* Iustus scilicet, qui in oculis hominis impij, id est, ipso vidente, ex fragilitate, aut ex alia causa lapsus est, similis est fonti, qui semper turbatus & sordidus est, quia limus assiduò impellitur, subsidere numquàm permittitur: (sic Lyranum interpretor) quia dum impius sæpe ac sæpius de iusto detrahit, & delictum eius passim inculcat, fama illius semper sordet, vt pote que contractas semel labes nullo tempore ad obliuionis fundum demittere finitur. Hæc de fonte turbato. Subdit, *& vena corrupta*. Alia similitudo hinc emicat,

puto autem per *venam*, significari aquæ ductum (vt supra animaduerti) cùm ergo aquæductus, hinc & inde effractus, aut corruptus est, perstillat vndique aqua, & vix ad meatum peruenit. D. Chrysost. homil. 24. ad populum. *Bona hominis fama ex bona eiusdem vita velut ex fonte manat.* Vt autem ad hunc fontem bonæ famæ candidissimus liquor veniat, vitæ integritas necessaria est; quemadmodum enim per ductus suos aqua ad fontem defertur; ita etiam per honesta, & laude digna opera, gloria, & bonum nomen alicuius in vulgus manat. Atque adeò sicut pertuso, aut corrupto aliqua ex parte aquæ ductu illac effluit, & ad fontem non peruenit aqua; sic etiam si bona & honesta vita aliqua ex parte deficiat, & à sua integritate excidat, illac sanè hominis fama, & gloria tota elabitur, ac nihil eius in communem hominum existimationem influit. Ait ergo Salomon. *Iustus*, qui in oculis impij aliquid commisit, *vena est corrupta*, quia is suis obtrectationibus & oblocutionibus delictum eius assiduò diffamat, atque adeò quidquid gloriæ ex reliqua vita bene acta, ceu ex fōte promanare oportet, per rimam illam, quam impius suis detractionibus & violatione boni nominis aperuit, prorsus elabitur ac fugit. Et quidem detractionis præcipuum nocumentum hoc est, quia cùm primùm quis famam alicuius detecto crimine violauit, velut pertuso aquæ ductu, & fugiente bono nomine, vix vnquàm deinceps virtutibus ac rectè factis sese vulgò commendare, & probare potest is, cuius bona existimatio semel læditur.

158. Quarta interpretatio, quæ mihi ante alias probatur, per iustum intelligit iudicem aut magistratū ius dicentem populo. Itaque *iustus cadens coram impio*, vel vt habent Primitiua, *inclinans se*, aut *inclinatus ad facies impij*, iudex est, qui aut minis territus, aut muneribus corruptus flectitur, & iustitiæ integritatē detorquet, respiciens hominis impij faciem: Nam *faciem alicuius intueri*, in scriptura, perinde est, atque eius causa ius deflectere. Is ergo iudex nihil differt à fonte turbato, & vena corrupta; iudices enim, magistratus, præpositi, & in vniuersum omnes, ad quos spectat iudicia ferre, fontes illimes ac perennes esse oportet, ex quibus vera omnia, præclara, & sincera effluere oportet: vel, si placet, leges ipsas publicas, fontes publicos appello: iudices autem, & magistratus aquæ ductus esse dixerim, per quos legum decreta, & sanctiones in publicum vsum deriuantur. Ergo cùm magistratus minis aut muneribus corrumpitur, & contra ius, fasque decernit *fons*, id est lex ipsa, prauis interpretationibus, velut emoto cœno turbatur, & commouetur: *vena* autem, vel aquæ ductus iudex, scilicet, corrumpitur, atque adeò quidquid verum, sincerum & legitimum est, per corruptelas effluit atque elabitur. Et quidem leges *officiorum fontes* appellauit Tullius in Oratore, & in Tusculanis, *si quis*, inquit, *legum fontes, & capita viderit*. Quis autem non affirmet horum fontium canales ac tubulos magistratus esse appellandos?

159. LXX. locum istum sic extulerunt, *sicut si quis fontē obstruat atque exitum disperdat*. Ita enim sæpius euenire solet vt obstructo scaturiginis meatu viam priorem aqua deserat, atque alibi erumpat: similē ad sensum Vulgatam lectionem allicere integrum est, si turbari fontis nomine accipiamus fontem disiectum, depulsum ac dirutum: hanc enim significationem recipit verbum *turbo*. Puta ergo, id, quod sæpe accidit, venam aquæ per publicam viam regi, &, vt fieri solet, tubulos transeuntium pedibus effringi, & aquam elabi, vulgò dicimus, *quese quiebran los alcaduces olos arcaduces*. Si ergo hanc vel illam interpretationem sequamur, sensus aliter atque aliter illi iudici accommodari debet, qui corruptelis locum facit. In primis enim lectionem LXX. & sententiam, quam reddit, adaptare sic licet. Quemadmodum fieri solet vt obtuso fontis cuiuspiam meatu aqua viam sibi propriā deserat, & aliam ineat; sic passim iniustis magistratibus accidit, quos siue minæ, siue munera tanquam aquæ ductus obstruunt ne vera atque germana iuris intelligentia, liceat sic dicere, ab ipsis promanet, sed legum fontes in alios nec germanos, nec sinceros intellectus compellant. Quod si ipsosmet iudices iniusta decernentes fontes esse dicamus, tunc quidem sensus erit. Sicut si quis fontem obstruat, atque exitum disperdat, *sic indecens est iustum cecidisse cora impio*, id est, non minus absurdum, & disperdiosum reipublicæ est publicum Magistratum, quem iustitiam colere oportebat, ius detorquere, & contra fas iudicare, quàm publico fonte obstructo aquam aliò deriuare. Nam qui ea ratione iustitiam violant, ad commune bonum, & publicam vtilitatem nequaquam spectant, sed priuata commoda consectantur. Quod si posteriorem illius hemistychij, *Fons turbatus pede, & vena corrupta*, intelligentiam sequamur, sententia cōformanda est ad hunc modum. Magistratus corruptelis locum faciens similis est venæ, siue, aquæductui à prætereuntibus calcato, diffracto, ac pertuso, qui aquam ad publicum meatum transferre non potest. Quia nimirum priuatis respectibus inseruiens in commune ac publicum bonū minimè influit. Quod autem eiusmodi vena pede corrumpi dicitur, energiam quandam habet ad significandum eos magistratus turpem in modum à subditis calcari ac pessundari solitos quotquot ab his sese corrumpi ac promereri sinunt. Quid certius?

---

27. *Sicut qui mel multū comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.*

Sicut qui mel, &c. Hebræa ad verbum sic habent. *Comedere mel multiplicando, non bonū, & inuestigatio gloriæ illorum gloria.* Itaque in posteriori hemistychio nulla est negatio, sed perinde est ac si dicat, gloriam inuestigare gloria est, subest autem כבור כבורם *Chebod, Chebodam*, sunt qui putent pro *Chebodam*, adscribendum esse כבורים *Chebodim*, vt sensus sit, *inuestigare glorias gloria*, sic etiam extulerūt LXX. hanc clausulam sublata negatione. *Comedere mel multum non bonum, honorare autem oportet sermones gloriosos.* Hieronymus verò pressit vestigia paraphrastis, qui iuxta familiarem scripturis loquendi modū, negationem ex priori parte in posteriorem per repetitionem transferendam esse existimauit hoc modo. *Et inuestigatio gloriæ illorum non gloria*, seu, *non gloriosum*, &, vt assolet, verba omittens, ac sensum tenens, sic conuertit. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*, vel, quod magis probo, expressit vim vocis כבור *Chabod*, quæ fluit ex *Chabad*, est autem propriè *grauare*, aut, *grauem esse*, atque adeò *Chabod*, vox est anceps, gloriam, & onus sonans, & cùm gloriæ tribuitur gloriam quandam adsignificat grauem; proptereà dixit, *opprimetur à gloria*. Chaldæus ergo sic conuertit. *Neque scrutari verba gloriosum.* Sed cur, inquies, Chaldæus & LXX. sermones ac verba restituerint? an quia vox illa כבור *Chabod*, vt obseruat Rabi Dauid in libro radicum, aliquando etiam *linguam* significat? Tu videris. 160

Caietanus ergo Hebraïcam lectionem sono tenus interpretans hunc sensum elicit; comedere mellis plurimum

plurimum non eſt ſalubre; at contrà *quærere honorem ipſorum honor*, (ſic ipſe legit,) vocem autem illam *ipſorum* acutè expendit. Gloria, inquit, ipſorum dicitur gloria communis, vel collegio, vel domui, vel ciuitati, vel reipublicæ, ita vt ſenſus ſit; Propriam gloriam ſolicitè veſtigare, & aucupari, etſi dulce ac volupe, non tamen vtile eſt, ſed nociuum; quemadmodum mellis plurimum haurire nociuum eſt; At communem domus, ciuitatis, reipublicę, aut aliorum eiuſmodi cœtuum ſplendorem perſequi, ac venari, perquàm vtile ac honorificum eſt. Quaſi dicat: in veſtigatione propriæ gloriæ, ſicut in mellis eſu, modus adhibendus eſt; at de gloria communitatis ſine modo aliquo laborare oportet. Sed licet hæc ſententia à veritate non abhorreret, tamen à vero, & germano loci ſenſu plurimùm abit.

161 LXX. interpretes poſterius quoque hemiſtychium per affirmationem extulerunt hoc modo. *Comedere multum mel non bonum, honorare autem oportet ſermones glorioſos.* Senſus tamen proximè accedit ad Vulgatam lectionem; nam perinde eſt ac ſi dicant: mellis plurimum ſumere valdè nociuum eſt, ac propterea melli parcere neceſſum eſt; ſic etiam ſermones nimium ſublimes, & arcanos honorare, id eſt venerari, & ex veneratione quadam ab ipſis perſcrutandis abſtinere oportet. Non diſſimili ſenſu Vulgatam lectionem donauit D. Gregorius Moral. libr. 14. cap. 19. *Dulcedo,* inquit, *mellis ſi plus quàm neceſſe eſt, ſumitur, vnde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis etiam eſt requiſitio maieſtatis Dei, ſed qui plus illam ſcrutari appetit, quàm humanitatis cognitio permittit, ipſa hunc eius gloria opprimit, quia velut immoderatè mel ſumptū perſcrutanti; ſenſum, dum non capitur, rumpit.* Ex Gregor. libauit hæc verba Venerab. Beda.

162 Poſterius hemiſtychium expendendum ſuſcepit D. Bernardus; nam cùm meminiſſet Pauli ad tertium vſque cœlum euecti ſic ſtatim attexit. *Cum enim Apoſtolus raptum ſe commemorat vſque ad tertium cœlum, vt auſum excuſet. Quiſnam alter præſumat mortalium huic ſe diuinæ maieſtatis horrendo ſcrutinio proprijs intricare conatibus, & importunus contemplator pauenda irrumpere in arcana? ſcrutatores proinde maieſtatis tanquam irruptores dici reor, non qui ſcilicet rapiuntur in eandem, ſed qui irruunt. Ipſi itaque opprimentur à gloria.* Pende quàm lepidè cum Pauli raptu iſtorum irruptionem comparat. Subdit verò ſtatim. *Ergo formidoloſa ſcrutatio maieſtatis Dei, vt voluntatis tam tuta quàm pia.* Et cùm in voluntate Dei veſtiganda ſplendidam quandam gloriam ineſſe dixiſſet, attexit illicò. *Non me opprimet iſta gloria, totis licet viribus intendentem in ſe, ego potius imprimar illi. Etenim reuelata facie ſpeculantes in eandem imaginem transformamur, &c.* Si igitur per maieſtatem hic diuinam intelligamus cum Gregorio & Bernardo, ſententia monet, vt in ſpeculatione huius maieſtatis modum adhibeamus; nam licet per ſe dulcis, & iucunda ſit, tamen, ſi modus abſit, nō parùm nocere conſueuit. Comparat autem cum melle, quod parcè ſumptum prodeſt, immodicè verò hauſtum duo potiſſimum damna inferre conſueuit, inflat nimirùm, diſtenditque ventriculum, & ob nimium calorem in bilem demutari ſolet. Gregorius ergo ſuprà ab inflatione ſuam duxit ſententiam, ſic enim abſoluit. *Perſcrutantis ſenſum, dum non capitur, rumpit*, cui accinit etiam Fauſti Rheg. in Epiſtola contra Neſtorium vbi ſic habet. *Manducare mel multum non eſt bonum, magis enim inflat parum fundatum ſenſum ſententia, quàm ædificat.* Et quidem mellis ſubſtantia tunc cùm primùm ex aere defluit, ideò aëreum appellatur: ſic Poëta. *Protinus aërei mellis cœleſtia dona*, ſiue illud ros ſit, ſiue ex rore concreſcat; poſtquàm verò ſumitur ſpiritoſa eſt, ac ventriculum diſtendit, quia calore ſuo ſoluitur, & inflatus vertitur. Hæc eſt natura ſpeculationis huius immodicæ de qua loquimur: ex ſuperbia & tumore venit, & in faſtum atque arrogantiam tota vertitur. Rurſus dulcedo illa, quæ ex theoria, & ex ſpeculatione nimia diuinorum ſumitur ſi abeſt charitas, in amaram bilem diſcedit, id eſt, errores generat plurimos, qui animum moreſque corrumpunt. Ideò Paulus ad Romanos 12. ſuadet: *Non plus ſapere quàm oportet ſapere ad ſobrietatem:* nam etſi *ſapere*, mellis in morem, ſapore ac guſtu ſuo deliniat ac delectet, tamen, ſi modus abſit, mirum in modum nocet, ideò cum ſobrietate ſapientia ſumenda eſt.

Cæterùm locus iſte Pauli, *non plus ſapere quàm oportet ſapere*, &c. ad veram Salomonis expoſitionem nos manu ducit: prohibet enim ibi Apoſtolus nimium faſtum, ne quis ſibi multum arroget. Alibi enim dixit. *Noli altum ſapere, ſed time*, id eſt, noli gloriam nimiam affectare, ſed temetipſum in humilitate contine. Græca habent ὑπερφρονεῖν Hilarius lib. 10. de Trinitate vertit, *noli ſuperſapere*, &c. eſt autem ſuperſapere ad excelſa honorum faſtigia adſpirare, vt docet ibidem Hilarius, cui hærent Chryſoſtomus, Ambroſius, & alij non pauci. Id ergo cauet Salomon. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Maieſtatis ſcrutator dicitur inueſtigator gloriæ, & affectator honoris, aut fœlicitatis, ſupra ſuam conditionem. Itaque ſenſus eſt: dulciſſimum eſt mel, dulces etiam, imò prædulces honores & gloriæ humanarū dignitatum: mel parcè ſumptum proficiet, honoris etiam & fœlicitatis humanæ, cùm parcè adhibetur, iuxta conditionis vniuſcuiuſque menſuram, non paruæ vtilitates numerantur. At quemadmodum mel ſine modo ſumptum lædit ſtomachum, ſic etiam honor & fœlicitas nimia ſupra vires, ſupra facultatem, & conditionem cuiuſque, valdè nociua eſt. At, inquies, mellis atque gloriæ, ſeu fœlicitatis humanæ comparatio inſulſa videtur. Minimè verò, obſerua proprietates vtriuſque conſimiles.

Melle nullus eſt grauior liquor, reliqui enim melli innatant, ideò mellis nimia copia ventriculum onerat plurimùm, ecquis autem humani honoris onera oratione cōſequi poſſit? Mel vtique poſtquam ſumptum eſt, quadam naturæ ipſius lege (auctor eſt Galenus lib. de alimentorum natura) pondere ſuo reliquis alimentis ſubſidet, & ad imum ſtomachum demittitur eadem honoris & fœlicitatis humanę natura, cùm quæritur, in admiratione eſt, cùm paratur, dulcis ac iucunda videtur, parta verò vileſcit, & in infimis ponitur. Ad hæc, ſicut mel nimium, in ipſa tantum ſui delibatione dulce eſt, de reliquo verò ſtomachum grauat, ita etiam gloria humana & prophana, interim dum paritur, delectat ac ſuauis eſt; parta verò oneri eſt; nam voluptas diſcedit, grauitas manet. Huc ſpectat ſignificatio vocis *Chabod*, quæ hîc pro *gloria* ſubeſt, & non gloriam ſolùm, ſed grauitatem & onus notat, vt nuper diximus, vt conſtet ex *honoribus* delibata illa priori voluptate nihil aliud reliqui fieri niſi *onera*. Rurſus mel immoderatè hauſtum flatus excitat, & ſtomachum diſtendit; ad eundem modum honores inflāt, & tumorem afferunt. Quid certius? Denique ſicut mellis copia in bilem tranſit, ſic etiam honores bilem & amaritudinem non vno modo generant. Primò omni bile amariorem indignationem & iram efficiunt; conſtat enim, eos, qui ad honorum faſtigia euecti ſunt, ad iram in primis procliues eſſe; honores enim ſuperbiam, ſuperbia indignationem & iram gignit. Secundò gloriæ humanæ cupiditas inuidiam parit, qua nulla eſt acerbior amarities, vtrūque docuit Chryſoſtomus li. 2. de prouidentia. *Qui potentes*, inquit, *ſunt, cupidiſſimi ſunt, hi timore & inuidia*

Margin notes: Sep. (161); Gregor.; Bernard. (162); Gregor.; Fauſtus.; Virgil.; Rom. 12; 163; Hilarius.; 164; Galenus.; Chryſoſt.

dia tabescunt; insontibus insidiantur, bilem semper patiuntur, & vita praesentis commoda summa rabie sectantur. Quid acerbius aut esse, aut excogitari potest? & homil. 53. ad populum. *Quid, inquit, nobis reddet gloria humana nisi liuorem & inuidiam?* & in similitudinibus Cent. 1. *Graue quidem, omnique plenum inuidia, in politicis rebus gloriam sectari.* Quid plura? Mel, si ad satietatem sumatur, aliarum rerum fastidium affert; eadem gloriae humanae conditio: nam quotquot honores summos adepti sunt, reliquos prae se fastidiunt ac decipiunt. Hunc ad sensum vocant nonnulli illa
Psalm. 122. verba Psalm. 122. *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione; multum repleta est anima nostra, opprobriū abundantibus, & de-*
Hieronym. *spectio superbis.* Hieron. *Opprobrio abundantium & despectione superborum.* Alij, *fastidio superborum.* Docent enim praedicti interpretes Dauid non tam obsecrasse à Deo, ne despectui ipse haberetur à superbis (id enim non curabat,) sed ne in animum eius subiret elatio, & fastus, ita vt ad regnum euectus & faelicitate ac gloria, tanquam melle nimio repletus, reliquos ipse fastidiret, & pro nihilo duceret. Pergo ad alia.

---

28. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

165. Sicut vrbs patens, &c. Hebr. *vrbs diruta, non murus; ita & vir, cuius non claustrum spiritui suo.* Hieronym. sententiam expressit, Chaldaeus cum Vulgato concinit; LXX. *Sicut vrbs muros deiectos habens, & non murata, sic vir, qui non cum consilio quid agit;* quidam etiam sic restituunt. *Sic vir qui non cohibet iram suam.* Caietan. *Vir, cui non resistentia spiritui.*

Caietanus ergo hanc suam translationem sic edisseit. Vir, in quo ratio non viget, atque adeò prauis appetitionibus, aliisque animi motibus, & impulsibus non obsistit, similis est vrbi, quae vallo, ac muro caret, hostiumque irruptionibus peruia est. Sed licet sententia haec vera sit, tamen in verba Salomonis parum aptè quadrat. Deinde valli ac muri nomen rationi cùm dat, non admodum appositè loquitur Caietanus; huic enim arcis, speculae, aut similium nomina melius accommodantur.

166. Ex Hebraeis etiam non pauci per *spiritum*, superbiam intelligunt, vt saepè aliàs in scriptura. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, vir qui non continet spiritum suum,* (nam in Primitiuis abest verbum illud, *in loquendo.*) Itaque sententiam sic efformant. Vir, qui fastum opprimere, & superbiam suam coërcere non valet, nihil differt ab vrbe, quae, muris solo aequatis, hostibus peruia est. Haec quoque sententia verissimā doctrinam continet, cui suffragatur semel & iterum
Chrysost. Chrysost. semel quidem homil. 20. in Epistolam ad Romanos, vbi de humilitate verba ferens, sic habet. *Nihil enim humilitate potentius, petra est fortior, & adamante solidior, & in maiore nos securitate collocat, quàm queant vel turres, vel vrbs, vel muri; omnibusque diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit. Quemadmodum vicissim arrogantia etiam quibuslibet faciles captu reddit.* Quid apertius? & iterum homil. 35. in Genesim. *Qui hoc fundamentum humilitatis rectè iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem structuram excitare; hac maxima est munitio, hac murus inconcussus, hac turris, haec omne continet aedificium, ne vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel ab spirituum vi deiici queat, sed omnibus insidiis inaccessum, & inuictum facit, quasi ex adamante constructum esset.* Si ergo humilitas ex mente Chrysostomi murus est inconcussus, inaccessus, adamantinus, quicunque humilitate caret, & superbia turget, meritò *vrbs patens*, & absque murorum ambitu dicitur, in quam hostes irrumpere, signa inducere, ac spoliare, & diripere facilè possunt.

Alij rursus per *spiritum* iram & indignationem accipiendam esse putant hoc modo; vir qui spiritum suum, id est, iracundiam adhibita vi non compescit, & comprimit, vrbem imitatur moenibus euersis patentem, & hostibus suis peruiam. Nam quidquid virtutis, quidquid rationis, quidquid bonorum morum hominem, muri adinstar, cingere, & à diaboli irruptionibus defendere potest, id totum ira euertit, ac solo exaequat; Animus enim ira percitus cuilibet tentationi, & incursui hostili quoquouersum patet. Non longè ab hac sententia & similitudine abit Plutarchus in Moral. *Quemadmodum*, inquit, *qui spectant obsidionem, colligunt ac deponunt pecuniam, atque omnia parant sub hostium aduentum: ita aduersus assultum iracundiae praeceptis philosophiae muniendus, & instruendus est animus.* Haec nimirum praecepta morum ac philosophiae pro muris obtinenda sunt, quorum obiectu irae tyrannus munitum animum frustrà inuadat. Est autem ira tyrannus crudelis ac ferox, qui pulsa ex animi nostri arce ratione, eam ingredi & subigere contendit, quam cùm cepit, misera quadam seruitute opprimit. Sic Philo Iudaeus in libello, Quod omnis probus liber. *Quemadmodum ciuitates tyrannidem ferentes seruiunt oppressa molesto imperio; sic quoque homines qui in irae potestatem veniunt, omnes seruitutem grauissimam seruiunt.* Contra hunc tyrannum eiusque obsidiones, hominis iusti vrbs sese comparare ac munire debet, ac primùm quidem si quid pretiosae suppellectilis in animo est, id defodere oportet, vt ait Plutarchus, ne in huius infensissimi hostis potestatem veniat, id est, si quid arcani atque secreti commissum est, id certè penitus includendum, ne illud iracundiae vis in apertum proferat; hoc enim irae maximè proprium est, secretissima quaeque illorum, in quos sese incitauit, delicta in propalàm dare. Deinde praeceptis philosophiae atque morum pro muris ac moenibus vti debet vir iustus, vt cinctus vndique tyranni illius saeuissimi irruptiones & assultus arcere possit. Sed tamen cùm praemissae hactenus interpretationes à vulgata lectione prorsus abhorreant, auctoritate omnino apud me carent.

Nostram ergo translationem luculenta interpretatione donauit Magnus Gregorius in Pastoral. 3. Admonit. 15. *Anima*, inquit, *totam se insidiantis hostis vulneribus detegit, quam nulla munitio custodia circuncludit: Vnde scriptum est; sicut vrbs patens, &c. Quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis, & cùm se per verba extra semetipsum eiicit, apertam se aduersario suo ostendit: quam tantò ille sine labore superat, quantò ipsa, quae vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.* Haec ille, qui muri vndique vrbem obuallantis nomine silentium intellexit. Diuus Chrysostomus homilia ad baptizandos, de naturali linguae atque oris structura disserens, vallum atque murum ille dedit. *Armetur*, inquit, *lingua aduersus peccata tua, non aduersus fratris plagam praeparetur: & ideo Deus illam velut muro duplici (aliàs vallo ac muro) voluit circundari: nam dentium tegmine, & labiorum custodia continetur, ne verba improuida garrulitate proferantur. Refraena igitur linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquàm carnifici tradatur dentibus.* Itaque dentes muri ad instar obtinent, labia verò

Marginal notes (right column): 167. Plutarch. Philo Iud. 168. Gregor. Chrysostom.

verò vallum præ se ferunt. Sed cur, inquies, naturale A illud munimen linguæ additum est? Dicam quod sentio, naturam certè gratia imitari, ac sequi debet: atque adeò quemadmodum natura vallo, atque muro linguam cinxit, sic etiam illum à gratia simili quodam munimento includi oportet, hoc autem non aliud esse dixerim, nisi Dei atque hominum timorem; nam cùm linguæ procaci, & effrænatæ non solùm à Deo, sed etiam ab hominibus supplicia immitti soleant ad eam compescendam, vterque timor conspirare debet, ita vt timor hominis valli locum habeat, timor autem diuinus muri adinstar obtineat, vel aliud aliquid ex te finge, in quo gratia naturam imitetur, idque valli atque muri vices agere dicam.

169. His igitur munimentis caret ille, quisquis non potest in loquendo cohibere spiritum suum, atque adeò B similis est vrbi vndequaque patulæ. Et quidem vrbs quælibet mœnibus dirutis aperta in primis hostibus peruia est; in linguam etiam, quam silentij, aut timoris murus non ambit, omnia vitiorum genera irrumpunt Ad hæc, in vrbem, quæ subuersis mœnibus quoquouersum panditur, atq; adeò nec portas, nec portis adscriptas custodias habet, quaslibet sine discrimine aut examine merces inferre, aut efferre licet: idem de lingua iudicium ferendum est; nam cùm eam silentij aut timoris muri non præcingunt, abest ratio, abest prudentia portis adscripta, cuius est ea, quæ in animum vel exportantur, agnoscere, & sine qua nec mœnia ipsa securitatem aliquam præbere possunt. C

Chrysost. Audi eundem Chrysostomum homilia in Psalmum 140. *Quemadmodum non iuuat vrbs, non mœnia, non porta, nisi sint qui eas custodiant, & sciant, quando oportet ea quidem claudere, quando verò operire; ita etiam oris & linguæ nulla est vtilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accuratè, & circumspectè ea claudere & aperire permissum sit, & sciat quæ sint efferenda, quæ verò tenenda, & admittenda.*

Ad extremum LXX. interpretes de prudentia in vniuersum locum istum exponunt, sic enim habent, 170. *Sicut vrbs muros deiectos habens, & non murata, sic vir, qui non cum consilio quid agit.* Prior clausula repetitionem rei eiusdem non admodum iucundam continere videtur. Potest tamen duplici modo bonum ad sensum allici. Prior est, vt particula copulatiua, & capiatur pro, *vel*, ita vt sensus sit: sicut vrbs, cuius mœnia conciderunt, vel quę nunquam mœnibus cincta fuit; sic enim duo complectitur hominum genera, eorum scilicet, qui cùm prudentiæ virtute pollerent, eam abiecerunt; & eorum, qui nunquàm prudentia & consilio vsi sunt. Vel aliter: *vrbs muros deiectos habens & non murata*; dicitur vrbs, cuius mœnia primum deuastata, nec postea instaurata & refecta sunt; cui adsimilis dicitur is, qui prudentiam & consilium in rebus agendis minimè adhibet: quia nimirum sæpius fit, vt quæ ob defectum prudentiæ, & consilij temerè concidunt, ac pessum eunt, nusquàm postea refici, & instaurari queant. Denique subiicio verba Philonis Iudæi, qui virum prudentem cum vrbe componit, non mœnibus solùm, sed etiam visorum fortium præsidio vallata, in lib. de sacrificio Cain & Abel. Philo Iud. *Quemadmodum ciuitatum tutissimum munimentum viri fortes sunt pro mœnibus stantes; ita etiam in vniuscuiusque nostrûm ciuitate, quæ constat ex animo ac corpore, pro firmissimo propugnaculo sunt cogitationes amicæ prudentiæ.* Ex hac ergo Philonis sententia tertia duci potest expositio illorum verborum, *vrbs muros deiectos habens, & non murata*, seu *munita*, id est, quæ caret mœnibus & militum præsidio: nam cùm mœnia non suppetunt, viri fortes pro muris sunt adamantinis. Ergo sic accipe; vir, qui sine consilio ac prudentia res agit, ciuitas est, quæ caret mœnibus ac militum præsidio: quasi dicat deficiente consilio non est robur, non fortitudo; hæc enim duo, fortitudo, & consilium, hærent sibi inuicem.



CAP. XXVI. SALOMONIS.

1. *VOMODO nix in æstate, & pluuiæ in messe: sic indecens est stulto gloria.*
2. Sicut auis ad alia transuolans, & passer quò libet vadens: sic maledictum
frustrà prolatum in quempiam superueniet. 3. Flagellum equo, & camus
asino, & virga in dorso imprudentium. 4. Ne respondeas stulto iuxta
stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. 5. Responde stulto iuxta stultitiam
suam, ne sibi sapiens esse videatur. 6. Claudus pedibus, & iniquitatem bi-
bens, qui mittit verba per nuntium stultum. 7. Quomodo pulchras frustrà habet claudus tibias:
sic indecens est in ore stultorum parabola. 8. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij:
ita qui tribuit insipienti honorem. 9. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic pa-
rabola in ore stultorum. 10. Iudicium determinat causas: & qui imponit stulto silentium, iras
mitigat. 11. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam
suam. 12. Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. 13. Di-
cit piger: Leo est in via, & leæna in itineribus. 14. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita
piger in lectulo suo. 15. Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat, si ad os suum eam
conuerterit. 16. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. 17. Sicut
qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens: & commiscetur rixæ alterius. 18. Sicut
noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem. 19. Ita vir, qui fraudulenter nocet amico
suo:

dia tabescunt; insontibus insidiantur, bilem semper patiuntur, & vitæ præsentis commoda summa rabie sectantur. Quid acerbius aut esse, aut excogitari potest? & homil. 53. ad populum. *Quid, inquit, nobis reddet gloria humana nisi liuorem & inuidiam?* & in similitudinibus Cent. 1. *Graue quidem, omnique plenum inuidia, in politicis rebus gloriam sectari.* Quid plura? Mel, si ad satietatem sumatur, aliarum rerum fastidium affert; eadem gloriæ humanæ conditio: nam quotquot honores summos adepti sunt, reliquos præ se fastidiunt ac decipiunt. Hunc ad sensum vocant nonnulli illa

Psalm. 122. verba Psalm. 122. *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione; multum repleta est anima nostra, opprobriū abundantibus, & despectio superbis.*

Hieronym. Hieron. *Opprobrio abundantium & despectione superborum.* Alij *fastidio superborum.* Docent enim prædicti interpretes Dauid non tam obsecrasse à Deo, ne despectui ipse haberetur à superbis (id enim non curabat,) sed ne in animum eius subiret elatio, & fastus, ita vt ad regnum euectus & fœlicitate ac gloria, tanquam melle nimio repletus, reliquos ipse fastidiret, & pro nihilo duceret. Pergo ad alia.

---

28. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

165. Sicut vrbs patens, &c. Hebr. *vrbs diruta, non murus; ita & vir, cuius non claustrum spiritui suo.* Hieronym. sententiam expressit, Chaldæus cum Vulgato concinit; LXX. *Sicut vrbs muros deiectos habens, & non murata, sic vir, qui non cum consilio quid agit;* quidam etiam sic restituunt. *Sic vir qui non cohibet iram suam.* Caietan. *Vir, cui non resistentia spiritui.*

Caietanus ergo hanc suam translationem sic edisserit. Vir, in quo ratio non viget, atque adeò prauis appetitionibus, aliisque animi motibus, & impulsibus non obsistit, similis est vrbi, quæ vallo, ac muro caret, hostiumque irruptionibus peruia est. Sed licet sententia hæc vera sit, tamen in verba Salomonis parum aptè quadrat. Deinde valli ac muri nomen rationi cùm dat, non admodum appositè loquitur Caietanus; huic enim arcis, speculæ, aut similium nomina melius accommodantur.

166. Ex Hebræis etiam non pauci per *spiritum*, superbiam intelligunt, vt sæpè aliàs in scriptura. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, vir qui non continet spiritum suum,* (nam in Primitiuis abest verbum illud, *in loquendo.*) Itaque sententiam sic efformant. Vir, qui fastum opprimere, & superbiam suam coërcere non valet, nihil dissidet ab vrbe, quæ, muris solo æquatis, hostibus peruia est. Hæc quoque sententia verissimā doctrinam continet, cui suffragatur semel & iterum

Chrysost. Chrysost. semel quidem homil. 20. in Epistolam ad Romanos, vbi de humilitate verba serens, sic habet. *Nihil enim humilitate potentius, petra est fortior, & adamante solidior, & in maiore nos securitate collocat, quàm queant vel turres, vel vrbs, vel muri; omnibusque diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit. Quemadmodum vicissim arrogantia etiam quibuslibet faciles captu reddit.* Quid apertius? & iterum homil. 35. in Genesim. *Qui hoc fundamentum humilitatis rectè iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem structuram excitare; hæc maxima est munitio, hæc murus inconcussus, hæc turris, hæc omne continet ædificium, ne vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel ab spirituum vi deiici queat, sed omnibus insidiis inaccessum, & inuictum facit, quasi ex*

A *adamante constructum esset.* Si ergo humilitas ex mente Chrysostomi murus est inconcussus, inaccessus, adamantinus, quicunque humilitate caret, & superbia turget, meritò *vrbs patens*, & absque murorum ambitu dicitur, in quam hostes irrumpere, signa inducere, ac spoliare, & diripere facilè possunt.

Alij rursus per *spiritum* iram & indignationem accipiendam esse putant hoc modo; vir qui spiritum suum, id est, iracundiam adhibita vi non compescit, & comprimit, vrbem imitatur mœnibus euersis patentem, & hostibus suis peruiam. Nam quidquid virtutis, quidquid rationis, quidquid bonorum morum hominem, muri adinstar, cingere, & à diaboli ir- 167.

B ruptionibus defendere potest, id totum ira euertit, ac solo exæquat; Animus enim ira percitus cuilibet tentationi, & incursui hostili quoquouersum patet. Non longè ab hac sententia & similitudine abit Plutarchus in Moral. *Quemadmodum, inquit, qui spectant obsidionem, colligunt ac deponunt pecuniam, atque omnia parant sub hostium aduentum: ita aduersus assultum iracundia præceptis philosophiæ muniendus, & instruendus est animus.* Hæc nimirum præcepta morum ac philosophiæ pro muris obtinenda sunt, quorum obiectu iræ tyrannus munitum animum frustrà inuadat. Est autem ira tyrannus crudelis ac ferox, qui pulsa ex animi nostri arce ratione, eam ingredi & subigere contendit, quam cùm cepit, misera quadam seruitute opprimit. Sic Philo Iudæus in libello, Plutarch.

C Quod omnis probus liber. *Quemadmodum ciuitates tyrannidem ferentes seruiunt oppressæ molesto imperio; sic quoque homines qui in iræ potestatem veniunt, omnes seruitutem grauissimam seruiunt.* Contra hunc tyrannum eiusque obsidiones, hominis iusti vrbs sese comparare ac munire debet, ac primùm quidem si quid pretiosæ suppellectilis in animo est, id defodere oportet, vt ait Plutarchus, ne in huius infensissimi hostis potestatem veniat, id est, si quid arcani atque secreti commissum est, id certè penitus includendum, ne illud iracundiæ vis in apertum proferat; hoc enim iræ maximè proprium est, secretissima quæque illorum, in quos sese incitauit, delicta in propalàm dare. Deinde præceptis philosophiæ atque Philo Iud.

D morum pro muris ac mœnibus vti debet vir iustus, vt cinctus vndique tyranni illius sæuissimi irruptiones & assultus arcere possit. Sed tamen cùm præmissæ hactenus interpretationes à vulgata lectione prorsus abhorreant, auctoritate omnino apud me carent.

Nostram ergo translationem luculenta interpretatione donauit Magnus Gregorius in Pastoral. 3. Admonit. 15. *Anima, inquit, totam se insidiantis hostis vulneribus detegit, quam nulla munitio custodia circuncludit: Vnde scriptum est; sicut vrbs patens, &c. Quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis, & cum se per verba extra semetipsum* 168. Gregor.

E *eiicit, apertam se aduersario suo ostendit: quam tantò ille sine labore superat, quantò ipsa, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.* Hæc ille, qui muri vndique vrbem obuallantis nomine silentium intellexit. Diuus Chrysostomus homilia ad baptizandos, de naturali linguæ atque oris structura differens, vallum atque murum ille dedit. *Armetur, inquit, lingua aduersus peccata tua, non aduersus fratris plagam præparetur: & ideò Deus illam velut muro duplici (aliàs vallo ac muro) voluit circundari: nam dentium tegmine, & labiorum custodia continetur, ne verba improuida garrulitate proferantur. Refræna igitur linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquàm carnifici tradatur dentibus.* Itaque dentes muri ad instar obtinent, labia Chrysostom.

verò vallum præ se ferunt. Sed cur, inquies, naturale A illud munimen linguæ additum est? Dicam quod sentio, naturam certè gratia imitari, ac sequi debet: atque adeò quemadmodum natura vallo, atque muro linguam cinxit, sic etiam illum à gratia simili quodam munimento includi oportet, hoc autem non aliud esse dixerim, nisi Dei atque hominum timorem; nam cùm linguæ procaci, & effrænatæ non solùm à Deo, sed etiam ab hominibus supplicia immitti soleant ad eam compescendam, vterque timor conspirare debet, ita vt timor hominis valli locum habeat, timor autem diuinus muri adinstar obtineat, vel aliud aliquid ex te finge, in quo gratia naturam imitetur, idque valli atque muri vices agere dicam.

169. His igitur munimentis caret ille, quisquis non potest in loquendo cohibere spiritum suum, atque adeò B similis est vrbi vndequaque patulæ. Et quidem vrbs quælibet mœnibus dirutis aperta in primis hostibus peruia est; in linguam etiam, quam silentij, aut timoris murus non ambit, omnia vitiorum genera irrumpunt Ad hæc, in vrbem, quæ subuersis mœnibus quoquouersum panditur, atq; adeò nec portas, nec portis adscriptas custodias habet, quaslibet sine discrimine aut examine merces inferre, aut efferre licet: idem de lingua iudicium ferendum est; nam cùm eam silentij aut timoris muri non præcingunt, abest ratio, abest prudentia portis adscripta, cuius est ea, quæ in animum vel exportantur, agnoscere, & sine qua nec mœnia ipsa securitatem aliquam præbere possunt. C

Chrysost. Audi eundem Chrysostomum homilia in Psalmum 140. *Quemadmodum non iuuat vrbs, non mœnia, non porta, nisi sint qui eas custodiant, & sciant, quando oporteat ea quidem claudere, quando verò operire; ita etiam oris & linguæ nulla est vtilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accuratè, & circumspectè ea claudere & aperire permissum sit, & sciat quæ sint efferenda, quæ verò tenenda, & admittenda.*

Ad extremum LXX. interpretes de prudentia in vniuersum locum istum exponunt, sic enim habent, *Sicut vrbs muros deiectos habens, & non murata, sic vir, qui non cum consilio quid agit.* Prior clausula repetitionem rei eiusdem non admodum iucundam continere videtur. Potest tamen duplici modo bonum ad sensum allici. Prior est, vt particula copulatiua & capiatur pro, *vel*, ita vt sensus sit: sicut vrbs, cuius mœnia conciderunt, vel quę nunquam mœnibus cincta fuit; sic enim duo complectitur hominum genera, eorum scilicet, qui cùm prudentiæ virtute pollerent, eam abiecerunt; & eorum, qui nunquàm prudentia & consilio vsi sunt. Vel aliter: *vrbs muros deiectos habens & non murata*; dicitur vrbs, cuius mœnia primum deuastata, nec postea instaurata & refecta sunt; cui adsimilis dicitur is, qui prudentiam & consilium in rebus agendis minimè adhibet: quia nimirum sæpius fit, vt quæ ob defectum prudentiæ, & consilij temerè concidunt, ac pessum eunt, nusquàm postea refici, & instaurari queant. Denique subiicio verba Philonis Iudæi, qui virum prudentem cum vrbe componit, non mœnibus solùm, sed etiam virorum fortium præsidio vallata, in lib. de sacrificio Cain & Abel. *Quemadmodum ciuitatum tutissimum munimentum viri fortes sunt pro mœnibus stantes; ita etiam in vniuscuiusque nostrûm ciuitate, quæ constat ex animo ac corpore, pro firmissimo propugnaculo sunt cogitationes amicæ prudentiæ.* Ex hac ergo Philonis sententia tertia duci potest expositio illorum verborum, *vrbs muros deiectos habens, & non murata*, seu *munita*, id est, quæ caret mœnibus & militum præsidio: nam cùm mœnia non suppetunt, viri fortes pro muris sunt adamantinis. Ergo sic accipe; vir, qui sine consilio ac prudentia res agit, ciuitas est, quæ caret mœnibus ac militum præsidio: quasi dicat deficiente consilio non est robur, non fortitudo; hæc enim duo, fortitudo, & consilium, hærent sibi inuicem.

170. Philo Iud.



CAP. XXVI. SALOMONIS.

1. *QVOMODO nix in æstate, & pluuia in messe: sic indecens est stulto gloria.*
2. Sicut auis ad alia transuolans, & passer quò libet vadens: sic maledictum frustrà prolatum in quempiam superueniet. 3. Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium. 4. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. 5. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. 6. Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum. 7. Quomodo pulchras frustrà habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola. 8. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit insipienti honorem. 9. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum. 10. Iudicium determinat causas: & qui imponit stulto silentium, iras mitigat. 11. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. 12. Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. 13. Dicit piger: Leo est in via, & leæna in itineribus. 14. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. 15. Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat, si ad os suum eam conuerterit. 16. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. 17. Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens: & commiscetur rixæ alterius. 18. Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem. 19. Ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo:

suo: & cùm fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci. 20. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis:*
& susurrone subtracto, iurgia conquiescent. 21. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem,*
sic homo iracundus suscitat rixas. 22. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad*
intima ventris. 23. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cũ*
pessimo corde sociata. 24. *Labiis suis intelligitur inimicus, cùm in corde tractauerit dolos.*
25. *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.*
26. *Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio.* 27. *Qui fodit foueam,*
incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. 28. *Lingua fallax non amat veri-*
tatem: & os lubricum operatur ruinas.

---

1. *Quomodo nix in æstate, & pluuia in messe, sic indecora est stulto gloria.*

1.  *Quomodo nix in æstate*, &c. Hebræa non dissentiunt. LXX. *Quomodo ros in messe, & quomodo pluuia in æstate, sic non est insipientis honor.* Symmach. & Thodot. *Non decet insipientem honor.* Caiet. *Non pulcher est insipienti honor.*

Caietanus existimat præscriptis verbis hanc inesse sententiam, sicut ningere ab æstate alienum est, sic honor à viro stulto quàm longissimè abesse debet. Itaque non comparat Salomon honorem stulto exhibitum, cum niue in messe decidente, ex mente Caietani; sed gloriam stulto perinde non congruere affirmat, sicut ab æstatis ardore nix, vel vberior pluuia longè abest. Et quidem non omnino forsan displicebit hæc prior expositio, si tamen excitetur, & comparatio assumpta amplius excutiatur. Nam ideò grando in æstate è cælo descendit, nix autem non ita, quia, teste Philosopho, grando in suprema aëris regione concrescit, nix verò circa infimam eiusdem aëris regionem conglaciat. Quapropter cùm æstate vrente ob repercussionem solarium radiorum calor in ea regione terræ vicina vigeat, nix inibi coire non potest: cúmque suprema regio per id tempus, & fuga frigoris ab imis ad summa, & naturali suâ temperie frigida sit, grandines ibi coguntur. Itaque nix per hyemem coit, quia tunc regio aëris terræ vicina friget, per æstatem verò non coalescit quia eadem tunc calet plurimum. Ait ergo Salomon, *sicut nix* in æstate non concrescit, sic etiam honor & gloria ad stultos & insipientes minimè accedit. Est enim honor niui perquàm similis, atque adeò (liceat sic dicere) in stultis & vecordibus non cogitur; vulgò diceremus. *Ne quaxa en los necios orniues:* nam licet stulti, seu improbi homines in infimis sint, & terrenis rebus animo ac mente adhæreant, tamen omnium vitiorum ac libidinum æstu incalescunt, ideò honor & gloria in ipsis minimè coalescit. Vide autem num Salomon adludat ad vestes candidas & fulgidas, quibus Principes ac magistratus vtebantur apud Hebræos, quas niuis nomine aliàs censuit Psaltes in Psalm. 67. *Dum discernit cælestis Reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon*, &c. vestiumque candorem niui comparare familiare admodum est scripturis sacris, testimonia sunt obuia. Itaque sensus erit, sicut nix per æstatem in infimam aëris regionem non decidit, sic etiam magistratuum gloriosæ infulæ in stultos atque improbos homines non cadunt, nec illos decent.

2. Melius tamen sentiret quisquis diceret comparationem ductam fuisse ex niue, quæ ex aliquo acci-
A dente rigore per æstatem decidat, & ex pluuia, quæ per idem tempus defluat: non enim insolens prorsus est vere primo ex aliqua aëris intemperie niuem, & in messe pluuiam euenire; sensus ergo sic conformandus est. Quemadmodum si vere primo nix è cælo decidat, quamprimum soluitur, ac diluitur; & sicut pluuia, quæ in messe defluxit, perbreui interuallo arescit, ac siccatur; sic etiam honor & gloria in stulto diuturna esse non potest, quippè quæ velut nix in vere quamprimum soluitur, aut sicut pluuia in messe quamprimum arescit. Hanc interpretationem commendat translatio LXX. quæ sic habet. *Quomodo ros in messe, & quomodo pluuia in æstate, sic non est insipienti honor.* id est, quemadmodum messis tempore ros mane primo tellurem complùens, sole exorto, citius
B arescit, & sicut pluuia terram infundens ocyus exsiccatur, ità etiam honor *non est*, id est, non perseuerat, vel non est diuturnus insipienti; quia illius iacturam citò facit. Tullius 2. de Officiis. *Vera*, inquit, *gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia tanquàm flosculi celeriter decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.* Eiusmodi est improborum gloria fallax, & simulata, non vera, & germana.

Potest etiam translatio LXX. alium ad sensum vocari. *Quomodo ros in messe, & pluuia in æstate, sic non est insipienti honor.* id est, sicut ros tellurem aridam & sitientem messis tempore non satiat, nec pluuia aliqua affluentior per illud tempus decidit, quæ terram affatim inundet, atque eius sitim expleat, (vulgò di- 3.
C cimus *que en esse tiempo nose hartala tierra de aqua.*) Idem est insipientis hominis ingenium, nam cùm honores afflictim sitiant, eos tamen cõparati nõ saturat; si enim honor partus splendidus valdè non sit, similis erit rori in aridam valde terrã parcissimè stillanti, qui animi sitim nõ extinguet, sed accẽdet: si verò dignior atque illustrior sit, gloria, quam nactus est, similis erit imbri alicui, ex his, qui per æstatem non tam tellurem infundere, & humore suo explere, quàm eandem diripere & deradere solent, id est, cupiditati minimè satisfaciet, quin imò, & si quid in his consilij & rationis vel modicum inest, id quidem succedẽs gloria tanquàm vehementior aliquis imber aut nimbus diripiet, ac secum auferet: honor enim stultis collatus
D eosdem fatuos magis ac vecordes reddere consueuit. Quam autem ob causam gloria, honores, & dignitates partæ insipientum hominum auiditatem nequaquam expleant, alibi ex Chrysostomo docuimus. Id verò, quod de stulto dicitur, de improbo etiam concipi debet, qui sæpius in hoc libro *stulti* nomine venit, vt aliàs notauimus.

Ex superioribus interpretationibus eam præferendam esse censeo, quam secundo loco dedi; aliam tamen subiicio, quam illi haud imparem esse credo. 4.
Quomo-

A *Quomodo nix in æstate, aut pluuia in messe, sic indecora est stulto gloria.* Per æstatem quidem primum ver, per messem autem mediam ipsam æstatem accipere licet, & sensus non conditionalis ex suppositione aliqua rei insolitæ, sed absolutus erit ex constitutione rei contingentis. id est. Quemadmodum si primo vere cùm segetes luxuriari, & gramina aboresque primo flore vernare incipiunt, ex aliqua intemperie accidẽti frigida nix aut pruina è cælo, vt solet, in terram defluat, segetum luxuriem enecat, & flores arborum glacie suâ adurit: & sicut pluuia affluentior, & vberior messis tempore, vt assolet etiam, cælitus emissa, maturas ac decoctas iam segetes vitiat atque corrumpit (sic enim vulgò circunfertur, *Agua de por san Iuan quita el vicio y cy de paz.*) sic gloria & honor magistra-

B tus, & infulæ dignores insipientibus ac stultis collatæ, haud dissimilia toti reipublicæ damna inferunt. In primis enim in iunioribus primus ille flos ingenij, qui studio ac diligentiâ excultus maturos prudentiæ ac virtutis fructus spondebat, conglaciat prorsus ac tabescit; nullius enim posteà studio gloriæ & honoris ad perfectã virtutis, aut sapientiæ frugem peruenire satagit, quandoquidem honor gloriaque insipientibus æquè ac sapientibus eueniunt. Deinde in grandæuis matura prudentiæ atque consilij seges, quam iam tùm respublica demetere, & in vtilitatem suam conuertere poterat, vitiatur prorsus ac corrumpitur, quia dum vident supremos honores ab hominibus prudentiæ atque sapientiæ expertibus inuadi, sapien-

C tiam, & prudentiam facilè despiciunt, & stultitiam ignorationemque sponte sibi accersere non verentur. Hùc spectant perillustria Æschinis verba apud Stobæum in sermone de Republica. *Hoc*, inquit, *reputate, quod si munera & honores paucis, eisque condignis, & secundùm leges contuleritis, multos vos habituros esse pro virtute certantes; si autem cuilibet cupienti, & his, qui nihil egregium fecerint aut sapuerint, gratificemini, frugi etiam ingenia corrupturos.* Quid illustrius? (Stobæus.)

---

2. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens; sic maledictum frustrà prolatum in quempiam superueniet.*

5 SIcut auis, &c. Hebr. ad verbum *Sicut auis vagari, hirundinis volare est, sic maledictio gratis non veniet.* Caiet. Vatablus, Pagninus, Montanus & alij Hebraizantes pro *passere hirundinem* subiiciunt; subest autem דרור *deror*, quæ vox hic tantummodo occurret, & Psal. 83. vbi LXX. *turturem* couertunt. *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi.* Hebræi inibi etiam *hirundinem* transferunt, sibi similes. Noster autem interpres sequutus est LXX. & Thargum, illi enim sic habent. *Sicut aues auolant, & passeres; sic maledictum vanum non superueniet vlli.* Theodotion. *Maledictum gratis.* Chaldæus integram sententiam sic extulit. *Sicut passer, qui volat, & sicut volucris, quæ volat, sic maledictio non frustra veniet.* Pugnantia dicere videntur istæ lectiones; sed tamen earum dissidia (quoad fieri possit) componere curabo. Quidam etiam codices habent. *Sicut auis ad alta transuolans.* Sed mendum est manifestum. (Psal.83.)

Duplex *maledictionis* acceptio esse potest, aut enim significat malam mihi precationem, aut contumeliam in aliquem coniectam; vtraque significatio notissima est. Hoc posito prima interpretatio Hebræis perquàm familiaris sic habet *Sicut auis vagari, & hirundinis volare est, sic maledictio gratis non veniet*, id est, Sicut auis est per aëra hùc, & illùc temerè vagari, & hirundinis etiam omnem in partem sine lege labi, & excurrere, adeò vt vix aliquando ad terram demisfè pedem figant; ita etiam maledictio aut mali deprecatio, cùm gratis, & sine causa temerè in aliquem profertur, nequaquàm illum afficit, sed mera quædam velut auolãtis verbi in aëre verberatio est. Sic Caiet. Pagninus, & Vatablus. Quæ interpretatio, quod ad sententię ipsius summam attinet, non est omnino respuenda, cùm eam planè cohibere videatur translatio LXX. sed (si fieri potest) castiganda & emendãda est; nã (ni fallor) auctores isti in accommodatione similitudinis aliquid peccant. Vatablus ergo alio modo superiori sensui comparationem istam adaptare contendit: nam sic scribit. *Vt passer natus est vt fugiat, & hirundo nota est vt volet, sic maledictio immeritò prolata non veniet, id est, non lædet. Quasi dicat: vt passer viso arcu, vel homine, fugit, vt non lædatur, sic non lædit maledictio, quæ immeritò mittitur in aliquem.* Hæc ille, vbi per passerem aut hirundinem, non maledictum & mali deprecationem, sed eum intelligit, qui maledictis sine causa petitur: Itaque sensus est: sicut passer qui viso arcu auolans in eum locum sese vendicauit, quò iacula peruenire non possint, ita etiam is, qui innocenter agit, in tuto est: nam maledicta iactantes (hi scilicet, *qui contendunt velut arcum linguam suam, vt sagittent in occultis immaculatum*) ad illum pertingere non queunt. Et quidem de passerum astu & versutia, aut in vitandis retibus, aut in declinandis iaculis supra diximus cap. 1. vers. 17. (Vatab.) (Psal.63.)

Non displicet comparationis assumptæ adaptatio, quamuis existimẽ aliam in textum melius quadrare, quæ sic habet. *Sicut auis est vagari, & hirundines volare* (perstò in lectione originali,) &c. aues quædam, in his hirundo, turtur, & aliæ plures eiusdem generis plagas vertunt, & hyeme iamiam ingruente loca aprica petunt, atque adeò nunquàm illas apud nos agentes frigus opprimit: ex hac igitur quarundam auium naturali proprietate comparationem istam initam puto. Fauet translatio Hieronymi. *Sicut auis ad alta transuolans, & passer quolibet vadens,* &c. de qua postea. Sensus ergo ad præmissam sententiam accommodatus erit eiusmodi Quemadmodum hirundinem & aues alias, quæ regiones mutant, hyems ingruens numquàm opprimit; ita etiam viros insontes & innocuos seu maledicta, seu probra, seu conuitia, seu contumeliæ nunquàm afficiunt; sicut enim aues illæ ad aprica præuolantes ab iniuriis temporum sese vendicant, ita etiam isti ad innocentiam & probitatem (liceat sic dicere) confugientes, illatas sibi contumelias, iniurias & probra facilè declinant. 6 (Hieronym.)

Quod si per istiusmodi aues ipsamet maledicta, probra aut iniurias accipi velis, sensus etiã euadet nõ inelegans. Sicut aues illæ instãte hyeme ad alias regiones diffugiunt ac nostras ocyùs deserunt plagas, sic etiam iniuriæ, contumeliæ, probra, aut cõuitia falsò in eos coniecta, qui plane insontes sunt & innocui, nequaquàm diu hærent, aut permanẽt, sed ocyùs auolant & detectã veritate succedit antiquus splendor & gloria. Hunc sensum spirare videtur translatio Septuaginta, quę sic habet. *Sicut aues auolant, & passeres* (scilicet in alias plagas) *sic maledictum vanum,* id est, falsò enuntiatum & mendaciter dictum, *non superueniet vlli.* Græcè ἐπελεύσεται, id est, non superstabit (sic licet conuertere) id est, nequaquàm apud eum perstabit, qui ipso violatus est. Vel certè Septuaginta vrgent comparationem prædictam hoc modo. Eiusmodi maledictum falsò in aliquem vsurpatum simile erit aui cuipiam ad hyberna demigranti, & desertam regionem numquàm aliàs repetenti; nam ita ab homine falsi maledicti infamia decedit, vt nunquam deinceps recurrat; (quod ex aduerso accidit, in his maledictis, quæ verè & pro meritis indicta sunt, 7 (Septuag.)

nam

nam licet nonnunquàm infamia inducta aliquali obliuione decedat, tamen refricata memoria eadem persæpè reuocatur, & instauratur.) Id sibi voluerunt Septuaginta cùm aiunt. *Non superueniet vlli*, id est, abiens semel nusquàm iterum redibit.

At, inquies, huic expositioni aptè admodùm inseruit præmissa comparatio, quod ad hirundinem attinet; hæc enim, vt prædictum est, plagas vertit, & ad hyberna sese recipit; at passeri, seu passerculo, non ita; is enim apud nos mansitat, & loca non mutat. Respondeo, nomen hoc Latinum *passer*, & Hebraicum *deror*, et germano significato auiculam illam astutam notare, de qua supra diximus; at latiori significatione sumptâ specie pro genere, per synedochem aliis volucribus commune esse. Quemadmodum etiam apud Hispanos omnes alites dicuntur *pajaros*. Adstipulatus huic coniecturæ Chaldæus, qui pro passere volucrem restituit; Quapropter de his tantummodò auibus sermonem haberi dicemus, quæ regiones vertunt modo prædicto. Et sensus erit is quem nuper dedimus.

8. Secunda interpretatio videtur huic planè contraria, quam offerunt Vulgata lectio & Thargum. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens*, &c. Quidam certè Vulgatum ac Septuaginta interpretes concordiæ reddere volentes, sic Vulgatum edisserendum putant. Quemadmodùm auis, aut passer, sic auolat ac discedit, vt non amplius in eandem partē reuolet modo dicto. *Sic etiam maledictū frustrà prolatum in quempiam superueniet*, id est, non superueniet; nam similem ad modum superuenire nō superuenire est; itaque cùm ait, sic superueniet sicut illæ auiculæ, perinde est si dicat; quemadmodùm illæ non redeunt, ita & illud minimè recurrit. Cæterùm hæc expositio aliquam verbis ipsis vim afferre videtur; atque adeò præferenda est communis interpretatio, quam sequuntur Beda, Rodolphus, Iansenius, Arboreus, & alij passim, qui omnes negationem adimunt. Vt autem Vulgatam lectionem ad origines reuocent, aiunt pro לא *lo*. id est, *non*, restituendum לו *lo*. id est, *ei*, vel *alicui*; ita vt Primitiua sic ad verbum efferri debeant *Sicut auis vagari, sicut hirundinis volare est, sic maledictio gratis alicui veniet*. Ego potius dicerem, præmitti debere vocem לא *lo*, id est, *non*, & postponendam esse vocem חנם *Hinam*. id est, *gratis, frustrà, sine causa*, vt fecit Chaldæus, qui extrema verba sic contexuit. *Sic maledictum, non frustrà veniet* eodem sensu.

9. Beda. His positis præmissi interpretes locum istum de mali deprecationibus ac detestationibus exponunt; in his atem Beda sic habet. *Verba rectè auibus comparantur, quod sonando per aëra transuolent, ab ore videlicet loquentis ad aures vsque audientis. Sed distant in eo quod potest fieri, vt auis quolibet volans eo loco resideat vbi nil ei certè vtilitatis, aut necessitatis suppetat. Verba autem, quæ loquimur, non quolibet dispersa in ventum diffluunt, atque euanescunt, sed in auctorem suum cuncta reuertuntur, atque vel benè prolata iuuant loquentem, vel malè edita eundem grauant. Itaque si pro omni verbo etiam otioso rationem in die iudicij reddere cogemur, quanto magis maledicta, non solum ea, quæ in insontem iaculamur, sed etiam illa, quæ negligentium consuetudine passim in quoslibet proferuntur, non alium, sed ipsum maledicum oppriment?* Hæc ille. In eandem sententiam eunt Iansenius & Rodolphus, qui comparationem hanc ab auibus petitam sic accommodant. Quemadmodùm auis, aut passer è nido emissus, postquam per liquidum aërem hàc illàc lapsu errabundo peruagatus est, nidum suum iterùm repetit; sic etiam maledictum, seu preces malæ in alios temerè iaculatæ, cùm eos afficere æquum non sit, in quos sine causa coniectæ fuerunt, ad auctorem suum sponte recurrunt, & in caput illius recidunt.

Cæterùm (ni fallor) Salomon nomine *maledicti* in hoc loco vt supra animaduerti, quodlibet conuitium, probrum, contumeliam, aut iniuriam significare voluit; nam eam significationem huic nomini subesse constat ex Hieremiæ cap. 42. vers. 18. Ecclesiastici 21. vers. 30. & 29. vers. 9. & sæpè aliàs, & verbum *maledicere* in sacris Scripturis sæpè est conuitiari & exprobrare. 2. Regum 16. vers. 7. 9. 10. 11. & 13. & passim alibi. Ergo iuxta hanc *maledicti* acceptionem locus edisserendus nobis est. Id tamen difficile initam a Salomone comparationem proprio sensu donare. Comparatio ergo triplici modo institui potest, atque inde triplex euadit interpretatio; prima est iuxta datam proximè Bedæ atque aliorum huius comparationis acceptionem. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens*, &c. id est, sicut auis vel passer è nido in apertum euolans, si locum non inueniat vbi se deponat, tandem ad nidum reuolat, ita etiam conuitium, & probrum, quod passeris in morem, ab ore loquentis ad aures audientis emissum est, si apud illum, in quem dirigitur, non mansitet, sed conniuētiam aut despicientiā despuatur, in summet auctorem reddit. Et quidem secundùm hanc expositionem, *Maledictum frustrà prolatum* non tam significat maledictum, ac conuitium temerè in alium dictum, quàm illud, quod ab audiente per contemptum frustratur, & eluditur, quasi ne quidquam & inaniter dictum. Itaque sententia ad eos intenditur, qui probris atque conuitiis lacessuntur; suadetque Salomon ea vt despiciant, & per contemptum excutiant; fiet enim sic, vt in auctorem suum recidant, de qua thesi non semel aliàs diximus ex Basilio in Homilia de ira, & Nazienzeno in Poëmate eodem titulo, & ex aliis. 10.

Secundus comparationis instituendæ modus sic habet. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens*, &c. id est, sicut passer auisque per liquidas aëris regiones peruagata alicubi tandem sese deponit, non enim diu alarum remigio in aëre pendere & librari potest, quin alicubi denique insideat, sic maledictum frustrà prolatum in quempiam superueniet, id est, ad eundem modum conuitium temerè dictum, etiam si in aërem emitti videatur, atque adeò neminem læsum iri, tamen non diu pendet, sed aliquem tandem afficit, ac violat. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem eos admonet, qui ex quadam nugandi & iocandi licentia, maledicta quædam, aut conuitia iocosa temerè in alios proferunt sine animo lædendi, quæ vulgus vocat, *palabras dichas al ayre*, atque maledicta illhæc iocosa nequaquàm diu in aëre librari, sed cuiuspiam animo tandem sedere, qui se talibus violatum non doleat solùm, sed etiam stomachetur. Non displicet etiam hæc expositio. 11.

Sed tertiam nihilominus aliis præferendam esse decerno; existimo enim comparationem peti ab illis auibus, quę à frigidis ad apricas regiones demigrant: suadent enim hoc verba vulgata. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens, sic maledictum frustrà prolatum in quempiam superueniet*. id est, quēadmodum aues, quæ hyeme rigente ad alias regiones migrant, vbi ver primum intepescit, ad nostras remigrant, ita etiam maledicta & probra, quæ in amicos nunc emittimus, cùm amicitia & beneuolentia per simultatem aliquam frigescit, eadem posteà, redeunte gratiâ & repetito amoris calore ad nos redeunt, & pœnitentia facti nos angunt. Appellatur ergo *maledictum frustrà prolatum*, conuitium in amicum temerè dictum; existimo autem illud *in quempiam*, non copulandum esse cum verbo *superueniet*, sed cum 12.

verbo *prolatum*, vt sit sensus, *Maledictum in quempiam prolatum superueniet*, idest, iterum veniet super eum qui protulit. Hanc interpretationem ideò reliquis præuertendam puto, quia venustiorem claudit sententiam, & vulgata verba ad viuum resecat.

---

3. *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium.*

13. FLagellum equo, &c. Hebr. *Flagellum equo, & frænum asino, & virga corpori stultorum.* Nam pro *camo* subest מתג *Metheg*, quæ vox *frænum* adsignificat: est tamen dissidij aliquid inter Hebraizantes; quidam enim docent, id nominis propriè significare *lupatũ*, quod ori equorũ inseritur, alij *Lora*, seu *habenas*; sed hæc discordia leuis est. Sunt qui conuerterunt *capistrum*, Latina vox *camus*, fluit ex Græca *κημος*, quæ propriè frænum & lupatum ori immissum adsignificat, LXX. *Flagellum equo, & stimulus asino, sic virga genti iniquæ.* Concinit etiam Chaldæus, qui vocem illam *Metheg*, ex radice יגה *iagah*. videntur traxisse, quæ est *affligere & dolore afficere*, ideò *stimulum* conuertunt, eo quod dolorem iumentis infligat. Lucifer, *genti insipienti*. Aquila, *corpori dementis*.

Vna omnium interpretum mens circa sensum huius loci; volunt enim Salomonem eò spectare, vt doceat cum stultis, ac vecordibus non verbis, sed verberibus agẽdum esse: itaque sensus est *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso insipientem*, id est, sicut equus flagello, & asinus camo emendatur, sic etiam stultus virgæ ictibus; sed dum vtramque similitudinem penitiùs rimantur interpretes, aliquid inde boni sensus enucleant. Beda sic habet. *Quid per equum nisi superbum? quid per asinum nisi luxuriosum quemlibet figurat? & ideo necesse est vt per diuinum flagellum elatio humilietur superborum, & per infirmitatem carnis tanquam per camum cohibeatur voluntas labri eorum, vt qui sponte conuerti nolunt, coacti flagellis conuertantur à vitijs*, &c. Caietanus putat duas illas similitudines ad significandam vim correptionis adhibitas, quæ pro *flagello* est, ad currendum incitet, & pro *fræno*, vt à cursu cohibeat, quia nimirum ad bonum incitat, & à malo coërcet. — Beda.

14. Iansenius aliquid etiam obseruatione dignum adnotat, quod nimirum instrumenta commutantur, & id, quo asinus regi solet, scilicet flagellum, equo tribuitur, & id etiam, quo equus moderari consueuit, scilicet frænum, asino datur. Quod de industria à Salomone factũ dicit, quia equis ad festinandũ vtimur, ideò flagellum illis accommodauit, quo ad cursum incitentur; asinum verò ad onera vehenda adhibemus, ideò frænum illi adscripsit, quo in gradu lentiori benè deducatur. Innuens scilicet, quid correptio & fustigatio in stultis præstare soleat; nam currentes incitat, & lento gradu pergentes cohibet. Sed tamen, vt dicam quod sentio, bona est Iansenij obseruatio, eam tamen non satis benè auctor eruditus collocauit.

15. Ergo alij prædictam *flagelli & cami* permutationem etiam obseruantes facilè nodum expediunt, asserentes eum loquendi modum Hebr. familiarem esse, quibus solemne est nonnunquam nomina permutare per enallagem: atque interpretis esse aiunt id quod suum est cuique tribuere, scilicet camũ equo, & asino *flagellum*. Quod si res ita se habeat, energiam huius sententiæ assequi non est difficile: erit enim sensus: correptionem atque fustigationem id agere in stultis ac vecordibus, quod in equo frænum & in asino flagellum: nam si, equi in morem, petulantis &

A procacis, in scelera bacchentur, illis pro fræno est vt cohibeantur: Eo enim nomine correptionem donandam censuit D. Augustinus in definitionibus. *Correctio* (inquit) *est errorem innatum, aut consuetudine factum fræno rationis inhibere.* Si autem piget adinstar asini torpescat, eidem pro flagello est vt incitetur. Et quidem vtrumque in stulto atque insipienti vitium coit, nimirum equi velocitas ad scelera, & ad virtutem asini tarditas, atque adeò illam coërcere, hanc incitare necessum est. — August.

16. Posset rursus aliquis dicere, Salomonem datâ operâ flagellum equo dedisse, quia constat equos illos, qui fræno ac lupis non acquiescunt, quique ex nimia quadam animositate ferociunt, à flagelli edo-
B mari & emendari solitos: Nã tantus illis flagellationis metus inest, vt viminis excussi ac vibrati, flagellique incassũ desuper impulsi sonitu incitari ac corripi soleant. Rursus frænum asino propterea accommodasse, quia sternaces asini & onera non ferentes, camo ori adacto mitescunt, & onera dorso excipiunt. Itaque Salomon ea cuique accommodat, quæ maximè detrectat ac respuit, vt sit sensus: Id præstat stulto correptio & virgæ ictus quod equo flagellum: nam sicut equus flagellum vsque adeò timet, vt vel inanis eius vibratio & excussio illum aut coërceat, aut incitet: ita etiam stultus fustẽ vsque adeò veretur, vt intentati solùm & nedum inflicti ipsius flagel-
C gelli ictus illius vesaniam & stultitiam emendare ac restituere queant: deinde sicut asinus sternax camo seu fræno adstrictus oneri subeundo idoneus redditur, sic etiam insipiens castigatione coërcitus ad onera quæuis ferenda habilis efficitur. Rursus dum ab his similitudo ducitur, quæ duo illa animantia maximè respuunt, non incongruè significatur quanto in odio correptio sit apud insipientes.

17. Sed licet ea, quæ hactenus præmisimus, non incongruè dicta sint: tamen aliam mihi subodorari videor concinnam magis ac congruam interpretationem. Et quidem suppono, Salomonem flagellum frænumque de industria commutasse, & frænum asino, flagellum equo datâ operâ accommodasse: cùm tamen equus fræno, & asinus flagello regi
D soleat. Deinde obseruo Salomoni valdè familiarem quandam sententiam, scilicet stultos atque insipientes correptione ac supplicio naquaquam emendari, sed nonnunquã in deterius abire solitos: supra cap. 17. *Plus proficit correptio apud sapientem, quam centum plagæ apud stultum.* Et cap. 15. *Stultu[illegible]der disciplinam.* Vide plura in hanc sententiam [illegible]o. vers. 8. & 15. Ergo sibi sui similis in hoc loco Salomon quid nocumenti correptio & castigatio stultis afferre soleat, insinuat his verbis. *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso insipientum.* Quasi dicat, perinde est stultum ac vecordem hominem virga corripere, sicut flagello equum tundere, & asino frænum inducere, contra naturæ ipsius legem & contra solem-
E nem vsum. Nam equus naturâ suâ ferox ac petulãs fræno indiget, flagello autem percussus ferocior & incitatior redditur: asinus etiam condione suâ iners ac piger, flagello opus habet, fræno autem inertior redditur. Ad eundẽ modum correptio, atque supplicia stulto inflicta, si quidem stultus, equi ad instar, præceps ac ferox sit, illum vtique incitant & ad vitia præcipitẽ magis, ac ferocem efficiunt: si autẽ asini in morem, socordia & inertia torpeat, illum sanè inertẽ magis ac socordẽ reddit animaduersio. Quod quàm cum experientia conforme, nemini ambiguum est: videmus enim quotidie stultos correptionibus aut animaduersionibus deteriores fieri. Itaque Salomon in hoc versu stultitiam, stultosque ex eo incusat, quia morũ remedia in suam perniciẽ conuertũt.

Translatio Septuaginta alium sensum offert. *Flagellum equo, & stimulus asino: sic virga genti iniqua.* Hęc verba ad Principes, Dynastas & Iudices, qui populis iura dicunt, intendi videntur. Virga ergo potestatem ipsam Principis aut iudicis adsignificat, vt sæpè aliàs in scriptura. Itaque sensus est. Quemadmodum equis aut asinis non indulgemus, sed illos flagellis, hos stimulis assiduè quatimus & percellimus, vt suas agant functiones: ita etiam improbis non est conniuendũ, sed cum his ex iure agere necessum est: vt assiduis coërciti suppliciis in officio contineantur. Quod si cum Lucifero legamus, *sic virga genti insipienti*, aut cũ Aquila, *corpori dementis*, ita vt de stultis sermo sit; posset vtique quispiam sic comminisci, vt duæ illæ comparationes equi & asini inter stultum ac sapientem distribuantur, ita vt *equus* sapientem, *asinus* stultum adumbret. Cùm autem equum flagello, asinum stimulo petendum dicit, quantum inter stulti atque sapientis viri correptionem & animaduersionem intersit, aperit: nam sicut equus sola flagelli vibratione incitatur, sic etiam sapientem supplicij minæ ad probitatẽ erudiunt. Huc spectat illud Senecæ passim decãtatum. *Nobilis equus vmbra virgæ regitur, ignauus nec calcaribus concitatur.* Stultis verò contra accidit: nam sicut asinus piger non aliter nisi stimulis crebrò infixis impellitur, sic etiã stultus assiduis ictibus opus habet. Hoc sibi vult illud, *Et virga in dorso imprudentium*, idest, non desuper vibrata: sed fortius impressa & adacta. Et idem est de aliis translationibus.

Seneca.

---

4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.*

5. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

19. *Ne respondeas*, &c. Hebr. *Non respondebis stulto secundum stultitiam eius, ne fortè adæqueris ei.* Dissidium quoddam leue distrahit interpretes, quidam enim in Primitiuis sic legendum putant כאולתו *Chei valtho*, idest, *secundum stultitiam eius*: alij באולתו *Bei valtho*, idest *in stultitia eius*: sensus tamen non euariatur. LXX. *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne similis ei fias.*

Responde stulto, &c. Hebr. *ne fortè sit sapiens in oculis suis.* Chald. *Sed loquere cum stulto in sapientia tua, ne existimet ipsum sapientem.* LXX. *Sed responde stulto ad stultitiam eius, ne videatur sapiens apud se.*

Beda. Prima interpretatio huius loci est Bedæ. *Non hæc*, inquit, *inuicem sibimet contraria debent videri, vtrumque enim pro temporum, & personarum diuersitate concordat.* Itaque hæc duo *respõdere*, ac *nõ respondere stulto iuxta stultitiam eius*, non ita accipit, vt putet in duplici versu alium & alium sensum sortiri, sed discrimen ex tempore ac persona, cui responsum offertur, petendum esse docet Beda, ita vt sensus sit. Tempus est non respondendi stulto, & tempus etiam eidem respondendi secundùm stultitiam suam. Sed quid est iuxta stultitiam respondere? stultitiam vnam alia decutere stultitia (inquit Beda.) Aliquando enim quemadmodum clauus clauo, sic stulta interrogatio stulta respõsione truditur: sed vt eo modo stultitiam vnam alia stultitia demere liceat, tempus vtique capere, & personas obseruare oportet. Nam si intẽpestiuè stultũ responsum stultæ offeratur interrogationi, respõdens interroganti similis efficitur: si autẽ tempestiuè, & opportunè stultitiæ stultitia obiiciatur, alia quidẽ aliam trudit. Hoc astu vsus est Paulus 2. ad Corinht.

2. Cor. 12. 12. Nam cùm Corinthij Paulum cũ aliis doctoribus conferrent, quorum fides vacillabat, & his fortasse primas insipientissimè darẽt, necessũ vtiq; fuit Apostolo suas laudes & virtutes commemorare ac prædicare: at postquam longam orationem in suarũ virtutum commemoratione posuit, sic demum adiecit *Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim à vobis debui commendari.* Quasi dicat: propriarũ virtutum prędicatio vulgò stultitiæ adscribi solet, sed vos ipsi ad hanc stultitiam compulistis me, nam vt vestram fatuitatem excluderem, mihi meas laudes commemorando desipere necessum fuit, quas vos prædicare & extollere oportebat. Hæc Beda etsi obscurius.

Sed tamen si discrimen vtriusque sententiæ in tẽpus tantummodò referatur, aptiùs fortasse & apertius de correptione morum interpretabimur: nã cùm Salomõ in superiori versu stulto correptione & animaduersione deteriores fieri dixisset, nunc quidem addit. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiã suam, ne ei similis efficiaris*, &c. Si quando stultum obiurgare & temerè dictis factisve eiusdem ocurrere opus est, tẽpus vtique & opportunitatem capta, atque adeò si opportunitas non est, *ne respondeas illi iuxta stultitiã suam.* i. dignam illius stultitia responsionem seu animaduersionem nequaquam illis dederis, *ne ei similis efficiaris*, ne videlicet stultitię tu ipse insimuleris, quia intẽpestiuè illum atque sine vsu, & emolumento obiurgasti: nam intempestiua animaduersio, ex qua non melior, sed deterior fit obiurgatus, stultitię atque stoliditati corripientis adscribi debet. Quod si opportunitas correptionis sese dat, *Responde stulto iuxta stultitiam suam*, i. stultitia dignũ responsum illi præbe, eius scilicet fatuitatem asperiori aliquo respon so coërce, *ne sibi sapiens esse videatur*, vt suæ nimirũ inscitiæ admonitus & conuictus, eam agnoscat, agnitã detestetur. Quantum verò emolumenti aut detrimenti habeat correptionis opportunitas, vel importunitas docet Chrysost. exemplo petito ex medicamentorum vsu: hæc enim tempestiuè adhibita sanitatem afferũt, intempestiuè autem apposita morbum augent, cuius verba alibi dedimus. Et quidem præstantissima artis medicinæ pars est, prædictam opportunitatem obseruare, nam medicamentorum naturas, & quæ quibus morbis accommodari debeant nosse non est arduum, at quodlibet medicamẽtum tempestiuè adhibere summæ cuiusdam peritiæ est. Non aliter in correptione & obiurgatione morum potissima temporis ratio haberi debet: nam si exæstuãte culpa correptionis malagma imponatur, rẽ potius exulcerat quàm sanat, atque adeò tempus in aliud curationem differre oportet, cùm nimirum æstus ille deferbuit, & hebetato passionis impetu animus ad se redit.

21. Et quidem non insulsè ad hunc ipsissimum sensum Salomonis sententiam allicere possumus, si cum Caietano & aliis legamus hoc modo: *Ne respondeas stulto in stultitia sua, ne ei similis efficiaris, sed respõde stulto secundùm stultitiam suam, ne sapiens sibi videatur.* i. ne stulto, aut vecordi homini tunc cùm stultissimè ac dementissimè agit, in ipso delicti feruore & æstu occurras, ne tu quoque stultitiæ labem tibi inuras, quia intempestiuè illum obiurgas, sed correptionem differto, & cùm exæstuantis animi feruor ille detumuit, & mens sedata iam est, tunc acrius illum obiurga, ne si nullum habeat reprehensorem, putet se sapienter egisse. Hinc August. de eo, qui correptionem differt de ciuitate lib. 1. sic scribit. *Nã si propterea obiurgandis, & corripiẽdis malè agentibus quis parcit, quia opportunum sibi tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, consilium est charitatis.* Dicam luculentiùs, iuxta medicinæ corporalis artem calidis vulneribus apposita medicamẽta efficacia magis sunt, at secundùm spiritualem medendi facultatẽ frigidis vulneribus dilata curatione efficacius adhibẽtur

August.

tur correptionem remedia. Rursus in eo vincit spiritualis facultas corporalem artem, quod secundùm huius pręcepta medici aut chirurgi nunquam non ad curandum habiles sunt & prompti, atque adeò non suum, sed ægroti tępus præstolari eos oportet. At secundùm illam spiritualem & mysticam medendi artem, non modò ægri tępus obseruare necessum est, sed etiam medici, vtpote qui non semper ad corripiendos aliorum mores idoneus est, propterea enim iubentur superiores tunc, cùm irati sunt, animaduersionem differre: quia scilicet ea, quæ per id tempus ira incalescente obiurgationum remedia supponunt, vlcera potiùs refricant quàm sanant.

22. Tertia interpretatio est Caietani, Iansenij, Rodolphi, & aliorum, qui putant Salomonem modum pręscribere, quo sapiens vir stultis conuitia & probra in illum iactantibus occurrere debeat. *Ne respondeas*, inquit, *stulto iuxta stultitiam suam*, idest, si stultus probris te lacessat, ne tu quoque in illú similia probra regeras, *ne similis illi efficiaris*, ne scilicet dum paria respondes, stultus etiam appareas. Nã qui aduersus hominem iracundia inflammatum pari iracundia incitatur, illius vtique speculum efficitur, teste Gregorio Nazianzeno in poëmate de ira, & qui audita conuitia (liceat sic dicere) in iacientem retúdit, ac reuerberat, imitatur echo ex pręfractis rupibus acceptam vocem referentem, ex Basilio in Homilia eodem titulo, verba vtriusque alibi dedi. In Primitiuis est. *Ne adaqueris ei*. i. ne æquali stultitiate obstringas. Plato in Diolog. de amore: *Capite*, inquit, *toto sapiens supra insipientem attollitur*, quia nimirum sapiens mente, iudicio, ac sensibus reliquis, quæ in capite sedem habere existimantur, stultum facilè superat, stultus scilicet quasi capite detruncatus & imminutus est, vtpote mente, iudicio, ac reliquis præstantioribus animi facultatibus captus, quæ capiti inesse feruntur. Contra sapiens his omnibus pollet, ideò toto capite supra stultum attolli dicitur. Quid ergo est sapientem stulto adæquari? nihil aliud sanè nisi caput, quod supra ipsum exerit, abiicere, hoc est rationem & consilium prorsus deponere, & stulto per omnia parem reddi: id verò iracundia præstat sapientissimo cuique mentem & rationem eripiens.

Plato.

23. Sed licet præfatas interpretationes aliquo in loco ponendas esse censeam, tamen huius loci germanam sententiam mihi videtur assequutus D. Cyprian. ad Demetrium, & in libro de singularitate clericorum, & quidem ad Demetrium scribens priorem versum sic expendit. *Oblatrantem te, & aduersus Deum, qui vnus, ac verus est, ore sacrilego & verbis impijs obstrepentem frequenter Demetri, ne cõtempseram, melius existimans, errantis imperitiam silentio spernere, quã loquẽdo de meritis insaniã prouocare. Nec hoc sine magisterij diuini & nominis auctoritate faciebam, cùm scriptum sit, Noli respondere imprudenti ad imprudentiã eius, ne similis fias illi*. Itaque Cyprianus nõ putat modum aliquem respondendi stulto accommodatum, sed silentium his verbis à Salomone præscribi. *Noli respõdere* &c. i. stulto obstrepente prorsus conticee: reddit autẽ statim optimam rationem. *Nam cùm ad me sæpe studio magis contradicendi, quàm voto discendi venires, & clamosis vocibus personans malles tua ingerere, quàm nostra patienter audire, ineptum videbatur congredi tecũ, quando facilius esset, ac leuius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere quàm tuam rabiem tractatibus coërcere. Certè & labor irritus, & nullus effectus, offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto, cum nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire*. Pende extrema verba: hæc enim suadent planè stultorum dictis respondere, non modò inutile sed etiam fatuum & stultum esse: atque

Cyprian.

A adeò apposité subdit Salomon, *ne similis ei videaris*.

At quomodò, inquies, posterior sententia concinit cum priori? *Responde stulto ad stultitiam eius, ne sibi sapiens esse videatur*. Posset vtique aliquis sic comminisci, Salomonem videlicet hoc præcipere, vti stulto dicente, sapiens taceat: id enim satius est: aut siquidem eidem respõdere oporteat, ita certè occurrat, vt stultitiam illius perstringat, & illum insipientiæ coarguat. Quasi dicat: tunc solùm stulto responsum dandum est, cum speratur futurum vt insipientiam suam agnoscat, agnitamque detestetur: cùm verò nulla huius rei spes subest, satius est tacere, ac verba opprimere. Cæterùm longè melius posteriorem huius sententiæ partem cum priori concordat idem Cy- 23.
B prianus in lib. de singularitate clericorum, vbi sic scribit. *Tales ergo* (nimirum stulti) *non per orationem, sed per correptionem reuincendi sunt. Nã aduersus eiusmodi homines Salomon edocet nos dicens, Noli respondere insipienti ad ipsius insipientiam, ne similis fias illi, sed responde insipienti contra ipsius insipientiam, vt non videatur sibi sapiens esse*. Obseruanda est imprimis præpositio illa, *contra*, quam perbellè aptauit Cyprianus Cyprian.
posteriori sententiæ: nam in Græcis exemplaribus in priori quidem parte subest κατὰ τὴν ἐκείνου ἀφροσύνην. i. secundùm illius stultitiam: in posteriori autem πρὸς τὴν ἐκείνου ἀφροσύνην, præpositio autem illa πρὸς nonnunquam sumitur pro *contra*. Itaque sensus est. *Ne respondeas stulto ad stultitiam suam*. i. ne illius dicta
C verbis & oratione confutare aut refellere velis, nam præterquam operam ludes, tu quoque similis stultitiæ meritò insimulabere. Sed aduersus illum correptionibus & animaduersionibus, imò etiam virga vtere, ne impunitas illum deteriorem reddat, dum de sapientia inani existimatione, & opinione sese effert. Ad hunc sensum sponte allicitur translatio vulgata, & vel ex eo cæteris præferendus est, quia cum superiori sententia optimè copulatur.

---

6. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.*

CLaudus pedibus, &c. Hebr. *Incidens pedes, rapinam bibens, mittens verba in manu stulti*. Regia 25.
D *Decurtans pedes*, Vatabl. *Detruncat pedes, & bibit violentiam, qui per stultum aliquid demandat*. Chald. *Qui currit pedibus suis, bibens iniquitatem, sic est qui mittit verba in manu stulti*. Septuag. *Ex viis suis opprobrium facit, qui mittit verbum per nuntium stultum*. Procop. *Ex pedibus suis opprobrium facit*, &c. Et quidem vox originalis est חמס *Chamas*, de cuius vi non semel alibi diximus: significat autem *vim, rapinam, damnum, opprobrium, pœnam*, & alia his similia.

Huius loci sensus ex eo difficilis redditur, quia similitudines, vt verba sonant, non admodum accommodatæ videntur. Duplex ergo sententia interpretes distraxit. Alij enim duas illas comparationes ei ac-
E commodant, qui rem peragendam stulto demandat, alij ipsimet stulto, cui res committitur. Potest etiam tertia alia sententia confingi duas illa comparationes inter vtrumque distribuens. Hi ergo, qui præmissas similitudines illi tribuunt, qui verba aliis referenda stulto dictitat, sic locum edisserunt. Caietanus (ait) *Incidens pedes & iniquitatem bibens; qui mittit verba in manu stulti* (sic ipse conuertit & ad hunc modum interpretatur) sibi ipse pedes incidit: quia sicut pedes sibimetipsi elidens, priuat se facultate ambulandi, ita etiam mittens verba per stultum, priuat se facultate res suas per semeptipsum peragenda: Quia stultus negotia sibi commissa eum in statum redigere solet, vt ea rursus instaurare, ac resarcire non liceat. Comparatur etiam bibenti iniquitatem, quia manifestè in-

nuit stulti errores sibi placere, quandoquidem illi data opera res tradit, quem multa deerraturum non dubitat. Hæc Caietanus, quæ mihi non satis probantur. Caiet. etiam hæret Iansenius.

16. Melius Vatablus qui sic habet. *Truncat pedes, & iniquitatem bibit,* &c. idest, qui verba aut negotia magni momenti homini insipienti ad alium deferenda tradit, similis est ei, qui, vt aliquo mittat quempiam, pedes illi succidit, idest, eum mittit, qui aut nunquam perueniet ad eum, in quem destinatur, quod si ad eum deuenerit, rem perperam aget, vel dicet: atque adeò quidquid errauerit aut deliquerit, id bibere, ac deuorare mittentem coget. Accommodata magis mihi videtur hæc interpretatio.

Cæterùm si in præfata lectione, quæ exemplaribus ad vnguem respondet, hæreamus, alia mihi succurrit aptior expositio ad hunc modum. *Incidens pedes & iniquitatem bibens,* &c. Apud veteres olim solemne fuit, cùm aliquid infaustum infortunatumque acciderat, semetipsos lanceolis incidere: id verò in
Leuit.19. funeribus facere prohibet Deus Leuit. 19. *Super mor-*
Deut.14. *tuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis:* & Deuter. 14. *Filij estote Domini Dei vestri, non vos incidetis, neque facietis caluitium super mortuos.* Sed licet incidi in funeribus seriò prohibitum esset Hebræis, non tamen constat id aliàs in magnis infortuniis vetitum fuisse, imò ipsos
Hierem.16. hanc legem violare solitos comprobat illud Hier. 16. *Et morientur grādes, & parui in terra ista, non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque caluitiū fiet pro eis.* Quibus verbis significat Propheta populi illius exitium & extremam ruinam tanta celeritate euēturum, tamque subitam omnium internecionem futuram, vt vix aliquis reliquus futurus sit, qui mortuis inferias persoluere posset. Interim autem innuit, morem illum sese incidendi non omnino abolitum ab Hebræis, qui legem illam quemadmodum aliàs,
Hierom. temerare non dubitabant. Vnde Hieronym. in eum locum Hierem. sic scribit. *Mos fuit apud veteres, & vsque hodie in quibusdam permanet Iudæorum, vt in luctibus incidant lacertos, quod etiam Iob fecisse legimus.* Morem istum ex gentibus haustum celebrarūt Heb.
Herodotus. de Scythis enim sic Herodotus *Auram decidunt, crinem circumtondent, brachia circuncidunt, sinistram manum sagittis trayciunt.* Lucianus in libro de luctu, asserit Græcos in funeribus, imò etiam in aliis infaustis
Plutar. successibus genua cruētare solitos. Plutarchus in cōsolatione ad Apol. *Barbarorum,* ait, *quidam partes corporis abscindunt, nares scilicet atque aures, reliquū quo-*
Cælius. *que corpus plectentes.* Putat autē Cælius id fuisse apud veteres more comparatum, vt ea membra corporis, quæ sibi alicuius infortunij causa extitissent, cruentarent, inciderent, vel aliqua alia ratione mulctarēt. Illud certius eam mulctam genibus vel maximè infligi solitam, vt ex Luciano constat, cui adstipulatur etiam Plutarchus: nam eā corporis partem religiosè obseruabant veteres, & in ea miserationis & compassionis sedem esse putabāt, vt docet in Plautū Lam-
27. binus. Rursus *iniquitas*, hîc pro *pœna*, aut *pœnitentia*
Psal.7. *iniquitatis*, causa scilicet pro effectu. Psal. 7. *Conuertetur dolor eius in caput eius.* Heb. *Chamas* i. *iniquitas eius*
Iudic.9. *in caput eius.* nimirum pœna aut pœnitētia ipsius. Iudic. 9. pro illis verbis, *Qui cœperunt eū detestari & scelus interfectionis septuag. filiorū Ierobaal:* in Originib. est: *Qui cœperunt eū detestari & venit scelus seu iniquitas* (Heb. *Chamas.*) *septuaginta filiorum Ierobaal.* i. pœna seu pœnitentia iniquitatis. Mitto alia. Itaque bibēs iniquitatem, idem est quod pœnam, aut pœnitentiam erroris admissi deuorans. i. super se ipsum sumens, itaque sensus est. *Incidens pedes, & iniquitatem bibens, qui mittit verba in manu stulti.* i. qui magni momenti

A aliquid vel agendum, vel dicendum stulto homini commendauit, oportebit sanè illum pœnam aut pœnitentiam facti quamprimum ebibere, imò etiā suos ipsius pedes incidere & cruentare necessum erit, hæc nimirum membra punire, quæ sibi detrimentum attulerunt: nam cùm posset pedes suos ad rem agendam mouere, horum ignauia, aut inertia, calamitati aut infortunio causam dedit. Et quidem interpretationem istam libenter aliis præferrem, si tamen Vulgatæ translationi aptari posset. Vide igitur an liceat illa verba, *claudus pedibus,* sic accipere, vt quēpiam significent, qui eo damno aut detrimento inductus, quo ab imprudente legato effectus est, genua pedesque tam altè incidit, vt claudicationē sponte sibi af-
B ferre nō dubitauerit. Nec abhorret hoc ab vsu veteri, nam Plutar. loco citato asserit, quosdam ex nimio dolore tanta crudelitate in semetipsos sæuire olim solitos, vt genua profūde scindēres neruos etiā læserint.

Cæterùm Iansen. Rodol. & alij horū assectatores 28.
Vulgatam lectionem, vt sonat, interpretantur. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.* i. perinde se hbet, ac si ipse non posset ambulare, cùm tam inutili vtatur ministro: dicitur etiam *iniquitatem bibere,* quia stulti sui legati iniquitatem. i. damnum ex malè obita legatione sentire, & perferre cogitur. Hæc Ianf. Tamen, si ita libuerit, vt duas illas comparationes in eum, qui nuntium insipientem ad alium destinat, quadrare putes, ne sen-
C tentia exanguis videatur, sic certè inanimāda est. *Claudus pedibus & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.* Quasi dicat: talem nuntium stultum ac stolidum ad mandata perferenda adhibere non nisi cuipiam liceat claudo, ac pedibus capto, & qui suum ipsius damnum iamiam præbiberit, & rei bene gerendæ spem prorsus abiecerit. Itaque mens Salomonis est, stulto legato tunc solùm vti licere, cùm res ad eas angustias redacta est, vt quis per semetipsum rem agere nequaquam possit, & rei bene agendæ spes nulla subest: tunc enim velut perditis ac profligatis rebus, & non aliter, eum adhibere licebit.

Rodolphus existimauit duas illas comparatio- 29.
D nes non illi adaptandas, qui legatum stultum ad aliū mandat, sed partim nuntio insipienti, partim ei, qui illum mandauit. Nam licet verba vt sonant, ad eum spectare videantur, qui nuntium mittit, tamen locum hîc habet phrasis Hebraïca sæpè aliàs à me obseruata, quæ personarum actiones permutat, & quod vnius est alteri tribuit, tunc vel maximè cùm is, cui actio alterius tribuitur, eam suadet, aut imperat, vt alibi adnotauimus, eius tamen expositio sic habet. *Claudus pedibus,* &c. Priorem hanc partem de legato exponit, idest, stultus legatione aliqua fungēs similis est claudo, quia sicut impossibile est ei, qui pedibus captus est, progredi, sic etiam fieri non potest, vt stultus prudenter legationem obeat. Subdit, *Et iniquitatem*
E *bibens.* Posteriorem hanc partem mittenti adscribi, id est, quidquid stolidus ille nuntius per insipientiam admiserit, hoc ipsi bibere ac deuorare oportebit, ac non modò damni consortem, sed etiam errorum ac scelerum reum fieri necessum erit. Hæc ille non insulsè.

Cæterùm ego in aliam mentem inducor; nam si 30.
modus iste permutandi personas & earum actiones non displicet, vtramque illam comparationem vni legato insipienti accommodandam esse dicerem, hoc modo. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.* Nuntius videlicet stupidus ab homine quopiam ad magni momenti mandata perferenda emissus, duobus quidem nominibus perniciosus est, quæ ab omni legato maximè abesse debent,

debet, nimirum tarde simul ac malè legationem perficit. Itaque *claudus pedibus* dicitur ob tarditatem. Quid aptius? *bibens iniquitatem*, idest, præ sua insipiētia rem perperam agens, & errores suos non satis percipiens, idest, sine sensu deuorans: stultorum enim maximè proprium est errare, & suos errores non

Iob.34. sentire. Atque ea est vis illius verbi, *bibens*, Iob cap. 34. *Bibit subsannationem quasi aquam*, & cap. 15. *qui bibit quasi aquam iniquitatem*, idest, non auidè solùm, sed etiam sine sensu, & gustu temerè prorsus deuorat. Hanc interpretationem libenter aliis antepono, quia Vulgatæ lectioni hæret, & stolidi nuntij ingenium apprimè declarat.

31. Sed vide an etiam duæ præmissæ comparationes alia ratione metaphoricè significent prauum ac rudem modum, quo stultus ille legatus verba aut mandata sibi commissa ad alium perfert: nam is, qui mādata alicuius alteri denuntiat, non solum ea dicere, quæ ab illo accepit, sed rogatus etiam super his, quæ perfert, eruditè & ad rem satisfacere debet. Stultus ergo legatus in his omnino claudicat, nam licet ea, quæ à mittente didicit, rectè fortasse commemoret, at super his requisitus statim deficit, vel potius claudicat à semetipso dissentiens, &, vt aiunt, in pedes vtrosque vacillans. Vide quæ supra diximus cap. 10. vers. 8. & 10. de claudicatione labiorum. Rursus legatus ille stultus, *iniquitatem bibere* propterea dicitur, quia talis est illius imperitia, vt facilè admodum sit illi dolum, mendacium, aut iniuriam ab his propinari ad, quos mandata pertulit: id enim sponte ebibit, & sine sensu traiicit, nec contra obloqui, aut dolos refellere nouit, id sibi vult illud, *bibens iniquitatem*, idest, propinatam sibi iniuriam sponte hauriens.

Lectionis verò Septuaginta interpretum alia ratio est. Sic enim habet. *Ex viis suis opprobrium sibi facit*, vel, vt est apud Procopium, *Ex pedibus opprobrium*, &c. solent quippe claudi & impares gressus regentes vulgò irrideri. Hinc nata vetus illa paræmia, *loripedem rectus derideat*, idest, ei qui rectos ac firmos pedes habet claudo conuitiari integrum est, non autem alteri, qui simili pedum vitio laborat. Itaque mens Salomonis est, quisquis legatum stultum aliquò mittit, claudi, ac pede vtroque capti sibi opprobrium accersit, idest, tanquam loripes & claudicans irrideri potest, vtpote qui suis pedibus non vtatur, tunc cùm maximè opus est.

---

7. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola.*

32. Quomodo pulchras, &c. Heb. *eleuate coxas à claudo, & parabola in ore stultorum.* Subest autem pro voce illa, *eleuate*, verbum דלה *Dalah*, quod significat eleuare, exaltare, & haurire, reperitur verò in imperatiuo coniugationis, *Kal*, hoc modo דליו *Daleu*, id est, *attollite, exaltate*, inæquales nimirum facite. Rabi Himanuel retulit ad radicem דלל duplicante secundum, atque adeò sic locum efferendum cēsuit. *Aruerunt*, vel, *siccata sunt tibiæ claudi.* Vatablus concinit. *Vt exaruerunt crura claudo*, &c. LXX. *Aufer gressum crurum, & iniquitatem ex aure imprudentum.* Sic transtulit Procopius. Complutensis. *Aufer facultatem crurum, & prouerbia ex ore stultorum.* Symmachus. *Defecerunt tibiæ à claudo, & parabola in ore stulti.*

De loci istius sententia vna ferè interpretum omnium mens, sed de comparationis energia non vnum iudicium. Caietanus locum istum sic restituit. *Eleuata sunt tibiæ claudo, & parabola in ore stulti.* Putat au-

A tem hac similitudine significari parabolas ab stultis, ac stolidis non satis appositè rebus ipsis accommodari posse: nam cùm parabola sit ferè comparatio vnius rei cum alia, stultus quidem vtriusque cohærentiam non attingit, quasi dicat, sicut claudus alterum pedem eleuatum, aliud depressum habet, crura videlicet imparia & inter se minimè cohęrentia, idem prorsus vitium habet parabola elegans ab stulto declarata, non enim satis rei significatæ aptatur, sed deformem in modum claudicat. Ego verò non tam de expositione eleganti parabolæ ab alio dictatæ, quàm de inepto, & absurdo prouerbio ab eodē stulto pronuntiato hæc verba capienda esse dicerem, iuxta præmissam lectionem, & interpretationem Caietani,
B ita vt sensus esset. Stultus parabolas vsurpat inconcinnas & ineptas: nam sicut in claudo magna crurum inæqualitas est, ita etiam inter parabolam ab imperito dictam, & rem, cui accommodatur, ingens disparitas, & latum dissidium esse solet. Itaque ea ex parte ipsorum parabolæ claudicare consueuerunt, quatenus similitudo assumpta, & res per similitudinem adumbrata non satis cohærent. Sed tamen neutra expositio mihi placet.

Vatablus ergo lectionem originalem acutius expendit, nam cùm sic legisset in scholis. *Eleuate crura claudo, sic prudens & picturatus sermo in ore stulti.* sic demum exponit. Erigite claudum in pedes suos, tamen non propterea incedet, aut gressus reget, quin
C imò statim concidens procumbet. Ad eundem modum si in ore stulti, ac stolidi hominis perelegans & peracuta parabola ponatur, non propterea mēte discurret, & ex acceptis ad alia scandet, sed quam primum vacillabit, & in absurdiora dilapsus corruet. Non displicet hæc interpretatio quia illi non insulsè accommodari potest translatio Vulgata. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias*, quia nimirum in eas erectus & eleuatus, progredi nō valet. *Sic indecēs est parabola in ore stultorum*, idest, ad eundem modum elegans parabola ab stulto vsurpata indecorè se habet, quia non valet illi insistere, & ex acceptis ratiocinari, & discurrere. 33. Vatab.

Rodolphus, cui hæret etiam Iansenius, ab inæ- 34. Rodolph.
D qualitate crurum similitudinem petit ad hunc modum. *Sicut eleuata sunt tibiæ claudo*, &c. idest, Quemadmodum si crus alterum erectum sit, alterum verò suppressum, claudus quis redditur: ita etiam si elegans parabola in os stulti detur, dum ipse humilia & absurda subnectit verba, sermo illius indecorè claudicat. Hoc sensu Tullius de claris Oratoribus in quemdam oratorem, qui inter pleraque eleganter dicta non pauca etiam absurda miscebat, sic iactauit. *Actio paululum tum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat*: & idem de Oratore, aduersus illos, qui orationem ex disparibus valde dicendi modis coalescere volebant, sic addit *Quid est quod claudicare, aut insistere orationem malint? & non cum sen-* Cicero.
E *tentia pariter excurrere.* Addit Rodolphus posse hanc sententiam de ea, quæ inter sermonem, & actionem disparitas esse solet, non insulsè interpretari, hoc modo. *Parabola*, idest, sermo eruditus, & elegans in ore stulti, cùm à vita eiusdem, & actione discordat, indecenter claudicat. Duo enim velut animæ crura sunt dictio, & actio: quapropter cùm sermo sublimis est, & actio humilis, indecora admodum claudicatio, ac turpis pedum nutatio fit.

Cæterùm licet hæc omnia lepore non careant, tamen (ni fallor) translationis nostræ vim nequaquam exhauriunt. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola.* Nam quædam verba in hac nostra lectione occurrunt, quorum vis in præmissis interpretationibus non satis 35.

enucleatur. Iansenius ergo vocem illam, *frustra*, sic expendit. Sicut claudus elegantibus & firmis tibiis frustra prædirus est cùm his ad gradiendum vti non possit, ita etiam parabola elegans & sermo eruditus frustra est in ore stultorum, vtpote qui illo vti, & opportunitati accommodare prorsus nesciat. Ego verò, vt vox illa, *frustra*, respondeat sequenti hemistychio, *indecens est*, &c. sic locum edisserendum puto. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias*, idest, sicut claudus formosis licet tibiis prædirus sit, nihilominus ob turpem illam pedum nutationem à cunctis irridetur, & illuditur (ideò enim frustra habere dicitur formosas tibias, quia earum pulchritudinem indecora claudicatio ridiculam reddit) *Sic indecens est in ore stultorum parabola*, idest, ad eundem modum licet stultus nonnunquam elegantem parabolam vsurpet, dum tamen humilia pleraque & inepta veluti claudicando subiicit, sese cunctis deridendum propinat. Habet vtique neruos suos oratio, quibus illius membra inter se copulantur, nexuque ipso roborantur, & fulciuntur, hos vtique neruos stultitia incidit, dum incohærentia & dissoluta quæque effutit, atque adeò stultorũ sermo velut elisis neruis semper claudicat. Pergo ad alia. Septuaginta interpretes sic habent, *Aufert gressum crurum, & iniquitatem ex ore imprudentum*, qui ad sensum Vulgatæ lectionis adduci debent, atque adeò per *iniquitatem*, non vtique malitiam aut prauitatem, sed inæqualitatem accipere debemus, vt aliàs non semel in hoc libro.

8. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: sic qui tribuit insipienti honorem.*

36. SIcut qui mittit lapidem, &c. Hebr. *Sicut ligans lapidem in cumulo lapidum, sic dans stulto gloriam*, subest autẽ pro *cumulo*, מרגמה *Margemah*, ex verbo רגם *Ragam*, idest, *lapidare*, aut, *lapidibus obruere*. LXX. quibus hærent Hebræorum plerique, *fundam*, significari putant, quia lapides iaciuntur, atque adeò sic locum restituunt. *Qui alligat lapidem in funda, similis est ei, qui dat insipienti honorem*. Concinit etiam Chald. *Sicut fragmentum lamina in funda*. Vulgatus aceruum, aut congregationem lapidum notari voluit, sed quia vox אבן *Abem*, quæ hîc subest, communis est, & omnia lapidum genera tam pretiosiorũ, quàm vulgarium adsignificat, hinc natæ aliæ atq; aliæ interpretationes, sic. n. plerique conuertunt. *Sicut qui mittit lapidem in margaritas*, nam vocem illam *Margemah*, propter affinitatem margaritum notare dicunt, & eius etymologiam nescio quam vestigant ex מר *Mar*, & גריה *Garich*, idest, amarum frustum, quia nimirum vniones eliquati austerum saporem habent, sed insulsa prorsus est hæc coniectura. Rursus alij per vocem illam *Margemah*, purpuram notari voluerunt, quia nimirum vox hæc concinit cum ארגמן *Argamam*, quod *purpuram* sonat. Itaque sic legunt. *Sicut qui ligat lapidem in purpura*. Sunt etiam qui sic restituerunt. *Sicut qui multi lapidem in bustuarium*, quia nimirum olim busta & sepulcra aggeratis lapidibus obrui solerent. Ad hæc est qui verterit. *Sicut qui mittit fragmentum testa in lapidum aceruum*. Sed nõ satis assequor quid venerit in mẽtem tam huic quàm etiam paraphrasti Chaldaico, vt vocem אבן *Abem*, quæ hîc subest, alius *lamina*, aut, *bractea*, alius *testa fragmentum* conuerterit. Sunt etiam qui Theodotioni, Symm. & Aquilæ translationem vulgatam tribuant, & Hieronymum ab his mutuatum asserant, sed vnde id sumpserint non liquet. Ego quidem arbitror, Hieronymum ex ipso originali textu suam translationem duxisse, nam cùm verba ipsa ex Primitiuis ad vnguem expressa sic sonarent. *Sicut qui mittit lapidem in lapidationem*, superstitiosum aliquid, & ad idololatriam spectans subesse putauit: nihil verò obuium magis quàm Mercurij aceruus, de quo statim dicemus. His præiactis:

Nostri temporis hæretici Genuenses Beza, Mercerus, & alij, ex hoc loco inuehuntur in Catholicos, 37.
quod statuas diuorum lapideas cultu Christiano prosequantur, vtpote qui perinde faciant, ac si Mercurij vel alterius idoli lapidea simulacra venerentur. Nam Hæretici prædicti cunctos fideles imaginum adoratores nunquam non idololatras appellare consueuerunt, sed quam imperitè hunc locum ad eam sententiam transferant perspicum est. Illius ergo dissimiles translationes ad trutinam vocare, & quid cuique boni sensus insit, aperire aggrediar.

Rabi Himanuel locum istum sic extulit. *Sicut qui mittit fragmentum testa in aceruum lapidum*, &c. idest, quemadmodum in magna lapidum strue testæ fragmentum non satis dispicere licet, sic etiam homo, qui dat stulto gloriam, non agnoscitur. Sordet sanè hæc expositio, vt in suo auctore iacet, potest tamen sic quodammodo excitari. Sicut testæ fragmentum in lapidum aceruum missum, aut impactum, in minutissimas particulas destringi solet, sic etiam honor insipienti exhibitus, & perperam impẽsus, perit prorsus, ac frustra fit. Vel aliter, sicut fragmentum testæ in lapidum aceruum validè illisum defringitur, itavt nullis postea vsibus opportunum sit, quemadmodum apud Isaiam habes cap. 30. *Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione prævalida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea*. Pari profectò ratione honor statim atque insipienti, & indigno exhibetur, iam deinceps nullius est vsus, quia nullus posthac prudens ac dignus illum sibi offerri aliquo in loco ponit, quandoquidem stultis cum sapientibus communis est.

Rabbi Him. *Isaia 30.*

Rabi Ioseph locum istum aliter conuertit. *Sicut qui ligat lapidem in purpura*, &c. idest. Princeps qui insipientem atque indignum hominem insigni aliquo honore, aut magistratu decorat, perinde facit ac si rudem lapidem purpura inuoluat: sicut enim istiusmodi lapidem purpureo inuolucro insui prorsus dedecet, sic etiam rudem atque imperitum hominem purpurea magistratuum insula conuestiri, & in inornari, valde indecorum est. Vide etiam an aliter comparatio institui possit. *Sicut qui ligat lapidem in purpura*, &c. id est, quemadmodum si quis pro gemmis pretiosis, quibus purpureæ vestes ornari, ac distingui solent, falsum quempiam lapidem affigat, vitrum nimirum pro margarito perperam facit, & (si licet dicere) purpuram ipsam dehonestat: ita etiam qui in aliquo dignissimo ac splendidissimo magistratu pro sapienti, & ornato viro indignum planè hominem locat, magistratum ipsum violat, & decore afficit. Et quidem verbum *ligo* in scriptura sacra eam vim habere consueuit, *purpura* verò supremos magistratus innuit, quia his tantùm purpura vti integrum erat. Similis quidem comparatio occurrit apud Næuium. 38. *Rabbi. Ioseph.*

Næuius.

Qui habet vxorem sine dote, pannum positum in purpura est.

Sunt etiam inter Hebræos qui locum istum sic restituerint. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum margaritum*, quam lectionem aliqui sic edisserunt. Sicut qui in magnum cumulum vnionem vnum aliquem denuò mittit, incrementi parum illi cumulo affert, quia nimirum vniones ferè magnitudinis perexiguæ sunt, ita etiam ex honore, quo insipiems afficitur, nihil illi dignitatis, & splendoris accrescit. Sed hæc interpretatio 39.

terpretatio deſipit. Quapropter ſi per *lapidem*, gemmam intelligas in margaritarum aceruum coniectam, ſic aptius locus explicabitur; Margaritæ, vel aliæ gemmæ, ſi inordinatè iaceant, nec in ſuos quæque ordines digerantur, pulcritudine carent, nam gemmarum ſplendor, & gloria, tum maximè elucet, cùm ſuis in locis aptè, & ordinatè collocantur. Salomon ergo honorem cum margarito componit, atque ſic ait. *Sicut qui mittit lapidem in cumulum margaritarum*, &c. *ſic qui dat inſipienti honorem*, ideſt, ſicut gemmæ aceruatim proiectę, nec ſuo in loco, & ordine poſitę, nulla eſt gratia, & pulchritudo, ita etiam honoris homini inſipienti temerè oblati nullus eſt ſplendor, aut ornatus, quia nimirum ſuo in loco non eſt.

40. Alij per *lapidem* non gemmam aliquam, ſed rudem ſilicem accipiendum exiſtimant, atque locum ſic ediſſerunt. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum margaritarum*, &c. ideſt, ſicut ille iactu lapidis vniones in cumulum congeſtos diſſipat, & quoquoverſum diſpergit, ſic ſtultum honore afficiens ſi quid in ipſo boni aut honeſti diſciplina aut ſtudio collectum fuerat, id prorſus euertit, ac diſſipat. Huic etiam expoſitioni non aſſentior. Tamen, ſi ita libeat, per *lapidem* hoc in loco non gemmam, ſed rudem, nulliuſque pretij petram notari, ſenſus accommodatior effingi poteſt. *Sicut qui mittit lapidem in acervum margaritarum*, &c. i. ſicut communem, rudem, & impolitum lapidem qui iactat in margaritarum aceruum, hoc efficit, vt lapidis impolita ruditas, & turpitudo cũ gemmarum elegantia, & pulchritudine collata magis ac magis diſpliceat, ſic qui rudem, & imperitum hominem dignitate aut honore aliquo amplificatum ad ſapientum cœtum aſſumit, hoc ſanè præſtat vt cum ſapientibus compoſitus ſuam imperitiam, & ſtoliditatem magis ac magis prodat. Quid certius? Poteſt etiam ſumi comparatio à falſo aliquo lapide inter veros, & pretioſos coniecto, nimirum ex vitro margariti ſimilitudinem gerenti inter veros vniones proiecto. Sicut enim vnus aliquis eiuſmodi falſus lapis inter plures veros vniones locatus fidem aliis detrahit, & falſi quoque ſuſpicionem illis inurit, ſic etiam vnus aliquis ſtultus in ſenatu, concilio, aut congregatione ſapientum, reliquis ſapientiæ fidem abrogat, & ſimili ſtultitia præditos arguit.

41. Succedat tranſlatio Septuag. quæ ſic habet. *Qui ligat lapidem in funda ſimilis eſt ei, qui dat inſipienti honorem*. Pro funda Græce σφενδόνῃ, quæ vox non vná habet ſignificationem, nam & *fundam* ſonat, qua lapides torqueri, & *palam*, qua vniones includi ſolent; eaſdem verò ſignificationes ſortitur vox Latina, *funda*, nam præterquam quod inſtrumentum illud adſignificat è funiculis confectum quo in orbem rotati lapides funduntur, palam etiam aut circulum notat, quo gemmæ inſeruntur. Plinius. *Funda*, inquit, *includuntur perſpicua, cæteris ſubijcitur aurichalcum*. Addo etiam ea voce ſignificari ſacculum, aut marſupium. Macrobius. *Demiſſa*, inquit, *in fundam paupere manu pauculos denarios protulit*: imò apud Hiſpanos quodlibet thecæ genus, quo pretioſæ res inuolui ſolent, *funda*, vocatur. Sed quæres an omnes iſtæ ſignificationes in vocem originalem Hebraïcam quadrare poſſint? Ego quidem ita reor, nullam eſſe ex his, quam nomen illud, *Margemah*, ſponte non capiat: & quidem *fundam*, qua lapides contorquentur, ea voce notari, plurimorum ſententia fert; *palam*, etiam aut *foramen*, quo gemmæ inſeruntur; per eam vocem ſignificari placuit Mercero; item *marſupium*, aut *ſacculum*, quo lapides ponderum ei nomini ſubeſſe docent ex Hebræis non pauci. His præfatis:

Plinius. Macrob.

42. Quærere oportet ex præmiſſis tribus *fundæ* ſignificationibus quænam in tranſlationem. LXX. quA dret aptiùs? Plures quidem per *fundam*, teſtim notari volunt, qua lapides rotati torquentur, ex his verò alij ſic locum iſtum interpretantur. *Qui alligat lapidem in funda, ſimilis eſt ei, qui dat inſipienti honorem*. Caiet. verbum *alligat*, ſtrictè accipit hoc ſenſu. Quemadmodum ſi quis lapidem in fundæ palma arctè illigaret, fruſtra quidem fundam ipſam in girum conuerteret, & in ſcopum etiam fruſtra ſolueret; ſic etiam fruſtra honorem impendit quiſquis ſtulto impendit, quia nimirum honor is ad ſtultum, & inſipientem nunquam peruenire, aut pertingere poteſt; ſed tamen leporẽ non habet hæc expoſitio. Quapropter ſi verbum *alligat*, in ea ſignificatione accipiatur, ego quidẽ alio ſenſu donarem præmiſſa verba; nam per *fundã*, B ipſummet ſtultum notari dicerem hoc modo. Sicut funda lapidem ſibi illigatũ non excutit, ita etiam inſipiẽs honorem ſibi exhibitum, nempe locum vel accubitum ſupremum, vel aliud aliquid eiuſmodi, ad decorem pertinens, nunquam propulſat, aut reſpuit, quod ſæpe vrbanitas ipſa poſtulat, ſed contra ſibi illiberaliter ſumit. Quaſi dicat; ſtolidiſſimorum hominum eſt oblatum ſibi honorem nunquam repudiare. Sed neque hanc interpretationem probo. Satius eſt dicere verbum *alligat*, ſincerius accipi, ac perinde eſſe, ac ſi dicat, fundæ imponit. Ergo alij ſimilitudinem ductam putant à funditore, qui lapidem in ſcopum iacit; nam vix aliquis eſt, qui fundam adeò peritè torqueat, vt in ſcopum lapidem abſque errore C regat, quia in orbem agitata funda ſæpius ab ſcopo deuia lapidem in diuerſum adigit. Haud aliter qui honorem ſtulto offert (liceat ſic dicere.) aberrat longiùs, & ab ſcopo iactum detorquet: nam cùm honor ſolis ſapientibus debeatur, atque illos ſcopi loco habeat, quoties ab his ad inſipientes deuoluitur iactus, in indirectum fertur. Itaque Salomon ſignificat, eos qui honorem ſapientibus debitum ſtultis tribuunt, non ſecus aberrare quàm imperitos funditores, qui vix vnquam lapidem in ſcopum rectà mittunt; ab his enim honor non tam ex electione datur, quàm ex temeritate excutitur. Huic etiam expoſitioni non valdè acquieſco.

43. Aliquid etiam Eraſmus in adagiis contulit in hunc D locum, ſic enim ait. *Qui alligat lapidem in funda*, &c. ideſt, qui ſtultum honore afficit, vel magiſtratu decorat, perinde facit ac ſi inſano cuipiam fundam exhibeat, & lapidem fundæ probè inſerat, quem paulò poſt in ipſummet conuertat, à quo beneficium accepit. Ita enim ferè accidit, vt inſipientes acceptis beneficiis contra beneficos ſuos abutantur. Cæterùm non placet hanc ſententiam in eas anguſtias cogi: Satius eſſet dicere eum, qui honorem imprudenti confert, perinde facere ac ſi lapidem fundæ inſertum ipſi in manus offerat, quo alios quoſlibet in vniuerſum diuerberet. Puta enim inſanos vulgò dici, *echa cantos*, quia nimirum lapides inſanorum ac furentium arma ſunt, quos temerè in obuios quoſque iaciunt. Ergo E ſenſus eſt: quiſquis imprudentem honore cumulat magiſtratum ei deferens, eum imitatur, qui inſano ac furioſo homini fundam præbuit, qua lapides fortiùs in obuios adigere poſſit: quaſi dicat, ſtultum ipſum contra ſapientes armat, vt ipſis liberiùs ſimul ac grauiùs nocere poſſit. Hanc expoſitionem libenter amplecterer, niſi me aliæ, atque aliæ accommodatiores vocarent.

Eraſmus.

44. Diuus Ambroſius Epiſtola 7. ad Simplicianum lectionem Septuaginta aliter expedit. *Libertas*, inquit, *ſapienti non inſipienti conuenit, quoniam qui deligat lapidem in fundibulo, ſimilis eſt ei, qui dat inſipienti claritatem, ſe ipſum vulnerat, atque ſibi potius, dum intorquet iaculum, affer periculum. Deinde ſicut tormento acerbatur, & germinatur malum ſaxi ruina, ſi inſipientis* Ambroſ.

in libertate ruina vehementior est. Ambrosius ergo per honorem seu claritatem, hîc potestatem intelligit, ex qua oritur libertas, atque licentia: cum igitur qui hanc potestatem insipiēti confert, sibi vtique ac stulto ipsi, cui honorem detulit, damna moliri affirmat. Nam sicut funditor rotādo fundā suum ipsius caput percellere solet, ita etiam, qui stultum hominem honore afficit, damna non leuia in caput suum accersere consueuit: nam stulti ad honores euecti errores, & delicta ipsis adscribere, & in caput eius recidere solent. Item sicut lapis funda actus in præceps velociùs ad ima fertur: sic etiam stultus honore, & gloria affectus grauiori deiicitur ruina: nā sicut lapidem funda, sic eum honor ipse ad ima compellit. Hæc est Ambrosij sententia, cui certè plurimum tribuo.

45. Sed tamen lectionem Septuaginta duplici alio sensu donari posse existimo iuxta priorem istā *fundæ* significationem. Prior sic habet. *Qui alligat lapidem in funda, similis est ei, qui dat imprudenti honorem.* Is scilicet, qui stolidum hominem honoribus decorat, similis est funditori, qui lapidem aliquem grauem violento impetu ad sublimia impellit; nam sicut eiusmodi lapis statim pondere suo, & innata grauitate eò velocius ima repetit, quò sublimius inscenderat, ita etiam stultus, cùm potentiori aliquo impellente, & vim rebus afferēte, ad suplimes magistratus, & honores euasit, paulò post turpissimè decidit, & eo grauior est illius ruina, quò digniora prius munera capesserat. Posterior esse potest. *Qui alligat lapidem in funda,* &c. idest, sicut lapidem sibi insertum nequaquam diu funda cōtinet, sed protinus excutit & longiùs proiicit: sic etiam stultus honorem sibi oblatum non seruat diu, sed quamprimum abiicit, & eò longius à se mouet, quo indignior illo deprehenditur. Hæc de priori fundæ acceptione.

46. Quòd si per *fundam*, aut etiam per vocem Græcam *σφενδόνη, palam* accipiamus, qua lapis pretiosus includi consueuit, sensus erit ille, quem nuper obtulimus. *Sicut qui alligat lapidem in funda*, idest, qui virum stultum honesto aliquo munere, aut magistratu donat, similis est ei, qui rudem, & communem lapidem auri vel argenti pala includit. Cuius interpretationis leporem nuper dedimus.

47. Sin verò per *fundam*, marsupium aut sæculum capias, iuxta tertiam illius vocis acceptionē, quam voci etiam Græcæ *σφενδόνη*, subesse constat, libentiùs assentiar; puto enim interpretationem Septuaginta seniorum, & Vulgatam lectionem verbis quidem dissidere, non sensu, vt paulò post demonstrabo. Est igitur *funda*, apud Septuaginta, *marsupium*, vel *sacculus*, in quo calculi rationum, aut lapides ponderum insui, & includi consueuerunt. In primis autem illud satis notum, supputationes olim calculi fieri solitas; hinc enim fluxerunt illi dicendi modi, *calculari*, &, *ad calculos vocare*, aut *redigere*, & alij perquam similes. Vide quæ suprà scruimus ad illa verba, *Suauis est homini panis mēdacij, & posteà replebitur os eius calculo.* Deinde etiam compertum est pondera, seu momenta, quibus res appendebantur, lapides appellari in scriptura, vel quia ex lapidibus certè conflabantur, vel quia solidas cuiuscumque metalli partes, iuxta proprium idioma, lapides appellitant Hebræi. Vide quæ diximus supra cap. 15. ad illa verba, *Pondus, & statera iudicia domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi.* In quo loco meminit etiam Salomon eius sacculi, aut marsupij, quo præscriptos ponderum lapides includere olim solemne fuit. Iam tenes fortasse Salomonis mentem. *Qui alligat lapidem in funda, similis est ei, qui dat insipienti honorem.* Sumitur similitudo à calculis, quibus rationes subducuntur; idest, stolidus homo digniori aliquo munere, seu magistratu honestatus,

A similis est calculo cuipiam ex his, quos in rationibus adhibere solemus; sicut enim huiuscemodi calculus cum in seipso nullius sit valoris, aut pretij, magnam aliquando summam adsignificat, & pro magna summa supponitur; ita etiam stultus magistratu donatus, cùm in se stolidus prorsus atque stupidus sit, locum tamen sapientis, & eruditi hominis tenet, ac vices Dei agit. Quemadmodū ergo si quis calculum eiusmodi alicuius magnæ summæ indicem in marsupio includat, & illud cautè adseruet, non defert lapillo, quem nullius esse valoris satis nouit, sed summæ, quam significat: sic etiam is, qui stultum magistratum, aut Principem colit, & obseruat, non quidem illum, sed Deum potius veretur, cuius ille vicarius

B est. Itaque Salomon his verbis suadet stultos etiā ineptosque Principes, & magistratus honore prosequendos esse, quia licet ipsi per se indigni sint, qui in pretio, & æstimatione aliqua habeantur, tamen Deum significant, cuius vices in terris gerunt, iuxta illud Pauli ad Rom. 13. *Vis autem timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram ei, quia malū agit.* Et infrà. *Ideò enim, & tributa præstatis, ministri enim Dei sūt, in hoc ipsum seruiētes.* Ad Rom. 13.

Sine verò per *lapides*, diuersitatem ponderum capiamus, quibus vtuntur vendentes, quos funda vel sacculo includi solitos cōstat, tum ex superiori loco. 48.

C *Et opera eius sicut lapides sacculi;* tum etiam Deuter. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus.* Et Micheæ 6. *Nunquid iustificabo stateram, & sacculi pondera dolosa?* (in quibus locis pro *ponderibus lapides* habēt Primitiua.) sensus aliter conformandus erit. Bilances ergo atque pondera vulgari scripturæ sacræ vsu iustitiam, & æquitatem adsignificant; hæ enim res omnes ad amussim exigunt, & quod suum est cuique æqualiter appendunt. Nil certius. Nam in eo loco. *Pondus, & statera iudicia Domini sunt, & opera eius,* &c. Dei iustitia describitur, & Deuteronomij illa verba. *Non habebis in sacculo diuersa pondera,* &c. iustitiam magistratibus suadent: & locus Micheę, *Numquid iustificabo stateram,* &c. iniustitiam magi- Deuter. 25. Mich. 6.

D stratuum taxat, & incusat: erit igitur mens LXX. *Qui alligat lapidem in funda similis est ei, qui dat insipienti honorem,* idest, qui homini stolido, ac rerum imperito magistratum defert, similis est ei, qui pondera, & momenta, quibus res appendi, & librari solent, sacculo suo includit, & inclusa obstringit, & alligat. Certè *pondera,* cum aliquid librari oportebat, aperto sacculo effundebantur, cum verò nihil librandum, aut appendendum suberat, in sacculum immissa claudebantur. Est igitur sententia huius loci, qui virum stultum, & insipientem ad honores, idest, ad magistratum vel principatum extollit, vt ex iure publicam rem administret, perinde facit ac si pondera marsupio includat, & inclusa obliget. Quasi dicat; il-

E lo imperante nullus erit iustitiæ locus, nihil ex iure, nihil æquitate geretur, sed in omnibus summa temeritas erit. Itaque Salomon iuxta præscriptam sententiam, stultos, & insipientes homines à magistratibus arcendos propterea dicit, quia illis rempublicam gerentibus, ius & æquitas exulat. Potest etiam aliter prædicta similitudo conformari ad hunc modum. Qui magistrtū homini insipienti defert, ei adsimilis est, qui pondera in fundam, vel in sacculum includit. Quemadmodum verò ponderibus ad eum modum marsupio inclusis nihil libratur, & mercatura cessat; ita etiam stulto imperante nihil ex iure peragitur, vulgò dicimus, *nose despachanada,* & iudicia itidē cessant, silentque. Hæc de lectione Septuaginta, quę mea quidem sententia ad germanam translationis

Vulgatæ

Vulgatæ intelligentiam plurimum faciunt, vt ex dicendis compertum erit.

49. Noſtram igitur tranſlationem in valdè diuerſas interpretationes compulerunt doctores, nam plerique, in his, Beda, Arboreus, Hugo, de Lyra, & Gloſſa interlinearis, per *Mercurij aceruos*, lapidū aggeres, ſeu cumulos capiendos putant ad Mercurij templum exædificandum collectos, hoc ſenſu. Qui hominem rudem & imperitum reipublicæ præficit, aut illi docendi munus accommodat, non minus delinquit, quàm hi, qui falſis idolis comportatis lapidibus delubra conſtruunt. Nam ſicut Mercurij Fanum extruere idololatria eſt, ita etiam, inquit Hugo, idololatriæ quoddam genus eſt inſipientem virum magiſtratum creare: inde Zachariæ 11. *O paſtor, & idolum*, &c. Sed tamen hæc interpretatio coacta eſt. Pagninus propriam lectionem ex Primitiuis eliciens, à Mercurio quem abſtinet, ſed tamen per *aceruum lapidum*, cumulum intelligit rudium lapidum ad ædificium aliquod attollendum coactum. Itaque ſic habet. *Quemadmodum qui ligat lapidem pretioſum, & proijcit illum in aceruum lapidum alicuius ædificij, qui non eſt locus illi conueniens: ſic qui dat ſtulto gloriam, quia gloria non eſt ibi in loco ſuo.* Hæc ille, quæ, me quidem iudice, inſulſa ſunt; poſſet tamen accommodatius aptari ſimilitudo ab ædificio petita; nam trāslatio Pagnini ſic habet. *Sicut qui ligat, ſeu mittit lapidem in cumulum lapidum*, &c. ideſt, Inter honorem, qui homini ſapienti exhibetur, & eum qui ſtulto impenditur, hoc intereſt, quod inter lapidem, qui in ædificio affabre conſtructo loco aptatur ſuo, & inter eum, qui in cumulum, & aggerem lapidum temere iacitur. Quaſi dicat, honor ſapienti impenſus aptiſſimè in illum cadit, & quaſi lapis ſuo cohærens loco ſpecioſus eſt; is verò qui ſtulto adhibetur, lapidem aliquem rudem temerè in aceruum proiectum, & à ſuo loco emotum imitari videtur. Sed tamen hoc etiam alienum eſt.

Zacharia 11. Pagn.

61. Hugo Cardinalis in ſecunda expoſitione, Ianſenius & recentiores nō pauci, adluſum putant ad peruetuſtum morem apud Gentiles ſolemnem, qui ad ſtatuas Mercurij, quæ in triuiis defigi conſueuerant, lapidum aggeres accumulabant. Aiunt etiam viatores religione inductos lapides ad eum modū circa Mercurij ſtatuas exaggerare ſolitos, quia nimirum illi Deo, quem viis regundis præeſſe credebant, placere ſe putabant ſi vias collectis lapidibus purgarent, & ad iter agendum commodiores redderent. Eiuſmodi verò aceruos lapidum Græci ἑρμαῖα Hermaeas appellabant. Nicander in Theriacis Hermacarum meminit, eiuſque Scholiaſtes ſic addit. *Hermacas poëta appellat lapides aceruatos in honorem Mercurij.* Heſychius etiam hæc habet. *Mercurialis aceruus ſignificat cumulos lapidum Mercurij, quos in vijs aceruabant in honorem illius Dei.* Proferri etiam ſolent ex lib. 1. oraculorum Sybillinorum verſus duo, qui ex Græcis ad verbum redditi ſic habent.

Nicander. Heſychius.

Saxea ſigna, & ſimulacra manu fabricata,
Et paſſim in via proiectos lapidum aceruos.

Fruſtra hìc plura de hoc veterum more cùm nulli non compertus ſit. Nollem præterea operam, & laborem ludere in quæſtione illa diſceptanda, an iſtiuſmodi lapidum aceruí ad ſtatuæ pedes accumularentur, an ſeorſum in viis non longè ab illius Dei ſimulacris aggeres attollerentur, id enim leuius eſt. Ergo iuxta præfatum morem locum iſtum præfati autores ediſſerunt. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ſic qui tribuit inſipienti honorem*, ideſt, qui ſtultum ac ſtolidum hominem honore proſequitur, ſimilis eſt viatori, qui Mercurij ſimulacrum in triuio defixum lapidis iactu colit. Huius ſententiæ energia talis eſt. Primò rem inutilem omnino præſtat. Sicut enim idolum delatum ſibi cultum non ſentit; ſic etiam ſtultus impenſum ſibi honorem nec peperit, nec æſtimat; iuxta illud Eccleſ. 30. *Quid proderit libatio idolo? neque enim manducabit, neque odorabit*, &c. Secundò iſte cultus ad eum modum ſtatuæ impenſus homini indecorus eſt, ſicut enim dedecet hominem ratione præditum, lapidem, aut ſtipitem inanimatum colere; ita etiam ſtultum honorare viro ſapienti indecorum videtur; nam ſtultum venerari perinde eſt ac lapidi ſeu ſtipiti procumbere. Augetur verò energia huius ſignificationis; nam cùm veteres olim Mercurium ſuum pedibus, & brachiis truncum expingere, & deformare ſolerent, homines inutiles, ſtolidos, mente captos, & rerum imperitos, ligneos Mercurios vulgò appellabant. Hinc eſt illud Iuuenalis quod in hominem imprudentem ac ſtupidum iecit Satyra 8.

Eccleſ. 30.

Iuuen.

——Ac tu
Nil niſi Cecropides, truncoque ſimillimus Hermæ,
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.

Iam intelligis quàm aptè cadat præſcripta ſimilitudo in rem ſignificatam hoc ſenſu. Qui bardum hominem honorare afficit, ſimilis eſt illi, qui aliquod Mercurij ſimulacrū vndequaque truncū reueretur; talis enim eſt homo ſtultus veluti quæpiam brachiis ac pedibus detruncata effigies tanquam ligneus ſcilicet, marmoreusve Mercurius ad agēdū gradiendūque ineptus.

Hanc interpretationem incuſant nonnulli, propterea quod ex gentili ſuperſtitione petitur, abſurdum enim exiſtimant Salomonem res adeò profanas, & exoticas diuinis inſeruiſſe. Cæterùm hæc obiectio inanis eſt. Neque enim inſolens eſt ſacris ſcriptoribus profana vſurpare; nam ex gentilitio ritu dēſumptum eſt illud Eccleſ. 30. *Bona abſcondita in ore clauſo, ſicut appoſitiones epularum circum poſitæ ſepulcro.* Illud quoque ex ſuperſtitione gentilitia petitum Eccleſ. 12. *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & his qui appropinquant beſtiis?* Et alia paſſim. Accedit etiam Hebræorū auctoritas, qui loci huius interpretationem ex præſcripta gentium vanitate deſumunt. Hi ſunt Rabi Elias in Tisbi, Rabi Natham in lexico iuris Hebræorum, Rabi Iſmaël in Gemara.

Eccleſ. 30.

Quod ſi hoc non ſatis arridet audiendus eſt Hamerus in Geneſim, cui hærent recentiores alij, qui vti locum iſtū ab omni ſuperſtitione purget, docet non ſolùm illos lapidum cumulos, & aggeres, qui Mercurio ſacri erant, Mercurij aceruos olim dici ſolitos, ſed quaſlibet in vniuerſum lapidū ſtrues, eo nomine cenſeri, quia nimirum ex ſuperſtitioſis ad communia, & minimè ſuperſtitioſa vocabulum migrauit; colligunt autem hoc ex Strabone, adlegantque Homerum in Odiſſ. π circa finem, & conſenſum etiam lexicorum ad vocem illam ἑρμαῖον. Aiunt ergo locum iſtum non quidem ſignatè de aliqua lapidum congerie in Mercurij honorem ex religione coacta, ſed in vniuerſum de quolibet lapidū cumulo capiendum eſſe hoc ſenſu *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij*, &c. Is ſcilicet, qui ſtulto honorem præſtat, ſimilis eſt ei, qui in magnum lapidum cumulū lapidem pretioſum cōiicit. Sed huius expoſitionis ſententia inſulſa eſt, vt ſupra adnotaui. Quapropter ſi locus iſte de quolibet in vniuerſum lapidum aggere capiendus erit, aliter ego interpretor hunc ad modum. Quiſquis honorem i. magiſtratum, & imperium homini ſtupido, & imperito defert, perinde facit ac ſi prægmagno lapidum aggeri lapidem imponat; cumulus enim lapidum aliquid ſignificat ordine ac lege omnino carens. Quaſi dicat, ille, qui imperito homini imperiū demādat, omnē reipublicæ ordinem corrumpit, & illam (liceat ſic fari) in rudem quendam, indigeſtum, omnique lege 62.

carentem

carentem hominum aceruum conuertit. Nam bonus rerumpublicarum ordo hoc postulat, vt sapientes imperitis, & insipientibus imperitent, ita quidem vt illi præsint, & isti subtus iaceant, quapropter si stulti promiscuè ad imperium assumantur, ordo perit, & respublica (liceat sic dicere) fit hominum, non aliter atque lapidum aceruus, in quo videas lapides nullo discrimine proiectos, siue magni sint, siue parui, siue viles sint, siue pretiosi, temerè, & confusè alios iacere subtus, alios desuper imponi.

63. Cæterùm quamuis inter superiores expositiones aliquæ sint non inelegantes, tamen (ni fallor) alia est Salomonis mens; puto enim nostram lectionem ad eam sententiam esse reuocandam, quam reddit translatio Septuaginta supra à nobis data; nam, vt aliàs non semel dixi, ad vtriusque translationis concordiā ab interprete nunquam non enitendum est. Diuus Thomas 2. 2. quæstione 63. art. 3. quem sequutus est Hugo Cardinalis in tertia expositione, & Lyra in secunda, per aceruum Mercurij numerarios calculos, seu lapillos accipiendos existimauit. Verba Sancti Thomæ sic habent. *Principes, & prælati honorantur, etiam si sint mali, in quantum gerunt personam Dei, & communitatis, cui præficiuntur, secundum illud Prouerb. Sicut qui mittit lapidem, &c. Quia enim gentiles ratiocinationem attribuebant Mercurio, aceruus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator aliquando mittit vnum lapillum loco centum Marcarum; Ita etiam honoratur Prælatus, qui ponitur loco Dei, & loco totius communitatis, etiamsi improbus fortasse sit.* Hæc Diuus Thomas, quæ cum altera interpretatione, qua supra translationem Septuaginta donandam censuimus, omninò concinunt, cum ea scilicet, in qua per *fundam*, sacculum, vel marsupium capiendum diximus, quo numeratorij calculi includebantur. Et sanè Mercurium mercatorum Deum, & mercium præsidem fuisse tradit Cæsar libro 6. de bello Gallico vbi sic habet. *Hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturamque habere vim maximam arbitrantur.* Lege Fulgentium Carthaginensem in Mythologia lib. 2. Adde etiam Platonem in Phædro, vbi sic Socrates; *Audiui equidem circa Naucratē Ægypti, priscorum quendam fuisse deorum, cui dicata sit auis, quam Ibim notat; Deo autem ipsi nomen Theuth, hunc primum numerum, & computationem inuenisse, Geometriam, & Astronomiam, talorum insuper, alearumque ludos, litteras, &c.* Et sanè Theutem istum non alium fuisse quàm Mercurium, longa oratione comprobat Gyraldus Syntagmate 9. Item Epignomus adolescens apud Plautum in Asticho sic habet. *Cum re benè gesta saluus reuertor domum, Neptuno grates habeo, & tempestatibus: Simul Mercurio, qui me in mercimonijs iuuit, lucrisque quadruplicauit rem meam.* At, inquies, Iansenium interpretationem istam derediculam appellasse; imò vel ex eo deridendus ipse, quia de grauissimorum doctorum expositione tam seuerè censuit. Obiicies etiam Mercurium falsum gentilium Deum parum decenter à Salomone hîc adscribi. Hæc tamen obiectio facilè diluitur, si dicamus, olim vulgari cognomine mercatores ipsos à Mercibus Mercurios dici solitos. Ita docet Fulgentius Carthaginensis in Mythologia. *Omnis (inquit) negociator dicitur Mercurius, quasi mercium suarum curam habens.* Lege Gyraldum loco citato. Itaque integrum erit hoc dicere, *aceruum Mercurij*, perinde esse atque aceruum mercatoris, sublata omni superstitione Gentilitia. Id autem verbi vsurpatum à vulgato interprete pro re nota, quamuis alioqui nomen à superstitione deriuatum fuerit. Addo etiam, id quod nuper adscripsi, auctores sacros nonnunquam etiam ethnica, profana, & superstitiosa ad aliarum rerum similitudinem vsurpasse.

D.Thom. Cæsar. Plato. Plautus. Fulgentius.

64. Hugo Cardinalis tertiam expositionem ab his calculis exquirit, quos Mercurio sacros diximus, alium tamen sensum comminiscitur. *Mercurius, (inquit) Deus est mercatorum, qui solent computare per lapillos, quibus si aliquis iaciat lapillum aliquem, tota computatio turbata, & reincipienda est: ita cùm insipienti datur prælatio, vel officium docendi, totum turbatum est, &c.* Lyra etiam propriam excogitauit accommodationem. *Mercurius (inquit) apud Gentiles dicitur ratiocinationis Deus; ratiocinatio verò computus dicitur, in quo antiquitus vtebantur homines lapillis, & frequenter ille lapillus, qui ponebatur pro vno solido, amouebatur de loco suo, & ponebatur pro vna libra, vel pro viginti, vel pro centum: Sic insipiens, qui debet esse in infimo loco, ponitur aliquando in loco, & statu valdè honorabili, & est in magna hominum reputatione, quamuis in se nihilo plus valeat, quàm ante: sicut lapillus pro centum libris positus non plus valet in se, quàm positus pro vno solido, vel denario.* Sed licet hæc etiam non inelegantes sententias cohibeant, tamen expositionem Diui Thomæ libentiùs amplector, quia cum translatione LXX. meliùs cohæret.

Lyra.

65. Sed tamen illi expositioni non vsque adeò multum tribuo, vt non putem illam alteram præferendā esse, qua supra etiam translationem Septuaginta seniorum donaui ex ponderibus desumptam. Constat enim, mensuras, & pondera Mercurio etiam adscribi, non solùm quia illi sacra, sed etiam quia eorum, quemadmodum, & numerorum, primus inuentor credebatur. Ita scribit Gyraldus in Mercurio Syntagmate 9. ex Diodoro, & ex Plauto. Igitur *Mercurij aceruus*, omnem ponderum diuersitatem in vnum collectam adsignificat in hoc loco, atque adeò sententia erit ei similis, quam supra dedi. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij.* Certè *Mercurius* nomen est illius Dei qui ponderibus præesse vulgò existimabatur, aut nomen mercatoris, id non curo (ob rationes nuper confectas.) Sensus ergo sic habet. Quisquis stulto homini magistratum aut imperium defert, ei adsimilis, qui lapides, hoc est pondera, quibus res librari, & appendi consueuerunt, non quidem ad librandum adhibet, sed in aceruum cogit, ac colligit (quod tantundem valet, atque illud, *in fundam*, vel *in sacculum includi*, vt ad lectionem LXX. nuper diximus) idest, hoc efficit, ne quid exactè, & ex iure, & iustitia peragatur, sed quasi sublatis, remotisque ponderibus omnia temerè, & confusè fiant. Vel hoc præstat, vt quemadmodum sublatis ponderibus mercatura cessat; ita quoque iudicia cessent, & fora sileant; relege ea, quæ suprà scripsimus.

---

9. *Quomodo si spina nascitur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum.*

66. QVomodo, &c. Hebr. *Spina ascendit in manu ebrij, & parabola in ore stultorum.* Ascendit vtique pro crescit, aut germinat vulgari scripturæ loquendi modo. Noster interpretes particulam comparantem aptè præmisit. LXX. *Spinæ nascuntur in manu temulenti, seruitus verò in manu imprudentum.* Ambrosius infrà. *In manu inebriosi.* Extremæ clausulæ translationem peperit anceps significatio verbi משל quod *parabolam & dignitatem*, seu, *imperium* sonat, vt aliàs à me obseruatum est. Nam cùm locus iste iuxta posteriorem illius nominis significationem ita efferri posset ad verbum, *Sic imperium in ore stultorum.* LXX. verba omittentes, & sensum tenentes illud expressêrunt. *Seruitus in manu imprudentum.* Chald. *Spina ascendit in manu ebrij, & stultitia in ore stulti.*

Vt igitur à lectione LXX. initium faciā, hāc certè Diuus

Ambroſ. Diuus Ambroſius lib. 2. Epiſtola 7. ſubiectis verbis enuleauit. *Recidenda*, inquit, *inſipienti poteſtas, non adiicienda libertas eſt, ſeruitus enim ei conuenit, ideoque adijcit Salomon, Spinæ naſcuntur in manu inebrioſi* (hoc eſt valdè ebrioſi) *ſeruitus autem in manu imprudentis, quia ſicut ille ſuis vulneratur poculis, ita inſipiens ſuis factis: ille bibendo ſe peccato inſerit; iſte operando ſe culpæ adiudicat, & factis ſuis trahitur in ſeruitutem.* Itaque D. Ambroſius ſeruitutem accipit paſſiuè hoc ſenſu, *ſeruitus in manu imprudentum*, ideſt, imprudentes, ac ſtolidi ſua ipſi imprudentia, & ſtoliditate ſeruitutem ſibi creant. Vtramque verò partem ſic conſuit ſanctus doctor: Sicut temulentus ſuis ſe poculis, ſeu ſpinis quibuſdam configit, & à vino, quo obrutus eſt, obtinetur, ac regitur, ſic etiam imprudens homo ſuis ſe factis conſauciat, & ſeruituti miſerrimè adiudicat.

67. Sed licet hæc idonea videatur expoſitio, tamen Septuaginta interpretes ſeruitutem non paſſiuè, ſed actiuè potius accepiſſe putant. Ita vt ſenſus ſit. *Seruitus in manu imprudentum*, ideſt, imprudentes, cùm aliquando imperium nacti ſunt, ſubditos perinde regũt, ac ſeruos, & mancipia. Suadent hoc Primitiua, quæ ſic ad verbum efferenda eſſe ſupra dixi. *Imperium in ore ſtultorum.* Quapropter Septuaginta virtutem horum verborum exprimentes aptè admodum conuerterunt. *Seruitus in manu imprudentum*, qui per *manum*, imperium accepiſſe videntur hoc ſenſu. In ſtultorum imperio non liberalis ſubiectio, ſed ſeruitus miſerrima imponitur ſubditis. Sed tamen non ſatis aſſequor qua ratione iuxta dictam ſententiam hoc poſterius hemyſtichium cum priori cohæreat; niſi fortè dicamus, per *ſpinas* hîc (vt nonnullis viſum eſt) intelligi ſtimulos, & aculeos, quibus agaſones, muliones, aut bubulci animalia pungunt, & ad laborem exacuũt, ita vt ſenſus ſit, Quemadmodum bubulcus (verbi cauſa) ebrietate correptus ac mente emotus, ſtimulum manu tenens boues aſſiduò figit, ac refigit, confodit, ſauciatque, donec illos proſternit, ac conficit; ita etiam ſtultus nactus imperium cum ſubditis ſeruiliter atque illiberaliter gerit, eoſque aſſiduò opprimit, ac conterit.

68. Cæterùm Ambroſio potius aſſentior, qui *ſeruitutem* paſſiuè vſurpauit. Nec recedit Ambroſij mens ab originali lectione: nam ſi origines adeas, facilè agnoſces ita conuerti poſſe. *Imperium in ore ſtultitia*, ideſt, ſtultos decet aliorum imperio parere. Senſus igitur tranſlationis LXX. (me iudice) talis eſt, *Spinæ naſcuntur in manu ebrioſi.* In Primitiuis pro *ſpinis*, ſubeſt vox חוח *Choch*, quæ non *ſpinam* ſolùm, ſed compedes, & manicas ad captiuos illigandos ſonant, vt docet Mercerus: adde etiam catenas, circulos, hamos, & quidquid adſtringit, ac coërcet. Mercerus. *Choch* (verba ſunt Merceri) *ſpinam ſignificat è terra natam, vel artificialem ex ferro qua quis captiuus detinetur.* Puta ergo LXX. interpretes hîc *ſpinam* conuertiſſe, tamen ſub eadem metaphora, qua accipitur in originali lectione, ſcilicet pro manicis quibus captiuus detinetur, quod ſæpè aliàs illis ſolemne eſt. Rurſus verbum illud, *naſcuntur*, non ita capiendum, vt ſonat, ſed ita vt cohærentiam, & conuenientiam ſignificet; ſic apud noſtrates vulgò dicitur. *Eſto viene nacido aqui*, ideſt, aptiſſimè cohæret; ſed, & Latini eodem modo, *aptum natumque* dicunt quidquid accommodatum, & appoſitum eſt. Ait ergo Salomon. *Spinæ naſcuntur in manu ebrij*, ideſt, vincula, & manicæ aptæ natæque ipſi eueniunt. Quaſi dicat. *Al borracho le vienen nacidas las eſpoſas y las priſiones*, ne, ſi liberas, & ſolutas habeat manus, obuios quoſque feriat. *Seruitus verò in manu imprudentum.* Ideſt, ad eundem modum ſtultorum manus ſeruitute coërcendæ ſunt, ne libertatem, aut

A imperium nacti aliis noxij ac moleſti fiant.

Vulgatam lectionem aliis atque aliis interpretationibus donant auctores; perſtringam nonnullas. 69.
Ex Hebræis aliqui quos refert Bainus, ſic aiunt. *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu ebrij*, &c. ideſt, quemadmodum eſt aliquod ſpinarum genus, quod ab ebrioſo manu acceptum, & geſtatum hominem reddit ſobrium; ſic parabola in ore ſtulti, illum ex ſtulto ſapientem reddit. Hæc Bainus, qui huius ſpinæ genus non obſeruauit. Vide tamen, an ſpina iſthæc illa ſit, de qua Plinius lib. 13. cap. 24. ita ſcribit. Plin. *Non omittendum eſt*, inquit, *& quod Babylone ſeritur in ſpinis, quoniam non alicubi viuit ſed illud in ſpina tantum, quæ regia vocatur, mirum quod eodem die germinat, quo*
B *iniectum eſt, iniicitur autem ipſo canis ortu, & celerrimè arborem occupat, condiunt eo vina, & eo ſerunt.* Auctor hiſtoriæ generalis plantarum cenſet ideò eiuſmodi ſpinam, aut innatum ipſi gũmum, ad vinum mulcendum adhiberi ſolitum, quia refrigerandi vim habet, atque adeò ne caput tentet, vini potentiam obtundit. Hinc ergo illi Hebræorum magiſtri Salomoni lucem afferre conati ſunt ad hunc modum. *Quomodo ſi ſpina aſcendat*, vel, *creſcat in manu ebrij* (ſic enim ad verbum efferenda ſunt Primitiua:) quibus verbis ad præcelerem illius ſpinæ germinationem non ſine emphaſi adluſum quiuis putare poteſt; quæ nimirum eodem, quo iniicitur, die ocyus germinat, & ſuccreſcit. Itaque ſenſus eſt. Quemadmodum ſi viro
C ebrioſo, & temulento opportunè, & veluti in manu, ipſa ocyus ſuccreſcat ſpina regia ad vinum mulcendum, & illius macerandam hebetandamque vim, ne caput inuadat; *ſic parabola in ore ſtultorum*, ideſt, ad eundem modum grauis aliqua ſententia, vel doctrina ab ſtulto recitata, & vſurpata, illum ocyus ab ſtultitia ad ſapientiam traducit. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem probæ doctrinæ potentiam, & virtutem aperit, quæ ſcilicet, non ſecus ſtultum, & vecordem hominem ad ſanam mentem euocat, quàm regia ſpina vino immerſa ebrioſum hominem à temulentia ſeruat. Cæterùm hæc longius petita, & deriuata videntur.

Caietanus ergo, cui hæret etiam Ianſenius ſimili- Caiet. Ianſen.
D tudinem aliter conformat. *Quomodo ſi ſpina aſcendat in manu temulenti*, &c. ideſt, veluti ſi ebrius quiſpiam ad florem carpendum accedens ſpinam decerpat, deridendum ſe aliis offert: ita etiam ſi ſtultus grauius aliquod problema, aut digniorem ſententiam vſurpet, audientibus riſum mouet. Expoſitio iſta (me iudice) marcet prorſus, ac langueſcit: quapropter ſi ex aliquo flores legente, aut carpente, ſimilitudo ducenda foret, ſententiam ego aliter conformarem hoc modo. Quemadmodum ebrius ex ſpinoſo roſario florem carpens, dum ſpinas euitare neſcit, manum pungit, ac ſauciat; ſic etiam ſtultus, qui doctam aliquam parabolam, ceu florem quempiam, vſurpare audet, ſemetipſum ab illius aculeis configit; nam cùm
E per ſanam, vtilemque doctrinam ſua vitia deprehendat, ab his certè rea mens compungitur, & ſauciatur. Nil certius; ſed huic etiam interpretationi non acquieſco.

Baynus ſimilitudinem aliter inſtituit. Sicut ebrius, 70.
inquit, ſpinis facilè decipitur, atque adeò incautè il- Baynus.
las apprehendens, manibuſque premens pungitur; ita etiam inſipiens eruditam parabolam aſſumens non corrigitur, ſed deterior efficitur. Iacet etiam hæc expoſitio, atque adeò illam excitare operæ pretium erit: ſic ergo præfatam ſimilitudinem aptandam puto. Quemadmodum ebrius ſentes, manibus premens non ſentit, cùm tamen à ſentiendo ſentes dicantur, quia vel leuiter tactæ ſenſum lædunt; ita etiam ſtultus ex ſermone, & doctrina, quam vſurpat,

compunctionem nullam elicit, quamuis bonæ doctrinæ nihil magis proprium sit, quàm cor penitus peruadere, & animi sensa configere. Vel aliter; sicut ebrius spinas manibus comprimens initio quidē nullum dolorem percipit, sed tamen subinde ad se rediens exulceratus, ac sauciatus dolere incipit; ita etiā stultus parabolam assumens, quamuis initio fortasse verborum virtutem non percipiat, ac sentiat, tamen paulo post per ipsammet doctrinam ad resipiscentiam, & sensum adducitur; & sermonis boni vim, & efficaciam concipit. Hæc etiam non admodum solida sunt. Beda, & Stobæus, præfatam temulenti similitudinem sic adaptant. *Spina nascitur in manu temulenti*, idest, ex operibus eius, qui carnalibus illecebris delinitus, inebriatur, & quodammodo à mente excedit, compunctiones scelerum subotiuntur. Non aliter parabola, quam stultus vsurpat, aut illum, aut proximum configit. In hac expositione, & comparationis energiam, & accommodationis aptitudinem desidero.

Beda. Stobæus.

71. Quapropter alias expositiones subscribere est animus, & lectori optionem dimittere. Obseruare autem oportet nomen Hebraïcum משל *Masal*, & Latinum *parabola*, non modò sententiam aptam & concinnam significare, sed etiam *opprobrium*, & *conuitium* in aliquem coniectum, vt supra cap. 11. vers. 1. latè persequutus sum. Psalm. 68. *Et factus sum illis in parabolam*. 2. Paralipom. 7. *Tradam eam in parabolam*, Hieremiæ vigesimo quarto. *Et dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terræ, in opprobrium & in parabolam*, &c. Deinde etiam id, quod *spina in manu temulenti nasci*, aut *succrecere* dicitur, dupliciter capi potest, vel ita vt temulentus ipse spina configi: vel ita quod ad alios pungendos, & lacerandos spina vti dicatur: vtramque enim significationem verba sustinent. Iam ergo sic ait; si nomine parabolæ, *conuitium* accipiamus, duplicem sensum hæc verba reddent iuxta duplicem spinæ acceptionem præscriptam. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum*, idest conuitium ab stulto in alios prolatum nequaquam ad illos transit, in quos iacitur, sed, velut spina, ipsummet stultum infigit, ac refigit. Quod autem addit, *in manu temulenti*, emphasi non caret; nam perinde est ac si dicat, veluti ebrius spinam manu premens eam sibi altiùs infigere, & immergere solet; & quam initio non sentit, postea ad se rediens exulceratus percipit: ita etiam stultus conuitium iactans semetipsum aculeis suis confodit, & quamuis initio fortasse puncturas non sentiat, paulò post, vti æstus ille deferbuit, mirum in modum dolet, ac cruciatur. Ad hanc sententiam pertinet illud Senecæ in libro de moribus. *Multi cum aliis maledicunt, sibi ipsis conuitium faciunt.* Quod si spinis, & sentibus ad alios pungendos temulentum vti dicamus, sensus aliter conformandus erit. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum*: idest, conuitium in ore stulti perinde se habet, sicut spina vel stimulus in manu ebrij; sicut enim ebrius stimulum manu tenens obuios quosque pungit, ac perfodit, ita etiam stultus conuitiorum aculeis proximum quemque sine discrimine perforat. Itaque Salomon stultorum esse dicit conuitia in alios passim iactare, & proximos quosque sine delectu probris cōfigere.

Psalm. 67. 2. Paral. 7. Hierem. 24. Seneca.

72. Sed quamuis præfatæ expositiones lepore non careant, tamen satius est per parabolam hic acutam, doctam, elegantemque sententiam capere, vt communis fert interpretum consensus, iuxta quam acceptionem duæ adhuc occurrunt interpretationes. Prior sic habet. Sanè verba docta à sapiente prolata cum stimulis, & clauis contulit Salomon Eccles. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Quia nimirum auditorum corda pungunt, & animos penitus confodiunt. Hinc ergo præfata verba lucem accipiunt. *Quomodo si spina nascatur in manu temulēti.* Per spinam *aculeum*, aut *stimulum* concipe. q. d. quælibet docta, vtilisque sententia stimulus est, vel aculeus animum audientis configens: cum verò illam insipiens quispiam imprudensque homo dictat, aut recitat, similis est stimulo, siue aculeo in manu ebrij: sicut enim ebrius quispiam, verbi causa, stimulo boues agens, eo quidem abutitur atque adeò boues assiduò, & intempestiuè configens, vrgensque proritat potius, & detorquet, quàm dirigit, & recta impellit, sic etiam imprudens homo doctrinam bonam vsurpans, & illa abutens, dum eam temerè effutit, atque loco, tempori, & personæ minimè adaptat, auditores suos non tam promouet, quàm concitat, & ad indignationem vrget. Itaque Salomon hoc exprobrat homini insipienti, & stulto, quòd bona, vtilique doctrina, quæ ad dirigendos, promouendosque audientium animos per se conducit, ad eosdem detorquendos, & distrahendos abutatur.

Eccles. 12.

Posterior autem interpretatio hoc postulat, vt memoriæ succedat ea, quæ nuper ad lectionem Septuaginta interpretum præfatus sum, scilicet, vocem originalem, quæ hic *spina* subest, vincula, compedes, manicas, & quidquid captiuos vtcunque illaqueat, sua significatione complecti, iuxta illud Merceri. *Nō modo significat spinam è terra natam, sed etiam artificialem, qua quis captiuus detinetur*, quod ex Rabi Dauid Kimhi in libro radicum desumptum est. Quibus statutis sensus verborum talis est. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti*, &c. per spinam intelligo ferream illam, qua manus vinciuntur, & illigantur. Ad hæc certum est, temulenti hominis pedes imbecilles vsque adeò reddi, vt gressus regere non possit. Hinc Seneca lib. 1. de Clementia, *Ebrietatis compedes*, dixit. Sed licet pedes ad eum modum ebrietas implicet, manus nihilominus validæ ac robustæ sunt; quapropter si hę etiam manicis adalligentur, ebrius certè veluti truncus manibus pedibusque captus concidit. Iam intelligis quò tendam: sicut ebrius, inquit, Salomon, qui alioqui pedes mero deuinctos habet, manibus etiam ferro deuinctis, seu truncus, iacet: ita etiam stultus parabolam vsurpans, (accommodationis non vna facies.) Nam vel sic ais. ita etiam stultus, & stolidus homo ad explicandam, enodandamque parabolam, ceu truncus hæret. Vel, quod satius reor) per *stultum*, iuxta solemnem huius libri phrasim, hominem improbum intelligit Salomon hoc sensu: vir improbus, & iniustus, etiamsi doctrinam bonam, & vtilem ore vsurpet; & mente concipiat, similis tamen est temulento, cuius pedes merum abstringit, & manus quoque vinculis coërcentur; idest, doctrinæ nequam obsequitur, & quasi manibus, pedibusque captus nec secundùm illam graditur, nec secundùm illam agit. Hæc de loco difficili. 73.

Mercerus. Seneca.

10. *Iudicium determinat causas, & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.*

IVdicium, &c. Mirum est quanta sit in hoc loco lectionum dissimilitudo. Primitiua sic habent ad verbum. *Magnus formans omnia, & mercedem dans stulto, & mercedem dans transgressoribus.* Sunt qui interpretem vulgatum vellicent, quasi omnino Hebraïcas origines deseruerit; sed tamen ab hac iniuria pręclarè vindicat illum Iansenius; nam Hebræa verba prioris hemistychij quemadmodum hodie dispuncta sunt, sic habent, רב מחולל כל *Rab*, *Mecholel*, *col*, 74.

cum

cùm ergo Vulgatus codices habuiſſet minimè diſpunctos, in primis quidem pro רב *Rab*, tranſtulit ריב *Rib*, quæ vox *iudicium* ſonat. Adde etiam verbum חלל *Chalal*, non tantum ſignificat *creare*, & *formare*, ſed etiam *diſſipare*, ac *vincere*: Vulgatus ergo poſteriorem ſignificationẽ prætulit, atque adeò ſic locum efferendum putauit ad verbum. *Iudicium vincit omnia*, deinde verò verba omittens, & ſenſum latentem excitans, ſic demum conuertit, Iudicium determinat cauſas. Poſterius hemiſtychium in originibus ſic iacet, ושכר כסיל ושכר עברים, *veſto ſe hadelcer deſſnes*, *Veſocher, Cheſel, ve Socher, Ghibrim*. In primis ergo pro voce illa *Socher*, quæ ſemel, & iterùm ponitur, in poſteriori loco, Vulgatus legit שבר *Scober* à verbo *Scabar*, id eſt, *conterere*, aut *macerare*; quod ex affinitate duarum literarum *Caph*, & *Beth*, euenire potuit. Item verbum *Sachar*, ex quo fit *Socher*, quod priori loco adſcribitur, efferendum putauit non quidẽ per litteram ש, ſed per litteram ס ad hunc modum סכר *Socher*, ex radice *Sachar*, quæ ſignificat *obſtruere os*,

Pſalm. 62. Pſalm. 62. *Et obſtruetur os loquentium iniqua*. Iuxta quam ſignificationem Vulgatus ſic locum efferendum putauit. *Et qui ponit ſtulto ſilentium*. Denique vox עברים *Ghibrim*, id eſt, *ſtulti*, affinis valdè eſt voci עברה *Ghebra*, quæ iram adſignificat.

75. Rurſus Septuaginta interpretes à Vulgata lectione longiùs abire videntur, & ad Hebraïcas origines reuocari vix poſſunt; ſic enim habent. *Multis procellis iactatur omnis caro imprudentum, conteritur enim ecſtaſis eorum*. Sed tamen ſi ſuſpicioni indulgere fas eſt, dicendum erit, ex diuerſis huius verbi כלל *Chalal*, ſignificationibus alteram quidem ad ventorum vim ſignificandã referri; hinc eſt illud. *Ventus Aquilo*

Iob. 25. *diſſipat nubes*, id eſt, illas impellit vi ſua. Item vox illa, רב *Rab*, quæ *magnum* ſonat, ſolet aliquando ſumi pro *multum*. Itaque Septuaginta ſic verbum ex verbo exprimendum putarunt. *Multum impelluntur omnes ſtulti*. Verba autem omittentes, ac ſenſum tenentes ſic tranſtulerunt. *Multis procellis iactatur omnis caro imprudentum*. Quod verò ſtatim attexunt, *conteritur enim ecſtaſis eorum*, ἔκστασις quamcunque mẽtis alienationem ſignificat, ſiue ex inſania, ſiue ex iracundia, ſiue ex quacunque alia cauſa procedat, hîc tamen ad iracundiam reuocari puto, vt ſenſus propiùs accedat ad Vulgatam. Quapropter aliqui perperàm reddiderunt, *Conteritur enim extenſio eorũ*. Chaldæus integrum locum ſic reſtituit. *Multum dolet caro ſtulti, & ebrius tranſit mare*. Quam lectionẽ ad Primitiua etiam reuocare operoſum nõ eſſet. Tigurina. *Egregius aliquis, ac magnus vir conficit per ſe omnia, ſtultus autem mercede conducit transgreſſores*. Vatablus verò ſic reddidit. *Princeps coërcet omnes, & premium ſtulto, & dat premium tranſgreſſoribus*, Caiet. *Magnus creator omnium, & mercedem dat tranſgreſſoribus*. Theodot. *Franans imprudentem franat iras*. Symmachus, *Qui cohibet imprudentem, obſtruit iras eius*.

76. Miſſas facio quaſdam valdè inſulſas Rabinorum interpretationes huius loci, quas partim refert Rodolphus, partim Pagninus, qui cùm in id prorſus incumberent, & verba iſthæc, aut antecedentibus adiungerent, aut conſequentibus agglutinarent, inconcinna prorſus abſurdaque dixerunt. His ergo prætermiſſis

Caiet. Caietan. lectionem illam, quam extremo loco ſubiecimus, hunc ad modum interpretatur. *Magnus creator omnium, & mercedem dat tranſgreſſoribus*, id eſt, Deus Optimus Maximus omnes quidem tam bonos, quàm malos omnipotentia ſua formauit, atque effinxit, atque adeò non ſolùm ad illum pertinet probis, & iuſtis præmium appendere, ſed nonnunquàm etiam improbis pro quibuſdam hone-

A ſtis actionibus, in quibus ſeſe exercent, mercedẽ aliquam temporalem perſoluere. Ceterùm hæc expoſitio præterquàm quod à Vulgata lectione longiùs abhorret, ſatis inſulſa eſt. Quapropter ſi cuipiam videatur hîc de Deo ſermonem haberi, ſenſus certè talis erit. *Magnus format omnia*, id eſt, Deus, qui ſolus maximus exiſtit, rerum omnium formator ac conditor eſt, atque adeò eius erit delicta vlciſci, & iuſtas de tranſgreſſoribus pœnas expoſcere. Et quidẽ aptè admodùm Deo, quà creator eſt, delictorum ac ſcelerum vltionem tribuit Salomon, quia per hominis delicta ac ſcelera, omnia illius opera vitiantur quodãmodò ac læduntur. Vel aliter, dicemus quidem Salomonem nomine *mercedis*, victum ad tuendam vitam neceſſarium accepiſſe, ita vt ſenſus ſit. Deus Op-

B timus Maximus, cùm ſit *omnium formator, & conditor*, omnibus, quidem, etiam improbis, *mercedem*, hoc eſt, neceſſaria ad vitam tuendam ſuppeditat. Quod ſi hęc expoſitio non diſpliceat, addendum eſt Salomonem eò ſpectaſſe, vt hoc Dei exemplo hominibus ſuaderet, ne improbos, & ſibi quomodolibet iniurios, aut nociuos homines, ſuis beneficiis defraudare velint. Sed hæc etiam aliena videntur.

Longè meliùs, & aptiùs Vatablus & Mercerus hîc per *Magnum*, ſupremum Reipublicæ Principem capiendum exiſtimarunt, ſed non eodem ſenſu. Nam Mercerus ſic habet. *Magnus format omnia, & mercedem dat tranſgreſſoribus*, id eſt, Principis eſt rempubli- 77. Vatab. Mercer.

C cam bonis legibus atque inſtitutis informare, & his, qui latas leges tranſgreſſi fuerint, pœnas pro meritis infligere. Itaque boni Principis duo officia, ſeu munera, complectitur Salomon, ſcilicet leges vtiles ferre, & violatores earum grauiter punire. Nam bonæ directioni adiuncta debet eſſe coactio. Nil certius.

Vatablus autem ſic edisserit. *Magnus vir conficit per ſe omnia, ſtultus autem mercede conducit tranſgreſſores*, id eſt, Princeps quilibet prudentia præſtans, ea, quæ per ſemetipſum exequi poteſt, miniſtris nequaquàm committit aut demandat: at verò gubernator imperitus per ſeipſum nihil præſtat, ſed miniſtros improbos pretio conducit, hiſque magno cum reipublicæ totius detrimento adminiſtrationẽ permit- 78.

D tit. Vel aliter, *Princeps coërcet omnes*, ſic priorem partẽ reſtituit, id eſt, omnes in officio continet, *dat*, ſcilicet, *premium ſtulto, & dat premium tranſgreſſoribus*, i. improbum quemque ac legum temeratorem pro meritis mulctat. Hæc illi, quæ ideò aliorum ſententiis præferri debent, quia propiùs ad Vulgatam lectionem accedunt, vt ſtatim patebit; ſed antequam ipſam excutiam aliquid circa ſuperiores lectiones comminiſci libet.

In primis vox illa רב *Rab*, quæ hîc ſubeſt, non *magnum* ſolùm, ſed etiam (liceat ſic dicere) *multum*, ac *multiplicem* notat, quod Principis, aut Prælati officium apprimè declarat, qui, quoad fieri poſſit, non vnus aliquis homo, ſed multiplex eſſe debet, vt om- 79.

E nia formet. Itaque ſic accipe, Princeps ad omnes informandos non vnum quempiam hominem agere, ſed multos expedit; nam probis mitem, improbis ſeuerum ſe exhibere, & pro ſingulorum moribus aliũ atque alium hominem induere debet. Lege Nazianzenum oratione 1. Apolog. contra Iulianũ, vbi poſtquàm multorum hominum cœtum, & communitatem cum multiplici, & varia quadam bellua ex naturis diſſimilibus, ac contrariis coaleſcente compoſuit, ex quibus aliæ blanditiis, ac popyſmis cicurantur, aliæ minis, aliæ verò ictibus mulcentur; ſubdit, Principem, aut prælatum in id incumbere debere, vt iuxta præfatam ſubditorum diuerſitatem diuerſum, ac diſſimilem ſeſe paſſim effingat, varioſque illorum mores multiplici perſona aut deliniat, aut compri- Nazianz.

mat. Verba Nazianzeni alibi dedi. Nunc verò id etiam subiicio, vocem illam רב *Rab*, secundæ interpretationi rectè adaptari, quatenus asserit, egregij Principis esse, quoad fieri possit, omnia per semetipsum exequi, ea præsertim, quæ grauiora, & digniora sunt. At quomodo, inquies, vnus aliquis tot, tamque varia peragere poterit, quibus vix multorum industria suppetat? quia nimirum sæpè accidit, vt vnus ac singularis homo adinstar sit multorum, & vnius industria plurium solertiam euincat.

80. Quapropter si præfatæ voci hanc virtutem inesse dicamus, prius hemistychium digniori, & illustriori quadam sententia donare integrum erit, hoc modo. *Magnus*, vel potius *multus*, aut *multiplex format omnia*, i. Princeps ille, qui ad subditorum suorum dissimiles valdè mores temperandos sese accommodat, & qui res, vel negotia publica, non quidem aliis demandat laborem pertæsus, sed per semetipsum studiosus exequitur; hic sanè non vnus aliquis singularisque homo putari debet, sed *multiplex*: quandoquidem ea præstat, quibus vix multi sufficere posse videbantur. *Stultus autem mercede conducit transgressores.* Qui scilicet, stultus cùm esset, imperium nactus est, cum per semetipsum res peragere non possit, adhibere vtique cogitur ministros multo pretio conductos, qui sæpius transgressores sunt. Et quidem Principem non vnum aliquem, ac singularem hominé, sed multiplicem esse oportere non obscurè significant Hebræi, qui sæpius ad Principem notandum adhibent vocem illam אלוף *Aluph*, quæ fluit ex אלף *Eleph*, id est, *Mille*, quasi millenarium, & quidem Rabi Dauid propterea id nominis Principibus datum dicit, quia multis hominum myriadibus imperent. Cæterum Rabi Himanuel sic comminiscitur, scilicet, eo nomine non quemlibet Principem censeri, sed apprimè prudentem, & catum; nam *Aluph*, propriè eum significat, quem alij tanquàm magistrum vereantur, & tanquàm ducem sectantur; is autem, quisquis fuerit, *non simplex*, inquit, homo est, *sed millenus*, id est, tantundem solus valet quantùm mille alij. Accinit etiam Plato in dialogo illo, qui inscribitur ciuilis vel de regno, vbi postquam duas illas gubernationis species, videlicet oligarchiam, & monarchiam inter se composuit tandem monarchiam præfert. Cùm verò sibi obiecisset, plures homines longè melius, & consultiùs de reipublicæ salute curaturos, quàm vnum; ita demùm occurrit, plures gubernatores priuatis studiis sæpius distrahi, atque adeò commune bonum exturbata pace lædi ac violari, faciliusque esse vnum aliquem reperiri, qui ad commune bonum enixè incumbat, quàm plures; ac demùm sic addit. *Custos sapiens, & boni vniuersalis studiosus, vnus est pro multis.* Denique iuxta præscriptam interpretationem superior lectio alio sensu donari potest ad hunc modum, *Multus qui perficit, vel format omnia*, id est, Princeps ille, qui res digniores, & grauiores nequaquàm aliis demandat, sed ipse per se gerit, huius studij merito obtinet, vt vnus cùm sit, ea certè opera transigat, quibus actitandis multi homines vix sufficere posse videbantur. Sed hæc aliena sunt; ad Vulgatam lectionem contendo.

R. Himan.

Plato.

81. *Iudicium determinat causas, & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.* Plerique ex interpretibus duas in hoc versu sententias omnino dispares includi affirmant hoc modo. Principis extremum iudicium, & decretum qualemcunque litem dirimit. Hæc est, inquiunt, prior sententia, qua Salomon magistratibus suadet, vt causas accuratissimè examinent, & euentilent, antequàm sententiam dicant, quandoquidem ipsis decernentibus lites cessant, & corú iudiciis stare coguntur actores: monet etiam, ne causas multiplicent, aut diutius protelent, sed, quoad fieri possit, ocyus absoluant, & decidant. Deinde subnectit, *Et qui imponit stulto silentium, iras mitigat*, id est, qui stulto silentium indicit, iras, contentiones, & iurgia compescit, quas fermè stultorum verba temerè atque importunè iactata concitare, & accendere solent, iuxta illud quod habes supra cap. 22. *Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ.*

Cæterùm hæc expositio quatenus duas sententias dispares, ac minimè cohærentes comminiscitur, mihi non probatur; nam cùm in aliis huius operis versibus nunquàm duæ sententiæ sine antithesi, aut collatione aliqua occurrant, id in hoc versu desideratū non credo. Quapropter locum istum collatis, compositisque duobus illis hemistychiis ad hunc modū edisserendum censeo. *Iudicium determinat lites*, &c. id est, sicut iudicis supremi definitiua sententia lites dirimit, ita vt eam causam, super quam iam lata est, in controuersiam amplius vocare non liceat; ita etiam qui imponit stulto silentium, iras mitigat, id est, qui stulti hominis os comprimit, & importunos, inconditosque sermones compescit, omnem contentionis causam de medio tollit; existimo autem huius loci antithesin esse venustam; nam duæ illius partes ad húc modum conferendæ sunt. Iudex sapiens suam sententiam dicens, & in controuersiis pronuntians, lites perimit, quia nimirum iniusto actori silentium imperat. Ita etiam qui stultum quomodolibet tacere cogit, omnes contentiones, & iurgia sedat, quas eius imperita verba alunt, ac promouent. 82.

Lectio etiam Septuaginta, quæ verbo tenus à sententia Vulgata longius recedere videtur, certè propiùs ad illam accedit; sic enim habet. *Multis procellis iactatur omnis caro imprudentum; conteritur enim estasis eorum.* Quæ verba de ira, & indignatione stulti (me iudice) capienda sunt: similitudo autem ducitur vel ex mari fluctuante, vel ex naui tempestate iactata, vel etiam ex vectoribus cùm naui insanis fluctibus agitata, in stuporé acti fugiente consilio naufragium præstolantur. In primis enim stultus ira exæstuans ad instar obtinet maris assiduis procellis iactati, & cócussi. Nota est irati hominis, ac procellosi maris similitudo. Isaiæ 57. *Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum; non est pax impiis, dicit Dominus*, id est, inter impios nulla pax, nulla societas, sed contra perpetuis, implacabilibusque discordiis, maris ad instar tumidi, ac procellosi, quatiuntur, colliduntur, exæstuant. Imitatur etiam iracundus nauim fluctibus impulsam. Chrysostomus in sermone de mansuetudine tomo 5. *Qui furore, & ira vincuntur, similes sunt naui, quæ in media tempestate à gubernatore destituta submergitur, vndequaque in eam procellis ingressis.* Denique homo ira percitus hominem tempestate iactatum præ se fert. Accinit idem Chrysostomus infra. *Ira quasi tempestas in animam irruit, seruientemque sibi stupidum reddit.* Ergo secundùm triplicem similitudinem supra adscriptam, Salomonis verba triplici sensu donari possunt. Si metaphora sumatur ab ipsis hominibus tempestate iactatis, sensus vtique erit. *Multis procellis iactatur omnis caro imprudentum*, id est, homo stultus, & ira percitus, similis est illis, qui validissima aliqua tempestate impetiti, & omni consilio destituti, naufragium præstolantur: de his enim est illud Psalm. 106. vbi naufragos describens Vates sic habet, *Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius: ascendunt ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia* 83.

Isai. 57.

Chrysost.

Psal. 106.

A *sapientia eorum deuorata est*, expende illud, *Omnis sapientia eorum deuorata est*, id est, ratio, & consilium in ipsis defecit præ stupore, & ecstasi. Iam intelligis extremam huius sententiæ partem, *conteritur enim ecstasis eorum*, id est, stupor, & hebetudo, quam illis indignatio, & furor adducit, magis, ac magis quatitur. Quasi dicat: iratus quisque similis est naufrago homini tunc cùm iamiam submersio proxima stuporē immisit, atque rationem, & consilium eripuit, subindeque turbatus, ecstaticus; ac stupidus concutitur. Itaque illud, *Conteritur ecstasis eorum*, perinde est, ac si dicat, in ecstasim actus assiduò quatitur, & percellitur.

84. Quod si metaphoram ex naui ducamus, quam fluctus insani iactant, sensus erit eiusmodi. *Multis B procellis iactatur caro imprudentum*, id est, homines ira correpti non secus ab ira impelluntur, quam nauis aliqua ab vndis vehementer perculsa. Sensus prioris hemistychii est admodùm facilis. Posterior autem sic habet. *Conteritur enim ecstasis eorum*, ἔκστασις vt nuper dicebam, eam mentis alienationem significat, quam ira inducit. Itaque sic ait. Quemadmodùm nauis fluctuante mari amisso gubernaculo ad scopulum illisa dehiscit, ac mergitur; sic etiam homo iratus, abiecto consilio ac mente emotus, ad damna pleraque, & incommoda tanquàm in scopulos aut syrtes impingit. Itaque illud *conteritur ecstasis eorum*, perinde est ac si dicat, ipsi præ ecstasi, & stupore conteruntur.

85. Rursus si metaphora sumatur ab ipso mari, cùm C fluctibus insanis exæstuat, dicemus quidem aliter; Nimirum Salomonis mentem fuisse non modò imprudentis hominis ira perculsi concitatissimos motus, & impetus describere, sed etiam id innuere, cunctam videlicet stultorum indignationem, & furorē, ab homine prudenti & moderato facilè admodùm eludi. Sic ergo ait. *Multis procellis iactatur caro imprudentum*, id est, insipientis hominis ira correpti animus, maris fluctibus agitati, & iactati ad instar obtinet. *Conteritur autem ecstasis eorum*, id est, sicut maris insani fluctus ad littoris arenas impacti dissoluuntur, & resiliunt, ita etiam insipientis hominis ira, & furor in moderatum virum incurrens infringitur ac mul- [Nazianz.] D cetur. Hûc spectauit Gregorius Nazianzenus in jambico de ira.

At cœpit ille? (scilicet furere) *protinus verbis tuis*
Frangatur, atque moribus blandissimis,
Solutus instar fluctuum ad terram illicò,
Aut vt procella, cùm nihil renititur.

86. Paraphrasis Chald. haud dissimilem sensum reddit. *Multum dolet caro stulti, & ebrius transit mare.* Ad iracundiam etiam pertinere puto: Quasi dicat, stultus accepta iniuria plurimùm dolet, ac furit in eum, à quo læsus est, & quamdiu sic feruet ac sæuit, similis est homini ebrio, qui pelagi tumentis vndas pertransit. Quod ita capiendum est, vel quia nautæ, cùm procellis diutius iactantur, ebriosis adsimiles nausea- [Psalm. 106.] E bundi stupent, iuxta illud Psalmi, *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.* Vel quia Salomon hominem iracundum cum temulento nauis gubernatore componit, qui consilij expers, nauem ad scopulos, ac syrtes impellit: vtraque autem comparatio accommodata est. Nam iræ cum crapula perfrequens est collatio apud Patres. [Nazianz. Chrysost.] Nazianzenus in præfato jambico ita inquit, *Ira est turbo mentium, & crapula*; Chrysost. in serm. de mansuetudine tomo 5. *Alij*, inquit, *ira ebrij quantò pluribus malis sese irritarunt, tantò maiori insania furunt. Nam quod ebrios dicunt ob insatiabilem ebrietatem ardentius sitire, hoc, & iracundis vsuuenit, quia in perniciosiorem ruunt insaniam propter inexplebilem contendendi libidinem.* Mitto alia.

* *Tom. 1.*

11. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.*

Sicut canis, &c. Hebr. ad verbum. *Sicut canis reuertens ad vomitum suum, stultus iterans stultitiā suam.* LXX. paulò aliter. *Sicut canis cùm reuertitur ad suum vomitum, & odibilis efficitur, sic imprudens sua malitia reuertens ad peccatum suum.* Aquila, & Symmach. *Sic demens iterans in stultitia sua*, sumpsit ex hoc loco Petrus in 2. can. cap. 2. illa verba. *Contingit enim eis illud veri prouerbij, Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.* 87. [2. Petr. 2.]

Si verba capias, vt sonant, Salomon loqui videtur de stulto, & stolido homine, atque adeò quidam interpretes ad verborum sonum spectantes locum istū sic edisserēdum putant. Canis, stultitiæ atque vecordię symbolum est. Quemadmodum ergo canis cibos, quos per vomitum expulit, iterùm resorbet, atque ingerit, sic etiam stolidus, ac vecors homo stultitiam, quam semel abiicere, ac refutare coactus est, identidem repetit, atque denuò desipere incipit. Quasi dicat, vtrumque certè æquè fœdum ac turpe. Cæterùm hæc expositio parum concinna videtur.

Reliqui ad vnum per *stultum*, improbum hominem, per *stultitiam* verò improbitatē accipiunt; quibus fidem faciunt Septuaginta interpretes, qui extrema verba sic extulerunt. *Sic imprudens sua malitia reuertens ad peccatum suum.* Percurram primum ea, quæ Patres in hunc locum coniecerunt. Diuus Augustinus in libro de bono perseuerantię, de Monacho hæretico sæculū repetente ita scribit. *Sed vsque adeò proficit in malum, vt deserti monasterij societate fieret canis reuersus ad suum vomitum, & tamen adhuc qualis sit futurus incertum est.* Aptissima sanè in rem comparatio. Accinit Isidorus Pelusiota Epist. 92. qui ex hoc loco monachos etiam pungit, qui monasticæ vitæ otium deserentes ad sæcularis conuersationis negotia redeunt, & monachos se nihilominus mentiuntur, quia longum pallium, & barbam promissam, baculumque circumferunt; quos, ceu canes, ad vomitum reuerti dicit, quia ea, quæ veluti nauseabundi priùs respuerant, denuò resumunt, ac regustant. 88. [August.] [Isidor. Pelusi. *]

Sed luculentius idem Augustinus in Psalmum 83. præfatum locum de his, qui postquàm vota, & desideria sua in Deum contulerunt, rursus ad creaturas expetendas recurrunt. *Contigit illis res veri prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitum. Premebat enim pectus conscientia peccatorum, accepta indulgentia quasi vomuisti, & reuelatum est peccatum tuum.* Mendum suspicor, vide an satius sit ita restituere. *Et reuelatum est pectus tuum, facta est bona conscientia ex mala conscientia, quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?* Extrema hæc verba exprimunt vim illius appendicis, quam LXX. in sua translatione subiiciunt. *Sicut canis cùm reuertitur ad vomitum suum, & odibilis efficitur*, &c. Eodem etiam spectat Bernard. in serm. 3. de Assumptione, vbi sic habet. *Reuersus ad vomitum canis odibilis erit multò plus, quàm ante; & fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuò sordes inciderit.* Sententia Bernardi talis est, sicut canis cum primū fame stimulante auidius cibos ingerit, nequaquàm horrori est; idē verò extrusas per vomitum escas resorbens, tædium, & nauseam aspectantibus mouet, sic etiam peccator cum primum ex immoderata libidine scelera quasi deuorat, ingeritque, non ita Deo exosus est; at 89. [August.] [Bernard.]

postquàm admissa olim peccata per eorum pœnitudinem euomuit, si eadem iterum regustet, maximum certè sui tædium, odium, & horrorem Deo immittit.

90. *Augus.* Redeat iterum Augustinus, qui horrorem istum exaggerat in Psal. 30. concione 2. *Denique vide quàm horribili rei eos comparauerit, contigit illis res veri prouerbij, canis reuersus,* &c. Ad hunc horrorem spectat etiam translatio huius loci, qua vtitur *Cæsar. Arelat.* Cæsarius Arelatensis in hom. 9. de Eleemosyna, vbi sic habet. *Eâ tamen conditione vt postquàm cœperit eleemosynis peccata sua redimere, eadem amplius non admittat, propter illud, quod dictum est; Qui baptizatur à mortuo, & iterùm contingit mortuum, quid proderit lauatio eius? Et illud. Sicut odibilis fit canis, quando reuertitur ad vomitum suum; ita peccator, quando ad peccatum suum.* Rationem huius horroris attigit *Chrysost.* Chrysost. in homilia de Militia Christiana tomo 5. vbi sic scribit. *Ne recurras ad peccata, quæ remissa sunt tibi, neque in delictis frequenter offendas relinquens ea, & rursus recurrens in ea, neque enim vt canem ad suum vomitũ, aut suem in suum volutabrum contraria humanitati irrationalium natura te ducat.* En tibi causam horroris illius, quē canis ad vomitum recurrens immittit, quia nimirũ res valdè contraria humanitati est, proprium exsorbere vomitum; sunt qui alienum vomitum exhauserint, vt tradit Iosephus de bello Iudaico lib. 2. c. 7. ac proprium carpere vomitum ne in summa quidem fame ab aliquo tentatum nusquam legimus. Pergo ad alia.

91. *Gregor.* Diuus Gregorius Magnus Pastoralis curæ 3. parte admonitione 31. comparationem discutit, eiusque accommodationem venustam paucis cõplectitur. *Canis, inquit, cùm vomit, cibum, qui pectus deprimebat, proiicit, sed cùm ad vomitum reuertitur, vnde leuatus fuerat, rursus oneratur; sic qui admissa plangunt, nequitiam de qua malè satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo proiiciunt, quam post confessionem dũ repetunt, resumunt.* Cum Gregorio concinit Sanctus *D. Ephrem.* Ephremus in tractatu, qui inscribitur, Reprehensio sui atque confessio, vbi talia serit. *Inflammatum est cor meum, immutata est pia cogitatio mea, obscurata mens mea, veluti canis ad proprium reuertor vomitum, & non est pœnitentia mea pura.* Hæc ille, quibus innuit per *canis vomitum*, pœnitentiam significari impuram, malè actam, & eam, quæ suapte natura recidiua est; & quidem aptè; nam, vt docet Albertus Magnus, canis non ex tædio, aut fastidio adesas escas per vomitum egerit, (vt homines solemus) est enim fastidij, ac tædij incapax; quia famem nunquàm prorsus expellit, aut extinguit, ideò famem illam, quæ nunquàm exsatiatur, caninã medici appellauère. Ideò igitur solùm canis vomit (inquit Albertus) quia ventriculus nimia ingestione distenditur & oneratur, atque adeò paulò post ad vomitum resumendum redit. Hæc est pœnitudinis perperàm actæ conditio propria, quæ nimirum peccata non ex tædio, aut fastidio respuit, nec famem, vel appetentiam delinquendi, & peccandi vnquàm deponit, sed oneris, & laboris alicuius detrectandi gratia culpas interpellat; propterea ocyus ad easdem recurrit. Id sibi voluit sanctus Ephremus, cùm dixit. *Et non est pœnitentia mea pura,* &c. Huc *Helias. Scholastes.* spectauit etiam Nazianzeni Scholiastes Helias, qui in commentario orationis 3. contra Iulianum, eiusdem Iuliani falsam pœnitentiam cum canis vomitu conferendam censuit.

92. Sed licet hæc non ineruditè dicta sint, nihilominus cum reliquis Patribus sentio, quos iã præscripsi. Hi enim per *canis vomitum*, puram, veram, & vtilem pœnitentiam acceperunt; aliter enim in eorum dictis tota eluderetur virtus, & energia. Et quidem ex vomitu canis vtilis pœnitudinis exemplum alio argumento duci potest. Nam D. Basilius inter alia, quæ de *Basil.* canis natura scribit homil. 11. *Eius, inquit, rei insigne in canibus liceat videre, dum enim student sibi ipsis mederi, hoc identidem videas depasci gramen, non quod cani pascendo conueniat gramen, sed quia citra operam humanæ institutionis, doctrice tantùm natura, ad id bruta confugiunt, quod subodorantur sibi vsui futurum.* Aristoteles *Aristot.* de natura animalium lib. 9. cap. 6. *Canes,* inquit, *ægrescentes herba quadam comesa vomitant.* Et rursus infra. *Canes, cùm lumbricis infestantur, herbam tritici comedunt,* nimirum vt lumbricos perimant, & egerant. Hanc herbam, qua canes vtuntur ad vomitum, *canariam* appellitant historiæ naturalis periti; de qua *Plin.* Plinius lib. 25. cap. 8. *Inuenerunt, inquit, canes canariam, qua fastidium deducunt, eamque in nostro cõspectu mandunt, sed ita, vt nunquàm intelligatur quæ sit; etenim depasta cernitur.* Ergo præmissi auctores ægritudinem, fastidium, & tædium cani tribuunt; illumque ad tollenda eiusmodi incommoda gramine triticeo, vel alia quapiam herba vti dicunt, qua vomitum sibi mouet, & innascentes ventriculo vermes perimit, egeritque: per quod medicamentum vtilis pœnitentię auxilium aptè significatur, quæ olim deuorata, peccata extrudit, & innascentes animo malè sibi consciæ mentis vermes enecat. Imò potius in canis vomitu quanta sit pœnitudinis virtus apprimè declaratur: nam cùm canum ventriculus ob caloris vim, qua pollet, ciborum tenacissimus sit, tanta nihilominus graminis illius virtus existit, vt quamprimum stomachum dissoluat, & ad vomitum procliuem efficiat. Haud dissimilis pœnitentiæ ad animum extergendum vis, & potestas: nam cùm mens humana suorum quoque criminum ob nimium libidinis æstum mirum in modum tenax sit, illam nihilosecius ad respuenda extrudendaque sponte peccata pœnitentiæ motus confirmat. Non ergo in cane taxatur vomitus, qui pœnitudinis benè actæ symbolum est, sed regustatio illius, quæ horribilis planè, turpis, & obscæna existit.

Sed ad ea, quæ de hac vomitus regustatione ex patribus supra adscripsimus, aliquid vlterius addendum est ex translatione LXX. quæ in Græcis quidem sic habet οὗτος ἄφρων, τῇ ἑαυτοῦ κακίᾳ ἀναστρέψας ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ ἁμαρτίαν. id est, *Sic stultus malitia sua reuertens ad suum peccatum.* Et sanè vox illa κακία, quæ pro *malitia* subest, ad intentionem animi referri solet, & non solùm malum perpetratum: sed prauam delinquendi voluntatem adsignificat, id nimirum, quod vulgò dicimus *pecar de malitia y a sabiendas,* nimirũ non ex ignoratione, nec ex vehementi aliqua libidine. Quam peccandi rationem canis vomitum exorbens perspicuè notat: nam cùm is ad suum ipsius vomitum denuò deuorandum reuertitur, non stimulatus fame hoc agit, cùm illud potius ad leuandum deducendumque fastidium nuper egesserit, sed ex genuina voracitate quâ rei etiam vsque adeo impuræ, & obscœnæ non parcit. Id verò in his, qui ea peccata, quæ prius planxerunt, repetunt, maximè detestandum videtur: non. n. iam isti ex ignoratione, nec ex nimia aliqua libidine, (quandoquidem hanc præteritus dolor, & planctus hebetauit) sed quodammodo ex malitia & deprauata animi dispositione delinquunt. 93.

12. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habet insipiens.*

Vidisti, &c. Hebraïcè ad verbum. *Vidi virum sapientem in oculis suis, spes stulto, quàm de eo.* Vatablus sensum expressit. *De stulto melius sperandum,* 94.

quam

quàm de ipso. In textu LXX. præmittuntur quidem hæc verba, *Est confusio adducens peccatum, & est confusio gloria, & gratia.* Deinde subditur. *Vidi virum, qui videtur apud se sapiens esse, spem quidem habet magis insipiens eo.* Chaldæus. *Si vidisti virum, qui sapiens est in oculis suis: melior est illo stultus.* Illa verba, quæ in textu LXX. Vaticano hîc inseruntur, absunt quidem ab originibus, imò & à plerisque Græcis codicibus expuncta sunt, & ex c. 4. Ecclesiastici ascita videntur, vbi ipsissima ad verbum occurrunt, atque adeò tanquàm aliena missa faciã, & ad propria contendã.

In hoc loco quædam occurrit ambiguitas cum superioribus communis. Nam vox *insipiens* anceps est: aut enim stolidum & vecordem hominem sonat, aut improbum, & sceleratum. Si ergo de stolido sermo B sit, sensus talis euadet. *Vidisti hominem sapientem in oculis suis,* &c. id est, si fortè conspexeris virum aliquem verè sapientem, qui de sapientia sua superbè efferatur, & alium quempiam stultum ac stupidum qui se ipsum negligat, & stultitiam, stuporemque suũ planè agnoscat, de hoc potius bene sperandum est, quàm de illo. Quia nimirum ille, qui sibi sapere videtur, plura addiscere non satagit, & doctores omnes fugit, atque adeò in dies magis, ac magis desipit: hęc verò, qui stolidum se æstimat, addiscere assiduò contendit, & doctores libenter auscultat, atque adeò sapientior, ac doctior tandem aliquando euadet. Itaque illud *magis spem illo habet insipiens,* nõ significat, stultum spem concipere, sed spem sui in aliis excitare, C vt ex aliis translationibus supra adscriptis constat.

95. Sed quamuis hæc sententia non sit inconcinna, nihilominus tamen per *sapientem;* & *insipientem,* probum & improbum significari reor. *Vidisti sapientem in oculis suis,* &c. Audi Chrysostomum in homil. 39. ad populum, vbi hæc verba sic excutit. *Non potest esse superbus qui fatuus non sit, stultitia verò plenus est superbus. Audi quendam sapientem, qui dicit: vidi hominem apparentem esse, procedentem apud se ipsum, spẽ autem habet magis insipiens eo. Vides quod non temerè dicebam esse malum fatuitate pejus: spem enim habet magis insipiens eo. Propterea Paulus quoque dicebat, Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Chrysost. ergo putat in eo loco superbum cum stulto à Salomone conferri, & præferri quidem stultum, quasi meliora de D ipso sperare liceat, quàm de superbo: rationem autẽ hanc offert. *Magnum est elationis malum, stultum esse melius est, quàm insolentem: illic enim stultitia tantum est, mentisque tarditas, hic autem stultitia peior, nempè fatuitas cum furore: stultus sibi ipsi malus est, elatus, & aliis pestis.* Et infra comprobat hoc exemplo. *In corporibus qualia quæso valere dicimus, multum ne habentia tumorem, & multo spiritu intus, & aqua plena, an cõpressa, & depressam habentia superficiem? Planum est quod hæc. Igitur & anima æstuans, & tumens, peiorem habet veterno morbum.* Veternum certè appellat crapulam, cui stultitiam adsimilem esse dicit. Itaque mẽs Chrysostomi sic habet: sicut deterior & periculosior E est morbus hydropisis, cùm totum corpus ex aqua intercute tumet, ac gliscit, & vitam, salutemque in discrimen adducit, quàm crapula quæ quamuis mẽtem corripit, tamen valetudinem nulli periculo exponit: sic etiam grauior animi morbus est superbia quàm stultitia: quia superbi quodammodo desperata est iam salus, at stulti non ita, sed benè de illo sperare licet. Hunc sensum reddunt illa verba, *magis illo spem habet insipiens.* Mentem Chrysostomi iam tenes?

Chrysostom.

Illud etiam addo iuxta præscriptam acceptionem *sapientis* atque *insipientis,* locum istum alio sensu donari posse ad hunc modum. *Vidisti sapientem in oculis suis.* id est, sicubi conspexeris virum probum, & A de probitate sua superbè gloriantem, *magis illo spem habet insipiens:* id est, de homine quouis improbo, scelerato, meliora, & saniora sperare te iubeo quàm de illo. Exemplo sit tibi Pharisæus de vana quadam virtutis & probitatis ostentatione sibi placens, & publicanum præ se despiciens. Nam de vtroque sic Christus Lucæ 18. *Descendit hic iustificatus ab illo,* id est præ illo, &c. De hac sententia alibi diximus. Luc. 18.

13. *Dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus.*

96. Dicit piger, &c. Hebr. *Dixit piger, pardus in via, & leo inter plateas:* quam lectionem amplectuntur Pagnin. Tigurina, Vatabl. & alij. Caietan. sic habet. *Dixit piger, leunculus est in via, leo inter plateas.* LXX. *Dixit piger missus ad viam, leo in viis, & in plateis sicarij.*

Hæc sententia perquàm similis est illi, quam supra discussi cap. 22. vers. 13. *Dicit piger leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Adi eum locũ. Translationem etiam LXX. ad Primitiua reuocare fas est: nã pro *leæna* in originibus est ארי *Ari.* Succedat igitur memoriæ locus ille ex Psal. 21. vbi Septuaginta sic legerunt. *Foderunt manus meas & pedes meos.* At verò Hebraizantes ita restituendum putant. *Sicut leonis manus meæ,* nam in Primitiuis est כארי. Multi ergo ex interpretibus, vt defendant lectionem Vulgatam, locum illum ab Hebræis ita corruptum asserũt, vt pro כרו *Baru,* id est, *foderũt,* subiecerint *Baari:* mea verò suspicio aliter habet. Non enim puto locum istum tã impudenter ab Hebræis corruptum, vt alteram literam abiecerint, sed pro בארו *Baaru* ab his lectum *Baari* subiecto nimirum *Iod,* loco, *Vau,* Quod dissidium nonnunquàm etiam Vulgatum, & LXX. interpretes dirimere solẽt, ob facilem vnius literæ transitũ in alterã: est autẽ ארו tertia persona pluralis verbi ארה, quod quãuis aliàs apud interpretes perinde sit atque *carpere,* aut, *decerpere,* tamen LXX. (me iudice) *confodiendi,* aut, *configendi* significationem eidẽ inesse putarunt: propterea in eo loco Psalmi legerunt. *Foderunt manus meas,* &c. & ob eandem causam hîc per vocẽ *Ari,* quæ ex ea radice fluit, non *leonem* tantùm, sed etiam *sicarium* à confodiendis cõfigendisque hominibus notari voluerunt. Impulit autem eos in hãc translationem vox חרחבות *Harchaboth,* quæ *plateas* propriè adsignificat: in plateis autẽ meliùs & aptiùs dicuntur timeri sicarij, quàm leones. Psal. 21.

His prælibatis sensus loci est luculentus. Hominis pigri naturam & ingenium describit Salomon, qui, ne ex otio ad negotia prodire cogatur, vanos & inanes sibi terrores vbique fingit. Et quia duplex est actionis & laboris materies, aut agricultura, quæ ruri exercetur, aut negotiatio, quæ in plateis peragitur, quonam modo homo deses, ac piger, ab vtraque absterreatur, aperit Salomon his verbis. *Dicit piger, leo est in via, &c.* id est, si suadeas illi agriculturæ laborẽ, & exercitationem, ita causatur, *In via,* (id est in agris) passim leones immanissimi vagantur qui homines rusticos dilaniare solent. Quod si illum ad fori negotia suscipienda exacuas, ita prætendit: Fora & plateas sæuissimi complent sicarij: atque adeò hic vanissimis terroribus concussus in sua socordia, & desidia domi se continet. 97.

Hunc in locum moralem interpretationem contulit Beda. *Multi,* inquit, *cùm verbum exhortationis audiunt, causantur de diabolo, dicentes velle se quidem viam iustitiæ aggredi, sed impediri à Sathana, ne hanc perficere possint: sicque einsmodi excusationis sermonibus semper in lecto sui corporis, sicut ostium in cardine,* Beda.

vertuntur, &c. Hugo Cardinalis per *leonem* quidem diabolū per *leanam* verò carnis delinimenta & voluptates intelligit, quæ homines desides à via virtutis capessendæ prorsus absterrent, & alij alia his similia.

14. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger, in lectulo suo.*

98. SIcut ostium, &c. Hebr. non dissonant LXX. *Sicut ianua vertitur super cardinem, ita piger super lectulum suum.*

Huius parabolæ sententia perillustris est. Percurrit enim Salomon omnia loca, in quibus actio aliqua, vel labor vtilis suscipi solet; postquàm ergo dixit, virum socordem ad nullam vtilem exercitationem foras, vel in agrum, vel in plateas progredi: addit eundem nullum etiam honestum exercitium domi transigere, sed in lecto otio & inertiæ deditum perinde verti, *sicut ostium in cardine suo.* Huius autem comparationis energiam non vno modo expendunt interpretes: alij enim, in quibus est Rodolphus, & Iansenius, ita commenti sunt, ea similitudine ianuæ in suo cardine conuersæ significari quietem admodùm inquietam, quæ ab homine socorde & inerti capitur, quasi dicat, etiam cùm in lecto suo iacet, *Esta dando mil bueltas en la cama*, & quidem aptè: Nam somnus, & quies tunc solùm suauis & iucunda est, cùm labori & exercitationi succedit: alioqui insuauis & ingrata, iuxta illud Ecclesiast. 5. *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat.* Eccl. 5.

99. Hugo Cardinalis ianuæ in cardine suo conuersæ stridorem obseruandum putauit, significans pigritiæ adiunctam esse stridulam quandam, & submurmurantem detractionem. De qua duorum vitiorum societate diuus Ephrem Parænesi 22. *Piger*, inquit, *assiduè obmurmurat, & seipsum deplorat.* Sed copiosius in libro de virtutibus & vitiis, vbi inter alia sic habet. *Pigritia murmurationi coniunctissima est: Si quò enim piger mittatur, dicit, leo est in via, in medio platearum occidendus sum. Pigro semper ei excusationes in promptu sunt: si quod ei opus agendum iniungitur, obmurmurat, & alios mox etiam peruertit dicens. & quorsum hoc? cur istud vel illud? non expedit, inquiens, istud fieri. Si aliquò mittatur, damnum, inquit, ex illo itinere proueniet. Si ad psalmos decantãdos excitetur, irascitur: Si ad vigilias, stomachi, vel capitis sibi dolores prætexet: si illum admoneas: te ipsum, inquit, admone, de me erit sicut Deo placuerit.* Lege ibi plura. ex quibus agnosces inertis hominis, ceu ianuæ in suo cardine conuersæ, absurdos valde esse sermones, vel potius stridores. D. Ephrem.

100. Ad hæc præscriptus Rodolphus aliter huic comparationi energiam comparat: nam pigrũ propterea foribus in cardine defixis similem enuntiari dicit, quia sicut foras aliis vel ingredientibus, vel ingrediendis ad res agendas cardinibus suis semper hærent: ita etiam piger, quantumuis alios laborare, & exerceri videat, nihilo seciùs iacet, ac torpet: nec exemplis ad laborem excitatur: non displicet.

Addo etiam similitudinem istam aliter expendi posse. Homo piger ianuæ, quæ in cardine suo torquetur, haud dispar dicitur, quia ceu ianua in cardine conuersa, vicissim clauditur, & aperitur: sic etiam piger per vices quasdam vult & non vult, iuxta illud supra explicatum cap. 13. v. 4. *vult & non vult piger*, id est, tunc laborem affectat, nunc detrectat. Hos pigri hominis contrarios valde motus eruditè descripsit Augustin serm 12. de verbis Apostoli, vbi pigritiã cum auaritia in viro socorde confligentẽ inducit. *Habes cum auaritia alterum onus pigritia, & ista duo nequissima onera secumque pugnantia premunt te, & di-* August.

A *laniant te. Non enim paria imperant, non similia iubent. Pigritia dicit, dormi: auaritia dicit, surge: pigritia dicit noli pati frigidos dies, auaritia dicit, tolera in mari etiam tempestates: illa dicit, quiesce, illa non sinit quiescere*, &c. En tibi qua ratione vir iners per vices quasdam, seu ianua in cardine, refer atur & clauditur: vult nimirum, & non vult: laborem appetit, & laborem auertit.

101. Rursus ianua cardini suo affixa, quamuis facilè intra illum moueatur, inde tamen difficilè admodum auellitur. Haud dispar est otiosorum ingenium: de his enim præclarè admodũ Nazianzenus apud Maximum Monachum serm. 46 *Inertia ac dissoluta ingenia tùm ad virtutem, tùm ad vitium similiter remissa, &* B *languida sunt, difficiliaque ad se mouendum, & in neutram partem insigniter inclinant otiosorum momenta.* Gregorium cape. Id enim pigris, & inertibus proprium esse dicit, vt neutram in partem, siue ad bonũ, siue ad malum insigniter pendeant, ideóque vtramque partem illis suadere nõ est difficile. & ad vtramque motus quosdam animi explicant, sed tamen nullam sequuntur, quia ab otiosa vita abstrahi, auellique non possunt: atque adeò ianuis similes videntur, quæ, quia cardinibus immersæ nullam in partem insigniter decumbunt, facilè hâc illâc impelluntur, sed à cardine suo emoueri, excludique non possunt. Maxim.

Denique aliqui ex hoc loco quæ sit pigritiæ, atque otij natura aucupantur: Omnes enim, inquiunt, qui C quamuis aliqua ratione sese exerceant, & actitent, tamen vlterius non promouentur, nec proficiunt: otiosi pigrique dicendi sunt, quia ianuam imitantur, quæ licèt impulsa moueatur, tamen intra eundem cardinem vertitur.

15. *Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat si ad os suum illam conuerterit.*

ABscondit piger, &c. Hęc sententia iisdem fermè verbis occurrit supra c. 19. v. 24. atque adeò quæ ibi diximus hunc in locum transferenda sunt.

D 16. *Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.*

102. SApientior, &c. Hebraïca ad verbum. *Sapientior piger in oculis suis, quàm septem efferentes iudicium exactum.* Vatabl. *Quam septem qui sententias respondent.* Caietan. *Septem qui reddentibus causam.* Chald. *Quàm septem reddentes rationem.* Sept. paulò aliter. *Sapientior sibi piger videtur eo, qui in saturitate refert nuntium.* Symmach. ad Vulgatam lectionem propiùs accedit. Subest hîc vox טעם Taghã, ex germana radice, quæ significat *gustare*, aut, *per gustum discernere*: Ideò assumitur hæc vox ad signi- E ficandã quamcũque discernendi, aut diiudicãdi vim, vel quodcumque iudicium exactum, aut quamlibet sententiam vel sermonem salsum, lepidum, & iucundum. Hinc etiam factus locus translationi lxx. de qua ad calcem aliquid dicemus.

Non vna huius loci interpretatio occurrit. Sunt qui existiment, Salomonem pigro homini scurrilitatem obiicere: nam cùm prænorent per vocem illam *tagham* facetam, lepidamque sententiam significari, ita restituunt. *Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus facetias.* Quasi dicat: pigritiæ scurrilitas semper adiuncta est: nam ferè ita hominũ ingenia ferunt, vt qui nihil operis peragunt, multùm loquãtur, vnde ita cauetur supra. *Ne sis lingua celeri, & in operibus languidus, ac remissus.* De qua sententia, quæ ex-

trausla

translatione LXX. desumpta est, iam inde non perfunctoriè diximus. Accinit Bernard. in altero ex paruis sermonibus. *Otiosa vita mater est nugarũ, & nouerca virtutum.* Ergo sic ait, Homo iners aque adeò iocis, ac nugis impensè gaudens, dum facetias suas, & lepores serit, sibi sapientior atque eruditior videtur, quàm septem, id est, plures alij facetissimè, ac lepidissimè loquentes. Itaque Salomonem eò spectasse putant, vt doceat pigri, & otiosi hominis proprium esse ob scurrilitatem efferri, de qua potius pudere, & erubescere deberet. Cæterum friget (ni fallor) hæc expositio.

103. Alij ergo sincerius locum istum exponunt ad hunc modum. *Sapientior sibi piger videtur*, &c. id est, ne ipsi opus sit labore, & industria sua ad sapientiam parandam incumbere, & otium suum perturbare, hoc sibi persuadet piger, reliquos homines sapientia, & rerum cognitione sibi inferiores esse. Nam cùm nihil sit, quod hominem ad agendum & laborandum magis exacuat, quàm studium sapientiæ: vir socordiæ deditus, vti hunc aculeum obtundat, nullam sibi sapientiæ partem deesse apud se cogitat. Hæc interpretatio placet plerisque. mihi tamen ex eo displicet, quia non exprimit vim extremæ clausulæ, *septem viris loquentibus sententias.*

104. Quapropter alij melius & aptius ita edisserũt. *Sapientior sibi piger videtur septem viris*, &c. idest, vir pigritia atque desidia solutus in hoc ipso, quod vitam otiosam, & inertem negotiosæ, & actuosæ præfert, sapientiorem, ac prudentiorem se reputat, quàm omnes illi, quotquot multo labore, & industria ad summum doctrinæ, & eruditionis fastigium peruenerunt, quasi dicat: Tanto odio laborem prosequitur, vt stultum esse ducat; ad sapientiam comparandam laborem & industriam impendere: contra verò labori non parcere inertiæ, & socordiæ sese dedere sapientiæ maximè tribuat. Et sanè nihil magis sapientiæ aduersarium est, quàm otium, & inertia. Hûc spectat illa Philonis sententia apud Maximum Monachum serm. 46. (Maxim.) *Continuata exercitatio scientiam efficit firmam, & inscitiam nulla exercitatio adhibita: innumerabilesque, neglecta exercitatione, robur etiam naturale mentis eneruauerunt.* Nihil etiam magis otio contrarium quàm sapientia, (August.) Augustin. sermone 70. de tempore. *Nullus est*, inquit, *piger in domo sapientis.* idest, omnis pigritia ab illius domo exulat. Loquitur autem Augustinus de domo Abraham: illudque obseruatione dignum ducit, quod tribus Angelis ad illam diuertentibus (Genes. 19.) Genes. 19. omnes impigrè egerunt: nam Abraham cucurrit obuiam: Sara festinanter coxit panes: puer etiam accelerauit. Hæc autem impigra, & sedula Abrahami diligentia in causa fuit, inquit Augustinus, vt cùm ad domum Loth reuisendam duo tantùm Angeli descendissent, ad domum Abrahæ tres diuerterint Trinitatis mysterium in se exprimentes: Quamuis enim vterque hospitalitatẽ exercuit, sed nõ pari solicitudine, ac diligentia: nam in domo Abrahæ omnia hospitalitatis officia ocyssimè peracta sunt, in domo autem Loth impar fuit celeritas: ideò inæqualis Dei cognitio. Hæc Augustinus. Iam intelligis Salomonem: Qui pigrum & inertem hominem vsque adeò decipi ait, vt quamuis nihil sit sapientiæ, & doctrinæ magis contrarium quàm otium, & desidia tamen sapientiam in otio, atque desidia ipse ponat. Cęterùm ista quoque interpretatio, quam præferunt Iansen. Rodolphus, & alij non pauci, mihi etiam nequaquàm probatur, quia extremæ clausulæ vim etiam non exhaurit.

Ego igitur per *septem viros loquentes sententias*, vel, vt alij conuertunt, *loquentes iudicium exactum.* Iudicum consessum intelligo causas pro tribunali examinantium, & sententias ferentium: sensum autem loci sic conformandum puto. *Sapienter sibi piger videtur*, &c. id est, homo iners sedẽtariam & otiosam vitam agens, discutiendis, ac diiudicandis aliorum actionibus totus vacat, ac de singulorum factis certius se decernere ac definire putat, quàm magnus aliquis iudicum consessus ad sententias dicendas collectus. Et quidem hoc pigrorum, atque otiosorum proprium, germanumque vitium est, cùm nihil ipsi agant aliorum acta recensere, iudicare, & exquirere. Hinc Paulus ad Thessalonicenses 2. cap. 3. (1 ad Thes. 3.) *Audiuimus*, ait, *inter vos quosdam ambulare inquietè nihil operantes, sed curiosè agentes.* Quem locum sic extulit Maximus (Maxim.) Monachus in sermone 46. *Nihil operis ipsi facientes, sed in aliena operatione curiosè inquirentes.* Theophylactus (Theophil.) in hunc locum. *Eorum qui nihil agunt, proprium est alienas sciscitari vitas.* Valdè compertum est hoc otiosorum vitium, in quod aliàs inuecti sumus.

De translatione LXX. aliud iudicium est, quæ sic 105. habet. *Sapientior sibi piger videtur eo, qui in saturitate refert nuntium.* Huius trãslationis sensus obscurior est. Extrema verba Græc. sic habent τοῦ ἐν πλησμονῇ ἀποκομίζοντος ἀγγελίαν obscuritas huius loci me cõpulit, vt crederem nomen illud ἀγγελίαν, fluere ex ἀγγελίη: quæ vox non modò *nuntium*, sed etiam *saltationem* sub epulas factam adsignificat, vt tradit Pollux, & alij Græcæ linguæ periti, quæ significatio non longè abit ab eo vocubulo טעם *Tagham*, quod ad radicem refertur, quæ significat *gustare*, & *comedere*, atque adeò quodcumque solatium post epulas acceptum notare potest. Iam intelligis quò tendam, otium atque pigritia inopiam & famem adsportare solent, vt sæpè aliàs Salomon in hoc libro: nunc ergo sic ait. *Sapientior sibi piger videtur eo, qui in saturitate* (liceat sic restituere) *refert tripudiũ.* Idest, vir otiosus & iners, tantoperè amat pigritiam suam vt, quamtumuis pauper, & famelicus, tamen seipsum sapientiorem magis reputet, quàm eos qui post epulas saturi & expleti ouant, gestiunt, & tripudiant, id est, seipsum prudentiorem æstimat in hoc, quod pigritiæ deditus famem sustinet, quàm eos, qui laboribus sese impendentes cibos largiores conquirunt, quibus expleti seriò gaudent. Nisi malis alium sensum illis verbis subesse ad hunc modum. Piger otio solutus suo plus sibi sapere videtur, quàm viator, qui perferendis referendisque nuntiis victitat. Quasi dicat, Mauult indigere, atque esurire nihil agens, quàm alteri inseruiens, (*Zendo-zuini endo con recandos*) saturari, & implere.

---

17. *Sicut qui apprehendit auribus canem: sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.*

106. S*Icut qui apprehendit*, &c. Hebr. *Apprehendens aures canis, sic transiens, & se ingerens transeundo super litem nõ suam.* Pagnin. conuertit. *Sic qui transit, & irascitur in lite non sua.* Caietan. *Sic transiens & excandescens in lite non sibi.* Tigurina. *Qui transiens liti se ingerit, quæ sua nihil refert.* Chad. *Sic ille, qui contendit in causa, quæ non est sua.* Sept. *Sicut qui tenet caudam canis, sic ille, qui præsidet alieno iurgio.* Omnes istę lectiones in vnam recidunt.

Beda, & Hugo singularem interpretationem amplectũtur. Audi Bedam. (Beda.) *Quicumque duplex sensu est, si duobus inter se litigantibus mordaci sermone capta fuerit auricula eius, citò incipit & ipse, quasi canis, latrare, & contentiones generare.* Itaque ea verba, *qui tenet auribus canem*, ita illi accommodat, qui alienis iurgiis sese admiscet, vt illum cum cane ipso, cuius aures tenentur, comparatum putet, non verò cum eo, qui canis aures

premit: hoc modo. Quicunque in alienas contentiones sese iactat, similis est cani, cuius aures pressius tenentur, quia ita ferè contingit, vt ab his, qui contendunt hinc, & inde probris, & cõuitiis aures ipsius vellicentur atque adeò, canis in morem, vicissim latrare, imò & mordere cogatur. Huic expositioni subseruiunt illa verba, *sic qui transit impatiens*, &c. quæ, Hugo. vt docet Hugo Cardinalis, hoc videntur innuere, nempè alios concordare, & paci reddere mitissimi, ac placidissimi alicuius hominis esse, non autem eius, qui cõtumeliarum & iniuriarum impatiens est. *Nam qui ita* (inquit) *impatiens est contumeliæ, si vexantes velit mitigare, audiet dura verba, quæ non possit sustinere, & sicut canis incipiet latrare cum aliis.* Chrysost. Diuus Chrysostomus in homilia de mansuetudine tomo 5. postquam pluribus docuit mansuetos homines ad discordes paci restituendos magnam vim habere, ita demum attexit. *At qui facilè in iram erumpit, ridiculus apparebit, si quando exasperatos alios placare attentet.* Rationem verò paulò post subdit. *Nam vir iracundus communis est hostis, & ciuium & peregrinorum: quamuis leuissimè læsus clamat, vociferatur, plagas occurrẽtibus intentat, dicenda, & non dicenda loquitur, aspectu toruo, inflata facie, lingua rabida*, &c. Hæc sanè omnia canina sunt.

107. Reliqui interpretes eum, qui in iurgia & contentiones alienas sese ingerit, non quidem cum *cane*, cuius aures tenentur, sed cum eo potius, qui canis aures premit, à Salomone collatum volunt: tùm quia ita suadet ipsa verborum structura, quæ ægrè in superiorem sensum compellitur: tùm etiam quia sic comparatio ipsa accommodatior apparet. Sed tamen iuxta hanc comparationis acceptionem non vna huius loci interpretatio occurrit. Sunt qui hanc sacram parœmiam cum prophano illo adagio conferendam putant. Terent. *Lupum auribus teneo*: de quo sic Terentius in Phormione. *Quod aiunt, auribus teneo lupum: nam neque quomodo à me emittam inuenio, nec vti retineam scio.* Lege Adagiographum: nota enim est vis prouerbij, quod de illis enuntiari solet, qui negotium aliquod suscipiunt, quod neque relinquere integrum, neque sine magno discrimine peragere fas est. Simili modo de hac Salomonis sententia decernunt. *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiẽs, ac commiscetur rixæ alterius*, id est, qui duos inter rixantes medium se iactat, vt illos placare possit, similis est ei, qui canem auribus tenet, quia inter vtrumque positus, si alteri adfauere se ostendat, alterum in se concitat: si neutri, vtrumque sibi hostem consciscit: si vtrique æqualiter auxiliari curet, neutrum lucratur. Itaque Salomon difficultatem insinuat, quæ in componendis aliorum iurgiis versatur: atque adeò, rem istam nequaquàm temerè, & inconsultè suscipiendam esse ostendit. Non displicet: sed, vt dicam quod sentio, non admodùm placet: quia non credo Salomonem à conciliandis, pacandisque discordibus dehortari, cùm res ista cùm primis pia, honesta, ac Deo pergrata sit, propter quam grauiori alicui discrimini sese obiicere probis viris nonnunquam licet.

108. Ego igitur aliter decerno. Et quidem Salomon, (ni fallor) non agit de his, qui inter dimicantiũ gladios sese iactant, vt eorum pugnas dirimant, sed de his tantùm, qui rixantes non aliter quàm verbis, & cohortationibus pacare, ac mitigare volunt: suadet autem ne illos, qui læsi sunt, tunc cùm ira exæstuat, & ad vindictam feruet, subitò ad mansuetudinem adhortari, & verbis traducere velimus: sed subinde expectare iubet, vsque dum furor desæuiat, vt rationibus & exhortationibus acquiescat. Itaque sic ait. *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.* (Per eum qui transit impatiens, non quidem iniuriarum aut contũmeliarum sed moræ potius impatientem accipere debemus, id est, non sustinentem moras, non expectantem, nec differentem.) Suadet hoc lectio originalis, quã nuper dedimus *Sic trãsiens, & se ingerens transeũdo super litem non suam.* Illud. n. *trãsiens transeundo* velocitatem, & celeritatem transeuntis notat iuxta solemnem Hæbræorum loquendi modum. Quasi dicat: is, qui ocyus calente iracundia non expectato opportuniori tèmpore rixantem quempiam verbis compescere, ac coërcere tentat, similis est ei, qui canem iratum, & sæuũ auribus tenet: nã sicut canis iste sæuiens ad eius, qui aures cõprimit, manus demordẽdas cõuerti solet: ita homo iracundia percitus in eũ, qui ipsum calente rixà verbis coercere tentauerit, furere solet. Sed pendenda est energia huius comparationis. Imprimis similitudo ducitur ab eo, qui canis sæuientis aures apprehendit, aut compescit: quæ aurium compressio, quãcumque correptionem, persuasionem, & exhortationem auribus immissam accommodatissimè notat. Plutarch. Simile quid censuit Plutarch. in præceptis ciuilibus de simili illa parœmia, *lupum auribus teneo.* Sic enim scribit. *Aiunt, lupum non posse teneri auribus, cum homines hac parte maximè ducantur, nimirum persuasione.* Deinde experiẽtia constat, canibus aures vel leuiter compressas, aut vellicatas acerbius dolere: sed tùm maximè cùm rixantur: nam per id tempus, vt ait Rodolphus, illæ partes nimium rigent, atque adeò illas minimè attrectari sinũt. Sensus inde illustrior redditur, quatenus hæc similitudo innuit homines, similem admodum tunc cùm feruent iurgia, & contentiones, non esse commonendos, aut corripiendos: tunc enim (liceat sic dicere) aures eorum rigent & intractabiles sunt.

Rursus id, quod ait Salomon. *Et commiscetur rixæ alterius:* vel vt alij conuertunt, *rixæ alienæ*, suadet etiam, vt credeamus similitudinem desumptam esse à cane alieno. Nota enim est canum mititas in domesticos, & notos, eorundemque sæuitia, furorque in alienos: itaque sensus erit: qui alienum hominem nec subditum nec amicum rixa feruente verbis compescere vult, similis est illi, qui canem alienum, & peregrinum compressis auribus continere tentat: sicut enim canis iste in tenẽtem, & alioqui ignotum conuersus illum demordet, sic etiam vir ille in alienum hominem, qui ipsum verbis comprimere, aut coërcere voluerit, furorem suum effundere consueuit. Itaque Salomõ in hoc loco duo correptionis, aut commonitionis propria vitia, si videlicet impatienter non expectato tempore, antequam deferueat contentio & furor, exhibeatur, si etiam ab alieno præstatur, ab eo nimirum, ad quem nec ex amicitia, nec ex cognatione, nec præfectura, nec vllo alio nomine id pertinet: vtrumque. n. exhortationem, seu correptionem nimis acerbam reddit, & virum correptum commone factumque non secus in eum concitat, qui ipsum corripuit, ac commonefecit, quàm auricularum compressio, & vellicatio canem alienum lacessit, & in furorem adigit. 109.

Eundem sensum reddit translatio Septuaginta. *Sicut qui tenet caudã canis, sic ille, qui præsidet alieno iurgio.* Canis enim cauda correptus, aut compressus, in eum couerti solet, qui ipsum corripuit aut compressit: sententia autem sic conformanda est. Quemadmodum si quis canem alienum rixantem cauda apprehensum à rixa reuellere contendat, eundem in se concitat; ita etiam qui hominẽ iracundia percitum calente rixa continere ac cõpescere tẽtat, illius dẽtes, ac morsus in se prouocat. Et sanè lxx. *caudam* hic argutè vsurparũt, in canibus enim, vt aliàs ex Plinio animaduerti, cauda præcipuarum affectioum index est, nã ex 110.

beneuo

beneuolentia erga dominos suos cauda adulantur & adludunt: irati verò & prouocati caudam attollunt, & in sublime erigunt, metu perculsi caudam inter crura implicant, & aliàs aliter caudam mouent. Dum ergo Salomon iracundi, & in prælium ruentis hominis, seu canis cuiuspiam, caudam tenere, vel attingere prohibet, id certè monet tunc, cùm ira exæstuat, eiusmodi hominem nec gratia, & beneuolentia mulceri, nec correptionibus coërceri, nec minis intẽtatis metu percelli debere: quidquid enim tunc siue in illum, siue pro illo tentatur, non lenit, sed magis prouocat, & prorritat.

18. *Sicut noxius est, qui mittit sagittas, & lanceas in mortem.*

19. *Ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo, & cùm fuerit deprehensus, dicit, ludens feci.*

111. *Sicut noxius*, &c. Hebr. ad verbum sic habent. *Sicut abscondit se iaciens scintillas, sagittas, & mortem, sic vir fraudauit socium suum, & dicit, Nonne ridens ego?* Tigurin. *Et qui sese fatigat iaciendo flammas, tale lethalia*, &c. alij etiam conuertunt, *sicut insaniens iaciens*, &c. Chaldæus. *Sicut ille, qui fraudulenter decipit amicum suum, & dicit, ludens ludebam.* Tota hæc lectionum diuersitas pendet ex voce illa primitiua מתלהלה *Mithlehleeh*, quam Hebr. referunt ad radicem חלה, de cuius significatione parum constans est apud interpretes sententia: Aliis enim est *insanire*, aliis *fatigari*, & *laborare*, aliis *nocere*, aliis *sese abscondere*, ac celare, aliis *festinare*. Longissimè ab aliis interpretibus abeunt LXX. qui locum istum sic extulerunt. *Sicut qui curantur proiiciunt verba in homines, qui autem occurrit verbo primus supplantabitur: sic omnes, qui insidiatur suis amicis: cum autem visi fuerint, dicunt, Quia ludens feci.* Sed de horum verborum potestate infra dicemus.

Rodolph. Huius loci non vna interpretatio occurrit, altera est Rodelphi, qui expẽdẽs illa extrema verba, *ludens feci*, prouerbium in eos intorqueri dicit, qui cùm proximus grauissima intulerint mala, rident nihilominus, ac gestiunt, hoc sensu. *Sicut noxius est, qui mittit sagittas, & lanceas in mortem*, &c. id est, sicut is, qui postquàm iactis sagittis, seu lanceis, hostem confixit, lætatur ac gestit, manifestè declarat hostilem animum: sic etiam, qui postquàm damnum intulit amico suo, iocatur, ac ridet, non potest amplius amicitiam, & gratiam simulare: nam risus ille hostilem animum prodit, ac retegit. Cæterùm hæc expositio vim non modicam infert verbis.

112. Idem ergo Rodolphus, cui hæret Iansenius, præfatam sententiam accommodatiori alio sensu donat. *Sicut noxius est qui mittit sagitas, & lanceas in mortem*, &c. id est, Quemadmodum ille, qui sagitas & lanceas eminus iaculatur, perniciosior est quàm is, qui cominus gladio confligit: quia sagitta, vel lancea à longè contorta improuidum, nec opinantem confodere solet: gladius verò eius, qui cominus confligit, conspicitur, atque adeò eius ictus arte aliqua vitari, & eludi potest: Ita etiam damnum ab eo illatum qui amicitiam simulat, & hostilem animum claudit, primò quidem declinari non potest, quia non præuidetur: deinde etiam tale est hoc damnum, vt possit is, qui dedit, ita causari, quod nimirùm non serio, sed per iocum, non ex praua intentione, sed bono ex animo egerit, & alia etiam obtendere, quibus apud eum sese purget, quem læsit, & omnem vlciscendæ iniuriæ ansam illi eripiat. Secùs verò cùm aduersarius aliquis manifestus, & hostis publicus læsor est: hunc enim, aut cognitum, & præuisum vitare, aut damna dantem auertere licet. Itaque Salomon in hoc id sibi vult, eos qui hostilem animum sub quadam amicitiæ specie, ac simulatione contegunt, apertis, ac proclamatis hostibus deteriores esse.

Et quidem Salomonis mentem eam esse non inficior: tamen (ni fallor) similitudo aliter conformari debet vt aptè cadat. *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem*, vel vt alij conuertunt *Sicut abscondit se iaciens flammas, & sagittas in mortem.* In primis ergo pro *sagittis* subest זקים *Zikim*, quam vocem alij trahunt ex radice זקק *Zakak* atque adeò *vincula* restituunt: alij ex radice זיק *Zik*, qui *flammas*, aut *scintillas*, reddunt: noster interpres, *sagittas*, conuertit: loquitur autẽ (ni fallor) de igneis sagittis, aut de missilibus facibus, quarum perfrequens vsus apud antiquos: Audi Iustum Lipsium in Polier. lib. 5. Dialogo 5. & 6. vbi pleraque ignitorum telorum genera cogit. Pro *lanceis*, subiicitur, חצים *Chitsim*, significat etiam hæc vox iaculorum aliquod genus: sed & lancea inter missilia censetur: Inde Diuus Isidorus lanceæ etymologiam sic contexuit. *Lancea inde dicta, quia æqua lance, idest, æquabili amento ponderata vibratur.* Et Lucanus sic ait. 113.

Lipsius.

Isidor.

Lucan.

Cuius torta manu commisit lancea bellum.

Mitto alia. Atque illud præterea subiicio, tunc cùm bellum eminus iaculatis ignibus, aut telis contortis gerebatur, ad propulsandos missilium ictus aliqua vtrinque munimenta compingi solebat, sub quibus iaculatores, ac sagittarij tuti laterant. Hæc sunt in vrbibus quidem propugnacula, aut mœnia, in castris verò valli, crates, & vineæ. Accipe etiam Ammiani verba in libr. 20. vbi speciale quoddam munimenti genus ad missilia propulsanda commemorat. *Tunc*, inquit, *defensores animo præstantes, & viribus per propugnacula ciliciis vndique laxius sparsis, quæ telorum impetus cohiberent, obiectis scutis, vimine firmissimo tectis, & crudorum tergorum densitate vestitis validissimè resistebant.* Cruda autem boum tergora adhibebantur contra ignes, & ignita iacula. Meminit etiam Vegetius ciliciorum libr. 4 cap 6. *Deinde*, ait, *propugnacula duplicia, saga, ciliciaque tenduntur, quæ impetum excipiunt sagittarum: nec enim facilè transeunt spicula, quod cedit, ac fluitat.* Commemorat etiam Iulius Cæsar de bello ciuili libr. 2. aliud propugnaculi genus ad sagittarios tegẽdos, scilicet, *storeas ex funibus anchorarijs tres, in longitudinem parietum turris latas quatuor pedes fecerunt, easque ex tribus partibus, quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum, turri præpendentes religauerunt, quod vnum genus tegumenti aliis locis erant experti, nullo telo, neque tormento traiici posse.*

Ammian.

Vegetius.

Cæsar.

His præiactis Salomonis sensus in promptu est. *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem.* Vel, vt alij conuertunt, *Sicut abscondit se iaciens flammas, & lanceas in mortem*, id est, sicut miles sagittarius, aut incendiarius, qui tela, vel flammas iaculatur in hostem, vt ipsum configat vel incendat, post munimenta, & propugnacula, videlicet post mœniana, vineas, cilicia, & storeas sese occulit, vt inde in aduersarium iacula sua dirigere possit, & ab aduersarij iaculis tutus sit; Ita etiam accidit illis, qui sub fallaci quadam amicitiæ specie hostilem animum contegunt; nam cùm sæpius his, quorum se amicos simulant, mortiferas infligant plagas, sub fallaci illo beneuolentiæ, & gratiæ specimine quod prætendunt, sese abscondunt, & illo protecti proximos suos impunè lædunt, & cum grauissima illis mala inferant, ipsi quidem illæsi manent. Hunc ad sensum allicienda est translatio Vulgata. *Sicut noxius est qui mittit sagittas*, &c. id est, quemadmodum sagittarius è propugnaculis tela contorquens illæsus nocet; *ita vir, qui fraudulenter nocet* 114.

cet amico suo. dum scilicet amicitiæ prætextu illi nocumenta infert. Audiendus est Seneca in lib. de prouidentia. *Nullæ, inquit, sunt occultiores insidiæ, quàm hæ, quæ latent in simulatione officij; nam eum, qui palàm est aduersarius facilè vitare possis, & Troianos equus ideò fefellit, quia formam misericordiæ mentitus est.* Et Boëtius in lib. de consolatione. *Nulla pestis est efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Nec omittendus est Demonactes apud Antonium Monachum in Melissa. *Pauciora (ait) mala contingunt hominibus ab inimicis, quàm ab amicis; inimicos enim cùm metuant, ab eis cauent; amici verò aperti sunt; vnde periculis exponuntur, & insidijs ipsorum facilè capiuntur.* Iam vides quonam modo homo sincerus cum simulato & ficto amico sese gerat; ille quidem huius ictibus detectus omnino, & apertus est: hic verò, vt tutius lædat, ex occulto iaculatur. Subdit Salomon.

Boëtius. *Antonius.*

115. *Et cùm fuerit deprehensus, dicit, Ludens feci.* Verba sunt luculenta. Aliqui docent, superius hemistychium, *ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo,* ad versum 18. spectare; hæc autem verba, *& cùm fuerit deprehensus,* &c. versum 19. complere; quapropter ita volunt de amico simulato accipi debere, vt nouam sententiam à superiori omnino diuersam cohibeat. Sed tamen hæc conceptio vix sensum euariat. Vrget ergo Salomon superiorem sententiam. Amicus, inquit, fictus ita proximo plagam infligit, vt tamen, quoad fieri possit, latere curet, vt se damni dati auctorem abnegare valeat; quod si aliquando deprehensus fuerit, ita vt factum excusare non possit, intentionem excusat dicens, *ludens feci.* id est, non seriò, & ex animo nocui, sed per lusum, & iocum. Alij vertendum putant, *Lusus feci.* deceptus nimirum egi, atque adeò errorem circa personam, vel circa factum prætendit, & ad hunc modum sese munit, ac velut sagittarius ex munitissimis propugnaculis tutus ac protectus apertum, ac detectum hostem configit.

116. Translatio LXX sic habet. *Sicut, qui curantur, projiciunt verba in homines: qui autem occurrit verbo, primus supplantabitur; sic omnes, qui insidiantur suis amicis, cum autem visi fuerint, dicunt; quia ludens feci.* Quæ verba ab originibus longius abire videntur, & cum Vulgatis non concinunt; ac demùm specie tenùs difficiles explicatus habent; sed (quantum coniecturâ assequi possum) similitudinem petit Salomon ab ægro, quem febris ad insaniam & amentiam compulit, atque adeò ista lectio (ni fallor) cohæret cum illa, quam in fronte præscripsimus. *Sicut insaniens iaciens faces & sagittas.* Nam LXX sagittas, & flammas, seu faces figuratè accepisse videntur pro verbis asperis, & molestis, & per viros insanientes eos intellexerunt, qui ex morbo, & febri ad vesaniam adducti sunt: sensus autem sic habet; sicut illi, qui ex febri dementes & phrenetici sunt, dùm curantur, probrosis, molestis, asperisque verbis medicos proscindere, & eos, qui illis ad eum modum insanientibus respondent grauioribus iniurijs onerare solēt; sic fallaces, sic ficti amici, cum his agunt, quorum se familiares simulant. Comparatio verò sic aptanda est. Quemadmodum phrenetici probra & maledicta in medicos iacientes, aliquando etiam pugnis, & calcibus eosdem ferientes propterea impunè ferunt, quia id non ex animo nocendi, sed ex vesania quadam, & præter intentionem facere existimantur; ad eundem modum fallaces amici, quamuis pleraq; dura, & valde aspera in familiares suos committant, veniâ digni censentur, quia non ex animi sententia, sed ex errore, & ignoratione nocere putantur. Quod si aliquando deprehenduntur, ita vt errorem, & ignorationem prætendere non possint, addunt se per lusum, & iocum rem egisse, atque adeò damni dati aliqua excusatio illis nunquàm non suppetit. Itaque Salomon fictos amicos summo studio cauendos esse docet, quia impunè lædunt, atque adeò audentiores ad lædendum, nocendumque efficiuntur.

20. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone sublato iurgia conquiescent.*

117. Cùm defecerint ligna, &c. Hebr. *In consumptione lignorum extinguetur ignis, & in non susurrone silebit contentio.* Pro *susurrone* subest נרגן *Nirgam*, ex radice *Ragam*, cuius vocis vis latiùs patet; nam *susurronem, delatorem, murmuratorem, detractorem,* & omnem illum notat, qui verbis dissidia & discordias fouet. LXX *In multis lignis germinat ignis; vbi autem non est dissentiens, quiescit rixa.* Symmachus non discedit à Vulgata lectione. In scholiis etiā Vaticanis eiusmodi translatio subscribitur. *Vbi non est ὀξύθυμος,* id est, *cerebrosus, iracundus,* &c. nec non etiam illa. *Vbi autem est furor, silebit pugna.* Tigurina. *Cessant occasiones contentionum.*

Huius loci perspicua est sententia adeò vt vix interpretatione indigeat. Docet enim Salomon, murmurationes, detractiones, & susurria, non aliter iras, & rixas alere, quàm ligna ignem, atque adeò illis additis inflammari, eisdem verò sublatis consopiri, discordias. Iracundia enim ignem imitatur, vt sæpè aliàs in hoc libro Salomon, ignis verò pabulo indiget: sicut ergo ignis proprium, & naturale pabulum ligna sunt, ita etiam iræ maximè proprium & germanum alimentum, fomentumque sunt verba detractorum, & susurronum. Accinit illud Ecclesiastici 8. *Non litiges cum homine linguato, & non struas in ignem illius ligna.* Ita fert communis interpretatio. *Eccles. 8.*

Sunt qui lectionem originalem alium ad sensum allici posse affirmant hoc modo. *In consumptione lignorum extinguetur ignis, & in nō susurrone silebit contentio.* id est, quemadmodum consumptis lignis flamma consopitur; ita etiam sublatis de medio, ac deletis susurronibus, rixæ & contentiones pacantur. Itaque volunt id à Salomone suaderi, vt nimirum susurrones ac detractores, si fieri possit, ceu ligna igni tradita, & in cineres soluta consumantur, & aboleantur. Sed tamen hæc expositio coacta videtur.

118. Translatio LXX. alium sensum reddit. *In multis lignis germinat ignis, vbi autem non est dissentiens quiescit rixa.* Vulgata lectio procedit à simili; hæc verò à dissimili ducta est hoc modo. Cùm multa igni subduntur ligna, magis ac magis inflammatur, & inardescit: nam illud *germinat,* idem est quod surgit, & sese attollit. *Vbi autem non est dissentiens.* (Per dissentientem non intelligo discordantem, & dissidentem, sic enim perit energia huius sententiæ: insulsum enim esset ita dicere, *Vbi nullus est discordans, nulla est contentio.*) Nisi velis sensum ita conformare; Cùm è duobus alter non est dissidens aut discordans, omnis contentio, & controuersia cessat. Concinit enim hæc sententia cum peruulgato apud nostrates prouerbio. *Adonde vno no quiere, dos vn barajan.* id est, si è duobus alter contendere & rixari nolit, quantumuis alter rixari & altercari velit, contentioni locus non est; id enim perinde est ac si igni ligna detrahas. Itaque Salomonem sic capio: sicut ignis, ni adsint ligna quæ corripiat & incendat, ocyùs extinguitur; ita etiam vnius hominis ira nisi prestò sit alter, qui contra hunc conetur, & suis dissidiis, seu lignis, ignem alat & foueat, quàm citissimè interit.

Aliter verò longè melius per *dissentientem* diuersa ac disparia sentientem interpretari licet, hoc sensu. *Vbi non est dissentiens, quiescit rixa.* Id est, vbicumque

vna

vna est omnium sententia, ita vt nullus sit, qui diuersa & discrepantia mente sentiat, omnis cessat rixa, & discordia: nam fermè omnes rixæ, & contentiones ex differentia sentētiarū promanant, mentiumque dissidia, voluntates, & amicos semper distrahunt. Ea propter Paulus 2. ad Corinth. 13. ita suadet. *Idem sapite, pacem habete* (nam sententiarum concordia pacem efficit) *& Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Et ad Romanos 15. *Deus autem patientiæ & solatij det vobis id ipsum sapere in alterutrum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum,* &c. Et ad Philippenses 3. *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Et subinde. *Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.* id est; Quia fides Christi eò nos adduxit, vt eadem omnes sapiamus, nec diuersis distrahamur sententiis, vel doctrinis, hinc factum, vt eadē nos regula admetiri possit, vt nimirùm eadem præcepta atque eædem leges nos omnes contineant; sicut enim vna eademque regula extendi non potest, nisi super res æquales, & sibi cohærentes; ita etiam eadem lex his tantùm imponi potest, qui idem sapiūt, & idem sentiunt. Similitudo autem ignis atque lignorum huic interpretationi sic aptatur. *In multis lignis germinat ignis; vbi autem non est dissentiens, quiescit,* vel *silet rixa.* id est, Quemadmodū cùm multa ligna collecta sunt, facilè admodum est, vt ab igne correpta magnum incendium efficiant; ita etiam cùm plures homines vnum in cœtum congregati ac collecti sūt, facile similiter, ac promptum est, vt aliquā simultate sobortā ingentes discordias concipiant, & sibi mutuò bella moueant. Cæterùm si in eo cœtu, & conuentu hominum non sit dissentiens, id est, nulla sit sententiarum diuersitas, sed omnes eadem sapiant, ac sentiant, discordiæ, & rixæ procul absunt; nam sententiarum diuersitas communitates distrahit, & ad seditiones plerumque concitat.

Non est prætereunda etiam illa lectio, *Vbi non est* ἐξύθυμος, *quiescit rixa*; significat autem id nominis virum *cerebrosum*, id est, ad irascendum facilem & præcipitem. Itaque docet Salomon, ingentes rixas & contentiones ex subitis motibus plerumque oriri, atque adeò vbi non sunt homines, qui subitò commouentur, & iracundia agitantur, nullæ excitantur discordiæ.

21. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem; sic homo iracundus excitat rixas.*

110. SIcut carbones, &c. Hebræa ad verbum sic habent. *Carbo ad prunas, & ligna ad ignem, & vir contentionum ad succendendam litem,* LXX. *Craticula carbonibus & ligna igni, vir autem maledicus ad tumultum rixæ.* Sic Hieronymus contra Ruffinum. Aquila. *Vir autem susurro.* Symmachus. *Vir dolosus.* Theodot. *Vir murmurator.* In primitiuis Subest איש מדינים *Ismidianim*, ex radice דין *dun*, quæ significat *litigare*, & *pronuntiare*. Itaque sic restitui debet: *Vir contentionum*, seu, *vir verbosus.* Hinc natæ suprascriptæ translationes.

Sententia huius loci est admodùm perspicua. *Sicut carbones ad prunas*, &c. id est; quemadmodum carbones ocyùs concipiunt ignem & in prunas vertuntur, & sicut ligna arentia celeriùs flammam arripiunt; sic homo biliosus, & stomachabundus celeriter irascitur, & pugnas rixasque ob leuissimas causas excitat.

111. Septuaginta interpretes sic extulerunt. *Craticula carbonibus, & ligna igni, vir autem maledicus ad tumultum rixæ.* id idest, Quemadmodum ferrea craticula subiectis carbonibus ignita tangentis manus calore suo adurit, & fuligine suā inficit; ita etiam vir ad maledicta, & probra iacienda petulans, cum ipso conuersantes homines vrit, ad iracundiam prouitat, atque conuitiis suis identidem polluit, & notas dedecoris illis affingit. Aliter etiam comparatio conformari potest ad hunc modum. Sicut craticula carbonibus imposita ab eisdem non solùm ignitur, sed etiā fuligine multā fuscatur; ita etiam qui cum homine maledico agit, non modò auditis eius conuitiis ad furorem inflammatur, & rixarum ac contentionum plures causas habet, sed etiam multis modis à conuitiatore fœdatus, sui honoris, ac famæ iacturas sentit. Hunc ad sensum allicienda est posterior comparationis pars: *Et sicut ligna igni*, id est, Quemadmodum ligna subiecto igne accenduntur; si verò incendium extinguatur, adusta ac torrida manent; sic etiam qui cum homine iracundo, & maledico conuersantur, ad contentiones & rixas passim inflammantur; quod si rixæ, & contentiones tandem aliquando restinctæ fuerint, certè ab acceptis contumeliis torridi, & ab iniuriarum notis adusti nunquàm non manent. Itaque Salomon id consilij dat in hoc versu, ne cum stomachabundis, biliosis, maledicis, aut detractoribus ineamus commercia, quia hi contentionum, & simultatum plures causas offerunt, & suis etiam conuitiis indelebiles sæpè notas sociis suis imprimere consueuerunt. Vide plura in hanc sententiam supra cap. 15. vers. 18.

22. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima ventris.*

LOcus iste occurrit supra c. 18. vers. 8. vbi non perfunctoriè illius expositionem transegimus.

23 *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile: sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.*

QVomodo si argento, &c. Hebræa adverbum sic efferenda sunt. *Argentum scoriarum obductum super testam, labia ardentia, & cor malum.* Pro *tumentibus labiis* subest vox דולקים *dolekim.* 112. Symmachus restituit, *Labia inflammantia*, Aquila. & Theod. *Labia ardentia.* Caietanus, *Comburentia*, Pagninus, *Succendentia lites*, Isidorus Clar. *Labia blandientia.* Chaldęus sic vertit. *Sicut argentum feculentum quo opertum est vas fictile, sic labia incēsa cum corde pessimo.* LXX. verò longè aliter; nam duas omnino valde diuersas sententias ex vna conformare videntur. *Argentum* (inquiunt) *datum cum dolo tanquàm testa reputatum.* Et subinde, *labia læuigata cor occultant triste*, in quibusdam codicibus est. *Labia dolosa*, &c.

Loci istius sententiam obscuram reddit similitudinis additæ difficilis conceptio. Nam comparatio ducta ex argento sordido, & vase fictili, multis modis conformari potest. Caietanus quidem similitudinem peti existimat ab argenti scoriis testā inclusis, hoc modo. *Crediderim ego* (verba sunt Caietani) *quod argenti scoria posita sit in vase fictili, ita quod contineatur vase fictili, & cooperiatur similiter vase fictili, quod appellatur testum* (vulgo cobertera) *& similitudo sit, quod cor malum assimilatur scoriæ, & labia comburentia assimilantur fictilibus incensis igne purgante scoriam. Coniunctio autem coniunctioni respondeat; quemadmodum enim intus scoria, & foris testa incensa iunguntur, & ambæ malæ sunt; ita cor malum, & labia ardentia

ardentia iunguntur, *& ambo iniqua sunt.* Hactenus Caietanus, cuius verba alioqui obscura sic capio. Sicut argenti scoria vase fictili inclusa, & à subiecto igne liquata, eius latera implet, & cum ipso ad amussim, sordidum scilicet cum sordido, & vile cum vili cohæret; ita etiam cor malum cum labiis item malis accommodatè iungitur. Cæterùm hæc interpretatio (mea quidem sententia) iacet, ac vilis est. Quapropter, si ita libeat similitudinem sumi ab argento impuro vase fictili incluso, cōparationem hanc ad conflatoriam artem referri mallem; nam argenti, & auri metalla in testaceis vasis conflari & purgari consueuerunt, ita vt sensus sit. Sicut argentum scoriis sordidum vase inclusum fictili à subiecto igne examinatur, & falsum, reprobumque inuenitur; sic etiam cor prauum in homine ipso penitùs immersum, per labia ardentia dignoscitur ac deprehenditur; id est, non secus per verba labiis pronuntiata mali cordis prauitas exploratur, quàm argenti sordes, & fæces per ignem in vase conflatorio.

123. Reliqui interpretes ex aduerso comparationem ductam existimant ex vase fictili, quod argētum sordidum aut includit, aut operit, aut incrustat; sed non vna illis mens. *Vatab.* Vatablus sic comminiscitur, *Sicut argentum non purgatum superinductum testæ, sic labia mala, & cor malum.* Quasi dicat, qui corde, atque ore identidem mali sunt, similes sunt argento impuro superinducto rei vili, id est, nihil illis non vile, nihil non sordidum, quandoquidem intus, & extra praui sunt: sed huic expositioni parum tribuo.

Isidor. Isidorus Clarius cùm locum istum sic extulisset. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia blandientia cum pessimo corde.* Significat, inquit, dupliciter hominem decipi in eo vase, dum credit scilicet totum vas esse argenteum, & argentum esse purgatum & bonum. Similis error contingit in homine simulatore, qui cor, animumque prauum claudens, labiis tamē lenocinatur, & blanditur: Nam qui illi fidem adhibet, dupliciter aberrat; credit enim illū bono, atque grato animo esse præditum, & insuper putat eas beneuolentiæ significationes externas veras, & minimè simulatorias esse Hæc etiam interpretatio mihi non probatur. Quapropter iuxta præfatā lectionē aliter hunc locū edisseri potest hac ratione.

124. Describit Salomon hominem simulatorem, qui cor pessimum sub quodam labiorum lenocinio penitus celat, atque ita fatur. Quemadmodùm siquis vas aliquod figlinum argento sordido, id est, plumbi, aut alterius ignobilioris metalli fæcibus mixto imbuere, seu deargentare velit; sic ille, qui cor, animumque subdolum verborum blandimentis occultare satagit. Nam primò argenti illius mixti splendorem deterioris metalli mixtura citiùs hebetat & decolorem reddit, deinde si exterior illa argenti facies exteratur, aut perfricetur, testaceum, quod intus latebat, apparere incipit. Non aliter simulator; nam primò verborum illę blanditię, quibus tanquàm sordido argento suam tegebat malitiam, paulatim desciscunt, & suam falsitatem præ se ferunt, ac denique vsu ipso, & consuetudine, velut extrita perfrictaque simulatione, animi prauitas deprehenditur.

125. *Iansen. Baynus.* Iansenius & Baynus aliter similitudinem istam accommodant. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile,* &c. id est, Quemadmodum si quis argentū fæculentum testæ superinducat, conuenientem illi ornatum addit, iuxta peruulgatū illud proloquium, *Dignum patella operculum.* Sic etiam in eo, qui cor, animumque prauum celans labia gerit inflammata, & ardentia, id est, verba pronuntiat irā & indignatione plena, vel quæ aliis iram & indignationem immittant, labia certè cum corde cohærent, & verba A animo respondent. Vlterius etiam, vt comparationi huic leporem adaugeant, sic addunt: Sicut argentum sordidum testam quidem tegit, sed tamen illius pretium nequaquàm auget: ita etiam labia blandientia cordis malitiam tegere quidem possunt, sed non reddunt cor melius, aut honestius; non enim labia bona cor honestant, sed è conuerso cor bonum labia bona reddit. Cæterùm, hæc etiam expositio, mea quidem opinione, futilis est, & sententiam satis insulsam offert. Melius fortasse Arboreus, qui sic habet. *Arboreus.* *Ita se habent verba tumida, & superba, cum pessimo, & venenato corde, quemadmodum se habent scoriæ puri argenti cum vase fictili, quod non solet vero, & puro argento ornari, sed duntaxat apparenti,* &c. Nec verò insuetum B est hodie vasa fictilia argenteis, vel aureis quibusdam maculis imbuere, adeò vt aurum vel argentum ad speciem offerant. Itaque mens Arborei talis est; quemadmodum si argento sordido, id est, non solido ac vero, sed falso, adulterino & apparenti, inficiat quis vas figlinum, ocyus perfricto elutoque argento testa retegitur; ita etiam qui verba superba prætendit, id est, qui se probum & iustum verbis per hypocrisim prodit, & nequitiam subtus claudit, exteriorem illam probitatis, & iustitiæ speciem citius deponit, & latentem nequitiam detegit.

126. *Beda.* Antiquorum interpretum agmen claudit Beda, qui mysticam expositionem huic loco aptauit, ad hunc modum. *Quid per argentum sordidum nisi scien-* C *tia corrupta? & quid per vas fictile nisi cor carneum? quod cùm de ipsa falsa scientia se ornare satagit, in sua locutione contra veritatem tumet, & magister erroris fit.* Hæc ille.

127. Cæterùm nescio quid in præscriptis explicationibus desiderare mihi videor; nulla enim est quæ similitudinem, aut similitudinis accommodationem concinnè satis efformauerit. Quapropter duas vlterius huius loci interpretationes, & optionem lectori offerendam censeo. Illud verò cùm primis certum esse debet, Salomonem de hypocrisi verba facere quæ latentem in animo prauitatem verbis dissimulat. Deinde notandum, argentum ex suis fodinis non purum extrahi; nam plūbo, stanno, aut stibio plerum- D que hæret, quinimo hæc tria plumbum, stannum, & stibium nihil aliud nisi argenti sordes ac excrementa sunt. Addo etiam id, quod nulli notum non est, scilicet, stanni massam eo modo, quo ab argento separatur, quæ apud nostrates dicitur *almartaga*, antequàm excoquatur, & in purum stannum concrescat, ad imbuenda fictilia adhiberi solitam, vulgo dicimus *vedriar.* Nec dispari vsu stibium ad inficienda testacea vasa accommodari consueuit, quod à nostris etiam dicitur *Alcohol.* Adi Georgium Agricolam lib. 9. & alios rei metallicæ perscrutatores. *Georg. Agr.* Salomon ergo sic habet. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile,* &c. Vel, vt est in Primitiuis ad verbum. *Argentum scoriarum obductum super testam.* id est, veluti si scorię E vel excrementa argenti, nimirùm *el almartaga o el alcohol,* ad imbuendam ac perfundendam testam adhibeantur. Quasi dicat; vir hypocrita, qui cor nequam subdolis verbis, & falsa probitatis ostentatione contegit, similis est fictili vasi scoriis argenteis imbuto, id est, *es como el vaso de barro vedriado*, quod exterius candorem argenti mentitur, intus verò testam, lutumque decolorem includit, quod fortasse etiam argenti minimè lentam firmitatem præ se fert, sed re verā fragilis est. Non aliter vir hypocrita, & simulator, simplicitatem, & animi candorem verbis, & reliqua conuersatione ostentat, dolos verò, peruersasque affectiones deintus celat, æqui bonique tenax foris apparet, sed fragilis, & ad omnem malitiam labilis, ac deciduus est.

Sed

Sed licet huic primæ expositioni plurimùm deferam, tamen aliam iamiam subnecto, quæ mihi non parum arridet. Præmittere autem oportet, solenne admodum antiquis fuisse eorum vasorum, quæ ex deteriori aliqua materie compingebantur, summa labra auro, argento, vel aliis metallis includere. Lege Athenæum Dypnosophistam lib. 11. ca. 8. vbi postquam dixit vasa cornea, vel hederacea veteribus in vsu fuisse, attexit eiusmodi vasis aurea vel argentea labra addi solita; nam ex Æschylo sic producit. *Pro poculis cornibus vtentes, quibus aurea addita sunt labra.* Et infra sic habet. *Regem Paonum in Philippica secunda, scribit Theopompus, pocula ex cornibus facere solitos, quibus labra, vel auro, vel argento oppelebantur.* Lege ibi plura. Salomon ergo in hoc loco eos incusat, qui alios ad pietatem, & honestatem erudiunt, ipsi verò improbi ac scelesti sunt; eos inquam, qui docent, sed non faciunt. Et quidem *argentum sordidum* non ideò appellat, quia sordibus aut scoriis permixtũ sit, sed quia fictili additũ vasi sordescit ac vile fit. Itaque sensus est. Quomodò si argento sordido ornare velis vas fictile, id est, quemadmodum qui vasi cuipiam testaceo labrum argenteum imponeret, ipsius argenti gloriam, & æstimationem extenuaret; nam vili ac sordidæ additũ materiæ vilescere ac sordescere necessum est. *sic labia tumentia cum pessimo corde sociata*, labia tumentia appellat labia superborum doctorum, qui probitatem, & honestatem non quidem ex affectu ipsius honestatis, sed ex tumore, & elatione aliis suadent. Quasi dicat; ad eundem modum labia bona doctoris mali, & fastuosi: nam quamuis eatenus argentea, idest, pretiosa videantur, quatenus aliis honestatem instillant: tamen quatenus sub eiusmodi labris cor improbum, & vitam impuram, moresque peruersos subesse constat, id quod in ipsis argenteum est, vilescit atque sordescit. Aliter etiã melius præmissam similitudinẽ adaptare licet ad significandũ quoddam hominum valdè proprium, & germanum vitiũ, In his enim labia plerumque cordis prauitatem in se exprimunt, & qui animum improbum claudunt, improbitatem atque malitiam suam verbis testantur, iuxta illud Christi Domini testimonium Matth. 12. *Quomodo poteritis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.* Ergo per *labia ardentia*, vel *tumentia*, ea intelligo, quæ verba iracunda, libidinosa, aut superba effutiunt. Sensus autem sic efformari debet. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile.* id est, Quemadmodum si vasi cuipiam figlino labra addere velimus, non illa quidem ex argento puro & defæcato conformamus, sed ex argenti ipsius scoriis, scilicet ex plumbo aut stanno; id enim est dignum testâ ornamentũ: Ita etiam cùm animo & cordi pessimo, quod, testæ in morem, fragile atque imbecille est, non cohærent labia pura, & candida, sed impura prorsus, ac sordida; quasi dicat; Verba semper cordi respondent, & latentem penitus malitiam labia depromunt. Concinit autem hæc expositio cum sequenti versu. *Labiis suis intelligitur inimicus, cum corde tractauerit dolos.*

Athenæum. — Matth. 12.

129. Venio ad translationem LXX. quæ non parum etiam difficilis est. Sunt qui putent, sacros illos interpretes duas inter se minimè cohærentes sententias ex ex vna conflasse, atque adeò primam partem sic exponunt. *Argentum datum cum dolo tanquàm testa reputatum*, idest, donum quodlibet quantumuis pretiosum, quod animo fallendi ac decipiendi cuipiam ab aliquo confertur, detectis demùm dolis, ac technis despicitur, ac pro nihilo habetur: nam doni, seu beneficij magnitudinem ex donantis intentione animoque metiri solemus. De secunda verò parte sic censent. *Labia leuigata cor occultant triste.* id est, sæpe admodùm
A contingit, vt qui lætitiam, & gaudium verborum lenitate mentiuntur, sub ea gaudij simulatione tristem prorsus, & amarum animum celent. Cæterùm hæc interpretatio, & vtriusque hemistychij separatio, ac discretio, mihi nequaquàm probatur; atque adeò vnam ex vtroque sententiam conformandam existimo. Præmittere autem oportet, *cor triste* in hoc loco idem esse, ac cor inimicum, & aduersum; nam hæc præfatæ vocis acceptio aliàs in Scriptura solemnis est Eccles. 22. *Ad amicum si aperueris os triste, non timeas, est enim concordatio.* id est, si iratus contra illum verbum aliquod protuleris, & alibi passim. Sensus ergo sic habet. *Argentum datum cum dolo tanquàm testa reputabitur.* (illud verbum *cum dolo* non ita accipio,
B vt referatur ad docentis intentionem, sed ad ipsummet argentum, ita vt *argentum cum dolo* idem sit quod argentum falsum & adulterinum, vt cohæreat lectio LXX cum Vulgato textu.) Sumitur autem *argentum* hîc pro moneta argentea, hoc modo. Nummi argentei, si adulterini sint, ac falsi, ad commercia nihil præstãt, sed apud veros rerum æstimatores testâ viliores sunt, etiamsi argenti speciem præ se ferant. Subnectit, *Labia leuigata cor occultant triste.* id est, His nummis similes sunt adulatores, qui fermè verbis suis aures deliniant, & sub eo verborum lenocinio cor inimicum gerunt, qui videlicet amicitiæ speciem verbis mentiuntur, inimicitias verò, & discordias animo celant. Hos autem prudentes, sagacesque viri boni rerum æstimatores pro
C testis reputant, id est, eorum gratiam fragilem omnino ac commutabilem existimant. Et quidem nummorum adulterinorum similitudo ad falsos amicitiæ simulatores notandos obuia satis est apud auctores.

Eccles. 22.

Hæc tamen expositio, quâ translationem Septuaginta interpretum donandam putauimus, me perurget ad lectionem Vulgatam vt redeam: existimo enim illam eidem sententiæ accommodatissimè aptari posse; nam si à vasis argenti sordibus delibutis; vulgò *verdriados*, ducatur similitudo, erit sensus. *Sicut si argento sordido ornare velis vas fictile, ita labia tumentia cum corde pessimo.* *Labia* quidem *tumentia* appellantur labia assentãtia & blandientia, vt tenet Clarius. id est, 130.
D Sicut eiusmodi vasa ad speciem candida argenti faciem prætendunt, sed tamen fragilia valde sunt: ita etiam adulatorum gratia veram amicitiæ speciem oculis offert, tamen fragilis admodùm est, ac vitrea, atque adeò illam quælibet fortunæ commutatio defringit. Quod si comparatio petatur ab his vasis, quæ testacea cùm sint labris plumbeis, vel stanneis perornantur; aptissimè etiam in adulatores cadit; nam quatenus fictili poculo eorum gratia similis dicitur: eiusdem infirmitas, & imbecillitas notatur: quatenus autem eorundem labra, id est, verba, & oratio, cum labris plumbeis, vel stanneis illi vasi additis conferuntur, quæ argenti speciem habent sed vilissima sunt, eorundem verborum adulterina falsitas accom-
E modatè significatur. Pergo ad alia.

24. *Labijs suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos.*

Labiis suis, &c. Posteriora verba ex Primitiuis sic efferenda sunt. *Ex interiori suo ponet dolum.* Alij integrum locum sic restituunt. *Labiis suis fit alienus, vel extraneus inimicus, & in corde suo ponit malum.* Nata est hæc diuersitas ex ancipiti significatione verbi נכר *Nacham*, quod significat *intelligere, & abalienare.* Chald. *Et in interioribus suis reponit fraudulẽtiam.* lxx. *Labiis omnia annuit inimicus, in corde* autem 131.

aut ĩ suo fabricatur dolos. Aquila, Symmach. & Theod. concinunt cum Vulgata. In quibusdam codicibus est. *Labiis suis non intelligitur inimicus*, sed mendum hoc abstergendum est. Nam Vulgata lectio hûc sensum reddit. *Labiis suis intelligitur inimicus*, &c. id est, Inimici quantumuis intestinum odium, prætenta gratia, dissimulare velint, tamen catus quisque, ac prudens homo, qui eius verba attentius obseruauerit, eas, quas animo versat, fallacias, technasque facilè deprehendet. Itaque Salomon id sibi vult, homini versuto, ac prudenti facile admodùm esse ex his, quę hosti excidunt, verbis, hostilem eius animum assequi, & fraudes aucupari: Nam quantumuis labiis suis blandiatur, & assentetur, ipsamet assentatio, & blanditiæ repostos in animo dolos satis produnt; fucata enim, & adulterina imprudentes quidé, ignarosque deludunt, non ita sapientes cordatosque viros. Sed audiendi sunt Septuaginta interpretes, qui mentem Salomonis assequuti, quonā modo ex verbis aduersarij animum aucupari liceat, perspicuè definiunt. *Labiis suis omnia annuit inimicus, in corde autem suo fabricat dolos.* Quasi dicant; is quisquis animo lenocinandi, & assentandi omnia nostra sibi probari annuendo demonstrat, nec nobis errores nostros aliquando obiicit, is, inquam, non amicus, sed subdolus aduersarius est, fallacias, fraudesque animo suo versans: omnis enim adulator, & assentator, verus inimicus, falsusque, & adulterinus amicus est, sed hanc sententiam alibi locupletauimus.

132. Alteram expositionem videtur exhibere illa translatio, *Labiis suis fit alienus, seu abalienatur inimicus, & in corde suo ponit malum.* Sed tamen illius sensum ad præfatam Vulgati textus sententiam allicere integrum est, ita vt mens Salomonis hæc sit. Verbis suis à semetipso alienus fit aduersarius, id est, à se ipso dissidet; nam cùm verba prætendat lenia, atque mollia, animum tamen abdit, occulitque hostilem; & malú, quod meditatur, penitus celat. Potest etiam hæc trāslatio alio sensu donari, qui adulatorum mores apprimè declarat (illud enim certum, ratumque esse debet. Salomonem hîc in adulatores inuehi) *Labiis*, inquit, *suis alienum se exhibet inimicus.* Id est, assentator, falsus amicus, & verus hostis, non solùm verũ odium adulatione, sed etiam adulationem ipsam ficto quodam odio dissimulare contendit; ideò in quibusdam alienum se exhibet, id est, quædam contradicit, & affectata libertate reprehendit, quò magis sub ea libertatis specie delitescat. Hos mores adulatorum aptâ quadam similitudine describit Plutarch. in Moralibus hisce verbis. *Obsoniorum egregij artifices condimẽtis non nihil austeri admiscent, quo dulcedinis tollant satietatem; sic adulatores fictam quandam libertatem, ac seueritatem nonnunquam admiscent, vt nunquàm magis adulentur, quam cum videntur obiurgare, ac liberè loqui.* Subtexit Salomon. Plutarch.

---

25. *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.*

133. Quando submiserit, &c. Hebr. Pagnin. *Quando extulerit orando vocem suam.* Regia ex R. Dauid. *Cum gratificauit vocem suam.* Tigur. *Quãdo voce sua benignus est.* Chald. *Si deprecabitur voce sua.* LXX. *Si te rogauerit voce magna.* Hieronym. contra Ruffinum. *Si te rogauerit inimicus tuus parcens voce magna.* (sed restituendum puto *precans.*) Hanc dissimilitudinem peperit verbum חנן *Chanan*, quod hîc subest; significat enim *rogare, gratificari, & misereri.*

A *Quoniam septem nequitiæ*, &c. Hebr. *Quoniam septẽ abominationes in corde illius.* Chald. *Quoniam septem mala sunt in corde eius.* Alij. *Septem abominanda*, in originibus est תועבות *Thoghaboth*, quæ vox *abominationes, execrationes*, & in vniuersum omnia mala, ac molestia adsignificat.

Locus iste conferendus est cum superiori. *Quando submiserit vocem suam, ne credas ei*, &c. Hæc verba duplicem ad sensum vocari possunt. Prior est eiusmodi. Quando homo subdolus, qui tecum aliquando inimicitias gessit, suppressa voce, ac secreto conuenire te voluerit, vt de aliqua re te seorsum commonefaciat; (id enim esse solet gratiæ ac beneuolentiæ non leue argumentum;) noli ipsi confidere. Posterior est;

B Si quando hostis tuus summissa voce, humilitatis, ac deiectionis signa præbens, pronus videlicet, ac supplicabundus te alloquatur, nequaquàm ipsi fidé adhibeas. Aliæ lectiones parum dissident à Vulgata. Hieronymus. *Quando venerit parcens voce magna.* Quãdo scilicet tibi accepta damna condonauerit, & omnium iniuriarum amnistiam & obliuioné pollicebitur *voce magna*, id est clarâ, ac perspicuâ; ita vt voces ipsas animi à se concepti testes aduocare videatur, ne tum quidem ipsi credere oportet. Chald. *Si deprecabitur voce sua*, vel, vt reddit Pagninus, *si extulerit orando vocem suam.* id est, si damni dati, & iniuriæ illatæ veniam poposcerit contentâ voce, vt te ad clementiam & humanitatem flectat, ne ipsi acquiescas. Rabi Da-

C uid, ac Regia. *Quando gratificauerit vocem suam*, Id est cùm ipsam vocem delinierit, ac verbis mollibus animum tuum lentare; & ad gratiam, beneuolentiamque adducere conabitur: vel cùm ex adulatione, & assentatione ea dixerit, quæ tibi grata, & iucunda fore sperat, ne tum quidem ipsi fidendum est. Itaque præfatæ translationes præcipuas quasdam beneuolentiæ, & gratiæ significationes cohibent, quibus vti solent versuti, ac subdoli inimici, vt suos ludificent aduersarios. Cæterùm vt versus iste cum superiori cohæreat, qui de adulatore à nobis supra interpretatus est, hunc enim nomine inimici capiendum diximus; quia hostis cùm sit amicitiam, & gratiam mentitur: ex his omnibus translationibus & expositioni-

D bus eas esse præferendas puto, quæ in ipsum adulatorem quadrare possunt. Subdit autem rationem, ob quam huic homini credere non oporteat.

Quoniam septem nequitiæ sunt in corde eius. Hugo Cardinalis per *septem nequitias* septem illos spiritus nequaquam notari putauit, de quibus Saluator ait. *Et assumit septem alios spiritus nequiores se.* Alij septem capitalia peccata, ita vt sensus sit: Cauendus est certè homo ille; nam vt conceptus in te odium effundat, septem capitalibus delictis nequaquam parcet; superbia illi præsto erit, vt te despiciat; ira; vt illam contra te exerat; auaritia, vt fortunas tuas diripiat; inuidia, vt de tua angatur fœlicitate; luxuria, vt, si fieri possit, thalamis insi- 134. Luc. 11.

E dietur tuis; gula, vt tuis etiam delitiis victitet; ac demùm pigritia, & acedia, ne tibi laboranti succurrat.

Alij sunt qui putant locum istum sic conuerti posse *Quia septemplex nequitia est in corde illius*; vna videlicet perniciosior, grauiorque nequita, quæ septem ad instar obtinet. Quod si roges, quænam sit isthæc adeò grauis, tetraque nequitia; aiunt, aut superbiam, aut inuidiam; atque adeò duplicem sensum conformant. Alter est, cùm inimicus tuus sese demittit, ac deiicit, suæque deiectionis ac demissionis signa depressa voce præbet, ne ipsi fidem habeas; nam illa nequitia, quæ cæteras facilè superat, latet in corde ipsius, superbia nimirùm, quâ te despicit, & pro nihilo ducit; ac proinde nactus occasionem tibi insultabit, 135.

Eccleſ.13. inſultabit, cathedramque tuam tibi ambiet. Simile eſt illud eccleſiaſt. c. 12. *Ne credas inimico tuo in æternū.* Et ſubinde. *Et ſi humiliatus vadat curuus adiice animum tuum, & cuſtodi te ab illo. Non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam; ne fortè cōuerſus in locum tuum inquirat cathedrā tuam; & in nouiſſimo agnoſcas verba mea,* &c. Alter verò ſenſus eſt de inuidia, & liuore; hanc enim ſeptemplicē nequitiam appellari propterea dicunt, quia omnes nequitiæ partes cohibet. Itaque ait Salomon, Cùm inimicus tuus ad pedes tuos prouolutus ſeſe depreſſerit, & tuam fortunam, & fœlicitatem ſuſpicere & admirari videbitur; ne illi fidendum putes; nam tunc vel maximè liuore penitus carpitur, & de tua gloria & fœlicitate inuidus angitur. Concinunt etiam cum hoc ſenſu verba Eccl. B ſupra citata; nam in textu ſic iacent. *Ne credas inimico tuo in æternum, quia ſicut æramentum æruginat malitia eius.* Quæ verba de inuidentia & liuore capienda eſſe exiſtimo, ita vt ſenſus ſit; Aduerſario tuo nullo tempore confidas, quia ſicut ferrum rubigine, & æs ærugine, ſic animus illius ob tuam fœlicitatem inuidia, & liuore carpitur, & exeditur. Et ſanè inuidētiæ, & rubiginis ſimilitudo perquàm vulgata eſt. Baſil. in hom. de inuidia. *Quemadmodum,* inquit, *venenum ferrum, ſic inuidia eos, qui eam poſſident, cōſumit, ac vaſtat.*

Stobæus. Appellat autem rubiginem ferri venenum. Et Stob. in ſermone de inuidia ex ſentētia Periādri. *Sicut ærugo ferrum, ſic inuidia inuidi animum conterit.* Antiſthenes

Laërtius. etiam apud Laërtium lib. 6. c. 1. *Sicut ferrū abſumitur* C *rubigine, ita inuidi ſuo ipſorum vitio contabeſcunt. Ferrum enim etiamſi nemo lædat, ex ſe gignit vnde corrumpatur.*

Anton. Plutarch. etiam, apud Antonium Monachum in Meliſſa. *Vt ferrum,* inquit, *ærugine conſumitur, ſic inuidi ſuopte ingenio.* Mitto alia.

136. Sed quamuis hæc non inſulſè dicantur, tamen puto hîc verba ſincerius eſſe capienda. Nam Salomon ſeptenam nequitiam multiplicem, & variam appellat iuxta communem loquendi morem ſcripturæ ſacræ, quæ frequenter admodùm determinatum numerum pro indeterminato, & indefinito accipit; ſed frequentius quidem ſeptem pro multis vſurpat. Mitto huius rei exempla valde obuia. Itaque ſic ait, Ne ei, qui tibi D aſſentatur (hunc enim in hoc loco aduerſarium vocat, vt nuper monui) facilè credas te, *quia ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius,* i. quia plures valde dolos, ac verſutias animo ſuo verſat, atque adeo cùm vnam aliquam ipſius nequitiam aſſequutus fuerit, aliæ, atque aliæ deteriores occultæ ſuperſunt.

---

26. *Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio.*

137. *Qui operit,* &c. Hebr. *Operiet ſe odium in deſolationem: manifeſta erit malitia illius in concione.* Alij verò ſic reſtituunt. *Odium ſi tegitur in vaſtatione,* aut E *contritione.* LXX. *Qui occultat inimicitiam cōponit dolum: reuelat autem ſua peccata bene notus in conſeſſibus.* Symmach. *Qui occultat odium per captiones, reuelabitur malitia eius in Eccleſia.*

Hæc quoque ſententia ad adulatorem, & aſſentatorem pertinet, qui odium animo ſuo claudit, exterius verò amicitiam mentitur. Ergo interpretes vulgò locum iſtum ſic exponunt. *Qui operit odium fraudulenter.* i. qui per quandam gratiæ, & amicitiæ ſimulationem odium in animo incluſum tegit, eius vtique malitia, & prauitas tandem aliquando, non quidem priuatè, ſed publicè multitudini retegetur, & palam fiet; nihil enim ſimulatum diuturnum eſt. Itaque auctores iſti putant ſermonem ad fraudulentum amicum intendi, quaſi illi Salomon ſuadeat, ne per fraudem beneuolentiam prætendens odium internum diſſimulare velit, quia nimirum aliqua fraus eius publicè deprehenſa, ipſius nequitiam tandem aperiet.

Cæterùm hæc interpretatio humilis valde ſemper mihi viſa eſt, atque adeò aliam ſubiiciam, quæ accōmodatior videtur. Pro *cōcilio* in Hebræis ſubeſt, קהל, 138. *Kahal,* quæ vox anceps quidem eſt; nam ſumitur ſæpius pro multitudine ac cœtu hominum, aliquando pro iudicum ac ſenatorum conſeſſu LXX. ſubiecerunt, *συνεδρίῳ*, quod nomen conceſſum iudicum adſignificat, ad quem delicta, & crimina deferuntur, vt pro meritis puniantur, Ergo iuxta hanc *concilij* ſignificationē, quæ huic loco longè melius aptatur, quàm alia, ſic verba edifferenda ſunt. *Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio.* Quaſi dicat: adulator verſutus, qui gratiam, & amicitiam falſa officij, & beneuolentiæ ſimulatione mentitur, *in concilio referat malitiam ſuam;* i. ſi quando illum, cui prius aſſentabatur, è gradu ſuo excidere, & conuerſa fortuna ob crimen aliquod ad tribunal ſiſti contigit, tunc quidem ſuam euomens, effundenſque prauitatem, & amici perſonam, quam prius ad ſpeciem induerat exuens, acriùs illi ſuccenſet, ſicque demùm, vt qui prius eius, cui adulabatur, ſcelera & flagitia per aſſentationem commendabat, & laudibus in cœlum vſque vehebat; is demùm teſtis euocatus eadem teſtimonio ſuo longè ſeuerius incuſet, ac damnet quàm alij; quod quàm ſit ad mores adulatorum natum, nemo non videt.

Quod ſi per *concilium,* cœtum quidem ac multitudinem hominum in vniuerſum accipi velis, ſententia 139. erit eiuſmodi. *Qui operit odium fraudulenter,* id eſt, qui amicitiam & gratiam falſa odij diſſimulatione exterius prætendens animum ſuum occultè lædit, *reuelabitur malitia eius in concilio,* id eſt, fraus eius tandem aliquando retegetur, & palam omnibus fiet, quaſi dicat, omnium hominum odium ſibi conſciſcet. Omnes enim graui odio proſequuntur, & à ſua familiaritate, & gratia remouent eos, qui ea ratione fraudes, ac dolos familiaritatis ſpecie contegunt, vt data occaſione noceant. Adde etiam quia ſatis accommodata pœna in illos ſtatuitur, qui ſecretè, atque adeò tutò, & ſine diſcrimine volunt lædere, ſi eorum fraus publicè aperiatur: atque adeò non ſolùm commune odium ſibi acceſſant, ſed etiam eum, qui læſus eſt, ad vlciſcendam iniuriam exagitent. Hugo, Dionyſius, & alij, per *concilium* eam hominum congregationem intelligunt, quæ in extrema iudicij magni die cogenda eſt, cui demùm delicta innoteſcent in occulto perpetrata; ſed (me iudice) ſecunda expoſitio præferenda eſt.

---

27. *Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.*

140. *Qui fodit,* &c. Hebr. non diſſonant. Chald. etiam concinit. LXX. ſic habent. *Qui fodit foueam proximo ſuo, incidet in eam; qui autem voluit lapidem ſuper ſe ipſum voluit.*

Huius loci perſpicua valde ſententia eſt; nam duplici valde accommodata ſimilitudine ſignificat Salomon dolos, & inſidias in eum recidere ſolitas, qui ipſas aliis fraudulenter ſtruit. Altera eſt eiuſmodi, *Qui fodit foueam incidet in eam,* cuius aliàs in Scriptura ſacra perfrequens vſus eſt. Pſalm. 7. *Incidit in* Pſal. 7. *foueam, quam fecit.* Eccl. 10. *Qui fodit foueam, incidet* Eccleſ. 10. *in eam, & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber,* & Eccleſ. 27. Eccleſ. 27. *Et qui foueam fodit incidet in eam, & qui ſtatuit lapidem proximo ſuo, offendet in eo, & qui laqueum*

quenam aliis ponit, peribit in illo. Quidã ergo hæc priora verba sic exponunt. Qui alteri foueam, (id est, sepulchrum) aperit, vt ipsum secretò peremptũ cõdat, is quidem sibi aperit, vt nimirum ipse demùm in illam inferatur: ita enim sæpius ex Dei prouidentia euenire solet: vti contigit Aman, qui in excelsam crucem, quam erexerat Mardochæo, ipse actus est, & in sepulchrum, quod fortasse etiam eidem effoderat, ipse illatus fuit. Cæterùm hæc expositio mihi violenta & coacta videtur; puto enim Salomonem similitudinem ducere à venatoribus, qui in semitis ferarum foueas, seu scrobes aperiunt, & deinde ad speciem desuper componunt, & complanant, vt feras illâc gradientes deludant, incautasque comprehendãt. Atque adeò sensus est. *Qui fodit foueam, incidet in eam.* i. qui ritu venatorum alteri scrobem effodit, in quem incidat, ipse quidem eadem, aut simili arte capietur. Quasi dicat, qui alteri dolos, & insidias parat, ipse iisdem, aut similibus fraudibus, insidiisque peribit. Sic plerique ex interpretibus. Ego verò aliquid ad huius sententię energiam apponendum existimo: puto enim Salomonem non eo spectasse vt significaret, eum, qui aliis dolos instruit, fraudibus quoque aliorum patere; sed id prorsus sibi voluisse, hominem dolosum, & insidiatorem suis ipsius dolis, insidiisque comprehendi, ita vt iisdem artibus, quibus aliis nocere parat, sibi perniciem consciscat. Quod certè passim contingit his, qui artifices sunt fraudum & insidiarũ,
Chrysol. sicut in vno Herode expendit Petrus Chrysol. serm. 152. *Fremit,* inquit, *dolositas se deceptam, & in se fraus reuersa colliditur, Herodes stridet cadens ipse in laqueum, quem tetendit,* & infrà. *In altum tendens cadit ab alto, cœlum pulsans, intrat profundum, in se vadit qui vadit in Deum.*

141. Idem sibi vult secunda huius sententiæ pars, quæ sic habet. *Et qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Sed de vi huius allegoriæ non vno modo sentire licet. Plerique interpretes ita similitudinem conformant. Quemadmodum si quis ex edito loco lapidem in alicuius verticem deuoluat, ac rursus lapis ad illius verticẽ redeat, aut recurrat, ita etiã sæpissimè contingit, vt ea pernicies, quã aliis inferre paramus per fraudẽ, in caput nostrũ recidat. Sed tamen hæc similitudinis accommodatio est planè violenta: fingit enim lapidem contra natiuam vim sursum redire, ac superiora loca repetere, è quibus deciderat, seu depulsus fuerat. Quapropter huius similitudinis accommodationem aliter construi posse censeo hoc modo. *Et qui voluit lapidem reuertetur ad eum,* illud *reuertetur,* non quidẽ ad lapidem referri debet, sed ad eum, qui ipsum deuoluit, hoc sẽsu. Quemadmodũ si quis lapidẽ è sublimi loco in alicuius verticẽ demittat, aut depellat; ac rursus ipse è sublimi deuolutus in eundem lapidẽ incurrat, illidaturque; ita is, qui è fastigio alicuius dignitatis, ad quam euectus est, inferiores, subditósve sibi homines damno afficit, hoc certè pro meritis obtinet, vt inde depulsus, ac depressus, eadem, quæ aliis intulit, damna subire cogatur. Hæc quidem (me iudice,) aptius secundùm naturam rerum dicuntur.

142. Quod si vlterius vrgeas, & verbum *reuertetur,* ad lapidem reuocandum putes, tunc quidem vox illa *voluit,* non quidem capienda est pro, *deuoluit,* aut *deiicit deorsum,* sed ita vt *voluit,* perinde sit atque iacit. Et sanè significationem istam recipit verbum Primitiuũ; est.n. יגלל *Iegolel,* ex radice *Galal,* quæ significat
Psalm. 36. *rotare,* ac *voluere;* nonnunquàm etiam *iactare.* Psal. 36. גול *Gol,* i. *Iacta cogitatum tuum in Dominum,* &c. (nescio an alibi.) Erit ergo sensus. *Et qui voluit lapidẽ reuertetur ad eũ.* i. quemadmodũ si quis lapidẽ sursũ iaciat, & hic rursus in caput ipsius recidat, sic ille qui aliis, sed tum maximè his qui honore, aut dignitate superiores sunt, perniciem molitur, eandẽ sibi accersit; ita vt locus iste concinat prorsus cum illo Eccles. 27. *Qui in altũ mittit lapidẽ, super caput eius cadet, & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera.* Et subinde attexit Eccles. aliam sententiam, quæ cum superiori expositione congruit. *Et qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo.* Ita vt Eccles. vtramque sententiam videatur complexus. Translatio LXX. ad posteriorem sensum allici debet.

---

28. *Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.*

Lingua fallax, &c. Hebr. *Lingua fallax odio habebit contritos suos, & os blandum faciet expulsionẽ.* 143.
Vatabl. *Lingua fallax odit, qui ipsam reprimit: & os blandum facit impulsionẽ.* Pagn. *Lingua fallax odio habet cõtritos corde.* Alij quàm plures. *Odio habet cõtritionẽ suã,* vel *cõterentẽ se.* In Primitiuis est דכאו *Dachau,* quapropter alij illud *Iod,* putãt esse notã regiminis genitiui numeri multitudinis, atque adeò legunt *contritos suos,* vel *conterentes se.* Licet etiam reddere, *Contritiones sui.* Alij verò malunt illud *Iod* abundare, quod non insolens Hebr. atque vocem esse singularis numeri, ideò restituunt. *Contritionem suam,* aut *conterentẽ se.* Huius verò lectionis concordiam cum Vulgata translatione infra dabimus, Chald. *Lingua fallax odit vias veritatis, & os bifidum operatur ruinas.* Aquila, Symmac. Theodot. *& os lauigatum,* &c. Hanc etiam lectionum dissimilitudinem peperit verbum חלק *Chalak,* quod hîc subest; significat enim *lęnire,* & *blandiri,* aliquando etiam *partiri,* & *diuidere.*

Non vna inter Hebraïzantes prioris hemistychij expositio, nam hi, qui legunt, *Lingua mendax odio habet conterentes,* aut *conterentem se,* ita edisserunt. Homo, qui mendacia, & fraudes lingua sua nectit, odio prosequitur eos, qui ipsum falsa proflantem obiecta veritate cohibent. Itaque similitudinem ductã putant ab his, qui equos immissis in ora frænis cohibent, ac coërcent, ita vt sensus sit; homines ad mendacia proferenda labiles, ac præcipites, magno studio illos euitant, qui ipsos veritate, ceu fræno quodã ori indito, comprimunt, & ab insequendis fraudibus suis continent. Alij rursus expendentes vocem illam, *conterentes se,* similitudinem ductam putant ab iis qui nucem, vel quidpiam aliud duriori tegmine inclusum frangunt; ad hunc modum, *lingua fallax odio habet conterentes se.* i. Illi, qui veritatis nucleum verbis fraudulentis, ac dolosis, quasi cortice quodam, contegere, & celare contendunt, impensè oderunt *conterentes se,* eos nimirum, qui fallaciæ, ac dolositatis cortice effracto, veritatis nucleum in lucem proferunt. Quod perinde valet ac si vulgari nostro sermone diceremus, *el hombre en ganador no puede ver aquien se las etiendo.* Nec abit ab hoc sensu nostra, & Septuag. interpretum translatio. *Lingua fallax odit veritatem,* sibi scilicet vera obiicientem odit.

Rursus parum aptè ad superiorem interpretationem posteriorẽ huius carminis partem explicant. *Et os lubricum operatur ruinas.* Alij. n. putant, *os lubricum* appellari illud os, quod lubricam fidem habet, i. quod 144.
nequaquam sibi cõstat, sed (liceat sic dicere,) anguillæ in modum lubricæ, elabitur, ac contineri, vel cõprimi non potest, modò aiens, modò negãs. Hoc igitur, inquiunt, os multorũ ruinas efficit, quia dũ simplices homines illi fidem adiiciunt, sibi ipsis ruinas construunt. Sed quis non videat huius expositionis cum superiori incohærentiam?

Alij ergo volunt, *os lubricum* appellari, quod nihil continet secretum, & arcanum, sed id, quidquid ipsi creditur,

creditur, aut committitur, ſtatim elabitur, & foras effúdit; concinit autem hæc expoſitio cum tranſlatione Sept quæ ſic habet. *Et os non tectum facit ruinas*, Græcè ἄστεγον, de cuius nominis vi alibi nõ pauca diximus, os nimirum apertum, & ſine tegmine, quod cõmiſſa ſibi arcana non cõtegit. Is ergo multis ruinatũ cauſa, & occaſio fuit, his nimirũ qui ſecreta ſua ipſi tuto credi poſſe putarũt. Huius etiã interpretationis cũ ſuperiori inconcinnitas perſpicua eſt.

145. Quapropter duas huius loci magis germanas interpretationes ſubiiciam. Prior ſic habet. *Lingua fallax non amat veritatem*, &c. duo vitia ſatis oppoſita inſectatur Salomon: Alterum eorum, qui per aſtum & vaſtitiem fraudes, ac dolos animo continent, & artificioſa quadam ſimulatione res celant. Aliud verò eorum, qui illud quidquid in buccam venerit, effutiunt, & nihil per diſſimulationem contegunt. Eos ergo, qui aſtutè & fallaciter res celant, ſic carpit, *Lingua fallax odit veritatẽ*, i. eiuſmodi ſimulatores id habẽt ſibi cognatũ vitiũ, quod nũquàm vera dicũt, ſed aſſiduò alia, & alia mẽdacia nectunt, adeò vt vſu, frequentiaque mentiendi veritatẽ ipſam, qua nihil pulchrius, & amabilius eſt, odio immici proſequãtur. Illis verò, qui ex aduerſo nihil diſſimulãt, ſed omnia animi ſui ſenſa effundũt, ſic exprobrat. *Et os lubricũ*, i. os illud, per quod omnia animi arcana elabũtur, vel, vt habẽt LXX. *& os non tectum*, i. os apertũ & recluſum, quod nihil celat, *operatur ruinas*. paſſim prolabitur, ac ruit, hoc eſt, multipliciter delinquit, ac peccat: nam multa loquentis multi ſunt lapſus, atque errores. Itaque iuxta hanc interpretationẽ id Salomõ ſuadet, vti inter duo illa præmiſſa vitia mediũ tenere velimus, ita vt neque per ſimulationẽ veritatẽ celemus, nec per multiloquium ea, quæ conticeſcere oportet, paſſim prodamus. Illud enim ſine pleriſque mendaciis, hoc verò ſine multis erroribus perfici nequit.

146. Sed quamuis huic expoſitioni non parum deferã, altera ſubeſt, quæ mihi accõmodata magis videtur; exiſtimo enim Salomonem loqui de adulatore, & aſſentatore; ita mihi ſuadet verbum illud חלק, quod ſignificat *blandiri*, & *lenire*. Itaque *os lubricũ* appellari exiſtimo illud, quod per aſſentationem aliis adblanditur; nam præfatum verbum ſæpe aliàs in hoc libro adulatoribus tribuitur; ſupra cap. 2. *Vt eruaris ab extranea, quæ mollit ſermones ſuos*, & c. 7. *Quæ verba ſua dulcia facit*. & infra c. 29. *Homo, qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo*. & c. 28. *Qui corripit hominẽ, gratiam poſtea inueniet apud eũ, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit*. Mitto alia teſtimonia, in quibus dictũ verbum ad linguæ lenocinia, ſeu delinimenta ſignificanda vſurpatur. Sic ergo Salomõ de adulatore. *Lingua fallax odit coterentes ſe*, ſic habẽt Primitiua, i. fallax adulator euitat prorſus eos, qui ipſũ verbis delinientẽ vel conterunt, vel comprimunt, vel coërcẽt. Sic Vatabl. *Odit reprimẽtes ſe*. Ita. n. fert adulatorũ ingeniũ, vt ad quoſdã valde molles, lentoſque homines, qui ſuis laudibus mirificè delectantur, propiùs accedãt: rigidos verò & auſteros quoſdã veritatis amatores, quos laudes propriæ non emolliunt, ac deliniunt, fugiant prorſus, ac declinẽt. Hinc eſt illud, quod ex Plinio deſumpſit ſimilitudinẽ collector. *Cupreſſo non innaſcuntur ceraſta propter amaritudinẽ, nec buxo propter duritiem: ita peſtis adulationis fugit ſeuera, ac triſtia ingenia; mollia captat, ac dulcia*. Accinit etiã illud Petri Rauennatis. *Vitiis ſemper ſeruiunt blandimẽta, lenocinantur dulcia; virtutibus verò auſtera & fortia ſunt amica*. Hunc ad ſenſũ euocari debet Vulgata lectio. *Lingua fallax odit veritatẽ*. i. veritatis amatores fugit; hi enim adulationibus minimè capiuntur. Hoc erat Auguſt. ingenium, qui lib. 9. de Trinit. de ſemetipſo ſic prædicat. *Magis optabo à quolibet reprehendi, quã ab adulatore laudari. Nullus enim reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis.* E contrà vero omnis adulator amatorem veritatis formidat. Iiſdẽ moribus erat Hieron. qui in Epiſt. ad Marcellam ita de ſeipſo ſcribit. *Nimis peruerſè ſe amat, qui alios vult errare, vt error ſuus lateat; vos qui me multum diligitis, ſi talem me aſſeritis, vt nunquam me in ſcriptis meis erraſſe dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſam ſuſcepiſtis, facilè in eo, me ipſo iudice, ſuperamini. Quia nõ mihi placet, cum à chariſſimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum. Profectò non me, ſed pro me alium meo nomine diligunt, ſi non quod ſum, ſed quod non ſum, diligunt.* En qua ratione rigidum & ſeuerum Hieronymi ingenium per veritatis amorem aſſentatores compeſcit, atque illos à ſe longius amandat. Subdit Salomon.

Plin. — Pet. Rauenn. — Auguſt. — Hieron.

Et os lubricum operatur ruinas, os lubricum appellat adulatoris os; ſumitur autẽ ſimilitudo à loco decliui, & lubrico, in quo pedes labaſcere ſolent. Itaque ſenſus eſt: os adulatoris, qui blandis ſermonibus eos delinit, quibus aſſentari vult, ſimile eſt cuipiam loco decliui, & ad lubricitatem compoſito; nam quemadmodum illum qui huic loco pedibus inſiſtere velit, ruere, ac labi neceſſe eſt; ita etiam qui fidem præſtat adulatori, multarũ ſibi ruinarum auctor exiſtit. i. per multa errare, ac delinquere oportet. Itaque Salomon ad eos ſermonem intendit, qui adulationibus gaudent; ac primùm quidem modum ipſis aperit, quo adulatores à ſe fugare, & propellere debeant; deinde verò quanto in periculo verſantur, declarat, quandiu adulatoribus aures accommodant. 147.

Tranſlationem etiam Sept. huic ſententiæ adaptare licet. *Et os non tectum facit ruinas*. Deſumitur verò (ni fallor) comparatio à fouea, vel puteo, quæ ſi contecta non ſint, incautè ambulantes deludere, & ruinæ cauſam offerre ſolent. Itaque ait, os adulatoris ſimile eſt puteo cuipiam, vel ſcrobi adaperto, atque adeò perplures ruinarum occaſiones præbet his, quibus aſſentatur: quia laudans, & commendans per aſſentationem eos, qui commendatione indigni ſunt, dum eorumdem oculos, animoſque quodammodò erigit, attollitque ad ſublimia, pedes lapſibus, ruiniſque permittit, exponitque, vel ruinarum potius occaſiones pedibus offert, multas nimirum errandi, ac delinquendi cauſas illis ſuppeditans. Auctoritatẽ huic expoſitioni conciliat Plutarchus, qui in Pericle adulatorum ora ſic appellat, στόματα ἄστεγα, ora minimè tecta, ita vt crediderim, id nominis vulgò adulatoribus olim tribui ſolitum. 148.

Plutarch.

Cald. habet, *os bifidum*, ſeu *bipartitum*. Aliquis certè ita comminiſci poſſet; adulatori os bifidum tribui, qui aliter abſens, aliter præſens loquitur; abſẽs quippe mordet, ac detrahit; præſens blanditur ac delinit. Sed non placet hæc expoſitio; nam planè Salomon loquitur metaphoricè, & per aliquam accommodatam ſimilitudinem exprimere vult cauſas ruinarum, quas adulatio his præbet, qui aſſentationibus capiuntur. Quapropter ſicut Vulgatus ex loco lubrico, & Septuag. ex fouea non tecta, ita etiam Chald. ex loco prærupto ſimilitudinem deriuat. Itaque *os bifidum* appellat os, quod, ad inſtar rupis, aut montis prærupti, hinc & inde in decliue pendet, quà gradientes labi, ac ruere neceſſe eſt. Ait ergo. *Os bifidum operatur ruinas*. i. quemadmodum qui incedit per locum præruptum, & decliuem, greſſus tenere non poteſt, atque adeò paſſim labaſcit, ac ruit; ita etiam, qui adulatori confidit, & verba illius mollia ſectatur, intolerabiles lapſus, & errores ſibi accumulat. Concipe igitur duo illius labia, quaſi bifidum ſcopulum per præceps in baratrum profundiſſimum pendentem, ac tunc vereberis ad illum accedere. Pergo ad alia. 149.



CAP. XXVII. SALOMONIS.

1. *NE glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies. 2. Laudet*
te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua. 3. Graue est
saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior. 4. Ira non ha-
bet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis po-
terit? 5. Melior est manifesta correptio quàm amor absconditus. 6. Me-
liora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. 7. Ani-
ma saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. 8. Sicut auis
transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. 9. Vnguento & variis odori-
bus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur. 10. Amicum tuum, & amicum
patris tui ne dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior est vici-
nus iuxtà, quàm frater procul. 11. Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, vt possis ex-
probranti respondere sermonem. 12. Astutus videns malum, absconditus est: paruuli transeun-
tes sustinuerunt dispendia. 13. Tolle vestimentum eius, qui spopondit pro extraneo: & pro alie-
nis aufer ei pignus. 14. Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicen-
ti similis erit. 15. Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur. 16. Qui
retinet eam, quasi qui ventum teneat: & oleum dexteræ suæ vocabit. 17. Ferrum ferro exacui-
tur, & homo exacuit faciem amici sui. 18. Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos
est Domini sui, glorificabitur. 19. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic cor-
da hominum manifesta sunt prudentibus. 20. Infernus & perditio numquam implentur: si-
militer & oculi hominum insatiabiles. 21. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in
fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis. Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum in-
quirit scientiam. 22. Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non au-
feretur ab eo stultitia eius. 23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.
24. Non enim habebis iugiter potestatem: sed corona tribuetur in generationem & generationem.
25. Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de montibus.
26. Agni ad vestimentum tuum: & hœdi, ad agri pretium. 27. Sufficiat tibi lac caprarum
in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.

---

1. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.* A

1. NE *glorieris*, &c. Hebr. *Ne te laudes in crastino, quia nō sciens quid paritura sit dies.* Heb. ילד *Ieled*, ex radice *Ialad*, quæ significat, *parere*, & *generare*: itaque licet etiam sic conuertere. *Nescis enim quid generatura sit dies.* Vtrique enim, tam viro, quàm fœminæ tribui solet: huic certè ad partum notandum, illi ad generationem significandam. Adde etiā quod non solùm naturalem, & tempestiuum *partum*, sed etiam præcelerem *aborsum* sonat, vt ex Rabinis aliqui notant. LXX. *Ne glorieris in his, quæ in crastinum, non enim cognoscis quid pariet superueniens dies.* Chald. *Nescis quid paritura sit hodierna dies.* Nam cùm in Primitiuis tantummodò sit, *Nescis enim quid pariat dies*, per hanc diem, non crastinam, sed hodiernā intellexit Paraphrastes, de cuius mēte statim dicemus.

Huius loci sententiam iuxta verborum sonū Caietanus expendit: nam cùm sic legisset. *Ne te laudes in crastinum, quia nescis quid pariet dies*, ita subdit. Nemo potest se ipsum laudare de crastino opere, vel de crastina fœlicitate, aut fortuna: omnia enim quæ in crastinum pendent, valde incerta sunt. Et sanè Caietanus vult Salomonem in eos planè inuehi, qui cùm possint res actutum peragere, eas tamen in externā diem differunt, & ex eo sibi placent: quia illa, quæ impræsentiarum facere nolunt, in posterum decursu temporis præstare apud se statuerunt. Ait ergo Salomon, propositum hoc aut animi decretum, quo quis rem aliquam vtilem aut honestam, tempore labente, peragere apud se constituit: cùm actutum eandem agendi copia est, laudi minimè vertendum esse, quia circa rem maximè incertam, & ancipitem versatur. Caietan. B

Reliqui interpretes putant verba illa, quę Iacobus Apostol. in sua Canonica ad calcem capitis 4. subtexuit, pro commentario huius loci habenda esse: nam sic 1. Iacob. 4.

ſic ait. *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidē annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.* hæc qui iactāt, hi certè in craſtinum gloriari dicuntur, *qui ignoratis, quid erit in craſtino.* Hæc verba cohærent prorſus cum illis, *ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Contra quam vanitatem, ac præſumptionem ſic ſtatim pronuntiat. *Quæ eſt enim vita noſtra? vapor eſt admodum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo vt dicatis, ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc, aut illud. Nūc autē exultatis in ſuperbiis veſtris.* i. gloriamini inani quadam futurarū rerum expectatione vobiſmetipſis applaudentes. Itaque auctores iſti putant Salomonem in eos inuehi, qui abſque aliqua reſtrictione, aut exceptione, temporis lapſu aliquid ſe facturos reſpondent. Nam vana admodum pręſumptio eſt de re valde incerta, ac mobili tanquā de certa conſtantiq; ſibi polliceri. Hoc argumentum ſatis eleganter vrget Seneca in Epiſtol. (Seneca.) 101. *Stultum valde eſt ætatem diſponere, nec craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt ſpes longa inchoantium! emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram: tum demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam fœlicibus dubia ſunt: nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. Id quoque quod tenetur per manus exit, & ipſam, quam premimus, horam, caſus incidit. Voluitur tempus rata quidem lege, ſed per obſcurum. Quid autem ad me, an naturæ certum ſit, quod mihi incertum eſt? Nauigationes longas, & pererratis littoribus alienis ſeros in patriā reditus proponimus. Militiam, & caſtrenſium laborum tarda manu pretia, procurationes, officiorūq; officia proceſſus diſponimus, cùm interim ad latus mors eſt, quæ quoniā nūquam cogitatur niſi aliena, nobis ſubinde ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius, quàm dum miramur, hæſura. Quid autem eſt ſtultius, quam mirari in vno die factum, quod omni poteſt fieri? ſtat quidem terminus nobis, vbi illud inexorabilis fatorū neceſſitas fixit, ſed nemo ſcit noſtrûm quàm propè verſetur. Sic itaque formemus animum tanquàm ad extremum ventum ſit. Nihil differamus, quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium eſt, quod imperfecta ſemper eſt, quod etiam aliquid ex illa differtur. Qui quotidie vitæ ſuæ extremam manum impoſuit, non indiget tempore: ex hac autem indigentia timor naſcitur, & cupiditas futuri exedens animum. Nihil eſt miſerius dubitatione venientium, quorſum euadat? quantum ſit illud, quod reſtat, aut quale, collecta mens inexplicabili formidine agitatur?* Deinde verò ad has animi in futurum pendentis, vaniſſimas expectationes exſcindendas remedia ſubiicit Seneca his verbis. *Quo modo effugiemus hanc volutationem? Vno: ſi vita noſtra non prominebit, ſi in ſe colligetur: Ille enim ex futuro ſuſpenditur, cui irritum eſt præſens. Vbi vero quidquid mihi debui redditum eſt, vbi ſtabilita mens ſcit nihil intereſſe inter diem, & ſæculum: quidquid dierum rerumque deinceps venturum eſt, ex alto proſpicit, & cum multo riſu ſeriem temporum cogitat. Quid enim varietas, mobilitaſque caſuū perturbabit, ſi certus ſis aduerſus incerta? Ideo, mi Lucili, propera viuere, & ſingulos dies ſingulas vitas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota ſecurus eſt. In ſpe viuentibus proximū quodq; tempus elabitur, ſubitque auiditas, & miſerrimum atque miſerrima omnia efficiens metus mortis.* Hactenus Seneca, cuius verba luculentum valde ſuperioris ſententię commentarium continent. Adde etiam ex eodem auctore in Epiſtola 1. neſcio quid ſatis accommodatum. *Fac ergo, mi Lucili, quod facere te ſcribis, omnes horas complectere, ſic fiet vt minus ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum inieceris: dum differtur vita, tranſcurrit.*

3. Sed redeo ad Salomonem, cuius illa verba libræ tradenda ſunt. *Ignoras quid ſuperuentura pariat dies.* Pro quibus ſunt illa Iacobi. *Qui ignoratis, quid erit in craſtino.* Et ſanè hæc Apoſtoli verba aptè admodùm ſignificant omnia futura incerta pendere. Aliqui enim ſic exponūt: Quicunque, inquiunt, res ad diem craſtinum differunt, ignorant prorſus quid in craſtino erit. In primis enim ne illud quidem certum eſt, an is, qui rem deduxit craſtina die ſit ſuperſtes futurus: deinde, etiam ſi is ſuperſtes ſit, dubium illud prorſus eſt, an idem votum, & animi propoſitum pręſtādi rem dilatam perſeueraturum ſit. Adde etiam, licet eiuſmodi votum propoſitumque maneat, illud planè ambiguum, & anceps, an rei peragendæ nata, & accommodata occaſio ſeſe offerat, an potius accidentia impedimenta omnem rei præſtandæ poteſtatem & copiam ereptura ſint. Hæc igitur omnia complexus eſt Apoſtolus, cùm dixit. *Ignoratis quid erit in craſtino.* Quaſi dicat: Ex his omnibus, quæ ad rem peragendam conſpirare debent, ne minimum quid in craſtinum permanſurum ſcitis.

4. Sed maiorem emphaſim continent verba Salomonis. *Ignoras quid ſuperuentura pariat dies.* Aptè admodùm hîc accommodatur verbum *pariendi*: nam cùm tempus ſuis decurſibus res omnes in lucem det, aptè admodùm eas parere, & eniti dicitur. Rurſus in partu omnia incerta ſunt, ac dubia: nullis enim argumentis certò deprehendere licet: an marem, an fœminam, an hoc, vel illo potius tempore infantem naſci oporteat. Eapropter Apoſtolus vt diei extremi incertitudinem aptiori aliqua ſimilitudine expingeret in Epiſtola 1. ad Theſſalonicenſes cap 5. ita ſcribit. (1. ad Theſſ. 4.) *Cùm enim dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient.* Itaque cùm ait Salomon, *pariat dies*, maximam rerum incertitudinem, & mobilitatem notauit, quia neſcit prorſus homo, an quæ in craſtinā diem pendent, proſpera futura ſint, an aduerſa: ignorat etiā ſtata cuiuſcunque rei tēpora, & natas occaſiones, atque adeò de futuris nihil certò decernere licet.

5. Sunt qui obſeruent ad illa verba Pauli. *Sicut dolor in vtero habentis*, in Græcis pro illa voce, *dolor*, ſubiici ὠδὶν, atque id nominis non tàm notare partum opportunum, & naturæ conformem expletis menſibus, quàm præcelerem, & citatum aborſum. Nam partus, inquiunt, naturalis aliqua indicia, & argumenta obſeruari ſolent à fœminis, ex quibus tempus inſtare, aut diſtare probabiliter coniiciunt: aborſus verò, cùm ex accidentibus cauſis euenire ſoleat, nunquàm non incertus, ac dubius eſt. Paulus igitur, aiūt, ad ſignificandam diei extremi incertitudinem, exemplum expetiuit non quidem ex naturali partu, cuius aliqua indicia, & documēta natura duce habemus, ne fortè putaremus, illum poſt expletum aliquem ratū, ſtatumque dierum numerum euenire oportere: ſed ex aborſu, cuius nulla indicatio eſt in natura, vt nobis omnia, ſcilicet tempus, diem, atque horam extremi iudicij incomperta eſſe ſciremus. Succedat igitur memoriæ id, quod initio diximus ex obſeruatione Hebraizantium, ſcilicet verbum *Ialad*, quod hîc reperitur, non modò de partu naturali, ſed etiam de aborſu enuntiari ſolitum: atque inde conſtabit quàm aptè Salomon ad ſignificādam futurorum euentuum incertitudinem dixerit, *Ignoras quid ſuperuentura pariat dies.* Licet ſic reſtituere. *Quid ſuperuentura per aborſum edat dies.* i. non ſatis noſti rerum futurarum euentus: ſæpe enim res tempus accommodatum, & aptas ſibi occaſiones non expectant, vt edantur in lucem, ſed tēpus occaſionemque omnem pręuertentes, quaſi per aborſum citatumque partum, proferuntur, atque adeò quemadmodum fœtus ex aborſu inepti ſunt, qui aut demortui naſcuntur, aut citò pereunt: ſic etiam res eiuſmodi, quæ extra ſua quæque tempora, & occaſiones geruntur, nullum vſum ha-

bent. Vt propterea Salomon ad eum, qui magná rerum agendarum opportunitatem sibi in posterum pollicetur, aptissimè dicat: ita rerum futurarum opportunitates importunis casibus impediri, sicut naturales partus solent abortibus frustrari.

6. Rursus illud etiam supra animaduertimus, verbũ *Jalad*, non tantùm de partu, sed de generatione etiam dici solitum, ita vt liceat vtroque modo restituere. *Ignoras quid superuentura pariat*, vel, *generet dies*. Quid inde? Sanè anceps verbi significatio (si vtraque coniungatur) sententiam minimè insulsam offert. Nam inter partum, & generationẽ hoc interest, quod partus quidem cum dolore, & cruciatu perficitur, generatio verò cum voluptate, & delectatione peragitur. Ait ergo Salomon. Noli de crastinis, externisque rebus decernere, nec tibi quidquàm secundum, aut fortunatum pendente tempore spondere præsumas, *ignoras enim, quid pariat*, vel, *generet dies crastinus*. Quasi dicat: nescis prorsus, an cum voluptate fortunata & fœlicia, an potius cum dolore infausta & infœlicia omnia te maneant in crastinum.

7. Ad extremũ obseruanda est translatio Chald. quæ sic habet. *Ignoras.n. quid paritura sit hodierna dies*. Nã cùm in Primitiuis tantummodò sit, *quid pariat dies*. Chald. non sine emphasi *hodiernam*, potius, quam externam diem præscripsit, ita vt sensus sit. Frustra tibi in crastinum insipienter aliquid promittis, cùm neque illud tibi compertum sit, quid sis demum, vel hodierna die facturus? Quam sententiam magis ac magis pressit Seneca loco citato illis verbis. *Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque quidquid tenetur per manus, exit, & ipsam, quam premimus, horam, casus incidit.*

II. *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.*

8. LAudet te, &c. Hebr. concinunt cum Vulgatis: id solum obseruatione dignum, in priori hemistychio pro illa voce, *alienus*, subiici זר, ex verbo זור *Zur*, quod nomen virum quemlibet alienum à sanguine, & à cognatione, non tamen à patria, adsignificat. Illi autem voci *extraneus*, subest, נכרי *Nachri*, ex radice *Nachar*, id verò nominis non modò *alienũ*, & *alienigenam*, sed etiam *hostem*, atque *inimicum* notat. Deut. 32. *Ne fortè superbirent hostes eorum*. Et supra c. 26. *Labiis suis agnoscitur inimicus*, & alibi LXX. *Laudet te vicinus, & non os tuum, alienus, & non labia tua.* Aquila, & Sym. *extraneus*, &c. D. August. tract. 36. & 58 in Ioan. *Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui.*

Deut. 32.

Huius loci perspicua valde sententia est. *Laudet*, inquit, *te alienus, & non os tuũ*. i. si sapis, & stultus vulgò haberi non vis, non quidem tu ipse laudes tuas vsurpare, sed illas aliis celebrandas permittere debes. *Extraneus, & non labia tua*. Per repetitionem eiusdem sententiæ putant vulgò interpretes, nihil vel lepôris, vel noui sensus ad priorem sententiã apponi: ego verò aliter sentio. Primam ergo partem sic interpretor. *Laudet te alienus, & non os tuum*. Per *alienum* intelligit eum, quicum necessitudinis, cognationis, aut familiaritatis nihil intercedit (eam.n. vim habet nomẽ illud *Zar*.) Atque adeò ita ego reor, Salom. his verbis non solum id interdicere, ne quis ore proprio suas laudes verset, sed etiam ne eas à cognatis & familiaribus celebrari sinat; primò, quia quidquid hi iactitãt perinde censetur ac si ore prædicaretur proprio: deinde etiam quia familiares, amici, & cognati sæpius pro suo studio ea probant, & cõmendant, quæ laude digna non sunt. Ideò, ait, *laudet te alienus*, is nimirum,

A qui nullam vel cognationem, vel familiaritatem tecum contraxit. Subdit.

9. *Extraneus, & non labia tua*. Per *extraneum*, inimicum & hostem capiendum puto, ita vt sit sensus. Tantum abest vt tuas tu ipse laudes percensere debeas, vti ad eas celebrandas hostem potius adhibere oporteat, quàm te ipsũ. Nullus enim hostis tuas laudes tantoperè extenuare atque eleuare detrahendo poterit, quàm tu ipse easdem prædicando, & agendo. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem præstare dicit laudes proprias aduersariis permittere, vt eas derogando deprimant, quàm easdem ore proprio percensere: quia nimirùm de eiusmodi laudibus plus certè detrahit propria prædicatio, quàm id quod B aduersarij iniuria & liuor derogare potest. Quapropter vtraque pars sic nectenda est: Ab alienis, imò ab hostibus, commendari potiùs elige, quàm à te ipso: nam quamuis alieni, exterique homines ob ignorationem rerum tuarum, & hostes ob inuidiam, & liuorem, plura subticeant, maiorem tibi afferet gloriam eorum qualis qualis commendatio, quàm tua, aut tuorum copiosa, & magnifica deprædicatio.

Aliter etiam sensus non inconcinnè conformari poterit ad hunc modum. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*, id est, sic te rectè gestis commendabilem præbe, vt non sit tibi opus tuas ipsius laudes passim retractare, quin imò non alieni tantùm, & ignoti homines, quibuscum nulla tibi intercedit C necessitudo, eas vsurpent, sed ita etiam, vt ab hostibus illas extorqueas, ita nimirùm, vt ne hostes quidem tui eas sine impudentia supprimere, ac conticescere possint.

10. Et quidem à propriis prædicationibus abstinere ideò præcipit Salomon, quia laus proprio ore decantata multis nominibus extenuatur. Primò quæ ex ore proprio fluit commendatio, vulgari hominum opinione vilis est. Hinc commune illud proloquium manauit. *Sordet laus in ore proprio*. Accinit etiam Plinius iunior in pereleganti epistola ad Saturninum, quæ est 8. l. 1. *Id quod magnificum referente alio fuisset, ipso, qui gesserat, recensente vanescit*. Cur verò istiusmodi laus tantoperè sordescat, statim subscribit. *Hi* D *qui bene facta sua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint: sed vt prædicarent, fecisse creduntur*. Secundò sibi abrogat fidem propria laus. Eò spectauit illud, quod in Euangelio Ioan. 8. aduersus Christum Pharisæi protulerunt. *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*. Tertiò stultitiæ vertitur. Paulus 2. ad Corinth. c. 12. cùm quasdam laudes proprias commemorasset, sic demùm attexit. *Factus sum insipiens, vos me coegistis: ego enim à vobis debui commendari*. Lege Chrysostomum in húc locum, qui illud per excursionem expendit, quod cùm Paulus iusta, imò necessaria ex causâ, laudes suas percensuisset, nihilominus tamen semetipsum stultitiæ insimulat, quasi vix, ac ne vix quidem hanc stultitiæ notam effugere possint rerum suarum deprædicatores. E Quartò propria laus aliorum odium accersit. Hinc est illud Themistij apud Stobæum. *Nulla narratio tàm odiosa est, quam sui ipsius encomium*. Hùc spectat etiam illa celebris parœmia. *Teipsam laudas mulier sicut Astydamas*, qua lusit. Iulianus in epistola ad Magnũ Basilium: & in eos iactari solet qui suis commendationibus aliis molestiam facessunt. Adagij originem lege apud Parœmiasten, sed absolutissimè de hoc themate Plinius iunior loco citato in epistola 8. ad Saturnium, vbi sic ferit. *Etenim si aliena laudes parum æquis auribus accipi solent: quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio, de se aut de suis disserentis*. Lege ibi plura in hanc sententiam, quę sic demũ absoluit. *Homines cum rẽ bene gestam desi. uere non possunt*,

Plin.

Ioan 8.

2. Cor. 12.

Stobæus.

Plin.

possunt, eius qui se commendat, iactationem quidem illius incessunt, ita si silenda fecerit, factum ipsum, si laudanda, quod non sileat, ipse culpatur.

11. Eapropter laudes suas premere, & obruere quisque debet, & vix vnquam, nisi cùm grauissima aliqua
Chrysost. necessitas ita postulat, illas vsurpare. Et Chrysost. audire oportet, qui Hom. 5. de laudibus Pauli huius necessitatis quantitatem, extremumque propriæ laudis vituperium expressit. *Extrema dementia est, nulla imminente necessitate, & necessitate violenta propriis laudibus velle decorari, non est hoc secundùm Deum loqui: indicium potius est istud insaniæ.* Itaque ad proprias laudes prędicandas non quamlibet, sed violentam valde necessitatem postulat Chrysostomus: additque, illum, qui ea ratione absque necessitate violenta propria gesta commemorat, non quidem famam & nomen sed infamiam, & dedecus sibi accersere. Cùm ergo tot nominibus propriæ laudes extenuentur, ac decrescant, satius profectò est eas vel aduersariis permittere, quàm ore proprio retractare. Nam quemadmodum bene gesta ore proprio vsurpata vilescunt, ita ex aduerso si ab hostilibus quacumque ratione celebrentur, plurimùm decorantur. Hùc spectat illud
Plutarch. Plut. in Apophthegmatibus Laconicis, qui dicit Agesilaum ita iactare solitum. *Sibi iucundum esse ab hostibus laudari, qui non verentur vituperare si quid ipsis displiceat. Tales enim, si quid laudant, iudicio laudant, non metu, aut adulatione.*

12. Ad extremum expendenda est translatio LXX. qui priorem huius sententiæ partem sic extulerunt. *Laudet te vicinus, & non os tuum.* Accinit August. qui ita locum istum contexuit. *Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui.* Quibus verbis, vt non ignobilis huius loci Scholiastes obseruauit, non solùm hoc præscribit Salom. ne quis laudes proprias deprædicet, sed etiam quandam veluti obligationem imponit proximis, vt eorum, qui commendatione dignas res gerunt, laudes opportunè commemorent, ne quando sit opus homini proprias commendationes cum rubore depromere. Quam obligationem, aut debitum, significauit Paulus tunc cùm dixit. *Vos me coegistis: ego enim à vobis debui commendari.* Hinc Socrat. apud
Stob. Stob. Serm. 1. *Thus,* inquit, *diis, laus verò bonis viris debetur.*

---

3. *Graue est saxum, & onerosa arena, & ira stulti vtroque grauior.*

13. Graue est, &c. Hebr. *Grauitas lapidis, & pondus arenæ & ira stulti grauior præ vtriusque.* LXX. *Grauis est lapis, & vix portabilis arena, sed ira stulti,* &c.

Describit Salomon iram stulti, quæ cùm sese incitauit, longè deterior est quàm ira sapientis: nam cùm furor, & indignatio, vel ipsis etiam sapientibus mentem eripere soleat, stultos certè prorsus dementat, & ad insaniam compellit: de hac ergo insipientis ira
Beda. sic fatur. *Graue est saxum, & onerosa arena,* &c. Bed. *saxum,* & *arenam* metaphoricè sūpsit ad hunc modum. *Graue admodum est,* inquit, *vel vno aliquo crimine capitali, quasi vasti cuiusdam saxi pondere, premi, vel, quasi glareis arenæ, innumeris peccatis leuioribus onerari: sed vtroque grauior est ira stulti. Quia nimirũ hæc quò certius, quia sunt mala, patescunt, eò acrius animum compungunt: Ira verò, quia non corporale, sed spirituale est vitium, quò minus deprehenditur, eò amplius grauat: non absolutè iram, sed iram stulti dixit: nam sapientes quomodo actus suos ac sermones, ita mentis quoque motus solerter examinare, & castigare satagunt.* Non solùm autem illud est in hac expositione Bedæ singulare, quod
A *saxum, arenamque,* metaphoricè accepit, sed illud etiam quod extrema illa verba, *Sed ira stulti vtroque grauior,* non intelligit de onere, aut molestia, qua alios grauat, sed de grauitate malitiæ, aut etiam de damnis, ac nocumentis, quæ ira vel furor ipsimet insipienti affert. Cæterùm hæc expositio multa habet coacta.

Minus violenta est interpretatio Lyræ, quæ sic habet: *Graue saxum, & onerosa arena,* &c. idest, grauissimum sane ad portandum est saxum, & arenæ etiam pondus nequaquàm leue, sed tamen hæc duo stultus aliquis viribus pollens sustinere, ac leuare fortasse poterit: at ira stulti longè grauior & onerosior est: illius enim pōdus nullus stultus sustinere potest. Con- 14.
B cinit hæc interpretatio cum peruulgata apud nostrates paræmia, qui in eos, qui data causa furorem continere non possunt, sic iactare solent. *Son hombres que se echan con la charga,* idest, qui pondus iræ ferre non possunt. Iuxta quam interpretationem duas illas similitudines, *saxi,* & *arenæ* aptè accommodare licet. Nam per *saxum,* maiorem aliquam indignationem ex grauiori causa susceptam; per *arenam,* minores, sed crebras, ac frequentes iras ex subitis causis subortas notari dixerim: ita vt sensus sit. Ira stulti grauior saxo, & arena, quia homo insipiens nec magnam aliquam ac vehementem indignationem, nec leuiores, ac crebros iracundiæ motus perferre potest. Quasi dicat, ingens aliquis ac vehemens iræ impetus & pondus aliquando sapientem opprimit, at stultum leues æquè
C ac magnæ indignationes obruunt: nam magnæ quidem iræ, tamquam saxa, sua magnitudine: minores verò indignationes sua frequentia, velut arena, ipsum deprimunt.

Sed quamuis præfata expositio non sit inelegans, 15.
præferendus nihilominus communis sensus, qui extrema illa verba, *Sed ira stulti vtroque grauior,* non de grauitate, qua stultus ipse premitur accepit, sed de pondere, & onere, quod stultus ira incitatus illis imponit, cum quibus conseruatur. Congruit enim, locus iste cum illo Eccl. 22. *Arenam, & salem, & mas-* Eccl. 22.
sam ferri facilius est ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum. Concipe igitur id, quod nuper diximus, per *saxum* grauiorem aliquem iræ impetum, per *are-*
D *nam* verò leuiores, sed crebros iracundiæ motus aptè notari. Ait ergo Salom. *Graue est saxum, & onerosa arena,* id est, magnum profectò saxi & arenæ pondus: nimirum saxum magnitudo, arenam verò multitudo grauem efficit, *Sed ira stulti vtroque grauior,* his qui cum illo agunt, nonnunquam enim saxi ad instar, magna atque ingens est, semper verò arenæ in morem, crebra, & passim repetita: hoc enim stultorum proprium est, non solum cum graues occurrunt causæ, vehementius furere, sed etiam leues aliquando etiam nullas ob causas passim irasci. Ait ergo Sal. ira stulti importabilis est sapienti, quia nonnunquam vehemens existit, semper crebra. Quapropter vehemens cum est, saxi ad instar vasti, ipsum opprimit cum verò
E crebra & repetita, plurimæ ad instar arenæ eundem obruit, atque adeò nunquàm non intolerabilis existit.

Peculiarem emphasim continet translatio LXX. 16.
quę sic habet. *Graue saxum, & vix portabilis arena,* &c. Non enim putandum his verbis arenæ grauitatem, ac pondus pręferri, sed specialem, quam in arena experimur, ad portandum difficultatẽ notari: nam cum eius partes solutę sint, & ab inuicem distractæ, is, qui illam apprehendere, & exportare vult: delapsis hinc & inde glareis, non potest magnam ipsius quantitatem leuare. Hæc igitur fuit mens LXX. interpretum, cum aiũt. *Et vix portabilis arena,* quæ ad iram stulti translata præclarè significat eam difficultatem, quam in ea tolerenda, & sustinenda sapientes experiuntur. Nam crebras,

crebras, ac per frequentes stulti indignationes ideò sapiens perferre non potest, quia illas, arenæ in morem solutas & fluentes non potest complecti, & cōprehendere. i. non satis potest mente assequi qua ex causa, aut quorsum stultus irascatur: quam verò intolerabile, atque importabile sit iras experiri, ac perpeti, quas quia causæ ignotæ & incompertæ sunt, homini prudenti vitare, & declinare non licet, exploratum est.

17. Possunt etiam aliter *saxum & arena*, quæ hîc Salomon appinxit, cum solemni quodam antiquorum ritu cōferri. His enim religiosum valde fuit olim arenam grauem, aut saxa ingentia cadaueribus imponére, quia nimirùm perinde ac aliquid sensus & mētis in ipsis restaret. his onerari ac degrauari putabant: & eapropter leuissimum puluerem, aut terram minimè grauem superiacere solebant. Hinc natæ familiares illæ precationes. In Græcis quidem Meleager de Ausigene.

Meleag. *Salue terra parens, nunc tu quoque sis leuis illi,*
Qui grauis antè tibi non fuit Ausigenes.

Theocrit. Et Theocritus de Eurymedonte.
Iste salutatus tumulus mihi dixeris esse,
Puluere qui texit Eurymedonta leui.

Martial. Apud Latinos Martialis.
Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena.

Et iterum.
Sit licet inde tibi tellus pacata, leuisque.

Tibull. Mitto alia, & vnum Tibullum subiicio: qui obeunti homini perniciem optans ita precatur.
Infælix vrgeat ossa lapis.

Imbuit etiam mos iste Hebræos, qui etiam ex religione quadam defunctis parcebant, ne lapides eorum cadaueribus imponerent: ideò quasi contra morem, 2.Reg.18. & contra solennem ritum illud obseruatur 2. Reg. 18. quod supra cadauer Absalon ingens lapidū aceruus aggregatus est. *Et tulerunt Absalon, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerūt super eum aceruum lapidum magnum nimis.* Quod ex 1.Mach 9. consilio Ioab factum fuit, vt hosti etiam mortuo ea ratione insultaret. Et 1. Machabæorum cap. 9. id etiā exprobrauit Antiochus Israëlitis. *Venturum se Hierosolymam & congeriem sepulcri Iudæorum eam facturū.* Id nimirùm à se committendum dicebat, vt euersa Hierosolymitana vrbe ingentes ædificiorum lapides mortuorum cadauera obruerent & opprimerēt. Mitto alia, quæ nonnulli hunc ad morem referenda putarunt. Hinc ergo ad Salomonis sententiam explicādam gradus sternitur. *Graue*, inquit, *est saxum, & onerosa arena.* Quasi dicat: vulgus hominum etiam ipsa mortuorum cadauera saxorum pondere, & arenæ onere premi, ac degrauari putat, sed ira stulti longè grauior existit, quia hominem sapientem & Philosophum, qui iniurias, & probra insultantium, veluti quoddam sine sensu cadauer, sustinere ac perpeti solet, multùm quidem premere, ne dicam opprimere, solent. Sed hæc non tam seriò à me dicta, quàm cuiusdam lepôris gratia lusa sunt.

4. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*

18. IRa non habet, &c. Hebr. *Crudelitas ira, & inundatio nasi*, vel *indignationis, & quis stabit ad facies inuidiæ?* subest autem pro *inuidia* קנאה Kinah, ex verbo *Kana*, id est, *zelare & inuidere*, seu, *æmulari*: Significat autem inuidentiam, zelum, aut zelotypiā. LXX. sic extulerunt. *Crudelis est indignatio, & acuta* A *ira, sed nihil sustinet zelus.* Chald. paulò aliter. *Crudelitas est indignatio, & inundatio ira, sed quis stabit corā zelo?* Sanctus Hieronymus contra Ruffinum. *Sed zelus impatiens est.* Schol. *Sed zelus vtrisque difficilior.* Alius interpres, qui refertur in Schol. Vaticani codicis *Quis sustinebit ad faciem zeli?*

Altera expositio huius loci est eorum, qui Vulgatæ lectionis sonitum aucupantes, neque illam cum Primitiuis conferentes, ita locum istum edisserunt. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor.* i. ira, vbi animum corripuit, omnem ex animo benignitatem pellit, & cùm primùm erumpit, ac sæuit (scilicet in primis ac subitis motibus) in furorē quodammodò, & vesaniam vertitur. *Et impetum concitati spiritus* B *ferre qui poterit?* Hanc posteriorem partem non quidem ex hominis spiritu, sed de vento ac flatu accipiunt aliqui, ita vt ista verba per similitudinem quandam enuntiata fuisse autument, hoc sensu. Quemadmodum cum vehemens aliquis ventus sese incitauit, nulla industria, vel arte cohiberi ac contineri potest: Ita etiam cùm primum homo subito iræ motu furere cœpit, nullis rationibus ad mansuetudinem, & lenitatem adduci potest.

Quapropter quemadmodum vento incumbente 19. peritus nauta non contra obsistit, proram aduersus flatum obuertens: sed velis contractis cedit, &, quoad fieri potest, impetum furentis venti eludit: ita etiam cum hominis cuiuspiam ira feruet ac tumet, non illi C obsistit, aut renititur vir sapiens, sed potius obsecundat ac indulget, donec deferuescente ac detumescente furore, mens redux hominem sibi restituat. Et sanè primos iræ impetus cum vento furenti non insulsè componit Nazianz. in Iambic. de ira. Nazianz.
Statim vt moueri conspicis ventum asperum,
Regi supremo surge te, atque hunc cogitans
Pudore siste cum metu iuncto impetum.

Et Chrysost. hom. 10. in Acta Apost. *Est*, inquit, *sicut* Chrysostom. *ventus ira, sinuamus vela, & nulla est vtilitas venti.* Hæc ille, quæ ad aliam ipse sententiam deriuat: licet tamē eadem verba nostræ adaptare. Idem etiam hom. de fide Annæ iram quoque cum ventis componit, cuius verba obseruare oportet: nam quod in sua quemque D ira facere præcipit Sanctus Doctor, id prorsus præstandum iubet Salom. in aliena. *Et quemadmodum ventis inter sese concurrentibus, mediamque scapham, dum inter sese depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim à prora, partim à puppi insurgentibus, gubernator clauo assidens seruat nauem, vndarum incursus gubernandi prudentia depellens, atque eludens: sic & mulier illa, cū ira atque angor in animum eius facerent impetū,* &c. Aliter etiam locus iste exponi solet de ira stulti: 20. Quidam. n. existimant Salom. alia similitudine indignationis pertinaciam notare, qua stultus sæuire solet in eos, à quibus læsū se putat, ita vt sensus sit. *Ira* (scilicet stulti) *non habet misericordiam.* Omnem, scilicet, exuit humanitatem: nam cum eum alioqui ratio- E ne parum valentem, magis ac magis à mēte deiiciat, illum quodammodò ad immaniū ferarū mores compellit, ita vt canem, tygrim, leonē, aut si quod est sæuum magis animal, sua feritate facilè superet. *Nec erūpens furor.* Eā, quā prius iram nuncupauerat, *furorem* nunc appellat. i. insaniam, ac demētiam. Quasi dicat, stulti ira vbi parum excreuit, ac sese incitauit, pro ea, quæ est in illo, rationis, ac mentis inopia, in vesaniam vertitur, nec tam irascitur quam furit. *Et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* Si dicamus his verbis comparationem à vento iniri: sensus erit. Quemadmodum ventum vehementem, ac fortem coërcere & continere nullius ars vel industria potest: ita etiam hominis stulti furentes impetus comprimere, nullus, ne sapiens quidem, valet.

Et

Et sanè hominis insipientis indignatio cum vento-
rum vehementia aptè confertur. Primùm quidem ob
furentem valde ipsorum impetum: venti enim sæpius
horrendo flatu desæuiunt, terras & maria concu-
tiunt, nonnunquàm etiam vastissimas turres deiiciût,
arbores, & saxa radicitùs conuellunt. Talis est stulti
hominis vecors ira, quæ nulli parcit, sed omnes suas
violentia impellit, ac concutit. Rursus illud ventis
maximè proprium, quod eorum causas, vnde orian-
tur, & quò ferantur, nullus assequi potest. Hûc spe-
Ioan.3. ctat illud Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde venit, aut quo vadit.* Id etiam ven-
tis cum stultorum indignatione commune est: nam
quam ob causam, ex qua occasione, quem in finem
stulti iram suscipiant, vnde nam oriatur, aut quorsùm
feratur eorum indignatio, ne sapienti quidem com-
pertum est.

21. Cæterùm quamuis ego facilè crediderim Vulga-
tum interpretem in ea sententia fuisse, vt putaret in
hoc versu iracundiam à Salomone describi: tamen
comparationem à ventorum flatibus desumi non cre-
do: id enim ab originali lectione prorsus abhorret, vt
liquet ex his quæ supra præfati sumus. illud potius
crediderim Vulgatum nostrum vocem קנאה *Kinah*,
quæ *Zelum* propriè adsignificat, non quidem pro *in-
uidia*, vt alij, sed pro *iracundia* & *furore* hîc accepisse:
nam *Zelus*, pro ira passim in scriptura sacra occurrit,
Psalm.78. Sap.5. Ezech.16. Psalm. 78. *Accendetur velut ignis zelus tuus.* Sap. 5.
Accipiet armaturam zelus illius. Ezechiel. 16. *in san-
guine furoris, ac zeli*, & passim alibi. Ergo Salomon
in hoc versu gradus describit, per quos hominis in-
dignatio sese incitat: nam ex ira in furorem, & insa-
niam, ex furore deniq; in zelum demigrat. Nam ho-
minis indignati motus *ira* dicitur, quandiu illum in-
dignatio à mente non deturbabit: vbi verò homini
mentem, & rationem eripuit, *furor* appellatur: ac de-
nique cùm indignationem aliqua inuidentia inflam-
mat, *zelus* nuncupatur. Ergo ex his motibus tertium
difficilem ac molestum magis esse docet Salomon.
Ratio autem ea offerri potest, quia iræ subitus im-
petus, aut etiam furor, ocyus deferuet, ac detumes-
cit: at verò illa indignatio, quam alit, fouetque, liuor
& inuidia diuturna est: ideò ait, *ferre quis poterit*. Qua-
si dicat, illa duo iram, & furorem tolerare licet, quia
subita sunt, & momentanea: at verò cùm iracun-
diam *zelus*, & liuor incitauit: intolerabilis est ob
diuturnitatem: liuor enim difficilè admodùm depo-
nitur.

22. Ad hunc modum nostra translatio cum originali
lectione componenda, & concordanda est, quæ in
Primitiuis sic iacet. *Crudelis*, vel, *crudelitas est indigna-
tio, & inundatio est furor: quis stabit ante faciem inuidæ*,
aut *zeli* Confert quidem Salomon inuidentiam, & li-
uorem, cum ira, & indignatione. Expendo singula.
Crudelitas est indignatio, vel, vt est in Vulgatis, *Ira non
habet misericordiam*, idest, iracundia immitis est, at-
atque inhumana, sæuitque mirum in modum in eos,
contra quos suscepta est: Nil certius. Rursus *inunda-
tio est furor*, id est, furor & ira (liceat sic dicere) *ea cams
vna auida violenta*, quia nimirùm, torrentis in mo-
rem ex illuuione inundantis, mentem primùm eius
qui irascitur, inuoluit atque obruit: deinde in eos,
Nazianz. contra quos insanit, impetum facit. Audi Nazianze-
num iambico de ira.

Mentem, quam feruidi
Torrentis instar morbus hic primam obruit.

Quomodo verò torrens iste in alios effundatur, do-
Basil. cet Basilius in Homilia de ira. *Quemadmodum torren-
tes ad curua loca decurrentes secum obuia quaque tra-
hunt, sic & iratorum impetus violenti, & instabiles om-
nia similiter percurrunt, atque obruunt. Non eis senectus
venerabilis, non vita virtus, non generis propinquitas,
non accepta iam gratia, non denique quidquid aliud, qua-
uis æstimandum, in honore est.* Cæterùm licet ira & fu-
ror his nominibus graues sint, ac difficiles, atque adeò
summo studio vitari debeant, tamen grauiora sunt
zeli, ac liuoris incommoda. *Et quis stabit coram zelo?*
Rationem inquires? in promptu est, quam ipse Salo-
mon suis verbis non obscurè indicauit. *Ira*, inquit,
crudelis est, ac sæua, sed in alios: at verò inuidia ne sibi
quidem parcit: inuidus enim in seipsum immanior ac
crudelior est quàm in alios. Basilius in Hom. de inui-
dia. *Nihil*, inquit, *mortalium animis inuidia perturba-
tione perniciosius contingit, quæ ante omnia ipsi plurimum
nocet auctori: aliis vero quàm minimum* Et infrà. *Miser
igitur est qui his abutitur, non aliter quàm qui in pugna
contra inimicos ensem corripiens in se, & in interitum
suum conuertit.*

Ad hæc, furor inundatio quædam est, quæ torren- 23.
tis in morem ex alluuione crescentis, mentem obruit,
& obuios quosque inuoluit ac rapit: sed tamen in eo
quidem alluuioni & inundationi prorsus adsimilis
existit, quod sicut inundatio, quæ ex pluuia aut tem-
pestate contingit, citius decrescit, & aquæ ille impe-
tus subsidet: ita etiam furoris motus ocyus deferuet,
ac deficit: at verò inuidia & liuor diutius perseuerat,
lege Basilium in ea Homilia, vbi quàm sit perenne
malum, & immedicabilis inuidiæ morbus longa ora-
tione probat Ex multis autem hæc accipe. *Inuidia*, in-
quit, *fratres charissimi, genus est inimicitiæ admodum pe-
renne, intractabile & insuperabile*, vbi inuidiam appel-
lat, *inimicitiam perennem*, vt eam ab ira distinguat quę
inundationis instar raptim pertransit: Quasi dicat,
ira imitatur torrentes ex inundatione crescentes, ac
paulo post deficientes, inuidia verò fluuios peren-
nes, ac semper fluentes: illa scilicet subita, hæc diu-
turna.

Sed quamuis præmissa expositio, quæ docet col- 24.
lationem fieri inter iram & inuidiam, mihi probetur,
tamen, vt dicam etiam quod sentio, mallem potius
inter iram & zelotypiam comparationem initam fuis-
se: Suadet hoc mihi translatio Septuaginta quæ sic
habet. *Sed nihil sustinet zelus.* Adde etiam quod huic
expositioni sensus Vulgatæ lectionis melius aptari
potest quàm ille qui ex inuidia desumitur. Nam illa
verba, *Et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*
longè melius in eum cadunt, qui zelotypia, quàm
qui inuidia feruet. Itaque sensus erit, ira crudelis est
atque immanis, furor item, velut quædam inunda-
tio ex alluuione excrescens, vehementius incumbit,
sed in his ira, & furor zelotypiæ facilè cedunt. Nam
zelotypia longè crudelior & immanior est quàm ira,
quippe quæ omnem miserescendi ignorat rationem.
Hûc spectant eiusdem Salomonis verba supra cap. 6.
vers. 34. *Quia zelus, & furor viri non parcet in die vin-
dictæ, nec acquiescet cuiuspiam precibus, nec suscipiet
pro redemptione dona plurima.* Vide ibi multa in hanc
sententiam. Rursus furor, torrentis in morem, inun-
dat, sed zelotypiæ tempestatem non attingit. nam irę
inundatio ac procella ocyus decrescit ac sedatur, at
verò zelotypiæ tempestas vix vnquàm conquiescit.
Chrysostomus in libro de virginitate. *Nihil*, inquit, Chrysost.
*ab hac zelotypia tempestate hominem potest abducere, sed
omni vel commodorum cura, vel incommodorum sollici-
tudine violentior ista procella est. Etenim ea morbi istius
insania est, vt neque sumpto de eo supplicio à quo læsus
sit, dolorem æger abiiciat. Itaque multi, adultero sæpe su-
blato, neque iram, neque angorem tolerare potuerunt.
Sunt etiam qui vxore iugulata ydem manserint, vel ma-
iore rogo consumpti.* idem etiam Homilia 38. in Gene-
sim sic habet. *Qui zelotypia laborant, & bonum pacis
amittunt, turbas, & fluctus sibi quotidie excogitant, nul-
lamque*

Iamque voluptatem habere possunt, interno bello omnia confundente, multamque eis amaritudinem inuehente. Ad hunc modum licet tibi alia excogitare, quibus zelotypiæ damna tàm iræ, quàm furoris incommoda facilè vincunt, non modò comparatione ipsius, qui zelo vtitur, sed etiam respectu eorum, de quibus vir zelotypus suspicatur; vt propterea nullus sit, *qui coram zelo stare possit*, nullus, inquam, *qui zelum ferre possit*, nullus demùm qui *impetum concitati spiritus sustinere queat.* Septuaginta habent, *acuta ira*; Sed instat Nazianzenus, qui in oratione 1. in laudem Athanasij, *Iram*, inquit, *zelus exacuit.* Itaque naturalem ipsius iræ aciem zelotypia acuit, & elimat, vt propterea coram zelo iram distringente, ac mouente nullus consistere tutus possit.

Nazianz.

5. Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus.

25. MElior est, &c. Hebræa non dissonant. Septuag. *Meliores correptiones manifestæ abscondita amicitia.* Ambr. apud Pseudo-August. in lib. de amicitia. *Meliores sunt correptiones, quàm tacita amicitia.*

Huius loci non vna expositio occurrit apud auctores. Ex Rabinis aliqui collationem fieri putant inter correptionem publicam, & secretam, quam nomine *amoris absconditi* notari volunt, ita vt sensus sit. Longè melius est aliquem publica morum correptione ferire, si modò hæc ab amore procedat, quàm ipsum secreta reprehensione etiam ex amore profecto coërcere, quia ad mores emendandos plus præstat publica, quàm priuata animaduersio. Sed hæc expositio in multis peccat. Primò enim non omnino veram sententiam continet; aliquando enim secreta, & priuata morum correptio præferenda est publicæ; deinde etiam manifestam vim affert verbis.

26. Beda, Salonius, & alij, per absconditum amorem, quem Salomon cum manifesta correptione componit, Cupidineum & adulterinum amorem capiendū putant, cui proprium est illud, vt lucifuga sit, ac tenebras semper petat. Nam vterque vnus ex altero sic habent. *Amorem absconditum in hoc loco amorem vocat illicitum, id est, libidinosum, vt est amor adulterinus, qui pro sua turpitudine absconditur ne a sapientibus redarguatur. Melior est ergo manifesta correptio, quàm amor absconditus, quia multo melius est aliquem, vt corrigatur, manifestè increpare, quàm studio simul peccandi occulte diligere.* Iam tenes horum Patrum sententiam? Potest etiam aliter locus iste edisseri, si collatio fiat correptionis publicæ cum lasciuo amore, ita vt sententia contra amorem libidinosum vibretur, hoc modo. Longè melius est cuilibet publicè corripi, verberari, ac tundi, quàm absconditè, occultè, ac libidinosè lasciuire, & obscœnos amores transigere; isti.n. amores perniciosa magis vulnera, & liuores infligūt, quàm publica illa animaduersio. Hanc profectò de libidinoso ac secreto amore opinionem conceperat pulchra Susanna, quæ publicum & capitale supplicium secretis seniorum amoribus sibi præferendum putauit. Eandem etiam mentem castitatis studium iniecerat Iosepho, qui carceres etiam, ac vincula absconditis quoque adulteræ amoribus anteposuit. Hęc interpretatio sic accepta non displicet.

Beda. Salonius.

27. Cæterùm alia expositio perplacet, quæ docet, manifestam correptionem cum secreta amicitia componi, sed illud anceps, quæ sit illa amicitia, quæ abscondita, seu tacita dicitur à Salomone. Lyra, Dionysius, Caietanus, & alij putant, amorem absconditum dici illum, qui nullis argumentis sese prodit, ita vt sensus sit. Longè melior est manifesta morum animaduersio, quàm occultus amor; nam ex amore occulto nihil

A vtilitatis peruenit ad eum, qui amatur; ex correptione autem manifesta proficit is qui corripitur. Sed hęc interpretatio (me iudice) caret lepòre, ac sale.

Bainus ergo longè melius per *occultum, & absconditum amorem*, non quidem eum accipiendum putauit, qui verè absconditus, ac secretus est; sed occultum, vel absconditum idem esse putauit, quod abscōdentem, aut occultantem. Neque verò in scriptura sacra insolens est participium passiuum pro actiuo sumi, vt aliàs obseruauimus Psal. 76. *Mons coagulatus; mons pinguis vt quid suspicamini montes coagulatos?* Vbi coagulatus ponitur pro coagulante. Et Iob. 20. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis eius*, id est, tenebræ omnia ab oculis eius abscondunt. Simile est B etiam illud Ps. 137. *Quia tenebræ non obscurabuntur à te*, id est, tenebræ non obscurabunt oculos tuos. Mitto alia exempla, quæ alibi à me compilata sunt. Sensus igitur iuxta præfatam acceptionem dupliciter institui potest, aut enim sermo fit de manifesta correptione, qua vtitur amicus in amicum, hoc modo. *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus*, id est, quàm amor abscondens. Quasi dicat: præferenda sanè est illa amicitia, quæ amico suos errores manifestè obiicit, atque exprobrat, quàm illa, quæ dissimulat, contegitque delicta; quod quàm sit certum, ac constans, nemo nescit. Vel certè comparat Salomon aduersarium cum amico, & familiari hoc modo. *Melior est manifesta correptio*, id est, longè vtilior est ea, C quæ etiam ab hoste procedit, morum animaduersio ac reprehensio, *quàm amor abscondens*, celansque delicta familiarissimi cuiusque hominis. Hūc spectauit Plutarchus in Moralibus, qui Thelephi exemplum ad hanc sententiam deriuauit. *Quemadmodum*, inquit, *Thelephus, quoniam carebat amico, coactus est ab hoste remedium expetere ad medelam vulneris; ita qui non habent liberos ad corripiendum amicos, sæpenumero ab inimicis vtiliter audiunt sua vitia.* Ad eundem sensum allicienda est illa alia translatio, quam ex Ambrosio producit Pseudo-Augustinus. *Meliores sunt correptiones, quàm cauta amicitia*, id est, quàm tacens, dissimulansque amicitia, & (nisi fallor) ea fuit mens Ambrosij in eo loco; nam verba illius sic habent. *Si quid vi-* D *tij in amico deprehenderis, corripe occultè; si te non audierit, corripe palam: sunt enim bonæ correptiones, & plerunque meliores, quàm tacita amicitia.*

28.

Psalm. 76.

Iob. 20.

Psal. 138.

Plutarch.

Pseudo-August.

Quod si præmissa interpretatio, & ea amoris absconditi acceptio, quæ mihi ante alias probatur, non omnino arridet, sic habeto, Per *amorem absconditum*, non quidem eum intellige, qui celatur, & occultatur, sed intimum, & qui penitus in animo hæret; ita enim ad magnum aliquem, impensumque amorem notandum, dicimus esse intimum, & in corde penitus defixum. Est enim etiam in scriptura non insolens vsus, *absconditi* pro *intimo*. Psalm. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Hebr. *in absconditis*, vel, *in occultis.* Psalm. 43. *Ipse enim nouit abscondita cordis*, id est, interiora E cordis, & passim alibi. Ait ergo Salomon. *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus*, id est, longè vtilior est morum animaduersio, etiam ab hoste profecta, quàm amor, vel amicitia intima, si tamen ab illa absit hæc corripiendi, & obiurgandi licentia. Interim animaduerto illos minimè audiendos esse, qui putant, hic per manifestam correptionem intelligendam esse publicam obiurgationem, id enim non probo.

29.

Psalm. 44.

Psalm. 43.

6. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.

MEliora sunt, &c. Hebr. *Fidelia vulnera diligentis, & crebra oscula odio habentis.* Caietanus. 30.

Fideles

Fideles percussiones amici, & multa oscula inimici. Tigur. *Coacta oscula odio habentis.* Sed tamen vox illa, *coacta*, non significat violenta, sed densa, spissa, frequentia. Hæc enim omnia significat vox primitiua נעתרות *Naghtaroth*, quæ hîc subest. Chald. *Pulchra sunt vulnera diligentis, mala oscula odientis.* LXX. *Fideliora sunt vulnera amici, quàm spontanea oscula inimici.* Aquila, *quæ supplicatia.* Symm. *quàm turbata.* Quod ita dictũ videtur quasi *frequentia*, i. turbulẽter affixa.

Huius loci germana intelligentia perspicua est, docet enim præferendam esse amici acrem, & seueram correptionẽ blandimentis, atque adulationibus, quibus sæpe etiam hostes vtuntur, ad suos aduersarios decipiẽdos. Præmittam ergo commentariola, quibus Patres diuersis in locis hanc sententiam illustrarunt: B ad extremum verò si quid ipsi nõ excussum reliquerint, illud versabo. August. (August.) in Epist. 19. ad Hieronymum hæc habet. *Nescio enim vtrùm Christiana amicitia putanda sunt, in quibus magis valeo vulgare prouerbium, Obsequium amicos, veritas odium parit, quàm ecclesiasticum; Fideliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Proinde charissimos nostros, qui nostris laboribus sincerissimè fauent, hoc potius quanta possumus instantia, doleamus, quo sciant fieri posse, vt inter amicos aliquid alterutro sermone contradicatur, nec tamen charitas ipsa minuatur, nec veritas odium pariat, quæ debetur amicitiæ; siue illud verum sit quod contra dicitur, siue corde veraci, qualecunque sit, dicitur, non retinendo in mente, quod distet à labijs.*

31. Rursus idem August. in Epist. 48. ad Vincentium eidem loco copiosam magis lucem affundit. *Non omnis qui parcit, amicus est, neque omnis qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici: melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Et qui phreneticum ligat, & qui letargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Quis nos potest amplius amare, quàm Deus; & tamen os non solùm docere suauiter, verùm etiam salubriter terrere non cessat, fomentis lenibus, quibus consolatur, sæpè etiã mordacissimum tribulationis medicamentum adiungẽs exercet.* Incidit etiam in hunc locum idem August. libr. 1. contra literas Petiliani, vbi sic fatur. *Malim me obiurgatione misericordi sanari, quàm blanda adulatione tamquam mihi caput vngatur, decipi atque peruerti. Meliora enim sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.* Ad extremum in libro de amicitia, qui inter notha illius opera refertur, cap. 27. sic scribit. *Quidquid suadendum est ab amico facilius recipitur, cuius magna debet esse in suadendo auctoritas, cùm nec fides eius dubia, nec adulatio sit suspecta. Non solùm arguendi sunt amici, sed si opus fuerit, obiurgandi. Obiurgandus sæpe est amicus si veritatem aspernatur, & obsequijs, atque blanditijs in crimen impellitur. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quàm adulantium oscula. Debet quidem amicus amico compati, & condescendere, vitium eius suum putare, corripere humiliter, sed compatienter corripiat eum vultus tristior, & sermo deiectior, intercipiant etiam verba lacryma, vt non solùm videat, sed, & sentiat correptionem ex amore, & non ex rancore prodire.* Nescio an alibi Augustinus hæc verba recoluerit.

32. D. Ambros. (Ambros.) in cap. 22. Lucæ ad illa verba, *Iuda osculo filium hominis tradis?* sic attexit. *Amoris pignore vulnus infligis? & charitatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas? seruus dominum, discipulus prodis magistrum? electus auctorem? Hoc est illud, Vtiliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.* D. Chrysost. (Chrysost.) in Homilia de ferendis reprehensionibus, & conuersione sancti Pauli, hæc verba longiori commentario donat. *Sanè inimicum ne laudantem quidem probo, amicum verò etiam reprehendentem amplector. Ille etsi me osculetur insuauis est, hic etsi* A *vulneret amabilis: illius osculum suspicione plenum est, huius vulnus medicamenti vim habet. Propter hoc dicit quidam, Fideliora sunt vulnera amici, quàm blanda oscula inimici. Quid dicis? vulnera amicorum meliora dicit: non enim ad naturam eorum, quæ fiunt, sed potius ad affectionem eorum, qui faciunt, attendit. Vis discere quomodò fideliora sunt vulnera amici, &c.? Osculatus est Dominum Iudas; sed osculo suo prodidit, venenũ habebat os eius, malitiaque impleta erat lingua eius. Paulus vulnerauit eum, qui apud Corinthios scortatus fuerat, sed saluauit,* &c. Et subinde multa attexit, quibus fraudulenta oscula diabolo, & vtilia vulnera Deo tribuit. Legatur etiam in Psalm. 140. vbi eadem Salomonis verba recolit. Denique Philo Carp. in cap. 6. Can. (Philo Carp.) *Nec durum*, inquit, *illi est asperius increpari, modò id domino placiturum intelligat: vnde Salomon, Meliora sunt verbera diligentis, quàm fraudulenta oscula inimici: hæc enim ad perennem salutẽ feriunt, illa miserrimè occidũt. Vtinam ab his verberibus assiduè caderetur sponsa Christi* (scilicet Ecclesia) *non enim tot (heu miseri!) Christiani quotidie per assentationes prædicantium infœlicissimè perirent.* Et infra de his, qui ex vera amicitia, & beneuolentia auditores suos grauioribus animaduersionibus sauciant, sic habet. *Hi sunt, qui sanctissimè cædunt, & saluberrimè vulnerant; & ab his cupiant peccatores sibi vulnus infligi, ab his velle curari, ab his enim satiùs est ad tempus occidi, quàm ab adulatoribus ad gehennam exosculari.* Mitto alios Patres, C apud quos alia his quam similia alibi fortasse occurrent; ex his enim Salomonis mentem aucupari licet.

Sed vlteriùs quædam verba ab his Patribus omissa à me discutienda sunt. *Meliora sunt vulnera*, &c. 33.
LXX. *Fidelia*, aut, *Fideliora.* Quibus accinit etiam in Primitiuis vox נאמנים *Neemanim.* At quæ, inquies, *vulnera fidelia* dici debent? Alia quidem est acceptio fidelium vulnerum apud iurisperitos, alia apud Medicos. Nam Iurisperiti *vulnera infidelia*, seu ἄπιστα, appellant illa, quæ vulgò dicimus proditoria, *o dadas atraicion por las espaldas.* Ita docet Brissonius in Lexico iuris. Erunt ergo ex aduerso *fidelia vulnera*, quæ non proditoriè inferuntur, sed, vt aiunt, *cara à cara.* Tales argo debent esse amicorum obiurgationes, *fi-* D *delia*, scilicet *vulnera*, non quidem à tergo per detractionem, sed in faciem per corripiẽdi libertatem inflicta, quemadmodum Paulus cum Petro egisse aliquando se iactat ad Galatas 2 *In faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat.* (Ad Galat. 2.) Nam quæ dolosa, & proditoria sunt, amicitiam prorsus dissoluunt. Huc spectat illud Eccles. 22. (Eccles. 22.) *Excepto conuitio, & plaga dolosa, in his enim redibit amicus.* August. (August.) in lib. de conflictu vitiorum ac virtutum cap. 8 *Nec tacenda sunt mala proximi, nec consentienda, sed charitate fraterna in faciem est proximus redarguendus, non verò occultè detrahendus.* Et infrà. *Imò magis hinc odisti, & non diligis, vnde detrahis, & non corripis.*

Cæterùm apud Medicos *infidelia vulnera*, seu ἄπιστα, 34.
E nuncupantur ea, quæ penetrantia vulgò dicuntur, quæ nimirum ad interna viscera peruadunt, atque adeò immedicabilia sunt. Aliter etiam apud Chirurgos ἄπιστα, τραύματα, i. infideles incisiones dicuntur, quæ cùm ad curationem adhibeantur, lædunt tamen partem incisam. Exemplo sit incisio tuberis, quæ ad incorruptam, & integram carnem pertundit, aut etiam incisio venæ, quæ neruum attingit, & sic de aliis. Quas loquutiones ex Galeno obseruat Celsus lib. 1. Quapropter è conuerso *vulnera fidelia* illa appellare licebit, quæ non sunt penetrantia; nec ad interna viscera permeant, & ea etiam, quæ sic medentur affectæ parti, vt tamen ne leuiter quidem sanam carnem lædant. Ergo sic accipe, *Fidelia*, aut, *fideliora sunt vulnera diligentis*, idest, correptiones, quas amici

ad emendationem morum suis familiaribus exhibere debent, vulnera esse debent fidelia, idest minimè penetrantia, non iniuriosa, aut conuitiosa; hæc enim interna viscera configunt atque adeò immedicabilem plagam infligunt. Hinc est illud Diui Isidori de summo bono lib. 3. cap. 91. *Qui delinquentem superbo, vel odioso, vel iniurioso animo corripit, non emendat, sed percutit.* Huc etiam euocanda sunt illa Ecclesiastici verba. *Excepto conuitio, & impreperio, & superbia; & mysterij reuelatione, & plaga dolosa, in his enim redibit amicus.* Rursus amicorum obiurgationes debent esse *fidelia vulnera*, ita nimirum ad medelam morum exhibita, ne per excessum plus fortasse noceant, quàm medeantur. Ita cauet Chrysost. in Psal. 140. *Oportet*, inquit, *eum, qui reprehendit, multa excogitare, vt accepta sit, & salubris eius reprehensio, & magna sapientia opus est ei, qui adhibuerit tale medicamentum; ac maiore quidem sapientia opus est ei, qui reprehendit, quàm ei qui corpus scindit. Quomodo? Quoniam illic quidem aliud est quod scindit, & aliud quod dolorem suscipit; hic autem eadem est quæ scindit, & quæ dolore afficitur.* Eadem nimirum manus, quæ vulnus dat, dolorem debet sentire, atque adeò tali, ac tanta cautione ferire debet, quasi alium contigens, simul etiam sibi vulnus infligat: id enim postulat amicitia, & gratia. Alibi etiam idem Chrysostom. à Nano productus sic scribit. *Non vniformiter secundùm mensuram delictorum increpationes quoque oportet inferri, sed diligenter inspicere eorum, qui deliquerunt, vires; ne fortè volens rupta sarcire, maiorem operetur diruptionem. Nam qui aliter faciunt, nihilo mihi dissidere videntur ab his, qui ægri venam incidere volentes neruum elidunt*, &c.

35. Chaldæus habet. *Pulchra sunt vulnera amici.* Dicet aliquis *pulchra* hic perinde esse atque *bona*: ego verò aliquid etiam non iniucundum sub hoc nomine latere existimo: nam ne quis causetur amicorum increpationes propterea respuere, quia indecorum ac turpe est homini ab alio reprehendi, ac insimulari; ea propter accommodatissimè trãstulit Chaldæus, *Pulchra sũt vulnera amici.* Sanè milites accepta in castris ab hostibus vulnera non quidem turpia ducunt, sed valdè pulchra, & decora, atque adeò illa venditare, & ostentare solent. Non secus dixerim, eas plagas, quas amantium obiurgatio infligit, pulchras esse, ac decoras valde, ita vt non tegi, aut dissimulari sed ostentari potius, ac venditari debeant. Nam reprehédentem æquo animo ferre sapientiæ præconium est; non ergo debet celari reprehensionis vulnus. Lege Chrysost. in Homilia illa de ferendis reprehensionibus, & de conuersione sancti Pauli, vbi multis expendit quàm sibi decorum, & honestũ duxerit Moyses à socero suo Iethæo commonefieri, nec sine vulnere: ait enim Exod. 18. *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est: vltra vires tuas est negotium.* En vulnus; ait ergo Chrysost. *Hæc vt audiuit, non erubuit, non est confusus, non est reueritus subditos; Qui non solùm propter eos, qui ea tempestate erant, non erubuit, sed nec propter nos post se futuros. Imò tanquam honestatus hac soceri admonitione, non illos solùm, qui tunc erant homines, sed etiam eos qui vsque ad nostram ætatem secuti sunt; factum hoc literis docuit, & quod nõ potuerit animaduertere quid opus esset facto, & quod correctionem, & consilium à socero acceperit.* Habes ergo ex dictis quàm sint honesta, & pulchra apud homines amantium vulnera. Illud etiam nunc accipe, longè honestiora ac pulchriora esse apud Deum. Nam, vt docet August. in libro de conflictu vitiorum ac virtutum. *Genus quoddam martyrij est non ignobile reprehendens æquanimiter ferre.* Iam ergo sic apud te cogita, quod quemadmodum martyrum corpora gloriosa vulnerum cicatrices, ac vibices passionis suæ testes seruare oportuit, vt in cœlo gloriose admodum, ac decenter ea ostentare possent. Nõ secus eorum animi, qui obiurgantes, ac increpantes, æquanimiter tulerunt (liceat sic dicere) accepta ex obiurgationibus speciosa vulnera, & pulchros vibices martyrij æmulos, cœlo, ac cælitibus omnibus aperire, & exponere gloriosum, ne dicam superbum, erit. Subdit Salomon.

Quàm fraudulenta oscula inimici. Oscula certè summæ beneuolentiæ signa sunt, quæ solent nonnunquam ex fraude libari. Exemplo sit Amasa, quem propiùs euocatum, & osculo exceptum Ioab gladio confodit. Et Iudas, qui osculo etiam proditionis suæ facinus perfecit. Non solum autẽ hæc fraudulenta oscula vitanda esse docet Salomon, sed etiam sub his omne adulationis genus, atque omnem falsam beneuolentiæ, & amoris simulationem; hæc enim omnia fraudulentum osculum appellat. Et sanè homines istos, qui falsa amicitiæ specie veluti exosculãtes, deludunt proximos suos, à Phalangiis nihil dissidere existimo. Audi Clementem Alexand. libr. 9. Pedag. cap. 1. *Est autem aliud quoque osculum incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis, quod etiã Phalangia si ore tantum tangant, graues dolores hominibus afferant?* Est autem Phalangium araneorũ genus maximè virulentum, quod ore carnem attingens dolorem grauem immittit, ac virus transfundit, eiusmodi erat illud osculum de quo Chrysost. supra. *Venenum habebat os eius, & malitia repleta erat lingua eius.* 36.

Alij ad origines recurrunt, & non *fraudulenta*, sed, *crebra*, *spissa*, aut *densa* oscula legunt. Sensus verò in promptu est: nam iterata, & repetita oscula, maximã quandam, & summè extremam amicitiæ significationem continent. Ergo secundum hanc lectionem docebit Salomon crebras, & valdè frequentes amici cuiuspiam increpationes, crebris etiam, ac repetitis inimici osculis esse anteponendas. Adde etiam apud veteres de more fuisse euntes ac redeuntes officij gratia osculis excipere ac dimittere; atque adeò licebit etiam hanc lectionem ad eum morem reuocare, ita vt sensus sit: Amicus qui seueris correptionibus vtitur in amicum suum, crebrius admittendus est ad familiaritatem, & vsum, quam hi, qui frauduléter placendi gratia eos visunt, ac reuisunt, quibus adulari, & assentari volunt, id enim significant *crebra oscula.* 37.

Denique LXX. habent. *Spontanea oscula.* Ambr. & August. *voluntaria*: dicuntur autem voluntaria, seu spontanea odientium oscula ad speciem tantùm, quatenus illa quæ libant, oscula, sponte, voluntariè, & ex animo à se libari omni artificio simulare, adulatores contegunt.

---

7. *Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam animarum pro dulci sumet.*

ANima saturata, &c. Hebr. *Et anima famelica omne amarum dulce.* LXX. *Anima, quæ in saturitate est, fauis illudit; egenti etiam amara dulcia videntur*, Cass. collat. 12. cap. 5. & 14. legit *Anima esurienti.* Chald. *Et anima esurienti quidquid amarum est, dulce est.* 38.

Huius loci non vna facies. Beda, Hugo, Dionysius, & Salonius spiritualem ex illo sententiam eliciunt ad hunc modum. *Anima diuitum (qui habent consolationem suam in hoc sæculo, de quibus dicitur in Euangelio, Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.) Anima, inquam, diuitum fauum calcat, quia pro terrenis bonis spernit dulcedinem regni cælestis; anima verò esuriens etiam amarum pro dulci sumet, quoniam qui esurit, ac sitit iustitiam, omnem huius vitæ aduersitatem auidè sumit pro amore*

amore cæleſtis patriæ. Hæc verba ex vtroque carptim deſumpta ſunt. Reliqui interpretes literæ veſtigandæ incumbunt.

Et quidem ſonus verborum, & allegoriæ cortex perſpicuus eſt, nam præter quàm quod illius ſenſum experientia duce nouimus, vtramque partem quædam vulgò tritæ ſententiæ confirmant. *Anima ſaturata calcabit fauum.* Huic affine eſt illud Liuij. *Copia rerum faſtidium facit.* Accinit etiam illud vulgare apud noſtrates, *el hombre harto no es comedor.* Subdit. *Et anima eſuriens*, &c. huc ſpectat id quod vulgò iactari ſolet. *Optimum cibi condimentum eſt fames*, nec non illud, *Fames efficit vt cruda faba ſaccharum ſapiant.* Eſt quoque apud Hiſpanos illud vulgare, *à buena hambre no ay pan duro.* Sed frangendus hîc cortex, atque eruendus nucleus. — *Liuius.*

39\. Ergo alij ſententiam huius parabolæ malam in partem rapiũt, atque illam de libidinoſa, & inſana concupiſcentia captandam putant hoc modo. *Anima ſaturata calcabit fauum.* i. homo ætate ſenioque confectus, quem delitiarum faſtidium iam accepit, ſuauiſſimas etiam, ac iucundiſſimas voluptates præ tædio aſpernatur. *Et anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumit.* i. iunior aliquis, vegetior, ac robuſtior, in quo libido exæſtuat, & quem concupiſcentia veluti fames hactenus vrget, ea certè, quæ nec iucunda nec volupia omnino ſũt, ſed amara potiùs, & auſtera, maxima cum auiditate tranſmittit. An non amarum eſt noctes inſomnes ducere, gelu rigere, & æſtu aduri, & alia eiuſmodi grauiſſima perpeti? & tamen hæc omnia iuniorum libido non ſine voluptate deuorare ſolet. Audi Chryſoſt. famelicos iſtos libidinũ amatores nihil non deuorantes Hom. 78. in Ioan. eleganter deſcribentem. *Non vides amantes? hi namque voluptatum amore quot mala perferunt? alapis, verberibuſque caſi, irriſi, innumeris iniurijs laceſſiti, blando tamen morbo comprehenſi, omnia ſibi tranquilla, & fœlicia arbitrantur, dum vel ſemel ſuaue aliquod, vel placidũ inde accipiãt, priorum omniũ obliuiſcuntur: Omnia ſecunda prouenĩũt, ſiue paupertas, ſiue morbus, ſiue quodcũque aliud vel moleſtiſſimum: vitam enim ſuam vel miſeram, vel beatam, ex amicitiæ affectu ducunt. Neque humanam gloriam, neque infamiam curant, ſed & cõtumelias, & omnia magna cum voluptate, propter illius amorem facile deuorãt, & ſi maledicat, ſi in faciem inſpuat, roſis aſpergi ſe putant*, &c. Sed quid eſt, inquies, illud quod res adeò auſteras, & amaras in ſuauitatem, & dulcedinem vertit? Certè fames. Libido, inquam, quæ famis ad inſtar ardentiſſimè illorum conficit præcordia. Cæterùm hæc expoſitio mihi nequaquam probatur. — *Chryſoſtom.*

40\. Alij ergo eandem ſententiam in bonam rapientes partem, per ſaturatam animam eam intelligũt, quam virtutis, & honeſtatis faſtidium tenet; per eam verò, quam fames vrget, illã accipiunt, quæ deſiderio eiuſdem virtutis, & probitatis flagrat hoc ſenſu. *Anima ſaturata calcabit fauum.* i. anima, quam cepit acedia, ac virtutis tædium, iucundiſſimas, ac fauis ipſis dulciores, quæ ex honeſtate fluunt, delitias faſtidit, aſpernatuque. *Anima verò eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.* Ea ſcilicet anima, quæ deſiderio honeſtatis, & probitatis capeſſendæ, ſeu fame quadam ardentiſſima, penitus vrgetur, etiam ea, quæ in virtutibus amara, & auſtera ſunt, cum voluptate deuorat. Et quidem acediam, tædium, ſatietatemque boni, & honeſti ſæpius appellat Caſ. honeſtatis verò amorem ſub nomine famis producit Chryſoſt. paſſim, ſed tum maximè Hom. 24. in priorem ad Cor. Hæc etiam interpretatio mihi parum arridet.

41\. Propiùs ad veritatem accedunt (ni fallor) Caietanus, & Ianſenius, qui hoc prouerbium eo deriuant, vt ſignificet id hominibus proprium ac germanum vitium eſſe, vt quamdiu carent re aliqua, eam impensè, tanquam famelici, appetant, at poſtquam adepti ſunt, eandem, tanquam ſaturi tædioſique, aſpernentur. Itaque ſenſum ſic conformant. *Anima ſaturata calcabit fauum.* i. anima, quæ deſiderata diu re demum potita eſt, quantumuis hæc dulcis, ac iucunda ſit, tamẽ per breui interſtitio eã ex ſatietate faſtidit: contra verò, *anima eſuriens, etiã amarum pro dulci ſumet.* Ea ſcilicet quæ ardenti deſiderio, tanquã fame aliqua vehemẽti, rem aliquam deperit, etiam ſi hæc non ſit omnino iucunda, & delectabilis, tamẽ quatenus è votis cedit, ac deſiderium longum explet, dulce admodum ſapit. Hinc eſt illud vulgare ex D. Greg. Hom. 36. in Euangelia. *Corporales delitiæ cùm nõ habentur, graue in ſe deſiderium accendunt, cùm verò habitæ eduntur, comedentẽ protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. Appetitus placet, experientia diſplicet, appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat.* Id verò, quod de voluptatibus cenſuit Greg. de quibuſuis aliis temporariis bonis iudicandum eſt. Præſto nobis eſt Seneca in Epiſt. 118. *Homines, inquit, per mala nituntur in mala, petuntque mox fugienda, aut etiam faſtidienda: cui enim aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur?* — *Caiet. Ianſen.* — *Gregor. Seneca.*

42\. Proximè ad duos accedit Baynus, qui putat Salomonẽ in ea fuiſſe mẽte, vt ſignificaret his verbis omnia, quæ ſunt in hac vita, pro deſiderio, & appetitu hominũ æſtimari, ac metiri, ita vt ſẽſus ſit. *Anima ſaturata calcabit fauũ.* Quaſi dicat: Nihil dulcius fauo, & tamen homo ſatur, ac tædioſus, illud faſtidiet. *Et anima eſuriens etiam amarũ pro dulci ſumet*, finge tibi etiam amaros valdè, & auſteros cibos, & tamẽ hi viro famelico prædulces erunt. Igitur eodẽ modo de omnibus aliis rebus decernere oportet. Numera tibi omnia iucunda, & omnia delectabilia, & da hominẽ, qui hæc, velut ſatur ac tædioſus, nequaquã appetat, æquè illi cuncta felle ipſo amariora erunt; rurſus recenſe mihi omia iniucunda, omnia aſpera, & infœlicia, & da ſimiliter hominem, qui hęc, veluti famelicus, afflictim deperear, æquè illi cuncta melle, fauiſque ipſis dulciora, ac ſuauiora contingent. Interim autem dum ait Salomon rerum omnium (liceat ſic fari) ſaporem, & guſtum ex voluntate noſtra, animoque pendere, ſeriò ſuadet, vt eiuſdem voluntatis motus affectioneſque moderemur, rerumque ipſarum iacturam ne vereamur. Audiendus hac ſuper re Seneca. *Non, inquit, in rebus vitiũ, ſed in animo ipſo eſt, illud quod paupertatem nobis grauem fecerat, diuitias quoque ipſas graues faciet. Quemadmodũ nihil refert vtrum ægrum in lecto ligneo, an in aureo colloces, quocunque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transferet: ſic nihil refert, vtrum æger animus in diuitijs, an in paupertate ſit, malum ſuum illum ſequitur. Ad ſecuritatem nõ eſt opus fortuna.* Hæc ille in excerptis. Accipe etiam illud ex Chryſoſt. Homil. 65. ad Populum. *Voluntateŝ, & diuites faciunt, & pauperes, non pecuniarum copia, nec egeſtas. Vis fieri diues tu pauper? licet tibi, ſi velis, qui prohibeat, nemo eſt.* Et multa ſubinfert in hanc ſententiam. — *Baynus.* — *Seneca.* — *Chryſoſt.*

43\. Cæterum quamuis præmiſſæ interpretationes mihi ſatis arrideant, tamen facilè mihi ſuadeo aliam fuiſſe Salomonis mentem. Hic enim (ni fallor) diuitias cum paupertate, & diuitem cum paupere confert, & ex collatione hunc præfert. *Anima, inquit, ſaturata calcabit fauum.* q. d. quid refert, an copias immenſas tibi numeres, atque adeo exquiſitos cibos, & mẽſam opulentam, ac delitioſam poſſideas, quandoquidem ſaturitas ipſa earum delitiarum, quibus affatim abũdas, faſtidium, & nauſeam afferre ſolet. *Et anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.* LXX. hîc allegoriam aliqua ex parte ſoluentes ſic reſtituerunt. *Egenti etiam amara dulcia videntur.* Quod perinde eſt ac ſi dicat: homo pauper, & indigens cui exiguus cenſus viles

viles ac pretenues escas suppeditat, beatior ac fœlicior est, quia eiusmodi cibos fames vsque adeò condit, ac temperat, vt vilia, amara, & austera illi mirum in modum dulcescãt. Quid certius? Eò spectauit Seneca loco citato, vbi sic ait. *Paruo fames constat, magno fastidium.* Sed audiendus Chrysost. Hom. 51. ad Populum. *Dicam quot tristitias, & molestias habeant diuites delitijs inhærentes. Hanc enim ipsam lautam mensam cum voluptate nunquam attingunt. Egestas enim sicut sanitatis, sic & voluptatis est mater, saturitas autem, sicut morborum, itidem, & fastidij fons, atque radix est; vbi namque satietas fuerit, non potest esse appetitus; absente verò appetitu, quomodo possit esse voluptas? Propterea non tantum pauperes diuitibus prudentiores inuenimus, verum & maiorem assequentes delectationem.* Item in Hom. super oratione Annæ. *Nam, & diuitibus aqua delectationis est portio definita: Imò, & hic pauperes præstare diuitibus quis non viderit, quando, & efficaciores habent sensus, & perfectiores habent quasque susceptiones. Quapropter veraciorem hauriunt voluptatem.* Et subinde rationem attexit. *Non ita suauis vini, merique potus, sicut potantis sitis delectare solet, non ita placentas comedere, sicut cum esurit vilem cibum sumere: non ita molli recubare strato, sicut dormitantes dormire. Quæ omnia magis apud pauperes sunt quàm apud diuites.*

44. Sed, quod caput est, hæc nostra interpretatio est ipsius Chrysost. propria in orat 6. de prouidentia, vbi sic habet. *Nostri victus nobis terminus sit, quod non lædat, quod famem sine offensione depellat, & nihil vlterius requiramus. Si voluptatem quærimus in eo quod satis, potius quã in delitijs inueniemus. Audi quomodo in eo maior, quàm in his, & vberior voluptas est. Hæc enim moderari se ipsam de cætero non potest, neque naturam sanguinum idoneam sibi inuenit; illa verò contra sibi moderari potest. Quis hoc ait? Qui maximè ex omnibus ea fruebatur. Anima* (inquit) *vacua quæ amara sunt dulcia videntur; anima satiata etiam cum fauo ludit. Si enim in abundantia ne fauum quidem expetimus; quid volupe potest esse de cætero? si id quod suauissimum est, afferre voluptatem non potest quid potest nos in voluptate constituere? Quare si voluptatem quærimus, hic magis i. in paupertate, inueniemus.* Et in Hom. quod nemo læditur nisi à seipso, sic habet. *Anima in satietate posita fauis illudit, ostendens etiã ex ipso, quod voluptas non in natura ciborum, sed in desiderij vigore consistit. Nam cum per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter, & voluptas perimitur.*

---

8. *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.*

45. SIcut auis, &c. Hebr. *Sicut auis vagans à nido suo, sic vir vagans a loco suo.* Tigur. *Homo, qui de loco suo migrat, similis est passerculo derelinquenti nidum suum:* in Primitiuis est צפור *Zephor*, quæ vox communis est omni aui pusillæ, atque imbelli (vt notant Hebraizantes quidam) sed propriè, & germanè dicitur de passerculo, frequentissima omnium alite, vulgo *gorrion*, LXX. *Sicut cùm auis deuolauerit à proprio nido, sic homo seruus fit, cùm peregrinatus fuerit à proprijs locis.* Symmachus. *Cùm translatus fuerit.*

Numeratur etiam locus iste inter sententias ancipites, quæ in bonam, inque malam partẽ rapi solent. Nam Vatab. Isidor. Clar. & Rodol. docens eos à Salomone commendari in hoc versu, qui nequâquam domi socordes hærent, sed penates suos deserentes in alienas terras negotiationis causa irrumpunt, vt inde ditescant. Hi ergo dissimilitudinem desumptam putant ab alite, quæ deserens nidum suum, per vicinum tractum ad cibos conquirendos pererrat; ita vt Salomõ suadeat, ne socordiæ, atque otio dediti domi maneamus, sed inde euolantes victum nostrum arte, & industria eluceremur. Ita præfati auctores, quorum interpretatio parum idonea mihi videtur.

46. Aliter ergo iuxta præfatam acceptionem comparatio peti potest ab illis auibus, quæ cùm æstatẽ apud nos agant, ad aprica loca hyeme rigente sese transferunt. Ita enim suadere videtur vox illa, *transmigrans*; sensus verò sic restituendus est. *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir, qui relinquit locum suum*, idest, Quemadmodum auis locum, ac sedem, in qua est, nõ vertit aut mutat, nisi tunc cùm vis hyemis illam expellit, & aliam naturæ suæ magis idoneam regionem commoditas offert. Ita etiam homo locum aut officium, in quo diu mansit, nõ quidem ob leuiores causas cum alio permutare debet, sed tunc cùm magna aliqua vis ipsum inde expellit, aut maxima vtilitas, & commoditas aliò euocat. Hinc est illud Platonis in Dialog. 7. de leg. *Mutationem ait omnibus in rebus præterquam in malis esse periculosam.* Qubus verbis mutationem loci, aut etiam officij, vel muneris (hæc enim omnia complectitur Plato) tantùm ob vitanda grauia mala fieri indulget. Eò etiam pertinent graues quædam sententiæ vulgò celebratæ, quæ à mutandis vertendisque sedibus dehortantur. Ouidius.

Qua fueris positus in statione mane.

Illud etiam satis emphaticum, quamuis inelegans.

Si qua sede sedes, atque est ea commoda sedes,
Illa sede sede, nec ab illa sede recede.

47. Cæterum licet hæc expositio non careat lepore: censeo nihilominus aliam præferendam esse, quæ docet, Salomonem in eos inuehi, qui rerum domesticarum curam negligunt. Ex illis ergo, qui ita sentiunt, alij locum istum parentibus, qui filiorum educationem negligenter curant, adaptandum esse putant hoc modo. *Sicut auis transmigrans de nido suo*, &c. id est, Quemadmodum si qua auis pullos suos implumes ex alẽdi tædio in nido relinquat, & alio transuolet, eos perire necesse est: ita etiam pater, qui paruulos filios educare, atque instituere ex negligentia contemnit, eos omnino perdit. Et sane ex quibusdam auibus, quæ alendorum pullorum incuriam habent, ad negligentem filiorum educationem exempla deriuare Patribus solemne est. Basil. Homilia 8. in Hexamer. *Iniquissima*, inquit, *volucris Aquila in educanda prole sua dicitur esse, duos enim mox vt excludit pullos, horum alterum alarum verbere casum è nido deturbat, alterum autem, & eum solum exceptum vt proprium sibi adiungit familiariter. Quin hunc etiam, quem ipsa genuit, ob nutricationis difficultatem à se ablegat &c. Eiusmodi parentes hi sunt in liberos praduri, & inclementes, qui prætextu à paupertate quæsito, suos infantes exponunt, aut certè iniquissimos se declarant patrimonio inter liberos partiendo.* Et infrà. *Imitari noli crudelitatem earũ auiũ, quibus vngues adunci sũt, & incurui. Hæ enim cum suos senserint fœtus volandi iam potestatem consequutos, alis eos verberãt, ac nidis depellunt, nullamque prorsus circa illos extrusos deinceps diligentiam adhibent. Laudandus est sanè cornicis erga suam prolem amor, laudanda est & diligentia. Hæc enim suos pullos jam volantes comitatur, suppeditansque alimoniam aliquandiu enutrit.* Hæc argumenta ex Basilio libauit Ambros. libr. 5. Hexameron: sed tum maximè cap. 18. vbi ex cornice quarumdam matrum in filios immanitatem obiurgat. *Discant*, inquit, *parentes amare filios ex vsu, & pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur, & solicitæ ne ex teneritudine deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non relinquunt. At verò fœminæ nostri generis citò ablactant etiam illos, quos diligunt, aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt. Pauperiores vero abijciunt paruulos, & exponunt, & deprehensos abnegant. Quis*

docuit

docuit niſi homo filios abdicare? Quis reperit tam immitia naturæ iura?

48. His ſimilia apud alios Patres videre licet, ſed tum maximè illis familiare eſt ſtruthionis exemplum ad eos parentes deriuare, qui filiorum educationẽ prorſus abiiciunt. Cuius auis ingenium deſcripſit Iob cap. 39. *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij, atque accipitris, quando derelinquit oua ſua in terra, obliuiſcitur, quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat: duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui. Fruſtra laborauit, nullo timore cogente; priuauit enim Deus ſapientia,* &c. Huic ergo adſimiles prorſus parentum mores, qui liberorum inſtitutionem ex incuria inſipienter negligunt. Contraria plane ſtruthioni turturis cura, & induſtria: ſtruthio enim ſuam ſobolem beſtiis proterendam, extinguendamque permittit, turtur verò mirabili quodam aſtu à beſtiarum incurſibus tuetur: de qua ſic Ambroſ. lib. 6. Hexameron c. 4. *Quantam Dominus etiam minuſculis infundit prudentiam: turtur nido ſuo, ne pullos ſuos incurſet lupus, ſquillæ folia ſuperiacit: nouit enim quod eiuſmodi folia lupi fugere conſueuerint.* Sed quid inde? *Nouit anicula quomodo poſteritatem foueat ſuam, & tu ignoras, tu negligis quomodo aduerſus lupos nequitiæ ſpiritualis poſteritatem vitæ huius* (id eſt liberos tuos) *reddas tutiorem.* Mitto alia eiuſdem argumenti.

Iob. 39.

Ambroſ.

Alij melius ſententiam iſtam nequaquam coarctãdam putant, atque Salomonem ab inconſtantia, & leuitate in vniuerſum dehortari volunt, hoc modo. *Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo,* &c. Omnes certè aues quãdiu pullos ſuos alunt in nidis, ibi quidem hærent, nec longiùs euagantur, ſed circum circa obãbulant: vbi autem pulli adulti euolarunt, nullibi ipſæ conſiſtunt, ſed hac illac vagæ & deerrantes peruolant. Ait ergo Salomon, Omnis homo inconſtans ac leuis, qui nulla in re diutiùs perſeuerat, ſed occupationes, artes, domos, ciuitates, & terras in dies vertit, ac permutat, ſimilis eſt aui, quæ iam iam deſeruit nidum ſuum, atque adeò nullibi conſiſtit, cui propterea nec fidere, nec credere oportet. Concinit cum hoc loco locus alter Eccleſ. 36. *Quis credet ei, qui non habet nidum, & deflectens vbicunque obſcurauerit, quaſi ſuccinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem?* Hanc inconſtantiam, & animi mobilitatem venuſtè admodum inſectatur Seneca in Epiſt. 2. Nam quæ ipſe ibi contra eos pronuntiat, qui libros multos perlegunt, & nulli doctori ſeriò incumbunt, in omnes inconſtantes ac leues homines apprimè quadrant. *Bonam,* inquit, *ſpem de te concipio, non diſcurris, nec locorum mutationibus inquietaris: agri animi iſta iactatio eſt. Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo ſecum poſſe cõſiſtere, ac ſecum morari. Illud vide ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis volumina aliquid vagum habeat, & inſtabile; certis ingenijs immorari atque innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat.* Obſerua ea quæ ſequuntur. *Nuſquam eſt qui vbique eſt, in peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur, nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio, non coaleſcit planta, quæ ſæpe transfertur. Nihil tam vtile quod in tranſitu proſit.* Et alia ſubinde attexit ad hanc ſententiam nata.

Eccl. 36.

Seneca.

50. Rurſus alij, ſunt, qui ſententiam hanc non quidem ita latè patere exiſtimant, vt quamlibet hominum inconſtãtiam, & mobilitatem ſignificari putent, ſed eorum incuriam, qui res domeſticas minimè curant: à quibus doctoribus quemadmodũ ſententia ſic etiam comparatio aliter conformari debet; & quidem ille ipſis videtur appoſitus ad hãc rem inſtituendæ comparationis modus, quem ſpiritualem ad ſenſum

A tranſtulit Beda hîc. *Sicut auis,* inquit, *quæ negligit oua ſua, ſiue pullos, quos foueat, aliorum animantium, vel auium raptui dimittit: ſic nimirum ille, qui cuſtodiã virtutum, in quibus proficiebat, deſerit, eaſundem virtutũ, quas habere videbatur, immundus ſpiritibus ipſe proditor exiſtit,* &c. Idem ergo de rerum domeſticarum neglectore decernunt, ſi nimirum eodem modo domum deſerat: omnes enim domeſticos, ac rem domeſticam alienis exponit. Sic nonnulli comparationem iſtam ſententiamque componunt. Ego verò nequaquam cum his ſentio: Tamen ſi locum iſtum de rerum domeſticarum iniurioſo neglectore capiendum putarem, tam comparationem, quàm ſentẽtiam aliter conformarem ad hunc modum. *Sicut auis trã-*
B *ſmigrans de nido ſuo.* Certè in ea ſum mente, vt putem eam vocem *tranſmigrans,* de his alitibus dici, qui temporis hyberni cauſa regiones mutant, vt ſupra notaui; ſenſus ergo ſic habet. Sicut auis quæ hyeme appetente nidum deſerit, in quo per æſtatem degerat cùm rurſus poſt hyemem redit, nidum quidem euerſum, prorſus diſſipatum, diſiectumque inuenit, adeò vt nouum conſtruere, ac fabricare ipſi opus ſit: ita etiam homo, quem à domo ſua, & à domeſticis aliquandiu abeſſe contigit, cùm iterum redux ædes ſuas repetit, omnem familiam, omnemque rem domeſticam confuſam, & perturbatam inuenit, ita vt omnia reſtaurare, ac denuò informare opus ſit Quid certius?

Sed quamuis hæc non ineptè dicta ſint, tamen vt 51.
C Vulgata lectio cũ tranſlatione LXX. concors ſit, Salomonis mentem aliò deflectendam puto. Illud ergo mihi exploratum eſt, in hoc loco ſimilitudinem ſumi ab ea tranſmigratione, quam hybernandi gratia aues quędam quotannis ſuſcipiunt, vt aliàs obſeruaui. Addo etiam nunc id, quod etiam vſu venit ſ. tunc maximè aucupes auibus inſidias inſtruere, atque illas magno numero turmatim euolãtes iactu, viſco, retibus, aut aliis artibus petere ſolitos. Hanc aucupibus ſolemnem artem notauit. D. Ambroſ. lib. 5. Hexameron cap. 18. his verbis *Quibus,* inquit, *nos inhoſpitali immanitate molimur inſidias, & diuerſo genere, nunc inſida ſede decipere, nunc viſco eas fallere, nunc retibus, aut laqueis captare contendimus.* pende illa verba, *inhoſpitali*
D *immanitate,* ideſt, hoſpitij iura per immanitatem violantes. Et quidem ea tempeſtate grues cùm ſedes vertunt, vbicumque ſe deponunt magno numero tam in Italia, quàm in Hiſpania configi iaculis, aut retibus comprehendi obſeruat Albertus Magnus in Grue. Syluestrium quoque anſerum cùm alio peruolant ingentem multitudinem ac vim à Gallis circa Alpes captari docet Conradus in Anſere: & ſimiliter aliæ aues, cùm è quibuſdam regionibus ad alias coactis agminibus tranſuolant, venatorum arte capiuntur. Hinc ergo Salomoni lux affertur, quem loqui exiſtimo de his, qui patriam, & naturale ſolum, vbi ab omnibus coluntur, & in honore ſunt, deſerentes, ad alienas, & exteras regiones excurrũt. *Sicut auis, quæ trãſ-*
E *migrat de nido ſuo,* &c. ideſt, ſicut auis, quæ à frigidis ad apricas regiones ſeſe transfert, tunc vel maximè captari atque irretiri ſolet; *ſic vir, qui derelinquit locũ ſuum.* Ideſt, ad eundem modum is, qui patriam relinquit, vbi ceu liber, & ingenuus omnibus in pretio erat, ſæpè amiſſa libertate honoribus, & immunitatibus, quibus ex ſuiſmet natalitiis apud ſuos gaudebat, tanquam degener ac ſordidus homo, aliis obſeruire cogitur. Hunc ſenſum planè reddit tranſlatio LXX. ſuprà adſcripta. *Sicut cùm auis deuolauerit à proprio nido, ſic homo ſeruus fit cùm peregrinatus fuerit à propriis ſedibus.* Quotidie videmus nobiles, ac liberos homines, quorum in patria nobilitas, & claritas comperta erat, ex eo tantùm quod ex vna vrbe in aliam mouerint, nobilitatis, & claritatis iura amiſiſſe, aut

Ambroſ.

saltem de his addubitari, addo etiam litigari cœptum A Nihil certius. Euripides in Mædæa. Euripides.

——*Malorum*, inquit,
Non est aliud maius
Quam terra patria priuari.

Extat etiam illud eiusdem.
Verumtamen miserandum est illud tempus, quo patria fines relinquuntur.

Menander. Sed illud longè significantius Menandri.
Domi manere oportet, ac permanere liberum,
Aut non amplius viuere illum, qui verè beatus est.

Sophocles. Sophocles in Teræo simile quidpiam dixit.
Domi manebit vir bene beatus.

Quasi aliter non possit non esse infœlix. Mitto alia, quæ passim occurrunt apud actores in commendationem patriæ, quæ significant miserum valde esse, seruile, ac morti æquale, à natali solo abesse. B

---

9. *Vnguẽto, & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici consilijs anima dulcoratur.*

52. VNguento, &c. Hebr. *Et dulcedo amici sui à consilio animi.* Tigur. *Et habere amicum ex animo consulentem, res dulcissima est.* Chald. *Sicut oleum bonum, & aromata lætificant cor, sic homo suauis amico suo in consilio animæ.* Omnia in idem recidunt. LXX. ab aliis dissidere videntur. *Vnguentis, & vinis, & odoramentis delectatur cor; disrumpitur autem à calamitatibus anima.* Aquila. *Et dulcedine perfundit amicum suum consilio animæ.* Sed quãuis trãslatio LXX. tantopere à nostra, & ab aliorum lectione abhorreat, eam tamen capit originalis textus: Nam verbũ רעה Raghah, ex quo fluit רעדן Reghehu, quæ amici loco ponitur, significat *frangere*, ac *disrumpere*. Item vox מעצת Meghasath, quæ subest pro *cõsilio*, si referatur quidem ad radicẽ יעץ Iaghast, consilium adsignificat, si verò reuocetur ad radicẽ עצר Ghasah, *coarctationem*, *præclusionem*, & *angustiam* sonat. Itaque locũ istum sic ad verbum restituendum putarunt LXX. *Vnguento, aromatibus, & dulcedine lætificatur cor, disrumpitur verò coarctatione anima.* Pro dulcedine autẽ vinũ reddiderũt; sed huius translationis sẽsũ postea dabo. C D

53. Nostræ lectionis germana interpretatio in promptu est. Salomon enim quanta insit amicorum consiliis & iussionibus dulcedo, & suauitas, quantumque ex illis emolumentum percipere liceat, ostendit exẽplo vnguentorum, atque aromatum (adde etiam, si placet, exemplo vini cum LXX.) *Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor.* Expendo de more comparationis vim atque energiam. Sanè vnguentis, & aromatibus illud maximè proprium est, vt ingenita sua facultate caput corroborent, & cor etiam mirum in modum exhilarent. Omnis enim vnguentorum, aromatumque varietas cordi, & capiti vt plurimum amica est. Vnguentorum vim ad pellendos cordis angores nemo nescit; quantum verò ad caput roborandũ præstet, docet Clemens Alexandrinus in Pedag. lib. 2. cap. 10. cuius verba alibi dedimus, qui propterea olim vnguentorum vsum in conuiuiis celebratum fuisse affirmat, vt caput aduersus temulentiam confirmaret. Ait ergo Salomon: amici vtique magno in pretio habendi sunt, quia eorum sermones, adhortationes, & consilia vnguentis pretiosissimis iucundiora, & vtiliora sunt; nam quod quidem exhilarant, omnem angorem, & tristitiam ab animis repellendo, & caput etiam roborant, mentem ab omni ignorationis, & insipientiæ ebrietate liberam præstando. Hęc enim sunt, quæ in optimis amicorum consiliis præcipua emolumenta inesse possunt, si videlicet animum reficiant, & mentem edoceant. E Cl. Alex.

Aliter etiã dici potest his verbis, atque ea vnguenti, & aromatum similitudine significatum à Salomone, amicorum consilia, & sermones tam in prospera, quàm in aduersa fortuna in primis vtilia esse: nam in aduersa quidem fortuna mœstum ac deiectum animum, vnguenti in morem pretiosi exhilarant; in prospera verò, & secunda contra fœlicitatem veluti merum caput tentantem ipsummet caput muniunt, atque corroborant. Audi Ambros. in libr. 1. de officiis cap. 32. *Beneuolentia communis quædam est parens omnium, quæ amicitiam connectit, & copulat: in consiliis fidelis, in prosperis læta, & in tristibus mœsta: ita vt vnusquisque se magis beneuolentis, quam sapientis credat consilio.* Et lib. 3. c. vltimo. *Solatium*, inquit, *huius vitæ est, vt habeas cui pectus aperias tuum, vt collocet tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur.* Et subinde. *Qui in lætis exultantem comprimat, in tristibus mærentem erigat.* Quod illustrius? 54. Ambros.

Adde etiam, si placet, ea similitudine aliam, quæ in sermonibus, & consiliis amicorum inest, vtilem proprietatem commẽdari, nempe fidelitatem. Nã Chald. habet. *Sicut oleum, vel vnguentum bonum.* Bonum autẽ appellat, idest, pisticum, seu fidele, non adulterinum. Succedant memoriæ ea, quæ aliàs diximus de vnguento pistico ad illa verba Ioan. 12. *Vnguenti nardi pistici pretiosi.* Vbi πιστικὸν vnguentum appellatum diximus à voce πίστις, idest, *fides*, quasi fidele, genuinum, non adulteratum, aut falsis mixtionibus imitatum. Ait ergo Salomon. *Sicut vnguentum bonum, & aromata; sic homo suauis amico suo in consilio* (sic enim habet Chald.) i. consilia, & cohortationes amicorum imitãtur vnguenta bona, hoc est, fidelia, non falsa, & adulterina. Illud certè falsum, & adulterinum prorsus vnguentum, de quo Dauid. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, illud fidele ac pisticum, *Corripiet me iustus in misericordia.* Huc spectat illud ex Ambros. nuper productum. *Beneuolentia communis quædã est parens omniũ, quæ amicitiam connectit, & copulat in consiliis fidelis*, &c. Nec non illud quod ex Augustino illo D. Aug. opere de amicitia suprà dedimus. *Amici magna esse debet in suadendo auctoritas, cùm nec fides eius dubia, nec adulatio sit suspecta.* Cicer. in lib. de Amicitia. *In vera*, inquit, *amicitia nihil est fictum, nihil simulatũ; quidquid in ea est, idẽ verum & voluntarium est.* Et iterum. *Cum autem omnium rerũ simulatio sit vitiosa (tollit. n. iudicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè.* Et infra. *Nulla est hæc amicitia cũ alter audire verum non vult, alter ad mentiendum paratus est.* 55. Psalm. 140. Ambros. August. Cicero.

Denique illud etiã energiam habet, quod dicit, *Vnguento, & varijs odoribus.* Heb. *Vnguẽto, & varijs aromatibus.* Vnguentum quidem ex aromatibus pigmentariorũ arte conficitur; aromata verò ipsæ sunt simplices species nulla arte elaboratæ. Quo non obscure significauit Salomon amicorũ consilia, non solùm eorũ, qui sapientia, & ingenio valent, atque adeò sapiẽter, & artificiosè suas exhortationes accommodant, sed etiam eorum qui ineruditi, ignarique sunt, atque adeò imperitè, & sine arte simplices valde admonitiones accommodant, magni esse facienda. Huc pertinet illud Ambrosij supra adscriptum. *Vnusquisque magis beneuolentis quàm sapiẽtis consilio credere debet.*

De translatione LXX. ad extremum dicendũ, quæ sic habet. *Vnguentis, & vinis, & aromatibus delectatur cor, disrumpitur verò calamitatibus anima.* Hæc verba (ni fallor) contra decoctores patrimoniorum pronunciata videntur hoc sensu: Cùm prodigi homines fortunas suas dilapidantes opiparas mensas instruũt, vino se ingurgitant, vnguentis & aromatibus sese perluunt, mirificè quidem gaudent, ac gestiunt: at verò cùm profusis omnibus copiis, ad paupertatis angustias 56.

guſtias redacti ſunt, & egeſtatis calamitates ſubire coguntur; ſuccedit quidem lætitiæ angor, ac mœror, animum, præcordia diſrumpens. Quid certius?

10. *Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiſeris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.*

57. AMicum, &c. Hebr. *In die tui exitij*, aut, *ſubuerſionis*, aut, *fractionis*. LXX. *In domum autem fratris tui ne ingrediaris improſpere agens*. Symm. *In die afflictionis*. Aquila. *In die anguſtiæ*.

Huius loci luculenta ſententia eſt. *Amicum tuum, & amicum patris tui*, &c. Alij duos amicos accipiunt his verbis, alij vnum: duos qui intelligunt, ita exponunt. Eum amicum, quem tu tibi paraſti, nec non eũ, quem pater tuus ſibi adiunxit, & eundem tibi quaſi ex teſtamento legauit, noli deſerere, ſed, ſi fieri poteſt, illum tibi in dies magis, ac magis copula: vterque enim, ſiue ille, quem tu comparaſti, ſiue ille, quẽ pater ſibi obſtrinxit, fidelis valdè erit. Non aſſentior huic expoſitioni. Præſtat (me iudice) illorum interpretatio, qui vnum aliquem amicum concipiunt hoc ſenſu. *Amicum tuum, & amicum patris tui*. Si fortè aliquem nactus es veterem amicum, qui non modò te, ſed & parentem tuum adamarit, cuius ſcilicet amicitia adeò conſtans fuit, vt cœptam olim cum parente tuo gratiam, illo etiam è viuis ſublato, non depoſuerit, vel abiecerit, ſed illam tecum, tanquam cum quodam patris tui vicario homine: ſibi proſequendam, longiuſque producendam putauit: hunc ne deſere, ſed pro viribus illum complectere, & arctius tibi obſtringe. Et ſanè eiuſmodi amicum tanti facere propterea iubet Salomon, quia antiquus, & eius probata iam explorataque eſt fides & gratia: nam eam amicitiam, quam ne ipſa quidem amici mors diſſoluere potuit, ſed qua valuit ratione etiam poſt obitum in filio ſuperſtite perſeuerauit, magnam eſſe neceſſe eſt, cui propterea plurimum confidere oporteat. Hic certè quiſquis erit, qui ad eundem modum amicos redamat, explebit verus illud proloquiũ. *Amicitias immortales eſſe oportet*. quippe qui etiam poſt amici interitum ſuam viuere voluit amicitiam & gratiam. Subdit Salomon.

58. *Et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis*. Sunt qui hãc poſteriorem partem à ſuperiori diſiungendam putant: ac volunt per *fratrem* hîc amicum intelligi hoc ſenſu. Si fortuna reſtiterit, & te in anguſtias compulerit, non ſtatim domum amici deprecabundus adeas, vt tuam ſubleuet inopiam, ſed tantiſper reſpecta, donec amicus ipſe ſtimulante amore ſponte, nec tuis precibus coactus, te in ædes euocet ſuas: ſic enim eius in te animum explorabis, & verus ne, an fictus amicus ſit, certiſſimo hoc argumento deprehendes. Rodolph. etiam hanc partem à ſuperiori diſſuit hoc modo. *Et domum fratris tui ne ingrediaris in tempore afflictionis*: ideſt, Cum fortuna reſtante ad anguſtias redactus fueris, noli ad amicum, quem fratre chariorem habere debes, diuertere, ne ſis illi nimium moleſtus: amicus enim tunc adeundus eſt, cùm licet per illum rebus auxilium quærere: at in deſperatis, profligatiſque rebus nequaquam conueniendus, ne pro iucunditate, quam ab illo haurire ſolemus moleſtias rependamus: haud bonam pro gratia, gratiam referentes.

59. Sed tamen hæc mihi parum idonea videntur, tum quia cum ſuperiori parte minimè cohærent, tum etiã quia loquitur Salomon de amico veteri, cuius iam explorata fides eſt, atque adeò fruſtra eiuſdem gratia denuò explorare iuberet: eapropter prima interpretatio mihi diſplicet. Deinde etiam, cùm præcipua vtilitas amicitiæ, & amicorum in rebus aduerſis afflictiſque ſpectetur, ſecundam expoſitionem non probo, quæ afflictionibus, anguſtiiſque prementibus aditum ad amicos interdicit. Meliùs ergo & cohærentiùs idẽ Rodolph. & ex illo Ianſenius in poſtrema interpretatione ſic commenti ſunt. *Et in domo fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ*. i. Tu quiſquis es qui eiuſmodi amicum habes, ſiue paternum, ſiue tuum antiquitate probatum, cùm fortè afflictis, profligatiſque rebus coactus fueris, vt ab aliquo auxilium expoſtules, ne fratrem, vel aliquem alium tibi ſanguinis cognatione coniũctum, ſed amicum præfatũ adeundum & conueniendum tibi puta: huius enim fides certior, gratia promptior, & ſubſidium opportunius erit. Quantum verò præſtet amicus bonus fratri etiam coniunctiſſimo, diximus ſupra cap. 18. verſ. 19. ad illa verba. *Melior eſt amicus amicabilis quàm frater*. Lege quæ in eum locum contulimus. Subdit Salomon conſimilem huic ſententiam.

10. *Melior eſt vicinus iuxta, quàm frater procul.*

MElior eſt, &c. Hebr. *Bonus vicinus propinquus, quàm frater longinquus*. LXX. *Melior eſt amicus qui prope, quàm frater qui longè*. Sunt etiam qui ita reſtituerint ex originib. *Pulchrior eſt vicinus prope, quàm frater longè*. 60.

Beda, Hugo, Dionyſius, & alij locum iſtum facilè expediunt: ſic enim exponunt. Præſtantior eſt ad gratiam & beneuolentiam *vicinus*, ideſt, amicus, quem amor nobis obſtringit, quàm *frater* quem ſanguinis cognatio nobis deuincit, iuxta illud ſupra præſcriptũ. *Melior eſt amicus amicabilis, quàm frater*. Concinit autem cum his interpretibus D. Ambroſ. lib. 2. Offic. cap. 34. vbi ſic habet. *Ad ſummum non omnibus eadem ſemper officia debentur, nec perſonarum, ſed plerumque cauſarum, & temporum prælationes ſunt, vt vicinum quis interdum magis quàm fratrem adiuuerit. Quoniam & Salomon dicit: Melior eſt vicinus in proximo, quàm frater longè habitans: & ideo amici plerumque ſe beneuolentiæ quiſque libentius committit, quam fratris neceſſitudini. Tantùm valet beneuolentia, vt plerumque pignora vincat natura*. Ambroſ.

Cæterum aliam eſſe reor Salomonis mentem, & verſum iſtum à ſuperiori omnino diſſuendum puto: ſignificat enim (ni fallor) quantũ ad dirimendas, diſſociandaſque amicitias valeat abſentia & locorum diſtantia. Itaque ſic ait. *Melior eſt vicinus iuxta*, &c. Vicinum appellat non quidem amicum, aut familiarem, ſed eum, qui proximè incolit: nam etiam propinquitas incolatus aliquam neceſſitudinem inducit. Melior igitur eſt, ait, eiuſmodi vicinus prope nos agens, quàm frater longè diſſitus, quem loci intercapedo & diſtantia non corpore ſolùm, ſed etiam animo à nobis diſtraxit. Neque verò Salomõ hoc abſentibus indulget, vt amicitiæ obliuiſcantur, ſed naturale abſentiæ, ac diſtantiæ vitium exprimit, tantamque illius ad diſſoluendam gratiam vim eſſe dicit, vt ſæpius alienus homo prope habitans grauior, ac beuolentior eſſe ſoleat, quàm frater coniunctiſſimus lõgè diſtractus. Eapropter inter alia, quibus amicitiã probari & explorari certum eſt, numeratur diſtantia, & longinquitas. Huc ſpectat illud Nazianzeni orat. 17. *Hactenus inter nos diſiuncti, & diuulſi fuimus, vt deſiderium, & amorẽ noſtrum vtrinque agnoſcere, atque ipſa diſtantia locorum & interuallo, quemadmodum pictores tabulas, explorare poſſemus*, ideſt, locorum diſtantia & intercapedo hoc hoc effecit, vt quẽadmodũ pictores nõ quidem è proximo, ſed ex aliquali interuallo, & Nazianz. 61.

& interstitio suarum picturarum pulchritudinem speculantur: ita etiam nos absentes, ac dissiti, quanta esset vtrinque beneuolentia, inde edoceremur. Et sanè comparationem istam mutuatus videtur Nazizenus ex Euripide in Hecuba, vbi sic illa ad Agamemnonem,

Picturis instar nonnihil tu dissitus
Quenam malorum nos moles premat, vide.

Quasi dicat: tu, ô Agamemnon, qui fœlix ac fortunatus modo es, ac propterea ab his calamitatibus, quas patimur, longiùs dissitus, hoc age vt vel sic, pictoris ad instar, è longinquo nostra conspicias infortunia: id enim satis erit, vt rigidum tuum animum ad misericordiam flectat. Nazianz. Rursus idem Nazianzenus in altera ex Epistolis sic scribit. *Nonnullis etiam, quorum amorem erga me præsens nondum planè didiceram, absens compertum habeo.* Et quidem ita euenire solet, vt quémadmodum in picturis sunt quædam tabulæ, quæ si cominus inspiciantur deformes videntur, si autem eminùs spectêtur, pulcherrimæ apparent: ita etiam in amicis quidam sunt, qui quamdiu cum illis propiùs agimus, non satis suam nobis commendant gratiam: at postquam ab his distrahimur, & lōgiùs arcemur, amicitiæ tenaces sunt, ac de suo nos amore certiores reddunt. Sed cur distantia, & absentia amoris probatio est? Non aliunde sæpè, nisi quia maxima ad amicitias vel dissuendas, vel dissoluendas distantiæ vis est. Hinc est illud peruulgatum apud veteres. *Non sunt amici, qui procul viri incolunt.* In quam sententiam Athen. inuehitur Athenæus in lib. cap. 2. *Qui enim fieri potest, vt non protinus absurdum sit amicitiam loco, & non moribus definire?* Chrysost. Cui adsimile est illud Chrysost. Homil. 77. *Neque enim locus amicos facit.* Cùm igitur ad dissociandas amicitias tantùm possit distantia, eapropter Salomon vicinum propius agentem fratri longo interstitio distanti præferendum putauit.

62. Hesiod. Sunt etiam inter vicinos quædam subsidia mutua, de quibus extat illud Hesiodi satis celebratum.

Ad conuiuium
Illum potissimum voca, qui tibi vicinior est.
Si qua domi inciderit res, tunc omissis
Adsunt vicini zonis.

Id est, tanta celeritate ad auxilium accurrunt vicini, vt ne ad sumendas quidem zonas subsistant: ideò inter præcepta Catonis numerat Plin. Plin. l. 18 c. 7. *Id agendum, vt diligant te vicini.* Sed audiendus ipse Cato de re rustica cap. 4. *Frons occipitio prior est. Vicinis bonus esto. Familiā ne siueris peccare* (scilicet in vicinos) *si te libenter vicinitas videbit, facilius tuas vendes operas, facilius locabis operarios: facilius conduces: & si ædificabis, operis, iumentis, materia iuuabunt: si quid bona salute vsu venerit, benignè defendent.* Quapropter D. August. ad comparandam hanc vicinorum gratiam in Sermone 1. de tempore, docet vicinos ad conuiuium nonnunquam inuitandos, rogandosque.

---

11. *Stude sapientia, fili mi, & lætifica cor meum, vt possis exprobranti respondere sermonem.*

63. STude sapientiæ, &c. Hebræa ad verbum sic habent. *Sis sapiēns, fili mi, & letifica cor meum, & respondebo probris afficienti me.* Tigur. *Vt respondere possim ei, qui mihi exprobrat.* Chald. *Et respōdeo verbum his, qui mihi exprobrant.* LXX. *Sapiens esto, fili mi, vt lætetur cor tuum, & auerte à te exprobrabiles sermones.* Symm. *Et respondebo probris afficienti me verbum.*

Hugo, Dionysius, & alij veterēs putant hoc in loco *filij* nomine compellatum à Salomone auditorem suum, ad quem orationem conuertit hoc sensu. *Stude sapientiæ, fili mi.* Id est, hanc, quam tibi instillo, doctrinam, & sapientiæ documenta concipe, ô auditor, aut discipule. *Et lætifica cor meum*, scilicet studio discendi: nihil enim æquè doctorem consolatur, ac reficit, sicut auiditas, studiumque discendi in auditore. *Vt possis exprobranti respondere sermonem*; Ita nimirum sermones ac documenta mea mente complectere, vt non modò ea probe teneas, & penitus calleas, sed etiam ad obiecta argumenta respondere possis: is enim nobilis sapientiæ gradus est, quem magistri in discipulis suis cum primis optant, si quis non tantùm doctrinam accēptam capiat, sed eam etiam contra impugnantes tueatur.

Alij rursus docent patrem quempiam à Salomone hîc induci filios alloquentem, & cohortantem, hoc modo. *Stude sapientiæ, fili mi, & lætifica cor meum.* Idest, diligentem operam naua, dilecte fili mi, vt sapiens euadas, atque eruditus: id.n. mirificè delectabit, ac deliniet animum meum. Nihil enim æquè parentibus iucundum ac volupe est, quàm filij sapientiâ, & eruditione præstantes, *vt possis exprobranti respondere sermonem.* Satage, inquam, sapiens vt sis, vt videlicet pro me possis vbique loqui, atque parentem tuum contra obtrectatores defendere: hæc enim non minima fœlicitatis pars est. Huc spectat illud Diogenis vulgò tritum, apud Nauum, *In filio. Beatus est qui & ipse adhuc valet, & filios ipsum defendentes robustos habet.* Nauus. Si ergo fœlicitati adscribitur filios habere robore præstantes, qui parentem lacertis suis contra aduersarios suos contutari possint: longè fœlicius, ac beatius erit filios sapientes sibi numerare, qui parentum suorum causas agere, iura defendere, & obtrectationes confutare queant. Itaque illud, *vt possis exprobranti respondere sermonem*, non quidem accipiendum de probris, quibus filius forsan petitus fuisset, sed de contumeliis, aut iniuriis parenti illatis. Nam si hoc sensu donetur nostra lectio Vulgata, nihil abit ab originali lectione, quam plures amplexi sunt, *Et respondebo probris afficienti me*, vel, *exprobranti mihi*, quod ita accipiendum, quasi dicat: Et ego ipse parens per filium sapientem obtrectatoribus meis occurram, & causas meas, iuraque tuebor. Non enim audiendi illi, qui præfatam lectionem sic exponunt: Vt nimirum eos, qui mihi illud obiiciunt, quod liberos ineptos, imperitos, tardosque genuerim productis ostentatisque iisdem filiis reuincere, ac confutare queam: id enim non est accommodatum.

De translatione LXX. aliud iudicium est. Hi enim non tam parentum, quàm ipsorum filiorum fœlicitatem obseruant: Sic enim habent. *Sapiens esto, fili mi, vt lætetur cor tuum, & auerte à te exprobratorios sermones.* Id nimirum conare, ac contende, vt plurimam sapientiam adeptus læto ac iucundo sis animo, ac nemo tibi insipientiam, ac imperitiam obiicere, aut exprobrare possit. Frustra hîc multis.

---

12. *Astutus videns malum absconditus est: paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.*

ASTutus videns, &c. Hæbr. *Callidus videns malum abscondit se: simplices transierunt: & condemnati sunt.* Pagn. *Puniti sunt.* Tigur. *Cautus videns periculum absconditur: simplices prærumpunt, & damnum accipiunt.* Chald. *Insipientes transeunt iuxta illud* (scilicet malum) *& penuriam sustinent.* LXX. 65.
Astutus malis superuenientibus absondit se, imprudentes autem superuenientes damnum patientur. In Primitiuis pro *astuto*, & *callido* occurrit vox illa ערום *Gharum*, de qua sæpè aliàs dixi ex Rabinorum sententia iuxta propriam & germanam vim serpentis astum notare.

Certè

Certè hæc sententia, vt in originibus iacet, eadem est cum illa quæ occurrit supra c. 2. vers. 3. *Callidus videt malum: & abscondit se, sed innocens pertransiit, & afflictus est malo.* Sed ad ea, quæ eum in locum contulimus, aliquid hîc subiicere libet. Ergo prima expositio est eorum, qui docent hîc per virum *astutum*, vt sæpè aliàs in hoc libro, virum prudentem & catum significari, ac rursus per *paruulos* Hebr. פתאים *Phetanim*, stultos, vecordes, tardosque homines notari: ac sensum sic demum conformant. *Astutus videns malum absconditus est*, idest, vir prudens ac gnarus mente præsaga impendentia mala prænoscens, sese proripit, atque in tuto collocat: *paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.* Stulti nimirum, ac stolidi homines transeuntes, idest, per mala ipsa irrumpentes, damna multa experiri coguntur. Et sanè duplex huius loci sententia: aut. n. per *mala*, crimina & malefacta capere licet, aut etiam calamitates & infortunia: vtraque enim malorum significatio satis obuia est. Si ergo per *mala* intelligamus scelera, & malefacta sensus erit eiusmodi. Homo prudens, ac prouidēs, videt vtrique malum, idest, cuiuslibet actionis malitiam agnoscit, atque adeò vt delinquēdi oblatam occasionem, ac vim suggestionis, aut concupiscētiæ animum pulsantis declinet, abscondit se, idest, fugit, ac sese eripit. Hanc enim vim habet illud *absconditus est*. Contra verò insipiens, & incautus quisque homo, sciens, ac videns transilit, grauiaque delicta perpetrat, quæ ipsi demum innumera damna, & calamitates asportant. Hanc interpretationē spirare videntur quorundam auctorum commentaria: sed (me iudice) præstat secunda expositio, quæ *mali* nomine infortunium, & calamitatem concipit, atque adeò sic præmissa verba edisserenda sunt. *Astutus videns malum absconditus est.* idest, Catus quisque ac sapiens homo, per mentis suę sagacitatem imminentium calamitatū præscius maturè, & opportunè sibi cauet, atque pedem veluti referens in tutum sese vendicat: contra verò insipiens, ac stultus, prę inconsiderantia nihil veritus vltra pergit, atq; adeo superuenientia damna ipsum inuoluūt.

66. Hæc sanè germana Salomonis mens, quam quiuis facilè assequi posset; sed illud notandum, quod cùm Salomon astutum & prudentem hominem à serpentis astutia sumpto vocabulo ערום *gharum*, appellasset, aptè admodum subiecit illum *absconditus est*, quia nemo nescit eos, qui serpentis astutiam, & calliditatem extollunt, ad illa Christi Domini verba, *Estote prudentes sicut serpentes*, illud inter eximia prudentiæ exempla ac documenta in serpente obseruasse, quod aduersus vulnera caput quidē abscondit, ac reliquum truncum obiicit. Lege Augustinum in Psalmum 57. & serm. 4. ad fratres in eremo. Chrysost. Homilia in Psal. 114. & in cap. 10. Matth. Hilarium in eūdem locum. Ambros. in cap. 20. Lucæ, & alios quàm plures de hac serpentis proprietate ad prudentiam nos cohortantes. Ergo sensus erit, Vir eximiè prudens præuidet à longè malum, impendens, & serpentis ritu caput suum abscondit. Id nimirum celat, quod maximè tutum esse vult. Sed quamuis hæc serpentis propria conditio non insulsè huic sententiæ adaptetur, tamen alia subest, quæ mihi idonea magis videtur, quam suprà loco citato obseruaui, & hunc ad sensum traduxi: quia nimirum hoc serpentum genus hyeme appetente aperta deserit, atque in latebras discedit, illabiturque, & tamdiu ibi occultum hæret, donec illud placida veris ineunti tempestas inuitet. Quæ proprietas eam, quæ in malis quibuslibet declinandis, vitandisque adhiberi debet cautio, & prouidentia, præclarè significat.

Matth. 10.

August. Chrysost. Hilar. Ambros.

67. Secunda expositio, quæ superiori facilè cedit, est eorum, qui vocem illam, *astutus*, malam in partem A vertunt, ac rursus illam, *paruuli*, ad bonam referunt hoc sensu. *Astutus videns malum absconditus est*, idest, vir callidus, & vafer, videns mali, aut damni dandi opportunitatem, *abscondit se*, vt ex insidiis aggrediatur; *paruuli autem*, idest, viri simplices, & candore animi præditi, *transeuntes sustinuerunt dispendia*, idest, dū incauti, & aliud agentes pergunt, astuti hominis insidiis pereunt. Itaque sententia est, virum astutum insidiari simplicibus, & incautis hominibus, vt data opportunitate illos inuadat, opprimatque. Ad quem sensum serpentis etiam astum euocare licet, qui semper à latibulis ad prædas præserpit. Audi Chrysost. qui eruditè satis serpentem cum vafro impostore componit Homil. 14. in Matthæum. *Si comparaueris*, B inquit, *hominem serpenti, peiorem inuenies illum; quia serpens, etsi malitiam habet, tamen hominis timorem habet, & ideò si quem absconsè potuerit, mordet, si autē non potuerit, fugit. Homo autem, & malitiam habet serpentis, & timorem non non habet sicut serpens, & ideo quandiu non habet tempus, latet sicut serpens, si autem inuenerit, irruit sicut bestia. Adhuc autem anguis siquidem irritatus fuerit, sæuit, si autem irritatus non fuerit, in silentio transit. Homo autem etiam nō irritatus insanit, & magis sæpè super illos insanit à quibus non fuerat irritatus.* En qua ratione astuti illi insidiatores innocentes ac de se malè minimè meritos per insidias petūt, serpentes ipsos improbitate vincētes. Audiendus etiam August. in Psal. 139. ad illa verba, acuerunt linguas suas C sicut serpentes. *Si adhuc quæris hominē astutum, accipe similitudinē. In serpente maxima astutia est, & dolus nocendi, propterea etiam serpit ex occulto: non enim vel pedes habet, vt eius vestigia, cùm venit, audiantur, in eius itinere velut lenis est tractus; ita ergo repunt, & serpunt ad nocendum habentes occultum venenum sub leni contactu.* Lege plura loco citato, vbi habes etiam translationis LXX. germanum sensum.

Chrysost.

August.

---

13. *Tolle vestimentum eius, qui spospondit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus.*

Occurrit etiam hic locus supra cap. 20. v. 3. vbi 68.
D non perfunctoriè illud discussimus LXX. hîc paulo aliter restituerunt. *Aufer vestimentum eius, preteriyt enim iniuriosus, qui quidem aliena vastat.* Schol. *Quorum aufer vestimentum, nam cùm iniuriosi sunt, alienis perniciem afferunt.* D. Ambros. de Tobia cap. 20. sic extulit. *Aufer vestimētū tuū.* atque ita subdit. *Hoc est vestimentum, quod etiam si oppignaueritis, recipiendum; in Prouerbijs sanctus Salomon præcipit dicens: Aufer vestimentum tuum, præteriyt enim iniuriosus. Sapientia vestimentum est ex illis vestimentis, quæ ex bysso, & purpura sapientia sibi fecit, hoc est indumentum fidei, quod constat, & prædicatione cælestium, & dominica sanguine passionis. Bysso enim ætherea figuratur, purpura specie mysterium sacri sanguinis declaratur,* E *quo regnum cæleste confertur.* Et perbreui interstitio sic addit. *Aufer vestimentum tuum, aufer scilicet, ne damnum recipias imprudentia, & ne exutum te proprio vemento nequissimus ille communis fœnerator agnoscens, confusionē tui detegere conetur opprobrij, & persuadeat tibi, ut te folijs tegas, & nudum te esse conspiciens in Dei verearis venire conspectum.* Hactenus Ambros. qui illa verba, *Aufer vestimētum tuum*, non quidem ita accepit, i. exue vestimentum tuum, sed perinde ac si dicat, cape illud, ac indue. Quapropter quæ ipse ad mysticum sensum deriuauit, sic iuxta literam accipienda sunt. Cùm fœneratorem times, qui vastator est rerum alienarum, indue vestimentum tuum pretiosius, vt coram illo publicè comparere possis; nam si te pannosis indutum viderit, nequaquam verebitur

Ambros.

iniuriam

& interstitio suarum picturarum pulchritudinem speculantur: ita etiam nos absentes, ac dissiti, quanta esset vtrinque beneuolentia, inde edoceremur. Et sanè comparationem istam mutuatus videtur Nazizenus ex Euripide in Hecuba, vbi sic illa ad Agamemnonem.

Pictoris instar nonnihil tu dissitus
Quænam malorum nos moles premat, vide.

Quasi dicat: tu, ô Agamemnon, qui fœlix ac fortunatus modo es, ac propterea ab his calamitatibus, quas patimur, longiùs dissitus, hoc age vt vel sic, pictoris ad instar, è longinquo nostra conspicias infortunia: id enim satis erit, vt rigidum tuum animum ad misericordiam flectat. Rursus idem Nazianzenus in altera ex Epistolis sic scribit. *Nonnulli etiam, quorum amorem erga me præsens nondum planè didiceram, absens compertum habeo.* Et quidem ita euenire solet, vt quêadmodum in picturis sunt quædam tabulæ, quæ si cominus inspiciantur deformes videntur, si autem eminùs spectetur, pulcherrimæ apparent: ita etiam in amicis quidam sunt, qui quamdiu cum illis propiùs agimus, non satis suam nobis commendant gratiam: at postquam ab his distrahimur, & lôgiùs arcemur, amicitiæ tenaces sunt, ac de suo nos amore certiores reddunt. Sed cur distantia, & absentia amoris probatio est: Non aliunde sæpè, nisi quia maxima ad amicitias vel dissuendas, vel dissoluendas distantiæ vis est. Hinc est illud peruulgatum apud veteres. *Non sunt amici, qui procul viri incolunt.* In quam sententiam inuehitur Athenæus in lib. cap. 2. *Qui enim fieri potest, vt non protinus absurdum sit amicitiam loco, & non moribus definire?* Cui adsimile est illud Chrysost. Homil. 77. *Neque enim locus amicos facit.* Cùm igitur ad dissociandas amicitias tantùm possit distantia, eapropter Salomon vicinum propius agentem fratri longo interstitio distanti præferendum putauit.

62. Sunt etiam inter vicinos quædam subsidia mutua, de quibus extat illud Hesiodi satis celebratum.

Ad conuiuium
Illum potissimum voca, qui tibi vicinior est.
Si qua domi inciderit res, tunc omissis
Adsunt vicini zonis.

Id est, tanta celeritate ad auxilium accurrunt vicini, vt ne ad sumendas quidem zonas subsistant: ideò inter præcepta Catonis numerat Plin. l. 18. c. 7. *Id agendum, vt diligant te vicini.* Sed audiendus ipse Cato de re rustica cap. 4. *Froni occipitio prior est. Vicinis bonus esto. Familiā ne siueris peccare,* (scilicet in vicinos) *si te libenter vicinitas videbit, faciliùs tuas vendes operas, faciliùs locabis operarios: faciliùs conduces: & si ædificabis, operis, immentis, materia iuuabunt: si quid bona salute vsu venerit, benignè defendent.* Quapropter D. August. ad comparandam hanc vicinorum gratiam in Sermone 1. de tempore, docet vicinos ad conuiuium nonnunquam inuitandos, rogandosque.

11. Stude sapientia, fili mi, & lætifica cor meum, vt possis exprobranti respondere sermonem.

63. STude sapientiæ, &c. Hebræa ad verbum sic habent. *Sis sapiens, fili mi, & lætifica cor meum, & respondebo probris afficienti me.* Tigur. *Vt respondere possim ei, qui mihi exprobrat.* Chald. *Et respōdeo verbum his, qui mihi exprobrant.* LXX. *Sapiens esto, fili mi, vt lætetur cor tuum, & auuerte à te exprobrabiles sermones.* Symm. *Et respondebo probris afficienti me verbum.*

Hugo, Dionysius, & alij veteres putant hoc in loco *filij* nomine compellatum à Salomone auditorem suum, ad quem orationem conuertit hoc sensu. *Stude sapientia, fili mi.* Id est, hanc, quam tibi instillo, doctrinam, & sapientiæ documenta concipe, ô auditor, aut discipule. *Et lætifica cor meum*, scilicet studio discendi: nihil enim æquè doctorem consolatur, ac reficit, sicut auiditas, studiumque discendi in auditore. *Vt possis exprobranti respondere sermonem*; Ita nimirum sermones ac documenta mea mente complectere, vt non modò ea probe teneas, & penitus calleas, sed etiam ad obiecta argumenta respondere possis: is enim nobilis sapientiæ gradus est, quem magistri in discipulis suis cum primis optant, si quis non tantùm doctrinam acceptam capiat, sed eam etiam contra impugnantes tueatur.

Alij rursus docent patrem quempiam à Salomone hîc induci filios alloquentem, & cohortantem, hoc modo. *Stude sapientia, fili mi, & lætifica cor meum.* Id est, diligentem operam naua, dilecte fili mi, vt sapiens euadas, atpq; eruditus: id. n. mirificè delectabit, ac deliniet animum meum. Nihil enim æquè parentibus iucundum ac volupe est, quàm filij sapientiâ, & eruditione præstantes, *vt possis exprobranti respondere sermonem.* Satage, inquam, sapiens vt sis, vt videlicet pro me possis vbique loqui, atque parentem tuum contra obtrectatores defendere: hæc enim non minima fœlicitatis pars est. Huc spectat illud Diogenis vulgò tritum, apud Nauum, *In filio. Beatus est qui & ipse adhuc valet, & filios ipsum defendentes robustos habet.* Si ergo fœlicitati adscribitur filios habere robore præstantes, qui parentem lacertis suis contra aduersarios suos contutari possint: longè fœlicius, ac beatius erit filios sapientes sibi numerare, qui parentum suorum causas agere, iura defendere, & obtrectationes confutare queant. Itaque illud, *vt possis exprobranti respondere sermonem*, non quidem accipiendum de probris, quibus filius forsan petitus fuisset, sed de contumeliis, aut iniuriis parenti illatis. Nam si hoc sensu donetur nostra lectio Vulgata, nihil abit ab originali lectione, quam plures amplexi sunt, *Et respondebo probris afficienti me*, vel, *exprobranti mihi*, quod ita accipiendum, quasi dicat: Et ego ipse parens per filium sapientem obtrectatoribus meis occurram, & causas meas, iuraque tuebor. Non enim audiendi illi, qui præfatam lectionem sic exponunt: Vt nimirum eos, qui mihi illud obiiciunt, quod liberos ineptos, imperitos, tardosque genuerim productis ostentatisque iisdem filiis reuincere, ac confutare queam: id enim non est accommodatum.

De translatione LXX. aliud iudicium est. Hi enim non tam parentum, quàm ipsorum filiorum fœlicitatem obseruant: Sic enim habent. *Sapiens esto, fili mi, vt lætetur cor tuum, & auerte à te exprobratorios sermones.* Id nimirum conare, ac contende, vt plurimam sapientiam adeptus læto ac iucundo sis animo, ac nemo tibi insipientiam, ac imperitiam obiicere, aut exprobrare possit. Frustra hîc multis.

12. Astutus videns malum absconditus est: paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

65. ASTutus videns, &c. Hæbr. *Callidus videns malum abscondit se: simplices transierunt: & condemnati sunt.* Pagn. *Puniti sunt.* Tigur. *Cautus videns periculum absconditur: simplices prærumpunt, & damnum accipiunt.* Chald. *Insipientes transeunt iuxta illud* (scilicet malum) *& penuriam sustinent.* LXX. *Astutus malis superuenientibus absondit se, imprudentes autem superuenientes damnum patientur.* In Primitiuis pro *astuto*, & *callido* occurrit vox illa ערום *Gharum*, de qua sæpè aliàs dixi ex Rabinorum sententia iuxta propriam & germanam vim serpentis astum notare.

Certè

Certè hæc ſententia, vt in originibus iacet, eadem eſt cum illa quæ occurrit ſupra c. 22. verſ. 3. *Callidus videt malum: & abſcondit ſe, ſed innocens pertranſiit, & afflictus eſt malo:* Sed ad ea, quæ cum in locum contulimus, aliquid hic ſubiicere libet. Ergo prima expoſitio eſt eorum, qui docent hic per virum *aſtutum*, vt ſæpè aliàs in hoc libro, virum prudentem & catum ſignificari, ac rurſus per *paruulos* Hebr. פתאים *Phetaim*, ſtultos, vecordes, tardoſque homines notari: ac ſenſum ſic demum conformant. *Aſtutus videns malum abſconditus eſt*, ideſt, vir prudens ac gnarus mente præſaga impendentia mala prænoſcens, ſeſe proripit, atque in tuto collocat: *paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia.* Stulti nimirum, ac ſtolidi homines tranſeuntes, ideſt, per mala ipſa irrumpentes, damna multa experiri coguntur. Et ſanè duplex huius loci ſententia: aut. n. per *mala*, crimina & malefacta capere licet, aut etiam calamitates & infortunia: vtraque enim malorum ſignificatio ſatis obuia eſt. Si ergo per *mala* intelligamus ſcelera, & malefacta ſenſus erit eiuſmodi. Homo prudens, ac prouidés, videt vtique malum, ideſt, cuiuſlibet actionis malitiam agnoſcit, atque adeò vt delinquédi oblatam occaſionem, ac vim ſuggeſtionis, aut concupiſcétiæ animum pulſantis declinet, abſcondit ſe, ideſt, fugit, ac ſeſe eripit. Hanc enim vim habet illud *abſconditus eſt*. Contra verò inſipiens, & incautus quiſque homo, ſciens, ac videns tranſilit, grauiaque delicta perpetrat, quæ ipſi demum innumera damna, & calamitates aſportant. Hanc interpretationẽ ſpirare videntur quorundam auctorum commentaria: ſed (me iudice) præſtat ſecunda expoſitio, quæ *mali* nomine infortunium, & calamitatem concipit, atque adeò ſic præmiſſa verba ediſſerenda ſunt. *Aſtutus videns malum abſconditus eſt*. ideſt, Catus quiſque ac ſapiens homo, per mentis ſuę ſagacitatem imminentium calamitatũ præſcius maturè, & opportunè ſibi cauet, atque pedem veluti referens in tutum ſeſe vendicat: contra verò inſipiens, ac ſtultus, prę inconſiderantia nihil veritus vltra pergit, atq; adeo ſuperuenientia damna ipſum inuoluũt.

66. Hæc ſanè germana Salomonis mens, quam quiuis facilè aſſequi poſſet; ſed illud notandum, quod cùm Salomon aſtutum & prudentem hominem à ſerpentis aſtutia ſumpto vocabulo ערום *gharum*, appellaſſet, aptè admodum ſubiecit illum *abſconditus eſt*, quia nemo neſcit eos, qui ſerpentis aſtutiam, & calliditatem extollunt, ad illa Christi Domini verba, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, illud inter eximia prudentiæ exempla ac documenta in ſerpente obſeruaſſe, quod aduerſus vulnera caput quidẽ abſcondit, ac reliquum truncum obiicit. Lege Auguſtinum in Pſalmum 57. & ſerm. 4. ad fratres in eremo. Chryſoſt. Homilia in Pſal. 114. & in cap. 10. Matth. Hilarium in eũdem locum. Ambroſ. in cap. 10. Lucæ, & alios quàm plures de hac ſerpentis proprietate ad prudentiam nos cohortantes. Ergo ſenſus erit, Vir eximiè prudens præuidet à longè malum, impendens, & ſerpentis ritu caput ſuum abſcondit. Id nimirum celat, quod maximè tutum eſſe vult. Sed quamuis hæc ſerpentis propria conditio non inſulsè huic ſententiæ adaptetur, tamen alia ſubeſt, quæ mihi idonea magis videtur, quam ſuprà loco citato obſeruaui, & hunc ad ſenſum traduxi: quia nimirum hoc ſerpentum genus hyeme appetente aperta deſerit, atque in latebras diſcedit, illabiturque, & tamdiu ibi occultum hæret, donec illud placida veris ineunti tempeſtas inuitet. Quæ proprietas eam, quæ in malis quibuſlibet declinandis, vitandiſque adhiberi debet cautio, & prouidentia, præclarè ſignificat.

Matth. 10.

Auguſt. Chryſoſt. Hilar. Ambroſ.

67. Secunda expoſitio, quæ ſuperiori facilè cedit, eſt eorum, qui vocem illam, *aſtutus*, malam in partem vertunt, ac rurſus illam, *paruuli*, ad bonam referunt hoc ſenſu. *Aſtutus videns malum abſconditus eſt*, ideſt, vir callidus, & vafer, videns mali, aut damni dandi opportunitatem, *abſcondit ſe*, vt ex inſidiis aggrediatur; *paruuli autem*, ideſt, viri ſimplices, & candore animi præditi, *tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia*, ideſt, dũ incauti, & aliud agentes pergunt, aſtuti hominis inſidiis peteunt. Itaque ſententia eſt, virum aſtutum inſidiari ſimplicibus, & incautis hominibus, vt data opportunitate illos inuadat, opprimatque. Ad quem ſenſum ſerpentis etiam aſtum euocare licet, qui ſemper à latibulis ad prædas præſerpit. Audi Chryſoſt. qui eruditè ſatis ſerpentem cum vafro impoſtore componit Homil. 24. in Matthæum. *Si comparaueris*, inquit, *hominem ſerpenti, peiorem inuenies illum; quia ſerpens, etſi malitiam habet, tamen hominis timorem habet, & ideò ſi quem abſconsè potuerit, mordet, ſi autẽ non poteuerit, fugit. Homo autem, & malitiam habet ſerpentis, & timorem non non habet ſicut ſerpens, & ideo quandiu non habet tempus, latet ſicut ſerpens, ſi autem inuenerit, irruit ſicut beſtia. Adhuc autem anguis ſiquidem irritatus fuerit, ſæuit, ſi autem irritatus non fuerit, in ſilentio tranſit. Homo autem etiam nõ irritatus inſanit, & magis ſæpè ſuper illos inſanit à quibus non fuerat irritatus.* En qua ratione aſtuti illi inſidiatores innocentes ac de ſe malè minimè meritos per inſidias petũt, ſerpentes ipſos improbitate vincẽtes. Audiendus etiam Auguſt. in Pſal. 139. ad illa verba, acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes. *Si adhuc quæris hominẽ aſtutum, accipe ſimilitudinẽ. In ſerpente maxima aſtutia eſt, & dolus nocendi, propterea etiam ſerpit ex occulto: non enim vel pedes habet, vt eius veſtigia, cùm venit, audiantur, in eius itinere velut lenis eſt tractus; ita ergo repunt, & ſerpunt ad nocendum habentes occultum venenum ſub leni contactu.* Lege plura loco citato, vbi habes etiam tranſlationis LXX. germanum ſenſum.

Chryſoſt.

Auguſt.

---

13. *Tolle veſtimentum eius, qui ſpoſpondit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus.*

Occurrit etiam hic locus ſupra cap. 20. v. 3. vbi non perfunctoriè illud diſcuſſimus LXX. hic paulo aliter reſtituerunt. *Aufer veſtimentum eius, preteryt enim iniurioſus, qui quidem aliena vaſtat.* Schol. *Quorum aufer veſtimentum, nam cùm iniurioſi ſunt, alienis perniciem afferunt.* D. Ambroſ. de Tobia cap. 20. ſic extulit. *Aufer veſtimẽtũ tuũ*. atque ita ſubdit. *Hoc eſt veſtimentum, quod etiam ſi oppignaueritis, recipiendum; in Prouerbys ſanctus Salomon præcipit dicens: Aufer veſtimentum tuum, prateryt enim iniurioſus. Sapientiæ veſtimentum eſt ex illis veſtimentis, quæ ex byſſo, & purpura ſapientia ſibi fecit, hoc eſt indumentum fidei, quod conſtat, & prædicatione cæleſtium, & dominica ſanguine paſſionis. Byſſo enim ætherea figurantur, purpura ſpecie myſterium ſacri ſanguinis declaratur, quo regnum cæleſte confertur.* Et perbreui interſtitio ſic addit. *Aufer veſtimentum tuum, aufer ſcilicet, ne damnum recipias imprudentia, & ne exutum te proprio vemento nequiſſimus ille communis fœnerator agnoſcens, confuſionẽ tuæ detegere conetur opprobry, & perſuadeat tibi, vt te folijs tegas, & nudum te eſſe conſpiciens in Dei verearis venire conſpectum.* Hactenus Ambroſ. qui illa verba, *Aufer veſtimẽtum tuum*, non quidem ita accepit, i. exue veſtimentum tuum, ſed perinde ac ſi dicat; cape illud, ac indue. Quapropter quæ ipſe ad myſticum ſenſum deriuauit, ſic iuxta literam accipienda ſunt. Cùm fœneratorem times, qui vaſtator eſt rerum alienarum, indue veſtimentum tuum pretioſius, vt coram illo publicè comparere poſſis; nam ſi te pannoſis indutum viderit, nequaquam verebitur 68.

Ambroſ.

iniuriam

iniuriam irrogare,& contumeliis, probrisque appetere: omnes enim fœnorum collectores audacissimi sunt ad contumelias, & probra: vel ne, si te laceris vestitum conspexerit, te ad angustias redactum suspicatus,magis ac magis vrgeat,sortem suam recuperare volens.Non displicet.

69. Tamen,vt dicam etiam quod sentio,mallem certè illa verba, *Aufer vestimentum tuum*,iuxta vim verborum hoc sensu donare. Sane vestimenti nomine non modò vestem ipsam, quæ corpus tegit, sed alia etiã suppellectilia, scilicet aulæa,tapetia,lectos,stromata,& alia id genus integumenta accipi in scriptura sacra aliàs animaduerti,iuxta quam acceptionem Salomon sic ait,Tolle è domo tua & absconde pretiosa quæque supellectilia,nam qui vastat omnia aliena fœnerator præterit iniuriosus. Idest, cùm ad vsuras exigendas occurrit,hæc omnia per vim, & iniuriam pignoris loco auferet, &, si fas erit,sub hasta diuendet, licitabitque. Quod si illud, *Aufer vestimentum tuum*,cum Ambrosio ita capiamus,idest cape, & indue illud, sensus (me iudice) sic conformandus est: cùm fœnerator omnia vastans expectatur, indue vestimentum tuum celeriùs, ne, si ille ante occurrerit quàm illud indueris,vt est contumeliosus,& audax, etiam illud pignoris loco auferat, ac te nudum derelinquat.

70. Sed quid quod in plerisque codicibus est, *Aufer vestimentum eius*,&c.Sanè hæc lectio in aliam nos expositionem compellit: si enim de fœneratoribus capiamus,erit certè sensus: vestimenta illa, vel supellectilia,quæ ab ipso creditore accepisti,vt cum fœnore pretium restitueres,*tolle*,idest,reconde,& occulta; nam vsurarius fortunarum alienarum vastator, nisi stato tempore vsuras appenderis, ea quidem vestimenta,aut supellectilia à domo tua extrahet, ac reuellet. Cæterum hæc expositio mihi parum idonea visa est. Atque adeò vide tu, an locus iste iuxta eam lectionem,quam præmisimus,de seruo fugitiuo aptius exponatur hoc modo. *Aufer vestimentum eius; præterijt.n.iniuriosus, qui quidem aliena vastat.* Id est, tu quisquis seruum habes,cuius tibi fidelitas necdum comperta, & explorata est, noli ipsi penitus credere; sed vestem illius apud te serua; nam seruus infidelis, vbi damnum aliquod dederit rebus Domini sui,suas si vestes apud se habuerit, statim diffugiet,ac se proripiet, iuxta peruulgatam apud nostrates paræmiam, *El que tiene capa luego escapa*. Ad alia.

---

14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit.*

71. QVi benedicit,&c. Hebr. *Benedicens socio suo in voce grandi in mane manicando* (idest,multo mane) *maledictio reputabitur ei.* Tigur. *Laudanti proximum suum magna voce mane consurgenti, reputabitur,ac si execratus eum fuisset.* LXX. *Qui benexerit amicum mane grandi voce, à maledicente nihil differre videbitur.* Illæ particulæ,*grandi voce*, absunt à Complutensi codice,& Regio, sed in plerisque aliis codicibus reperiuntur. Itaque omnes translationes in idem recidunt. Illud tantùm notatione dignum est, scilicet duo verba præmissa *benedicere*, ac *maledicere*, in Scriptura sacra aliquando idem esse quod *laudare* ac *vituperare*. Psal.10. *Quoniam laudatur peccator in desiderys animæ suæ,& iniquus benedicetur.*& Psal.61. *Ore suo benedicebant,& corde suo maledicebant.* Et sæpe aliàs. Adde etiam nonnunquam idem esse quod *benefacere*,aut *malefacere*. 2. Reg.6. *Benedixit domui Obededom*,& cap.7. *Benedic domum serui tui*,idest,benefac. Genes. 12. *Maledicam maledicentibus tibi*, &

Psalm.10. Psalm.61. 2 Reg.6. & 7. Gen.12.

A Hierem.15. *Omnes maledicunt mihi*, idest, damna,& iniurias mihi inferunt. Rursus id quod dicit, *mane consurgens*, in scriptura etiam passim occurrit ad significandum præmaturum,ac velox alicuius rei peragendæ studium. Hierem.25. *Locutus sum ad vos de nocte consurgens,& loquens, & non audistis*,& cap.44. *Misi ad vos omnes seruos meos prophetas de nocte consurgens*,& alia passim.Itẽ cùm aliquid fit ocyus quàm res postulet, atque importuno tempore, mane fieri dicitur. Eccl.10. *Cuius principes mane comedunt*,idest, nec temperatè nec tempestiuè.& Isaiæ 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam*,&c.

Hierem.15. Hierem 25. & 44. Eccl.10. Isaia 5.

Prima igitur interpretatio est Vatabli, qui verba illa *maledicere*, ac *benedicere*, sumit quidem pro *laudare* ac *vituperare*,ad hunc modum. B *Qui benedicit proximo suo, voce grandi de nocte consurgens* i.qui aliquem ante maturitatem magnificè collaudat, qui nimirum hominis cuiuspiam iunioris laudes elata voce deprædicat,antequam ad ætatis maturitatem deuenerit, ac suæ virtutis certa documenta præbuerit; hic certè *maledicenti similis erit*,idest, à vituperante non dispar existimandus est, laus scilicet illius in vituperium vertetur. Quia nimirum iuuenes laudibus intumescunt, & ad temeritatem, & audaciam proiectiores fiunt, propterea obiurgandi potius; & coërcendi, quàm commendandi sunt:sed tamen huius interpretationis inelegantia merito plerisque displicet.

72. Alij ergo plures de adulatione,& assentatione exponũt ista verba hoc modo. C *Qui benedicit proximo suo voce grandi de mane consurgens*,&c. Audiendus est Beda. *Voce*,inquit, *grandi proximo benedicit, qui cum fauore superflua laudis extollit, vel malis actibus eius contra iustitiam fauendo, vel bona plus iusto laudando: sed hic maledicenti assimilatur, quia plurimùm lædit eum, cui laudando, siue in mala actione confidentiam tribuit, seu in opere recto simplicitatem puri cordis imminuit: vt videlicet bonũ, quod superna virtutis intuitu inchoarat,transitoria laudis amore consumat.* Bedam sequuntur Hugo,Dionysius,Arboreus.Nec ab his recedunt Iansenius,& Rodolphus:nam vterque de adulatore concipit hunc locum:sed vlterius quædam verba suo quisque marte expendit. Rodolphus quidem illa verba, D *voce grandi*,perinde accipit ac si dicat,totum adulatoris obsequium est ore tenus, atque adeò vocem contendit,sed manus contrahit. Rursus illud, *de nocte consurgens*, ita ponderat,id est, tempus matutinum, quod diuinis laudibus consecrari addecet, humanis impendit. Vel aliter, *multo mane* id agit,id est,intempestiuè non seruans temporis circumstantiam; hoc enim adulatoris proprium est opportunè importunè laudes obtrudere. Denique extrema verba, *maledicenti similis erit*, vel, vt habent Primitiua, *maledictio reputabitur ei*, ita exponit Iansenius. Adulatoris laudes vitupeřij loco propterea poni, quia significant eum, cui adulantur,sectatorem esse humanarum laudũ,& inanis auræ vanum captatorem; atque adeò assentator non minori fortasse contumelia afficit ho- E minem, quàm maledicus: vel aliter,adulator benedicens, ac nunquam non bona precans non minus delinquit, ac peccat, quàm qui maledicit, ac contumeliis onerat:de reliquo verò hi auctores cum superioribus cohærent,ac concinunt.

Beda. Iansen.

73. Cæterùm,si præmissam interpretationem ego probarem;ab his quidem auctoribus parum dissentirem; nam extrema illa verba, *maledicenti similis erit*, non quomodolibet referrem ad damna, vel iniurias,quibus adulator eum afficit, quem per assentationem commẽdat,sed ad æstimationem,& opinionem eius, qui laudatur, & commendatur, hoc modo. Quicunque magno adhibito studio,nec vulgari contentione intempestiuè laudat (hæc enim sunt germana adu

adulationis signa) apud hominem prudentem , & ignarum , molesti , atque iniuriosi vituperatoris loco habetur. August. Hæc opinio imbuerat Diuum Augustinum, qui in Psalm.69. *Duo,inquit, sunt genera persequutorum,scilicet,vituperantium,& adulantium;sed plus persequitur lingua adulatoris,quàm manus persecutoris.* Attamen ne huic quidem interpretationi omnino acquiesco.

74. Quapropter his omissis, vt verba illa, *voce grandi de nocte consurgens*,germano aliquo sensu donem, ad solemnem antiquis morem adlusum puto. Fuit enim apud veteres in vsu, vt pauperes multo mane ad diuitum fores consalutatum conuenirent, vti ab ipsis stipem,aut sportulam referrent, de quibus sic Columella (Columella.) de re rustica libr.1. *An honestius duxerim mercenarij salutatoris mendacissimum aucupium, circumuolitātis limina potentiorum,somnumque Regis sui rumoribus inaugurantis. Neque enim roganti quid agitur intus respondere serui dignantur.* Pende illa verba, *somnumque Regis sui rumoribus inaugurantis*, significant enim matutinos illos salutatores eo studio admitti à potentioribus,quia putabāt bonis illorum precationibus mane præmissis,diurnæ fœlicitatis omen dari. Huc spectat etiam illud Symmachi (Symmach.) lib. 8. Epist. 41. *Nondum ante ianuas eminentium potestatum vigilem noctem salutator expertus est*,idest,nondum inopia in hanc satis ignobilem exercitationem compulit. Seneca (Seneca.) in lib.6. de beneficiis. *Amicum vocas* (scilicet perperam,& immeritò) *cuius disponitur salutatio ? aut potest huius tibi patere fides,qui per fores mane apertas non intrat,sed illabitur;cuius vulgare , & publicum verbum, & promiscuum ignotis, Aue, non nisi suo ordine emittitur.* & infra. *Ad quemcunque igitur istorum veneris, quorum salutatio vrbem concutit* , scilicet propter validas contentasque eorum voces, quibus totam latè vrbem implēt. Et rursus in libello ad Serenum, quod in sapientem non cadit iniuria cap. 14. *Itaque illi quoque quisquis erit,qui hoc salutatoriū publicum exercet, donauit*, scilicet sportulam,aut stipem. Et Epist. 95. *Vetemus salutationibus publicis fungi,& foribus assidere templorum; humana ambitio istis officiis capitur.* Sed luculentius in libr. de breuitate vitæ. *Isti, qui per officia discursant, qui se , aliasque inquietant , cùm bene insanierint , cùm omnium limina quotidie perambulauerint,nec vllas apertas fores præterierint,cùm per diuersas fores meritoriam salutationem circumtulerint , quotumquemque exitam immensa,& variis cupiditatibus districta videre? Quàm multi erunt,quorum illos,aut somnus,aut luxuria,aut inhumanitas submoueat ? Quàm multi cum diu torserint simulata festinatione transcurrant? Quàm multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuros ædium aditus profugient? Quam multi hesterna crapula semisomnes , & graues , illis miseris somnum suum rumpentibus vt alienum expectent , vix alleuatis labiis insusurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent ?* Hactenus Seneca , quæ perspicuis verbis tradit,quàm graues ac molesti essent illi matutini ac nocturni salutatores his , ad quorum fores conueniebant. Mitto alios , qui hunc etiam morem salutandi , ac bona precandi , potentioribus suis scriptis celebrarunt. Hi sunt Seneca in Hercule furente, Iuuenalis Satyra 5. Ouidius passim , nescio an plures.

Ea igitur, quæ ex his auctoribus colliguntur , sic perstringo. Salutatores illi, antelucano tempore ad fores potentium conuersabantur, ac non quidem summissa,sed elata,& prægrandi voce solemnes salutandi formas confusos clamore dicebant, *Aue,Salue*, & alias. Item bonorum precationes in diuites iaciebant, & quamuis molestiam non leuem darent somnos abrumpentes , & capita obtundentes , nihilominus A vulgò tolerabantur , quia illis antelucanis salutationibus fœlicitatis diuturnæ bonum omen dari sibi veteres putabant. Eapropter,& pro hoc officio,& obsequio pretij loco referebant sportulam, aut stipem.

Neque verò existimo id moris quidquid est apud gentes solùm viguisse , sed etiam imbuisse Hebræorum 75. populum ; sunt enim (me iudice) pleraque loca in Scriptura sacra,quæ hanc consuetudinem,aut spirant,aut redolent, nam supra cap.8. Sapientia sic alloquitur insipientes. *Beatus vir , qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie,& obseruat ad postes ostij mei : qui me inuenerit, inueniet vitam , & hauriet salutem à Domino.* Fingit enim Salomon sapientiam tanquam heroinam quandam , eosque fœlices prædicat,qui eius ad fores antelucano tempore concur- B sant,vt eam salutent,& vicissim ab ea salutem,& alia bona reportent. Sed ille valde illustris locus ad hanc sententiam Sapient.16. (Sap.16.) Nam cùm præmisisset Salomon antiquum manna,quo Deus populum Hebræorum pauit in deserto, ante solis ortum colligi oportere,quia nimirum sole appetente illiquefactum diffluebat : sic attexit. *Vt notum omnibus esset , quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam , & ad ortum lucis te adorare.* Quasi dicat : eapropter voluisti escam illam suauissimam antelucano tempore ab his leuari,vt esset omnibus compertum quod sicut pauperes ad benedicendos salutandosque diuites euigilant,vt ab illis sportulam recipiant : sic etiam opus C erat , vt eodem modo homines illi ad te benedicendum , & salutandum multo mane consurgerent , vt escam illam grauissimam stipis, ac sportulæ loco referrent,& Psalm. 87. sic Dauid. (Psalm.87.) *Et ego ad te Domine clamaui , & mane oratio mea præueniet te. Vt quid Domine repellis orationem meā , auertis faciem tuam à me?* Subdit verò rationem, ob quam multo mane clamans exudiri debeat,quia nimirum tanquam pauper ad diuitis fores occurrat. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea,&c.* & Isaiæ 26 (Isaiæ 26.) *Anima mea desiderauit te in nocte , sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Mitto alia nō pauca loca satis obuia,quæ ex hac antiqua consuetudine lucem mutuari videntur,& ad Salomonis sententiam recurro.

D *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens*,&c. 77. idest,quicunque multo mane,antelucano scilicet tempore , surgit,vt diuitem elata de more voce,magnis clamoribus benedicat,vt nimirum *Aue*, aliasque salutes repetitis vicibus ingeminet,vt ab illo stipem referat,hic certè *maledicenti similis erit*. Vt huius clausulæ ac totius sententiæ vis exhauriatur, cogitandum est duplici modo locum istum accipi posse , vel ita quidem vt de ipsismet salutatoribus antelucanis ex professo , & directè loquatur Salomon ; vel ita vt metaphora , vel allegoria ab hisce desumpta de adulatoribus sermonem habeat. Si ergo quis velit de ipsismet matutinis salutatoribus orationem esse , succedat memoriæ id , quod nuper dixi- E mus , istiusmodi homines perquam molestos,& graues his esse solitos , qui salutes decantabant , vt videre est apud Senecam , & Columellam , locis citatis , ac sensus euadet luculentus ad hunc modum. Hic quisquis intempesta nocte salutes inclamat, propter grauem molestiam quam salutatis affert , à maledicentibus,& mala precantibus nihilo dispar censebitur , quamuis aliàs vulgo tolerari videatur. Iuxta quam sententiam dicemus quidem Salomonem illos obscuros , & illiberales homines ab ea exercitatione deterrere, vilitatem illius ostendens,ac turpe esse dicens ex tam degenere, ingratoq; obsequio victitare. Eadem mens fuit Columellæ supra , vbi seriò suadet hominibus , vt relicta hac infami & indecora victitandi ratione , rei rusticanæ labores aggredi velint.

Et

Et Seneca etiam eodem nomine inhonestam hanc exercitationem insectatur in lib. illo de breuitate vitæ, & alibi.

78. Alio etiam sensu de ipsis salutantibus hæc verba captare licet. *Maledicenti similis erit.* Quia eiusmodi homines id obsequij, quod diuitibus per crebras salutationes deferebant, non quidem ex aliqua beneuolentia, sed illius emolumenti colligendi gratia præstabant; nam eo nomine eos incusat Seneca locis citatis, sed tum maximè in lib. 6. de beneficiis, vbi illos, qui tales salutes ore vsurpant, animo perquam alienissimos ab his quibus bona denuntiant; atque falso obsequij nomine veros hostes esse affirmat. Erit ergo sententia: Qui eo modo nocte intempesta preces ingeminat, nequaquam amici loco habendus, neque de illius beneuolentia aliquid fidendum: nam quod ad animum attinet, *maledicenti* per omnia *similis est*; nam fermè alienum animum sub falsa gratiæ simulatione continet. Quod quidem eò spectat, vt suadeat Salomon, ne homines hoc falso, & simulato obsequio gaudeant, aut efferantur. Nam simile quid habes Eccles. 41. vbi Iesus Syrach. inter alia, à quibus abhorrere debet vir probus, illud etiam numerat *Ab offuscatione dati, & accepti, & à salutantibus de silentio*, idest, inter noctis silentia. Eccles. 41.

79. Quod si hæc verba non de salutatore nocturno, sed de assentatore per metaphoram capienda potius videantur, sensus in promptu est. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens*, &c. adulator scilicet, similis est salutatori illi antelucano: nam sicut ille non quidē ex amore, aut gratia, sed vti sportulam ac stipem referat salutes, & bonas precationes inclamat; ita etiam assentator cùm alicuius laudes identidem repetit, non quidem ex vera hominis opinione, & existimatione, vel ex beneuolentia id facit, sed vti lucrum aliquod reportet; id enim adulatoris ingenium, atque mores, quos accuratè describit Aristoteles lib. 4. Ethicorum cap 6 *Is autem qui delectat, si id agit studens esse iucundus, non ob id aliud quidquam, placidus vocatur: sin emolumenti causa sui, vt inde sibi proueniat in pecuniis, & in his, quæ pecuniis comparantur, vtilitas, adulator dicitur.* Arist.

80. Sed quàmuis hæc non ineruditè dicta sint, tamen pro his, qui non satis fortasse credent antiquum illum salutandi morem Hebræos etiam imbuisse, aliā interpretationem subiicio, quæ nescio, an reliquis præferenda sit; tu videris. Ergo verba illa *benedicere*, ac *maledicere*, perinde tibi sint; ac *benefacere*, & *malefacere*, cuius significationis suprà exempla habes Addo etiam id, quod alibi non semel obseruaui, scilicet hæc vocabula *benedico*, & *benedictio*, ad misericordiam, & eleemosynam non rarò accommodari in scriptura; pro omnibus sit tibi testimonium Pauli ex 2. ad Cor. 9 *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet.* & si placet aliud ex Psal. 131. *Viduam eius benedicens benedicam, & pauperes eius saturabo panibus.* Ergo Salomon sic ait. *Qui benedicit proximo suo voce grandi*, idest, qui beneficium, & eleemosynam largitur proximo suo, & verbo grandi ac superbo illum lædit beneficium exprobrans, aut qualibet alia ratione contumeliosè cum ipso agens, hic certè beneficium amittit, & *maledicenti similis erit*, i. non erit dispar ab eo qui pro beneficio damnū dat. Audi Senec. in lib. 2. de benefic. c. 4. *At plerique sunt, qui beneficia asperitate verborū, & supercilio in odium adducunt, eo sermone vsi, & ea superbia, vt impetrasse pœniteat.* Et libr. 1. cap. 1. pleraque enumerat vitia, quæ nostra beneficia corrumpunt, atque inter alia sic ferit. *Quis non cùm aliquid à se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus, & de industria non inuenientibus exitum occasionem* 2. Cor. 9. Senec.

A *petendi abstulit, & variis artibus properantes necessitates elusit? In angusto verò comprehensus, aut distulit, i. timidè negauit, aut promisit: sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis, & vix exeuntibus verbis. Nemo autem libenter debet quod non accepit, sed expressit. An gratus esse aduersus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbè iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, vt molestia careret, dedit.* At non longo verborum interstitio. *Vtique non contumeliosè: nam cùm ita natura comparatum sit, vt altius iniuria quam merita descendant, & illa cito defluant, has tenax memoria custodiat: qui expectat, qui offendit, dum obligat? satis aduersus illum gratus est, si quis beneficio eius ignoscit.* Lege Chrysost. Hom. 11. in Epist. ad Hebr. vbi multis

B suadet eleemosynam ita pauperibus erogandam, vt omnis absit contumelia & iniuria.

Sed in hac expositione illud difficile occurrit, quod addit, *de nocte consurgens*: quæ verba ad superiorem sensum aptare non est procliue. Cæterùm eorum accommodatio non vno modo fieri potest; nam, vt supra animaduerti, hæc loquendi forma ad significandū studiū, & conatum in vnaquaque re positum adhiberi solet. Et sanè in his, quæ ex magno amore, & gratia liberaliter fiunt ad notandam facientis propensionē, vsurpari solet, vt ex illis exemplis supra adscriptis liquet. Hierem. 25. *Loquutus sum ad vos de nocte consurgens ac loquens*, &c. & alibi. *Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas per diem consurgens diluculo*, 81. Hierem. 25. & 7. 35. 44.

C & iterum, *Vt audiatis sermones seruorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens.* & sæpe aliàs: quæ verba promptitudinem, ac studium benefaciendi, & celeritatem, seu anticipationem adsignificant. Iuxta quem sensum Salomonis verba sic exponenda sunt. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens*, &c. qui nimirum beneficium in proximum collocat, atque eum simul superbis, ac conuitiosis sermonibus violat, etiam si alioqui tale beneficium non procrastinet, sed maturet ac properet, & studiosè accuratéque illud præstet, eius certè donum, damni ad instar dati, obtinebit apud eum, qui accepit. Itaque sensus est: beneficium eiusmodi, quod contumeliis, & conuitiis adhæret, quantumuis ex

D omnibus aliis circunstantiis nobile, ac magnificū sit, inde prorsus vitiari, ac corrumpi. Vel aliter, formula illa dicendi, *de nocte consurgens*, tempus minimè idoneum ad donandum adsignificare potest. Constat autem in collatione beneficiorum tempus potissimum spectari Seneca in lib. 1. cap. 12. de beneficiis. *Sit*, inquit *in beneficio sensus communis, tempus, locum, & personas obseruet, quia momentis singulis quædam grata, & ingrata sunt. Sicut gregalia poma etiam post paucas dies itura in fastidium, delectant si prouenere maturius*, &c. & lib. 2. cap. 8. & 9. quantum ex tempore accedat beneficiis, atque etiam decedat, pluribus ostendit. Ergo licebit verba Salomonis sic interpretari. *Qui benedicit proximo suo voce grandi.* i. qui benefi- Seneca.

E cium contumeliosè ingerit, *& de nocte consurgens*, id est, intempestiuè, & sine opportunitate confert, *maledicenti similis erit*, idest, pro beneficio maleficium contulisse, nec immeritò, censebitur.

15. *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.*

Habes hæc ipsissima verba supra cap. 19. vers. 13. vbi non perfunctoriè illa discussimus. Illud tamen hîc obseruatione dignum videtur quod LXX. qui in eo loco sic restituerunt. *Et non casta vota de mercede meretricis* (quæ verba inibi expendimus, & quoad fieri potuit, ad origines reuocauimus) hîc 82.

hîc certè propiùs ad noſtram lectionem accedentes ſic conuerterunt. *Stillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de domo ſua, ſimiliter, & mulier maledica de propria domo.* Illud verbum, de *propria domo*, dictum non ſine emphaſi; nam virorum proprium erat vxores in ſuas domos traducere. Itaque mulieris ſeu vxoris moroſitatem, & rigidum ingenium tantùm poſſe dicit, vt virum è propria domo exilire cogat.

---

16. *Qui retinet eam, quaſi qui ventum teneat, & oleum dexteræ ſuæ vocabit.*

83. QVi retinet eam, &c. Hebraïcè. *Abſcondens eas abſcondit ventum, & oleum dexteræ eius clamabit.* Pro verbo *retinet*, ſubeſt quidem in Primitiuis צפן, *Tſaphon*, ex radice צפן *Tſaphan*, quod ſignificat *abſcondere, occultare*, quæ quidem vox aut eſt Benoni ſuperioris verbi, aut nomen ſignificans *Aquilonem* ventum, ac *Septentrionem*. Rurſus pro *oleo* ſubiicitur שמן *Scemen*, dicitur etiam de vnguentis arte pigmentariorum elaboratis, & de pinguedine animantis, cui perquàm affine eſt שם *Sem*, id eſt, nomẽ. Denique pro verbo illo, *vocabit*, eſt יקרא *Ikra*, ex radice *kara*, quæ ſignificat *vocare, & clamare*; vnde liquet manifeſtum mendum antiquis codicibus irrepſiſſe, in quibus olim legebamus. *Et oleum dexteræ ſuæ enacuabit.* Ex his ergo, quę hactenus præmiſimus, locus datur tranſlationi Septuaginta, quæ ſic habet. *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur.* Nã ſacri illi interpretes per nomen *Tſaphon*, Aquilonem capiendum putarunt, & pro *Scemen* legerunt *Sem*, vt ex dictis liquet. Aquila, & Symmach. *Abſconditus Aquila ventus, & oleum dexteræ ſuæ vocabit.* Itaque partim conueniunt cum Septuaginta interpretibus, partim cum Vulgato. His etiam hæret Chald. *Sicut ventus Aquilonaris grauis eſt, & vnguentum dexteræ eius vocatur.* Vatabl. *Et dextera ſua oleo occurrit.*

84. Duas alias comparationes attexit Salomon, quibus vxoris litigioſæ, & cum viro rixantis indomabile ingenium expingit. Prior eſt eiuſmodi. *Qui retinet eam quaſi qui ventum teneat.* Eſt tamen vna atque altera huius loci expoſitio Prior Caietani, & Vatabli, qui vim Originalis verbi exhaurientes, quod ſignificat *abſcondere*, atque *occultare*, ſic aiunt. Qui eiuſmodi vxorem litigioſam, & rigidam abſcondere, & intra penates cohibere conatur, ne foras prodeat: fruſtra quidem ſuos conatus in rem maximè difficilem profundit; nam facilius erit ventum aliquem vehementiſſimè flantem, ſuaptè natura fugacem, & labilem includere, coërcere, ac comprimere; quam eiuſmodi vxorem ſuperbam, & cum viro ſuo diſſentientẽ domi continere. Sunt qui dicant hîc comparationem ſumi ab eo, qui ventos manibus premere, ac cõtinere contenderet, ita vt huic ſententiæ adſimilis ſit illa ex c. 30. verſ. quarto. *Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis?* Iuxta quam ſimilitudinis huius acceptionem ſenſus erit. Sicut planè impoſſibile eſt ventum pugillo manus concludere, ſic etiam fieri non poteſt, vt vir aliquis vxorem moroſam domi coërceat manu, id eſt, induſtria, atque opera ſua: quaſi dicat; fruſtra in eam rem ſuam induſtriam atque operas profundet. Alij rurſum ſignificantius conferunt iſta verba cum peruulgata illa dicendi formula, *ventum depaſcere*, de qua ſupra cap. 10. verſ. 4. multa habes ad illum locum. *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos, &c.* vbi docui iuxta germanam vim vtriuſque lectionis Græcæ & Hebraïcæ, verbum *paſcit*, actiuè ſumi, ita vt *paſcit ventos*, perinde ſit ac ſi dicat, illos tanquam paſtor oues regit, ac in caulas cogit. Ergo ad eundẽ modum dictum puta, *Qui retinet eam, quaſi qui ventum*

A *teneat*, ſenſus eſt, *quaſi qui ventum regat*, ſeu *ventum includat*, ex eadem paſtoris ſimilitudine, id eſt, qui vxorem illam litigioſam moderari ac domi continere ſatagit, laborem ſuſcipit ei ſimilem, qui ventos ceu paſtor quiſpiam regere, & in caulas impellere, ibique includere fruſtra adniteretur.

Cæterùm quamuis hęc non parùm idonea ſint, tamen aliter multò aptiùs, ac ſignificantiùs præfatam ſimilitudinem conformari poſſe credo: nam in Primitiuis eſt. *Qui recondit illam ſicut qui ventum recondit.* 85.
Nota certè eſt vis, ac poteſtas venti, qui intra terræ viſcera abſconditus, & recluſus, erumpit magno impetu, & magnas ſæpe moles, latiſſimaſque regiones impetu ſuo impellit ac concutit. Ergo ſic ait Salomõ;
B Qui mulierem rixoſam, & difficilè contra ipſius propenſionem domi concludere, ac coërcere contendit, ſimilis eſt per omnia illi qui vẽtum fortẽ & præualidum intra terræ viſcera abſcondere, ac comprimere velit; quippe quæ vt foras prorumpat, non domum tantùm, ſed vicina etiam exturbabit, ac motibus quatiet inſolitis: vide infra c. 30. verſ. 21. quæ diximus ad illa verba. *Per tria mouetur terra*, vſque ad illa. *Per odioſam mulierem cum in matrimonio fuerit aſſumpta*, quia (niſi fallor) hæc ſententia cum illa prorſus cohæret.

Secunda expoſitio eſt Lyræ, Ianſenij, Rodolphi, & aliorum qui non de incluſione vxoris intra lares, ſed de moderatione morum ipſius hanc ſimilitudinẽ capiendam putant hoc modo. 86.
C *Qui retinet eam, quaſi qui ventum teneat.* His aſſentior, non tamen omnino. Ipſi enim hæc verba ita contra vxorem moroſam pronũtiata volunt, vt tantummodò illius difficiles, indomabileſque mores ea ſimilitudine adumbrari putent: ego verò ſententiam iſtam ad virum præcipuè intẽdi credo, ita vt illi ſuadeat Salomon cum eiuſmodi vxore litigioſa non quidem vi, ſeueritate, & imperio agendum, ſed indulgendum illi potius, & cedẽdũ, ita vt ſenſus ſit: qui illam per vim, & nimiam ſeueritatem coërcere, ac comprimere contendit, laborem ſuum non ſecus fruſtra impendit, quàm ſi quis adhibita vi ventum vehementius flantem continere tentet. Ad hunc verò ſenſum allici poſſunt omnes illæ
D huius ſimilitudinis facies, quas ſupra exhibui. Primò ea quæ ſumitur ab illo, qui ventum manu premere tẽtat hoc ſenſu. Qui mulierem difficilem rigida manu, i. ſupplicio, & minis coërcere vult, ſimilis eſt illi, qui contra ventum validum manum moueat: & illam qui premere, & coarctare violenter tentat, non diſſidet ab eo, qui ventum manu ſua, aut pugillo premere contendit: & qui eandẽ fuſte, aut verberibus tundere vult, quaſi qui ventum verberet: Quaſi dicat, eius faſtus ac ſuperbia, ceu ventus quidam acer, non poteſt manu comprimi, aut verbere emendari, cedẽdum potius, atque obſecundandum illi eſt. Secundo illa etiam ſimilitudo, quæ ab eo ducitur, qui ventos, ceu oues, paſcere, & in caulas regere fruſtra conten-
E dit, huic etiam ſententiæ non inſulsè adaptatur hoc modo. Qui vxorem difficilem per vim, & ſeueritatem emendare, ac moderari velit, ei adſimilis eſt, qui ventum præualidum, ac rigentem, ceu paſtor bacillo ſuo, moderari ac regere tentet. Quaſi dicat: qui mulierem rigidam minis, ſupplicio, fuſte, & virga moderari, ac temperare contenderit, non diſſidet ab eo, qui ventos fugaces, & mobiles bacillo premere, ac gubernare velit. Denique extrema comparatio, quæ deſumitur à vento intra viſcera terræ penitus incluſo, & recondito, longè aptius in hanc ſententiam cadit hoc modo: Quemadmodum ventus infra tellurem conditus, quò grauiori mole premitur, eò violentius ipſam impellit ac quatit, ita vt magnas ſæpe moles ſternat, ac ſolo exæquet

ita etiam mulier fastu plena, rigida, & difficilis, si à A viro suo acrius prematur, & coërceatur; nequaquàm cedit sed venti in morem compressi, & conclusi, erũpit magno impetu, & domum, familiamque totam concutit, atque euertit. Non longè ab hac sententia abit illud
Chrysost. Chrysost. hom. 4. in Epist. ad Titum. *E contra*, inquit, *his* (scilicet viro, & vxori) *perperam dissentientibus nihil salubre esse poterit, totaque simul nutabit familia*,
Nazianz. & Nazianz in poëm. de laude virginit.

At cùm discordes tædarum fœdera iungunt,
Immanis labor est, dolor hic præcordia rodit,
Omnia dissidiis flagrant, pax exulat omnis,
Concutiturque domus, res, atque domestica nutat.

87. Lege plura loco citato, c. 3. v. 24.

Illud tamen difficile quanam ratione posterius hemistychium cum priori cohæreat. B *Et oleum dexteræ suæ vocabit*, non vnum de his verbis interpretum iudicium, Clarius, Baynus, & Vatablus nomine olei vnguentum odoriferum capiendum putant hoc modo. Sicut vnguentum dextera inclusum non quidem ibi latet, sed odore suo, quasi quodam clamore, euocat omnes, vt eius suauitate perfruantur; sic etiam vxor nequam, & cum viro suo discors, aut tanquàm ventus acer non potest domi cohiberi, aut si domi teneatur tamquàm vnguentum dextera inclusum, inde mœchos, & adulteros odore suo euocabit. Itaque nullum satis opportunum huic malo remedium esse dicit Salomon. Lyra, Hugo, Iansenius comparationẽ istam sic conformant. Quemadmodum si quis oleũ, C quod manu sua tenet, vocare, id est, reuocare, ac cohibere velit, ne elabatur, ac fluat, impossibilem rem conatur; nam oleum sua lubricitate statim diffluit, atque per digitos excurrit, sic etiam qui mulierem rigidam tenere ac includere conatur, frustra id tentat, quippe quæ lêta admodum, ac lubrica est. Sed in hac interpretatione illud difficile, quod rigidam, difficilemque vxorem parum appositè cum oleo componi affirmat, quod suapte natura lene est, atque molle. Quapropter si de adultera muliere sermo est, vt quibusdam placet, aptius dicemus ingenia, & mores mulierum describi, & quanta in illis asseruandis in vniuersum difficultas sit, his similitudinibus adumbrari. Nam cùm ex his aliæ acres sint ac difficiles, has certè D includere, & asseruare non minus difficile esse dicit, quàm ventum reflantem concludere, & cohibere. Cùm verò sint aliæ molles, lenes, ac nimium faciles, has etiam claudere, & continere non minus arduum est, quàm oleum manu dextera cohibitum tenere: nam quemadmodum oleum mollitie sua diffluit, sic etiam mulier è laribus prolabitur, atque in apertum excurrit. Itaque vtrumque mulierum genus siue asperum, & difficile, siue lentum nimis, ac facile, vix aliqua industria asseruari, & contineri posse dicit, vt propterea vir nulli confidere, nulli acquiescere debeat.

88. Cæterùm si cum his ego sentirem, qui comparationem istam ab *oleo* desumptam putant, verbum illud *vocabit*, & olei similitudinem alio modo exponẽdam dicerem. E *Et oleum dexteræ suæ vocabit*, i. *reuocabit*: ei nimirum adsimilis est, qui effusum è manu dextera oleum, iterum recipere, reuocare, ac colligere velit: quod quàm sit difficile nemo ignorat; oleum enim vbi in terram excidit, vt est lene, atque molle, è vestigio terram peruadit, ac percolat, atque adeò recipi, ac resumi nullo modo potest. Sensus ergo sic instituendus est, Mulierem quidem à viro discordẽ morosam, & rigidam continere, & asseruare non minùs arduum est, quàm fugacem venti naturam cohibere atque includere; at postquàm erupit, & à viro discessit, eandem reuocare, & in domum referre non minùs difficile est quàm oleum, quod è manu dextera in tellurem excidit inde rursus recipere, ac resumere.

Sed quamuis hæc non inerudita sint, tamen (ni fallor) alia est Salomonis mens in hoc loco. Præmittere autem oportet verbum קרא *Kara*, quod hic subest pro *vocabit*, nonnunquàm poni pro *allicere*, atque *inuitare*, supra c. 9. *Et in profundis inferni conuiuæ eius*. Hebr. *vocati eius*, nimirum inuitati ac pellecti ab ipsa, & Isaiæ 54. *Quia vt mulierem, & mœrentem spiritu vocabit te Dominus*, i. alliciet, & inuitabit, &c. Isai. 54.
Rursum nomen *oleum*, sumitur nonnunquàm pro lenitate, & blanditiis, Psalm. 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, Psalm. 14. id est, blanditiæ peccatoris non me decipiant. Et supra c. 5. *Et nitidius oleo guttur eius*. & Psal. 54. *sermones eius super oleum*, Psalm. 54. & alia id genus. Salomon ergo ait (hoc hemistychium cum superiori sic necto.) *Qui retinet eam, quasi qui ventũ teneat*, id est, vir, qui vxorem fastu turgidam, difficilẽ, & morosam, per vim, & seueritatem continere, ac coërcere velit, ei adsimilis est, qui ventum fugacem, & lubricum comprimere ac cohibere contendat. *Et oleum dexteræ suæ vocabit.* Quasi dicat; è contra verò mariti lenitas, & blanditiæ ipsam euocabunt, & allicient, & ad virum conuertent. Itaque *oleum dexteræ* appellat Salomon blandimenta, delinimenta, ac popysmos; hi enim longè melius fœminæ rigidæ duritiem demulcent, atque emolliunt, quàm seueritas, & acerbitas viri. Nil certius. Audi Paulum ad Colossenses 3. ad Coloss. 3. *Viri diligite vxores vestras, & nolite esse amari ad illas.* Lege Chrysost. in eum locum, & hom. 26. in priorem Epistol. ad Corinth. vbi longa oratione suadet vxorem non esse verberandam, neque manus ipsi iniiciendas, sed leniter, ac mansuetè tractandam; cuius verba, ne longus sim, hîc supprimenda duxi.

Restat nunc nodus satis difficilis circa interpretationem Septuaginta, 90. quę quamuis verbo tenus à nostra lectione longius abire videatur, tamen ad eam reuocare, & allicere, quoad fieri possit, conabor. *Aquilo durus ventus: nomine autem dexter vocatur.* D. Hieronymus meminit quidem huius loci non semel, Hieron. nam in c. 1. Hieremiæ sic habet. *Et iuxta mysticos intellectus Salomon loquitur: Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur, ab his videlicet, qui eius obriguere frigore, & calorem fidei perdiderunt.* Ab his nimirum dexter, ac secundus appellatur hic ventus, quibus placent peccata sua. Et in cap. 31. eiusdem Prophetæ sic scribit. *Ipse quoque Dominus pollicetur se reducturum eos de terra Aquilonis, qui ventus durissimus, nomine autem dexter vocatur, id est, de incredulitate, de frigore dominicæ charitatis*, &c. Iterùm etiam in Sophoniam cap. 2. vbi accuratius locum istum versat, & cur sinister cum sit dexter appelletur, aperit his verbis. *Ab Aquilone*, inquit, *exardescent mala super omnes habitatores terræ, & de quo Salomon commemorat; Aquilo durus ventus*, &c. Et subinde pulchrè admodùm subdit. *Is qui mouerit pedes suos, & recesserit ab Oriente, & ad Occidentem respexerit, statim perget ad Aquilonem, qui non est dexter, sed nomine dexter vocatur; quod quidem, & corporaliter intelligitur, vt quicunque in Oriente steterit, & verterit se ad Occidentem respiciens ad dexteram, habeat Aquilonem, quem dextrum vocant, qui flatu illius refrigerantur, qui tantum nomine dexter est, tamen re, & opere potius in sinistro est.* Itaque Diuus Hieronymus ventum Boream propterea *dextrum* vocari dicit, quia is qui ab Oriente conuersus ad Occidentem rectà adspicit, à sinistra quidem Austrum, à dextra verò Aquilonem habet; tunc verò, inquit, dexter dicitur iste ventus nomine tenus, quia ventum esse dexterũ aut læuum non ab his sumitur, qui Occidentem versus adspiciunt, sed ab his potius, qui ad Orientem solẽ adoraturi intuentur, propterea

Auſter ventus Aquiloni contrarius ab Hebr. appellatur תימן *Theman*, id eſt, *dextrum*, à radice ימין quæ vox *dexteram* adſignificat. Itaque Auſter propriè, & germanè dicitur ventus dexter, & Boreas ſiniſter, quia ad Orientem ſolem ſpectantibus hic ad læuam, ille ad ſiniſtram vergit: tamen per accidens, (liceat ſic dicere,) fieri poteſt, vt ſi quis ſeſe vertat, & faciem ad Occidentem intendat, huic certè Auſter ad ſiniſtram, Aquilo verò ad dexteram cadat, ac tum quidẽ fiet vt Boreas nomine tenus dexter ſit. Hæc Hieronymus. Addo etiam aliam rationem, quia, vt obſeruauit Olympiodorus ad illa verba Iob. 9. *Qui facit Arcturam, & Oriona, & interiora Auſtri*, vox *Theman*, quæ propriè ventum Auſtralẽ adſignificat, tanquàm notior aſſumi ſolet ad quemlibet alium ventum notãdum per ſynecdochem, ſumpta nimirùm ſpeciè pro genere; quæ eſt etiam obſeruatio Kimhi in libro radicum. Hæc igitur (ni fallor) magis germana huius loci expoſitio. *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur*, id eſt, quamuis prædurus ſit ac læuus, nihilominus tamen aliquando nomen *Theman*, quod Auſtri proprium eſt, & *dextrum*, adſignificat, per extenſionem vocabuli ipſi imponi ſolet.

Olymp. Iob. 9.

Kimhi.

91. His prælibatis ſi quis ſentiat hunc verſum iuxta tranſlationem LXX. non eſſe nectendum cum ſuperiori, ſed per ſe nouam ſententiam cohibere, in plures quidem valde diuerſos ſenſus illum compellere licebit. Nam iuxta expoſitionem Hieronymi ſupra datam, his accommodare integrum eſt qui laboribus, ac tribulationibus vexantur; nam per Aquilonem, & Boream tribulationes notari docent Auguſtinus, & Gregorius paſſim. Itaque ait Salomon, *Aquilo durus ventus*, &c. illis certè qui Oriẽtem verſus adſpiciunt, ſiniſter, & infœlix videtur: idem tamen ad Occidentem conuerſis dexter ac fœlix apparet. Ad eundem modum tribulationes, & moleſtiæ huius ſæculi his, qui ad Orientem, id eſt, ad natiuitatem, & vitæ ſuæ principium ſpectant, infœlices ac læuæ; iiſdem verò ſi ad occubitum ſolis, i. ad mortem obitumque reſpiciant, dexteræ omnino, fœlices, atque ſecundæ videntur; quia nimirùm præmium, & coronas è proximo ſpeculantur. Vel aliter, vt ex præſcriptis Hieronymi locis conſtat, per Aquilonem frigus charitatis, & omnem in vniuerſum improbitatem & malitiam carpere licet, iuxta quam acceptionem, & Hieronymi mẽtem, præmiſſa verba alio modo verſari poſſunt: Sicut Aquilo rigidus, & aſper cùm ſit his, qui ad Orientem reſpiciunt, læuus, & ſiniſter, illis verò, qui ad Occidentem intuentur, dexter videtur; ita etiam improbitas, & malitia his, qui ad Orientẽ reſpectant, Deumque adorant, & illi obſequuntur, læuæ prorſus, atque infœlices meritò videntur: illis verò, qui ad obitum ſolis conuerſi ſunt, nimirum à Deo auerſis, & ad cõmutabilia huius mundi bona conuerſis, eædem dexteræ, fœlices ac beatæ, non quidem re vera, ſed nomine, ac ſpecie tenùs apparent. Ad hæc, ſi poſterior interpretatio non diſplicet, quæ docet illa verba, *nomine autem dexter vocatur*, ex obſeruatione Olympiodori, & Rabi Dauid illuſtrari, alium ſenſum conformare licet, ita vt Salomon prohibeat detractionem, ſuadeatq; de proximis vtique honeſtè loqui, hoc modo. Ventus Boreas, quamuis rigidus, aſper, & læuus re vera ſit, nihilominus tamen aſcito aliunde vocabulo eundem *Theman*, id eſt, *dextrum*, ſæpe appellamus, & eo nomine condecoramus: ad eundem modum ſi qui homines ſint improbi ac ſcelerati, non ſtatim incuſandi, & indecorè, cõtumelioſéque notãdi, ſed, quoad fieri poſſit, etiam accerſitis aliunde nominibus, ac titulis, à nobis honeſtandi, decorandique ſunt.

92. Cæterùm licet iſta non inconcinnè dicãtur, nihilominus tamen ne tranſlatio Sept. tantoperè abhorreat à Vulgata lectione, eorum verba ad noſtræ lectionis ſenſum (me iudice) vocari debent. Docet ergo Salomon qua ratione vir vxorem ſuam etiam difficilem, & moroſam ad lenitatem, & manſuetudinem traducere debeat, eam nimirum amanter, & honeſtè compellando, ac nunquam non honore proſequendo. Itaque ſenſus erit. *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur*, quia licet ſolem ſpectantibus, quę dignior ſtatio eſt ad ſiniſtram vergat, ad Occidentem conuerſis ad dexteram cadit. Diſcat ergo inde maritus, cui rigida, & prædura, Aquilonis inſtar, contigit vxor, eam tamen, faſtum, qui viris propius eſt, deponens, ad dexteram excipere, & peramanter honorare: quamuis enim res ea ratione aliquo modo inuerti, ac commutari videantur, quatenus illa quæ inferior eſt, digniori loco honeſtatur: quamuis etiam vir alioqui generoſus valdè ſit, & ab ſplendidiſſimis ortus parentibus, vxor verò degener, & obſcura; tunc enim oportebit ab Oriente oculos auertere, & ad occidẽtem conuerti, id eſt, à natiuitate, ex qua diſparitas manat, ad mortem, in qua ſumma omnium æqualitas eſt, oculos flectere, ac ſic graue non erit eum vxori honorem deferre, ea enim ratione, & non aliter, ipſã demulcere, lenire, ac delinire licebit. Et quidem inter maximè ſplendidos honores, quibus viri ſuas vxores, imò, & matres, honeſtare ab heroïcis temporibus ſoliti ſunt, is præcipuo loco ponitur, ſi ipſas ad dexteram ſuam excipiant. Hûc ſpectat illud Pſal. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis*, & 3. Reg. 2. de Bethſabee Salomonis parente. *Poſituſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius*. Mitto plura teſtimonia ex prophanis; ſunt enim obuia, ac vulgò trita.

Pſal. 44. 3. Reg. 2.

Aliter etiam poteſt locus iſte de vxore moroſa intelligi, iuxta obſeruationem Olympiodori, & Kimhi, hoc modo. Sicut ventus Aquilo quamlibet frigidus, & aſper, tamen accerſito aliunde vocabulo *Theman*, hoc eſt, *dextrum*, compellamus, eo nomine condecorantes: ita etiam vxor quamuis obſcura, & degener, de mariti nomine iã dicitur, ex quo illam maritus ad dexteram accipit ſuam, atque adeò honorari, & permagni haberi debet. Vel aliter, eiuſmodi vxor, etſi difficilis, & auſtera ſit, non quidẽ contumelioſis, & probroſis verbis eam dehoneſtare, ſed honeſtis ac ſplendidis nominibus ſæpius condecorare maritus debet; nam honore, & gloria longè melius, quàm probris, contumeliiſque mulcetur. Addũt aliqui ex Hebræis, vt monet inter Rabinos Dauid, nomẽ illud *Theman*, non quidem omni tempore aliis ventis accommodari, ſed tunc cùm mitiores ac leniores ſunt, atque adeò Boream, ſeu Aquilonem non quidem hyeme, ac brumâ, cùm maximè aſper ac frigidus eſt, ſed vere, & æſtate, cùm mitius flat, & ſolis ardores æſtuſque ſua frigiditate temperat. Quò ſpectaſſe videtur Hieron. loco citato cùm ait, Boream ab his, qui ad meridiem vergunt, dextrum appellari, quia eorum ardores illo perflante intepeſcunt; ſic enim ait. *Quem dextrum vocant, qui flatu illius refrigerantur*. Quod perinde eſt, ac ſi dicat, Quem *Themam* vocant omnes, qui illius refrigerio vtuntur. Liceat ergo ſic comminiſci: ſuadet Salomon maritis vxores etiam permoleſtas, & acerbas impenſius amare; nam ſi amor, inquit, ferueat atque exæſtuet, aliquis vxoris rigor ad illum ardorem, æſtumque temperandum accommodatus erit, quemadmodum Aquilonis frigus ad æſtatis calorem refrigerandum idoneus eſt. Quaſi dicat: ideò viris vxores quædam præduræ ac difficiles valdè apparent, quia eas vel oderunt, vel tepidè adamant; ſi enim eaſdem ardenter diligerent, aliqualem earundem rigorem ad ſuum ardorem temperandum, boni conſulerent; ita vt quemadmodum, qui ad meridiem vergunt, Boream, alioqui immitem, & aſperum, *Theman*, id eſt, *dextrum*,

dextrum, atque secundum vocant, ita etiam eiusmodi mariti amore æstuantes vxorum suarum morosam earundem difficultatem nequaquam grauiter ferrent. Pergo ad alia.

17. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.*

94. FErrum ferro, &c. Hebr. *Ferrum in ferro acuetur, & vir acuet facies amici sui.* Tigur. *Vt ferrum ferro committitur, sic homo homini consociatur.* Chald. & Sept. cohærent cum Vulgata lectione. Caiet. habet. *Et homo acuitur coram socio suo.*

Certè in his locis, quæ metaphora vel allegoria constant, præcipuus labor poni debet in constituenda, cõformandaque similitudine, inde enim tota sententia pendet. Rodolph. Iansen. Vatabl. & alij non pauci, similitudinem ductam putant ab eo, qui ferrum perfricat, atque elimat; vel ita quidem vt sit sensus, *ferrum ferro exacuitur*, id est, gladius gladij mutua collisione, & confricatione aciem elimat: vel aliter, gladius, seu clauus, malleo, lima, vel aliis è ferro confectis instrumentis ad acumen perducitur. Sic Dionysius, & Arboreus. Aliam etiam huius comparationis faciem exhibet nobis Tigurina translatio. *Sicut ferrum ferro committitur*, id est, agglutinatur & cohæret, *sic homo homini consociatur*. Nam auctor illius trãslationis vocem יחד *Iachad*, quæ hîc subest, non quidem ex חדד *Chadad*, id est, *exacuit*, sed יחד *Iachad*, i. *vniuit*, deducendã putauit; itaque comparationẽ sic instituit. *Sicut ferrũ cũ ferro compingitur, & vnitur*, &c.

95. Ergo ex his modis, quibus hæc comparatio conformatur, aliæ atque aliæ expositiones fluxerunt. Prima est Bayni, qui putauit hunc versum cum superiori committendum, atque adeò fieri sermonem de marito, & vxore, cuius consilium non omnino displicet. Nam in originibus est. *Sic vir exacuit faciẽ socij sui.* Mariti verò socius vxor est. Ergo Rodolphus sic ait, Quemadmodum duo gladij inuicem affricti, & coll... ...es, propter naturalem vtriusque duritiem alter alterius acumen excitat; ad eundem modum si vir, vxorque rigidi sint, ac duri, alius alium ad iram, & furorem exacuit. Itaque suadet Salomon viro ne contra rigidam, & ferream vxorem prædurus sit, sed mollis ac lentus; sic enim fiet, vt illius acies, id est, furor, & iracundia hebescat prorsus atque obtundatur. Iuxta quam interpretationem sententia hæc omnino cohæret cum superioribus, quæ significant etiam vxori non quidem terrore, ac minis, sed obsequio obsistendum esse.

96. Quod si id non displicet, præmissa verba de viro, & vxore aliter, atque aliter, appositè tamen, ad superiores sententias interpretati integrum est. Primò locum istum cum superioribus sic cõsuere licet, vt Salomon aduersus duram, rigidamque vxorem omnia probanda esse dicat, ita vt primò quidem leniter cum ipsa agere præcipiat, deinde verò si quidem rigor ille per lenitatem non emolliatur, maritus etiam rigidum, & austerum sese præbeat. Itaque sensus erit. *Ferrum ferro exacuitur*, &c. id est, prædurum ferrum duriori alio ferro ictũ cædit, scilicet lima exteritur, & malleo elaboratur, sic etiam vxor ferrea, quæ viri delinimenta, & lenes mores aspernatur, rigore, ceu lima quadam extenuanda, nonnunquàm etiam verbere, ceu malleo, mollienda est. Ad hanc sententiam deflexit quidem illud antiquorum commentum, qui Veneris, impudentissimæ ac procacissimæ feminæ, Vulcanum ferrarium fabrum connubio adiunxerunt, vt significarent, contra difficiles valdè, & procaces vxores, lima, malleo & incude opus esse.

Sed longè melius (me iudice) ad hanc sententiam euocatur tertia similitudinis facies. *Sicut ferrum ferro committitur, sic homo homini consociatur.* Et quidem ex hac comparatione duplex sententia depromi potest. Altera est eiusmodi; Non quidem ferrum cum argento, aurove, sed cum alio ferro cohæret, ac permiscetur, ita vt in vnã massam amico fœdere coëant: ita etiam de viro, & vxore decernendum; non enim vilis fœmina cum viro nobili, nec rursus nobilis maritus cum degeneri vxore, nec coniux prædiues cùm paupere coniuge aptè committitur, aut copulatur, sed nobilis cum nobili, vilis cum vili, ditior cũ dite, & pauper denique cũ paupere appositè congrediuntur. Ergo Salomon sic ait; Quemadmodum ferrum, quod inter metalla vilissimũ est, cum ferro aptè coniungitur, & compingitur; ita etiam maritus vilis, & pauper, cum vili, ac paupere vxore, aptè ac peramicè copulatur. Item sicut ferrum auro, vel argento non conglutinatur, sed inuicem resiliunt; sic etiam inæqualium coniugia dissidiis, atque discordiis plena sunt. Quid certius? Hûc spectat illa Salonis sententia, quam recitat Ausonius. Auson.

Par pari iugato coniux; quod impar est dissidet.

Lege plura, quæ ad hanc sententiam illustrandam contulit Tiraquellus in quintam legem connubialem, & vnum accipe Chrysostomum in libro de Virginitate c. 53. vbi pauperem virum vxorem prædiuitem ducere dehortatur his verbis. Chrysost. *Quid ergo est vt pauper aliquis humilis, & abiectus, ex ampla, & potenti familia, pecuniaque affluenti vxorem ducat? At hoc ipsũ contempti illius hominis optatum non minus calamitatum habere reperias. Est enim alioqui superbia elatum, & impotentius mulierum genus, ob eamque causam magis etiam perturbationibus expositum. Cùm verò multas superbiæ occasiones habent, nihil est quod præterea illas in officio contineat: sed quemadmodum vbi sylua aliqua concepit ignem, flamma in sublime fertur, sic ipsæ elatæ incredibiliter, & ordinem peruertunt, & summa infima faciunt. Neque enim virum principatum tenere patitur vxor, & quæ est contumacia, & arrogantia, illo de suo gradu deiecto, eum subiectum esse vult, ipsaque dominatum & imperium occupat. Mitto conuitia, taceo contumelias: nihil ex omnibus rebus est illa intolerabilius.* Et infra contra eos, qui sibi persuadent fieri posse, vt hãc superbiam, fastumque honestissimis, ac ditissimis fœminis sua seueritate excutiant, ita subnectit. *Siquis igitur ita dixerit, primum ignorat id ex eorum esse numero, quæ magnam habent difficultatem. Deinde vt ita sit, non parum id detrimẽti habet. Quod enim illa timore, ac vi in potestate viri esse cogitur, id viro grauius est ac molestius, quàm si ipsa omnem imperandi potestatem haberet. Quid itaque quia omnem amorem mutuum ac voluptatem eiicit ex animo ipsa vis: sublata autem amicitia, remoto studio, & metu, necessitatéque illorum locum occupantibus, quid eiusmodi coniugio ad dignitatem reliqui esse possit?* Hactenus Chrysost. Ergo vt ad Salomonem redeam, huius sententiæ cum superioribus nexus in promptu est; nam cùm præmisisset quasdam viris euenire solitas litigiosas, & fastu plenas vxores, quibus acquiescere potius, quàm rigidè obsistere oporteat; optimam demonstrat rationem, qua grauissimum illud incommodum vitare liceat, si nimirum *ferrum ferro*, hoc est, vilis, ac pauper, pauperi similiter ac vili vxori copuletur; nam omnis penè ex inæqualitate ac disparitate fastus morositasque in fœminis accidere consueuit.

Posterior sententia, quam ex præmissa comparatione excitare licet, sic habet. *Sicut ferrum ferro committitur, sic homo homini cõsociatur.* Ferrũ vtiq; ferro ignis agglutinat, atq; immiscet, aliter si vtrumque frigidũ sit nulla industria compingi, & committi possunt.

Salomon

Salomon ergo, qui ſuprà vxoris, & viri diſſidia, & diſcordias recenſuerat,& ſummam difficultatē, quæ in confœderandis, & concordiæ reddendis duorum coniugum rigidis moribus reperitur, luculenter oſtenderat;nunc quidem ſatis appoſitè ad dicta attexit duorum etiam rigidiſſimorum coniugum animos moreſque concordare non eſſe omnino impoſſibile, ſed ſicut ferrum ferro agglutinatur,ita etiam durum vxoris ingenium cum rigidis mariti moribus cohærere poſſe,ſi nimirum accedat ignis,amor ſcilicet accenſus,ardenſque. Quaſi dicat, ferrum vtique cum ferro, ſi vtrunque algeat vel frigeſcat, nullo modo conſeri poſſunt;at ſi vnum, alterumque igne incanduerint facilè inter ſe cohærent,ac comminiſcentur: ita etiam duo coniuges rigidi ac præduri,ſi odio,tanquàm frigore, inuicem algeant, nulla arte copulari poterunt, at ſi vterque ab amoris flamma velut igne tactus fuerit,ſponte confœderantur, & nullo negotjo concordes fiunt.

99. Secunda interpretatio hunc verſum à ſuperioribus diſiungit,eiuſque patroni inter ſe etiam diſtracti ſunt. Nam plerique malam in partem rapientes ita exponunt. *Ferrum ferro exacuitur,& homo exacuit faciem amici ſui*,i.quemadmodum ferrum ferro alliſū, & affrictū aciem recipit,ita etiam amici duritie,aſperitate verborum in ſe inuicem collidentes, ad iram, & indignationem exacuuntur. Et ſanè iræ acumen non ineptè accommodatur;nam vt habes ſupra verſ. 4.pro illis verbis, *ira non habet miſericordiam*. LXX. conuerterunt. *Acuta eſt ira*. Iuxta quam expoſitionē dicendum eſt Salomonem id ſuadere, ne cùm alter rigeſcit,& ſubiratus eſt,alter contra rigorem, atque iram exerat,ſed cedat potius,& acquieſcat; ſic enim fiet,vt alterius indignatio obtundatur.In quam ſententiam quadrat illud Nazianzeni in iambico de ira. Nazianz.

At læſit hic me? tu caue hunc lædas item.
At reprimetur? forſan hinc creſcet furor.
At cœpit ille? protinus verbis tuis
Frangatur,atque moribus blandiſſimis.

Eius nimirùm ferrea durities ad lenes, molleſque tuos mores impacta reſiliat.Cæterùm hæc ſententiæ huius malam in partem accommodatio nunquàm mihi probari potuit.

100. Quapropter perplacet alia expoſitio,quam plures interpretes amplectuntur.Hi ſunt,Beda,Lyra,Hugo, Caietanus, Ianſenius, Arboreus, Dionyſius, & alij, qui hæc verba bono ſenſu de amicorum vſu, & familiaritate capienda eſſe docent. Ex his verò Arboreus,& Dionyſius gracile quid, ac frigidum induxere;nam ad locum iſtum ita fantur. *Ferrum ferro exacuitur*, &c. i. ſicut malleo claui efformantur,& acumen recipiunt,ſic etiam homo vultu,perſuaſione, & verbis excitat in alio ingenij acumē,vt penetret quæ ab amico dicuntur. Accommodari tamen poteſt ad præceptores, qui ingenia diſcipulorum alioqui hebetia,& obtuſa,diſciplina,& doctrina ſua exacuunt, & expoliunt,vt, ceu claui acuminati, ad difficilium rerum intelligentiam,vt ita dicam,perforent,ac peruadant.Nec diſſimili ſenſu,de amicorum vſu locum interpretari æquum eſt, ita vt Salomon homini ſapienti,& perito hoc ſuadeat, vti amicos etiam imperitos,& ſtolidos libenter audiat, nam ſicut malleus, obtuſus cùm ſit, claui alicuius aciem extenuat exeritque,ſic etiam euenire ſolet:vti homo ſtupidus atque hebes, hominis ſapientiſſimi ingenium ſuis documentis ac præceptis exacuat, & ad difficillima quæque penetranda expoliat.

101. Melius tamen,ac fœlicius alij,qui præfatam ſimilitudinem ſic aptandam putant. *Ferrum ferro exacuitur*,&c.i.ſicut ferrum ferro confricatum aciem concipit,ita etiam ex mutua collatione amicorum exer-

A centur,erudiuntur, acuuntur ingenia. Neque verò præfati interpretes de ſola mētis eruditione,& exercitatione hunc locum capiendum putant, ſed etiam de morum recta informatione, ita vt ſignificent ex ſocietate bonorum id lucri,& quæſtus ſemper euenire,vt alij aliorum conuictu, & exemplo ad probitatem,& honeſtatem inuicem elimentur. Fruſtra hîc multis perſequar quantùm valeant exempla, & bonorum conuerſatio ad rectè viuendum.Illud ex Victore Antiocheno ad caput 1. Marci Euangeliſtæ ſubſcribere libet, vbi cum pericula vitæ ſolitariæ, & ſocietatis emolumenta enumeraſſet, illud inter alia recenſet, quod conuictu, & aſſidua plurium conflictatione ferrei,&,ſi licet dicere,chalybei fiūt illi,qui inter ſocios diu vixerunt:ſic enim habet. *Mox vt hac conflictatione,veluti ferrum, induratus, fortior ſubinde euadas*,&c.Eapropter vetuit illos,qui hanc ſibi fortitudinem ex ſocietate nec dum comparauerant,in ſolitudinem ſecedere,in qua diabolus ſolitarium hominem grauioribus tentationum machinis adoriri ſolet. Itaque ſocietas non ſolùm homines, alioqui ferreos, elimat expolitque,ſed etiam quamlibet eorum imbecillitatem, ad ferri firmitatem, roburque perducit. Victor. Antioch. B

Sed quamuis hæc accommodata ſint, tamen neſcio quid in præmiſſis interpretationibus deſiderare mihi videor: nam etſi ferrum ferro aliquantulum exacui mutua confricatione ſoleat, tamen ad cotem C alliſum melius acuitur,atque adeò aptior eſſet comparatio,quæ ex ferro,& cote duceretur, quàm quæ ex ferro,& ferro,qua lepidè vſus eſt Horat.de Arte.

Fungar vice cotis, acutum Horatius.
Reddere quæ ferrum valet,exors ipſa ſecandi.

Quapropter comparationem iſtam aliter conformandam puto.Præmittere autem oportet in Primitiis pro *ferro* eſſe ברזל *Barzel*, quæ vox non modo *ferrum*, ſed etiam *chalybem*, ſignificat, vulgo *azero*: eſt autem *chalybs*, genus ferri duriſſimū; quod quidem vulgari,& communi additum ferro,atque intimè permixtum,ad gladios concinnandos accommodatum eſt, nam commune ferrum, alioqui lentum, chalybe immixtum,ad ſcindendum rigeſcit. De hac D permixtione loquitur Hierem.cap.6.*Omnes iſti Principes declinantes,ambulantes fraudulenter,vt æs,& ferrum*.Vatabl.ex mente Hebr. *Vt chalybs,& ferrum*.i. omnes iſti non aliter inter ſe confœderati cohærent, quam chalybs ferrumque commune coëunt ad gladium concinnandum.Quaſi dicat: cuncti ad populi perniciem conſpirant.Iam intelligis quò tendam?Salomon ergo ſic ait.*Ferrum ferro exacuitur*.i. ſicut ferrum, & chalybs, ad gladium acutum conflandum, compingendumque aptè coëunt,& cohærent; nam chalybs per ſe ob nimiam duritiem fragilis, ferrum etiam ſeorſum lentum,ac flexibile,commiſſa,& coniuncta ad ſcindendum bene temperantur, ita etiam homo *exacuit faciem amici ſui*, i. cùm amicus amico E ſuo præſto eſt,illum quidem,tanquàm gladium peracutum, & bene temperatum ad agendum, ad obſiſtendum,& ad quidlibet etiam audēdum confirmat, & hæc eſt energia illius clauſulæ,*exacuit faciem amici ſui*,id eſt,illam aduerſus omnes caſus,& ad omnes actiones roborat. Nam,liceat ſic dicere, duo ſingulares homines, etiam ſi alter chalybeus ſit, & alter ferreus, hic tamen lentus ac flexibilis, ille fragilis erit;quod ſi vtrumque amicitia,& familiaritas copulet,ad omnia ardua,& difficilia bene temperati, animatique erunt. 102. Hierem.6.

Quod ſi prima expoſitio magis arridet,quæ locum iſtum cum ſuperiori conſuit,& de concordia viri,& vxoris capit, hæc ſimilitudo, vt à nobis conformata eſt,ad eum etiam ſenſum euocari poteſt: Nam cùm

Salomon vxorem rigidam, & præduram in superiori versu descripsisset, ac maritum ad lenitatem adhortatus fuisset, appositè ad hæc subiungit, maritum, ferri ad instar, lentum, atque flexibilem, cum vxore, Chalybis in morem, rigidiori, & duriori aptè admodum concordari, & ad firmitatem vniri posse, si accedat amor, & gratia: sed tamen præferenda est superior expositio.

18. *Qui seruat ficum, comedet fructus eius, & qui custos est domini sui, glorificabitur.*

103. Qui seruat, &c. Hebr. non dissentiunt. LXX. & Chald. *Qui plantat ficum.* Hebr. נֹצֵר *Notser*, ex radice *Natsar*, propriè significat *seruare, custodire*, inde tamen fit נֵצֶר *Netser*, id est, *surculus*, aut *noua planta*, quia spinis, aut aliter septa seruari solet. Hinc natæ translationes LXX. & Chald. de reliquo omnes lectiones inter se cohærent.

Hunc locum facili negotio expediunt interpretes; omnibus enim ea mens est, seruis, ac mancipiis suaderi fidelitatem erga dominos, spe emolumenti, ac præmij; id enim seruos potissimum ad laborem exacuit. Itaque sic ait: Quemadmodum ille qui ficũ seruat, & culturã illi adhibet, dulcissimos illius fructus tandem carpit: ita etiam seruus qui colit, obseruat, defenditque dominum suum, ab ipso etiam gloriam, & mercedem copiosam, fructus loco, refert. At cur, inquies, herus cum fico potius quàm cum alia arbore comparatur? Posset quispiam dicere, ad dulcedinẽ fructuum Salomonem spectasse, ita vt sensus sit, seruum mercedem sibi maximè dulcem, & iucundã reportaturum, scilicet libertatem; hoc enim est dignissimum, & maximum beneficium, quod à dominis in seruos proficisci solet, & quod ipsismet seruis gratissimum, ac iucundissimum accidit. Seneca Epist. 76. (Senec.) *Inæstimabile* inquit, *bonum est suum esse.* Illud etiam inter Cæsaris apophthegmata refert Erasmus. (Erasmus.) *Nulla voluptas viris ingenuis suauior est libertate.* Rodolphus (Rodolph.) addit: propterea herum cum fico à Sapiente collatũ, quia ficus non vnum tantùm fructũ affert, sed duos, alterum præcocem, alterum verò temporaneum: atque adeò significat seruum, qui ad nutum domino obsequitur suo, non vnam tantùm mercedem, nec vnum tantùm honorem, sed alios sub aliis honores, & mercedes ab illo reportare solitum. Posset etiam quisquam sic comminisci, duos illos fructus præcocem atque temporaneum, duo item præmia, vel duas mercedes seruitutis benè impensæ notare, bonam scilicet, honestámque tractationem dum seruit, ac demum post aliquot seruitutis annos indultam libertatem. Et sanè verbum illud *glorificabitur*, ad libertatem, quam rectè ritéque obseruiens mancipium à grato domino tandem aliquando consequi solet, referendum videtur, hæc enim seruum ex vilissima, & degenere valdè conditione ad honestam, gloriosamque traducit. Hæc à suprascriptis doctoribus dicta sunt non insulsè.

104. Tamen (ni fallor) aliquid iucundius, & dignius sub hac fici comparatione delitescit. Quapropter obseruandæ sunt seruorum leges, apud Hebræos: nam Exodi 21. & Leuit. 25. (Exod. 21. Leuit. 25.) seriò cauetur vti seruis Hebr. qui necessitate compulsi, aut alia quauis ratione, sese dominis mancipassent, anno Iubilæi libertas indulgeretur, nec liceret dominis vltrà eorum famulatu, & operis vti, nisi ipsi sponte sua seruituti acquiescerent. Itaque tempus libertati destinatum erat Iubilæi annus, vltra quem seruitutem producere heris non licebat: poterant tamen seruorum officiis obstricti id tempus properare, & maturius libertatem ipsis impendere. Inde igitur affertur lux Salomoni. *Qui seruat*, inquit, *ficum, comedet fructus eius*, &c. id est, sanè præcocis fructus maximè fallax spes est in ficulneis, non enim illos satis vberes proferunt, nisi fœlices sint anni, & diligens ipsis cultura adhibeatur. Ita docet Columella de re rustic. lib. 5. cap. 9. Ait ergo Sapiens: Quemadmodum qui ficulneam diligenti cultura fouet, non tẽporaneas solùm, sed præcoces etiam ficus ab ea decerpit: ita etiam seruus, qui dominum colit suum, & ipsum studiosè admodum obseruat, nõ modò eam libertatem, quæ stato Iubilæi tempore decreta est, quasi temporaneas ficus, sed illam aliam properatam, & spontaneam, qua domini obsequiis obstricti seruos suos promeritis donare solent, tanquàm præcoces ficus adipiscetur.

Ad hæc Leuitici 21. his, qui vineas, ficum, olíueta, aut aliarũ arborum sata possident, sic præcipit Moyses. *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius; septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini. Agrum non seres, & vineam non putabis: quæ sponte gignet humus non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam; annus enim requietionis terræ est; sed erunt vobis in cibum tibi, & seruo tuo, ancillæ, & mercenario tuo, & aduenæ, qui peregrinatur apud te.* Verba sunt perspicua, & quamuis de solis vineis eloqui videatur Moyses, tamen vinearum nomine omnes aliarum arborum sationes fuisse comprehensas communis interpretum sententia fert. Iubet ergo Deus septimo Iubilæi anno terram otiari, & arborum pomiferarũ fructus nequaquàm à dominis decerpi, sed poma sponte nascentia seruis potissimùm, & ancillis dimitti, deinde etiam reliquias mercenariis, aduenis, & aliis exteris hominibus ac victum derelinqui. Ex hoc igitur iure ac lege peti potest alia interpretatio superioris loci. *Qui seruat ficum comedit fructus eius*, id est, seruus, ac mercenarius, qui magno cum labore colit, seruatque ficum, tandem aliquãdo anno Iubilæi fructus sibi decerpit, quos fundi possessor ipsi dimittere ex lege tenetur; ita etiam, *qui custos est Domini sui, glorificatur*, id est, ad eundem modum seruus, qui colit dominum suum, quantumuis asperam seruitutem perferat, eodem Iubilæi anno libertatis gloriam, & honorem nanciscitur. Itaque iuxta hanc interpretationem suadet Salomon seruis labores, & iniurias seruitutis æquo animo ferre spe libertatis gloriosæ, quam anno septimo Iubilæi consequi debent. 105. Leuit. 25.

Septuaginta interpretes, & Chaldæus ita extulerunt. *Qui plantat ficum, comedit fructus eius*, &c. quæ translatio alium planè sensum reddere videtur; sumitur enim comparatio ab eo, qui serit, ac plantat; & sanè isthæc verba si capiantur, vt sonant, facili quadam sententia donari possunt. Obseruare autẽ oportet ex arboribus alias esse valdè seras, quæ nimirum longissimo tempore postquàm seruntur, fructus afferre incipiunt, vti oleæ, palmæ, & id genus plures; alias verò esse præceleres, quæ postquam satæ sunt, non longo interuallo adolescunt, & fructus afferũt: inter quas refertur etiam ficus, quæ paucis post sationem annis vbertimè fructificat. Hinc ergo præfatæ translationi lux afferri potest hoc modo. *Qui plantat ficum, comedit fructus eius*, &c. quemadmodum qui ficulneam serit, fructus eius dulcissimos decerpit, (non enim hæc arbor vti aliæ sera est, fructus afferens, qui posteris prosint; sed fermè ipsemet qui serit illam, prædulces eius fructus degustat;) ita etiam qui studiosè, & accuratè domino obseruit, obsequiturque suo, non quidem serò, & post longas temporum moras, sed ocyus ab illo mercedem, præmium, ac libertatis honorem obtinebit, ita vt ipse ea gloria perfrui diutius possit. 106.

Quod

107. Leuit. 19. Quod si hæc interpretatio non satis placet, succedat memoriæ id, quod Leuit. 19. cauetur. *Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum, poma, quæ germinant immunda erunt vobis, neque edetis ex eis. Quarto autem anno comedetis fructus congregantes poma, quæ proferunt. Ergo Dominus Deus vester.* Itaque lex præcipiebat, ne cuiuspiam arboris fructus vsque ad quintum post sationem annum domino edere liceret, atque adeò per aliquot annos cultura, & labor arboribus, absque vllo vsu, & emolumento impendebatur, quam demùm ipsæmet arbores vbertate fructuum rependebant. Hæc igitur lex aliam huius translationis interpretationem offert ad hunc modum. *Qui plātat ficum, comedit fructus eius,* id est, qui ficulneam denuò serit, & si diuturno tempore absque vllo vsu, fructuque ipsam non sine labore atque molestia colit, recolitque, tamen post exactum tempus à lege præscriptum eius vberes fructus decerpit: ita etiam seruus, qui domino diligenter, & accuratè obseruit, quamuis aliquo tempore labor eius inutilis, & infrugifer videatur, tandem aliquando laboris sui fructum largioribus præmiis, & honoribus nanciscitur.

108. Hæc autem interpretatio extrema translationis LXX. ad nostram lectionem vt iterum redeam iubet. Illud autem constituo, duplex esse genus seruorum, aliud quidem mercenarium, qui ob decretam prius aliquam mercedem, quæ in singulos, aut menses, aut annos ipsi pendatur, operas suas locat: aliud voluntarium, & spontaneum, qui pretium nullum definit, sed se totum, atque sui obsequij pretium, præmium ve domino suo permittit. Deinde etiam mihi adeundus est Columella loco citato, vbi de ficulnearum cultura accuratè disceptat, atque inter alia sic scrit. *Si voles ficum quamuis non natura, seram facere, & vberiores demum ex illa fructus carpere, tunc grossulos, priorem ve fructum decutito, iterum alterum edet, quem in hyemem vsque differet.* Scholiastes addit. *Iterum alterū vberiorem reddet*, &c. Addo etiam pro illa voce *seruat*, à nonnullis poni, *expectat*, hoc modo. *Qui expectat ficum comedit fructus eius, & qui expectator est domini sui, glorificabitur,* qui similem vim inesse dicunt illis verbis *seruat*, &c. *custos erit*, ita vt seruare, & custodem agere perinde sit ac expectare. Ergo si solidum hoc est, licebit quidem nostram lectionem Vulgatam ad superiorem interpretationem vocare, aut iuxta ea, quæ præmisimus, aliam expositionem comminisci ad hunc modum. Quemadmodum si quis non grossos ac præcoces ficus ex ficulnea gustare vult, sed his ab initio decussis, expectat tempestiuos eiusdem fructus, eos quidem tùm vberiores, tùm etiam diuturniores decerpit: ita etiam seruus, qui ab ingenuo ac liberali domino non statim definitium pretium sui obsequij, ac seruitij auferre vult, sed diutius expectat spontaneam eiusdem liberalitatem per aliquod tempus operiens; non largiorem modò, sed diuturniorem etiam mercedem, ac præmium ab illo reportare consueuit. Quid certius? Sed tamen superiores interpretationes præfero.

---

19. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium; sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

109. QVomodo, &c. Hebr. sic habent ad verbum. *Sicut aquis facies ad facies, sic cor hominis ad hominem.* Quæ verba non parum ancipitia sunt, & multis non modò expositionibus, sed etiam translationibus locum fecerunt. Rabi Aben Hezra ita extulit. *Quomodo aqua ad aquas, facies ad facies, sic cor* hominis ad hominem. Caietanus. *Sicut aquarum facies ad facies.* Accinunt Tigurina, & Pagninus. Chaldæus paulò aliter. *Sicut aqua, & sicut vultus, qui non sunt similes ad inuicem; sic cor filiorum hominum non est inter se simile.* Hærent Chaldæo Septuaginta. *Sicut non similes facies faciebus, ita neque cogitationes hominum,* in quibusdam est, *Sic corda hominum dissimilia.* Origenes homilia 2. in Num. *Sicut diuersi sunt vltus vultibus, ita, & diuersa sunt corda hominum.*

Prima igitur interpretatio satis coacta, & Aben Hezræ, qui lectionem nuper datam ita exponit. Sicut aquæ aquis influentibus superescunt, & exundant, & facies item per facies, id est, seuera, & irata vnius facies per alterius faciem similiter iratam, & seueram, magis ac magis irritatur, ac sæuit: ad eundem modum vnius cor per alterius hominis cor, id est, dum alij aliis suos inuicem insusurrant dolos, & fraudes, ipsorum quilibet magis, ac magis dolosus, & fraudulentus euadit. Sed præterquàm quod lectioné satis difficilem marte suo inuenit Aben Hezra, difficiliorem interpretationem in ipsam coniecit. Longè melius hanc Hezræ lectionem commentari licet ad hunc modum. Sicut aquæ aquis additæ maximam vim habent, & facies faciebus, id est, viri viris adiuncti validissimi sunt, ita etiam corda cordibus, id est, sententiæ sententiis cohærentes maximum ad persuadendum pondus habent: Quasi dicat, cùm plurimorum ingenia in vnam sententiam conspirant, tanquàm rapidum flumen ex multis riuulis collectum, quemlibet etiam pertinacissimum hominem post se auferunt, & tanquàm magna hominum manus ex multis militibus coacta ad quamlibet pugnacissimam mentem debellandam satis esse solet. Sed tamen id etiam longè petitum.

Secunda interpretatio Rabi Samuel sic habet. 110. R. Samuel. *Quomodo in aquis facies ad facies, sic cor hominis ad hominem,* id est, quemadmodum facies in aqua resplendens oculos fallit, qui non falsam imaginem, sed ipsissimam rem sibi adspectare videntur; ita etiam homines alij alios deludunt, mendacia, & fraudes sub veritatis specie sibi inuicem offerentes. Itaque de hominum fraudibus, & fallaci conuersatione sic concipe; alij quidem aliis pro speculis sunt; nam per simulationem gratiæ, atque beneuolentiæ expressam in semetipso alterius formam vnus vni offerre videtur, & quodammodò specie tenùs singuli in singulorum animis alterutrinque degere putantur; sed tota hæc est vana inanisque repræsentatio, & adumbratio, sicut imaginum in aquis latentium; omnis enim gratia falsa, & adumbrata est. Hæc etiam expositio à Vulgata lectione plurimùm abhorret, atque adeò non est audienda.

Tertia expositio est Caietani, qui sensum huius 111 Caiet. parabolæ ex modo naturali, quo intellectus noster acceptis à phantasmate speciebus ac formis; res cognoscit, de promit ad hūc modum. *Sicut aquarum facies ad facies, sic cor hominis ad hominem,* (sic ipse restituit) id est, Sicut in potestate hominis est aquam non intueri, si tamen in aquam inspiciat, naturale est ipsi aquæ acceptam formam oculis reddere; ita etiam integrum, ac liberum est homini externos sensus quibusdam non bonis obiectis defraudare; attamen si sensibus hæc offerantur, sicut obuersatæ facies ex aquis ad oculos sponte redeunt, ita etiam res obiectę ex sensibus externis ad intellectum, mentemque resiliunt. Itaque verba Salomonis sic expendit. *Sicut aquarum facies,* id est, sicut imagines, quæ in aquis resplendent, *ad facies,* id est, ad veros, naturalesque hominum vultus referuntur, ita nimirùm (hæc de suo addit Caietanus) vt in potestate hominis sit aquas respicere, vbi autem illas intuitus est, non possint non

ex aquis ad oculos formæ redire. *Sic cor hominis ad hominem*, cor hominis appellat cogitationem, pro vt ex sensibus externis ad intellectum transit. Quasi dicat: ita species ab exterioribus obiectis acceptæ ad mentem pertranseunt; quamuis enim liberum sit homini sensus suos defraudãdo hisce speciebus carere; tamen vbi sensibus data licentia est, non possunt non ex his ad intellectum fallaces imagines redundare. Itaque Salomon ex mente Caietani suadet homini, vti sensus externos coërceat, & ab obiectis prohibitis omnes contineat, ne cor, animusque ab illis perinde eludatur, ac decipiatur, sicut formæ ex aquis, vel speculis resultantes oculos fallunt. Non probo.

112. Vatabl. Quarta expositio est Vatabli, qui præmissam originalem lectionẽ sic exponit. *Sicut aquarũ facies, ad facies, sic cor hominis ad hominem*. i. sicut in ipsa aqua vultus vultui respondet, *ita cor hominis cordi hominis*: quasi dicat; sicut vultus, qui in aquis apparet, similis per omnia est vultui eius, qui aquam intuetur, ita etiã cor vnius hominis similis est cordi alterius, atque adeò quilibet homo ex suo ipsius corde de aliorum cordibus discernere, & statuere potest. Non acquiesco.

113. Gen. 1. Quinta interpretatio non inelegans Primitiuæ lectionis, per *facies aquarum*, ipsas aquarum superficies accipit, iuxta illud Genes. 1. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*. Hebr. *super facies aquarum*. Itaque sic aiunt. *Sicut facies aquarum ad facies*, id est, quemadmodum superficies aquarum ad excipiendas facies. Profectò inter specula nitida, & tersa, atque inter aquas id discriminis versatur, quod aquarum superficies mobiles cùm sint, ac lubricæ, inconstantes etiam ac mobiles, & vix adspectabiles imagines oculis offerunt, at verò specula solida, & firma, immobiles, & constantes, ac firmas species reddunt. Hinc ergo duplicem sensum sensum exprimere licet. Prior est: quemadmodum facies in aquis expressæ cum ipsismet aquis mouẽtur, & instabiles sunt, atq; adeò vix, ac ne vix quidem videri se sinunt; ita etiam *cor hominis ad hominem*, id est, eodem modo vnius hominis cor, & animus, alteri homini non omnino patet. Quasi dicat: vnus homo alterius hominis animum assequi mente, & cogitatione non potest, quia cùm homo à natura sua mobilis sit, & mentem, sententiam, imò etiam mores in singulos dies mutet, nulla ipsi facies constans ac firma inest, ex qua illum agnoscere, atque animum illius deprehendere liceat.

114. Posterior sensus est eiusmodi. *Sicut facies aquarum ad facies*, id est, sicut in mobilibus, ac lubricis aquarum superficiebus facies quoque in illis expressæ similem ad modum mobiles, & inconstantes sunt: *ita etiam cor hominis ad hominem*, non quidem alterius hominis, sed ipsiusmet hominis. Quasi dicat: ad eundem modum cor hominis suopte ingenio instabile, neque in sententiis suis, neque in moribus, & affectibus constantiam, & firmitatem habet. Hanc humani cordis instabilem mobilitatem pulchrè describit Basilius in libro de virginitate non longè à principio. (Basil.) *At sicuti lapis in aquam cisternæ coniectus non solùm ad iacentem aquæ partem, in qua concidit, agitat: verùm orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos nimirum ad vtmos lacunæ margines agitando perducit: ita & lasciuus obtutus, vel sermo voluptatis delinitus illecebris in virginis animam, velut in vndam purissimam, vehementer iniectus, alias post alias cogitationes amatorias excitat, totamque eius qui fecit imaginem sauciam fluctibus agitat*. Id ergo quod Basil. de imagine Dei, quæ ab ipsomet Deo animis nostris à suæ conditionis initio impressa fuit affirmat, eodem modo de quibuslibet aliis imaginibus, aut formis, quas postea per vsũ, disciplinam, aut etiam per mores comparauimus, cogitare

A licet: has enim per assiduas animi perturbationes moueri, agitari, variari, & permutari necesse est. Nec dissimile est illud Virgil. 8. Æneid. Virgil.

Talia per Latium, quæ Laomedontius Heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu;
Atque animum celerem nunc hùc, nunc diuidit illùc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aqua tremulum, labris vbi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia peruolitat latè loca, iamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Sed his omissis, quæ à nostra lectione longè abeunt, eius germanum sensum perscrutemur.

Sexta igitur huius loci expositio, quam Lyra, Hu- 115.
B go, Dionysius, Arboreus in Vulgatam lectionem coniiciunt, sic habet. (Lyra. Hugo. Dionys. Arbor.) *Quomodò in aquis resplendent vultus prospicientiũ, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*. Id est, quemadmodum homo in perlucida, stagnanti, & immota aqua faciem suam clarè, ac perspicuè intuetur: ita etiam non minus clarè, ac perspicuè vir prudens aliorum hominum corda introspicit, atque mentem, animumque percallet. Hæc comparationis accommodatio ad hunc modum accepta parum apta quibusdam videtur. Quid enim, inquiunt, habet visio propriæ formæ in aqua, cum cognitione alieni animi? Hugo ergo huius accommodationis vim in eo sitam voluit, quia sicut in ipsa aquarum superficie homo seipsum intuentur, ita etiam vir sapiens ex
C his, quæ exterius, velut in superficie hominis, apparent, ad internos sensus peruadit, & latentia penitus studia assequi solet. Alij comparationis energiam aliunde petunt: aiunt enim in vtroque hemistychio *sapientem* repetendum esse hoc modo. *Quomodò in aquis resplendent sapienti vultus prospicientium*, id est, quemadmodum expressæ sui, vel aliorum, formæ, & imagines in aqua sapientem non deludunt, quippè qui probè nouit eas formas non esse veras sed vmbratiles: *Ita etiam corda hominum manifesta sunt prudentibus*, qui nimirùm illos apparentiæ, & vmbræ exteriores virtutis, aut honestatis nequaquàm decipiunt: quidquid enim fucatum, ementitum, & adulterinum est, sapientibus, & prudentibus non facit imposturam.
D Hùc spectat Narcissi fabula quæ stultos, atque vecordes homines perstringit, quos scilicet vana, & inania rerum spectra deludunt, de quâ Nazianzenus in carmine ad Vitalianum, sic cecinit. Nazianzen.

Vt data sit priscis per casus fabula nostros,
Quidam olim formæ ipse suæ correptus amore
In fontem insiliit, pulchrique ex oris inani
Exilium traxit speculo, mortemque pudendam.

Non ita sapientes, & prudentes, qui inter vmbras imaginesque rerum, resque ipsas probè discernunt. 116.

Sed quamuis præfato modo non sine aliquo lepôre similitudo adaptatur: nihilominus tamẽ pręstat (me iudice) septima interpretatio Iansenij, & Rodolphi, (Iansen. Rodolph.) quæ non de cognitione aliorum, sed de sui ipsius no-
E titia hunc locum sic edisserit. *Quomodò in aquis resplendent vultus prospicientium*, id est, quemadmodum homo in profundum & candidum fontem intuens, per sui formam, & imaginem inibi impressam, seipsum, vultumque suũ, & eius maculas, næuosque perspicuè agnoscit: *Ita etiam corda hominum manifesta sunt prudentibus*. non quidem aliorum hominum, sed ipsorummet sapientum, ita vt sensus sit: ad eundem modum corda hominum prudentum ipsismet prudentibus comperta sunt. Quia nimirùm viri prudentes, & gnari, ad sua ipsorum corda & conscientias mentis oculos intendentes, semetipsos perspicuè agnoscunt, atque suos defectus, seu errores clare admodum deprehendunt. Et sanè Salomon ideò propriam cuiusque conscientiam cum aqua potius composui-

August. Plin. posuit, quàm cum speculo: quia speculis quibusdam inest dolus, & fraus. De speculorum fraudibus legendus Augustinus epist. 150. ad Nebridium, & Plinius lib. 33. cap. 9. vbi alia esse dicit, quæ rerum formas augent, alia quæ imminuunt, & extenuant: alia item, quæ ex vna tantum forma imaginum populosam multitudinem reddunt: & de aliis alia satis admiranda pronuntiat. Non ita aquæ, & fontes, quos naturæ ipsius specula appellauit Aristoteles, vera nimirùm, ac minimè fallacia. Seneca. Audiendus certè est Seneca Naturalium quæstionum lib. 1. cap. 17. *Quorsum*, inquit, *pertinuerit hanc comparare materiam excipiendarum imaginum potentem? non in hoc scilicet, vt ad speculum barbam, faciemque velleremus, aut vt faciem viri poliremus; At subinde inuenta sunt specula, vt homo ipse se nosceret: Multa ex hoc consequuta bona: primo sui notitia, deinde & ad quædam consilium. Formosus, vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret redendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: iuuenis, vt in flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit nosmetipsos videndi. Fons cuique perlucidus, aut leue saxum imaginem reddit.*

Nuper me in littore vidi
Cùm placidum ventis staret mare.

Qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se comentium? Ætas illa simplicior, & fortuitis contenta nondùm in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum naturæ in libidinem, luxumque rapiebat. Ergo ab his naturæ speculis candidissimis, atque verissimis similitudinem optimam ducit Salomon, vt homines ad sui cognitionem exacuat, præcipiens vt perinde se in suismet cordibus, conscientiisque introspiciant, sicut in fontibus imagines reddentibus nostras contemplamur formas. In qua comparatione illud præterea notandum, aquam, vt imagines reddat, puram, & candidam, adde etiam placidam, & quietam esse oportere, vt ex dictis liquet: nõ aliter animus, & conscientia, vt suam cuique formam offerat, & ad sui cognitionem informet, munda primùm, dein quieta, & imperturbata esse debet.

117. Reliquum est, vt de translatione Thargùm, & LXX. aliquid subiiciamus. Septuaginta enim sic habent. *Sicut non similes facies faciebus, ita neque cogitationes hominũ.* Desiderabis fortasse aquas in hac lectione lxx. sed rationem reddidit non iniucundam nouus interpres, qui dixit, LXX. interpretibus ita visum, Salomonem loqui de faciebus, quas aqua eluit, atque omne linimentum detergit. Itaque sic aiunt, id est, quemadmodum facies inter se dissimiles, ita etiam sententiæ. Respondet hæc parabola illi peruulgatæ paræmiæ. *Quot capita, tot sententiæ.* Mirum sanè quàm dissimilares sunt hominum facies, nulla est cuius forma cum alia penitùs concordet: Arist. eapropter Aristoteles in Problematis sect. 36. homines potissimum de facie agnosci ac dignosci dixit, cùm tamen ex illorum membrorum formis vix vnus ab altero discerni queat. August. Sed elegantissimè hac de re Augustinus de Ciuit. lib. 21. c. 8. *Quis enim*, inquit, *consulta ratione non videat in hominum innumerabili numerositate, & tanta natura similitudine valdè mirabiliter sic habere singulos suas facies, vt nisi inter se similes essent, non discerneretur eorum species ab animalibus cæteris, & rursus nisi inter se dissimiles essent, non discernerentur singuli à singulis. Quos ergo similes confitemur, eosdem dissimiles inuenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis: quoniam similitudinem iustius videtur exposcere natura communis. Et tamen quoniam quæ sunt rara, ipsa sunt mira, multò magis admiramur, quando duos ita similes reperimus, vt in eisdem cernendis, aut semper, aut frequenter erremus.* Ait ergo Salomon: non minor cogitationum, sensuum, atque opinionum diuersitas, quàm facierum & vultuum: ita vt non minus mirabile sit duos in eandem sententiam conspirare, quàm duos vultus non esse dissimiles. Audi Persium. Persius.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

118. Potest etiam sensus aliter institui hoc modo. *Sicut non similes facies faciebus*, &c. id est, qualis quisque sit, quid sentiat, ex facie illius coniectari licet, nam dissimiles facies, quas vnus atque idem homo passim euariat, diuersas illius cogitationes, & studia prodit: diuersæ quoque in diuersis facies animorum etiam, atque morum dissimilitudinem innuunt. Facies enim animi index. Lege Aristotelem in physiognomia cap. de facie, & fronte, in his enim præcipua morum, ac studiorum documenta à natura obsignata multis declarat. Ambros. Ambrosius verò de Helia & ieiunio ca. 10. sic habet. *Index facies plerumque est conscientiæ, & quidam tacitus sermo mentis, cùm aut peccato compungimur, aut integritate lætamur.* Et subinde. *Exterminat faciem suam, qui aliud corde gerit, aliud foris fronte prætendit. Nos nos velut quodam peripetasmate operiamus, quod intus est, foris luceat: quod foris est, intus operetur.*

119. Chaldæus verò sic extulit. *Sicut aqua, & sicut vultus, qui non sunt similes adinuicem, sic cor filiorum hominum non est inter se simile.* Et sanè hæc translatio elegantem quandam, sibique propriam energiam continet hoc modo. Sicut vna eademque aqua, cùm plures in eam intuentur, singulis singulos, ac diuersis diuersos vultus reddit: ita etiam vnum atque idem negotium, vna atque eadem quæstio, singulis item singulas, & diuersis diuersas opiniones, ac sententias ingerit: ita vt nullus cum alio penitus concordet. Ad quem sensum (me iudice) vocanda est etiam translatio Sept. & aqua, quæ in textu desideratur, supplenda. Audiendus Euripid. in Phœnicis. Euripid.

Cunctis idem sepulcrum, & egregium foret,
Nulla esset anceps hominibus contentio.
At nunc simile nil, idem mortalibus
Nisi verba forsan inter ipsos concinunt,
At in re, factisque conuenit nihil.

20. *Infernus, & perditio nunquàm implentur: similiter & oculi hominum insatiabiles.*

INfernus & perditio, &c. Hebr. *Sepulchrum, & perditio non saturantur, & oculis hominum non saturantur.* LXX. concinunt cum Vulgata lectione. Profectò hic versus similis per omnia est illi, qui occurrit infra cap. 30. vers. 15. & 16. vbi sic habes. *Tria sunt insaturabilia.* Et statim primo loco, *Infernus, & os vulua*, &c. Vide ibi multa ex quibus sententiam illustrare licet.

21. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.*

QVomodo, &c. Hebr. *Conflatorium argento, & caminus auro, & vir secundum laudem suam.* Sententia tamen non dispar. LXX. *Probatio argento, & auro ignitio, vir autem probatur per os laudantium eum.* 120.

De hac sententia omnibus interpretibus vna eademque mens, qui verba ita, vt sonant, accipienda putant. Beda quidem sic habet. *Quomodo probatur*, &c. *Laus quippe iustos cruciat, iniquos exaltat, sed iustos* Beda.

dum

dum cruciat purgat: iniquos verò dum extollit, improbos monstrat. Et quidem si verba huius doctoris ad libram euoces, agnosces planè illum de probatione auri & argenti, quæ igne fit, ita locum istum intellexisse, vt quod in hac probatione præcipuum est, scilicet ponderatio, & examinatio, quæ per trutinam fit, potissimùm obseruarit. Nam ad explorandum aurum, argentum ve, primum quidem exactissimè librâ expenditur, deinde igni traditur, rursus ad trutinam redit: si verò tunc antiquum pondus nihilo leuius effecit, tàm aurum quàm argentum purum esse comprobatur: quod si pristinum pondus imminuit, atque adeò ipsum libra eleuat, impurum, ac sordidum esse dignoscitur. Hæc igitur fuit Bedæ mens. Laus, inquit, iustos sicut aurum in conflatorio cruciat, non tamen exterit: at verò improbos quemadmodum in libra, B eleuat, extollitque. Et sanè hoc potissimùm in laudibus humanis experimentum de se quisque sumere debet, vti videat, an post laudes ad suæ æstimationis, & opinionis trutinam iterum vocatus, ipsum commendatio leuiorem fecerit: si enim laus illum cruciat tantum, non verò extollit, iustum: si autem eleuat, & tumidum reddit, improbum se atque iniustum existimare debet.

Augus. Iustus planè Augustinus, quem humanæ laudes non extollebant, sed magis grauabant: nam in sermone 5. de verbis Domini sic scribit. *Laudes istæ vestræ grauant nos potius, & in periculum mittunt. Toleramus illas, & tremimus inter illas.*

Seneca. Hoc humanæ laudis præcipuum nocumentum attigit Seneca de ira lib. 2. *Laude, inquit, crescit licentia, spiritus assurgit si laudatur, & in spem suam bonam adducitur: sed eadem ista* C *insolentiam, & iracundiam generant.* Sed de damnis, quæ humana laus adportare solet luculentiùs ex

Anton. Theodoreto Antonius Monachus in melissa serm. 51. *Multis sæpè hominibus nocet laudatio: eleuat enim, laxatque animi vigorem, & cursum impedit. Et aliquis ipsum curriculi finem se consequutum existimans (hac enim persuasio per laudem sese insinuat) currere desinit, & victoriam perdit.* Et ex Nazianzeno etiam illud subnectit. *Nimiæ laudes redigunt aliquos homines ad summam elationem.* Mitto alia detrimenta, quæ laus, & commendatio hominum afferre consueuit.

121. Gregor. Et præclarum, elegansque huius loci commentarium subiicio ex Magno Gregorio lib. 22. Moral. c. 5. D vbi scribit. *Qua in re necesse est, vt cum audientium vtilitati non proficit laus nostra, mentem nostram fama laudabilis non eleuet, sed fatiget.* Et subinde post pauca. *At contrà si cor veraciter humile est, bona quæ de se audit, aut minimè recognoscit, & quia falsa dicuntur, metuit: aut certè si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat, ne ab æterna Dei retributione sint perdita: pauet enim vehementer, ne spes futuri muneris in mercedem reputetur transitorij fauoris. Qua ex re agitur, vt electorum animus magno laudum suarum igne crucietur, atque ab omni torporis sui rubigine, mœrore, cogitatione excoquatur: cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his, de quibus laudatur, & non sunt, maius Dei iudicium subeat, aut de his, in quibus laudatur, & sunt, competens* E *præmium perdat. Vnde plerumque fit, vt sicut iniustus ex laude sua polluitur, ita vir iustus audita sua laude purgetur. Nam dum bona quæ egit, ab hominibus proferri cognoscit, subtile contra se, vt dictum est, extremi iudicij examen metuit, ac trepidus ad conscientiam recurrit, & quidquid illic inest reprehensibile corrigit. Dum enim bona sua innotuisse formidat, subtilitatem secuturi examinis pertimescens, si qua in se mala occulta sunt, amputat. Pauet namque si talis Deo non ostenditur, qualis ab hominibus putatur, & neque contentus est, vt in quo potuit innotescere, in hoc debeat remanere: iam enim de bonis suis quasi retributionem sibi factam æstimat nisi eis & alia, quæ ab hominibus nesciuntur, adiungat. Vnde benè* A *per Salomonem dicitur, Sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis. Argentum quippe, vel aurum, si reprobum est, igne consumitur: si probum verò igne declaratur: sic nimirum est & sensus operantis: Nam qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur. Si enim se auditis suis laudibus extollit, quid iste aliud quam aurum vel argentum reprobum fuit, quem videlicet fornax lingua consumpsit? si autem fauores suos audiens ad superni iudicij considerationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum grauetur, metuit, quasi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis excrescit, & vnde incendium trepidationis sustinet, inde clarius effulget,* &c. Hactenus Greg. cuius commentarij elegantiam nemo non suspicere & admirari debeat.

Sed dùm illius verba attentiùs cogitationis libra expendo, duos quidem gradus agnosco eorum, qui humanas laudes sine detrimento accipiunt: alter est illorum, qui acceptis laudibus non mutantur, nec in deterius abeunt: alius verò eorum, quibus per humanas commendationes non parùm honestatis, & probitatis accrescit. Id verò suasit mihi vti verba Salomonis penitùs rimarer. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum,* &c. Certè inter aurum, & argentum, cùm vtrumque igni excoquendum datur, hoc interest, quod aurum quidem etiam purgatissimum, cùm in conflatorium venit, non quidem exteritur aut imminuitur, tamen illi nihil accrescit. Argentùm verò non item: quia vt igni tradatur, C ne ignis vrendo ipsam argenti substantiam, vt fieri solet, imminuat, aliqua plumbi portio ipsi fusioni admisceri solet. Quapropter cùm plumbum, vt communis aurificum existimatio fert, nunquàm non argenti aliquid contineat, sæpè accidit vt post fusionem, dùm id argenti, quidquid ex plumbo relinquitur, antiquæ massę adhæret, ad pristinum pondus aliquid accedat. Vtramque igitur probationem, siue auri, siue argenti, imitantur iusti laudibus humanis excocti: aut enim tanquàm aurũ defæcatissimum per laudes initũ nihil amittit, aut tanquàm argentũ ex cõflatione earumdem laudum magis, ac magis crescit, iuxta illa Gregor. verba. *Iam enim de bonis suis quasi retributionem sibi factam æstimant, nisi eis, & alia, quæ ab hominibus nesciuntur, adiungat.* D Vtrumque sanè gradum, & eorùm, qui auditis laudibus non decrescunt, neque mutantur, & eorum, qui in melius proficiunt, expressit alter Gregor. scilicet Nazian. in orat. 14. de pace, vbi quomodò ipse inter laudes, & vituperia immutatus, & iniuriatus perstaret exponit his verb. *Nec item me vel laudatores, vel vituperatores immutabunt (quemadmodum qui cœno vnguentum, aut vnguento cœnum admiscent, & per mixtionem qualitates confundũt) vt scilicet maledicos sermones tanquàm à me ipso mutatus grauiter, & iniquo animo feram.* Et infrà *Quod enim sum, hoc maneo, siue maledictis afficiar, siue laudibus in cælum vehar.* Idem etiam in oratione 20. de laudibus Basilij, incrementa, quæ ex laudibus accedere solent E virtuti, rescribit his verbis. *Debetur quippe, vt si quid aliud, viris cum cætera egregiis, tum in dicendo copiosis, oratio. Quarum enim rerum laudes noui, earum quoque haud dubia incrementa explorata habeo, nec quidquàm omnino est, quod non hac ratione augeatur.* Sed quænam isthæc incrementa, & accessiones, idem Theologus apud Antonium Monachum suprà. *Præcipuum beneficium est in rebus honestis laudari: laus enim parit æmulationem: æmulatio virtutem, virtus fœlicitatem,* &c. Et Chrysost. ibid. *Laus enim propter egregia facta auget cupiditatem ad meliora,* &c.

Marginal notes (right): 122 (beside "Sed dùm illius verba…"); Nazianz. (beside "pressit alter Gregor."); Anton. (beside "apud Antonium Monachum"); Chrys. (beside "Chrysost. ibid.").

21. *Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.*

123. HÆc verba absunt ab originibus, & in quibusdam etiam Vulgatis codicibus antiquis desiderabantur: at nunc tandem in correctiori textu Vaticano iacent. Fuerant etiam olim expuncta à translatione LXX. atque adeò in Complutensibus, Regiisque Bibliis non habentur, sed in Vaticana quoque translatione subscribuntur.

Sententia est pespicua. Salomon enim diuersa probi, atque improbi hominis studia exponit. *Cor iniqui exquirit mala*, id est, omnis ratio, & cogitatio viri improbi ad id spectat, vt malitiam, quam animo concipit, perficiat. *Cor autem rectum inquirit scientiam*: nomine scientiæ, aut sapientiæ, probitatem significari passim in hoc libro nemo nescit. Itaque ait: Vir probus omne studium & animi sui conatus adiicit ad ea bona, quæ cogitauit exequenda. Vel aliter, vir improbus vt est ad malum procliuis, omnem mentis suæ cogitationem eò impēdit, vt diuersa mala alia sub aliis adinueniat, quæ possit demùm exequi: at contrà vir probus pro sua in honestatem propensione in id mente sua incumbit, vt bona multa excogitet, in quibus sese exercere possit.

Sunt qui velint hæc verba cum superiori versu necti oportere: sed difficilem nexum exhibent: nisi dicat his verbis significari diuersos effectus, quos laudes humanæ in diuersis præstant: nam improbi si laudentur ad perpetranda scelera audaciores fiunt: probi autem si commendentur, ad probitatem gnaui magis ac solertes redduntur. Sed tamen hæc leuiora sunt.

22. *Si contuderis stultum in pila sicut ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ex eo stultitia eius.*

124. SI contuderis, &c. Hebr. *Si contuderis stultum in mortario in medio* הריפות *Hariphot, in pistillo, non recedet desuper stultitia eius.* Illud certè anceps, quid significet vox illa *Riphoth*, de qua multæ interpretum sententiæ. Noster quidem interpres *Ptisanas* reddit, quæ vox significat hordei grana decorticata. Pagnin. *farrum* conuertit. *Si contuderis*, inquit *stultum in mortario in medio farris contusi.* Et idem etiam in thesauro ex mente Rabi Abraham transtulit *triticum contusum*. Sunt etiam qui hìc restituerint, *massas ficuum contusas*, ducti nimirùm opinione LXX. Nam cùm hæc vox bis tantum accurrat in libris sacris, hìc nimirùm & 2. Regum 17. LXX. inibi *massas ficuum* reddiderunt: nam vbi nostra Biblia habent. *Tulit autem mulier, & expendit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas.* Vaticani codices Xistiani retinent vocem originalem hoc modo. *Et siccauit super illud Riphoth*, in Complutensibus autem & Regiis est. *Et siccauit super illud palathas*, id est, *massas ficuum*. Chal. legit. *Et siccauit super illud frumentum contusum.* Sanè originalis vox, *Riphoth*, fluit à radice רוף *Ruph*, quæ significat conterere, aut comminuere, atque adeò quamcumque rem contritam, & contusam notare videtur: hinc data interpretibus licentia. Dissident tamen ab omnibus aliis LXX. & Chald. nam illi sic restituent. *Si flagellaueris imprudentem in medio consessus inhonorans, non auferes imprudentiam eius.* Chaldæus verò sic habet. *Etiamsi percusseris stultum plagis inter cœtus, idque pistillo, non transibit ab eo stultitia eius.* Qui certè putādi sunt omissa metaphorā sensum tenuisse.

A Huius loci sententia perspicua satis est: Salom. enim accommodatissimā quadam similitudine ostendit, quàm sit difficile homini stolido stultitiam excutere, & illum ad prudentiam informare. Quapropter id tantùm negotij datur interpreti, vt similitudinis huius vim, & energiam examinet. Dicam aliquid de exoticis translationibus. 125.

Illi ergo, qui sic restituunt. *Si contuderis stultum in pila sicut massam ficorum*, &c. non insulsam sententiam offerunt: nam similitudo sic conformari debet: Si quis ficum aliquam fatuam, seu euanidam, cum magno dulcium ficorum numero pinsendo permiscere, & in vnam massam cogere velit, facilè id obtinebit, vt fatuam ficum ad dulcium ficorum saporem B traducat. Non ita stultum hominem, nam quamuis quis illum cum sapientibus viris magno numero permisceat, & in eorum cœtum immittat: nihil tamen sapientiæ, aut prudentiæ ab ipsis trahet, sed nihilo seciùs quàm antea, in sapientum conuentu desipiet. Itaque iuxta hanc lectionem parabola ista non per similitudinem, sed per dissimilitudinem explicanda est.

Quod si quispiam velit per similitudinem exponi debere, dicemus quidem similitudinem sumptam à ficis fatuis, seu malis: nam scriptura bonas & malas ficus agnoscit. Hierem. 24. & 29. Præmittere autem oportet id, quod docet Hesychius in lexico ad hanc vocem παλάθη, palathas nimirum dici massas ex ficis contusis, quæ olim ad esum pauperum, & seruorum, C & ad medicinam pinsebantur. Ait enim apud Græcos in vsu fuisse ex ficis siccatis prædulces quidem, & maximè bonas impermixtas dare: at verò non bonas, & fatuas, in massas contundere, vt ea ratione maceratæ ad esum vilium hominum aptiores fierent. Et quidem (ni fallor) inter Hebræos, apud quos non minores ficorum prouentus erant, quàm apud Græcos, idem mos inoleuit, & vti ex Africanis didici, hodie ipsis solemne est ad eum modum ex deterioribus ficis massas cogere, ac compilare. Hinc ergo lucem accipit Hieremias: nam cùm duos ficorum calathos à se visos per quieté diceret, vnum quidem ex ficis valdè bonis, alterum ex valdè malis refertum, subdit, in his duplex hominum genus adumbratum, alterum eorum, quos D Deus seruare, ac libertati donare decreuerat: alterum verò eorum, quos seruituti, & hostium potestati permittere apud se statuerat, ac de his quidem ita fatur. *Et sicut ficus pessima, quæ comedi non possunt, eo quod sint mala, sic dabo Sedeciam Regem Iuda, & reliquos de Hierusalem*, &c *Et dabo eos in vexationē* (Heb. *contritionem*) *afflictionemque omnibus regnis terræ in opprobrium, & in parabolam, & in maledictionem.* Et rursus cap. 29. *Ecce mittam in eos gladium, & pestem, & famem, & ponam eos quasi ficus malas, & quæ comedi non possunt, eo quod pessima sint, & persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia, & dabo eos in vexationem vniuersis regnis terræ, & in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum*, &c. Itaque sensus Prophetæ sic E habet: Sicut solemne est ficus malas pistillis contundere, & in massas subigere, & macerare, & quæ ita maceratæ, & subactæ sunt, in vilium seruorum cibos cedunt, quippè quæ ingenuis hominibus edules non sunt: Ita etiam Deus Sedeciā & sceleris eius conscios alienigenis gentibus conterendos, & subigendos tradit, & tanquàm vilissimos homines cunctorum ludibriis exponet. Hinc ergo superiori lectioni lux affertur. *Si contuderis stultum in pila sicut palatham*, id est, *sicut massam ficorum*, &c. id est, quemadmodum qui ficus fatuas pinsunt, etiamsi illas multis ictibus macerent, nihilo dulciores; ac sapidiores easdem efficiunt: ita etiam, qui stultum flagellis ceciderint, aut grauioribus illum correptionibus percelluerint, nihilo eundem sapientiorem, aut prudentiorem prestabunt. Itaque

126. (beside "Quod si quispiam velit...") — Hierem. 24. — Hierem. 29.

que deſperatam ſtolidi hominis emendationem his verbis ſignificat Salomon.

127. Pagnin. Secunda tranſlatio eſt Pagnini, qui *farrem* cõuertit hoc modo. *Si contuderis ſtultũ in pila in medio farris*, &c. Varro. Et quidem *far*, à frangendo dictum, vt putat Varro, quia nimirùm in piſtrinis contuſum comminuebatur. Et nobiliſſimas Pilumnorum, atque Piſonum familias apud Romanos, illam quidem à pilo, quo frangebantur farra: hanc verò ab eiſdem farris Plin. pinſendis cognomina tuliſſe affirmat Plin. lib. 18. c. 3. Farris verò in mortario ad tundendum congeſta copia *farrago* dicebatur, & inde per metaphoram, vt Roſinus. tradit Roſinus, *farrago* dici conſueuit infima plebs, id eſt multitudo & fæx populi, quæ propterea eo nomine cenſebatur, quia ipſam, tãquam far, tundi oportebat, vt reipublicæ vtilis eſſet. Ait ergo Salomon, ſi ſtultum in medio farraginis pilo feriente fortiter cõtuderis, non abiiciet ſtultitiam ſuam: quod ita licebit accipere, ſi ſtultum hominem cum reliqua plebanorum hominum farragine concuſſeris, id eſt, ſi illi ſordidiſſima illa ſupplicia, & turpes plagas intuleris, quibus ſordidiſſimi homines affici conſueuerunt, non tamen illi ſtultitiam & ſtoliditatem excuties.

128. Rabi Abraham. Tertia tranſlatio Rabi Abraham, & aliorum, ſic habet, *Si contuderis ſtultum in medio triticorum*, &c. alia etiam eſt huius ſimilitudinis facies, quæ (me iudice) elegantia & lepôre reliquis non cedit. Poteſt autem ſic conformari: Quemadmodum ſi triticũ in piſtrino pilo tundente comminueris, non ſtatim abiicit furfures, & purgamenta, ſed vlterius excerniculo opus eſt, vt ſimila & farina furfures deponat, ita etiam ſi quemlibet ſtultum ſeueriùs percuſſeris, & acriùs obiurgaueris, non tamen propterea ſtultitiam exuet ſuam, ſed ad percuſſiones & obiurgationes aliqua etiam inſtructio, & diſciplina adhibenda eſt, quâ informatus ſtoliditatem veluti excernat, excutiatque.

129. Aquil. Theod. Quarta lectio eſt Aquilæ, & Theodot. *Si cedas ſtultum in pila in medio piſtorum in piſtrino*. Vt huic lectioni lucem paremus notandum eſt, apud veteres mulctæ loco ſontibus id imponi ſolitũ, vt in piſtrinum truderentur ad commolenda pilis frumẽta. Terent. Terentius in Heaut. ſeruum quendam *piſtrino dignum* appellat. Et in Andria vſus eſt eo dicendi modo. *Dedere aliquem in piſtrinum vſque ad mortem*. Cicer. Tullius de orationibus. *Oratorem*, inquit, *in iudicia tanquam in aliquod piſtrinum detrudi, & compinſi videbam*. Rurſus in eodem libro. *Tibi mecum in eodẽ piſtrino eſt, Craſſe, viuendum*. Et ad Quintum fratrẽ inter alia ſupplicia, quæ ſceleratis hominibus inferri ſolebant, numerat *detrudi in piſtrinum*. Et quidem id pœnæ datum eſt Iudith. 16. Sanſoni à Philiſtæis, Iudicum 16. vbi ſic habes. *Et clauſum in carcere molere fecerunt*. De hac etiam loqui- Iſaiæ 47. tur Propheta Iſaïas c. 47. *Tolle molam, & mole farinã, denuda turpitudinem tuam*, &c. Et quidem (niſi fallor) duplex erat ratio detrudendi in piſtrinum: Aut enim in eum locum ſons aliquis deportabatur, vt frumenta pilis contunderet: erat etiam opus hoc laboris ac fatigationis immenſæ, aut etiam ipſe in mortaria iaciebatur, vt pilis ſubigeretur, ac tunderetur; quod mulctæ genus innuunt verba Tullij ſuprà data. *Et tanquàm in aliquod piſtrinum detrudi, & compinſi videbam*. Ita lego non *compingi*, vt doctiores emendant. Pende illud *compinſi*, quod ſonat pilis tundi ac percelli. Nec non etiam illa Terentij. *Dedere in piſtrinũ vſque ad mortẽ*. Quæ verba non obſcurè innuunt ab hoc ſupplicio alios quidem ad mortem vſque, alios verò leuiùs ad emendationem tundi ſolitos. Ait ergo Salomon. *Si cedas ſtultum in pila in medio piſtorum in piſtrino*, &c. Quaſi dicat: etiamſi hominem ſtultum pro meritis in pilam mittas, vt à piſtoribus, vel pinſoribus pilo deſuper feriente tundatur, non tamen illi ſtultitiam auferes, ita illi inſita, & innata vecordia eſt.

Rurſus illud etiam conſtat, ſeruis, ac ſceleratis hominibus, qui ob noxiam aliquam in piſtrinum trudebantur, inſtare quempiam piſtrini præfectum, qui eoſdem virgâ, aut verbere ad laborẽ acueret. Ita docet Budæus ad legem. *Si fornicarius*. ff. ad legẽ Aquiliam. Et ad hũc ſenſum reuocari poſſunt verba Tullii. *Et tanquàm in aliquod piſtrinum detrudi, & cõpinſi videbam*. Id eſt, tanquàm ſceleratus aliquis in piſtrinũ mitti, & inibi ab inſtante piſtrini præfecto cædi atque tundi mihi videbar. Hinc ergo ſenſus alter ſuperioris lectionis ſeſe dat ad hunc modum, *Si cedas ſtultum in pila in medio piſtorum in priſtino*. Id eſt, ſi ſtultum in piſtrinum ad molendas fruges detruſeris, & inſuper illi aliquem præficias, qui crebris virgarum, aut flagellorum ictibus illum ad loborandum compellat, ne id quidem ſatis erit ad ſtultitiam illi excutiendam. Venio ad Vulgatam lectionem. 130. Budæus. Cicer.

Si contuderis ſtultum in pila, ſicut ptiſanas feriente deſuper pilo, &c. Duplex huius lectionis interpretatio ſeſe prodit: altera, quæ mihi ante alias probatur, petitur ex his, quæ nuper diximus, ſcilicet à ſontibus in piſtrinum miſſis, à quibus id ſupplicij exigi ſolitum, vt in pilis coniecti piſtillis tunderentur. Ait ergo Salomon: ſi ſtultum quempiam in pilam detruſum, tãquàm *ptiſanas*, vel, *hordeum*, vt de more eſt, piſtillo feriente contuderis, nequaquàm illi ingenitam vecordiam, & ſtoliditatem ademeris. Quod ſi huius antiqui ſupplicij obſeruatio non placet, aliam expoſitionem ſubiicio ex ipſius hordei natura petitam: nam illud quidem hordei maximè proprium eſt quod vaginam, & corticem, ſeu ariſtas non aliter abiiciat, vel exuat, niſi in piſtrino. Hinc natum illud vulgare apud veteres, *hordeum in piſtrino excernit ariſtas*: cuius meminit Ariſtophanes in Auibus. Iam intelligis quò tendam: *Si contuderis ſtultum in pila ſicut ptiſanas*: eſt autem *ptiſana*, vt iam adnotaui hordeum decorticatum exutis iam ariſtis. Ait ergo Salomon, ſi contuderis hordeum in piſtrino pilis ferientibus, corticem & ariſtas illi demum excuties, & ptiſanam facies. At verò licet ſtultum flagellis & verberibus aſſiduò tundas, & percellas, tamen illi ſtultitiæ corticem, ſordidamque vaginam nequaquàm ademeris. Vtraque expoſitio idonea eſt. 131. Ariſtophan.

LXX. verò ſententiam tenentes ſimilitudinẽ miſſam fecerunt, ſic enim reſtituunt. *Si flagellaueris imprudentem in medio conſeſſus inhonorans, nõ auferes imprudentiam eius*. Qui ex ſimilitudine piſtrini, & piſtilli deſumpſerunt verbum illud *inhonorans*, quia in piſtrinum detrudi ſupplicium erat ſeruorum, ac ſordidiſſimorum hominum: & quidem (ni fallor) LXX. adluſum putarunt ad veterem flagellandi morem. Fuit enim olim apud Hebræos ſolemne reos alicuius criminis coram ipſiſmet iudicibus pro tribunali ſedentibus virgis percelli. Deuteron. 25. *Iudices impium condemnabunt impietatis: ſin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari: pro menſura peccati erit verberũ modus*, &c. Quapropter ſimilitudinem piſtrini hunc ad modum accommodaſſe videntur. Si quemadmodum piſtores hinc & inde circa pilam ſedentes, hordeum, aut frumenta piſtillis macerant ac tundunt: ſic etiam ſtultum ad concilium vocatum ſeueri iudices virgis ac verberibus à ſuis miniſtris ſubigi faciant: non tamen illi ſtultitiam adimere poterunt. Eundem ſenſum reddit paraphraſis Chaldaïca. 132. Deut. 25.

Ex dictis conſtat, quòd licet diuerſæ ſint ſimilitudinis accommodationes iuxta diuerſas huius loci tranſlationes, tamen omnes eò ſpectant vt ſignificẽt, 133.

ſtultos

ſtultos flagellis aut verberibus nequaquàm emendari, & ad prudentiam traduci, ac deſperatam ſtulti hominis eruditionem notari putant. Húc ſpectat illud ſatis elegans dictum apud Suidam. (Ouid.) *Etiamſi ſcapulas perdideris aquam pinſens, ſemper ſibi ſimilis aqua manet.* Sumptum à remigibus: qui palis quidem remorum aſſiduis ictibus aquas pelagi quatiunt, & tamen nihilo ſedatiores redduntur. Accinit etiam illud Luciani in Heremotino. (Lucian.) *Sicut ſi quis in mortario aquã immiſſam piſtillo ferreo tundat*, hæc enim contuſa reſilit quidem. Sed tamen hominis ſtulti perquàm indocile ingenium ne quidquàm informari, atque adeo deſerendum eſſe, pulchrè admodùm ſcribit Petrarcha Dialog. 41. (Petrarch.) *Sic habet, Omnes qui ſunt, & qui erũt, aut fuerunt virtutibus clari, non poſſe vnum ingenium accendere niſi aliquæ intus in animo ſcintillæ ſint, quæ præceptoris ſpiritu excitatæ, & adiutæ, generoſum diſciplinæ fomitem arripiant; alioqui algidum in cinerem ne quidquàm flabis.* Simile eſt illud Anuli in Picta poëſi. (Anulus.)

Indocile ingenium ſi pergas velle docere,
Infœlix operam perdes: vt ſi quis aſellum
In campum doceat parentem currere fræno,
Qui cùm quadrupedum in morem videatur equorum
Tollere poſſe caput, greſſus glomerare ſuperbos,
Hunc tamen aut frænis, aut ſi calcaribus vrges,
Auriculas demittit iniquæ mentis aſellus
In terram, & pedibus poſticis calcitrat. Ergo
Deſine. Nam nunquam ars naturam vincit, equuſque
Nuſquàm ex degeneri fiet generoſus aſello,
Et nunquam ex ſtolido cordatus fiet in arte.

(Nazianz.) Extat etiam illud Nazianzeni in carmine ad Nicobulum.

Quid prodeſt aſinis auri geſtare talenta?
Auri namque etiam nummis oneratus aſellus
More rudit tamen ipſe ſuo.

Quem Theologi locum nouus auctor hic verſauit. *Quid prodeſt aſino hinnitum docere, nam præterea rudere non deſinet.* Mitto alia.

Adde etiam per *ſtultum* intelligi poſſe hominem impium, cuius animus vſque adeò aſſueuit delictis ac criminibus, vt eius iam emendatio, & correctio deſperata ſit, quem apprimè deſcribit idem Nazianzenus in iambico contra amatores opum.

At deſtinata mente cùm peccas, malo
Et gloriaris, & frequens, & maxima
Committis, irriſuſque frontem perfricas,
Plagiſque nec vllis effici melior cupis,
(Queis eruditur quiſque vel miſerrimus)
Nudoque capite ferris in pericula, &c.

Fruſtrà hic plura.

---

23. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.*

24. *Non enim habebis iugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur in generatione, & generationem.*

134. Diligenter, &c. Hebr. *Agnoſcendo agnoſcas facies pecoris tui, & pone cor tuum ad greges; quia non in ſeculum fortitudo, & an corona in generatione, & generationem?* Sic habent Primitiua ad verbum. Diſſidium tranſlationum totum eſt in illis verbis, *non enim habebis iugiter poteſtatem*; nam pro *poteſtate* ſubeſt חסן *Choſan*, quæ vox fortitudinem ſignificat, potentiam, theſaurum, aut opes. Pagninus ergo ſic conuertit. *Quia non in ſeculum diuitiæ ſunt duraturæ.* Tigurina. *Neque enim perpetuus erit theſaurus, neque corona ad perpetuam poſteritatem.* Chaldæus: *Quia non in perpetuum poſſeſſio, nec pax ad perpetuam po-*

A *ſteritatem.* LXX. *Euidenter cognoſces animas gregis tui, & applicabis cor tuum tuis armentis, quoniam non in ſæculo viro robur, & fortitudo, neque tradit ex generatione in generationem.* Aquila, & Theodot. *Pone cor tuum tuis armentis.*

Circa expoſitionem vtriuſque verſus ſecti ſunt duas in factiones interpretes; alij enim putant Salomonem ad Principes, atque præfectos populorum ſermonem intendere: alij vero ſincerius docent curam gregum, & armentorum, vitamque paſtoritiam ab eodem commendari. Inter priores ſunt Beda, Hugo, Dionyſius, Arboreus, & alij; ex his autem Beda (Beda.) ſic ſcribit. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Paſtori dicitur Eccleſiæ, diligenter* B *adhibe curam eis, quibus te præeſſe contigerit, agnoſce animos, actuſque ſingulorum, & ſi quid in eis vitij ſordidantis inueneris, citius caſtigare memento: non enim tu ſemper oues Dominicas paſcendi poteſtatem habebis, ſed æterna eſt corona, quam percipies, ſi commiſſum tibi gradum ſuo tempore bene miniſtraueris.* Ex Beda Salonius, Hugo, & alij tranſcripſerunt. Sed grauitas huius interpretationis poſtulat, vt illam nequaquàm per excurſum tranſigamus.

Illud ergo certò certius, nullam eſſe functionem, 135. quæ bonos Principis mores, & rectam populorum gubernationem melius adumbret quàm paſtoris officium, & vita paſtoritia. Hinc eſt illud Xenophontis (Xenophon.) lib. 8. Cyropæd. vbi de Cyro ſic ſcribit. *Et eius oratio* C *memoriæ prodita eſt, cum diceret ſimilia eſſe opera boni paſtoris, & boni Regis: nam & paſtorem decet id præſtare, vt pecora habeant fœliciter, & his vti (ſi tamen pecudum eſt fœlicitas.) Et Regem identidem decet vrbes, atque homines fœlices facere, & ijs ſimiliter vti.* Sed elegantiſſimè de hac theſi Philo Iudæus, qui primum (Philo Iud.) quidem in lib. de vita viri ciuilis, ſiue de Ioſeph, ita fatur. *Cœpit*, inquit, *in hoc genere verſari Ioſeph* (id eſt in paſtoritio munere) *annos natus circiter 17. præfectus curandis gregibus, quæ diſciplina cum ciuili conuenit, & hoc eſt, opinor, cur Poëtæ Reges vocant paſtores populi: nam qui ſummus eſt in arte pecuaria, facilè bonus Rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpoſitus, approbata induſtria in minori negotio: ſi quidem quemadmodum futuro imperatori neceſſaria ſunt exercitia venatoria: ſic admouendis ad curam reipublicæ propriè paſtoralis ars* D *congruit, velut præludium quoddam magiſtratuum.* Eandem ſententiam repetit in lib. 1. de vita Moyſis: ſed quia vltra ea, quæ hactenus præſcripſimus, quædam etiam in eo loco non iniucunda intermiſcet, illud ſubiicere etiam libet. *Poſt eas*, inquit, *nuptias præfuit gregibus ad Principatum ſeſe præparans. Nam paſtoralis ars ad regnum eſt præludium, hoc eſt ad regimen gregis manſuetiſſimi. Quemadmodum bellicoſa ingenia præexercentur in venationibus: in feris enim experiuntur futuri præfecti militiæ, brutis præbẽtibus materiam exercitij tàm belli, quàm pacis tempore. Nam præfectura manſueti pecoris habet quiddam ſimile cum regno in ſubditos: ideo Reges cognominantur paſtores populorum, non contumeliæ, ſed honoris gratia: imò, quantùm ego intelli-* E *go, non iuxta vulgarem opinionem, ſed rei veritatem veſtigans (rideat qui volet) ſolus poteſt eſſe Rex vndequaque perfectus, qui bene callet artem paſtoritiam, & curando minora animalia didicit quomodo debeat præeſſe præſtantioribus: impoſſibile enim eſt vt magna prius, quàm parua perficiantur.* Idem etiam Philo ſibi ſimilis in libro de agricultura differentiam paſtoris ac pecuarij pereleganter ad eam, quæ inter Reges bonos & improbos intercedit, transfert his verbis. *Hos igitur, qui tali pecori affatim præbent quidquid deſiderat, pecuarios vocabimus; è diuerſo paſtores dicemus illos, qui delectu rerum neceſſariarum habito, quæ commodiſſimæ ſunt, has illis præbent,*

recisâ, & amputata inutili, superfluaque copia, quæ non minus nocet, quàm inopia, quique modis omnibus prouident, ne grex neglectus in morbos incidat: imò vota etiam faciunt, ne qua externa calamitas ingruat. In primis autem curam adhibent, ne grex vagabundus dispergatur, metam intentando non obtemperantibus rationi, & animaduersione vtendo continua, mediocri quidem in errata sanabilia; seuera autem si his accedat contumacia. Hæc sunt pastorum studia, qui voluptati noxiæ insuauem vtilitatem præferunt. Tanta certè cura pastoralis honestas creditur & vtilitas, vt Poëtarum gens Reges soleat vocare pastores populi; sicut legislator sapiens dignatur hoc nomine eos, qui soli Reges veri sunt. Introducit enim eos præfectos tanquàm gregis omnium hominum, qui affectu bruto, rapiuntur: & ideo Iacob etiam ille meditatione perfectionem assequutus pastor est. Pascit enim hic Labanis pecora, scilicet insipientis animæ, quæ nihil bonum arbitratur præter ea, quæ videt, sentitque coloribus, vmbrisque fallacibus seruiliter dedita. Et subinde postquàm non pauca in hanc sententiam contexuit, sic demùm attexit. *Oportet autem sicut caprarium, aut bubulcum, aut opilionem, aut in commune pastorem intellectum nostrum, præesse semper, vtilitatẽ pecoris voluptati præferendo. Cæterùm prouidentia Dei prima, & propè sola causa est, ne partes animæ rectore careant, sed pastorem adipiscantur omnino bonum, & inculpabilem, quo præposito impossibile sit dispergi, quæ intellectus colligit. Necessum est enim eidem omnia comparare hoc ordine vnius nutum spectantia, quandoquidẽ nihil est molestius quàm parere multis imperatoribus. At pastoris officium res est tàm præclara, vt non Regibus, & sapientibus viris, & animis perfectè purificatis, sed etiam Deo rectori omnium iuste tribuatur: id quod non aliquis è vulgo confirmauit, sed Propheta, cui nos decet credere, qui sacros hymnos cõscripsit: sic enim loquitur, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Lege ibi pluta. Mitto Platonem, & alios, qui ex hac pastoris similitudine Regibus præcepta dederunt, & ad Salomonem contendo.

136. *Diligenter*, inquit, *agnosce vultum pecoris tui*. Vim illius repetitionis, quæ in Primitiuis visitur, scilicet, *agnoscendo agnosce*, expressit Vulgatus illis verbis, *diligenter agnosce*. Sensus autem est perspicuus, ô tu quisquis Rex aut Princeps creatus fuisti, id agito vt omnes boni pastoris mores in te exprimas, atque adeò subditos *tuos tanquàm pulcherrimi, humanissimi, ac mansuetissimi gregis oues* (hæc enim nomina habent apud Philonem) *agnoscendo agnoscas*. In sacris literis agnoscere aliquem, idem est quod ipsius prouidentiam suscipere. Psalm. 36. *Nouit Dominus dies immaculatorum*, &c. Et supra cap. 12. *Nouit iustus causam pauperis*. Ait ergo. *Agnoscendo agnosce*. Id est, diligentissimam illis curam impende, & eorum prouidentiam summo studio suscipe. Nam hoc est præcipuum boni pastoris munus testimonio Christi Domini, Ioannis 10. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas*. Id est, earum per omnia prouidus sum. Subdit Salomon. *Tuosque greges considera*. In originibus est. *Et applica cor tuum ad greges*. Cor in scriptura sacra aliquando mentem, aliquando voluntatem significat: si de mente capiamus, erit vtique sensus; in cogitanda subditorum tuorum fœlicitate & incrementis mentem tuam assiduò exerce: si de voluntate intelligamus, erit sententia; subditos tuos dilige impensius, atque omni animi tui studio amplectere. Licebit etiam vtramque, scilicet mentem, & voluntatem, nomine cordis accipere, ita vt doceat Salomon, tàm mentem, quàm voluntatem subditis impendendam esse à Principe, illam scilicet vt de ipsorum fœlicitate cogitet; hanc verò, vt ipsos studiosissimè adamet. Attexit.

Psalm. 36.

Ioan. 10.

137. *Non enim habebis ingiter potestatem, sed corona tri-*
A *buitur in generatione, & generationem.* Sic Vulgatus; alij interpretes vtramque clausulam per negationem extulerunt hoc modo. *Non enim habebis ingiter potestatem, neque coronam in generationem.* Iuxta quam translationem simplicissimus sensus euadit hoc modo; Subditis tuis, ceu bonus pastor, diligentem curam impende, de eorundem fœlicitate cogita attentiùs, eosque gratia, amore, & beneuolentia tibi obstringe. Nam si contra seueritate ac crudelitate eosdem violaueris, fieri certè potest vt amissa potestate, ac deposito magistratu, & imperio, in priuatorum conditionem aliquando recidas, ac tùm quidem subditos, quos prius læseras, immanissimos hostes experiere. Vel aliter, si erga subditos tuos moro-
B sum, grauem, & molestum te præbueris, *non habebis ingiter potestatem nec coronam*, &c. quia his lacessiti subditi, seditione facta, ab imperij solio te deiicient, ac neque te, neque posteros tuos in se amplius regnare patientur. Aut denique sensus erit; pastori siue Principi, nihil operæ, curæ ac sollicitudinis prætermittendum est, quod subditis non impendat, quia non erit illi iugis potestas, nec perennis, ac perpetua corona, sed tandem aliquando pastorem ac Principem exuta potestate, ac depositâ coronâ, ad Dei tribunal coram pastorum Principe sisti oportebit, vt imperij administrati rationem reddat, iuxta illud 1. Petri 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed* 1. Petr. 5.
C *spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè; neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; & cùm apparuerit Princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

Hinc autem Vulgatæ nostræ lectionis germanum 138. sensum aucupare licet. *Non enim habebis ingiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione, & generationem.* Quasi dicat: ô pastor ac Princeps, in curando subditorum tuorum grege nihil industriæ prætermittas, & labori nequaquàm parcas, quia labor iste diuturnus non erit, sed ocyus deposito imperio ad Principem pastorum delatus immarcescibili corona donaberis. Pro verbis illis, *immarcescibilem gloriæ*
D *coronam*, in Græcis est, ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον, *amarantinam gloriæ coronam*. Habes supra c. 1. vers. 8. quid sit Amarantus ex Clemente Alexandrino. Ve- Clem. Alex. teres enim quoddam floris genus commenti sunt ad coronas conflandas, quod Amarantum, id est, *immarcescibilem*, appellarunt: putabant nimirùm id tantùm floris genus nullo æuo tabescere, ac marcidum fieri. Clemens ergo fabulosum hoc commentum ad veritatem sic traducit in Pedag. lib. 2. cap. 8. *Pulchra enim Amaranti corona ei est reposita qui se rectè gesserit. Hunc florem terra ferre non potest, cælum solummodo eum potest producere.* Ait ergo Petrus; Quicunque Principatum geritis, & pastoritiam, laborisque plenam curam & industriam in subditos exercetis, incumbite
E in hanc rem magno studio, manet enim vos Amarantina corona, id est, *immarcescibilis*, in cælo. Quasi dicat; coronæ istæ, quas tellus fert, tempore marcescunt, atque eas demum mors in tabem soluit: at illæ, quas pro labore in administratione subditorum posito tandem reportabitis, Amarantinæ sunt, perennes, atque æternæ. Id sibi volunt illa verba, *Non enim habebis ingiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem.* Potest etiam aliter Vulgata lectio interpretari hoc modo, ea sollicitudine, & cura, quæ pastorem decet, satage subditorum tuorum; si enim hoc præstiteris, potestas & imperium ex te ad minores tuos, & ad posteritatem tuam transibit. Illud enim aduerbium, *ingiter*, ad hunc sensum vocari debet: nam Hebraicè est

est עולם Gholam, id est, *sæculum*, quæ vox, vt obseruant sanctæ linguæ periti, vnius humanæ vitæ periodum sæpe sonat, quasi dicat, non erit hæc potestas vnius sæculi, aut vnius vitæ, sed ad posteritatem seram per plura sæcula, pluresque vitas transferetur.

139. Secunda interpretatio locum istum exponit de rei familiaris curandæ industria. Hanc tradit Lyra, Bainus, Iansenius, Vatablus, Clarius, & plures alij. Et quidem Vatablus sic ait. *Nomine pecoris fortunas intelligit, quæ antiquis sitæ erant in pecoribus.* Quapropter iuxta hæc Vatabli verba non nemo sic commentus est in hoc loco, per *pecora*, intelligi *nummos*, quia sicut Latini pecunias à pecudibus, ita etiam ab Hebræis nummos agnorum, atque ouium nomine compellari solitos nemo nescit. Genes. 33. *Emitque partem agri, &c. centum agnis.* Vbi plures restituunt *centum nummis.* Idem Iob vltimo. *Et dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam.* Vbi etiam plures reddiderunt, *nummum vnum, & inaurem*, &c. Ait ergo Salomon. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui*, &c. id est, pecuniam, & nummos agnosce, id est, prouidè, & cautè serua, & considerate admodùm expende. *Neque enim perpetuus erit thesaurus, neque corona ad perpetuam posteritatem.* (Ita quidam legunt cum Tigurina.) Quasi dicat: Licet Crœsus sis, pecunias seruare, & magno consilio expendere debes, quia thesauri non sunt immensi, atque adeò si profusè insumantur, ocyus exhauriri solent, & cum his etiam imperium & corona amitti consueuit: Nam coronas, imperiaque, pecuniæ thesaurique tuentur. Non est concinna neque elegans hæc interpretatio.

140. Præferenda igitur est illa, quam reliqui interpretes amplectuntur; volunt enim Salomonem his verbis ad pastoritiam & bucolicam artem inuitare homines, quia inter omnes artes, quæ ad augendam, amplificandamque rem adhiberi solent, nulla vel nobilior aut etiam quæstuosior esse solet. Itaque sic ait. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*, id est, in curandis pecoribus curæ & industriæ tuæ plurimum pone, vt ex hoc quæstu fortunas tuas augeas. Posterioris autem versus aliæ lectiones huic sententiæ sponte inseruiunt; nam si cum his legas qui sic reddunt. *Neque enim perpetuus erit thesaurus, neque corona ad perpetuam posteritatem*, sensus euadet luculentus ad hunc modum; Maiorem in curandis, augendisque pecudum gregibus industriam colloca, quàm in comparandis cogendisque pecuniis, aut in ambiendis muneribus publicis: nam qui in nummis sunt thesauri tandem exhausti pereunt. Et rursus *corona*, hoc est, imperia & magistratus, *non sunt perennes, & perpetui*, & quamuis eos quis toto suæ vitæ curriculo gerat, tamen non transferuntur ad hæredes: quapropter sæpè admodum euenire solet, vt Magistratuum filij paterna hæreditate careant. Itaque Salomon pastoritiæ arti sese dedere meliùs esse dicit, quàm mercaturæ & præfecturis ambiendis, quia pecuniæ, quas mercatores negotiatione congerunt, ocyus dilabi solent; & munera, magistratusque ad hæredes non perueniunt. Eundem penè sensum reddit translatio Septuaginta. *Quia non in perpetuum viro robur, & fortitudo, neque tradit ex generatione in generationem.* Iuxta quam lectionem collatio artis pastoritiæ fit cum militari exercitatione; ita vt sensus sit. Satius est pecudes curando rem augere, quàm militiam sectari, & militaribus stipendiis in diem viuere, quia tandem aliquando per senectam deficiunt casso robore lacerti; atque adeò cogitur quis pauperiem, & angustias subire, tùm maximè cùm delicatiùs viuere oportebat. Adde etiam quod militare robur, & disciplina etiam ex his est, quæ non transeunt ad hæredes. Nil certius. Quàm verò sit militaris vita ab omni quæstu aliena optimè describit Menander apud Nanium.

Militia (inquit) *non fert vllam opulentiam,*
Sed vitam, qua in diem viuitur, ac temerariam
Quam experimur, minimè salutarem esse.

Difficilior est iuxta Vulgatam lectionem cohærentia posterioris cum priori versu. *Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem.* Iansenius putat posterius hemistychium per interrogationem efferendum esse, vt in originibus est, in quibus sic iacet. *Et an corona in generatione & generationem?* Ita vt sensus sit; sat sit tibi curare pecora tua, hæc enim tibi suppeditabunt necessaria ad victum, ita vt frustrà magistratum, aut dignitatem ambias: Fac enim te illam iam fuisse adeptum, an cogitas diuturnam fore? an credis illam in te, & in tua potestate perennem futuram? Quasi dicat, minimè gentium, omnis enim potestas, ac dignitas, incertissimos suæ durationis terminos habet. 141.

Cæterùm hæc accommodatio (me iudice) violenta, & coacta est. Aliam subiicio magis accommodatam. Succedat ergo memoriæ sententia Philonis, qui in libro de vita viri ciuilis sic habet. *Nam qui summus est in arte pecuaria, facilè bonus Rex euadet.* Et in libro de vita Moysis. *Pastoralis ars ad regnum est præludium.* Et infrà. *Solus potest esse Rex vndequaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiam, & curando minora animalia didicit quomodo debeat præesse præstantioribus.* Cui accinit etiam illud Psalm. 77. *De post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam.* Salomon ergo, vt ad pastoritiam artem adhortetur homines, inter præcipuas huius artis laudes idipsum refert. Itaque sic ait, Curandis tuis gregibus omnem solertiam & industriam naua, *non enim habebis iugiter potestatem.* Nullus scilicet habet iugem, & perennem dignitatem per totum vitæ suæ tempus. Quasi dicat: nemo ab adolescentia sua inchoat honores, & magistratus, atque adeò id temporis in pascendis curandisque gregibus bene collocatur. *Sed corona tribuetur in generatione & generationem.* (Verba illa, *in generatione, & generationem*, ad significandam senectam longam, & seram adhiberi solent. Psalm. 60. *Dies super dies Regis adiicies, annos eius vsque in diem generationis, & generationis.* Illud etiam non est dissimile. *Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.* Nam vtrumque locum de vita ad canos vsque, & seram senectutem protrahenda exponunt recentiores. Mitto alia his per quàm similia.) Itaque ait. *Sed corona tribuetur in generatione & generationem*, id est, magistratus, & honores non nisi post longum tempus in senectute sera obtinere licebit, nec licebit tantùm, sed *tribuetur*, inquit, quia nimirùm pastoritia eruditus arte à iuuentute ad capessenda reipublicæ munera aptus, & idoneus eris; nam illa ars optimum eorum munerum præludium est, & gloriosissimi Principes ex pastoritia functione ad publicos honores, ad magistratus, & ad regnum vocari solent. Pergo ad alia. 142.

25. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de montibus.*

Aperta sunt prata, &c. Hebr. *Reuelata est herba, apparuit germen, collecta sunt herbæ montium.* Chald. 143.

Chald. *Humiliatum est fœnum,& apparuit herba*, &c. LXX. *Adhibe curam his, qui in campo sunt, viridibus, & attondebis herbam,& congrega fœnum æstiuum.* Hieronymus in Abacuc 3. *Adhibe curam his, quæ in campo sunt, regionibus*, &c.

Hæc verba, & quæ deinceps sequuntur, satis probant posteriorem superioris loci expositionem esse præferendam, quia non possunt aptè de alia re, quàm de cura gregum exponi. Nihilominus tamen Beda, Salonius, Hugo, & alij, ad spiritualem sensum traducere contendunt: in his autem Beda sic scribit. *Aperta sunt modo pascua sacramentorum cælestium, quæ diu fuerant typis præclusa legalibus, apparuit nouus vigor Euangelicæ veritatis & gratiæ: collecta sunt in pabulum gregis dominici scripta Patrum veterum, ablata Iudæis superbientibus falce diuinæ animaduersionis, & humilibus Ecclesiæ populis ad spirituale subsidium data.* Eandem sententiam diuersis verbis tradit Salonius. *Quid ergo*, inquit, *prata significant? Per prata quidem designantur cælestia mysteria, quæ ideò prata dicuntur, quia pascua sunt animarum fidelium. Hæc enim prata diu clausa fuerunt sub typis, figurisque legalibus. Quomodo, & quando aperta sunt hæc prata? Aperta quippe sunt, quia per gratiam Saluatoris reuelata sunt cælestia sacramenta, quando aperuit discipulis suis sensum, vt intelligerent scripturas: tunc apparuerunt herbæ virentes, id est, noua sententiæ Euangelicæ veritatis, & gloriæ. Rursus per montes significantur sancti Patres veteris Testamenti; per fœna scripta eorum. Collecta sunt ergo fœna de montibus, quia scripta sanctorum Patrum collecta sunt ad pabulum ouium dominicarum*, &c. Alij alia conferunt his perquàm similia, quæ à literali sensu aliena sunt.

144. Sensus igitur literalis est valde perspicuus. Iansenius & Rodolphus, quibus cæteri hærent interpretes, docent Salomonem persequi pastoralis vitæ vtilitates & commoda, hoc sensu. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ*, &c. Quasi dicat. Ad greges alendos non est opus multa insumere: nam prata ipsa sponte herbas proferunt; & hæc omnibus peruia sunt, vt per illa liberè pecora sua ducere pabulatum possint. Quod si in quibusdam regionibus frigidioribus necessum est fœna colligere ac compilare, vt rigente hyeme cùm niues pascua vndequaque contegunt, gregibus pastus vel esca suppetat; hæc certè fœna ex ipsismet montibus nulla adhibita cultura, & labore demetere licet. Addit etiam Iansenius priora verba sic accipi posse. *Aperta sunt prata*, id est, ipsamet prata sponte sese aperiunt, cum herbas germinant, iuxta peruulgatum illud. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Cui expositioni inseruit illud, *Et apparuerunt herbæ virentes.* Habet autem singularem energiam hæc expositio: significat enim ad greges alendos non esse opus tellurem aratro proscindere, & glebas ferro conterere; nam ipsamet prata sponte sese aperiunt, & herbarum, graminumque affatim pecoribus suppeditant.

145. Cæterùm quamuis hæc interpretatio mihi accommodata videatur, tamen aliam aptiorem subijciam. Puto ergo Salomonem non facilitatem, & modicos sumptus, qui in exercenda pastoritia arte sunt, demonstrare his verbis, sed potius ad laborem acuere, & industriam pastoris vrgere: Suadet hoc translatio Septuaginta quæ sic habet, *Adhibe curam his, qui in campo sunt, viridibus*, &c. Germanam ergo huius loci interpretationem offert nobis Thargum, nam sic habet. *Humiliatum est fœnum, & apparuit herba*, &c. Certè in quibusdam regionibus feracissimis virgulta & gramina tanta vbertate proueniunt, vt opus sit per æstatem, cùm gramina exaruerint, hæc attendere ac demetere, aut etiam igni tradere, vt nouæ, virides, aptæque ad pabulum herbæ lætius succrescant. Ita docet Columella de re rustica lib. 2. cap. 18. Salomon ergo suadet pastoribus vti hoc sollicitè admodum peragant, vt scilicet virgulta, quæ ariditate induruerunt, resecent, falce deijciant, vel igni tradant, vti virides herbæ adolescant, quæ pecoribus cùm primis gratæ atque vtiles sunt: id sibi vult illud, *Humiliatum est fœnum, & apparuit herba*, id est, dejectum, depressumque est falce aut igni fœnum aridum, & succreuerunt virides herbæ. Eundem sensum reddunt translationis Vulgatæ verba. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ.* Aperta, inquam, id est, densissimis virgultis, aut aridis graminibus adustis, aut rescisis: nam cùm hæc succiduntur, vel vruntur, aperiri, ac reuelari aptè dicuntur. Et quidem Salomon suis verbis id factum significat, quod fieri vult, aut præcipit; eapropter LXX. sententiam eius assequuti, præceptum hoc expresserunt. *Adhibe curam his, qui in campo sunt, viridibus.* Id est, in id incumbe potissimùm, ô pastor, vt exsectis, aut concrematis saltibus, virides herbæ pecoribus alendis succrescant.

Posterior clausula continet aliud præceptum. *Et collecta sunt fœna de montibus.* Quæ verba eodem etiam modo vim præcepti habent, id est, collige item fœna multa ex montibus, vt pecora per hyemem in stabulis alantur: frustra de hac re pluribus. At cur, inquies, de montibus potius, quàm ex vallibus ad hyberna pabula fœna demeti, & in fœnilia asportari iubet; cùm constet hæc lætiùs atque fœliciùs in vallibus prouenire quàm in montibus? Ratio est in promptu, quia, vt docet Columella loco citato, quod in vallibus progerminat fœnum, humidum valde est, atque adeò in stabulis putrescere, ac tabescere solet; non ita illud quod in montibus adoleuit, id enim in longam hyemem securiùs asseruatur. Hæc ad pastores. 146.

Quod si quispiam contendat ista verba ad priorem illam expositionem, quam supra dedimus, euocari etiam debere, ita vt de cura, quam Reges, & Principes subditis impendere tenentur intelligi velit, integrum ipsi erit ex his, quæ de pastoribus diximus ad curam gregum attinentibus, aliquid etiam marte proprio de Regibus ac Principibus comminisci. Aut ergo, iuxta priorem expositionem Iansenij, Salomon significat non multa subditis à Principibus interdici aut prohiberi debere, sed ita in illis agendum, vt quemadmodum pecoribus liberum est per prata vagare, & herbas carpere; sic etiam subditis æquum sit liberiùs agere ac viuere. Vel certè facilitatem innuit, qua Principes nullo fermè labore subditis suis placere possunt; hi enim non valde exquisita, vel ardua à Principibus expetunt, sed sponte nascentia. Quasi dicat, non opus Regibus aut Principibus ingentia beneficia, aut officia in subditos conferre vt contenti sint, sed sicut oues viridibus herbis sponte nascentibus saturæ in caulas repetant; ita etiam subditi humanitate & lenitate verborum, quæ sponte, & natura suadente proueniunt, & quibusdam etiam honoribus, qui nullo vel labore, vel pretio Principibus constant, subditorum gratiam sibi promereri possunt.

Licet etiam secundum posteriorem interpretationem, quam priori præferendam duximus, de Principibus sic commentari. Quemadmodum pastores hoc curant, vt oues per æstatem quidem virides, ac molles herbas carpant, quas terra germinat, per hyemem verò, cùm tellus riget, ac nihil profert, in stabulis eas alunt ex fœno, quod olim 147.

olim in fœnilia collectum conditumque fuerat: ita etiam Principes optimi cùm annona est vberior & feraces sunt terræ prouentus, subditis indulgent vt his victitent, sed vlteriùs etiam habere debent publica horrea, vt si quando fames grassetur, ea aperire, & alimenta subditis distribuere possint. Vel aliter; sicut pastores arida virgulta, & gramina exscindunt, aut igni tradunt, vt noua in dies succrescant; ita etiam Principes veteres quasdam antiquasque populorum consuetudines, quæ contra publica iura excrescere solent, demetere, & attendere debent, vt his sublatis viridis quædam legum obseruantia progerminet, totasque innouet exornetque respublicas. Ad hunc modum integrum est lectori alia & alia confingere, si ita libet.

26. *Agni ad vestimentum tuum, & hædi ad agri pretium.*

148. AGni, &c. Hebr. *Oues ad vestes tuas, & pretium agri hirci.* Chald. *Agni sunt ad vestimentum tuum, & hædi ad negotiationem tuam.* LXX. *Vt habeas oues in vestes tuas, cole campum, vt sint tibi armenta boum.*

Beda. Habes etiam hæc mystico sensu donata apud Bedam. *Agni*, inquit, *ad vestimentum tuum, &c. Agnos innocentes, hædos pœnitentes nominat. Agnorum ergo vellere vestieris, dum bonis obedientium discipulorum moribus pastor ipse profeceris, eorumque laudabilia facta cernens, & in ornatu virtutum, & in calore dilectionis ipse gloriosior extiteris. Hædis agrum comparabis, dum peccatores ad pœnitentiam vocando sublimiorem tibi in terra viuentium locum acquires.* His per quàm similia habet Hugo, Dionysius, & alij.

Reliqui interpretes sentiunt in pastoritiæ artis laudibus Salomonem versari, & tàm in hoc quam in sequenti versu huius artis magnum quæstum demonstrare. *Agni ad vestimentum tuum.* Agnorum nomine omne lanigerum pecus comprehendit, agnos nimirū, oues, & arietes; hi ergo, inquit, tibi vellera suggerent ad vestes concinnandas. *Et hædi ad agri pretium.* Per hædos, hircos etiam, caprasque notari certum est; & hi similiter, ait, diuenditi satis pretij ad coëmendum latissimum, & amplissimumque fundum suppeditabunt. Vel, si aliter libet, loquitur iuxtà antiquam veterum consuetudinem, qui omnes alias res pecudibus commutabant, vnde pecunia nomen inuenit, vt supra vers. 22. obseruauimus; nam eò spectasse videtur Paraphrasis Chaldaïca, quæ sic habet. *Et hædi ad negotiationem tuam*, id est, capræ, caprique ad omnes commutationes satis erunt. Hæc vulgò interpretes.

149. Tamen satius puto, *agnorum*, & *hædorum* nomina, vt sonant, pro ipsissimis agnis, hædisque capere; Salomon enim (ni fallor) annuos pecorum prouētus enumerat: hi autem sunt lana, agni, hædi, & lac; ex his verò non modò ad vitam tuendam necessaria, sed etiam ad alias possessiones amplificandas affluentia, & redundantia affatim suppeditari affirmat. Accommodatio verò singulorum ad singula liberior est, atque adeò non curiosiùs obseruanda. Itaque Salomon artem colentibus ne vlla ex causa pecorum greges dissoluant, aut eorum numerum imminuant; sed vt his tantùm vtantur, quæ ex gregibus proueniunt, scilicet lana, agnis, hædis, & lacte, nam hæc, inquit, non modò ad alimenta, & vestes, sed etiam ad amplificandas fortunas, & fundos coëmendos sat superque subministrare solent. Hæc est germana huius loci expositio.

A Quod si velis etiam consentaneè, & consectariè ad ea, quæ supra diximus, hæc verba de Principe interpretari, *Agni ad vestimentum tuum*, &c. referri possunt hæc verba ad vectigalium exactionem, ita vt sensus sit, Principes à subditis tributa moderata exigere debere, ita vt concinat hæc cum graui illa Tiberij sententia quam narrat Dionysius Nizeus, qui cùm deprehendisset Æmilium Rectum, quem Ægypto præfecerat, exactiones graues fecisse, super ea re iratus ita rescripsit. *Se tonderi velle suas oues, non deglubi, aut expilari.* Vel aliter longè meliùs ac cohærentiùs cum germana huius loci interpretatione, docet Principibus, ac magnis Regibus in id maximè incūbendum esse, vt subditos sibi populos seruent, ita vt B nullam regni sui partem vel per incuriam, vel qualibet alia ex causa amittant. Nam quemadmodum pastor ex suorum prouentibus gregum non modò satis habet, vt se ac domum suam, totamque familiam copiosiùs alat, sed vlteriùs etiam ad fundos ampliores coëmendos, augendámque rem suam ista affluentes sumptus suppeditant: Ita etiam Princeps ex vectigalibus annuis, quæ subditi sponte pendunt, si eisdem bene vti sciat, non modò acceptum regnum tueri, sed etiam imperium suum latiùs extendere, ac propagare poterit. Nil certius. Nizeus.

C 27. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.*

SVfficiat, &c. Hebr. *Sufficientia lactis caprarum in panem tuum, in panem domus tuæ, & vitas ancillis tuis.* LXX. à reliquis longissimè abeunt. *Fili à me habes verba fortia ad vitam tuam, & ad vitam ministrorum tuorum.* Aquil. *Ad panem domus tuæ.* Symmachus & Theodot. *Ad necessaria domus tuæ.* 150.

Coniecit etiam in hunc locum expositionem mysticam Beda. *Tanta*, inquit, *instantia pecus tibi commissum pasce, ne tibi lac æstate nouum nec frigore desit, sed* D *tibi semper, tuisque sufficiat, id est, tàm sedulò doctrinæ insta, vt etiam quosdam pœnitentes ad officium docendi promoueas, quatenus per illos, qui pridem pro fœditate vitiorum ad sinistram iudicis videbantur esse ponendi* (tanquam capræ) *modò rationabile ac sine dolo lac verbi paruulis sensu ministrent. Fit autem lac caprarum ad victum ancillis, quando hi, qui nondum perfectè, sed adhuc timore seruili domino deseruiunt, per verba pœnitentium viuificis epulis reficiuntur, & vt ad maiora virtutum proficiant incrementa iuuantur.* Ex Beda transcribunt Hugo, Dionysius, & Strabus. Beda.

Reliqui interpretes docent his verbis suaderi pastoribus temperantiam & vitam frugalem. E *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos*, &c. Lactis nomine complectitur caseum, & butyrum, hoc sensu: si parcè ac temperanter viuas, sufficere tibi poterit in cibos tuos, atque totius familiæ tuæ, lac plurimum, quod in singulos dies capræ distantis vberibus tibi suppeditabunt, & quæ ex lacte fiunt, caseus, atque butyrum. Addit Iansenius: non tribuit in cibos ipsos agnos, vel hædos, sed tantum lac caprarum; proponere enim voluit simplicissimum illud vitæ genus, quod Abel, aliique illi similes ante diluuium sectati sunt, qui carnibus non vescebantur, sed ex pecoribus, quorum magnos greges pascebant, vellera tantummodò attondebant ad vestes concinnandas, & lac mulgebant in cibos frugalissimos. Itaque vult Iansenius

nius his verbis abstinentiam à carnibus persuaderi, sed non assentior. Certè si ad mercenarios pastores sermonem haberet, qui pretio conducti alienos greges ad pascua regunt; satis aptè illis hoc præciperet, vti lactè tantum, caseo, ac butyro vterentur, & carnibus omnino parcerent. Ita enim iubet Columella libro 2. de re rustica, vbi pastorum fidem, quam Dominis præstare debent, in eo præcipuè ponit, si lacte, & caseo contenti, oues, aut agnos nunquàm cædant. Sed re vera affatur Salomon gregum dominos, quibus tribuit domum, familiam, & ancillas, atque adeò minus accommodata est hæc persuasio. Deinde etiam ipsum non loqui de lactis esu, comprobat lectio originalis, quæ ad verbum sic habet. *Sufficientia lactis caprarum in panem tuum, & in panem domus tuæ.* Panis autem nomine ex modo loquendi scripturæ, omne esculentum notatur.

151. Quapropter versus iste ad sententiam superioris allici debet: Itaque Salomon seriò monet pastores, vti seruent greges suos, nec illos dissoluat, aut diuendant, vel qualibet ex causa imminui patiantur, vt in alias facultates commutent; nam quæstuosissimum est pecus, quod vulgò dicitur *ganado*, & si rectè curetur, ad alendam familiam, & augendam rem sat superque suppeditat. Itaque versus iste cum superiori nectendus, ita vt cum illo integram sententiam efficiat. *Sufficiat*, inquit, *lac caprarum in cibos tuos*, &c. data opera dictum illud *sufficiat tibi*. Quasi dicat: ne greges caprarum dissipes, aut insumas, aut commutes, sed sufficere tibi debet præter hædos, quos ad permutationes adhibere iam indulsi, vti lacte, caseo, & butyro; hic enim est fœlicissimus caprarum prouen- A tus, qui sæpe ad alendam largioribus expensis copiosam familiam satis dare solet.

Quod si hæc etiam verba cum superioribus ad Principum institutionem traducantur, & sequamur extremam, & germanam magis expositionem, idem erit sensus huius ac superioris versus: si autem priori adhærere collibitum sit, dicemus quidem Salomonem id Regibus suadere, vt mulgeant quidem subditos, tributa ab illis iusta exposcentes, non tamen ipsos seueriùs cædant, ne scilicet exuta humanitate in ipsos sæui, & crudeles sint. Iuxta quam expositionem concinit hæc sententia cum illa, quam habes infra cap. 30. ver. 34. *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Lege ibi plura. 152.

Translatio autem LXX. longè diuersam senten- 153.
B tiam reddit. Nam sacri illi interpretes putantes Salomonem metaphoricè loqui, pro *lacte verba fortia* reddiderunt, nam subest quidem vox חלב *Chaleb*, quæ non *lac* solùm, sed etiam *pinguedinem*, ac *robur* significat. Itaque sic vertendum putarunt. Sufficiat tibi pinguendo aut robur, verbis autem omissis, sententiam, quam sub hac metaphora delitescere existimarunt, obtulerunt his verbis. *Habes à me verba fortia ad vitam tuendam, & ad vitam ministrorum tuorum.* Quasi dicat. Habes à me etiam valdè adhortationem ad vitam pastoritiam, cui si parueris, hæc exercitatio quæstu tuo ad vitam tuam tuendam, familiamque alendam omnia necessaria subministrabit, vel, si placet, *verba fortia*, vel *pinguia*, appellat iuxta subiectam materiam; nam cùm pastores alloquatur Salomon, addit, se stilo lusum rudi, pingui ac bucolico.



CAP. XXVIII. SALOMONIS.



1. *FVGIT impius, nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.* 2. *Propter peccata terræ multi Principes eius: & propter hominis sapientiam, & horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.* 3. *Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.* 4. *Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succenduntur contra eum.* 5. *Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.* 6. *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quàm diues in prauis itineribus.* 7. *Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum.* 8. *Qui coaceruat diuitias vsuris & fœnore liberali, in pauperes congregat eas.* 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* 10. *Qui decipit iustos in via mala, in interitu suo corruet: & simplices possidebunt bona eius.* 11. *Sapiens sibi videtur vir diues: pauper autem prudens scrutabitur eum.* 12. *In exultatione iustorum multa gloria est: regnantibus impijs ruinæ hominum.* 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* 14. *Beatus homo, qui semper est pauidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum.* 15. *Leo rugiens, & vrsus esuriens, Princeps impius super populum pauperem.* 16. *Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius.* 17. *Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad lacum fugerit, nemo sustinet.* 18. *Qui ambulat simpliciter, saluus erit: qui peruersis graditur vijs, concidet semel.* 19. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem*

autem sectatur otium, replebitur egestate. 20. *Vir fidelis multùm laudabitur: qui autem*
festinat ditari, non erit innocens. 21. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non benefacit iste: & pro*
bucella panis deserit veritatem. 22. *Vir, qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat quòd*
egestas superueniet ei. 23. *Qui corripit hominem, gratiam posteà inueniet apud eum, magis*
quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit. 24. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à ma-*
tre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. 25. *Qui se iactat, & dilatat, iurgia*
concitat: qui verò sperat in Domino, sanabitur. 26. *Qui confidit in corde suo, stultus est: qui au-*
tem graditur sapienter, ipse saluabitur. 27. *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit de-*
precantem, sustinebit penuriam. 28. *Cùm surrexerint impij, abscondentur homines: cùm illi*
perierint, multiplicabuntur iusti.

---

1. *Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.*



F*Vgit impius*, &c. Hebr. ad verbum. *Fugerunt, & non persequens impius, iustus autem sicut leonculus fidet.* Pro *leonculo*, subest כפיר *Chaphir*, quæ vox ex Rabinorum testimonio leonis catulum propriè adsignificat: sumitur tamen passim pro quolibet leone etiam adulto. Septuag. & alij interpretes à Vulgata non abeunt. Chald. verò sic extulit. *Fugerunt impij nemine persequente eos, iusti autem, sicut leo qui intendit cibo suo, sperant in sapientiam.*

Huius loci sententia perspicua est. *Fugit impius nemine persequente*, id est, impius suorum scelerum metu perculsus nullo insequente fugiat, quia etsi nullus sit, qui ipsi terrorem incutiat, ipse sibi terrori est, quandoquidem validissimos, ac maximè terrificos hostes, scilicet peccata & crimina, deintus habet, quę ipsum quolibet fugientem insectantur. Et sanè verba ista duplici sensu donari solent: aut enim Salomon describit metum, quo impius concutitur tempore delicti, sicut latro, aut adulter, qui veriti ne deprehendantur in scelere, ad leuissima quæque terriculamenta consternantur. (De his habes Iob 24. *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum suum; & si subitò apparuerit aurora, arbitratur vmbram mortis.*) Vel in vniuersum loquitur Salomon de quibuslibet impiis, qui ob suorum delictorum conscientiam nihil non timent, iuxta illud Sapient. 17. *Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia.* Vtraque expositio non est inepta.

Iob 24.

Sap. 17.

2. Aliam etiam huic adiunge, quæ mihi non parum probatur: nam cùm in superioribus carminibus, nec non etiam in his, quæ sequuntur, Salomon loquatur de Principibus, & de ipsorum officiis, non ineptè dicemus hoc in loco sermonem facere de tyranno, ita vt sensus sit. *Fugit impius nemine persequente*, id est, Princeps tyrannus, etiam vbi nulla subest timoris causa, mirum in modum timet. Audi Iob c. 15. *Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius: Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur: Non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum sicut Regem, qui præparatur ad prælium.* Itaque cùm Salomon in superioribus Principem optimum descripserit, qui subditos, seu

Iob 15.

A pastor, oues regit, atque adeò inter illos securè agens à nullo sibi timet; nunc tyrannum expingit, qui subditos multifariàm diuexans eorum perfidiam nunquàm non timet. Hæc est enim tyrannorum propria conditio omnes timere, ac nullis se permittere. Pulchrum satis est illud Xenophontis in Hierone, vbi de tyranno sic fatur. *Iam verò metuere turbam, metuere solitudinem, metuere satellitis absentiam, metuere ipsos etiam custodes, ac ne inermes illos velle habere apud sese, nec armatos videre libenter, an non res est misera? Tum etiam & peregrinis potius, quàm ciuibus fidere, ac Barbaris potius quàm Græcis? Postremo hùc compelli, vt pro liberis habere cupias seruos, & ex seruis cogaris facere liberos? An non hæc tibi videntur argumenta animi terroribus attoniti, perculsique? Porrò non solùm ipse*
B *metus tunc cùm insedit animo, molesta res est, sed dum nusquàm non adest, ac circumfertur, fit omnium iucundarum rerum corruptela.*

Xenophon.

Sed quonam modo tyrannus semper in fuga sit, pulchrè Phauorinus apud Stobæum sermone 49. *Quemadmodum* (inquit) *feræ retia declinantes in angustiorem sæpe locum se recipiunt; ita etiam & tyrannos videre est (vt subditorum insidias vitent) recedentes ex Græcia in ciuitatem, ex ciuitate in arcem, deinde in domum, postremò in cubiculum. An fieri tandem potest, vt Deum effugiant, certè quocunque fugerint, deprehendentur à iustitia.* Accedit etiam Plato, qui in lib. 9. de republica inanes tyrannorum metus falsè admodùm describit. *An non carcere clausus est tyrannus, multis*
C *videlicet timoribus, & amoribus agitatus? Cùm verò ingenio sit apprimè cupido, huic soli neque egredi vsquàm licet, neque inspicere ea, quæ liberis hominibus licita sunt; sed intra ædium parietes formidolosus, veluti mulier, commoratur.*

3. Stobæus.

Plato.

Subditque tyrannum vsque adeò timori ac suspicionibus indulgere, vt *coactus quietem agat secum ipse nunquàm, sed aduersus inania corpora semper certet, ac pugnet.* Pende energiam verborum: significat enim Plato id tyrannis proprium esse, vt in summa pace, & tranquillitate, metu agitati hostes plurimos, velut inania corpora, sibi ipsis fingant, & fabricentur, quibus cum perinde ac cum veris inimicis decertare opus sit. Id sibi voluit Salomon, cùm dixit. *Fugit impius nemine persequente*, quia nimirum ipse sibi
D persequutores comminiscitur, & hostes confingit.

4.

Denique videri posset cuipiam Salomonem his verbis non quidem loqui de eo metu, ac terrore, qui homines cuiuspiam sceleris conscios, natura duce concutit, sed de alia specie terroris, quam Deus ipse pro grauioribus delictis immittere animis hominum consueuit. Genes. 4. sic Deus ad Cain. *Erisque vagus,*

5.

& profugus super terram. Et sanè quamuis nulli tunc erant in terra homines, à quibus Cain profugere posset, nihilominus metu perculsus nullo insequente fugitabat. De hoc genere terroris loquitur etiã Deus Leuit. 26. vbi sic habes. *Qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient; quasi gladiũ. Cadent nullo persequente, & corruent singuli supra fratres suos, quasi bella fugientes. Nemo vestrum audebit inimicis suis resistere.* Nec dissimile est illud Deut. 2. *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte ac die, ac non credis vitæ tuæ. Mane dices, quis mihi det vesperum? Et vespere, quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.* Et rursus cap. 1. *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant*, &c. Igitur licebit dicere de hoc timore, ac tremore, quem Deus animis improborum incutere solet, Salomonem locutum hoc sensu. *Fugit impius nemine persequente*, id est, virum improbum, ac sceleratũ vanissimis terroribus Deus torquere solet, adeò vt animo cadẽs, etiam cùm nulla subest timoris causa, ad spectra imaginaria, vmbrasque leuissimas perculsus, non alium quàm semetipsum diffugiat. Subdit Salomon.

Leuit. 26. — Deut. 2. — Deuter. 1.

6. *Iustus autem sicut leo absque terrore erit.* Hæc verba ad sensum euocanda sunt præcedentium; nam si dicamus Salomonem loqui in superioribus de timore illo, qui sceleratos homines tunc percellit, cùm delicta sua perpetrant, erit quidem sensus: iustus ex aduerso tunc cum benè & honestè agit, veluti leo impauidus perstat; illum enim rectè factorum conscientia constantem reddit. Sin verò de timore agit, quo mens sibi mali cuiuspiam conscia assiduò concutitur, appositè ad hæc subiungit, iustum hominem, quandiu nullius criminis sibi conscius est, ab omni metu vacuum animum gerere. Accipe Magni Gregor. verba lib. 31. Moral. cap. 13. *Iustus*, inquit, *quasi leo confidens absque terrore erit, in occursu enim bestiarum idcirco leo non trepidat, quia præualere se omnibus non ignorat; vnde viri iusti securitas rectè leoni comparatur, quia contra se cùm quoslibet consurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit, quia cunctos aduersantes superat, quia illum solùm diligit, quem inuitus nullo modo amittat. Quisquis enim exteriora, quæ etiam nolenti subtrahuntur, appetit, sua se sponte extraneo timori substernit: infracta autem virtus est concupiscentia vitæ æternæ, terrenæ contemptus*, &c. Hæc verba ex Gregorio, Beda & ex Beda alij etiam collegerũt, quæ rationem offerunt, ob quã bona conscientia hominẽ impauidũ reddit. Quod si aliter priora illa verba de timore illo accipiamus, quem Deus improborum hominum animis immittere solet, quos nimirùm pro meritis sic punit, vt qui Deum veriti aliquando non sunt, nihil non subinde perhorrescant, sensus erit sequentis clausulæ; vir iustus è contra, leonis in morem, non modò vanos timores nullos admittit, sed etiam cùm timoris causa subest, impauidus persistit.

Gregor.

7. Sed quamuis hæc insulsa non sint, mihi tamen præferenda omnino videtur illa expositio, quæ tradit per *impium*, qui nullo persequente fugit, tyrãnum Principem esse intelligendum eo sensu, quem nuper adscripsimus; atque adeò appositè ad illum subnectit Salomon: *Iustus autem quasi leo, confidens absque terrore erit.* Id est, iustitia & æquitate præditus Princeps, tanquam leo, qui aliarum bestiarum dux & imperator creditur, interritus perstat. Leonem quidem ab omni timore vacare docet scriptura infra cap. 30.

A *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Non solùm autem feras alias, quas robore à se vinci non ignorat, vt ait Gregorius, non timet, fugitve leo: sed etiam venatoribus ipse formidolosus eosdem ipse non formidat. Aristoteles de Historia animal. lib. 5. cap. 43. *In venatu dum cernitur nunquam fugit, aut metuit, sed etiam si venantium multitudine cedere aliquando cogitur, sensim, pedetentimque discedit, crebrò subsistens, atque respectans. Nactus vero opaca, fuga quàm maximè potest veloci, se subtrahit, tum rursus lentè incedit.* Ex Aristotele hæc delibarunt Plinius, Ælianus & alij, in his autem Plinius lib. 8. cap. 16. sic habet. *Generositas leonis in periculis maximè deprehenditur, non in eo solùm quod spernens tela diu se solo terrore* B *tuetur, ac velut cogi testatur illa nobilior animi significatio. Qualibet canum, & venantium vrgente vi contemptim restitansque incedit in campis, & vbi spectari potest, idem vbi virgulta, syluasque penetrauit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente fuga turpitudinem loco.* Et paucis interiectis sic demum attexit. *Cùm pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expauescat.* Hæc sunt in leone impauidæ audaciæ documenta & signa, ob quæ animi constantis, & interriti symbolum vulgò habetur, vt propterea Salomon aptè admodum dicat, Principem ex iustitia, & æquitate subditos administrantem, leonis animositatem, & audaciam impauidam imitari, non solum quia Principi iusto & legitimo omnes 8.
C subditi ab omni perfidia alieni vltrò acquiescunt; vel quia ipsamet imperij legitimè, rectè, ac iustè gesti conscientia animos Principi facit, sed etiam naturali quodam iure, cuius in leone exemplar exhibetur. *Nam quid causæ est*, inquit Albertus, *quod leo vnus etiam inter maximam ferarum multitudinem interritus est? Certe leoni hos animos naturale robur non facit*, nam licet quamlibet singularem feram leo vnus robore suo perimeat tamen plurium ferarum collecta fortitudo vnius leonis vires facile superat. Quapropter si ex aliis feris, quarum plures satis robustæ sunt, vnà multæ leonem vnum tanquàm communem hostem inuaderent, ipsum certè facilè prosternerent ac discerperent, sicut multi canes vnum vrsum, aut lu- D pum, quamuis alias singuli robore impares sint, laniare consueuerunt. Inde igitur Albertus sic conficit. *Sequitur ergo alias feras non leonis fortitudinem vereri, sed naturale illius imperium, & dominium recognoscere.* Itaque Albertus eo argumento imperium atque regnum leoni in omnes quadrupedes à natura tributum esse concludit, cui nimirùm, non tam vi, quàm sponte vltroque reliquæ pareant belluæ: Et eadem ratione Aquilæ regnum in omnes aues alibi comprobat Albertus.

Aristot. — Plin. — Albert.

9. Et sanè leonis imperium in feras passim prædicant scriptores. Basilius in Hexam. Homilia 9. *Vna*, inquit, *cum leone animositas, & ad incandescentiam iræ propensio illi agnata est, vita solitaria,* E *expers societatis, ad ea, quæ genus subeunt, idem, velut enim tyrannus quidam animantium rationis expertium pares honores, congressionesque cum cæteris non acceptat, sed aspernatur.* Ambrosius lib. 6. Hexam. cap. 3. *Leo natura sua superbus ferocia, aliarum ferarum generibus miscere se nescit, sed quasi rex quidam plurimorum dedignatur consortium.* Mitto alios.

Basil. — Ambros.

10. Hinc ergo (ni fallor) huius loci germana interpretatio petenda est hoc modo. *Iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Id est, cùm proprium sit tyranni metu assiduo percelli, ac nullibi securum, ac tutum degere; contra Princeps iustus ac legitimus, velut quadam leonis cõfidentia præditus, neminem veretur, & vbique tutus ac securus est. Et quidem de

industria

industria additum est illud, *Secut leo confidens*: nam perinde est ac si dicat; sicut omnes feræ leoni, quem natura sibi regem præfecit, naturale eius imperium veluti agnoscentes vltro parent, ita vt non modò cum singularibus feris, quas ipse robore vincit, securus degat, sed etiam in magna belluarum ferocissimarum multitudine tutus sit: ita etiam Principi, qui naturale, iustum, ac legitimum imperium gerit, omnes vltrò acquiescunt, ita vt contra illum nec singulares subditos perfidè ac proditoriè, nec multitudinem per seditionem, moueri contingat. Quasi dicat: Tàm in publico quàm in secreto securus agit: hæc enim est vis & potentia legitimi ac iusti imperij.

11. Et sanè idem Albertus, postquam natura leonis regnum in alias feras eo argumento comprobauit, addit statim, hoc generosum animal *præ cæteris in cautum esse, vt pote quod aliorum animantium insidias non perhorrescat.* Neque verò insidias, ex imprudentia non timet, non quia robori suo fidit maximè, sed quia nullæ ipsi insidiæ ab aliis feris, quę ingenitum ipsi imperium quodammodò suspiciunt & verentur, dolosè parantur. Eadem est iustorum ac legitimorum Principum conditio, & idem status, qui, leonum in morem, omnem sui prouidentiam, & cautionem abiicere tutò possunt, quia nullus est, qui ipsis insidias moliri, aut dolos instruere præsumat. Comprobant hoc Hispaniarum leones (nostrates Reges dico) qui legitimum ac naturale ius, quod ad regnandum habent, subditis notum esse cùm sciant, ab eorum insidiis, dolis, ac perfidia nec sibi cauent, nec metuunt, atque adeò per quandam leonum confidentiam securi, atque tuti, inter ipsos etiam sine satellitio degunt.

12. Chaldæus legit. *Iusti autem sicut leo, qui intendit cibo suo, sperant in sapientiam.* Profectò aiunt, leonem tunc cùm deuorandæ prædæ incumbit, etiam obsidentibus aliis feris nequaquam terreri, sed mira quadam confidentia operi suo vacare. Atque inde huius translationis interpretationem petere licet hoc modo; Sicut leo robore suo fidens, circunstantibus aliis etiam robustissimis belluis interritus prædæ suæ incumbit: ita etiam iustus & legitimus Princeps quandiu sapienter ac prudenter subditos regit, omnes vndequaque in illum conspirantes hostes minimè veritus domi sedet, & delitiosè victitat, ita vt nihil sit quod tutam, quietam, delitiosam, & pacatam illius vitam interturbet.

13. Est etiam aliud aliquid leoni perquàm proprium; nam cùm prædam aliquam egit; ex illa ad satietatem pastus nequaquàm amplius ad eam redit, sed reliquias aliis feris deuorandas dimittit. Ita docent Ambrosius, & Basilius locis citatis. Eapropter aliæ non paucæ ferę leonem insequi à tergo solent, vt ex illius reliquis victitent. Ex hac etiam leonis proprietate aliam Chaldaïcæ translationis expositionem exprimere licet hoc modo; Sicut leonem plurimę sectantur ferę, quia ex prædis, quas agunt, non modò ipsi vescuntur, sed reliquias aliis potiundas dimittunt: ita etiam Principes iusti, & legitimi, qui subditis suis honores, quibus ipsi non indigent, & beneficia quoque ea bonis quæ superant, liberaliter distribuunt, plurimos habent suarum partium sequaces. Potest etiam lectio ista de iusto, & probo homine interpretari, iuxta ea quæ supra adscripsimus.

---

2. *Propter peccata terra multi Principes eius, & propter hominis sapientiam, & horum scientiā quæ dicuntur, vita ducis longior erit.*

14. PRopter, &c. Heb. ad verbum. *In prævaricatione terræ multi Principes eius, & in homine intelligen-* A *te, & sciente sic prolongauit.* Chald. *In peccato terra multi Principes eius, & filij hominum, qui intelligunt scientiam, durabunt.* LXX. *Propter peccata impiorum iudicia suscitantur, vir autem astutus extinguet ea.* Codex Complutensis habet. *Propter peccata impiorum depressiones suscitantur.* Aquila, & Theod. *multi principes eorum,* sicut Vulgata.

Locum istum non vna interpretatione donare licet. Alij enim sic comminiscuntur. *Propter peccata terræ multi Principes eius.* Id est, ordinē istum Principum ac subditorum non quidem natura, sed peccatum & vitium in mundum inuexit. Natura enim omnes homines æquales fabricata est; vitium verò & culpa alios aliis præfecit. Ita quidem contemplatur B Diuus Gregorius li. 21. Moral. cap. 10. ad illa verba *Gregor.* Iob. *Nunquid non in vtero fecit me, & illum,* id est, seruum, *operatus est, & formauit in vulua vnus? Omnes,* inquit, *homines natura æquales sumus, sed accessit dispositorio ordine, vt quibusdam prælati videamur: ipsaque diuersitas, quæ accessit ex vitio, rectè est diuinis iudicijs ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ æquè non graditur, alter ab altero regatur.* Quasi dicat: Peccatum certè ac vitium in causa fuit, vt homo homini imperaret.

Natura enim omnes homines sibi per omnia ęquales producit; quia verò subintrante culpa effectum 15. est, vt alij aliis deteriores, aut meliores essent, inde profectum vt quidam aliorum imperio, & regimine indigerent. Si enim cuncti sponte, vnaque ad honestatem eniterentur Principum atque Rectorum nullus tūc vsus esset. C Subiungit. *Sancti viri cùm præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendunt; nec præesse gaudent hominibus, sed prodesse: sciunt enim quod antiqui Patres nostri non tam Reges hominum, quàm pastores pecorum fuisse memorantur. Et cum Noë Dominus filiisque eius diceret, Crescite, & multiplicamini, & replete terrā, subdit; Et terror, ac tremor sit super cuncta animantia terræ; non enim ait, sit super homines qui futuri sunt, sed sit super cuncta animalia terræ, homo enim animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus natura prælatus est.* Hactenus Gregor. qui subinde addit, ad hoc vt homines alij aliis imperarent, necessum fuisse vt peccatum æqualitatem solueret. Sic enim factum, vt homines qui- D dam belluinam, & irrationabilem vitam ducentes cum belluis ac pecoribus conferentur, vt proinde aliis hominibus sapientioribus non secus atque alia pecora belluæque parerent. Aptè igitur Salomon. *Propter peccata,* inquit, *terræ multi Principes eius.* Nam si abessent culpæ ac crimina, nullus alteri iura diceret, sed omnes sui iuris essent. Cæterùm hîc non disputo, an si Adamus originalem iustitiam ad posteros transfudisset futuri essent in paradiso delitiarum Rectores, ac Principes, id enim alterius negotij est. Illud affirmo, præfatam interpretationem minime idoneam esse, quia cum sequenti clausula nequaquam cohæret.

Secunda igitur expositio sic habet. *Propter peccata* 16. E *terræ multi Principes eius.* Constans quidem est omnium sententia, optimam imperij speciem esse monarchiam, nam oligarchia plura incommoda & grauissima damna rebus publicis asportare solet. Nam Aristoteles libro 8. Ethicorum cap. 10. oligarchiam *Arist.* deteriorem imperij speciem esse dicit. Et libro 5. Politic. cap. 12. affirmat oligarchiam ocyus in tyrannidem verti. Et c. 10. multa coumerat, quæ oligarchiæ cum tyrannide communia sunt. Plato etiam libro 4. *Plato.* de legibus, dialog. 8 oligarchiam non tàm gubernationem, quàm seditionem quādam appellandam esse affirmat. Et in Ciuili, seu de Regno, ita fatur. *Gubernationem illam, in qua pauci imperant, mediam censere debemus, quemdamodum quod paucum est inter vnum multaque*

multaque medium obtinet. Cæterùm multorum administrationem per omnia debilem, vt pote quæ ad alias comparata nihil magnificum efficere possit, quapropter legitimarum omnium rerum publicarum deterrima est. Itaque Salomonis mens talis est, *Propter peccata terra multi Principes eius.* Id est, quod regio aliqua, prouincia, vel natio non ab vno supremo Principe sed à pluribus per oligarchiam regatur, ingentium delictorum, ac criminum pœna esse consueuit. Quia enim ciues illius prouinciæ, aut nationis, suis delictis Deum in se concitarunt, propterea omnia incommoda, & damna illius gubernationis experiri cogûtur: hæc sunt, bella ciuilia, seditiones, furta, peculatus, & alia eiusmodi. Subdit Salomon.

17. *Et propter hominis sapientiam, & horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.* Non est facile hæc verba ad superiorem sententiam allicere. Est tamen non nemo, qui illa cum superioribus ita contexuit vt Salomon vel ex eo maximè multorum imperium incuset, quia non est diuturnum, ita vt sensus sit: Peccata publica sæpius in causa sunt, vt regio aliqua à multis gubernetur, quæ gubernationis species multis perturbationibus, assiduisque motibus agitari solet, atque adeò diuturna esse non potest. At verò vnius hominis sapientis, qui nouit populo iura dicere, imperium, longè melius est, quippe quod à præfatis perturbationibus & motibus alienum cùm sit, diutius perdurare consueuit. Et sanè oligarchiæ id esse maximè proprium, vt perbreui tempore soluatur, docuit Aristoteles Politic. lib. 5. ca. 12 & alibi. Regni verò diuturnitatem comprobat eodem lib. cap. 10. vbi sic ait. *Regnum autem ab his quæ extra sunt, minimùm corrumpitur, quapropter & diuturnius est.*

Aristot.

18. Aliter etiam ista verba cum superioribus innodare licet hoc modo, Propter ingentia alicuius prouinciæ peccata sæpe fit, vt multi Principes non satis inter se concordes, ipsi imperent; sed hic gubernationis modus non diu perdurat; perbreui enim temporis internallo dissoluitur; dissolutus autem in monarchiã desinit, & imperij summa ad vnum aliquem deuenit, qui cæteros prudentia, & astu antecellit. Et quidem ex hoc nomine comprobat Herodotus apud Stobæum ser. 47. vnius imperium reliquis gubernandi rationibus præferendum esse. *Propositis, inquit, tribus statibus, & his omnibus optimis, vt scilicet optimè imperet populus, optimè pauci, & optimè vnus inter hæc multùm antecellere vnius imperium sentio. Nam vnius viri, qui optimus sit, imperio nihil melius esse constat. Porrò in statu paucorum cum plures virtuti incumbant, vehementiora priuatim odia excitari consueuerunt: Cùm enim quisque Princeps esse optet, & in dicenda sententia vincere, ad ingentia inter se odia euadunt, ex quibus seditiones existunt, è seditionibus cædes, ex cædibus ad vnius imperium deuenitur: vnde intelligi datur quantum sit hoc illo præstantius. Iam verò plebe imperante abesse non potest, quin malitia exoriatur, exorta malitia in republica inter malos non quidem odia fiunt, sed amicitia valida. Qui enim aduersus rempublicam facinorosi sunt, mutuò se occultant, idque tandiu fit, dum vnus aliquis populo propositus tales homines compescat, is videlicet, quem populus inter cæteros admiretur. Hic verò cùm admirationi est, tunc verè monarchus ostenditur, declarans in hoc monarchiam esse omnium præstantissimam.* Igitur eodem argumento Salomon monarchiam oligarchiæ præponendam esse docet, quia multorum imperium, cùm per eas quæ in ipso excitari solent, perturbationes dissoluitur, in monarchiam abit.

Stobæus.

19. Denique alio etiam modo nodus iste astringi potest, ita vt sensus sit: propter grauia scelera alicuius regionis fieri solet, vt à multis Principibus gubernetur, cui malo non aliter succurri potest, nisi aliquis præficiatur Dux vel Princeps, ac senex, qui nimirum reliquos sapientia vincat, qui ad sententiam suam dicendam, & iura populo dictanda optimè instructus sit, & qui longiori tempore cum vixerit, multorum negotiorum periculo facto prudentiam compararet, hæc enim omnia ad rectè administrandã rempublicam pernecessaria sunt. Quantum verò præstet oligarchiæ imperium monarchicum frustra hîc adscribam, cùm de hoc themate multa passim legere liceat: ex omnibus autem id seligo, quod Plato dixit loco citato: *Monarchiam, inquit, ab omnibus aliis gubernationibus non aliter quàm ab hominibus Deum secernere licet.* Quasi dicat: sicut gubenatio monarchica, quã Deus mundum hunc moderatur, vt pote quæ cæteris facilè antecellit, nequaquàm cum aliis conferenda est; ita etiam regnum, tanquàm diuinum quid, cum oligarchia, & democratia conferri non debet. Multa etiam eodem argumento scribit in dialogo 4. de legibus, cui accinit etiam Euripides in Achelaor, vbi sic ait. *Regnum Deorum quædam vita videtur, nam præter immortalitatem reliqua habet omnia.* Sed licet hæc non sint inconcinna,

Euripides.

Nihilominus tamen tertia expositio mihi perplacet, 20.
& locum istum non de multis Principibus rempublicam vnà gubernantibus, sed de multis, qui alij post alios subinde populos regant, accipiendum esse puto. Non tamen probo eorum mentem, qui dicunt Salomonem populos ipsos affari hoc sensu. *Propter peccata terra multi Principes eius.* i. grauia alicuius prouinciæ, aut regionis peccata ita Deus punire solet, vt multi Principes alij post alios ipsi imperent, atque adeò ea incommoda experiantur quæ imperiorum commutationes comitari, ac subsequi solent, quæ satis magna sunt, scilicet bella, interneciones, nouas vectigalium exactiones, iura etiam, legesque nouas, & alia id genus grauissima damna, *Et propter hominis sapientiam, & horum scientiam, quæ dicuntur, vita ducis lõgior erit:* Quasi dicat; eapropter illa regio, quę mala isthęc vitare cupit, deligere sibi debet Principem aliquem sapientissimũ ac prudentissimum, qui iura & leges callens populi vitia coërceat, omnesque in officio cõtineat: sic enim fiet, vt eiusmodi populus iustè administratus, & secundùm iustitiam, æquitatemque viuens, longam vitam Principis à Deo obtineat, & quæ ex frequentibus mutationibus imperiorum euenire solent incommoda, declinet. Hanc, inquam, expositionem non probo, quam tradunt Bainus, Vatablus, Iansenius, Clarius, & alij quàm plures. 21.

Existimo igitur Salomonem ad ipsosmet Reges, ac supremos Principes sermonem intendere hoc sensu. *Propter peccata terra multi Principes eius*, id est, ob grauia crimina, quæ populus conniuentibus Regibus perpetrare solet, Deus ipsosmet Reges seuerius punire solet, adeò vt illos nequaquàm diu regnare permittat; sed multi alij post alios ocyus sublati intereant. *Et propter hominis sapientiam, & horum scientiam, quæ dicuntur, vita ducis longior erit.* Contra verò si quis sit Princeps cumprimis sapiens, & gnarus, qui rempublicam iustè administrat, & ea, quæ vulgò prohibentur, scelera, id est, publica crimina disquirens, & agnoscens seriò coërceat, ac puniat, atque adeò vniuersum populum in officio contineat, huius certè Principis ac Ducis imperium diuturnius, & vita diu superstes erit. Itaq; Salomon his Principibus, quorum incuria populi ad delinquendum licentia augetur, perbreue imperium, & præmaturum interitum minatur: illis verò, qui populi vitia compescunt, & transgressores seuerissimè puniunt, longum imperium, vitamque longęuam pollicetur, digna certè tali delicto illa pœna, & dignum item talibus promeritis

meritis istud præmium. De sapientia, qua Reges pollere debent ad rempublicam tractandam, frustra hic multis, cùm de hac thesi alibi non pauca dixerimus. Habes etiam expositionem illorum verborum, *& horum scientiam quæ dicuntur*, quæ alij aliter exponunt; Iansen. omnes omnium expositiones colligit: lege inibi. Ego quidem per scientiam eorum quæ dicuntur, publicorum scelerum cognitionem capiendam puto, eorum, inquam, scelerum quæ fama vulgauit; nam publica crimina subditorum coërcere præcipuum Regis munus est. Nil certius.

22. LXX. locum istum aliter extulerunt. *Propter peccata impiorum iudicia suscitantur, vir autem astutus extinguet ea*, id est multa crimina, quæ impij perpetrant, efficiunt, vt multa sint iudicia, id est, multæ contra illos ferantur sententiæ, quibus damnati pœnas subire cogantur; *vir autem astutus*, id est, Princeps gnarus, ac prudens, *extinguet ea*, id est, præcauendo istiusmodi delicta ita rempublicam administrabit, vt partim etiam ad honestatem, & piam vitam traductis, fora & subsellia omninò sileant. Itaque iuxta hanc lectionem Salomonis mens est, gubernandi peritiam non tam in eo ponendam esse, vt delinquentes, ac transgressores puniantur, quàm vt non sint. Quomodo autem hæc translatio cum Primitiuis, & cum nostra lectione cohæreat, non satis assequor.

---

3. *Vir pauper calumnians pauperem, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.*

23. **V**Ir pauper, &c. Hebr. *Vir pauper opprimens pauperes pluuia trahens & non panis.* Caietanus. *Pluuia inundans, & non panis.* Vatablus. *Imber putrefaciens segetem.* Chaldæus. *Sicut pluuia vehemens in qua non est vtilitas.* LXX. *Fortis in impietatibus calumniatur pauperes tanquàm pluuia vehemens, & inutilis.* Diuus Hieronymus contra Ruffinum. *Impius calumniatur pauperes.* Aquila, Symmachus, & Theod. concinunt cum Vulgatis, sic enim conuertunt. *Vir pauper, & calumnians pauperes sicut pluuia non cohibens se, & non est panis.* Et quidem LXX. in priori loco pro *paupere fortem* subiecerunt, quia in Primitiuis subest רש *Rasc*, quam vocem referre licet ad רוש *Rusc*, id est, *egere*, aut *depauperari*, vel ad רשש, id est, *cõterere*, aut *destruere*; sic enim verbum hoc restituit vbique Hieron. scilicet Ierem. 5. vers. 17. Malach. 1. vers. 4. & sæpe alibi: itaque violentum euersorem significat.

24. Hinc ergo fluit duplex huius loci interpetatio; alia quidem secundùm translationem LXX. hoc modo. *Fortis qui in impietatibus calumniatur pauperes, tanquàm pluuia vehemens, & inutilis*, id est, homo violentus, qui pauperum bona per calumniam aufert, similis est vehementi pluuiæ, quæ terram diripit, & messes inundat. Et sanè *inutile*, pro *nociuo*, passim vsurpari à LXX. sæpè aliàs adnimaduerti. Itaque *pluuia vehemens, & inutilis*, valdè violentum & noxium imbrem adsignificat. Comparationis autem huius energia sic habet; Quemadmodum cùm pluuia vehementior è cœlo depluit, aquæ omnes è montium cacuminibus ad valles decurrunt, & quæ in vallibus sunt natæ messes inundant, atque conuellunt; sic etiam si viri fortes, potentes, & sublimes, ceu montes quidam præalti, tributa, & alia reipublicæ onera excutiant, & hæc omnia ad pauperes, ac plebanos, tanquàm ad valles subiectos deuoluantur; hi certe exhausti bonis omnibus, & ad extremam pauperiem redacti agriculturam deserunt, & respublica famem, & victus, annonæque penuriam subire cogitur. Et quidem secundùm hanc expositionem dicendum est, Salomonem etiam in hoc versu, quemadmodum in aliis su-

A perioribus, Principes ac Reges affari, atque illis suadere, ne pauperem plebem iniustis exactionibus opprimant.

Quod si dicamus, sermonem esse in vniuersum de quolibet homine potente, qui pauperibus per calumniam damnum dat, comparatio sic institui debet; Quemadmodum cùm pluuia vehemens decidit, collectis hinc & inde riuis, torrentes redundant, & agros longè latéque implent, atque adeò messes siue in herbis, siue maturæ sint, conuellunt, & secum auferunt; quæ verò ea ratione collegerunt, non continent, sed in flumina alia notiora, hæc verò in mare ipsum effundunt: ad eundem modum quicunque per violentiam, & iniuriam pauperes spoliant, & eorum B bona diripiunt, nihil inde ditescunt, aut augentur: nam quæcumque ab his contra ius, fasque euulserunt, tanquam torrentes quidam rapidi, in ditiores alios velut in grandiora flumina deuoluunt, & hi rursus in mare effundunt, quia vel morte deferuntur, vel ob crimen aliquod fisco adiudicantur. Hæc verò aliena sunt à Vulgata lectione. 25.

Quam reliqui interpretes ad vnum sic exponunt. *Vir pauper calumnians pauperem, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.* Certè illud pauperibus maximè proprium, vt eorum vicem indoleant, qui simili egestate premuntur, & eius, quam subleuare non possunt, inopiæ saltem ex animo misereseant. Ergo ait Salomon; pauper, qui naturæ iura violans C alium sibi similem pauperem per calumniam & iniuriam opprimit vel spoliat, similis est imbri vehemẽtiori, qui terram inundans, obruensque, aut semina denudat, aut segetes natas reuellit. Et sanè comparationis huius elegantiam in eo sitam esse dicunt, quia pluuia, quæ suaptè natura ad segetes alendas, fouendasque deseruit, cùm vehementior est, easdem prosternit, ac diripit. Huic verò perquàm similis est pauper, qui natura etiam suadente aliorum pauperum misereseere, & ope sua quomodolibet subuenire debuerat, si enim aliquando in pauperem alium sæuire incepit, non prius iræ parcit, quàm illum, vehementioris instar pluuiæ campos & sata diripientis, bonis omnibus spoliat, atque fortunas illius deprædatur. D Non displicet sanè hęc interpretatio; tamen (vt dicam etiam quod sentio) non admodùm placet; quapropter aliam atque aliam expositionem subiiciam, quæ mihi accommodatæ magis videntur. 26.

Prior est. *Vir Pauper calumnians pauperem*, &c. Suadet Salomon pauperibus, ne sibi mutuò calumnias imponant, aut damna dent, quia facile erit cuique alium euertere, & ad extremas angustias famemque compellere. Comparatio autem sic instituenda est; Quemadmodũ vehementior imber terram impluens, ipsam eradere, atque diripere, ac semina recens sata denudare, & quæ nondum actis radicibus coaluerunt, euellere solet; ita etiam pauperes, si se inuicem oppugnent, & damnis mutuis afficiant, facilè alij alios E spoliant; nam cum census eorum sint tenues, & infirmi, quælibet etiam exigua vis illos exhaurit, ac conficit. Itaque sententia Salomonis est, pauperibus quidem plerum diuites iniurios esse, atque adeò inter se inuicem mutuo fœdere obstringi oportere; nam si etiam ipsi sibi molestias & negotia inuicem facessant, omnis eorum res pessum ibit, atque ad extremam famem cogentur. 27.

Posterior expositio quæ mihi apposita magis videtur, sic habet. *Vir pauper calumnians pauperem similis est imbri*, &c. Profectò in republica pauperes agriculturam exercent, & telluris coloni sunt, atque adeò ex eorum operis, & industria totius ciuitatis victus & annona pendet. Vnde Aristot. li. 6. Polit. c. 4. *Optimus*, inquit, *populus est ille, qui ex agricolis constat*, & 28.

Aristot.

eam

eam rempublicam cùm primis ditem atque fœlicem esse inibi affirmat, quæ plures agrorum colonos habet. Illud præterea certum est, nihil æquè agricolas retardare, ne suas operas agris excolendis sedulò impendant, quàm iurgia & lites mutuas. Quapropter Plato in sua repub. vt huic malo occurreret, præcepit, vti controuersiæ, quæ inter agricolas excitarentur, à vicinis, & contribulibus dirimerentur, ab his, (quos ipsi arbitros sibi delegissent, ne si opus illis esset fora adire, & ad magistratus suas causas deferre, telluris culturã intermittere cogerentur. Ita scribit Postell. in lib. de republica Turcarum, qui addit etiam, apud Turcas agricolarum causas à conuicanis vicissim iudicari ob eandem rationem. Ad hæc Dionysius Halicar. lib. 2. inter alia, quæ ad bonum reipublicæ statum Romulus statuit, hæc rescribit. *Diuiso vniuerso agro in pagos, suum cuique præposuit ruralem magistrum, qui eos curaret, segnes colonos obiurgaret, mulcta castigaret etiam, & de eorum controuersiis iudicaret.* Salomon ergo, qui in superioribus carminibus Principes affatus est, hæc etiam (ni fallor) verba ad eosdem Principes intendit, suadetque illis, vti pauperum sibi inuicem per calumniam, & iniuriam damna dantium lites, & controuersias prohibere curent. Si pauper, inquit, pauperem, hoc est agricola agricolam per calumniam lacessat, ac sibi inuicem mutuò lites moueant, dum fora & magistratus adeunt, agriculturam deserent, atque adeò respublica, annona deficiente, famem perpeti cogetur. Huc spectat illa similitudo pluuiæ vehementioris, quæ sic conformanda est. Quemadmodum pluuia vehemens tellurem abradit, & iacta semina diripit, segetesque conuellit; (vel, si mauis, vehementem imbrem appellat diram grandinem maturas segetes conquassantem, & frumenta perdentem) sicut, inquam, hæc duo totum anni prouentum euertere, & reipublicæ famem adducere solent; ad eundem modum si pauperes, id est, agricolæ, sibi mutuò aduersentur, & causas, litesque sibi inuicem moueant, intermissa agricultura prouentus interibunt, & fames rempublicam inuadet; atque adeò optimi Principes eiusmodi lites & controuersias inter agricolas obortas, præcipuo studio cauere debent.

Dion. Halicar.

A B C

4. *Qui derelinquunt legem, laudant impium; qui custodiunt, succendunt contra eum.*

29. QVi derelinquunt, &c. Hebr. *Derelinquentes legem laudant impium, & custodientes legem litem miscebunt in eis.* Caietanus. *Custodientes legem, excitabuntur contra eos* Chaldæus. *Qui relinquunt legem, gloriantur in impietate, & hi, qui custodiunt legem, contendent cum eis.* Septuaginta interpretes locum istum aliter extulerunt; nam codex Vaticanus superiora illa verba, *tanquàm pluuia vehemens, & inutilis,* ad hanc sententiam allicit hoc modo. *Tanquam pluuia vehemens, & inutilis, sic qui derelinquentes legem laudant impietatem: qui autem diligunt legem, circumdant sibi murum.* Sanctus Hieronymus in ca. 11. Ecclesiastes: *sic qui derelinquunt sapientiam, & impietatem laudant.* In Primitiuis pro illa voce *succendunt* subest ליתגרו *lithgaru*, ex radice גרה *Garah*, id est, *contendit, litigauit, confligit*; significant etiam, *fortiter agere in bello.* Psalm. 39. *A fortitudine manus tuæ ego defeci.* Hebr. *à contentione.* Deuteron. 2. *Ne geras cum eis prælium.* Hebr. *ne litiges cum eis.* Vtrobique autem subiicitur verbum *Garah.* Hinc natæ omnes translationes præscriptæ, quæ ferè ad rem militarem spectant.

Hieron.

Psalm. 39. Deut. 2.

30. Sententia huius loci perspicua est, significat enim Salomon viros impios, & sceleratos, his semper gaudere, ac delectari, qui similem ad modum impietati se tradunt, atque eos detestari, & odisse, qui pietatem colunt. *Qui derelinquunt legem, laudant impium:* id est, viri exleges, & pietatis osores, eos certè commendant, & sibi placere ostendunt, qui impietatem pari cum ipsis studio sectantur; *Qui custodiunt succendunt contra eum,* id est, ex aduerso qui legem Dei studiosè obseruant, contra eosdem impios inflammantur, & illos impensè oderunt. Quid certius? Impius enim vt vitiis suis auctoritatem, aut etiam excusationem quærat, gaudet plurimùm, cùm alij atque alij impietatem sectantur. Eapropter improbi, ac scelerati homines Sap. 2. sese inuicem ad improbitatem, & scelera exacuunt. *Nemo*, inquit, *nostrûm exors sit luxuriæ nostræ; vbique relinquamus signa lætitiæ, quia hæc est pars nostra, & hæc est sors,* &c. Et subinde sese mutuò conuocant aduersus iustum. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum; grauis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius.* Præcipua capita attingit Salomon, propter quæ impij iustos odio insectantur; hæc sunt, dissimilitudo morum, atque sancta & pia iustorum conuersatio, quæ ipsorum assiduò damnat intemperantiam, viuendique licentiam. Igitur ex aduerso iidem improbi prauos, quosque propterea diligunt, & collaudant, quia similes ipsis mores habent, & dùm plures improbitatis sectatores sibi numerat, auctoritatem inde sumit, & infamiam sibi congenitam quodammodo eluit, ac purgat. Rursus nihil iustis, ac probis hominibus magis proprium quàm improbos insectari & odisse. Psalm. 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Declinate à me maligni,* &c. Psalm. 100. *Declinantem à me malignum non cognoscebam, detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum; ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat,* &c.

Sap. 2.

Psal. 118. Psal. 100.

D Sed obseruandum est verbum illud, *succendunt cõtra eum*: nam Iansen. Rodolph. & alij passim putant, *succẽdunt* positum, pro *succenduntur*, ita vt sensus sit: probi, ac iusti homines accenduntur zelo, & indignatione contra improbum. Sed repugnat littera. Quapropter nescio an meliùs alij dixerint desumptam similitudinem ab excubitoribus, qui accensis facibus hostis aduentum commonstrare, & arma sumendi signum commilitonibus suis dare solent. Nec abhorret ab hac significatione nomen שומרים *Somerun*, quod hîc reperitur sub illis verbis, *& qui custodiũt*, seu *custodientes*, quod nullus ignorat accipi pro custodibus, & excubitoribus. Itaque sensus erit, *Et custodientes legem succẽdunt contra eum*, id est, viri probi, qui legis zelum habent, tanquam excubitores E quidam peruigilant, & contra impios eiusdem legis transgressores, quasi facibus accensis, commilitones suos ad arma capessenda euocant. Quasi dicat, vir probus non solùm ipse contra impios exardescit, sed zelum legis, quasi facem quandam accensam, prætendens, alios etiam probos & iustos homines aduersus illos concitat, armatque. 31.

Nec caret etiam emphasi illa lectio. *Et qui custodiunt*, legem scilicet, *litem miscebunt in eis*, i. inter improbos transgressores. Quæ verba non modò significare possunt viros probos, ac sedulos legum obseruatores litem mouere improbis, atque ipsis semper aduersari, sed etiam id contendere, vt inter ipsos impios lites immittant, ac mutuis illos dissidiis inter se confligere ac decertare cogant, ne si inter se confe- 32.

confœderati vires coniungant, contra pietatem roborentur. Et sanè D. August. in Psalm. 109. ad maximam Dei prouidentiam hoc pertinere dicit, quod Deus ipse improbis inter sese confligendi, & decertandi occasiones offert, vt quandiu inter se conserunt, piis parcant, atque bonis nequaquam bellum moueant. Addo etiam ex mutuis impiorum conflictibus & pugnis hoc euenire, vt eos partitos, atque diuisos faciliùs probi expugnare possint: nam si omnes vna improbi contra probos conspirarent, quamuis impares robore, copia tamen sua mali bonos obruerent, ac profligarent.

33. Translatio verò LXX. alium sensum reddit, sic n. habet. *Tanquam pluuia vehemens, & inutilis, sic qui derelinquentes legem laudant impietatem; qui autem diligunt legem, circundant sibi murum.* Describit Salomon vim atque impetum impiorum contra probos hoc sensu; Quemadmodum si per æstatem, tunc cùm minimè opportunum est, vehementior imber in terram decidat, collectis hinc & inde aquis torrentes rapidissimi feruntur, & obuia quæque deturbant, ac secum voluunt; ita etiam impij legum transgressores contra probos conspirantes, quasi collectis viribus, in ipsos irruunt, atque eorum firmitatem & robur tentant, id contendentes, vt, si fieri possit, eos secum rapiant, & ad similem viuendi rationem pertrahant. Ex aduerso verò pij legis amatores, *qui diligunt legẽ, circundant sibi murum*, idest, ne illos vis, atque impetus impiorum abripiat, ac secum voluat, ipsammet legis obseruantiam, tanquam murum quendam fortissimum obiiciunt, quem nulla influentium aquarum vis prærumpere, aut labefactare possit. Et sanè de illis, qui legem, & mandata Dei sedulò peragunt,
Matth. 7. appositè ad hæc Christus Dominus Matthæi 7. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat super petram.*

34. Hieronym. D. Hieronym. in cap. 11. Ecclesiastes priora huius translationis verba explicuit hoc modo. *Opportunè, importunè suo tenore Dei sermo est prædicandus, nec fides tempore aduersariorum nubium consideranda tempestas, de quia in Prouerbijs dicitur: Sicut pluuia vehemens & inutilis, sic qui derelinquunt sapientiam, & impietatem laudant. Absque consideratione ergo nubium, & timore ventorum in medijs tempestatibus seminandum est: nec dicendum, illud tempus commodum, hoc inutile, cùm ignoremus, quæ via, & quæ voluntas sit spiritus omnia dispensantis.* Itaque sanctus Hieronymus putat in hoc loco eos, qui derelictis, desertisque pietatis documentis perniciosa dogmata auditoribus instillant, cum vehementioribus imbribus conferri, quæ recens sata semina denudant, & eas, quæ nondum altis radicibus coaluerunt, segetes conuellunt, & extirpant; idest, paruulorum mores subuertunt: robustos autem ac fortes legis obseruatores non impellunt, aut commouent: his enim ipsa legis obseruatio pro muro est, quo seipsos contra impiorum licentiam cingunt, ac muniunt.

5. *Viri mali non cogitant iudicium; qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.*

35. VIri mali, &c. Hebr. *Viri mali non intelligunt iudicium, & quærentes Dominum intelligent omnia.* Chaldæus. *Et qui requirunt coram Domino intelligunt omnia bona.* LXX. *Quærentes autem*
A *Dominum intelligent in omni.* Aquila, Symmach. & Theodot. *omnia.*

Huius loci sententiam ex ipso verborum sono exigunt interpretes: quasi dicat; hoc inter bonos, & malos interest, quod mali quidem de iudicio, id est, de probitate, & iustitia ne cogitant quidem: at viri probi, qui Deo placere cupiunt, tam iustitiam quàm iniustitiam, tam probitatem quàm improbitatem prorsus callent, atque adeò illam prosequi, & hanc vitare & declinare possunt. Cæterùm hæc interpretatio exanguis est.

Quapropter Salomonis mentem hanc esse reor. *Viri mali non cogitant iudicium*, idest, viri improbi, quamuis humana eruditione, & sapientia plurimum B valeant, nihil prorsus scire putandi sunt, quandoquidem ignorant ipsam honestatem & probitatem, cuius ignoratio summa insipientia est. *Qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia*, vel *intelligunt omnia*, idest, viri iusti, & recti, quoquot Deo placere student, hi certè, quamuis aliàs omni humana eruditione, & disciplina vacui sint, sapientissimi tamen existunt. Nazianz. in orat. 14. de plaga grandinis. *Prima*, inquit, *sapientia est vita proba, & honesta, Deoque perpurgata, vel certè se purgans.* (Nazianz.) Chrysost. homil. 54. in Genesim. *Iustorum conuersatio, & vita, totius Philosophiæ continet doctrinam.* Sed de hac numeris omnibus absolutissima viri probi, Deoque placentis sapientia absolutissimè agit idem Chrysostomus homilia 19. C in Epistola ad Colossens. *Nihil est eo sapientius, qui ex virtute se rectè gerit: vide enim quomodo sit philosophus.* Probat id Chrysostomus consequentibus verbis. *Diuinarum, & humanarum rerum cognitio est philosophia; ergo vir iustus rerum diuinarum & humanarum cognitionem habet: nouit enim quæ sunt res diuinæ, & quæ humanæ, & ab his quidem abstinet: illas verò exercet, & operatur.* Hæc ille. Ait ergo Salomon. *Qui autem inquirunt Deum, animaduertunt omnia*, idest, omnia norunt, & nihil ignorant, quia diuina, & humana prorsus callent.

D 6. *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quàm diues in prauis itineribus.*

HVius carminis prius hemistychium occurrit supra cap. decimo quinto, vers. 1. vbi sic habes. *Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quàm diues torquens labia, & insipiens.* Sed tamen in hoc loco, dum priora verba cum extremis conferuntur, diuersam reddunt sententiam. LXX. *Melior est pauper vadens in simplicitate, diuite mendaci.* Chald. *Quàm ille, qui peruersus est in via sua, & ipse est diues.* 36.

Interpretes hæc quoque verba capiunt, vt sonant, qui putant Salomonem eo tantùm spectasse vt paupertatem cum integritate vitæ, ac morum coniun- E ctam his diuitiis præferret, quibus improbitas, & impietas hæret. Cum illis certè sentio; tamen existimo sententiam huius carminis per omnia similem esse superiori, ita vt quemadmodum Salomon ibi hominem stolidum, & rudem, qui bonis operibus Deum promeretur, & illi se gratum præbet, longè sapientiorem esse affirmat illo, qui humana, & externa eruditione pollens turpiter viuit; ita etiam in hoc versu virum pauperem, qui innocentia, & vitæ integritate præditus est, longè ditiorem, ac copiosiorem esse doceat diuite iniquo, turpem, & inhonestam vitam agente. Itaque vox illa, *Melior est*, perinde sonat ac locupletior existit, vt sæpè aliàs in hoc libro cap. 3. *Melior est acquisitio eius auro,* &

& lapide pretioso, & cap. 12. *Melior est pauper & sufficiens*, &c. Psal 36. *Melior est modicum iusto super diuitias peccatorum multas*: & sæpè aliàs.

37. Et sanè vitæ integritatem, & honestam esse optimas hominis opes, & diuitias, quæ verè hominem locupletem efficiunt, innuit Paulus 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non altum sapere.* Et post pauca. *Diuites fieri in bonis operibus.* Quæ verba sic expendit Chrysost. in homilia ad Psalm. 111. *Scit*, inquit, *scriptura eas appellare diuitias, quæ sunt in bonis operibus, vt quando dicit, bona operari, & diuitem esse in bonis operibus: hæc enim sunt veræ diuitiæ: aliæ sunt nomine tantum, re autem ipsa carent*: & rursus homilia in Psalmum 10 ad illa verba. *Quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum*, sic attexit. *Est mundus verus, est etiam falsus. Quis est ergo mundus verus? qui est in anima: & quis est falsus? qui est in corpore: sunt diuitiæ veræ, sunt etiam falsæ: falsæ quidem pecuniarum, veræ rectè factorum: sed maxima pars hominum horum veritate relicta, quæ falsa sunt persequitur. Quemadmodum enim est homo verus, & falsus, verus quidem qui viuit, & operatur: falsus autem qui pictus est: ita etiam videre possumus in his, quæ dicta sunt.* Quia nimirum bona opera iustorum diuitiæ sunt viuæ, & actuosæ: atque adeò veræ & germanæ: at verò pecuniæ, & thesauri opes sunt demortuæ, & iacentes, atque adeò falsæ & adulterinæ. Locupletior ergo est vir probus ac simplex, qui nimirum viuis, veris, atque genuinis diuitiis abundat, quàm diues iniquus qui mortuis, pictis, falsis, ementitisque opibus affluit. Vide plura loco citato.

1. ad Tim. 6.

Chrysost.

---

7. *Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum.*

38. *Qui custodit*, &c. Hebr. *Et pascens comedones pudore afficit patrem suum.* Chald. *Et qui socius est comessatorum, exasperat patrem suum.* LXX. *Custodit legem filius intelligens, qui autem pascit luxuriam, inhonorat patrem.*

Est etiam omnium interpretum in hoc loco mens vna, qui verba ista capiunt, vti sonant, hoc sensu. *Qui custodit legem, filius sapiens est.* &c. idest, qui paret legi diuinæ, & ipsam sedulo peragit, hic filius sapiens est, atque adeò parentibus suis: qui filiorum suorum probitate efferri solent, gloriam, & splendorem adducit: *Qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum*, idest, qui acceptam hæreditatem cum comessatoribus & helluonibus decoquit, hic certè confusionem parit patri suo: quia nimirum in parentum ignominiam, & dedecus cedunt filiorum vitia. Cæterùm spiritu & sanguine caret hæc expositio, & prius hemistychium cum posteriori non consuit.

39. Ergo per *legem*, quam *filius sapiens custodit*, non vtique legem aut præcepta Dei in vniuersum capienda esse reor: sed hæreditatis portionem à parentibus acceptam, quam *legitimam* vocant: quod nomen ideò tulit, quia secundum legem tam naturalem, quàm diuinam, filiis debetur. Itaque lex hîc non communiter pro Dei mandatis, sed specialiter pro illa lege capienda est, qua Deus terram promissam inter familias distribuens alienationes vetuit. Et id tantum luxuriæ filiorum indulsit, vti traditas sibi portiones non tam diuendere, quàm elocare, & conducere possent, sub conditione redemptionis, eo, scilicet, pacto vt in anno Iubilæi ad familiam redirent. Sic habes Leui 25. ab illis verbis. *Terra quoque non vendetur in perpetuum*, &c. Adde etiam legem illam de successione filiorum in paternis bonis, quàm Moyses retulit ad populum, Num. 27. Itaque verba Salomonis sic accipio. *Qui custodit legem, filius sapiens est*, idest, qui legitimam suam, vel acceptam ex lege hæreditatem, & quam lex etiam retinere, ac minimè alienare præcipit, legi ipsi parens adseruat, nec profundit, is certè filius est sapientia insignis, atque adeò parentibus suis gloriosus: *Qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum.* Qui, scilicet, comessationibus, & compotationibus acceptam à patribus hæreditatem profundit, ad extremam inopiam redactus, dum inglorius, obscurusque mendicare, aut aliis inseruire compellitur, dedecore afficit parentes suos: quia nimirum eorum claritatem filiorum ignominia non parum offuscat. Hinc certè natum maximum illud gaudium, vel potius ouatio qua pater filium prodigum, & decoctorem ad se reuersum, & ex peregrinis regionibus reducem excepit, Lucæ 15. gaudebat enim bonus pater suæ gloriæ, splendorisque iacturas instaurari. Chaldæus habet. *Exasperat patrem suum*, id est, illi, si adhuc superstes sit, indignationem mouet maximam. Et quidem si de patre superstite sermo sit illa verba *confundit patrem suum*, ita exponi possunt Filius, qui comessatores & helluones alit, parentis sui bona exhauriens, illi inopiam, atque adeò pudorem, ignominiamque adducit.

Leuit. 25.

Num. 27.

Luc. 15.

---

8. *Qui coaceruat diuitias vsuris, & fænore, liberali in pauperes congregat eas.*

40. *Qui coaceruat*, &c. Hebr. ad verbum sic habent. *Multiplicans copiam suam in vsura, & augmento: ad miserescendum tenuium congregauit ea.* Chald. *Miserenti pauperum congregat ea.* LXX. *Qui multiplicat bona sua cum vsuris, & excrescentiis, ei, qui miseretur inopum, congregat eas.*

Lyra perperam dispungit locum istum: nam cum vocem illam, *liberali*, fœnori adiungendam putasset, ita quidem exposuit. *Qui ex vsuris & fænore liberali*, idest, qui ex lucris vltra sortem acceptis per liberalem donationem eius, qui mutuum accepit, fortunas suas auget, *in pauperes*, idest, contra pauperes, vel cum maximo pauperum detrimento, & iactura, *illas congregat*: nam diuites pecunias suas pauperibus fœnori dant, eosque fermè repetitis vsuris exhauriunt. Sed tamen vir Hebr. origines non consuluit, atque adeò alienam interpretationem inuexit.

41. Sunt igitur ex Hebr. nonnulli, qui verba ipsa primitiua vrgentes à nostra etiam Vulgata lectione abhorrentem interpretationem in hunc locum coniecerunt. Nam cùm sic legant. *Multiplicans copias suas per vsuras, & fænora, ad miserescendum pauperem congregat eas*, sic edisserunt. Quicumque diuitias, & opes cumulat, seu custodit, vt ex his pauperum inopiam misericorditer subleuet, is certè eas sine modo aliquo adaucto fœnore vsurisque in dies multiplicat: quidquid enim pauperibus dilargitur, ingenti fœnore cumulatum recipit. Quæ sententia non abit ab ea, quam supra cap. 16. discussimus. *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperi*, &c. lege ibi multa. Alij etiam ex Rabinis ita comminiscuntur. Qui contra ius fasque vsuris, & fœnore, fortunas suas auget, ea certè congerit, quæ, quia malè parta sunt, retineri non possunt, atque adeò vel dominis restituenda, vel in pauperes spargenda sunt. Cæterùm hæc omnia coacta videntur, & tum à nostra, tum etiam à Septuag. lectione prorsus aliena.

42. Vox ergo illa *liberali* ad sequentem orationem aptari debet, & versus comate sic incidendus est *Qui coaceruat diuitias vsuris & fænore, liberali in pauperes*

congregat

A *congregat eas*, idest quicunque per iniuriam iniquis vsurarum, ac fœnorum lucris, fortunas suas auare cumulat, is certè nequaquam illis perfruetur, cògestas ab ipso opes Deus ad illum trásferet, qui in pauperes liberaliter ipsas profundit. Eundem sensum reddunt translatio LXX. & paraphrasis Chald. quas supra dedi. Sententia autem est verissima, & diuinæ prouidentiæ iustissimam dispositionem, ac legem cõtinet, quæ cùm diuites fortunarum, & diuitiarum velut œconomos, ac dispensatores præfecerit, vt eas pauperibus dilargiantur, meritò quidem illas auaris eripit, & liberalibus concredit: quia munus dispensatorum exercent. Sed tamen hæc valde sunt perspicua, atque adeò illustratione non egent.

9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis.*

44. QVi declinat, &c. Hebr. *Remouens aurem suam ab audienda lege, oratio eius abominatio.* Chaldæus. *Qui obturat aurem suam, ne audiat legem.* LXX. *Et ipse orationem suam abominabilem fecit.* Aquila, Symmac. & Theodot. *Et iam oratio ipsius abominatio.*

Huius etiam loci sententia est luculenta. *Qui declinat*, inquit, *aures suas ne audiat legem*, idest, qui de industria, & ex studio aures suas auertit, ne Dei legem exaudiat, & auditam impleat, huius certè orationem, & preces abominabiles, ac detestabiles ducet Deus. Quasi dicat: par refert Deus: & quemadmodum improbi Dei legem audire, ac peragere ex contemptu noluerunt: ita etiam Deus eorum preces audire, & postulatis acquiescere per summam despicientiam abnuet, *Oratio*, inquit, *eius erit execrabilis*, vel, vt habent Primitiua, *erit abominatio*, idest, ipsa execratio ac detestatio. Maximum sanè supplicij genus est ea, quibus placari debuerat, per summum tædium, & fastidium à Deo auersari ac respui. Huic simile est illud Psalmi 108. *Cum iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum.* Quæ verba acutè expendit Chrysost. homilia in eum Psalm. *Eum solum, qui ei relictus fuerat, portum obstruit, rogans vt ne Dei quidem assequatur clementiam, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum.*

Psalm. 81. Chrysostom.

45. Et sane nisi ad orationem opera accedant, & legis diuinæ exacta obedientia, oratio Deo placere nequaquam potest. Auctor Imperfectus in Matthæum homil. 18. *Si opera iustitiæ non facis, idest: si non pulsas, nec orare ex fide potes: nam virtus orationis est opus iustitiæ: oratio autem quasi odor suauitatis est operis boni, sicut ergo res sine bono odore esse potest, odor autem bonus sine re aliqua esse non potest; sic opus sine oratione aliquid est, oratio autem sine opere bono nihil est: & si oras, non ex fide oras. Nam sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur, sic fides orationis non quidem ex opere nascitur, sed per opera enutritur.* Quomodo igitur non abominabilis, & execrabilis Deo oratio illa, quam bonorum operum aromata, tanquam gratum odorem, non spirant, sed scelerum potius, ac peccatorum fœtores, veluti tetrum odorem, exhalant? Rursus idem Imperfectus homil. 15. sic habet. *Sicut oleum accendit lumen lucernæ: ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ apud Deum orandi.* & infra. *Ille orat, qui iam non peccat: qui autem rogat & peccat, non tam rogat Deum, quàm deludit Deum.* Ergo ne placebit Deo sua ipsius irrisio? an non potiùs irrisores detestabitur?

Imperf.

46. Sed audiendus etiam de hac thesi D. Ambr. in c. 4. Apocal. vbi expendens illa verba Pauli, *sine intermissione orate*, quosdam esse ait, qui crebras ad Deum orationes, & preces fundunt, & laudes illius passim vsurpant: tamen superbia, odio, inuidia, & aliis vitiis Deo inuisis inquinantur: de his verò sic scribit. *Ad istorum cæcitatem demonstrandam quandam similitudinem proponam. Homo quidam vsque ad collum defixus in limo tenebatur: cumque vidisset quendam prætereuntem extendens manum clamabat dicens, Miserere mei, & extrahe me ab hoc luto. Cumque manum porrigeret, vt ipsum extraheret: iste manum, quam extenderat, sub luto demersit. Cumque ille, qui ad extrahendum venerat, recedere vellet: iste iterum, vt erueretur, postulabat: Cumque ille secundo ad eruendum manum extenderet: iste sicut prius manum sub luto demersit. Cumque crebrius hoc faceret, ille iratus dixit: cur petis vt eruaris,* B *cum in tuo periculo persistere velis? Et quia interitum tuum diligis, posside quod elegisti. Similiter isti Deum deprecantur assiduè, vt à vitiis eruantur, & tamen ipsa vitia ita amplectuntur, vt ab eis nullo modo diuelli possint.* Et subinde post pauca sic attexit. *Ille ergo sine intermissione orat, qui congruis temporibus mente, & lingua Deum deprecatur, & in bonis operibus assiduus est: Ita nimirum vt quando mens, & lingua ab oratione vacant, opera ipsa intercedant. Imo quando dormit, aut aliquibus humanæ naturæ operibus occupatus est, opera eius refulgent in conspectu Dei, & ipsa sunt intercessores eius apud Deum.* Quid illustrius? Iam igitur ad nostrum redeamus institutum. An non erit illius oratio abominabilis, & execrabilis Deo, manus suas pec- C catorum ac scelerum luto, fæcibus infectas leuat, imò potius non leuat; sed tunc cùm diuinam opem exposcit, eas sordibus istis altius immergit, infigitque?

Ambros.

Denique D Gregorius lib. 18. Moral. cap. 5. appositè ad hanc sententiam sic scribit. *Grauiter vnusquisque confunditur, quando mandata Dei, quæ legendo vel audiendo respicit, viuendo contempsit. Hinc enim Ioannis voce dicitur, Si cor nostrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, ab eo accipiemus. Quasi diceret: si id quod præcipit facimus, id, quod petimus, obtinebimus. Valde namque apud Deũ vtraque hæc sibi necessariò congruunt, vt & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Hinc enim Hieremias ait:* D *Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos: corda cum manibus leuat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor leuat, & manus non leuat: quisquis verò operatur, & non orat, manus leuat, & cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cùm sibi prauitas nulla contradicit: & tunc etiam fiduciam in oratione abiicit, cum prauitas operum orationem oppugnat.* Frustra hic plura. 47. Gregor.

10. *Qui decipit iustos in via mala, in interitu suo corruet: & simplices possidebunt bona* E *eius.*

SIc exhibetur locus iste in Vaticanis; plures antiqui codices habebant tantummodò. *Et simplices possidebunt.* In Primitiuis est ad verbum *Errare faciens rectos in viam malam, in foueam suam ipse cadet, & integri hæreditabunt bonum.* Chaldæus *in foueam cadet, perfecti autem, & immaculati hæreditabunt bona.* LXX. *Qui seducit rectos in viam malam, in corruptionem ipse incidet, iniqui autem transibunt bona, & non ingredientur in ea.* Aquila, & Theod. *Et simplices obtinebunt bona.* 48.

Duplex huius loci interpretatio sese offert; altera est communis asserentium sententiam huius versus cum ea prorsus concinere, quam supra habes cap. 26. *Qui fodit foueam, incidet in eam.* de qua supra multis

multis diximus, ita vt sensus sit. *Qui decipit iustos in via mala*, &c. idest, qui suis dolis ac technis viros rectos, & simplices à via recta deductos perdere, & in caueas, foueasque agere transuersos studet, ipse quidem dolis suis peribit, & in foueas, quas aliis aperuerit, incidet: *Ac simplices possidebunt bona eius.* Hæc verba cum superiori sententia non satis cohærentia videntur; tamen illa sic innodare contendunt. Viri autem simplices, & doli expertes, impio pereunte bonis illius potientur, quia nimirum dicta bona ab ipso erepta, probis, ac iustis Deus largietur. Sic Iansenius, Rodolphus, Caietanus, & alij. Sed tamen hæc interpretatio inanimis iacet, atque adeò eam excitare, ac spiritu donare oportet.

49. Existimo igitur Salomonem loqui de eo, qui per dolos, & fraudes, hominum simplicium, & doli expertium, fortunas vsurpare apud se cogitat, atque illi consonam sceleri suo pœnam minitatur hoc sensu. *Qui decipit iustos in via mala.* idest. qui iuxta animi sui prauum institutum simpliciores fallit, vt bona illorum contra ius fasque sibi assumat, is certè in interitu suo corruet. Hebr. *In foueam suam ipse cadet.* idest, quam ipse contra simplices tentabat perniciem, sibi ipsi accerset. Nam *simplices hæreditabunt bona eius*, idest, viri simplices ac minimè fallaces, versa vice fortunis eius potientur. Hæc enim sunt diuinæ prouidentiæ dispositiones mirificæ, quæ versutos homines in astutia sua captat, & imposturas, quas aliis facere parant, in ipsorum perniciem vertit. An non Amani astus Mardochæi simplicitatem fallere, ac demoliri tentauit? Ita prorsus: sed dùm ipsum ab Assueri gratia excidere, atque emori insidiosè curabat, ex aduerso factum, vt pro Mardochæo Aman periret, & in Assueri gratia, qua diu vsus fuerat, Amano succederet Mardochæus. Nec dissimilia his exempla alia passim obseruare licet, quæ huius veritatis fidem faciunt, & diuinæ prouidentię attentam, accuratamque in rebus humanis administrandis solertiam apprimè declarant.

50. Septuaginta interpretum alia mens est. *Qui seducit rectos in viam malam, in corruptionem ipse incidet.* Hæc non dissident à Vulgatis; corruptionem enim appellat dolum seu corruptelam fraudulentam. Subnectit. *Iniqui autem transibunt bona, & non ingredientur in ea.* idest, proximè erunt, vt simpliciorum fortunis potiantur, & tamen ea minimè capessere poterunt, ita vt illis bolum è faucibus ereptum dicere liceat, eosque tibi quasi Tantalos quosdam cogitare fas sit, queis scilicet aqua fugax ipsamet labra attingat, sed non perluat. optimè Basilius in Homilia de diuitiis, & paupertate. *Fluxa est*, inquit, *diuitiarum natura, torrenteque citius eos apud quos est, præterlabitur. Nam alias aliud herum solent permutare, & perinde ac fluuius ille, qui ab alto fertur, appropinquare solet, bisque cum ripa adstant, sed simul vt eos attigit, de repente secedit; sic etiam diuitiæ celerrimum ac lubricum habent accessum.* Basil.

51. Vel aliter. *Iniqui autem transibunt bona*, &c. Audi Augustinum. *Despiceris tu pauper, quia speras quod non vides, & despicit te diues, quia quasi tenet quod videt. Noli turbari, attende, si tenet, labitur hoc ab illo quod tenet, vel ipse ab eo quod tenet. Necesse enim est transeat, aut ipse per res suas, aut res ipsæ per illum. Per quem transeunt res suæ? Per eum qui viuus labefactatus erit*, idest, qui viuus perdit res suas. *Quis transit per res suas? qui in diuitijs moritur; quia cùm moritur non eas secum aufert ad inferos. Domum meam habeo iactabit se; Quæris, quam domum tuam? quam mihi dimisit pater meus. Et ille, Vnde habuit hanc domum? auus noster illi eam dimisit. Recurre ad proauum, inde ad atauum, & iam nomina non potes dicere. Nonne inde potius terreris, quia multos attendis transisse per illam domum, & neminem illorum secum illam tulisse ad æternam domum? Pater tuus hic etiam dimisit, transiuit per illam: sic & tu transibis. Si ergo transitum habetis in domo vestra, statio est itinerantium, non habitatio commanentium.* Habes inde Salomonis sententiam. *Iniquitatem autem transibunt bona, & non ingredientur in ea*, scilicet ad manendum, & commorandum. Quasi dicat: etiam si bona illorum stabilia sint, ipsi tamen decedent, & ea aliis relinquere cogentur, atque adeò nulla fortuna constantiam ac firmitatem habet in hoc sæculo. August.

---

11. *Sapiens sibi videtur vir diues; pauper autem prudens scrutabitur eum.*

52. Sapiens sibi videtur, &c. Hebr. *Sapiens in oculis suis vir diues: & tenuis intelligens* יחקרנו *Iach kerenu*, idest, *perscrutabitur eum*, ex radice חקר *Chakar*, quæ significat *inquirere, perscrutari, explorare.* Et sanè triplex virtus huius verbi; significat enim vim illam, qua canes pollent ad vestigia sectanda; dicitur etiam de aurificibus, qui metallorum pondera trutina explorant: aut etiam de exploratoribus, qui regiones inimicorũ obeunt, vt eorũ insidias, aut dolos deprehendant. Harum significationum exempla ex Lexicis pete. Ergo Chaldæus sic habet. *Et pauper prudens contemnit eum.* Tigurina. *Et pauper pridem explorat eum.* LXX. *Sapiens apud se vir diues, pauper autem intelligens condemnabit eum.* Aquila, Symmachus, & Theod. *Scrutabitur eum*, vt est in Vulgatis.

53. Caiet. Prima expositio est Caietani ad hunc modum. *Sapiens sibi videtur vir diues.* Quia nimirum diuitiæ illum vsque adeò inflant, vt quos sibi copiis inferiores videt, sapientia quoque impares putet. Tum etiam, quia adulatores hoc illis falsò persuadent, dum eorum tum dicta, tum facta in cœlum vsque vehere solent: iuxta illud Ecclesiastici: *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent*, &c. Subtexit. *Pauper autem prudens scrutabitur eum*, idest, vir tenuis acumine intellectus vrgens ipsum mente explorabit sua, & ipsum desipere ac stolidum esse certissimè comperiens eum contemnet, ac facilè seipsum illi præferet. Huic expositioni inseruire videtur paraphrasis Chaldaica, quæ sic habet. *Et pauper prudens contemnit eum.* Et sanè iuxta hanc interpretationem duplex sententia conformari potest; aut enim Salomon suadet diuitibus, neu vana, & inani sapientiæ opinione apud se tumeant, quandoquidem vel ipsi pauperes, ac tenuissimi homines eos apud se taciti contemnunt, atque eorum insipientiam stuporemque coarguunt. Aut certè pauperes alloquitur, illisque præcipit, vt si sapiant, diuites nequaquam admirentur, sed magis eos tanquam stultos, & vecordes, ex animo despiciant, atque eisdem sese opinione sua præferant. Eccl. 13.

54. Chrysost. Et quidem pauperes ferme sapientiores ac prudẽtiores esse diuitibus nemo ignorat. Chrysost. Homil. in Psalmum. 4. sic ait. *Quod si Deus sinit aliquos degere in mendicitate, & inopia, id facit vt animam illorum corrigat sapientiæ studiosiorem efficiens. Sciatis enim sciatis apertè quod diuitiæ quidem sunt vitiorum, & errorum ministræ; paupertas autem mater Philosophiæ. Idque res ipsa indicant quotidie quod pauperes sunt diuitibus prudentiores, & sapientiæ amantiores.* Quod si paupertati sapientia desit, importabilis certè redditur. Idem Chrysost. in Homil. 1. de Lazaro. *Nulla*, inquit, *oratio possit assequi cruciatum, quem sustinent hi, quibus cum paupertate res est, si nesciat vti Philosophia.* Ergo Salomon sic ait. *Pauper autem prudens contemnit eum*, idest, diuitem. Quasi dicat: tu quisquis paupertate

tate oppressus indiges, prudens esto, sapientiam, prudentiam, imò, & Philosophiam tibi acquire, atque his instructus diuitem præ te nihili facies.

55. Vatab. Secunda interpretatio est Vatabli. *Sapiens sibi videtur vir diues*, quia nimirum eum dicentem cuncti suspiciunt, qui diuitias admirantur, atque adeò diuitibus placere cupiunt. *Pauper autem prudens scrutabitur*, vel, *explorabit eum.* idest, pauper ille, qui sapit, atque adeò sua sorte contentus est, diuiti placere, & arridere non curans, ipsius dicta examinare, & quidquid insipienter exciderit, confutare ac refellere non veretur. Itaque secundùm hanc expositionem significat Salomon, adulationem, & assentationem eorum esse, qui diuitias potentum suspiciunt ac magni faciunt: at verò pauperes prudentes ac diuitiarum contemptores nihil diuitibus deferre solitos, & ab omni assentatione longissimè abhorrere. Quid certius? Hieronymus libr. 1. in Matthæum sic habet. *Hoc intelligendum est quod tantæ paupertatis fuerit Christus, & ita nulli adulatus sit, vt in vrbe maxima nullum hospitium, nullam inuenerit mansionem.* Quasi dicat, ideo nemini adulatus est, quia diuitias aspernabatur, & paupertatem adamabat.

56. Rodolph. Tetia expositio est Rodolphi, quam ipse Hebræorum Rabbinis acceptam refert ad hunc modum. *Sapiens sibi videtur vir diues.* idest, homo auarus, & ad opes anhelus, augendarum opum industriam,, & artem, optimam maximè nobilem sapientię partem esse putat, atque adeò sapientissimum se ęstimat, quia eam artem præclarè tenet. *Pauper autem prudens scrutabitur eum.* idest, pauper spiritu; (hîc enim pauper verè sapit, ac prudens est) scrutando mentem illius, redarguet eum, quia nimirum aliam longè digniorem ac nobiliorem sapientiam, & scientiam esse credit, quæ in diuitiarum contemptu posita est: hæc enim sine fortunis fortunatos, & sine diuitiis beatos efficit. Sed de hac thesi aliàs non semel diximus. Audi Senecam in Epist. 119. ab illis verbis, *Docebo*, inquit, *quomodo fieri diues celerrimè possis, ad maximas te diuitias compendiario ducam*, &c. scilicet per contemptum earum. Non probo.

Seneca. Epist. 119.

57. Quarta interpretatio nonnullis etiam arridet, quę sic habet. *Sapiens sibi videtur vir diues.* idest, homo qui diuitiis congerendis sedulam operam impendit, eam scientiam, & artem se tenere putat, qua per dolos, & fraudes simpliciorum, & pauperum fortunas corradere, & suis accumulare possit. *Pauper autem prudens scrutabitur eum.* idest, si pauper non stolidus prorsus ac stupidus, sed modicè tantum prudens sit, diuitis astus, & dolos assequetur, atque illos declinabit. Huic verò sententiæ accommodandam putant lectionem illam, *pauper prudens inuestigabit eum*, Canis ad instar sagacis, illius fraudes, quantumlibet imo in pectore absconditas, subodorabitur, atque in apertum adductas, retectas assequetur, captabit, perimet. Certè diues cogitat apud se vsuras, & fœnora. At quid vsuræ? Basilius in Homilia in Psalm. 14. fœnoris naturam leporum similitudine præclarè describit. *Lepores aiunt eius esse natura, vt simul pariant, & nutriant, & superfœtent; sic & fœneratoribus pecuniæ simul tempore & dantur ad vsuram, & gignunt, & superfœtant.* Atque inde fœnus à fœtu & partu appellatum censet Basilius. Igitur eiusmodi lepores latebras quærentes, idest, diuitum vsuras, quarum pactiones arcanò, & secretò semper fiunt, pauper catus ac prudens, sagacis instar canis, vestigiis suis insectatur, & fugat, dum se fœnori obnoxium fieri nunquam sustinet.

Basil.

58. Quinta expositio est aliorum, qui putant Salomonem hoc diuitibus suadere, ne altum sapiant, neu de sua vel sapientia, vel probitate, inani concepta opinione efferantur, sed se totos pauperum examini permittant. Et sanè huic expositioni accommodandam putant alteram illam lectionem, quæ sumitur ab eo, qui libra pondera examinat, ita vt sit sensus. *Pauper autem prudens scrutabitur*, vel, *examinabit eum.* Quasi dicat; Homo diues si sua se opinione & æstimatione metiatur, sapientia & probitate insignem putabit se, attamen quis ille sit, examinare, & quasi ad libræ amussim exquirere pauperis proprium est. Quod perinde est ac si dicat; Diuites non à semetipsis suæ probitatis opinionem petere debēt, sed à pauperibus: tunc enim probos se æstimare meritò poterunt, cùm his meritò probabuntur. Nam diuites non aliter boni, atque iusti esse possunt, nisi in pauperes benefici sint, atque adeò eorum gratiam promereantur. Hinc est illud Chrysost. in Homilia de diuitiis & paupertate. *Diues siue bonus, siue malus in pauperum conscientijs apparet, talis eris, qualem te æstimant pauperum greges.* Chrysost.

59. Cæterùm quamuis ex præscriptis expositionibus aliquæ satis idoneæ sint, tamen sexta expositio mihi magis probatur, quam offert nobis translatio LXX. *Sapiens apud se diues: pauper autem intelligens condemnabit eum.* Hanc enim vim habere puto vocem illam *scrutabitur:* sumitur enim antecedens pro consequenti, scilicet inquisitio rei, quæ ante damnationem præmitti solet, pro ipsa damnatione. Itaque sensus est, Diues sæpius sibi ipsi placet, & iustum se ac probum æstimat; tamen non standum illius iudicio & arbitrio, sed pauperis pij atque iusti; hunc enim Deus diuiti iudicem præfecit, vt cum ex hac vita decesserit, causam illius seriò perscrutetur, eumque vel absoluat, vel damnet. Et sanè pauperes diuitum seueros iudices futuros significauit Christus Dominus Matth. 19. qui Apostolis ita obiicientibus, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* voluntariæ paupertati talem gratiam reddendam asseuerat. *Amen dico vobis, quod vos, quid sequuti estis me in generatione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis, sedebitis & vos super sedes duodecim*, &c. Item Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (Recipere autem in æterna tabernacula eorum videtur, qui ibi præsident.) Sed audiendus Ambr. lib. 1. Offic. cap. 11. *Nihil*, ait, *tam commendat Christianam animam, quàm misericordia, primum in pauperes, vt communes iudices partus naturæ, quæ omnibus ad vsum generat fructus terrarum.* Et communes iudices appellat pauperes Ambrosius, ad quos spectat de his quæ natura suppeditante accipimus bonis, rationem apud Deum exposcere. Et certè nostræ saluti non parum prospexit Deus Optimus Maximus, cùm tales nostræ causæ iudices præfecit, quorum gratiam donis promereri, ac seueritatem muneribus corrumpere & possimus, & debeamus. Accinit etiam D. Gregor. Homilia 40. in Euangelia, vbi sic habet. *Solerter agite, culparum vestrarum intercessores quærite, atque aduocatos vobis in die iudicij pauperes procurate.* Et subinde. *Ecce importunè si pauperes offerunt, negant nos qui tunc pro nobis intercessores, ac iudices venient. Certè nos omnino rogare debuimus, sed tamen rogamur. Videte si negare debemus quod petimur, quando patroni sunt qui petunt.* His perquam similia videre licet in aliis Patribus.

Matth. 19. Luc. 16. Ambros. Gregor.

12. *In exultatione iustorum multa gloria est; regnantibus impijs, ruinæ hominum.*

IN exultatione, &c. Hebr. *In surgendo impios inuestigabitur homo.* Verbum est חפש Chapas, quod 60.

quod significat *inuestigare*, & *scrutari*; aliquando etiam *mutare*. Ex hac significatione petita est nostra lectio, quæ pro mutationibus fortunæ *ruinas* subiecit. Caietanus. *Et surgentibus impijs mutabitur homo.* Chald. *Quando lætantur iusti multa est pulchritudo, & cùm surgunt impij, inuestigatur filius hominis.* Tigurina. *Exploratur homo.* LXX. *Per auxilium iustorum multa fit gloria, in locis autem impiorum capiuntur homines.*

Vatabl. Prima interpretatio est Vatabli, quæ cùm extrema verba sic extulisset. *Et surgentibus impijs explorabitur homo*, sic demum locum edisserit; Cùm probi ac iusti homines clauum reipublicæ tenent, maxima est fœlicitas & beatitudo: in tanta autem fœlicitate nō probatur, aut examinatur piorum virtus. Quod si imperij summa ad impios redigatur, tunc quidem explorabitur ciuis probus, idest, illius probitas, qualis sit, agnoscetur; nam si tunc cùm acceptis ex imperio viribus triumphat impietas, ipse nihilominus pietatem seruauerit, & probitati nihilosecius studuerit, immēsa quodammodo illius bonitas cōprobatur. Si enim, vt ait Gregorius, inter quoslibet passim malos bonum esse *immensæ bonitatis est*, quia nimirum improborum exempla maximam vim habent ad flectendum cuiuslibet etiam rigidissimæ mentis propositum; certè plus quàm immensæ bonitatis erit, tunc probum esse cùm improbi imperant; quandoquidem imperantium exempla violentius homines impellunt. Itaque, liceat sic dicere, cuiuslibet, alterius hominis bonitatem metiri licet; eius verò, qui regnantibus improbis bonitatis tenax est, haud mensurari probitas potest. Nam, vt ait Plutarchus in Politicis, *Mensura boni ciuis lex est*, per quam mensuram cuiuslibet optimi ciuis probitas recensetur. Atqui impiis regnantibus omnis temeratur atque effringitur lex. Quapropter qui tunc boni ac pij ciues existunt, absque mensura certè boni sunt, atque eorum probitatem immensam dicere æquum est.

61. Rodolph. Rodolphus ad hanc expositionem proximè accedens, & lectionem illam amplectens, *surgentibus impijs inuestigatur homo*, sic ait; Cùm improbi euecti fuerint ad publicos honores tantus dolor ciuitatem occupare solet, vti sese occultent omnes, & nemo in publicum libenter prodeat. Hanc vim habet, inquit, illud *inuestigabitur homo*, idest, requiretur homo aliquis publicè, nec inuenietur. cæterum hæc expositio sale caret; aptius sic diceret; Cùm impij rempublicam gesserint, omnibus ad iniustitiam & improbitatem conspirātibus, inuestigabitur vir aliquis probus, qui hominis sit dignus nomine, nec tamen illum inuenire licebit. Succedat memoriæ illud Diogenis lepidum factum apud Laërtium lib. 6. *Qui quodam tempore lucernam laterna inclusam gestans obambulabat in foro clarissima luce quærenti similis. Rogantibus quid ageret? Hominem, inquit, quæro, notans scilicet publicos ciuitatis mores ne homine quidem dignos esse.* Hoc enim tunc vel maximè contingit cùm impij regnant: ita ciues corrumpi solent.

62. Caiet. Caietanus locum istum sic conuertit. *Et surgentibus impijs mutatur homo*, exponit autem ad hunc modum; Cùm probi, ac iusti imperant, omnes fœlices ac beati sunt; at cùm impij florent ac regnant, homines passim intus extraque mutantur; nam sibi timentes negotia intermittunt, & agendi viuendique rationes antiquas deserunt. Iacet etiam hæc interpretatio: potest autem sic excitari? Improbis imperia magistratusque gerentibus ne vnus quidem homo est qui non mutetur, & antiquos mores deserat; tum quia omnes viuendi licentiam nacti ab antiqua probitate sponte excidunt, tum etiam quia hominis ingenium valde mobile ad imperantium nutum semper conuertitur. Vnde Sosipater apud Stobæum in serm. 46. sic ait. *Quisnam adeò quadratus est qui per omnem fortunæ rerum ac imperiorum mutationem firmiter consistat, accommodans se Principibus ac subditis, ac sibi ipsi concilians cunctos, & omnem vbique differentiam ad vnam rationem connectens?* Nemo scilicet. Pende illa verba, *quisnam adeò quadratus*, qui nimirum vtcumque versatus & iactatus, tanquam corpus aliquod quadratum, rectus cadat, ita vt mutatis imperiis ac Principibus, immutabilis nihilominus ipse maneat.

Tamen satius est præfatam lectionem ad Vulgatæ translationis sensum vocare. *Regnantibus impijs ruina hominum:* Nam illud *mutatur homo*, de mutationibus fortunæ capiendum puto, hoc modo? Quando probi homines magistratus gerunt, omnes fortunati ac fœlices sunt; cùm scelerati habenas imperij moderantur, multorum conuersiones ac ruinæ passim eueniunt. Nam inter bonos ac malos Principes, inter iustos ac tyrannos hoc interest, quod iusti ad bonum commune spectantes fœlicitatem ciuium procurant; impij verò & tyranni suum ipsius commodum etiam cum aliorum detrimento contendunt, vt tradit Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 10. Nequit. n. tyrannis stare sine multorum ruinis, quippe quæ aliorum detrimentis ac damnis sibi firmitatem parat, vt docet inibi Philosophus: Nam propria tyrannis atque iniustis Principibus hæc esse dicit, *Arma ciuibus adimere, multitudinem populi conculcare, ac ex vrbe pellere, & vacuam habitatoribus vrbem reddere, vexare nobilitatem, clàm euertere, & palam, & in exilium pellere tanquam aduersarios & machinatores contra potentiam suam: vnde Periandri consilium Thrasybulo datum supereminentes spicas decerpere quàm opportunum fuerit, idest, eminentiores ciuium de medio tollere.* Hæc Aristoteles, quæ quantas rerum conuersiones & mutationes improborum imperium afferat præclarè ostendunt. 63. Arist.

Ad extremum subiicienda alia interpretatio, quæ cuipiam fortasse arrideat. *In exultatione iustorum multa gloria est*, &c. idest, florentibus & imperantibus iustis fœlix ac beatum est illis patere: at cùm improbi imperia dirigunt, & sceptra capessunt, *mutabitur homo*, idest, vir prudens, ac suis rebus consulens, inde mutabitur, & ad alium, si fieri potest, Principem transibit. Nihil enim grauius quàm Principem iniustum sustinere, atque adeò prudenter agit quisquis illum declinat, cùm potest, & ad alium sese transfert. 64.

---

13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

Qui abscondit, &c. Hebr. *Tegens præuaricationes suas non prosperabitur*, &c. Chald. *Miserebitur eius Deus.* LXX. integrum locum sic reddiderunt. *Qui cooperit iniquitatem suam, non prosperabitur: qui autem narrat redargutiones, diligetur.* Aquila & Thod. *qui confitetur redargutiones.* Symmac. *Qui enuntiat redargutiones, prosperabitur.* 65.

Hugo, Dionysius, Rodolph. Caiet. Iansenius, & alij non pauci, verba isthæc de sacramentali Confessione exponunt hoc sensu. *Qui abscondit scelera sua*, scilicet Confessario, *non dirigetur*, i. auersus à Deo cùm sit per culpam, nequaquam ad Deum conuertetur; hæc. n. sola conuersionis causa est; hæc sola distortum animum ad rectitudinem adducere potest; hæc sola hominem per auia deerrantem ad viam rectam restituere valet. Hanc vim habet verbum illud *dirigetur*. Subdit. *Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*, idest, qui delicta sua sacerdoti aperuerit

Plutarch. Laërtius. Stobæus.

aperuerit cum propoſitio relinquendi, Dei miſericordiam, hoc eſt, veniam delictorum impetrabit. A
Chryſoſt. Chryſoſt. in Hom. 20. de Confeſſione. *Apud iudicem bonum confeſſio mater eſt indulgentiæ.* Mater, inquam, indulgentiæ ac miſericordiæ, quæ etſi videatur cum dolore ac cruciatu maximo eniti, fœlix tamen illius
Tertul. partus, quia miſericordiã Dei enititur. Sed audi Tertul. in lib. de pœnitentia. *Itaque exomologeſis proſternẽdi & humilificandi hominis diſciplina eſt, conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem.* Et perbreui interſtitio. *Hæc omnia exomologeſis vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Deum honoret, & in peccatorem ipſa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur.* Pende extrema verba, id eſt, hoc pœnitudinis ac confeſſionis proprium, vt diuinæ indignationi vices eripiat, & B dum homo in ſemetipſum ſæuit, ac ſeipſum teſtimonio ſuo damnat, iram Dei præuertens nihil huic iræ peragendum relinquat. Subnectit, *& temporali afflictatione æterna ſupplicia, non dicam fruſtretur, ſed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat; cùm ſqualidum facit, magis mundat; cùm accuſat, excuſat, cùm condemnat, abſoluit. In quantum non peperceris tu tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* Hæc Tertullianus, quæ facilè declarat, quantam vim habeat peccatorum confeſſio ad Dei miſericordiam, & veniam promerendam.

66. Sed licet hæc expoſitio apta ſit, ac dici poſſit iam tunc Salomonem de Confeſſionis ſacramento, quod poſtea à Chriſto Domino inſtitutum fuit, vaticinatum fuiſſe, tamen (ni mens mea me fallit) huius loci C
Gregor. germanam ſententiam aſſequutus eſt D. Gregorius Magnus lib. 22. cap. 10. ad illa verba Iob. *Et celaui in ſinu meo iniquitatem meam. Qui abſcondit*, inquit, *ſcelera ſua non dirigetur, &c. Sed inter hæc ſciendum, quod plerumque homines & culpas confitentur, & tamen humiles non ſunt. Nam multos nouimus, qui arguente nullo, peccatores ſe eſſe confitentur, cùm verò de culpa ſua fuerint fortaſſe correpti, defenſionis patrocinium quærunt, ne peccatores eſſe videantur. Qui ſi tunc cum id ſponte dicunt, peccatores ſe eſſe veraci humilitate cognoſcerent, cùm arguuntur ab alijs, eſſe ſe quod confeſſi fuerant non negarent.* Ex quibus verbis conſtat Gregorium iſta verba non de confeſſione illa per quam ſce- D lera apud Sacerdotem deponuntur, hæc verba accepiſſe; ſed de illa, qua quis reprehenſus, obiurgatuſque admiſſas culpas nõ diffitetur, ſed quam primum aperit ac reuelat ſuperiori. Itaque ſenſus eſt, *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur.* qui ſcilicet perpetrata delicta celat, non poteſt dirigi. i. etiam ſi corripiatur & obiurgetur ſeuerius, non tamen emendabitur & ad rectitudinem adducetur. Vel, vt habent Septuaginta, & alij, *non proſperabitur.* i. non erit impunis; vulgò diceremus, *noſe ira alabando.* quia ſuperiorum auctoritas cum illis ſeuerius agere, & in illos acrius animaduertere ſolet, qui admiſſas culpas abnegant pertinaciter. *Qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam cõſequetur.* i. qui alicuius criminis in- E ſimulatus ſtatim annuerit, ac ſe culpæ reum falſus illam ſe relicturum ſpoponderit, miſericordiam ſuperiorum ad ſe flectet.

67. Falſum, inquies, hoc in ſecularibus iudiciis, in quibus ille, qui ſua ſe confeſſione reum declarat, ſemper damnatur, ſed tamen in Eccleſiaſticis iudiciis, quæ recta magis ac iuſta ſunt, & digniorem auctoritatem habent, omnino verum. Eccleſia. n. hæreſis, apoſtaſię, & aliorum id generis grauiſſimorum criminum reos, ſi delicta ſua nequaquam diffiteantur, peramanter recipit, & pœnarum rigorem extenuat; & quia his miſericordia impendi conſueuit, ideò cùm obiecta ſibi delicta confitentur, miſericordiæ ſeſe dedere ac permittere vulgò dicuntur: In eos verò qui pertinaciter abnegant, grauiſſimè ac ſeueriſſimè animaduertit Eccleſia. Et ſanè hoc iudicij genus iuſtum magis & cum ratione conforme exiſtit; primò quia ipſa ſceleris confeſſio nõ minima delicti compenſatio eſt. Tertul. loco citato. *Tantum*, inquit, *reuelat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat: confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ.* Tertul.
Deinde etiam delicti confeſſio reſipiſcentiæ præcipuum ſignum eſt. Seneca in Epiſt. 53. ad Lucillum. Seneca.
Quare, inquit, *vitia ſua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis eſt: ſomnum narrare vigilantis eſt, & vitia ſua confiteri ſanitatis indicium eſt. Expergiſcamur ergo, vt errores noſtros coarguere poſſimus; ſola autem nos philoſophia excitabit, ſola ſomnum excutiet grauem:* Et rurſus Epiſt. 56. *Omnia*, inquit, *vitia in aperto leniora ſunt. Morbi quoque tunc ad ſanitatem inclinant cùm ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt. Et auaritiam itaque, & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ tunc perniciosiſſima ſcias eſſe, cùm ſimulata ſanitate ſubſidunt.* Denique confeſſio criminis recidiuos caſus excindit, quatenus is, cuius ſcelus iam inde innotuit, vt commiſſi olim criminis notam diluat, ab omnibus illius iterum perpetrandi occaſionibus quàm longiſſimè ſe ablegat. Ergo ob prædictas cauſas illa duo inter ſe de induſtria copulat Salomon. *Qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea.* Quaſi dicat: confiteri vitia relinquere eſt, ac nuntium illis perpetuum remittere. Pergo ad alia.

---

14. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus: qui verò mentis eſt duræ, corruet in malum.*

BEatus homo, &c. Hebr. *Beatitudines hominis pauentis ſemper; & indurans cor ſuum cadet in malum.* Chald. non diſſentit. *Beatus vir qui veretur omnia per metum: durus autem corde incidet malis.* Sic ſanctus Cyprianus, ex quo deſumpſit codex Vaticanus, Complutenſis verò & Regius. *Beatus vir qui timet omnia ob cautelam.* Interpres Chryſoſt. Hom. 55. in Geneſ. *Beatus homo qui timet omnia ob pietatem.* 68.

Prima expoſitio eſt D. Gregorij, quem ſequitur Beda, Hugo, Dionyſius, & alij quàm plures, qui putant Salomonem loqui de timore extremi ſupplicij: Et quidem Gregorius Hom. 40. in Euangelia ſic habet. *Sic præſentis vitæ agenda eſt lætitia, vt nunquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria: quatenus dum mens pauida extremæ vltionis timore transfigitur, quantùm nunc præſens lætitia, tantùm poſt ira ſubſequẽs temperetur. Hinc namque ſcriptum eſt: Beatus homo qui ſemper eſt pauidus, qui verò mentis eſt dura corruet in malum: ſequentis enim ira iudicij tantùm tunc diſtrictius portabitur, quantò & nunc, & inter culpas minimè timetur.* Ex Gregorio reliqui hauſerunt. Gregor.

D. Chryſoſtomus loco citato cùm ſic legiſſet. *Beatus homo, qui timet omnia ob pietatem*, de metu peccandi & mandata Dei tranſgrediendi, quo aſſiduò percelluntur viri iuſti, verba iſta exponit: quæ timoris ſpecies nobilior eſt. Nam per iſtiuſmodi metum non tam quis pœnas & ſupplicia delictis inflicta, quàm delicta ipſa veretur, quatenus pietatẽ violant, ac Dei maieſtatem lędunt; ideò quaſi de induſtria dictum *ob pietatem.* Cui expoſitioni ſubſeruit illud, *qui verò mẽtis eſt dura, corruet in malum.* i. qui animum obdurauit, vel obfirmauit ſuum, nec metu delinquendi abſterretur, is corruet certè in multa crimina. Illud verò emphaſim habet, *qui timet omnia*, non modò *ſemper*, ſed *omnia:* particula *ſemper* complectitur omne tempus, vox *omnia* nihil excludit; vt proinde omnes perſonas, omnia negotia, omnes occaſiones, omnemque 69. Chryſoſt.

 ſtatum

ſtatum vereri oporteat: omnia enim peccatorum
cauſas nobis offerunt, ac proinde ab omnibus nobis
timendum eſt.

70. Ex Theologis etiam ſcholiaſticis non pauci hoc
loco vtuntur ad confutandam vaniſſimam illam hæ-
reticorum confidentiam, qua ſe iuſtificatos & mun-
dos coram Deo præſumentes per fiduciam iſtam ſan-
ctos ſe effici aſſeuerant. Nam ſi beatus,inquiunt,ille
qui ſemper eſt pauidus,quonam modo ſanctus & iu-
ſtus,atque adeò fœlix ille, qui timore depoſito ſan-
ctum ſe ac iuſtum eſſe apud ſe credulus ſtatuit, ac
putat? quem ego certè non verum, ſed putatiuum
ſanctum compellandum eſſe dicerem.

Atqui miſerum eſt,inquies,ſemper,vbique,& om-
Seneca. nia timere: quam miſeriam eruditè deſcribit Seneca
in Epiſtola 56. vbi ſic ait. *Leue eſt illud ingenium,nec
ſe adhuc reduxit introrſus, quod ad vocem ex accidenti
erigitur. Habet natus aliquid ſolicitudinis, ac conce-
pti pauoris quod illum timidum facit, vt ait Virgilius
noſter.*

Nunc omnes terrent auræ,ſonus excitat omnis
Suſpenſum,& pariter comitique,onerique timentem.

71. *Imperitus eſt,qui omnibus rebus ſuis timet,ad omnē cre-
pitum expaueſcens, quem vna qualibet vox pro fremitu
accepta deycit,quem motus leuiſſimi exanimant.* Eodem
Iob.15. modo timore plenam deſcribit Iob hominis impij vi-
tam cap. 15. ab illis verbis, *ſonitus terroris ſemper in
auribus eius*, &c. Huic obiectioni occurrit vox illa,
quā datâ operâ addiderunt LXX.ſcilicet,*ob cautelam*,
ſolent quidem opulentiſſimæ ac fœliciſſimæ vrbes
etiam cùm nulli hoſtes obſident,imò etiam cùm nul-
li timentur,nihilo ſecius præſidiarios milites in vrbe
alere; & ſpeculatores, ſeu excubias mœnibus aſſi-
gnare,ſed quorſum? certè *ob cautelam*. Solemne pa-
riter eſt nautis,etiam cùm proſpera vtuntur nauiga-
tione, aduerſus tempeſtatem omnia expedire, certè
ob cautelam. Ita ergo de homine iuſto cogita: non
enim ex metu deſpondet animum, aut miſerum in
modum conſternatur,ſed in magna fœlicitate ac pro-
ſperitate veretur omnia mala & aduerſa,non tantum
proxima,aut è vicino impendentia, ſed etiam remo-
tiſſima *ob cautelam*. Quam cautelam omnia nulla
Seneca. exceptione timentis eruditè delineat Seneca in Epiſt.
91. *Cogitanda,inquit,ſunt omnia;& animus (etiam in
magna fœlicitate) aduerſus ea quæ poſſunt euenire,firmā-
dus,exilia,tormenta,bella,morbos, naufragia meditare;
poteſt te patriæ,poteſt patriam tibi caſus eripere:poteſt te
in ſolitudinem abycere.poteſt hoc ipſum,in quo turba ſuf-
focatur,fieri ſolitudo. Tota ante oculos fortis humanæ cō-
ditio ponatur, nec quantum frequenter euenit,ſed quan-
tum plurimum poteſt euenire,præſumamus animo,ſi nolu-
mus opprimi,nec vllis inuſitatis,veluti nouis,obſtupefieri.
In plenum cogitanda atque timenda fortuna eſt.* Hæc
igitur eſt mens Salomonis cùm ait, *Fœlix ille qui ti-
met omnia ob cautelam.* Hæc timoris ſpecies non con-
turbat animum, ſed comparat,ita vt etiam cùm ali-
quid ex his,quæ præſumuntur, euenerit,etiam mu-
tante fortuna vir prudens fortunatus eſſe poſſit.

72. Hinc autem depromere licet extremam huius lo-
ci expoſitionem,quam obtulit nobis Ianſenius, qui
ſentit locum iſtum non de metu extremi ſupplicij,
aut de timore delinquendi eſſe capiendum, ſed de
expectatione futurorum,quæ prudentiæ propria eſt.
Hæc enim expectatio in negotiis & actionibus qui-
buſuis nunquam vacat timore; qui timor temeritati
opponitur,& hominem cautum efficit: ita vt ſenſus
ſit. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* illi ſcilicet om-
nia fœlicia contingunt, qui aduerſos rerum euentus
aſſiduò expaueſcens,res ſuas ita peragit, vt, quo ad
fieri poſſit, infortunia declinet;contra verò,*qui men-
tis eſt dura*,is nimirum, cuius mentem nullus metus
A conterit aut percellit, ſed offirmato animo quiduis
audet,*corruet in malum*,ideſt, multa mala & aduerſa
experiri cogetur.

15. *Leo rugiens, & vrſus eſuriens, Princeps
impius ſuper populum pauperem.*

LEo rugiens,&c. Hebr. *Leo rugiens,& vrſus aui- 73.
dus.* Pro *vrſo* ſubeſt vox דב *dob*, quam vocem
LXX.tùm hîc,tùm etiam alibi non ſemel,*lupum* con-
uertunt. *Leo rugiens, & lupus ſitiens,qui cum inops ſit
tyrānide dominatur genti pauperi.* Chaldæus. *Leo rugit,
B & vrſus clamat propter impium, qui dominatur ſuper
populum pauperem.*

Deſcribit Salomon iniuſtum Principem, qui per
tyrannidem populos imbelles occupauit. *Leo*,inquit,
rugit. De leone agit fame ſtimulato; nam leo tunc
cùm fames eum acrius ſtimulat grandiores rugitus Pſalm.21.
reddit,Pſalm.21. *Sicut Leo rapiens & rugiens* Et 103. Pſalm.103.
Catuli Leonum rugientes vt rapiant,& quærant à Deo Ezech.22.
eſcam ſibi. Et Ezech.22. *Sicut rugiens rapienſque.* Tunc
verò cum fame confecti ad prædas agendas deſcen-
dunt,propterea rugiunt leones,quia ipſorum vox ac
fremitus feras reliquas concutit.Ambroſ.lib.5.He- Ambroſ.
xamer.de leone ſic ſcribit. *Cuius voci tantus naturali-
ter ineſt terror,vt multa animantium, quæ per celerita-
C tem poſſent impetum eius euadere, rugientis eius ſonitu
velut quadam vi attonita atque illa deficiant,atque ipſi
in prædas cedant.* Eapropter fame enectus rugit. Et
quidem inediæ ac famis maximè patiens leo eſt;nam
ſæpè biduum,aut etiam triduum impranſus agit, ſed
cùm poſt inediam ad cibos redit, *incontinenter admo-
dum veſcitur*, verba ſunt Ariſtotelis lib. 8. Hiſtor. Ariſtot.
cap.5. *Multaque deuorat ſolida ſine vllo diſſectu.*

Vrſi etiam fames celebris eſt tum maximè cùm ex 74.
latebris in apertum prodit. Conſtat enim vrſum per
hyemem latebras petere, atque per id tempus nihil
edere,vt docet Ariſtoteles lib.8.de Hiſtoria animaliū
c.17. *Tempore,inquit,ſui latibuli hoc animal nihil edere
certum eſt,quippè quod neque exeat,& captū ventre in-
D teſtinoque inani videatur.* Hinc fit, vt tum cùm exit,
poſt tam longam inediam acrior fit illius fames: ea-
propter omniuorus eſt; non enim vt aliæ feræ aut
herbis,aut carnibus veſcitur, ſed ad famem explen-
dam nihil non eſculentum adhibet. Idem Ariſtoteles
cap.5. *Vrſus*, ait,*animal omniuorum eſt,quippè qui &
fructus arborum,quas conſcendit corpore lubrico,edat,&
legumina,& apes,perfringens alueos, & cancros,& for-
micas,carne etiam veſcitur: viribus enim ſuis confidens
inuadit non ſolum ceruos,ſed etiam ſues feros,ſi clam re-
pēteque potuerit agere;taurum aperto marte aggreditur,*
&c. De fame vrſi etiam Hieronymus cap.13. Oſeæ. Hieronym.
*Aiunt qui de beſtiarum ſcripſēre naturis, inter omnes
feras nihil eſſe vrſa ſæuius cùm indiguerit cibis.* Vrſi
E etiam præ cæteris animantibus commendari ſolet
aſtutia,& fraus. Ambroſ. in Hexam. lib.6.cap.4. *Vr-* Ambroſ.
ſa, inquit, *inſidians licet, vt ſcriptura ait (Eſt enim
plena fraudis fera.)* Et in capite Apocalyp. 14. *Per
vrſum, quod calidiſſimum eſt animal, Antichriſti aſtu-
tia ad decipiendos homines demonſtrari poteſt.* Hinc
Baſilius dolum ipſum atque fraudem cum vrſo com- Baſil.
ponendam putauit Homilia 10.in Hexam. *Dolus*,
inquit, *quoties in anima doli fraudiſque concinnatrice
ſibi delegit domicilium, nonne vrſo quolibet in ſuo ſpelæo
collatebrante eſt implacabilior?* Plinius lib. 8. cap.36. Plinius.
Nec alteri, inquit, *animantium in maleficio aſtutia
ſolertior.*

Rurſus quia LXX. pro *vrſo lupum* ſubiiciunt, ali- 75.
quid etiam de lupo hîc prænotare libet. Luporum
eſuriem

esuriem ex eo extollit Aristoteles in illo cap. 5. quia A cùm fame stimulantur, si carnes non suppetant, terram comedunt. Aiunt etiam lupos nunquam homines inuadere solitos nisi in extrema fame: lupi etiam tum astum, tum ferocitatem apprimè describit Ambrosius in cap. 10. Lucæ. *Lupi*, inquit, *bestiæ sunt, quæ insidiantur ouilibus, circa pastorales versantur casas, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam, aut desidiam pastoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt cito strangulent, feræ rapaces*, &c. Idem etiam in serm. 59. sic habet. *Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, & non longè ab eorum venatibus aberrare, scilicet, vt rabiem suam rapina satient alienæ, & quod ex leonum satietate remanet id luporum rapacitate consumatur, sic & isti auaritiæ lupi praedonum vestigia subsequuti sunt, vt quod illorum rapacitate superatur, horum cederet feritati*. Atqui LXX. aiunt, *& lupus sitiens*. Nihil certè lego de luporum siti; existimo autem non de aquæ, sed de sanguinis siti accipiendos esse interpretes illos: Nam lupi sanguinis cùm primis sitientes sunt, ideò, vt ex Ambrosio supra habes, *pecudum guttur statim inuadunt*. Cui accinit Aristoteles historia. libr. 6. cap. 9. Nimirum vt sanguinem, quem sitiunt, quàm primum hauriant, & exugant.

Ambros.

Arist.

76. His prælibatis sententiam Salomonis exprimere opus est. Loquitur Sapiens de Principe tyranno, atque illum leonis ritu, atque vrsi in morem, in subditum sibi populum sæuire dicit. Sed quorsum hæc? certè per *leonem* sæuitia, & crudelitas, per *vrsum* dolus, & fraus notatur. Lege Ambrosium in cap. 14. Apocalypsis vtriusque animantis mores Antichristo adaptantem, ex quibus aliquid supra præscripsi. Aliquis ergò ita comminisci posset, duo isthæc tyranni Principis maximè propria, ac præcipua vitia, per *leonem*, & *vrsum* hîc adumbrari, scilicet immanitatem ac fraudem. Tyrannorum Principum immanitatē præclarè describit Plutarchus in libr. de tarda Dei vindicta. *Nempe abusus est nonnullis etiam vindicibus aliorū improborum carnificum loco Deus; inde assumpsit eos, vt (ni fallor) magna ex parte tyrannos. Nam vt hyena fel, phoca coagulum, aliarumque dirarum bestiarum aliquid habent contra morbos medicaminis, ita quibusdam, quibus morsu opus est, & castigatione, his inijcit Deus acerbitatem tyranni implacabilem, & asperitatem horridam iniusti magistratus; nec ante aufert aculeum, & telum, quàm ægrum curauerit, & purgauerit. Huiusmodi fuit Phalaris Agrigentinis medicamentum, & Romanis Marius*, &c. Et Philo Iudæus in lib. de confusione linguarum de eadem tyrannorum sæuitia sic ferit. *Tyrannis profectò procliue est quiduis efficere; quod rabido efferatoque animo concipiunt*. Audiendus etiam Seneca in libr. 1. de clementia. *Quid*, inquit, *interest inter tyrannum, & Regem? species enim ipsa fortunæ ac licentia par est: nisi quod tyranni ex voluptate sæuiunt, Reges nō nisi ex causa, ac necessitate; Tyrānis sæuitia cordi est*, &c.

Plutarch.

Philo Iud.

Seneca.

77. Dolos autem, & fraudes, quas ad constabiliendum imperium adhibere solent tyranni commemorat Aristoteles apud Stobæum serm. 48. vbi tyrannos *omnis doli artifices* appellat, qui cùm non possint robore imperia tueri, ad fraudes dolosque confugiunt, atque adeò leones immanitate, vrsos versutia, astuque imitantur.

Appositum ad hanc sententiam est illud Senecæ lib. 1. de clementia. *Quod istud, dij boni, malum est occidere, sæuire, delectari sono catenarum, & ciuium capita decidere, quocunque ventum est, multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare? Quæ alia via esset, si leones, vrsique regnarent? si serpentibus in nos, ac noxio cuique animanti daretur potestas? illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata abstinent suis: & tuta est inter feras similitudo. Apud homines tantum nec à necessarijs quidem rabies temperat.* Pende illa, *Si leones vrsique regnarent.*

§ Rursus etiam in rugientis leonis similitudine tyranni Principis seueram vocem contemplari licet, quæ semper terrifica est, metus, minasque nunquam non sonat, quorum strepitu ciues velut attonitos ictosque sibi obseruire non spontè, sed vi cogit, veluti leo, qui reliquas feras rugitus sui vastissimo sonitu prosternit. Huc spectat illud Phauorini apud Stobæum in eodem serm. *Tyranni vultus semper, ac vox minax: si leges denuntiat, grauiores pœnas intentat quàm delicta promereantur, si adhortationes habeat, semper ad terrorem se componit, & nunquam sine minis loquitur, vt ciues vel ea ratione exterriti acquiescant.* 78.

Stobæus.

B In vrso verò tyranni insatiabilem cupiditatem seu auiditatem, qua fortunis, & facultatibus ciuium inhiat, cogitare oportet: est enim vrsus, vt supra ex Aristotele adnotaui, animal omniuorum propter nimiam ingluuiem nulli cibo parcens: quippe quod non ceruos modò, apros, taurosque, sed formicas, apes, cancrosque deuorat; sic & tyrannus ob insatiabilem copiarum appetentiam non modo opulentorū potentiumque ingentes fortunas, sed etiam pauperum atque tenuium parcissimos census voracissima auiditate commandit, quia ad explendam eiusdem famem nihil satis est: de qua fame subinde aliquid attexam.

C Sed quamuis hæc non insulsè dici queant, tamen aliam esse reor Salomonis mentem, quam nobis offert translatio Septuaginta, *Leo rugiens, & vrsus esuriens, qui cùm inops sit tyrannide dominatur genti pauperum.* Pende illa verba, *qui cùm inops sit*, ac facilè agnosces Salomonem loqui de aliquo Principe, qui ex humili fortuna euectus est ad regnum, atque hunc duorum illorum animantium exemplo inexplebiliter fortunas, & copias sitire affirmat, ita vt sensus sit. Quemadmodum leo post biduanam, aut triduanam inediam, cùm ad cibos redit voracissimus est, vt docet Aristoteles supra, & vrsus postquam diu delituit impransus, ad nouas epulas insatiabilem famem affert, vt ex eodem Aristotele inibi obseruauimus. Ad D eundem modum cùm quispiam ex inope, & humili imperium inuasit, fortunas atque opes inexplebiliter appetit, atque adeò subditos suos exhaustis facultatibus depauperat. 79.

Aliter etiam comminisci licet. *Sicut leo rugiens, & vrsus esuriens*. Tyrānus scilicet similis est leoni famelico, & vrso esurienti *super populum pauperem*. Quasi dicat: insatiabilis tyrannorum auiditas eo spectat, vt subditos suos exhaustis fortunis ad paupertatē compellat: et propter in eorum bona, velut leonis voracissimi, & tanquam vrsi fame stimulati, debacchātur. Sed quonam consilio Tyranni populos sibi subiectos ad paupertatē redigere studeant, aperit Aristoteles lib. 5. Polit. c. 11. vbi artes cōmemorans, quibus E tyranni imperia sua tueri solent, sic ait. *Calūniari quoque inuicem, & committere amicos cum amicis, & plebem cū nobilitate, & diuites inter se ipsos, & subditos ad paupertatem redigere tyrannica est prauitatis: vt neque sumptus fiat in custodia, & illi quotidianis molestijs occupati vacare non possint ad consilia cōtra tyrannos ineunda. Exemplū huius sit Pyramides Ægypti, & donaria Cypselidarum, & Olympi ædificatio à Pisistratide facta, & Polycratis opera circa Samnium. Hæc enim omnia fuerunt instituta ad otium, & quietem populorum tollēdam, & ad inducēdam paupertatem per tributorum pensionēs vt etiam Syracusis factum est. Dionysio enim eam ciuitatem tenente cōtigit Syracusanos in quinque annorū tempore cunctas facultates suas in soluendis tributis consūpsisse.* Sed tamen superior expositio præferenda est. 80.

Aristot.

Quod

81. Quod si cum LXX. interpretibus *leonem cum lupo* coniungamus ad hunc modum *Sicut leo rugiens, & lupus sitiens*, &c. alia erit istius loci facies. In primis enim *Ambros.* ex illis Ambrosij verbis supra datis ex serm. 69. interpretationem huius loci minimè insulsam conformare licet: Ambrosius enim ait. *Lupos leonum vestigia insequi solitos, & non longè ab eorum venatibus aberrare, vt rabiem suam rapina satient aliena, vt prædarum reliquias, quas saturi iam leones missas faciant, ipsi commãdant, atque ita famem expleant suam.* Ergo per *leonem* tyrannum, per *lupos* magistratus, & amicos, quibus ille administrationem imperij concredit, concipere fas est, quorum est similem ad modum subditam sibi plebem vexare ac spoliare, ita vt quidquid tyranni suis exactionibus reliquum fecerint, id ipsi suis quoque iniuriis corradant. *Aristot.* Lege Aristotelem lib. 3. Polit. c. 12. vbi quàm sit proprium tyrannorum similes sibi seueros, & crudeles magistratus creare longa oratione perscribit. *Plato.* Plato in Dialog. 9. de Republica vbi de his, quos sibi tyranni imperij socios adiungunt, sic fatur. *Tyrannum, inquit, stipabunt, ac multa mala committent. Qualia? furabuntur, parietes perfodient, marsupia incident, expoliabunt, prædabuntur, sacra rapient, captos homines seruire cogent, necnon calumniabuntur*, &c. Et infrà. *Præter hæc viro huic* (i. Tyranno) *illa etiam tribuemus, quæ supra memorauimus, quod necesse sit, eum & esse prius, & postea multo magis cùm tyrannidem est adeptus, inuidum, iniustum, expertem beneuolentiæ, impium, omnisque nequitiæ sentinam, ac fomitem fieri: alioque, qui sibi adhærent similes.*

82. Vel, si id nõ placet, cogita, si libet, in lupo sanguinis illam sitim, & ad iugulum petendum ingenitam propensionem, quam ex Aristotele, & Ambrosio supra obseruauimus, ac similem quandam fundendi sanguinis auiditatem, & ciues iugulandi cupidinem in tyranno deprehendes. *Seneca.* Audi Senecam in lib. 1. de clementia. *Et Lucium, inquit, Syllam appellare tyrannum quid prohibet, cui iugulandi finem fecit inopia hostium? Quis vnquam tyrannus tam auidè humanum sanguinem bibit, quàm ille, qui septem millia ciuium Romanorum contrucidari iussit*, &c. Quid illustrius?

Adde etiam lupis id proprium, vt inexplebili quadam appetentia terram ipsam deuorarent, vt ex Aristotele nuper dedimus. An non etiam hoc significare poterit insatiabilem auiditatem, qua tyranni terras vorare, hoc est, amplissimas regiones ditioni suæ submittere impensè cupiunt. Contemplare vnum Alexandrum, cui propter auiditatem regnandi totus latè orbis angustus videbatur. Vnde cùm Geometriam addisceret, atque adeò terram cum cœlo compositam puncti ad instar obtinere cognosceret; cœlum ipsum inuadere stulta præsumptione decreuit, atque eo consilio inter diuos referri se mandauit, vt tradit Seneca in epistola 91.

83. Rursus tyrannus cum lupo aptè confertur; nam inter ipsum, ac legitimum, & iustum Regem hoc planè interest, quod inter lupum, & canem. *Plutarch.* Audi Plutarchum. *Debet, inquit, metuere bonus Princeps imponere magis quàm pati iniuriam. Atque hic est Principe benigno dignus metus, subditis metuere, ne, imprudente ipso, violentur: haud secus atque canes, qui apud greges ouium excubias agunt, quando lupum audiunt trucem, non pro se, sed pro illis, quas custodiunt.* *Plato.* Item Plato in Dialog. 2. de Repub. optimum Principem cum cane componit; nam sic ait. *Existimasne differre naturã generosi canis, & generosi Principis ad custodiam agendam? Quorsum hæc? vtrumque ipsorum sagacem oportet esse ad sentiẽdum, & velocem ad insequendum, ac demum robustam cum assequutus fuerit ad pugnandum capiendumque.* Vide ibi plura, ac demum cognosces discrimen iusti Regis, & tyranni; nam sicut canis pro quibus, lupus contra oues, sic etiam Rex pro subditis, tyrannus contra subditos erigitur.

Denique extrema accommodatio, quam reliquis facilè præferendam puto, ex dissimilitudine leonis ac lupi sumitur: leo enim plerumque feras alias nostras inuadit, atque ex his prædas suas agit; lupus autem ouilibus insidiatur, atque innocuas mitesque pecudes commandit. Ait ergo Salomon; Princeps tyrannus, vtrumque, leonem simul ac lupum refert; nam æquè sontes, & insontes, noxios & innoxios immani crudelitate trucidat. Audi Stobæum in sermone illo 49. *Antisthenes Philosophus carnifices tyrannis impietate præferebat. Cuius causam interroganti cuipiam respondit; A carnifice quidem homines iniusti, & scelerati interimuntur; à tyranno sontes æque, & insontes.* Nimirum leonis simul ac lupi ingenium vnus in se exprimit. 84. *Stobæus.*

16. *Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius.*

DVx indigens, &c. Hebr. *Dux carens intelligentiis multus oppressionibus, odiens auaritiam prolongabit dies.* Chaldæus. *Et odit calumnias, prolongabuntur dies eius.* LXX. *Rex egens prouentuum magnus sycophanta; qui autem odit iniustitiam, longum tempus viuet.* Symm. *Dux indigens prudentia*; sicut noster. Schol. pro illis verbis, *magnus sycophanta*, reddidit *abundans extorsionibus*. Et subnectit, *Qui autem odit iniustitiam, vitam viuet.* 85.

Salomon quidem in hoc versu auaritiam Principum taxat: & sanè priora verba secundùm lectionem vulgatam perspicua sunt, *Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam.* Primitiua Emphasim habent. *Dux carens intelligentiis.* i. nihil prorsus intelligens, ignarus, ac stupidus est Princeps ille, qui subditos opprimit, ac bona illorum siue iniustis vectigalibus exhaurit, siue quomodolibet per iniuriam diripit. Et sanè huius imprudentiæ multa sunt capita satis obuia, quæ tute tibi recensere poteris.

LXX. habẽt. *Rex egens prouẽtuum magnus sycophãta.* i. Princeps copiarum ac fortunarum auidus sycophantam agit. 86. Huius nominis vim vt agnoscas, puta non vnam illius originem circumferri. Interpres Aristophanis putat nomen hoc ex peculiari euentu deriuatum. Nam cùm è duobus, inquit, seruis Atheniẽsis cuiusdam ciuis, alter ficus, quæ domi paratæ erãt, absumpsisset, apud quærentẽ eas dominum sõs innocentem accusabat. Herus ergo vt veritatem exploraret, haurire vtrumque subtepidam aquam iussit, deinde emouere; compertum est furtum, & exinde sycophantæ ortum est vocabulum, eo sic appellato, qui alteri mentiendo, & cauillãdo, furtum imposuerat: atque adeò id nominis propriissimè dictũ putat de his, qui crimina nũquam admissa aliis per calumniam imponunt. Aliunde verò huius nominis etymologiam aucupatur Plutarc. nã in lib. de curiositate ita scribit. *Sic inuenisse sycophantã nomen dicunt; nam cùm exportare vetitũ esset ficos* s. Athenis, *qui indicabãt, & deferebãt exportantes sycophantæ vocati sunt.* Iuxta quam originem nomẽ hoc in omnes minimorũ etiã criminum delatores sine discrimine quadrat. Festus denique aliunde huius vocabuli initium aucupatur. Atticis, ait, iuuenibus, quod in hortos irrumpere ficosque decerpere solerent, quæ apud Græcos magno in pretio erãt, capitalis pœna indicta est. Quapropter qui cũq; super hoc crimine quẽpiam conueniebat apud iudices, sycophanta dici cœpit, atque inde extensum hoc nomen ad eos, qui ob leuiora delicta grauiores

pœnas

pœnas sontibus irrogari curant. Et sanè in iure duplex huius nominis vis; aliquando.n. adsignificat litis etiam leuissimæ accusatorem aliquando etiam latiori significatione dicitur de homine vili, ac nihili: quæ significatio valde obuia est apud alios auctores.

87. Ergo vt ab hac significatione exordiat, sensus verborum talis esse poterit. *Rex egens prouentuum magnus sycophanta*.i. Princeps auarus copias, fortunasque appetens vilis certè ac nihili homo haberi potius debet quàm Rex. Aristot. Ethicorum lib. 8. c. 10. apposite ad hanc sententiam sic scribit. *Tyrannis quidē suum, Rex autem eorum qui ab ipso reguntur, considerat commodū. Non est. n. Rex, nisi sit ex se sufficiens, & bonis omnibus antecellat, talis autem nullius indiget rei. Non ergo sua, sed eorum, qui reguntur, vtilitates considerat: qui namque talis non est, sorte potius quidam est Princeps, quàm Rex*. Et sanè hanc nullius rei indigentiam, quam in optimo Principe postulat Salomon, non ex abundātia, & affluentia fortunarum, ac censuum, sed ex probitate metitur: quia nimirum Princeps probus, ac iustus, nullius rei indiget, quia nullam appetit. Ait ergo Salomō, eum qui multa appetit, atque adeò multis indiget, Regis nomine indignum esse, atque sycophantam, vilem scilicet, ac nullius pretij hominem merito compellari. Audi Platonem de tyranni cupiditate verba facientem in Dialogo 9 de Repub. *Animum*, inquit, *tyrannicum, mendicum semper, atque inexplebilem esse necesse est*. Et subinde. *Longe cunctorū dico hunc esse miserrimum*. Et paucis interiectis. *Est autē re ipsa, quamuis alieni non videatur, verè tyrannus, verè seruus extrema seruituti adstrictus, qui appetitus suos explet nuquam, sed plurimis indiget semper, atque inops re vera esse apparet, si quis penetralia animi eius inspexerit*. Eapropter Phauorinus apud Stobæum serm. 45. Dionysium tyrannum affatus sic ait. *Volo aliquam fœlicitatem tyranno indicare, si mortalis volupt.s, ò Dionysi, tibi cordi est: Para tibi famem vt edas, itemque sitim vt bibas. Sin verò dextram omnino, egregiamque voluptatem probas, tantamque quantam prioribus sæculis nullus vsurpauit, tyrannidem depone*. Quasi dicat, oppositum præsta, ac depone eam, quæ tyrannidi copulata est, facultatum & copiarum sitim, & famem, *Ille enim, qui quinquies decies ve mille chlamydum possessionem requirit, fieri non potest quin pluribus etiam adhuc egeat. Ergo si plura præsentibus desidero, demam aliquid de præsentibus, & præsentia mihi sufficient*.

Arist.

Plato.

Stobæus.

88. Secunda interpretatio peti potest ex alia etymologia. *sycophantæ*. Nam si sumamus pro eo, qui leuissimarum litiū incentor est, aut pro eo qui ob leuiora crimina graues, & capitales pœnas sontibus componi curat, apposite ad hæc dicemus *Rex egens prouentuū, magnus est sycophanta*, idest, Princeps ille, quem copiarum, ac fortunarum indigentia cupidum, & auarum efficit, ad augendas opes suas leuissimas quasque subditorum causas ad se deferri curat, & pro leuioribus delictis grauiores mulctas in illos statuit, scilicet amissionis bonorum aut confiscationis, vt nimirum inde thesauros compleat suos. Quid certius? Adde etiam id, quod extremæ prauitatis colophon erit, si quis Princeps, iuxta alteram sycophantæ significationem, ea de causa talis appelletur, quia falsa contra subditos crimina excogitat, vt eis amissionem, & confiscationem bonorum suorum mulctæ loco imponens fortunas ipsorum corradat. Nec insuetum est, id tyrannis atque iniustis Principibus, vt docet Aristoteles libr. 5. polit. cap. 6. Subnectit Salomon.

89. *Qui autem odit auaritiam longi fient dies eius*. Hæc clausula innuit planè in priori versiculi quid subintelligi, ac suppleri oportere, scilicet vel eò maximè Principibus imprudentiæ atque insipientiæ tribui subditos per iniuriam bonis spoliare, quia ea ratione ipsorum

A rum odium, & inuidiam sibi conciliant, atque adeò vitam salutemque suam discrimini obiiciunt; quatenus subditi læsi ac violati à Principibus seditiones cogitant, ac necem illis moliuntur. Seneca in lib. 1. de clementia. *Crudelitatem Principum aliquando seruiles quoque manus sub certo crucis periculo vltæ sunt*. Plutarchus enim de vrbe Thebis, & Socratis democratia. *Thales*, inquit, *cùm peregre post longum spatium reuersus esset, rogantibus amicis quid maximè noui vidisset, Tyrannum, inquit, senem*. Viderat autem nescio quem Barbaris imperantem tyrannum, qui senectam superstes attigerat. Ergo ex aduerso ait Salomon: Rex ille, vel dux qui odit auaritiam, atque adeò neque subditos grauioribus tributis onerat, neque illos B per iniuriam bonis suis spoliat, hic certè ad seram perueniet senectam, quia suorum insidias, aut proditiones vereri non potest.

Seneca.

Plutarch.

Quomodo ergo Regius animus erga pecunias sese habere debeat, pulchrè admodum præscribit Basilius Imperator in exhortationibus ad Leonem filium c. 14. *Excelsum, ait, atque inuictum Principis animum non adeò magnitudo dignitatis ostendit, ac pecuniæ contemptus, in eo enim generositas animi eius elucescit maximè: si ergo tu excelso animo esse vis, esto præcipuè in mētis inductione pecuniæ contemptor*. Et rursus c. 27. sic addit. *Rem autem publicam optimè administrabis, si pecuniæ publicæ curam diligenter habebis, eique iustis rationibus colligendæ studebis, non ex oppressione, vel ex la-* C *crymis subditorum corradēda. Pecunia enim si iustè colligitur, possidenti multum affert emolumēti, & neruos imperio addit. Quæ verò ex lacrymis subditorum, atque ex iniquitate corrasa fuerit, etiam iustè collectam dissipabit. Attrahet enim Deum, qui institia leges condidit, imò etiam homines, ad vindicandam iniuriam: Ignisque non ita celeriter paleam consumit, vt malè, & iniustè congesta opes, etiam iure partas in perniciem secum abducunt*. 90.

Basil. Imp.

---

17. *Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad lacū fugerit, nemo sustinet.*

HOminem, &c. Hebr. ad verbum. *Homo oppressor* 91.
D *in sanguine animæ, vsque ad cisternam fugiet, ne apprehendant eum*. Chald. contrariam reliquis sententiam offerre videtur. *Filius hominis, qui sollicitus est de sanguine animæ, si vsque ad lacum fuerit, non comprehendent eum*. Tigurina. *Qui per violentiam sanguinem fuderit, ad foueam vsque profugus erit, vt nemo sustentet eum*. LXX. *Virum, qui causa mortis spondens pro fugus erit, & non in securitate*. Sic habet codex Vaticanus. At Complutensis. *Pro viro, qui causa mortis spondens*, idest, qui pro illo spondet, qui causam capitalem habet, &c.

Non vna huius loci interpretatio: nam diuersæ lectiones diuersas offerūt expositiones. Trāslatio Chal. sic edisserenda est. *Filius hominis, qui sollicitus est de* E *sanguine animæ, vsque ad cisternam fugiet, ne apprehendant eum*, idest, homo qui necis alicuius patratæ reus existit, ne comprehendatur, ac sui sceleris dignas pœnas cogatur luere, si ita opus fuerit vt necem fugiat, in vnum puteum sese demittet, vt ibi delitescat. Itaque homicidæ metum, atque terrorem expingit Salomon, quem sui sceleris conscientia vsque adeò percellit, vt nullibi securum se putet. Huc spectat illud Genes. 4. vbi Cain ob necem fratri illatam tanto perculsus timore dicitur, vt sic Deum alloquutus fuerit. *Ecce eijcis me hodie à facie tua, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me*. Vide studium latendi. *A facie*, inquit, *tua abscondar*. Quasi dicat: etiam oculos, si fieri posset, tuos, ô Deus, vitare vellem, in tenebrosum, &c

Gen. 4.

& occultum aliquem locum discedens. Vide hominis attoniti terrorem maximum. *Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Ab omnibus sibi timet vir robustus, nullum etiam maximè imbellem, & infirmum excipit. Expendit tremoris huius causam Ambros. in lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. *Sed à quo;* inquit, *timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? Potuit, quidem, & incursus bestiarum timere: nam qui legis diuinæ curam violauerat, nec præsumere de subiectis animalibus poterat, qui hominem docuerat occidi.* Chrysost. tantæ imbecillitatis causam offert Homil. 15. in Genesim; nam ex persona Cain sic ait. *Facilè me inuadere poterit siquis interficere volet: neque enim ipse obluctari potero tam imbecillia dissolutaque membra circumferens, & vndique contremiscens.* LXX. sic habent. *Et ero gemens, & tremens super terram.*

92. Secunda interpretatio est Vatabli, qui lectionem illam supra dictam sic edisserit. *Qui per violentiā sanguinem fuderit, ad foueam vsque profugus erit, vt nemo sustentet eum,* idest, qui aliquem contra ius fasque neci dederit, etiamsi nullus eum insequatur, ipsemet sponte moriturus in puteum, aut in fossam imam sese iactabit, ita vt nullus illum continere possit. Quasi dicat: homicidæ etiam cùm nullus ab ipsis pro admisso scelere pœnas exposcit, in semetipsos sæuire, ac sibi necem afferre ipsi solent: nam vsque adeò illos patrati criminis conscientia vrget, vt ipsimet, tanquam carnifices illam exequantur. Succedat memoriæ Iudæ insania, vbi postquam Saluatoris vitæ insidiatus est, suæ pertæsus collum inseruit laqueo ex desperatione veniæ ac salutis.

93. Tertia expositio est Rodolphi, qui originalem lectionem sic edisserit. *Homo oppressor in sanguine animæ,* idest, qui alteri mortem attulit violentam, atque adeò ipse mortis reus est, *ad foueam fugiet*, idest, si opus fuerit, in sepulchris latitabit, ac viuum se defodiet, *ne teneant eum,* idest, ne comprehendatur, ac capite damnetur: nam pro vita seruanda, ac tuenda, alia quæuis mala libēter sustinebit. Nec otiosè id dictum quispiam putare posset, sed spiritualiter de illo capiendum, qui cùm suam capitali aliquo crimine animam perimere non dubitauerit, pro expiando isto scelere quiduis perpeti debet. Fecere id non pauci, qui in spelæa, in lacus, & in sepulchra discesserunt, vt ibi delitescentes longo tempore pœniterent, ne ad mortem raperentur æternam.

94. Quarta expositio est Caietani, qui eandem lectionem primitiuam ad hunc modum discussit. *Homo fraudator in sanguine, vsque ad puteum fugiet, & non sustentabunt eum.* Sic ipse restituit, idest, homo qui per fraudem, & vim fratri suo vitam ademit, profusus ad vsque ipsa alicuius putei latibula fugiet, non enim quempiam inueniet, qui illum sustentare, aut opem ipsi ferre velit. Quasi dicat: homicidij scelus vsque adeò vulgo detestabile est, vt ei qui illud perpetrauit, ad foueas, & ad latebras excurrere, & omnium hominum oculos fugere opus sit. Sunt qui loco *putei foueam,* vel *specum*, restituerint; quam lectionem recipit etiam vox originalis: sensum verò sic conformant; Homicidæ vsque adeò apud vulgus execrabiles sunt, vti cùm inter homines nequaquam tolerentur, necessum sit illis ad ferarum spelæa foueasque discedere, vt cum feris, quas immanitate ipsi superant, vitam ferinam degant. Non displicet ista expositio.

Quinta interpretatio est Lyræ, qui translationem vulgatam hoc sensu donauit. *Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem,* idest, eum, qui iniustè hominis sanguinem fundit, *si vsque ad lacum fugerit*, idest, si vsque ad sepulchrum pœnitere distulerit, *nemo sustinet,* idest, nemo potest deinceps eum adiuuare, quia post mortem non est locus pœnitudini. Hæc ille non admodum apposité.

95. Sed his omissis, quæ partim à vulgata lectione omnino abhorrent, partim eidem parum idoneę accommodantur, duas interpretationes subiiciam, quæ mihi appositæ magis videntur. Altera sic habet. *Hominem qui calumniatur animæ sanguinem.* Certè *calumniari sanguinem* (si vim vocabulorum teneamus) non tam significat ipsum fundere, quàm fusum per calumniam, idest, per fraudem aut tergiuersationem abnegare. Ergo Salomon ait; Qui fratrem suum aut proximum fuso sanguine dederit neci, & subinde per tergiuersationem aut dissimulationem id abnegauerit, *si vsque ad lacum fuerit*, idest, quamuis latendi gratia imam foueam aut lacum profundum petierit, *nemo sustinet*, idest, nemo illum latere patitur. Quasi dicat; si vel vni hoc innotuerit, is certè illum prodet, & ad iudices deferet. LXX. habent. *Non erit in securitate*, idest, nullibi securus deget. Et certè quamuis pleraque alia delicta nonnunquam tegi, & occultari per dissimulationem quandam sinat Deus, tamen homicidij crimen vix aliquando celari permittit. Nam præterquam quod per alios homines criminis conscios plerumque retegi ac prodi solent homicidæ, scimus multa homicidia diuinitus per miracula fuisse denuntiata. Lege Gregorium Tolosatem libro 40. Syntagmatum iuris vniuer. cap. 10. Non pauca etiam cùm testes nulli suppeterent per animalia ratione expertia prodita fuisse. Plutarchus de sera Dei vindicta narrat Bessum quendam ab hirundinibus reum parricidij denuntiatum. Et rursus de comparatione terrestrium animalium, & marinorum, refert Pyrrhi atque Hesiodi interfectores à canibus fuisse detectos. Meminit etiam alterius homicidæ à cane proditi. Plinius libr. 8. cap. 4. Mitto etiam Ibyci Rhegini necem, quam grues interfectoribus inuolantes retexerunt, de quo est illud Ausonij.

Ibycus vt perijt vindex fuit altiuolans grus.

96. Præterea alia multa, atque ex his illud elicio, meritò id Salomonem minari homicidis eorum scelus, si vel ad lacum effugerint, atque inibi diu latuerint, minimè occultandum fore, cum prouidentia Dei tot modis illud prodere, & manifestare soleat.

Extrema expositio, quam ego cæteris facilè præferendam censeo, sic habet. *Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem,* &c. Præmittere autem oportet hîc pro *lacu* subesse in Primitiuis notissimam illam vocem בור *Bor.* quæ etsi nonnunquam pro *fouea,* vel arida cisterna accipi soleat; tamen sæpius pro *puteo,* aut etiam pro *lacu* aquis scaturientibus pleno sumitur; vt docent Thalmudistæ; aut etiam *pro cisterna*, quæ aquis pluuialibus impletur, vt docet Rabi Dauid. Notandum etiam est apud veteres solemnę fuisse, siue iudices in aliquem hominem necis sententiam tulissent, siue priuati homicidium inuoluntariè, atque adeò impunè admisissent, siue etiam milites hostem trucidassent, antequam ad commune aliorum consortium conuictumque venirent, vel rem diuinam agerent, aqua manus perluere. Ablutionis huius apud gentiles notissimus est vsus. Alludit ad hunc morem Ouidius in 2. Fastorum.

Ah nimium faciles qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Et Æneas apud Virgilium lib. 2. sic fatur.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates:
Me bello tanto egressum, cædeque recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Rursus etiam Seneca in Hercule furente.

Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica
Violentus vnda Tigris, aut Rhenus ferox,

Tagusve,

Tagusve, Ibera turpidus, Gaza fluens
Abluere dexteram poterit?

Hûc spectat etiā illud Pilati facinus, qui postquàm
Matth.27. necis sententiam in Christum tulit, *Accepta aqua lauit manus suas coram populo dicens, innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Hunc autem morem etiam Hebræis solemnem fuisse aliqui meritò censent & colligunt in primis ex illis verbis Psal. 17. *Latabitur iu-*
Psal.17. *stus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris,* id est, postquàm peccatorem, ac sontem virum iustè neci addixerit, gaudebit ac gestiet, ac lotis manibus ad conuictum aliorum hominum veniet. Itaque illud, *Lauabit in sanguine,* perinde est ac si dicat: post fusum eorum sanguinem lauabit ma-
Psal. 25. nus. Ad hæc Psal. 25. sic Dauid. *Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo: lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine.* Asserit certè Dauid ius, & æquitatē sibi semper cordi fuisse, atque adeò nequaquàm cum impiis iudicibus iniquas sententias proferentibus pro tribunali sedisse: sed potius iudicia, & sententias tulisse cum iustitia, & æquitate vsque adeò coniunctas, vt post damnatos capite sontes sibi semper integrum fuerit lotis manibus ad altare Dei propiùs accedere, in testimonium ac documentum innocentiæ. Ad hanc etiam
Iob. 9. sententiam trahunt aliqui verba illa Iob. 9. *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint quasi mundissimæ manus meæ,* &c. Sed venio ad sententiam Salomonis.

97. Anceps est horum verborum sensus; aut enim accipi possunt de priuato homine homicidium perpetrante, aut etiam de iudice, aut de Principe iniustè aliquem neci adiudicante: si de priuato homine capiantur, dicemus quidem his verbis Salomonem eò spectare, vt ostendat quàm sit execrabile ac detestabile apud homines homicidii crimen. *Hominem, qui calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad lacum fugerit, nemo sustinet,* id est, siquis alicui per calumniam, vel iniuriam manus attulit, ac necē consciuit, quamuis ad lacum, vel puteum, vel cisternam fugiat, vt accepta inde aquâ manus ac se totum abluat, nihilominus tamen omnes illum detestantur, ac longius arcent tanquàm quid omnium abominatione, & execratione dignum; cuncti enim naturâ duce horrent magnoperè homicidas.

98. Quod si de iudice aut Principe sermo sit, & versus iste cum superioribus cohærere credatur, in quibus Salomon de Principe verba facit, dicemus quidem illum in præcedenti versu auaritiam Principum incusare, vtpote quæ subditorum odium atque inuidiam illis conciscat; in hoc verò immanitatem, & sæuitiam eorundem carpere hoc sensu. *Qui calumniatur animæ sanguinem.* Certè *calumniari* in Scriptura sacra sæpius idem est quod iniustè iudicare, & *ca-*
Eccles. 4. *lumnia* iniustam sententiam sonat. Ecclesiast. 4. *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentum, & nullum consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.*
Ezech.22. Et Ezechiel 22. *Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter egenum, & pauperem affligebant, & aduenam opprimebant calumnia absque iudicio.* Mitto alia. Itaque ait Salomon; Dux aut Princeps, qui multorum sanguinem fudit, & contra ius fasque innocentes capite damnauit, *si vsque ad lacum effugerit,* etiam si quotidie acceptis ex lacu, aut puteo copiosissimis aquis manus suas lustrauerit, atque expiauerit, *nemo sustinet,* id est, durum ipsius imperium subditi tolerare non possunt, atque adeò illum aut imperio, aut vitâ priuare non dubitant. Huic extremæ interpretationi magis acquiesco.

A

18. *Qui ambulat simpliciter, saluus erit: qui peruersis graditur viis, concidet semel.*

Qui ambulat, &c. Caiet. *Et transuersans vias cadet in vna.* Nonnulli etiam legunt. *Sed in-* 99.
trans duas vias corruet in vna. Chald. *Et cuius inuersæ sunt viæ, corruet semel.* LXX. *Qui ambulat iustè, adiutus est: qui autem peruersis viis vadit, implicabitur.*

Huius loci sententia in promptu est. *Qui ambulat simpliciter, saluus erit.* id est, qui integritatem vitæ seruat, atque omnis doli expers nemini damnum infert,
B hic certè incolumis erit, & licet ad horam aliquid damni aut incommodi sustineat, tandem saluus indemnisque ouat ac gestit. *Qui autem peruersis graditur viis, concidet semel.* id est, qui dolo ac fraude aliis damna inferunt, quamuis aliquo tempore impunitatem habere videantur, at verò tandem aliquando *semel,* vulgò licet dicere *de vna,* corruunt, ac miserabili ruina prostrantur. Et eodem sensu accipienda est lectio illa *corruet in vna.* non enim referendum ad viam, sed ita prorsus efferendum *caira de vnave*, id est, vno tantùm casu penitus subuersus cōcidet. Opponit autem Salomon simplicibus versutos, quibus proprium esse dicit vias transuertere, aut transuersare, id est, suæ vitæ rationes sic instituere, quemadmo-
C dum in triuiis, aut quadriuiis sunt plures viæ, in quibus viatores aberrare, & decedere solent: non aliter qui cum eis conuersantur homines, ab illis delusi in plures errores abducuntur, donec eorundem dolis malis pereunt. De his ergo affirmat suis ipsorum prauis transuersisque consiliis tandem aliquando semel subuertendos ac perdendos iri. Frustrà hîc multis.

19. *Qui operatur terram suam, saturabitur panibus; qui autem sectatur otium, replebitur egestate.*

Ipsissima hæc sententia occurrit supra cap. 12. vers. 11. nisi quod illa versum sic claudit, *qui autem sectatur otium stultissimus est.* Hæc verò sic. *re-*
D *plebitur egestate.* Sed hæc diuersitas sententiam parum ouariat. Lege ibi plura. LXX. *Implebitur paupertate.* Omnia in idem recidunt.

20. *Vir fidelis multum saturabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocens.*

Vir fidelis, &c. Hebr. *Vir verax multus in be-* 100.
nedictionibus, &c. Item pro extrema illa clausula, *non erit innocens,* nonnulli restituunt, *nō erit impunis.* Chald. *Viri fidelis multæ benedictiones; qui cucurrerit in iniquitate vt ditetur, non erit innocens.* LXX. *Vir fidelis multum benedicetur: malus autem non*
E *impunitus erit.* Aquila. *Vir fidem faciens,* &c. Schol. concinit cum Vulgata.

Præcipua etiam huius sententiæ pars concinit cum aliis supra adscriptis. Nam cap. 20. vers. 21. sic habes. *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Et cap. 13. ver. 11. *Substantia festinata minuetur, quæ autē paulatim colligitur manu multiplicabitur.* Lege in his locis non pauca. Sed interim quasi per excursū excutienda etiā sunt verba isthæc, *vir fidelis multùm saturabitur.* id est, vir iustus qui sine iniuria ac fraude negotiatur, tandem aliquando copiis ad saturitatem vsque affluet vel opes nanciscetur, quæ desiderium illius expleant: tales enim sunt

quæ iustè parantur. Primitiua habent. *Multis erit in benedictionibus.* Per *benedictiones* autem ingens omnium bonorum copia significatur. Quasi dicat: fortunis vndique circumfluet, vel, *multæ ipsius erunt benedictiones*, vt restituit Chaldæus, id est, eius fortunæ Deo benedicente vberrimis incrementis augebuntur? *Qui autem festinat ditari, non erit innocens.* D. Gregorius Pastoral. curæ 3. parte, admonitione 21. *Cùm repleri homines cunctis simul opibus inardescunt, audiat quod scriptum est, Qui festinat ditari non erit innocens: Profectò .n. qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more auium captus cùm escam terrenarum rerum auidè conspicit, quo strangulatur peccati laqueum non agnoscit.* Verbi illius *festinat*, vim dedimus locis supra citatis. Chald. illam expressit. *Qui cucurrerit in iniquitate vt ditetur*, id est, qui iustitiam, iura, & leges prætergrediens, ad diuitias contendit velocius, *non erit innocens*, id est, non potest non esse valde nocens.

Greg.

1. Timoth.

101. Nam *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationẽ, & in laqueum diaboli*, &c. Nec currit tantum incitato gradu, sed etiam volat celerius, id est, ius omne, cunctamque æquitatem prætervolat. *Homo cùm semel pecuniæ cupiditate inflammatur* (verba sunt Chrysost. hom. in illud Psalm. *Veruntamen frustra conturbatur omnis homo viuens*) *nunquàm desinit, sed siti auaritiæ confectus auro pallidior volitat propter diuitias, quæ sunt omnis absurditatis parentes, inuentrices malorum omniũ, corruptionis adiutrices, hostes continentiæ, inimicæ temperantiæ, occultæque omnis virtutis fures.* Sed tamen sicut fama est esse quædam loca, & lacus quæ superuolantibus alitibus perniciem afferunt: adeò vt desuper transuolantes sæpius enectæ ad ima cadant: ita etiam auari homines diuitiarum cupiditati incitati cùm iura, leges iustitiamque quasi transuolare contendunt vt ocyus ditescant, sæpius ipso in lapsu, miserè pereunt, & in grauia delicta recidunt, Iuxta illud; *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem*, &c. Addendum etiam est illud eiusdem Chrysost. in hom 10. in Genes. *Ars malorum omnium, & colophon, vt ita dicam, peccatorum est rabies illa colligendarum diuitiarum.*

Chrysost.

---

21. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit: iste & pro bucella panis deserit veritatem.*

102. QVi cognoscit, &c. Hebr. *Cognoscere faciem, aut vultum non bonum, & super buccellam panis præuaricabitur vir.* Chald. *Æstimare faciem non est bonũ, & pro buccella panis peccauit vir.* LXX. *Qui non reueretur facies iustorum, non est bonus, qui talis est, buccella panis vendet virum.* Et quidem LXX. cùm ita legendum putassent, *& pro frusto panis deserit virum*, quam lectionem sine dubio recipiunt origines, non sine emphasi reddiderunt. *Vendet virum*, obserua mendum in Vaticanis; habes enim ibi *vendet vinum.* Fuit certè nescio quis ex neotericis hac delusus lectione, qui Græcum textum non consuluit, atque adeò de illa non pauca seruit.

Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit, id est, iudex, qui quacunque ratione corruptus personarum acceptor est, perperam facit: simile est illud quod supra habes c. 18. vers. 5. *Accipere personam impij non est bonum.* Peruulgatum est illud, iudicem, si fieri posset, exoculatum esse oportere, ne quempiam litigantium agnoscat. Hinc Plutarch. in lib. de Iside. *Thebis, ait, iudicum imagines visuntur absque manibus, & summi iudicis oculi conniuent, eo quod iustitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.* Item Deuter. 11.

Plutarch.

Deut. 12.

A sic Deus iudices informat. *Quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiuspiam personam, quia Dei iudicium est.* Hûc spectat illud Petri Rauen. apud Nanium in Iudice. *Nihil adeò gloriosè lucet in iudice sicut amare, & exhibere iustitiã sine omni acceptione personarum. Teste enim Tullio prouerbialiter dicitur, exuit personam iudicis quisquis amicum induit. Æquitas, cui iudex obsequitur, sinistram odij, vel amoris dexteram odit. Nam talis esse debet iuris minister, vt in eius manu nullius auctoritate persona titubet, aut vacillet libra iustitiæ.*

Nanius.

Chaldæus. *Æstimare faciem in iudicio*, &c. aptè cadit in hunc locum verbum *æstimat*; nam si in æsti- 103.
B matione iudicis persona pondus habeat, vel leuis sit, statim iustitia ab amussi sua detorquetur. Ideò ait Deus, *Ita paruum audietis ac magnum.* Quasi dicat: nec iste, quia magnus, ideò grauior; nec ille, quia paruus, ideò leuior in æstimatione, & opinione vestra sit, sed vterque æquali in pretio apud nos existat. Sed qua ratione tàm imparium, & inæqualium rerũ momenta exæquanda sunt? subiicio libens. Animus iudicis suapte sponte ad pauperes, & tenues demittendus, ac flectendus est, vt ea quæ in illis auctoritatis momenta desiderantur, per istam iudicis propensionem compensari queant. Atqui obiicies illa verba Exod. 23. *Pauperis etiam in iudicio non misereberis.* Ita ego reor, nec ob misericordiam iustitiæ trutinam fle-
C cti debere. Tamen eadem in scriptura quasi de industria dicit. *Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me.* Et sæpe alias aliquid pauperibus ac tenuibus deferendum esse docet, vt vel sic pondus auctoritatis quod diuitis lancem onerat, miseratio erga pauperẽ redimere, & compensare possit. Subdit Salomon.

Exod. 23.

104. *Et pro buccella panis deserit veritatem.* Extremæ huius clausulæ non vna interpretatio occurrit: prima est eorum, qui conferunt ista verba cum illis Ezech. 13. *Violabant me apud populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis:* dicunt autem, Prophetam vsurpare aucupum similitudinem, qui hordei grana, aut panis concisas micas subter retia spargentes aui-
D culas decipiunt; Itaque sensum sic conformandum putant; Iudex ille personarum acceptor donis ac muneribus decipi solet, non secus ac stultæ auiculę, quę per illas granorum aut micarum illecebras ad plagas retiaque delusæ veniunt. Itaque iuxta hanc sententiam id quidem iudicibus, qui se corrumpi sinunt, à Salomone exprobrari dicunt, quod similes sint stultis auiculis: Non enim secus ad capienda parua, & nullius pretij munera cum maximo animi sui periculo sese abiiciunt, quàm aues stolidæ ad colligendas panis micas sese deponunt, ac retibus ipsis inserunt. Huic interpretationi fidẽ facit translatio Chald. quæ verba illa his perquàm similia c. 6. *Pretium enim scorti vix est vnius panis; Mulier autem viri pretiosam*
E *animam capit*, ad venationem retulit hoc modo. *Quia similis est oratio mulieris meretricis frusto panis; sed pretiosam viri animam aucupatur.* Huius autem comparationis energiam inibi habes.

Ezech 13.

105. Secundò, alij sunt qui metaphoram hîc vestigantes illam à piscibus desumptam affirmant, qui sub buccella panis tenuissima latentem hamum deuorãt: ita vt sensus sit eiusmodi; Iudex corruptelis obnoxius similis est pisci stolido; quia sicut hic frustulo panis tectum hamum deuorat, atque eo confixus à naturali suo elemento ad interitum extrahitur; ad eundem modũ iudex ille dono, ac munere, quantumuis paruo, tectum veluti hamum quendã, eius qui dedit, amorem, & dilectionem trãsmittit, atque illa defixus à veritate, & iustitia, quæ ipsi velut naturale quoddã elementum

elementum esse debet, ad mendacium, iniuriamque traducitur. A

106. Tertiò, alij præscriptam similitudinem ab ariete gregis duce acceptam putant, quem ostenso panis frustulo hac illac gressus regit, ita vt sensus sit. *Et pro buccella panis deserit veritatem.* Nimirùm iudex ille corruptibilis similis est arieti cuipiam stulto, & vecordi, qui greges præcedit, quia sicut hunc pastor obiecto pane à recta via ad auia sponte sequentem transfert, ita etiam eiusmodi iudicem oblatio, aut promissio certa muneris alicuius à recto veritatis & iustitiæ tramite deuium agit.

107. Quarto, si metaphoris indulgere integrum est, posset etiam quispiam hunc locum conferre cum illo, quem nuper ex c. 6. vers. 26. præscripsi. *Pretium enim scorti vix est vnius panis.* Et sanè in memoriam reuocare oportet id, quod inibi docui, scilicet olim more comparatum fuisse, vt panes meretricibus in turpitudinis pretium darentur. Coniecturam istam præter locum præfatum firmant etiam illa verba Isaïæ c. 4. B Isaiæ 4. *Apprehendent septem mulieres virum vnum dicentes, panem nostrum comedemus*, id est, nequaquàm opus erit tibi pro pretio libidinis panem nobis largiri, nã nostro ipsarum pane victitabimus. Habes etiam ibi alia testimonia tùm sacra, tùm prophana, quibus hæc suspicio confirmatur. Adde etiam modum illum loquendi, *Muneribus corrumpi*, quod iudicibus dona accipientibus passim tribuitur, vt auctor est Gregorius Tolosanus, metaphoram esse à virginibus desumptam, quæ suam pudicitiam prostituunt; quam Tolosatis suspicionem confirmat Plato in 12. de legibus lib. 34. vbi iudicium, & arbitrium Principis, aut iudicis virgini conferendum dixit. *Cauere autem*, inquit, *pro viribus debet quisquis alium iudicaturus est, ne sponte*, scilicet muneribus allectus, *aut inuitus*, scilicet minis, aut terrore perculsus, *supplicium mulctamve falso, & non meritò inferat. Iudicium enim virgo quædam pudica esse dicitur. Pudori autem, atque iudicio secundum naturam odio mendacium est.* Et sanè perquàm familiare antiquis erat iustitiam, ceu virginem aliquam, effingere, quam Astræam vulgò dicebant. C Greg. Tolos. Plato.

108. Eccles. 20. Sed quod caput est, Scriptura sacra Ecclesiastici 20. id nominis ipsi indidit, ac venusta quadam similitudine iudicum corruptelas adumbrauit his verbis. *Concupiscentia spadonis deuirginauit iuuenculam, sic qui facit per vim iudicium iniquum*, id est, iudex iniquus, qui muneribus, aut alia ratione promeritus iustitiam corrumpit ac violat, similis est spadoni, qui virginem incorruptam illata vi opprimit ac constuprat, quia nimirùm iustitia incorrupta virgo est. Meritò autem confertur *spadoni*, hi enim Eunuchi erãt, id est, custodes cubiculi virginibus asseruandis præfecti. Itaque sensus est; Quemadmodũ si Eunuchus, ad quem spectat Virginem incorruptam seruare, eandem illata vi constuprare audeat, grauissimè delinquit: sic iudex, qui iustitiæ, ceu virgini cuipiam integerrimæ custodiendæ præpositus est, si eandem violet, grauissimum admittit piaculum. Hùc spectat illud Tullianum ad Atticum lib. 1. *Afflicta respublica est empto, constuprato que iudicio.* Ad rem. Salomon igitur ad eandem similitudinem stupri ac Virginis suum prostituentis pudorem adludens sic ait. *Et pro buccella panis deserit veritatem*, id est, iudex iste personarũ, ac munerum acceptor, iustitiam Virginem (liceat sic dicere) in meretricem omnium corruptelis expositam commutat: adeò vt quemadmodùm infamis meretricula accepta buccella panis sine discrimine cuilibet procumbit; ita etiam in eiusmodi magistratibus si iustitia, & iudicium cuilibet passim pro munere aliquo exiguo sese inclinet, prosternat, & ab illo constuprari sinat. D E

Quod si aliquid sincerius cupis, dicendum prorsus cum Iansenio, Rodolpho, Lyra, Hugone, Dionysio, atque aliis interpretibus, per *buccellam panis*, vilissimum pretium notari, scilicet obolum, aut quid vilius: Imò quibusdam placet obolum ita dictum quasi *ob bolum*, pretium scilicet propter bolum, id est, propter panis fragmentum, aut buccellam datum. Eodem sensu Diuus Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Athanasij ita dixit. *Hominem maza venalem, ventris causa quiduis facere, ac dicere edoctum.* Neque verò cum præfatis interpretibus sentio, Salomonem hoc iudicibus exprobrare, quod vilissima munera accipiant; nam experientia docet, magistratus, ac iudices, qui corruptelis patent, nonnisi ingentibus donis promereri posse; sed illis suadet, ne vel mazam, vel obolum, vel aliquid vilius accipiant; hæc enim natura humani iudicij, vt quolibet dono quantumuis exiguo, flectatur, atque inclinetur. Indulgent quidam doctores, atque iudicibus & magistratibus esculenta, & poculenta accipere licitum esse affirmant: ne id quidem permittit Salomon, qui nec mazam quidem, aut bolum ipsis accipere indulgendo concedit, ne si vel buccellam panis accipiant, ea ratione corrumpantur, & pro illa veritatem deserant. Ob hanc rationem Imperator Iustinianus §. *oportet*, de mandatis Princip. Auth. coll. 3. & Nouel. 25. in iuramento administrationis accipientium, *Nullum omnino neque maius, neque minus donum* ab his quolibet nomine, ac titulo accipi iubet. *Oportet*, inquit, *te purè sumentem administrationem, & sine omni suffragio, & præ omnibus aliis mundas seruare manus Deo, nobisque, & legibus, & nullum contingere lucrum, neque maius, neque minus*, &c. 109. Nazianz. Iustin. Imp.

Translatio etiam LXX. ad eundem sensum trahi debet. *Qui non reueretur facies iustorum, non est bonus; qui talis est buccella panis vendet virum*, id est, iudex ille, qui eorum, qui iusta defendunt (hos enim iustos appellat) non respicit vultus, sed corruptus potius munera, & personas accipit, eiusmodi, inquam, iudex etiam pro buccella panis, id est, pro obolo, virum quempiam diuendet, illum capite damnans, & neci adiudicans. Auget nimirùm istorum iudicum corruptelas, qui scilicet, vsque adeò muneribus acquiescunt, vt rem maximam pro minima, id est, mortis sententiam pro obolo dare non dubitent. 110.

---

22. *Qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.*

QVi festinat, &c. Hebr. *Festinus ad opes vir mali oculi, & non sciet quod egestas veniet ei.* Chald. *Qui festinat ad substantiam, vir est oculi nequam.* LXX. *Festinat ditescere vir inuidus, & non nouit quod vir misericors obtinebit eum.* 11[illegible]

De festinatis diuitijs diximus supra cap. 20. v. 1. & cap. 13. vers. 11. & in hoc etiam cap. vers. 20. vide ibi plura. Et sane festinum ad opes appellat Salomon auarum, cuius tanta est diuitiarum auiditas, vt, si fieri posset, subitò opulentus, ac prædiues euadere vellet. Sed quid est quod eundem auarum appellat *virum mali oculi?* duplex sententia. Alij de ipsius auari concupiscentia accipiendum putant. Ioannes enim auaritiam ipsam *oculorum concupiscentiam* appellat. Auari autem hominis malos oculos venustè delineat Chrysostomus in sermone contra gulam. *Auarus*, inquit, *neminem vel amicum discernit, vel hostem, oculosque apertos gerens captus luminibus est.* Rursus in homil. 19. in Epistolam priorem ad Corinthios. *Et quid*, ait, *oculis illis impudentius, quid magis iniracundius?* Chrysost.

Ne eius vultum & oculos intuearis, quod sunt hominis: non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspicit auarus homines tanquam homines, non aspicit cælum tanquam cælum, neque sursum respicit ad Dominum, sed omnia putat esse pecunias. Hominum oculi solent intueri homines afflictos, & dolere, ac misereri; isti autem raptores vident pauperes & efferantur. Hominum oculi non tanquam propria vident aliena, sed etiam propria tanquam aliena, & non desiderant quæ data sunt aliis, sed in alios quoque sua effundunt: isti autem non ferunt nisi res omnium acceperint. Non enim humanum, sed belluinum habent visum. Hominum oculi nudum videre suum corpus non ferunt; suum enim est, etiamsi aliorum, quod attinet ad personam; isti autem nisi omnia denudauerint, & omnia domi recõdant, nunquam satiantur, imò verò nunquam implentur. Eadem fermè verba repetit in oratione de auaritia Tomo 5. An aliquid hisce oculis nequius excogitari potuit? Ad hæc idem Chrysost. hom. 64. in Ioannem. *Grauis, inquit, morbus est auaritia, oculos cæcat & aures obstruit, & quauis bellua sæuiores reddit.* Præcipuum ergo ac maximũ vitium, quod auari oculos tenet, est cæcitas, qui nimirùm *apertos oculos gerens, captus nihilominus luminibus est*, eapropter ne illud quidem videre potest, *quod egestas superueniet ei*, &c.

112. Alij rursus cum Vulgato ac Septuaginta interpretibus sentiunt, atque adeò per *malum oculum*, vt sæpe aliàs in hoc libro, inuidum accipiendum putant. Et sanè de malo tabifico, ac virulento inuidorum oculo iam inde supra non semel diximus. Illud proprium huius loci quod Salomon inuidiam, atque auaritiam duo esse cognata vitia significat. *Qui festinat ditari, atque aliis inuidet*, inuidentia auaritiam, auaritia verò inuidiam exacuit. Audi Chrysost. in hom. 63. in Ioan. (Chrysost.) *Grauis quidam affectus est inuidia: hic orbem terrarum innumeris impleuit malis. Hinc iudicia complentur, hinc liuores, & pecuniarum amor.* Et paucis interiectis. *Hic morbus auaritiam peperit, quæ omnia confundit, & iustitiam corrumpit.* Rursus inuidiam ex auaritia nasci docet Augustinus tractatu octauo in Ioannem. (August.) *Si vis ditior esse quàm alius homo, inuidebis ei, cùm videris tibi illum æqualem; debes ergo velle omnes homines tibi æquales esse.* Et in Psalm. 125. *Nemo, inquit, inuidet alteri in eo quod non vult vel esse, vel videri. Alius tibi inuidet quia diues es; hic autem aut diues vult esse, vt tibi inuideat, aut diues putari vult.* Et subinde optimum inuidiæ ac liuoris amuletum esse affirmat diuitiarum contemptum

113. *Qui ergo festinat ditari* per auaritiam, atque adeò aliis inuidet, & rursus qui carpitur inuidentia aliorum, atque ideò ditescere impensè cupit, *ignorat quod egestas superueniet ei.* Hugo, Dionysius, Lyra & Rodolphus, (Hugo. Dionys. Lyra. Rodolph.) de egestate vitæ alterius intelligũt hæc verba exemplo illius diuitis auari, qui sepultus in inferno guttulam aquæ sibi à Lazaro instillari afflictim orabat, nec exorabat. Arboreus (Arbor.) ad internam egestatem refert, ac si dicat: auarus iste pariter atque inuidus, non satis capit, fieri non posse vt ea ratione diues ac fœlix sit: quia licet multa bona lucretur, dùm per auaritiam liuore incensam multò plura expetit, semper egenus atque indigus apud se manet. Vel aliter, homo iste auarus ac liuidus, ad egestatem miserrimam compelletur, quia auaritia non finit illum partis fortunis perfrui, & inuidia non finit illum ea fœlicitate, quam iam tenet, gaudere; atque adeò perinde se gerit, ac si vtrisque prorsus careret. Iansenius (Iansen.) de supplicio Dei accipit hoc sensũ: Nimirùm sordidus iste homo, qui auaritiam inuidiæ copulauit, atque adeò alios egere vellet, vt ipse solus inter omnes diues sit, id supplicij pro meritis referet, vt aliis copias suas augentibus, solus ipse inter omnes indigus

A atque egenus maneat.

Denique Caietanus ad inconstantiam fortunarum refert. Hanc certè expositionem præfero. Existimo enim hîc per inuidentiam non significari liuorem, sed iram, & indignationem, vt sæpe aliàs in Scriptura sacra, tùm in hoc libro, tùm in aliis: frustrà hic exempla colligam, cùm sint obuia: sensum verò sic conformo. *Qui festinat ditari*, id est, qui ocyus ex paupere diues euasit, atque adeò superbè, vt fieri solet, pauperibus indignatur, vel eos aspernatur, *ignorat quod egestas superueniet ei*, id est, non satis agnoscit diuitiarum infidam, & instabilem possessionem: nam fieri potest, vt fortuna commutetur, & ipse quidem pauper ex diuite, alius verò ex paupere diues fiat, B atque adeò illo indigeat, quem prius violauit, ac læsit. Similem sensum reddit translatio LXX. *Festinat ditescere vir inuidus, & non nouit, quod misericors obtinebit eum.* Qui scilicet diuitias adeptus est, atque hisce tumidus pauperes spernit, illisque indignatur, dignus certè est vt ablatas ipsi fortunas Deus ad aliũ virũ misericordẽ trãsferat, qui de pauperibus bene mereatur. 114.

23. *Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum: magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.*

C QVi corripit, &c. Hebr. *Arguens hominem post me, gratiam inueniet magis quam blandiens lingua.* 115. Chald. *Qui corripit filium hominis, gratiam inueniet coram eo magis quam ille, qui bifidus est lingua.* LXX. *Qui corripit hominis vias, gratias reportabit magis illo, qui lingua gratificatur.* Aquila. *Præ deliniente linguam.* Admonet Rodolphus ex Hebr. quosdam vocem originalem אחרי *Achadai*, quæ subest illis verbis *post me*, ita accipere solitos, vt litera *Iod*, non indicet pronomen affixum, sed paragogica sit, ac tantummodò significet *post*, supplendumque aliquid esse hoc modo. *Qui corripit hominem post desideria sua euntem.* Sũt etiam qui putent eam vocem ad nomen immediatè præcedens esse reuocandam hoc sensu. *Qui corripit post hominem*, id est, qui instar homini assiduis corre- D ptionibus illum monendo. Sed magis assentior Caietano, qui putauit vocẽ illam idem esse quod *postea*, & non cum antecedentibus, sed cum consequentibus esse construendam, vt Vulgatum interpretem fecisse constat. In quibusdam etiam codicibus est, *Qui corripit hominem, gratiam audiet*, eodem sensu, nisi mendum suspiceris.

Qui ergo primitiuam lectionem horum verborũ edisserunt, non vno modo accipiunt illud *post me.* 116. (Rodolph.) Rodolphus ita exponit. *Qui corripit hominem post me, gratiam inueniet*, &c. id est, qui aliorum mores (ait Salomon) seuerius corripit, non secus aliorum gratiam & beneuolentiam inibit, quàm ego ipse, qui quamuis subditorum meorum mores coërcere nunquàm E desino, nihilominus tamen ipsis pergratus sum. Vatablus magis accommodatè sic explicat. *Qui corripit hominem post me*, id est, qui iuxta leges ac canones, quos in hoc libello præscripsi, hominum mores carpit ac vellicat, &c. Sed tamen hæc, me iudice, idonea non sunt, standúmque per omnia translationi Vulgatæ, quæ sic habet.

Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet. i. qui 117. alterius hominis vitã, & mores acrius coërcet, quamuis initio displicere videatur, tamẽ postea cùm is, qui corripitur, ad se redit, ac correptionis emolumẽta secũ reputat, suum monitorem gratia, ac beneuolentia cõplectitur: *magis quàm ille, qui per linguæ blandimẽta decipit*, is enim qui delictis conniuendo adblanditur, quamuis initio placere, & genio inseruire videatur, tamen

tamen postea cùm is, cui blandiendo assentabatur, assentationis damna & detrimenta experitur, assentatorem suum odio habet. Chaldæus extrema verba sic extulit, *magis quàm ille, qui bifidus est lingua*: bifidam linguam adulatori dat, quia is coram præsensque delinit aures: auersus verò, absensque mordet: atque adeò duplicem quasi linguam gerit, quarum alia quidem lambit, alia verò pungit, sed de hac re alibi etiam me dixisse memini.

118. Non est prætervolanda lectio illa. *Qui corripit hominem, gratiam audiet*, id est, gratiarum actiones tandem audiet. Accinũt LXX. *Qui corripit hominis vias, gratias reportabit.* Appositè ad hanc sententiam dixit Gregorius in prologo 3. partis Curæ pastoralis. *Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi, vt ita dixerim, quædam in cythara tensiones stratæ chordarũ, quas tangendi artifex, vt non sibi dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat: & idcircò chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur. Vnde & doctor quisque vt in vna cunctos charitate ædificet, ex vna doctrina non vna eademque exhortatione corda tangere audientium debet.* Hæc Gregor. Ex his verò Gregorij verbis Iuo Carnotensis in serm. 26. similitudinem illam vrgens sic commentus est. *Qui cytharam pulsat certè singulas chordas intendendo cùm temperat ingratum earum sonum audire solet; at postea cùm omnes tensæ, & modulatæ sunt ad harmoniam, suauissimum concentum eidem reddunt. Ita etiam doctor aut prelatus cum subditos suos, vel auditores coërcet, & quasi laxas cythara chordas ad virtutis, & honestatis obseruantiam intendit, absurda solet probra, & conuitia ab eisdem audire: at postea quàm omnes ad honestatem & charitatem modulati sunt, eiusdem aures laude, & gratiarum actione demulcent, quas prius vituperando violauerant.* Longiorem illius sententiam compendio dedi.

Greg.

Iuo Carnot.

119. Contra verò is qui lingua delinit, ac primum quidem suauem auribus sonum offert, nescio qua ratione easdem postea lædit ac violat. Et quidem appositè admodùm assentatorum blandimenta cum harmonia contulit Seneca in Epist. 123. *Quemadmodum*, inquit, *qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum, & praua laudantium sermo diutius hæret, nec facile est animo dulcem sonum excutere: prosequitur & durat, & ex interuallo recurrit, Ideò claudendæ sunt aures malis vocibus, & quidem primis; nam cùm initium fecerunt, admissæque sunt, plus audent.* Vide autem quanam ratione in assentatione ex concentu, & harmonia ad absurdissimam dissonantiam venitur, *ex inde*, inquit, Seneca, *ad hæc perueniunt*, id est, adulatores vbi aures Principum occuparunt, ita demum pronuntiare audent. *Virtus, & philosophia, & iustitia verborum inanium crepitus est; vna fœlicitas, bona vita, facere omnia liberè, frui patrimonio. Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit; quid dubitamus; quod iuuat facere, & satiari non semper voluptates decerpere: sed interim dùm potest, dùm poscit ingerere?* Et alia subinfert adulatorũ dogmata absurdissima, quæ non possunt non aures audientium dissono suo strepitu plurimùm lædere.

Seneca.

---

24. *Qui subtrahit aliquid à patre, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ.*

10. QVi subtrahit, Hebr. &c. *Diripiens patrem tuũ, & matrem tuam, & dicens: non est preuaricatio, socius est viri corrumpentis.* Pagninus sic

A extulit. *Particeps est dissipantis bona sua.* Caietanus, *socius est destructoris.* Vatabl. *socius est grassatoris.* Chald. *socius est viri dissipantis.* LXX. *Qui abiicit patrem, vel matrem, & videtur ipsi non peccare, hic consors est viri impij.* Aquila, Symmach. & Theod. *particeps est viri impij.* Et quidem in Primitiuis subest משחית *Maschith*, eandem vocem supra cap. 18. vers. 11. sic extulit Vulgatus. *Frater est sua opera dissipantis.* & Isaiæ 54. interfectorum reddidit. *Ego creaui interfectorem ad disperdendum*, &c.

Hugo, Dionysius, Lyra, Arboreus, & alij non pauci, docent Salomonem his verbis illam filiorum opinionem, aut hæresim potius confutare, quam etiam Christus Dominus Matthæi decimo quinto, seuerius B refellit, qui asserebant integrum esse liberis parentes suos necessariis ad tuendam vitam rebus defraudare, vt ea Deo libarent, & templo offerrent. Nam de hac hæresi ita Christus Dominus. *Deus dixit, qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur; vos autem dicitis, munus quodcunque est ex me tibi proderit, & non honorificauerit patrem suum, ac matrem suam; & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Ergo locum istum sic edisserendum putant. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, ac matre*, id est, qui ex his, quæ naturali iure parentibus debet, aliquid defraudat, vt illud Deo, aut templo consecret religionis gratia, & insuper *dicit hoc non esse peccatum*, quia nimirùm nõ videtur iniquum aut impium supremo parenti Deo tri- C buere ea, quæ humanis genitoribus eripiuntur, hic sanè *particeps est homicidæ*, id est, iisdem apud Deum pœnis obnoxius est, quibus subiacet homicida. Sed cur homicidæ pœnis dignus dicitur? ratio occurrit ex illa lege petita, quam Christus Dominus allegat Matthæi decimo quinto, ex cap. vigesimo primo Exodi. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Vbi verbum *maledixerit*, non est accipiendum de conuitiis, aut probris in parentes coniectis, vt quidam putant, sed, vt alij sentiunt, *maledixerit*, perinde est ac malefecerit, vel damnum dederit, ita vt sensus sit: Qui grauius aliquod damnum intulerit parenti suo, capite plectatur. Hunc autem sensum confirmant verba Christi Domini, qui illi legi opposuit D aliam contrariam, quam hominum malitia excogitauerat, illam scilicet. *Munus quodcunque est ex me*, &c. Ex quo liquet eadem pœna affici solitos parentum violatores atque homicidas, nam tùm horum, tùm etiam illorum secundùm legis præscriptum pœna capitalis erat. Salomon ergo sic ait: Qui defraudat patrem suum necessarijs ad vitam rebus quocumque nomine, atque adeò illum pauperiem, & alia incommoda subire cogit, cum his certè numerandus est, qui parentes suos violant, atque ex legis dispositione pœna ipsi cum homicida communis est; scilicet capitalis, sic enim habes, *morte moriatur.* 121.

Matth. 15.

Exod. 21.

E Cæterùm reliqui interpretes Salomonis verba latius patere existimant, ac vitium quoddam filiis iunioribus familiare ab ipso coërceri, qui parentum suorum bona & fortunas eripere, ac furari clanculùm solent, atque id minimè illicitum putant, quia paternorum bonorum posteà hæredes futuri, iam illa ad se pertinere existimant, atque adeò integrum sibi esse censent ea dissipare. Sed qua ratione isti fures filij homicidarum participes sint non aperiunt: possent tamen sic comminisci: eiusmodi filios qui à teneris annis parentum bona effurari incipiunt, exinde ad deprædanda etiam aliena assuescere, ac tandem prædones ac sicarios vias obsidentes effici. Quapropter iam tunc seuerissimè puniendi sunt, ne corruptis moribus ad deteriora prolabantur. 122.

123. *Caiet.* Sed tamen iuxta præmissas lectiones alij aliter integrum locum edisserendum putant. Caietanus sic legit. *Qui deprædatur patrem aut matrem, & dicit non est crimen, socius est viri destructoris.* Et quidem per *destructorem*, intelligit domus aut vrbis expilatorem, cùm post victoriam spolia colligit, ita vt sensus sit: Filius qui patris, vel matris suæ fortunas clepit ac diripit, idque crimine vacare putat, similis est hosti cuipiam victori domum expilanti: nam sicut is omnia bona, atque omnem pretiosam supellectilem nomine spoliorum aufert: ita etiam filius furax domum paternam bonis omnibus exhaurit. Itaque cùm filius sit ac domesticus, ab hoste non differt.

124. *Bainus. Iansen.* Bainus, cui hæret etiam Iansenius, sic legit, *Socius est grassatoris, aut dissipatoris.* Sensum verò sic conformat: Si quis filius bona, aut fortunas parentum suorum diripiat, quantùm coniectari licet, non sua solùm malitia, & prauitate id committit, sed quia socios habet grassatores, & dissipatores, qui eam mentem ipsi iniiciunt. Et quidem ita ferè contingit, vt filij decoctores cum sociis ac familiaribus bona paterna insumant, qui ipsis partim auctores, partim adiutores sunt, vt ea diripiant.

125. *Pagnin.* Pagninus alium sensum sua lectione nobis obtulit: nam sic habet. *Qui rapit bona patris sui, & matris suæ dicens, non præuaricatio: particeps est dissipantis bona sua*, id est, filius prodigus, qui parentis bona, & fortunas furto aufert, idque crimine vacare putat, nihil dissidet ab illo, qui sua ipsius bona profundit ac dissipat: quia cùm filius paternorum bonorum hæres ex asse futurus sit, quando parentis sui bona dilapidat, sua quidem bona, & non aliena dilapidat. Itaque iuxta hunc sensum ex eo Salomon filios à furtis bonorum paternorum deterret, quia hæreditatis suæ partem ipsi imminuunt, & non tàm parentibus, quàm sibimetipsis auferunt quidquid auferunt.

126. Sed tamen quamuis æquum sit ex superioribus expositionibus vnam, vel alteram Vulgatæ lectioni accommodare: tamen alia succurrit interpretatio, quæ mihi magis idonea, magisque cum Vulgato textu conformis concorsque videtur. Igitur per *homicidam*, non quemlibet passim interfectorem accipiendum esse censeo, sed prædonem notari puto, vulgò *salteador*: neque insolens hoc in sacra Scriptura. *Iob 24.* Iob vigesimo quarto. *Mane consurgit homicida, interficit egenum & pauperem, per noctem vero erit quasi fur.* & *Isaia 1.* Isaiæ 1. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ*, id est, latrones ac prædones: sic enim alij restituerunt. Deinde etiam notandum est, quod licet filij etiam tunc cùm parentes superstites sunt, quodammodò etiam rerum paternarum domini esse dicantur, vt colligitur ex Glossa in cap. *Adrianus* 63. dist. in c. fin. 24. quæstione 1. vnde à Terentio filius bonorum particeps appellatur in Adelphis.

Donec filius, inquit, *redierit bonorũ meorũ particeps.*

Tamen re vera hoc dominium qualecumque sit, quod in paterna bona filiis contingit, habet impeditum vsum, & dispositionem liberam, donec pendet patris vita: licet enim filius, vt pars quædam, seu membrum patris, patriarum fortunarum consors sit, quia tamen est pars subiecta, non habet vtendi libertatem, atque adeò illi in parentis fortunas minimè licet. Ergo Salomonis mens talis est. *Qui subtrahit*, inquit, *aliquid à patre, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum*, id est, filius, qui patris vel matris suæ fortunas clanculùm effuratur, quasi id licitum sibi sit, falsa quidem opinione luditur: nam re vera *particeps est homicida*, id est, socius est prædonis: quasi dicat, nihil dissidet à latrone, deprædatore, qui in alia bona manus mittit, *Nose diferencia del salteador, y ladron.*

A Nam simile est omnino ac par vtriusque peccatum, immò etiam maius fortasse filij furacis crimen, quatenus ab eo aufert propria bona, cui etiam ipse sua debebat. Hanc esse existimo germanam istius loci sententiam.

Cæterùm aliam subiicio, quæ aliquibus idonea visa est, his nimirùm qui, putant Salomonem hîc filios perstringere, qui parentes suos ad egestatem compulsos non subleuant bonis suis: itaque sic aio: 127.
Quemadmodum Diuus Augustinus diuites auaros, *August.*
qui pauperum extremam inopiam fortunis suis non leuant: coërcet illis verbis. *Si non pauisti, occidisti*, ita etiam Salomon filium, qui parentes egenos largitione suorum bonorum non reficit, homicidam, vel potius B parricidam appellat, itaque sic ait *Qui subtrahit aliquid à patre, vel matre*, &c. ac si dicat, filius ille, qui parentum indigentiæ non succurrit, atque adeò illis debitum naturæ subtrahit, cum homicidis, & parricidis censendus, ac numerandus est. Quod si hæc verba intelligas de pœna, & supplicio, quo parentum violatores ex hac vita sublati apud inferos afficiuntur, suppetunt verba Platonis in Phædro, vbi parentum violatores pari cum homicidis apud inferos pœna mulctari dicit. *Plato.* *Qui autem ingentia peccata commiserunt, veluti si qui contra patrem vel matrem irati per vim aliquid fecerint, sed pænitentia ducti eos in cætera vita coluerint, vel qui simili quodam pacto fuerint homicidæ, eos in tartarum quidem necesse est cadere, sed ibi per C annum commorati à fluctu eiiciuntur, homicidæ quidem per Blytum: parentum vero violatores per Pyriphlegethontem. Postquam vero ab his delati fluminibus ad paludem Archerusiam peruenerunt, clamant vocitantque eos, quos vel necauerunt, vel iniuriis affecerunt, suppliciterque rogant, atque deprecantur, vt eos permittant progredi per paludem, ibique absolui: ac si impetrauerint penetrant illuc, finemque malorum accipiunt, sin minus queant persuadere, referuntur ad tartarum, atque inde rursus in flumina: neque per hæc mala deferri prius cessant, quàm ab his quos affecerant iniuriis, veniam impetrauerint.* Hæc Plato, quæ licet commentitia & fabulosa sint, tamen satis declarant quo in loco veteres illi ponerent iniurias parentibus illatas, quandoquidem filios eorum violatores etiam post resipiscentiam pares homicidis apud inferos pœnas luere apud D se statuebant. Rursus etiam innuunt quàm sit honestum filiis, qui parentes suos quomodolibet læserint sui criminis veniam ab his supplices petere, quandoquidem etiam antiquis illis philosophis persuasum fuit, ne ab inferis quidem sine hac venia illos euadere posse.

---

25. *Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat: qui verò sperat, in Domino sanabitur.*

E QVi se iactat, &c. Hebraïcè. *Latius animo miscebit litem, & fidens in Domino impinguabitur*, subest nimirùm in Primitiuis רחב נפש *Rechab Nephes.* Occurrit etiam supra capite vigesimo primo, versu quarto. *Exaltatio oculorum, & dilatatio cordis.* Ad verbum autem sic efferri debet. *Elatus oculis, & latus corde.* Chaldæus hic. *Vir latus concitat iurgia.* In Regiis est, *Vir arrogans*, &c. L X X. *Infidelis vir iudicat temerè: qui autem confidit super Dominum in cura diligenti erit.* In Complutensi Regio, & aliis, *Insatiabilis vir iudicat temerè*, &c. Aquila, & Symmachus. *Latus animo*, vel *lati animis acuit litem.* 128.

Illud

Illud anceps apud interpretes quid per animi latitudinem hîc significetur. Rabbi Leui, Hominem latianimem eum, inquit, intelligo, qui vt auram popularem captet, vana opum ostentatione, & luxu sua temerè profundit, & in quoslibet dissipat, vt multos sibi deuinciat. Hæc ille. Locum verò sic interpretari videtur. Qui latus est animo, id est, qui bona sua temere insumit, vt multos sibi obstringat ciues, tunc cùm exhaustis fortunis egere cœperit, opus erit ipsi litem aliquam singulis indicere, & amicitiam abrumpere: est enim valde solemne illis, qui decoctis fortunis in paupertatem reciderunt, litigia aliis mouere, vt, si fieri possit, aliquid inde recipiant, vel potius suarum ipsi opum reliquias consumant. Aut, si id non placet, possunt certè aliter iuxta præscriptam significationem verba explicari ad hunc modum. Qui bona sua temerè, & sine modo aliquo iactabundus profundit, *concitat*, *miscet*, vel, *acuit lites*, scilicet contra se, eò nimirùm angustiarum deuenire solet, vt dum creditores multi contra ipsum lites mouent, suis cogatur bonis cedere, nec sine infamia: de qua infamia lege Gregorium Tolosatem in Syntagmate iuris vni libro 23. capite 11. vbi solemnes olim ritus cedendi bonis suis commemorat, qui extremam infamiam continebant. Et sanè huic expositioni plurimum tribuo, quia in Vulgatam lectionem aptè quadrat: ita enim habes. *Qui se iactat & dilatat*, &c.

Rabbi Leui. Greg. Tolos.

129. Rursus idem Rabbi Leui aliã expositionem commentus est: ait enim, per eum, qui *corde*, aut *animo latus* dicitur, iuxta scripturæ phrasim aliquando auarum, aliquando etiam superbum significari solitum: hîc verò vtrumque simul notari. Itaque sentit, latum animo in hoc loco dici eum, qui auarus vnà atque superbus est: cui adstipulari videtur lectio Vulgata. *Qui se iactat & dilatat*, nam verbum *iactat* fastum superbiæ, verbum *dilatat* auaritiæ cupiditatem innuere videtur. Hic ergo superbus simul & auarus homo, *excitat iurgia*, vel, *miscet lites*, scilicet intra seipsum: duo nimirùm vitia continet, quæ assiduò secum pugnant, & sibi inuicem lites intentat: superbia enim profusos sumptus poscit ad venditationem gloriæ, auaritia verò è contra sumptus inhibet, ac sordidum hominem reddit, atque adeò duos quasi implacatos litigatores intra se cohibet.

Pagnin. Pagninus per *latum animo virum*, intelligit animosum, audacem, & iracundum: iuxta quem intellectum sensus loci facilè expeditur, *latus animo iurgia concitat*. Id est, vir ad iram procliuis multos in se prouocat aduersarios, atque innumeris iurgiis litibusque passim causas offert. Nil certius.

130. Iansen. Iansenius *latum*, vel, *amplum animo* dici putat superbum: fastus enim animum dilatat, humilitas comprimit. Reliqui verò ad vnum interpretes, *latianimem* appellari affirmant auarum, qui sua quidem desideria & cupiditates non colligit, sed explicat dilatatque: quibus fauet translatio Septuaginta quæ habet ἄπληστος ἀνὴρ, Id est, *vir inexplebilis*, aut insatiabilis. Ego verò cum Rabbi Leui sentio, atque vtrumque tàm auarum quàm superbum his verbis notari autumo: non tamen ita vt vnus idemque auarus simul & superbus dicatur, sed diuersi. Ad hanc expositionem compellit nos translatio Vulgata. *Qui se iactat & dilatat*, id est, tàm is, qui ex iactantia tumet, nempe superbus, quàm ille qui animum suum latissimè explicans nullis expletur bonis ac fortunis, scilicet auarus, iurgia concitat, vterque nimirùm iurgiis, controuersiis, litibusque causas multiplices offert. Ad auarum spectat illud Iacob. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis & non habetis: occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci: litigatis*

Iacob. 4.

A *& belligeratis*, &c. Et Pseudo-Chrysostomus Homilia 40. in Matthæum vtrumque vitium copulauit. *Vnde putas lites in Ecclesia, inimicitias & altercationes in inuicem, nisi propter auaritiam & superbiam?* Et verus Chrysostomus Homilia de sancto Philogonio fœlicem beatitudinis statum describens inter alia sic scrib. *Vbi non est meum ac tuum frigidum illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram inuehens, innumeraque gignens bella.* Frigidum autem verbum ideò appellat, quia frigus charitati fraternæ maximum immittit, & illius flammas restinguit. De superbia autem sic sentit Homilia 26. in epistolam ad Romanos. *Nihil enim adeò corpus Ecclesiæ scindit, atque superbia.* & infrà. *Nihil enim ita à reliquis auellit & abscindit, quemadmodum si quis per fastum se sufficere sibi ipsi putauerit.* Mitto alia. Subtexit Salomon.

Aut. imperf. Chrysost.

B

131. *Qui autem sperat in Domino, sanabitur*. Vel vt habent origines; *impinguabitur*. In Domino sperare opponit Salomon tàm superbiæ, quàm auaritiæ: vtrumque certum: nam superbus in semetipso fiduciam locat suam, auarus autem in pecuniis spem reponit, neuter autem in Domino confidit. Vtrumque remouere voluit Paulus prima ad Timotheum 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo*. rationem autem huius fiduciæ subdit, *qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*. Ait ergo Salomon; homo iste, qui fidem ac spem suam in Deum coniecit, atque adeò auaritiam, & superbiam repudiauit, *impinguabitur*, hoc est, diuitias inueniet pingues, scilicet *ad fruendum*, nam lites omnes, & controuersias ignorabit, quæ diuitiis honoribusque perfrui auarum vel superbum hominem non sinunt. Vel *sanabitur*, id est, sanus, & incolumis erit, nam iurgia, litesque hominem multis curis, ac molestiis implent, curæ autem atque molestiæ saluti, & valetudini insidiantur, hominemque macrum, & imbecillem reddunt.

1. ad Tim. 6.

C

132. Atqui LXX. sic restituerunt. *Qui autem confidit super Dominum, in cura diligenti erit*. Sed hæc verba ad Dei curam referenda sunt. Quasi dicat: is, qui spem suam, & confidentiam in Deum contulit: in ipsiusmet Dei diligenti ac minimè socordi cura erit: Deus nimirùm ipsius curam diligentem suscipiet, iuxta illud,

Psal. 54.

D *iacta cogitatum tuũ in Domino, & ipse te enutriet*. Eam enim fiduciæ rationem præscripsit Paulus suprà. *Qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*. Nec caret emphasi illud *in cura diligenti erit*. Nam secundum iura, & leges ciuiles, vt auctor est Baldus, *diligentem rerum* alienarum curam habere quispiam tunc dicitur, cùm illas perinde curat ac si propriæ essent. Cùm igitur Salomon *in diligenti Dei cura* eum futurum dicit, qui suam in ipsum spem retulerit, planè significat eiusmodi hominem sic à Deo curandum, quemadmodum Deus curat seipsum. Nimirùm ita Deum cum ipso futurum, vt sicut ipse sibi sufficiens est, ita etiam homo intra seipsum rerum omnium sufficientiam habeat. Adi Senecam in Epistola 119. vbi post-

Baldus. Seneca.

E quàm, de hac sufficientia disceptauit, ita demum absoluit. *An parum habet qui nullius rei indiget? Plus Iupiter ipse non habet.*

26. *Qui confidit in corde suo, stultus est; qui autem graditur sapienter, ipse saluabitur.*

133. QVi confidit, &c. Hebr. *Et ambulans in sapientia, ipse euadet*. Chaldæus. *Qui ambulat in sapientia protegetur à malo*. LXX. *Qui confidit audacia cordis, ipse est imprudens; qui autem ambulat sapientia, saluabitur*. In quibusdam codicibus olim erat *laudabitur*, pro *saluabitur*, sed mendum hoc emaculatum est iam in Vaticanis.

Caiet. Non vna huius loci expositio occurrit. Caietan. fidere in corde perinde esse dicit ac sequi cordis cupiditates & libidines, hoc sensu. *Qui confidit in corde suo, stultus est*, id est, qui suæ voluntatis animique impetus, & propensiones ad improbitatem sectatur, stolidus ac vecors est. *Qui autem graditur sapienter*, vel, *in sapientia*, id est, secundùm sapientiæ ac rationis præcepta & leges viuit, *saluabitur*, hoc est, ad salutem perueniet. Itaque iuxta hanc interpretationem suadet Salomon non secundùm libidinem, sed secundum rationem operari ac viuere. Non acquiesco.

Iansen. Bain. Iansenius & Bainus, *confidere in corde*, idem esse dicunt, quod proprij cordis cogitationes ac consilia sequi, hoc sensu. *Qui confidit in corde suo*. Id est, qui suo innixus iudicio ad res agendas consiliarios non adhibet, hic planè *stultus est*, ac per stultitiam istam multa sibi accersit mala, & incommoda; *qui autem graditur sapienter*, id est, qui, vt solemne est prudentibus, non suam solùm, sed etiam aliorum sapientiam suarum actionùm ducem habet, hic nequaquàm periclitabitur, sed ab omnibus malis & incommodis liber erit. Etiam hæc expositio vim aliquam verbis afferre videtur.

Hugo. Lyra. Dionys. Hugo, Lyra, & Dionysius, *confidere in corde*, ad superbiam in vniuersum referunt, itavt sensus sit: qui superbia & fastu tumens sapientem se æstimat, hic planè stultus est, iuxta illud quod supra habes c. 26. vers. 12. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habet insipiens*. Sed tamen secundùm hanc interpretationem posterius hemistychium non satis cohæret cum priori.

134. Quapropter aliam esse reor Salomonis sententiam, quam nobis offerre videtur translatio Septuaginta, qui verba ista sic extulerunt. *Qui confidit audacia cordis*, &c. itaque *confidentiam* istam ad audaciam retulerunt. Inde ergo talis sensus elicitur. *Qui confidit in corde suo stultus est*. Id est, qui propria fretus virtute audacter in pericula & in occasiones tentationesque ruit, stultus ac vecors est: quia nimirùm ipsum pericula inuoluent ac tentationes in ruinam impellent. *Qui autem sapienter graditur*, id est, qui cautè procedit, ac gressus suos ita regit, vt discrimina ac tentamenta declinet, *hic certè saluabitur*, vel, vt est in Primitiuis, *euadet*, saluus nimirùm & incolumis. Verumque satis certum. Simile est illud Ecclesiastes. *Qui amat periculum peribit in illo*, &c. Audi Chrysost. hom. 66. ad Populum. *Tentatio*, inquit, *vos non apprehendat nisi humana. Precemur Deum ne intremus in tentationem. Nam illud est humilium hominum se periculis non ingerere, imò generosorum atque sapientum. Nec itaque nos geramus temerariè*, scilicet in pericula & tentationes ruendo, *audacis enim est: neque rebus tractis vocantibus cedamus, timidi enim hoc est: si ergo aliqua causa honesta nos vocet, ne recusemus: cùm verò nulla causa, aut vtilitas, necessitasve secundum pietatem vocat, ne corruamus: ostentatio enim est ac superba iactatio. Noli tentationes accrescere, quid superflua attrahis pericula, quæ nullam habent vtilitatem? semper hostem expecta, non tamen hostes tibi parias: hoc enim non est militis, sed seditiosi*: (qui scilicet non obsistit hosti ad bellum accitus: sed bella ciet, & præliorum incentor est.) *Si verò religionis tuba vocet, statim progredere, & animam paruipende, multa cum alacritate descendas ad certamina hostium, aciem dissipa, confringe caput diaboli, trophæum erige*. En qua ratione non saluatur solùm qui prudenter in pericula ruit, sed etiam victis hostibus seriò triumphat.

Eccles. 3. Chrysost.

135. Cyprian. Item Cyprianus in libro de singularitate clericorum sic scribit. *Verendum est dormienti in ripa ne cadat, cùm dicat Apostolus, Qui se putat stare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quàm male fidere: & vtilius est vt infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat: de qua re præsumptores obiurgat Apostolus, Si quis putat se aliquid esse, cùm nihil sit, seipsum implanat. Pro certo enim implanator proprius suam animam decipit, qui non cauendo contraria noxiis rebus semetipse commiserit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascunque noxias extimescit*, &c. Non minus eleganter de hac temeritate adeuntium sponte pericula & tentationes, D. Ephrem. in Parænesi 47. *Cogitationibus temerariis ne consenseris: neque enim leones, neque dracones, neque barbari tantùm nocere poterunt, quantùm temeritas morem ipsi gerentibus*. Et infrà, *Quid temeritate in mundo sæuius atque atrocius? quippè quæ suos amatores hostibus tradit, ac profugos reddit: odit veritatem, mendacium diligit, disciplinam non admittit, insolentia & contumacia gaudet, Deum contemnit. Initium eius priuatio diuini timoris, finis verò ipsius pernicies & exitij hæreditas*: Vide ibi plura in hanc sententiam: atque his adiice illud ex Seneca in Hercule furente. D. Ephrem. Senec.

Nemo se tutè periculis offerre tàm crebrò potest.
Quem sæpè transit casus, aliquando inuenit.

---

27. *Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.*

QVi dat pauperi, &c. Hebr. *Qui dat pauperi non deficiet, & abscondenti oculos suos multitudo maledictionum*. Chald. *Et qui prohibet, oculum suum à paupere, multæ erunt maledictiones eius*. LXX. *Qui autem auerterit oculum suum in multa erit penuria*. Schol. *Non prosperabitur*. 136.

Cyprian. Huius loci plenum commentarium dedit nobis sanctus Cyprianus in oratione de Opere & Eleemosyna, vbi sic habet. *Si vereris, ac metuis, ne si operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad inopiam redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus: Finiri non potest vnde in vsus Christi impenditur, vnde opus cœleste celebratur. Non hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum Scripturarum fide, & diuinæ pollicitationis auctoritate promitto: loquitur enim per Salomonem Spiritus sanctus, ac dicit; Qui dat pauperibus numquàm egebit, qui autem auertit oculum suum, in magna penuria erit; ostendens misericordes atque operantes egere non posse, magis parcos ac steriles ad inopiam postmodum deuenire*. Et paucis interiectis, *Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter cœperis, & nescis miser quia dum times, ne res familiaris deficiat, vita ipsa & salus deficit, & dum ne quid de rebus tuis minuatur attẽdis, nõ respicis quod ipse minuaris amator magis mãmonæ quàm animæ tuæ: Et dum times, ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas*. Et subinde post pauca. *Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter cœperis? Quando enim factum est, vt iusto possent deesse subsidia vitæ? Daniel in lacu ad leonum prædam iussu Regis incluso prandium diuinitus apparatur, & tu metuis ne operanti tibi, & Dominum promerenti, desit alimentum? Vnde hæc incredula cogitatio? vnde impia & sacrilega ista meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus?* &c. Lege ibi plura. Et quidem de hac thesi habes multa supra cap. 15. vers. 18. ad illa verba, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi*, &c.

137. Sed in lancem mittenda sunt illa verba, *qui despicit pauperem*, &c. Hebr. *Et abscondenti oculos suos à paupere multitudo maledictionum*. Noster interpres per

per *maledictionem* penuriam accepit, cuius significationis non semel aliàs meminimus in hoc libro, quia sicut *benedictio* copiam & vbertatem rerum, ita etiam *maledictio* egestatem & paupertatem notat. Itaque licet sic restituere; vt quidam non imperitè vertit, *Et abscondenti oculos suos multitudo paupertatum*, id est, non vna paupertas, sed multiplex incubat. Nihil sanè est, quod magis animum ad misericordiam flectat quàm aspectus miseriæ. Salomon ergo auari hominis impietatem exaggerat, qui ne fortè visa pauperum miseria misericordia pulsetur eius animus, oculos suos abscondit. Cyprianus supra, *Egentem, inquit, & pauperem non vident oculi tui superfusi nigris tenebris & nocte contecti. Iounge oculos tuos non stibio diaboli, sed collyrio Christi.* Et infra. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; ita fiet vt neque à te auertatur facies Dei.* Cyprian.

138. Rursus cùm ait non ab vna, sed à multiplici paupertate diuitem immisericordem opprimendum iri, pœnam illius non parùm etiam extollit. Nam si percurras enumeresque omnia bonorum genera, nullum inuenies in quo auarus indignus non sit: omnia enim bona aut externa sunt, aut interna, aut temporalia, aut æterna. Multiplex ergo auaro homini paupertas à Salomone interminatur, quia in omnibus his bonorum generibus indigus egenusque futurus asseritur, cui nimirum deficiant tàm interna quàm externa, tàm temporalia quàm æterna bona. Audi Chrysostomum horum internam paupertatem exaggerantem. *In Ecclesiâ ergo non solum sunt pauperes corporaliter, esurientes, aut debiles corporaliter, aut peregrini secundum corpus, sed etiam spiritualiter pauperes sine cibo iustitia, sine potu agnitionis Dei, sine vestimēto Christi. Maximè autem spiritualiter pauperes sunt qui corporaliter videntur diuites esse, quia plerunque in abundantia rerum inopia iustitia inuenitur: sunt peregrini corde, sunt mente cæci, inobedientia surdi, & cæteris passionibus spiritualibus ægrotantes, quorum anima omnem escam spiritualem abominantur, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Ad externam paupertatem pertinet quod diuites auari aut demùm iacturam fortunarum subire coguntur, aut partis non fruuntur, quod egestati parem molestiam continet. Illud etiam paupertate ipsa grauius, cùm plura concupiscunt quàm habent, atque adeò pluribus indigent, quæ non vna certè, sed trina paupertas est, de qua trina paupertate Chrysostomus multa homilia 25 in Epistolam ad Hebræos, & Seneca epistola 119. ab illis verbis. *Neminem pecunia diuitem fecit.* Ad externam denique paupertatem spectat illud eiusdem Chrysostomi Homilia 23. in Genesim. *Diuites his omnibus relictis nudi hinc migrant, tantum malitia vestiti, & peccatorum oneribus inde collectis.* Pergo ad alia. Chrysost. Chrysost. Seneca.

---

28. *Cùm surrexerint impij, abscondentur homines: cùm illi perierint, multiplicabuntur iusti.*

139. Cum surrexerint, &c. Hebræa non dissonant. LXX. sic habent. *In locis impiorum gemunt iusti; in illorum autem perditione abundabunt iusti.* Aquila, Symmachus, & Theod. *Abscondentur iusti.* vt est in Vulgatis.

Non vna huius loci expositio. Hugo Cardinalis non parum insinuat verba isthæc ad iustos intendi, & Salomonem pios homines adhortari vt cùm persecutores sæuierint, latebras quærant, ac fuga saluti suæ consulant, ita vt sensus sit. *Cum surrexerint impij abscondentur homines.* Id est, quoties impij resurrexerint contra probos, non prodenda statim vita sine causa, sed latebræ petendæ, donec persequutio detumuit, vt postea iusti magno numero in apertum prodeant. Tertullianus librum conscripsit in quo fugientes in persequutione serio damnat. At non modò reliqui Patres ac vnum Tertulliani dogma refellūt, sed ipse sibi planè aduersatur in lib. de patientia ca. 13. Diuus Athanasius non modò exemplo, sed etiam sermonibus fugam in persequutione suasit, sed tùm maximè in Apologia de fuga sua, vbi inter alia duas præcipuè rationes, ob quas tùm prælatis, tùm etiam priuatis fuga salutaris sit, his, quæ subdo, verbis complexus est. *Vtilis, inquit, populis & fructuosa fuga sanctorum. Quapropter sancti fugientes sese occultabant, & per dispensationem Dei, tanquàm medici, in vsus indigentium reseruabantur. Reliquis autem, & in vniuersum omnibus ea lex proposita est, vt fugiant dùm in persequutionibus appetuntur, & occultent sese dum quæruntur, neque præcipites temerarijque sint in tentando Deum; sed expectent donec definitum sibi moriendi tempus aduenerit, aut iudex ille aliquid de his, quod sibi rectum videbitur, constituerit, qui nos semper paratos esse voluit, vt vel vocante tempore, vel apprehensi pro Ecclesia vsque ad mortem dimicemus.* Lege ibi plura. Tertul. Athanas.

Aliam rationem attigit Nazianzenus in orat. 3. Apologetica ob quam fuga in persequutione vtilis est. *Neque enim, inquit, Christianos quantumuis fortes, ac singulari tolerantiâ præditos sui tantùm rationem habere oportet, sed persequutoribus quoque consulere, ne quantum in ipsis est, ad hostile periculum ex se ipsis aliquid conferant.* Succedat Augustinus tractatu 46. in Ioannem, qui de Paulo ex præalto muro in sporta demisso sic addit. *Vidi in Epistola fugientem Paulum: per murum in sporta submissus est, vt manus persequentis euaderet; non ergo illi cura fuit de ouibus, quas lupo veniente deserebat? Fuit plane, sed illas pastori in cœlo sedenti orationibus commendabat, se autem vtilitati eorum fugiendo seruabat.* Sed de fuga in persequutione absolutissimè agit idem Augustinus epist. 180. lege ibi multa. Redeo ad Salomonem. *Cùm surrexerint*, inquit *impij abscondentur homines*, id est, subripere se & latebras petere debent viri probi atque vtiles, *cùm illi perierint, multiplicabuntur iusti.* Quasi dicat: ideò autem fugere ac delitescere debent viri illi, vt sublatis postmodùm persequutoribus mores instaurare, ac iustorum piorumque numerum augere exemplo, atque industriâ suâ possint. Cæterùm huic expositioni non admodùm acquiesco. 140. Nazianz. August.

Secunda interpretatio Iansenij & Rodolphi sic habet. *Cùm surrexerint impij*, id est, cùm improbi ac scelesti homines regnauerint, *abscondentur homines*, id est, includentur, atque in carceres & vincula mittentur viri iusti ac pij, vt cum libertate licentiam in tyrannos admittant. Accinit illud Xenophontis de republica Atheniensi apud Stobæum sermone 43. *Si diuites, inquit, atque improbi in ciuitate præualuerint, breuissimum tempus populi imperiū durabit, quia bonos ignominiis afficiunt, vinculis adstringent, pecunijs exuent, expellent, & occident; malos autem promouebunt.* Contra verò cùm Principes impij de medio sublati fuerint, & aliis iustis rectisque imperia capessere licuerit, multiplicabuntur iusti, &c. 141. Iansen. Rodolph. Stobæus.

Tertia expositio, quam reliqui interpretes vulgò amplexantur, est eiusmodi: Cùm impij ac scelerati Principes reipublicæ clauum tenent, *absconduntur homines* probi, non quidem patriam sponte deserentes, aut in custodijs per vim inclusi, sed tamen semetipsos in silentio continentes, & Principum oculos, conspectumque vitantes. Quapropter dùm eâ ratione disparent, ac sese occultant, nulli prorsus pro eo tempore in republica videntur esse iusti ac probi homines, 142.

mines, sed postmodùm sublatis tyrannis, improbisque Regibus, *multiplicantur iusti*, quia nimirùm hi qui delituerant, caput attollere, & suam probitatem publicè ostentare audent. Itaque sensus est, in magna republica semper esse viros iustos non paucos, qui etsi ad tempus impiis regnantibus coacti sileant, & occulti maneant, tamen eisdem sublatis palam magno numero caput exerunt, & in apertum prodeunt. Id verò significat impietatem & nequitiam non ita contra pietatem & iustitiam posse, vt eam, tunc cùm maximè imperare ac regnare videtur, prorsus exterminet. Audi Aristotelem libro tertio Politic. capite tertio, vbi postquàm dixit impossibile esse vt vna omnes ciues etiam in beatissima republica virtuti studeant, sic demùm ait: *Ex dissimilibus constat ciuitas*, scilicet ex probis atque improbis, *vt animal ex anima & corpore, anima verò ipsa ex ratione, & appetitu.* Quasi dicat, quemadmodum animal ex anima & corpore, ita ciuitas ex seruis ac liberis constat: item, sicut anima ex appetitu & ratione, ita etiam ciuitas ex probis atque improbis coalescit. Quid inde? Quemadmodum, inquit, cùm appetitus regnat, & rationem sibi substernit, non quidem rationem mentemque omnino extinguit, sed illis vsuram & actiones inhibet atque impedit; ita etiam cùm improbi, secundùm appetitum & concupiscentiam viuentes imperium tenent, pios ac probos homines secùndum rationem agentes, non quidem de medio tollunt, sed eis tantum hoc interdicunt, vt suam probitatem publicè prodant. Rursus, sicut appetitu suppresso ratio imperat, & suas publicè actiones exerit; ita etiam sublatis improbis Regibus pietas, probitasque regnat, ac suos amatores in apertum producit.

143. Quartam interpretationem offert nobis translatio LXX. quæ sic habet: *In locis impiorum gemunt iusti, in illorum autem perditione abundabunt iusti.* Itaque LXX. verbum illud, *abscondentur*, ad luctum retulerunt; solent enim qui lugent domus penetralia, & lares petere. Quasi dicant: in ditionibus illis vbi impij regnant, iusti quidem ac probi homines multa perpeti incommoda, multa onera subire coguntur, sub quibus gemere opus est. Nam cùm improbi ac scelesti homines sint ferè iugi expertes atque oneris impatientes, iugum onusque à tyranno & iniusto Principe viris probis iustisque imponitur, quia illos vtriusque tolerentes fore sperat. Contra verò cùm sublatis impiis iusti Principes imperia capessunt, impios quidem etiam detrectantes ad iugum oneraque toleranda compellunt, & iustos piosque homines econtrà leuant atque exonerant: atque adeò abundant florentque. Vel aliter. *In locis impiorum gemunt iusti*, id est, regionibus illis vbi iniusti Principes imperant, gaudent quidem ouantque scelesti homines: at verò iusti, ac boni, dolent reipublicæ vicem, & communis boni detrimenta non sine lacrymis adspectant.

144. Sed quamuis præmissæ interpretationes non sint inelegantes, tamen id desiderare mihi videor in illis, quod extrema illa verba, *multiplicabuntur iusti*, cum antecedentibus parum aptè cohærent. Quapropter extremam expositionem subiicio, quæ idonea mihi magis videtur. *Cùm surrexerint Principes, abscondentur homines.* Id est, cùm impij regnauerint, disparebunt viri iusti, quia paucos, ne dicam nullos, etiam si requirantur, inuenire licebit. Contrà verò vbi interierint iniusti Principes, & alij iusti probique sceptra sumpserint, *multiplicabuntur iusti*, magno videlicet numero suppetent iusti ac probi homines. Itaque mens Salomonis est ad Principis exemplum & mores totam rempublicam, componi, atque adeò cùm Rex iniustus imperat, multiplicatis impiis, vix probum aliquem ciuem inuenire posse, cùm verò iustus atque probus Princeps regnat, multiplicatis ex aduerso iustis, vix improbum aliquem ciuem occurrere. Eam enim vim habent Principum mores, vt vniuersam rempublicam sibi facilè assimilent. Quapropter eos *fermento* non absimiles esse dixit Basilius imperator ad Leonem filium, quia sicut fermentum totam conspersionem breui tempore ad saporem suum conuertit, ita etiam Principum mores totam rempublicam ad se transferunt. Et subinde Exhortationum cap. 62. addit Principum virtutibus eam inesse vim, vt non modò superstites, & eos qui viuunt, sed minores etiam ac posteros ad honestatem informent. *Principis*, ait, *innocentia & boni mores in multas ætates protenduntur, & memoriam nominis æternam transmittunt ad posteros. Quibus virtutem tuam æmulandam, quasi pharmacum, aduersus mala omnia relinques: eosque & laudatores & imitatores tuæ administrationis etiam defunctis effecies.* Aptè igitur Salomon ait, *Multiplicabuntur iusti*, quandoquidem boni vnius Principis honesta vita non suo tantum sæculo, sed deinceps per multas ætates multos ad honestatem posthumos imitatores sibi creat.

Nec dissimilis ratio est de improba & turpi alicuius iniusti Principis vita ac moribus. Audiendus etiam Aristoteles in libr. de Rhetorica ad Alexandrum cap. 1. *Neque id*, ait, *te prætereat, quod hominum plurimis aliis quidem lex ipsa, aliis verò tua tùm vita, tùm oratio exemplo datur.* Pende energiam horum verborum, quibus significat Philosophus vitam Imperatoris ac Principis subditis quidem viuam legem, alienis verò exemplum. Quapropter quemadmodum nihil ad ciues vel bonos vel malos, vel probos, vel improbos reddendos magis potest quàm lex ita etiam nihil ad eosdem ciues ad probitatem compellendos, vel ad improbitatem traducendos magis valet, quàm vita, & mores Principis, vt proinde plures esse in republica viros probos aut improbos ex illius vita pendeat. Adde etiam quod, vt docet Aristoteles, Principis mores non subditos tantùm veluti lex ad honestatem vel turpitudinem instituit, sed etiam alienos tanquàm exemplum, inuitat, vt proinde verum sit peruulgatum illud proloquium. 145.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Quia non solùm eam orbis partem cui imperat veluti lex continet, sed omnem aliam veluti exemplo suo informat.

CAPVT

CAP. XXIX. SALOMONIS.

1. *IRO, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet in-
teritus: & eum sanitas non sequetur. 2. In multiplicatione iustorum
lætabitur vulgus: cùm impij sumpserint Principatum, gemet populus.
3. Vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: qui autem nutrit
scorta, perdit substantiam. 4. Rex iustus erigit terram, vir auarus de-
struet eam. 5. Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico
suo, rete expandit gressibus eius. 6. Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus: & iustus
laudabit atque gaudebit. 7. Nouit iustus causam pauperum: impius ignorat scientiam.
8. Homines pestilentes dissipant ciuitatem: sapientes verò auertunt furorem. 9. Vir sapiens,
si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem. 10. Viri sangui-
num oderunt simplicem: iusti autem quærunt animam eius. 11. Totum spiritum suum profert
stultus: sapiens differt, & reseruat in posterum. 12. Princeps, qui libenter audit verba men-
dacij, omnes ministros habet impios. 33. Pauper & creditor obuiauerunt sibi: vtriusque illu-
minator est Dominus. 14. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum fir-
mabitur. 15. Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur volunta-
ti suæ, confundit matrem suam. 16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera:
& iusti ruinas eorum videbunt. 17. Erudi filium tuum & refrigerabit te, & dabit delitias
animæ tuæ. 18. Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui verò custodit legem, bea-
tus est. 19. Seruus verbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, & respondere contem-
nit. 20. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius
correptio. 21. Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, posteà sentiet eum contumacem.
22. Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procli-
uior. 23. Superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria. 24. Qui cum
fure participat, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat. 25. Qui timet homi-
nem, citò corruet: qui sperat in Domino, subleuabitur. 26. Multi requirunt faciem Princi-
pis: & iudicium à Domino egreditur singulorum. 27. Abominantur iusti virum impium:
& abominantur impij eos, qui in recta sunt via. Verbum custodiens filius, extra perditio-
nem erit.*

---

1. *Viro, qui corripientem durâ ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.*



1. IRO, &c. Heb. *Vir increpationum indurans ceruicem repente contereтur, & non sanitas, vel non medela.* Sic Chaldæus. *Et nõ erit ei medicina.* LXX. *Melior vir correptionum vir duræ ceruicis, repente enim ardente eo non est medela.* Aquila, Symmachus, & Theod. *Subito contereтur, &c.*

Ex Hebræis nonnulli per *virum increpationum*, non eum intelligunt, qui increpationes audit, sed illum, qui alios increpat, obiurgatque hoc sensu. *Vir correptionum indurans ceruicem.* Ille scilicet, qui aliorum transgressiones, & vitia corripit ac coërcet, ipse verò rigida ceruice legis iugum excutit. Id est, qui alios monet, & suis ipse monitis præ animi sui duritia non acquiescit, *subito contereтur, & non sanitas*, id est, inopinatâ effractus ruina corruet, ac nulla medi- A camentorum ope sanitati restituetur. Et quidem eum hominem, qui aliorum corripit mores, nec suos ipse componit, medicamento carere eo argumento conficitur: quia si illius vitam mente atque ore proprio concepta oratio vel adhortatio veluti è proximo adhærens non curat, quanam ratione sperandum, vt eidem mente aliena & ore alieno efformata prolataque tùm oratio, tùm adhortatio, quasi è longinquo impressa mederi possit?

Verum-enim-verò si per *virum correptionum*, eum intelligere fas est, qui aliorum mores carpit, aliter sensum instituendum dicerem hoc modo. *Vir correp-* 1.
B *tionum.* Vir scilicet, qui vitam & mores alienos carpit, *ceruicem indurans*, id est, seuerissimè ac rigidissimè, animum scilicet rigidum, prędurum ac flecti nescium gerens, hic certè *subitò contereтur, & non erit medela*, id est, subita ruina prostrabitur, ac nullus erit qui ipsi mederi queat: hæc enim digna prorsus pœna eius, qui nimia seueritate in correptione & castigatione aliorum vtitur, vt iidem ipse casibus & ruinis obnoxius fiat, quas in aliis ægro & lacerato animo castigat. Hûc spectat

Ad Galat. 6. spectat illud Pauli ad Galatas 6. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, eiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Ne scilicet tentatus impulsusque simili ruinâ prosterneris; id enim proprium est eorum, qui nimia seueritate vtuntur in correptionibus. Optimè Diuus Gregor. ad hæc verba in 2. parte Pastoral. cap. 10. *Videlicet cùm displicet ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa quod es, vt ab increpationis zelo se spiritus temperet, dùm sibi quoque dùm increpat timet.* Quæ *Greger.* verba ex Gregorio libauit Anselmus in eum locum. Addit præterea Salomon, *Et eum sanitas non sequetur,* exaggerans proscripti hominis ruinam.

3. Et sanè non sum alienus, vt credam LXX. interpretes eodem sensu actiuè sumpsisse, *virum correptionum*, sic enim habent. *Melior vir correptionum, viro dura ceruicis, repente enim ardente eo non est medela,* id est, longè melior ad coërcendos aliorum mores est vir corripiens, puta begninè ac leniter, id enim sonat verbum originale יכח *Iachach*, ex quo fluit nomé יכחכות *Iochachoth*, quod hîc subest, non enim significat propriè punire, sed aliquem obiectis rationibus coarguere. Hic ergo vir ad eum modum non ira & indignatione comminans, sed rationem & veritatem obiectans, *melior*, id est, *viro dura ceruicis*, id est, superbo, seuero, ac nimis rigido ingenio, *repentè enim ardente eo non est medela.* Nam si iste duro ingenio vir subita indignatione exarserit, acrioribus seuerioribusque obiurgationibus aut castigationibus vtens non curat, sed lacerat subditorum vulnera. Et sanè increpationem sic esse temperandam vt rationibus, non minis aut exprobrationibus perficiatur, suadet vtique Paulus suprà cùm ait, *eiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* In Græcis est. *Eiusmodi perficite*, vel, *instaurate.* Ad hæc verò sic Chrysostomus. *Non dixit puni-* *Chrysost.* *nite, condemnate, sed instaurate*(id est) *monitis ad salutem adducite.* Rursus tàm ab his, qui corripiunt, quàm ab his qui delicta puniunt, iracundiæ ardorem abesse oportere (vt alios omittant) eleganter admodùm scri- *Seneca.* bit Seneca in libr. 1. de ira. *Corrigendus, inquit, est itaque qui peccat, & admonitione, & vi, molliter, & asperè, meliorque tam sibi, quàm aliis faciendus non sine castigatione, sed sine ira. Quis enim ei cui medetur irascitur?* Respondent hæc illis verbis, *repente enim ardente eo non est medela.* Imò potius quò acrior est curatio, eò maior curantis lenitas & mansuetudo esse debet. Chrysostomus Homilia 30. in Epistolam ad Hebræos. *Non videtis, inquit, medicos quando vrunt vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent: multo maxis corripientem oportet hoc agere vt mansuetus ac* *Seneca.* *lenis sit* Lege ibi plura. Pergit Seneca. *Non ira, sed ratio est, à sanis inutilia secernere.* Nihil minus quàm irasci punientem decet, *cùm eò magis ad emendationem pœna proficiat, si iudicio lata est. Inde quod Socrates seruo ait: Cæderem te nisi irascerer. Ergo ad correctionem errantium irato castigatore opus non est. Nam cùm ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem. Quid ergo? non irascar latroni? non irascar venefico? Non. Neque enim mihi irascor cùm sanguinem mitto. Omne pœnæ genus remedij loco admoueo.* Et paucis interiectis. *Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera contexens, & iam non causis, quæ nunquàm malo defuturæ sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa peccare: perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, vt nisi cum ipsis exire non possit. Olim miser mori quæris, bene de te merebimus. Auferemus tibi istam, quâ vexaris, insaniam, & per sua alienaque volutato delicta, id quod tibi bonum superest, repræsentabimus mortem. Quare irascar, cui cùm maximè prosum? Interim maximum misericordiæ genus est occidere: Si intrassem valetudinarium exercitatus & sciens, non idem imperas-*

A *sem omnibus per diuersa ægrotantibus. Varia in tot animis vitia video, & ciuitati curandæ adhibitus sum: pro cuiuscunque morbo medecina quæratur. Hunc sanet verecundia, hunc peregrinatio, hunc dolor, hunc egestas, hunc ferrum. Itaque etsi peruersa induenda magistratui vestis* (moris erat antiquis magistratibus, vt sententias contra sontes laturi prætextam inuerterent, & partem floridam, lucentemque, introrsus ad se redderent mœroris significandi gratia) *& conuocanda classico concio est, procedam in tribunal, non furens, non infestus, sed vultu legis, & illa solemnia verba, seuera magis, grauique, quàm rabida voce concipiam: & agi iubebo non iratus, sed seuerus: & insuam culeo, & cùm mittam in supplicium militare, & cum Tarpeio proditorem, hostemve*
B *publicum imponam, sine ira, eo vultu animoque ero, quo serpentes & animalia venenata percutio. Iracundia, inquies, opus est ad puniendum. Quid enim? videturne lex irasci his, quos non nouit, quos non vidit, quos futuros non sperat? Illius itaque sumendus est animus, qui non irascitur, sed constituit.* Et subinde paucis intercalatis quia difficile videtur iudicis animum ad sumendas de sonte aliquo pœnas exacui, nisi aliquis iræ motus suppetat, sic attexit. *Erit, inquit, sapientis animus soluto commotior; sentiet leuem quendam tenuemque motum, nam, vt dixit Zeno, in sapientis quoque animo, etiam cùm vulnus sanatum est, cicatrix manet. Sentiet itaque suspiciones quasdam & vmbras affectuum, ipsis vero carebit. Aristoteles ait, affectus quosdam* (in his est ira) *si quis illis*
C *bene vtatur, pro armis esse. Quod certè verum foret, si velut bellica instrumenta sumi, deponique possent induentis arbitrio; hæc arma ipsa per se pugnant, non expectant manum.* Fortasse autem hoc sibi vult translatio LXX. cùm ait, *repente enim ardente eo non est medela.* Id est, si superior, qui mores corripit vel castigat, subita indignatione exardeat, non est aliquod remedium, quod excitatum illum ardorem opportunè restinguat. Inde autem lapsus illi, de quibus Gregorius su- *Gregor.* prà sic ait. *Inter hæc sciendum est, quia dum ad increpationem se mens doctoris exasperat,* id est, si iræ locum aliquem facit, *difficile valde est, vt non aliquando, & aliquid quod dicere non debet, è lingua erumpat, & plerunque contingit, vt dum culpa subditorum cum magna*
D *inuectione corripitur, magistri lingua vsque ad excessus per verba protrahatur,* adde etiam & manus per facta, *cùmque increpatio* (vel castigatio) *immoderatè accenditur, corda delinquentium in desperationem adducuntur. Vnde necesse est vt exasperatus rector, cùm subditorum mentem plus se, quàm debuit, percussisse considerat, apud se semper ad pœnitentiam recurrat, vt per lamenta, & lacrymas veniam in conspectu veritatis obtineat.* Nimirùm ita decet vt ardorem, quem ex indignatione conceperat, lacrymarum aspersione restinguat. Lege ibi plura in hanc sententiam.

Cæterùm reliqui interpretes, *virum increpationum*, 4.
passiuè accipiunt pro eo qui corripitur, aut correptione indiget, atque adeò vnus omnium sensus est,
E quem verba ipsa sonant. *Virum, qui corripientem dura ceruice contemnit.* Metaphora sumitur à tauris, quibus ceruix iam obduruit, atque adeò iugi impatientes sunt, vt monet hîc Vatablus. Itaque ait; Qui delinquit sæpius, & tamen obstinato animo, quemadmodum taurus ceruicosus, iugum excutit, sic etiam ipse obiurgationem respuit, *repentinus ei superueniet interitus.* De interitu animi accipiunt ista verba. Quasi dicat; repentè, id est, tunc cum maximè sibi constans videbitur, & ad obluctandum peccatis omnibus sine aliorum monitis & correptionibus se solo valere putabit, capitale aliquod scelus ex fragilitate admittet, quo mortem sibi ipsi miseram consciscet. Notat autem Rodolphus de industria in Primitiuis dictum, *Subitò conteretur*, aut *confringetur*, ad significandum

eiusmodi hominem tum eum maximè suopte quasi ingenio robustum se putat, atque adeò monita aliorum detrectat, ex fragilitate peccaturum, hoc est, ea delicta admissurum, quæ homines valde fragiles perpetrare solent. Addit etiam metaphoram desumptam à vase aliquo testaceo aut vitreo, inde verò sententiæ huic energiam non minimam comparari dicit, ita vt sensus sit, *Subitò conteretur.* Ille nimirum opinione sua constans fortisque vir, atque adeò correptionum aspernator, veluti testaceus vitreusve, si sit tentationibus vel leuiter pulsatus perculsusve, conteretur, fractusque dissiliet. *Et eum sanitas non sequetur*, id est, propter crebras ruinas, quas ob vitream illam fragilitatem passim incurret, insanabilis iudicabitur; scilicet tanquàm vas aliquod vitreum in minutissima fragmenta dissectū, quod nulla arte integritati restituere licet. Appositè ad hæc Augustinus in sermone 1. de verbis Domini, cum sic præmisisset. *Prudenter ergo accipiat vnusquisque monita præceptoris, vt non perdat tempus misericordiæ Saluatoris*, subinde rationē attexit huius rei. *Tempus cuique nostrûm proximum est, quia mortales sumus, inter casus ambulamus, si vitrei essemus minus casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo, & tamen seruatum durat per multa sæcula; & inuenies calices ab auis & proauis, in quibus bibunt nepotes & pronepotes, tanta fragilitas custodita est per annos.* (Et iterum in l. 40. hom. 28. vbi Aug. eandem similitudinem vsurpat.) *Nos ergo fragiliores vitro sumus, quia & casus omnes qui non cessant in rebus humanis, fragilitate vtique nostra quotidie formidamus, & si ipsi casus non accidant, tempus ambulat, vitat homo ictum, nunquid vitat exitum? Vitat quæ extrinsecus eueniunt, nunquid quod intus nascitur, pellitur?* Hæc Augustin. Sed quæ ipse de vitæ humanæ fragilitate ibi serit, ipsissima nos de morum infirmitate & imbecillitate capere licet: vitrei sumus; & dùm superiorum ac rectorum monita nos fouent ac protegunt, integri ad multa etiam sæcula duramus; hoc verò integumento exuti passim impingimus, ac subito vulnere insanabili & immedicabili conterimur.

5. Sed quamuis hæc expositio idonea sit, alia succurrit, quæ mihi apposita magis videtur. Igitur illa verba, *repentinus ei superueniet interitus*, non de spirituali, sed de temporali interitu accipienda esse autumo, hoc sensu: *Viro, qui corripientem durâ ceruice contemnit*, &c. is nimirum, qui ab initio obstinato animo increpationes morū respuit, atque adeò effrænatè per scelera omnia bacchatur, tandem aliquando per summam delinquendi licentiam graue aliquod crimen admittit morte dignum, propter quod subitò, id est, cùm minus sperabat, neci adiudicatus interit sine aliquo auxilio, aut remedio. Et sanè veritas istius sententiæ experientia ipsa comperta est; sæpius enim illos, qui ob grauia scelera capite damnantur, correptionum sibi à maioribus adhibitarum aspernatio & contemptus eò adducere solet. Addo etiam illa verba, *dura ceruice contemnit*, non sine energia huic expositioni inseruire: Nam, vt docet Vatablus, metaphora desumpta est à boue iugi impatiente; atque adeò sēsus sic cōformari debet; Vir ille quisquis, qui tauri ad instar ferocis, correptionis iugum dura ceruice respuit, emori tandem cogetur. Quia nimirum sicut taurus aut bos cornupeta, qui iugum detrectat, & bubulci industria ad agriculturæ vsus edomari se nō sinit, tunc cùm liberius exultat, rapitur ad macellum ac lanienam: ita etiam homo improbus qui correptionis iugum recusat, nec increpationibus, vel exhortationibus perdomatur, ob grauia facinora morti demùm adiudicatus perit. Denique illa verba, *Et eum sanitas non sequetur*, vel, vt est in Primitiis, *& non est sanitas*, rationem continent, ob quam istiusmodi sontes correptionum impatientes morti destinantur, quia nimirum insanabiles censentur. Vnde Plato rempublicam suam instituens dialog. 9. de Legibus, postquam præmisit delicta, quasi morbos animi, sanabilia sint, benignius curari oportere, sic demùm attexit. *Quos verò insanabiles legislator esse senserit, vltimo supplicio hos afficiet, non ignorans satius esse his, qui insanabiles sunt, mori quàm viuere, ac si vita priuentur dupliciter prodesse cæteris. Nam horum exemplo à peccato cæteri deterrentur, & improbis hominibus ciuitas ipsa mundatur*, &c.

---

2. *In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus: cùm impij sumpserint principatum, gemet populus.*

6. IN multiplicatione, &c. Pagnin. *Cùm dominati fuerint iusti*, &c. Vatabl. *Cùm iusti regnant.* Chald. *In multitudine iustorum*, &c. LXX. *Dum laudantur iusti, lætabuntur populi; imperantibus autem impiis gemunt viri.* Aquila. *In multiplicatione iustorum.* Caietanus vt vim vocis primitiuæ exhauriret, sic extulit. *Gaudentibus iustis lætabitur populus.*

7. Certè in priori hemistychio multiplicatio non debet referri ad numerum, sed ad incrementum potestatis & imperij, atque adeò appositè reddunt quotquot reddunt. *Cùm iusti regnant*, aut *dominantur*: est igitur vna omnium interpretum mens, quæ sic habet. *In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus.* id est, Cùm iusti potestate & imperio aucti sceptrum capessunt, gaudent mirum in modum subditi populi, quia leuatis oneribus recreantur. Cùm verò impij sumpserint principatum, gemet populus: quia nimirum Principes impij ac tyranni, non exonerant subditos, sed tributis ac vectigalibus magis illos grauant atque opprimunt, ita vt sub onere ingemiscere cogantur. Vtrumque satis certum. Iuxta quam expositionem dicemus quidem Salomonem, vel ad ipsos populos sermonem intendere, ne videlicet eligant præficiantve sibi iniustos Principes, sub quorum postea imperio gemere cogantur: vel ad Principes ipsos orationem dirigere, eosque à tyrannide deterrere; hæc enim illis vulgi ac plebis odium conciliat, inde autem ad seditiones ampla reseratur via.

Sed quamuis hæc idonea sint, tamen (nisi mea me fallit suspicio) de sola Principis bonitate ac probitate loquitur Salomon, idque asserit Principe iusto regnante plebem lætari & gaudere, & quælibet etiam grauia onera sponte & alacriter ferre: contra verò cùm improbus dominatur, populum sub illius imperio gemere, hoc est, coactè, & per vim inseruire. Quantam verò vim habeat Principis probitas, vt plebs illi alacriter inseruiat, colligere licet ex Aristotele, qui cùm non semel aliàs dixisset, sed tùm maximè lib. 8. Ethicorum cap. 10. inter Regem, ac tyrannum hoc interesse, quod Rex verè ac propriè non est nisi ex se sufficiens, & bonis omnibus virtute antecellens: Tyrannus verò improbus quisque, ac suis subditis deterior esse potest; cùm lib. 4. Politic. cap. 10. inter tyrannidem atque regnum id denique discriminis versari inquit, quod regno parēt subditi spōte, at tyrannidi coactè & inuoluntariè. *Erāt enim Regia (ait) potestates ex eo, quia volentibus imperabant. Nā necesse est tyrannidem illam monarchiam esse quæ nulli subiaceat legibus, & dominetur per vim æqualibus, & melioribus, ac respiciat ad propriam vtilitatem, non ad vtilitatem subditorum. Quapropter inuolūtaria est, cùm*

nemo liber sponte sua ferat huiusmodi seruitutem. Obserua illa verba, *Et dominetur per vim aequalibus*; haec enim rationem continent, ob quam plebs aegrè fert improborum principatum. Quia nimirùm cùm Principes virtute, & probitate superiores subditis non sunt, his certè non spontè, sed coactè subditi acquiescunt: nemo enim pari, aut etiam inferiori libens obsequitur. Eapropter Basil. Imper. ad Leonem filiū Exhortationum c. 10. sic dictat. *Caue, ne regni malus custos degeneris aliquid atque indigni committas, sed cùm caeteris praelatus es vt omnibus imperes, ita contende, vt virtute quoque caeteris antecellas: Virtus enim omni principatu, omnique auctoritate praestantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis praestas omnibus, virtute autem ab aliis praecelleris, Imperator es in eo, quod minoris excellentiae est, in eo vero quod praeclarius est, Imperator nō es; imò alterius imperio iuberis. Ne sis ergo veluti supposititius, atque adulterinus Dominus, cùm te alius praestantior reperiatur: sed verus Imperator, cùm caeteris omnibus virtute antecellas.* Item Plato per totum Dialogum, qui inscribitur. *Ciuilis, aut de regno*, id vnum probare contendit, Regem esse non posse, nisi illum, qui scientia, & virtute reliquis praestat, ita vt dicere ausus sit eum hominē qui ea ratione virtute aut gubernandi peritia praestans est, etiamsi priuatam agat vitam, Regem esse; sic enim ait. *Quisquis ea praeditus est* (scilicet virtute ac scientia) *seu publico fungatur munere, siue priuatus viuat omnino, secundum hanc peritiam Regius meritò nuncupetur.* Et infrà. *Atqui virum illum quicunque regia peritia instructus est, Regem vocare, siue dominetur, siue priuatus degat, oportet.* Denique Seneca in Epist. 90. *Naturae est*, inquit, *potioribus deteriora summittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora praesunt, aut vehementissima. Non praecedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toreis caeteros mares vincit. Elephantorum gregem excellentissimus ducit. Inter homines pro summo est optimus: ideoque summa foelicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse nisi melior. Tantum enim quantum vult potest qui se, nisi quod debet, non putat esse.* Ergo cum hoc sit naturae prorsus conforme, vt potiores deterioribus imperitent, illud planè contra naturam, atque adeò violentum, si deteriores clauum teneant.

Basil. Imp. *Plato.* *Senec.*

Propterea populi bonis quidem Principibus, velut natura suadente, sponte, & alacriter parent: iniquis verò imperantibus contra naturam violentiam passi *gemunt.* Vel, vt Caietanus restituendum putat, *suspirant.* Suspirare enim est ad aliud cum dolore adspirantis. Hinc est illud Iuuenal.

Iuuenal.

Suspirat longo non visam tempore matrem.

Tibull. Et Tibullus.

Quod si fortè alios iam nunc suspirat amores.

Ouidius. Et Ouidius.

Hanc cupit, hanc optat, solam suspirat in illam.

Populus ergo iniquo Principe regnante suspirare dicitur, quia illius oppressus imperio dolens alium rectorem cogitat, alium suspirat. Hinc seditiones, &c.

---

3. *Vir qui amat sapientiam, laetificat patrem suum: qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.*

8. VIr qui amat, &c. Hebr. non dissonant. Chald. *Et qui adhaeret meretrici, perdet substantiam suam.* LXX. *Viri amantis sapientiam laetatur pater eius; qui autem pascit meretrices, disperdet diuitias.*

Prior huius carminis pars occurrit supra c. 10. v. 1. *Filius sapiens laetificat patrem.* Adi eum locum. Puto autem eam partem, vt cum sequenti, aptè cohaereat, A non esse intelligendam de patre superstite, sed de illo, qui post mortem filium haeredem reliquit. Nam, vt obseruaui ad eum locum, verbū שמח *Samach*, quod hic subest, non modò laetificare, sed magnificare etiam significat. Atque adeò sensus erit; Filius sapiens qui amat sapientiam, id est, qui sapienter agit, ac secundùm virtutem viuit, parentem suum honestat, atque magnum splendidumque reddit: quia nimirùm filii virtus, probitas, & splendor omnis ad Patrem recurrit, quatenus virtutum paternarum haeres filius vulgò aestimatur.

Posterior autem pars per se est luculenta. *Qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.* Accinit Christus Dominus apud Lucam, vbi de Prodigo filio sic ait. *Et* B *ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Quae verba sic expendit Chrysologus. *Quae composita fuerant Patre moderante, prodigente filio dissipantur.* Et infamiam huius profusionis exaggerans attexit. *Moritur virtutibus, qui vitiis crescit, sepelitur fama, perit gloria qui manet turpitudini, crescit infamia.* Sed de filiis decoctoribus absolutissimè Arist. lib. 4. Ethic. cap. 1. *Nam* (inquit) *homines qui sunt incontinentes, & ob intemperantiam pecunias profligant, prodigos vocitamus. Quapropter tales homines sunt flagitiosissimi; multa nāque vitia simul habent. Est autem prodigus, qui malum vnum aliquod habeat, scilicet corrumpere patrimonium. Videtur autem, & patrimonij dissipatio interitus quidam ipsius esse propterea quod patrimonio ac facultatibus vi-* C *uitur.* Itaque maximam huius vitii turpitudinem in eo ponit Philosophus, quod decoctione patrimonij sibi quodammodo *mortem consciscit.* Vnde pater Prodigi filij Luc. 15. de illo post reditum sic pronuntiauit. *Epulari autē, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Et in eodem cap. paucis intercalatis Arist. sic infit. *Prodigorum donationes non sunt liberales: non enim sunt honestae, nec honestatis gratia, nec, vt oportet, efficiuntur: sed ferè quos oportet esse pauperes, eos diuites faciunt; & his quidem, qui bene morati sunt, nihil dant: adulatoribus autem multa, aut quampiam aliam afferentibus voluptatem. Quapropter intemperantes sunt: nam cùm facilè erogent, proni sunt ad sumptus in flagitiis faciēdos.*

9.

Luc. 15.

Chrysol.

Aristot.

Item opponitur filius prodigus sapienti, & cordato, quia prodigi, etsi specie quidem sapientes videan- 10.
D tur, re ipsa tamen furiosi censentur. Ideò leges statuunt illis curatores in leg. *his qui in ea caus.* 12. §. 1. de tuto. & curato. dat. Et lib. 26. P. tit. 5. vbi Vlpianus matris querelam de filiis prodigis admisit, vt curatorem acciperent, his verbis. *Non est nouum quosdam, etsi mentis suae videbantur ex sermonibus compotes esse, tamē sic tractare patrimonia ad se pertinētia, vt nisi subueniatur eis, deducātur in egestatem. Eligendus itaq; erit, qui eos consilio regat: nā aequū est prospicere nos etiā his, qui, quod ad bona ipsa pertinet, furiosum faciunt exitū, perinde itaque illis ac furiosis interdictū est, ne obligare sine curatore possint.* Addit etiā Briss. formulā, qua interdictio fiebat, his conceptā verbis. *Quādo bona tibi paterna, auitaq; nequitiā tuā disperdis, liberosque tuos ad* E *egestatē perducis, ob eam rē tibi eā re cōmercio interdico.*

Vlpian.

Brisson.

Adde etiam quod prodigis, tāquā furiosis, ac mēte captis, testari prohibitū est in l. *Is cui bonis*, de verborū obli. P. & leg. Iul. 10. de curatore furiosi in P. Hūc spectat illud Euāgelicū apud Lucā de filio prodigo, qui vbi prodigalitatis pertaesus, de reditu ad parētē deliberare secū coepit, *In se reuersus* dicitur, nimirum ex amētia ad sanitatē mētis. Accipe verba Vlp. in l. 1. de curatore furiosi §. 1. quae apposita sūt ad hāc rē. *Lege* (inquit) *duodecim tabularū prodigo interdicitur bonorū suorū administratio, quod moribus quidē ab initio introductū est. Sed solent hodie Praetores, vel Praesides, si talē hominem inuenerint, qui neque tēpus, neque finē expensarum* 11.

Vlpian.

rum habet, sed bona sua dilacerando, & dissipando profundit, curatorem ei dare exemplo furiosi, & tandiu erunt ambo in curatione, quandiu vel furiosus ad sanitatem, vel ille ad sanos mores redierit.

12. Ad hæc, filius iste prodigus in meretrices rē suam profusurus dicitur. *Et qui nutrit scorta, perdet substantiam.* Hoc certè prodigis maximè solenne, & hæc potissima, imò potiùs vna furoris, & insaniæ ratio: nam cum prodigalitas ex se sola dementē reddere soleat, cum accedit luxuries, hominē mitè insanū, ac vecordem efficit, atque adeò ad profundendum largissimū. Quapropter per leges ei, qui adolescenti luxurioso dat pecunias, non est ius repetendi, quia sciens ac volens homini certissimè perdituro illas donat §. si adolescens lib. 12. l. 17. tit. 1. Vnde Tiberius Cæsar (vt scribit Dio Cassius lib. 57.) Senatori cuidam luxuriosè viuenti curatorē assignauit, quasi pupillus esset.

---

4. *Rex iustus erigit terram: vir auarus destruit eam.*

13. REx iustus, &c. Hebr. *Rex in iudicio stare facit terram, & vir oblationum diruit eam.* Alij per oblationes intelligunt dona, quibus principes corrūpi solent, atque adeò sic restituunt. *Et vir accipiens dona destruit eam.* Alij ad tributa referunt. Ita Vatab. qui locum istum sic conuertit. *Iudicio Rex ditionem suam firmam facit: at qui tributa extorquet, destruit.* Caiet. verò sic extulit. *Et vir eleuationum diruet eam.* Subest enim vox תרומות *Teromoth*, à radice רום *Rum.* i. *eleuauit, exaltauit*, atque adeò propriè *eleuationes*, & *exaltationes* sonat: vsurpatur autē pro oblatione, aut donario, quod Deo exhibetur. Quod propterea *exaltationis* nomine censetur, quia liba, & oblationes sursum coram Deo leuari solebant. Neque alicubi occurrit hæc vox in scrip. sacra, vbi pro donis alteri quā Deo oblatis accipiatur, nisi in hoc loco. Hinc nonnullos suspicio hæc incessit, sermonem fieri de principe auaro, qui sacris etiam, ac Deo oblatis bonis nō parcit: à quibus non dissentio. Noster interpres omnia complexus est, cū reddidit. *Vir auarus. destruet eam.* Chald. *Vir impius diruet eam.* LXX. *Rex iustus erigit regionem; vir autem iniquus destruit.*

14. Rodolph. Prima interpretatio est Rodolphi, qui cum sic legisset. *Rex per iudicium stabiliet terram: & vir munerū diruet eam*, ita exponit. Rex, qui exacto iudicio, & iusta electione, pro meritis ad imperiū euectus est, remp. firmam, stabilemque præstabit: qui verò per ambitum, & munerum largitiones dignitatem istam inuasit, eandem remp. euertet. Primò, quia hæc vna causa esse solet, ob quam imperia his deferuntur, qui ad regnandum idonei non sunt. Deinde alteram obtulit Basil. Imper. ad Leonem filium, exhortat. cap. 43.

Basil. Imp. vbi hoc suadens filio, ne Magistratus acceptis muneribus diuenderet, ad hunc modum scribit. *Auro, & munerib. venales honores, & dignitates caue ne habeas, sed eas dignis largire gratis: qui. n. magistratum pretio emit, subiectos illi magistratui multò magis emit, vt munerib. quæ dedit, fretus ipse audacius munera capiat. Proba igitur, atque explora diligenter, atque ita demū proturbe eos, qui sine muneribus ambiunt, si vis à re publica omnem sordium, & concussionis labem exulare. Nam qui dat, vt magistratum capiat, quæstum sibi à magistratu captat: dat enim vt ius capiendi habeat, contra leges hoc agens, vt nullis legib. teneatur. Qui. n. magistratum mercari didicerit, is nunquam munera capere dedisceet, & sine munerib. aliquid facere nunquam volet: te autem corruption. ac sordium habebit magistrū, quē debuerat habere vindicē. Neque ipse solum munera capiet, sed eos etiā, qui sub ipso erunt, munera capere coget.* Hactenus Basil. alterā causā attingens, propter quam illi, qui datis munerib. imperia sibi pariunt, resp. euertunt: quia nimirùm eo animo dat, vt accipiant, & per parua quæ aliis dederunt, sibi ius ad maxima quæque accipienda quæsitū putāt, atque adeò subditorum fortunas exhauriunt. Ita Iustin. qui de hac re sic scribit. *Quamobrem eius, quod ab eo acceptum est triplum, magis autē, si oportet verum dicere, decuplum erit, quod à subiectis nostris exigitur, & ex hoc etiam fisc. imminuitur.* Rurs. cùm eosdem subditos simul cum magistratib. ipsis se coëmisse apud se statuant, in illos quasi in seruos, & mancipia emptitia sibi licere putant: inde autem rerum publicarū subuersio, & infœlicitas maxima. Iustinian.

Caiet. præmissa verba sic extulit. *Rex in iudicio faciet stare terram: & vir eleuationum diruet eam.* Exponit 15. Caiet.
autem de potestate iudiciaria Principis, per quā sontes punit, quod suum est, vnicuique tribuit, & honores iustè distribuit: hæ enim sunt iustitiæ partes. Itaque sic ait; Rex optimus, qui iustè iudicat in omnibus, reipub. fœlicitatē stabilē efficiet: qui autē munerib. aut qualibet aliâ ratione corruptus, non ex iure, sed ex affectu aut libidine iudicia pronuntiat, ocyùs eandem rempublicā subuertet. Nā cum Rempub. leges aciuta incolumē seruēt, quoties Princeps prætermissis legib. ex arbitrio suo, ac libidine decernit, reipublicæ status, ac salus periclitatur. Inter alia verò sic Caiet. *Contra Rex est vir eleuationum, hoc est susceptor munerum (quæ eleuationes vocantur, quia tanquam eleuentur, offeruntur Regibus) talis Rex diruit terram*, &c. Itaque munera Regibus collata propterea eleuationes dici putat, quia ea quæ donantur Principib. ex eo eleuati *plurimum*, atque honestari putantur, quia ipsi eadem accipiunt; nam doni splendorem, & magnitudinem non ex dante solum, sed etiam ex accipiente metiri solemus. Putat autem Caiet. vel ex eo dona, ac munera à Principe refutanda esse, quia si ad accipiendū facilis sit, omnes illi donare student. Nam existimantes eā ratione, donis suis authoritatē parari, Principē donis promereri cuncti student: atque adeo omnium munerib. corruptus iustitiam deserere cogitur. Sed tamē hæc minora sunt. Melius fortasse, & accommodatius quispiam diceret præfata dona eleuationes dici, quia animi firmitatem, & constantiam, quæ maximè Principes decet, impellunt: aut etiam quia grauitatis, & authoritatis regiæ pondus imminuunt. Nam cum regium planè sit donare subditis, sordidum omnino videtur ab illis accipere.

Rursus alij per eleuationes, vel oblationes, eas propriè significari putantes, quæ Deo offeruntur, videlicet primitias, decimas, aut alia dona sacra; ita locum istum edisserunt. *Rex iustus.* i. pius ac religiosus in Deum, *firmat terram*, firmitatem nimirum, ac robur præstat Reipublicæ: *vir autem oblationum.* i. qui in oblationes, ac dona Deo sacra manus iniicit, rēpublicam subuertit. Huius certè rei magna exemplorū vis nobis suppetit: nā fœlicissimas olim respublicas subuersas prorsus, ac profligatas hodie videmus, ex quo Principes bona Ecclesiastica contingere ausi sunt. Nullusque hactenus fuit Princeps, qui ad eiusmodi bona auaras manus adiecerit, qui non fuerit ad extremam redactus inopiam. Frustra hîc multis. 16.

Extrema denique expositio huius loci docet Salomonem discrimen assignare Regis boni, & tyranni. Nā, vt supra c. 28. ver. 12. ex Aristotele, atque aliis præscripsimus, inter eiusmodi Principes hoc interest, quod Rex ad bonū cōmune semper spectat; Tyrannus verò propriis vtilitatibus & emolumentis studet; atque adeò ille iustus, hic auarus existit. Hanc verò expositionem ideò reliquis præferēdam puto, quia cum Vulgata lectione meliùs congruit, & omnes alias superiores interpretationes complectitur; 17.

nam tyranni auaritia nec à muneribus abstinet, nec parcit etiam rebus sacris. Sensus itaque sic conformandus est. *Rex iustus erigit terram:* bonus scilicet Rex, qui eo nomine dignus est, atque adeò postpositis propriis commodis, ad commune bonum semper spectat, rempublicam olim iacentem erigere, atque excitare solet. *Vir auarus destruet eam.* Non Regem, sed virum de industria appellat Salomon: nam qui eâ ratione prætermisso communi bono, priuatis vtilitatibus vacat, Regis nomine indignus est, & tyranni nomen fert: hic ergo auarus, ac tyrannus, rempublicam quamlibet, etiam fœlicissimam, & fortunatissimam ocyus subuertit. Vtrumque satis certum. *Rex,* inquit *iustus erigit terram.* Accinunt Septuag. *Erigit regionem.* Reliqui conuertunt: *firmat,* vel *stabilem reddit terram.* Omnia in idem recidunt. His simile est illud Sapien. 6. *Rex sapiens stabilimentum populi est.* Et de Ioseph, cùm Ægypti principatum gerebat, sic Eccles. 49. *Firmamentum gentis, rector fratrum, & stabilimentum populi.*

Sap. 6. Eccles. 49.

18. Sed cùm hîc Salomon *terram* dixerit, non regnũ, nimirùm *stabilem facit terram*, non ineptè dicemus Regem comparari cum centro terræ, quod ipsi firmitatem, & constantiam præbet. Et sanè haud incõgruè dicemus centrum ad commune vniuersi bonũ spectare. Nam dum omnia corpora ad ipsum sponte suâ connituntur, triplex inde beneficium consequuntur (vt tradit Philosophus lib. 1. de Cœlo, & Mundo,) scilicet vnitatem, conseruationem, & quietem. Nam corpora grauia ad centrum contendentia, sese mutuò stipant, atque vrgent: in centro autẽ posita, quia nõ appetunt vlteriùs moueri, actutũ quiescunt, & quia ibi etiam à contrariis remota sunt, diutiùs conseruantur. Eadẽ (si libet) de iusto Rege apud te cogita: hic enim centri ad instar, ad commune reipublicæ bonum vel genitus, vel institutus est: atque adeo dum ciues omnes ad illius obsequium sponte veniunt, sublatis intestinis discordiis, aut litibus, in ipso vnitatem consequuntur. Rursus iidem ciues iustum Principem nacti alios nequaquàm affectant, aut concupiscunt: quapropter in eodem velut in centro conquiescunt, neque seditionibus, aut bellis ciuilibus agitantur. Ad hæc, cùm præfatus Princeps in id potissimùm enitatur, vt omnem hostium vim à suo prohibeat regno, ac ditione, in ipso demum quasi in centro, remotis contrariis, incolumes seruantur populi. Et sanè isthæc omnia in regno considerat Aristoteles, prout à tyrannide distinguitur, lib. 5. Polit. cap. 10. vbi plures enumerat causas, ob quas tyrannides corrumpuntur: de regno verò sic scribit. *Regnũ autem ab his, quæ extra sunt, minimùm corrũpitur, quapropter diuturnius est.* Et subiungit. *Regnum spontanea gubernatio est:* quia nimirùm subditi sponte suâ Regi parent: *& ob eam causam nullæ in regnis seditiones, aut odia, sed omnia quieta, pacata, & amica.* Lege ibi plura.

Arist.

19. *Vir auarus destruet eam.* Auarum appellat tyrannum, qui priuatis commodis semper studet, atq; adeò nullam prætermittit rationem augendæ propriæ rei. Accipe descriptionẽ tyrãni ex Gregor. Tolosano de Repub. lib. 6. c. 18. qui fermè verba carpit ex Aristotele. *Tyrãnus nihil aliud meditatur, nihilque agit, quàm quod possit in vtilitatem conuerti propriã: ideò non parcit populo, vita, aut facultatibus, aut honori eius. Tondet ad viuum, imò vero excoriat, premit, necat gregem, donec sibi satis sit: illud autem satis nunquàm accedit.* An non iste rempublicam, cuius imperium tenuerit, subuertet? Necessum prorsus: talis enim respublica (liceat ita fari) excentrica est, à legitimo nimirum Principe, velut à centro suo dimota, ac diuulsa. Quapropter quemadmodùm si à terra centrum, & à grauibus

Greg. Tolos.

A corporibus ingenita in centrum propensio tolleretur, omnes telluris partes diuulsæ, ac disiectæ nullomodò inter se compingerentur: ita etiamsi in rep. pro legitimo, ac iusto principe tyrannus regnet, pacem violari, ac ciues passim seditionibus, discordiisque disiungi, ac distrahi necesse est. Item sicut corpora è centro separata non quiescunt, sed vi sua ad vlteriora nituntur: ita etiam ciues tyrannum Principem nacti, incredibilem vim sustinent, atque adeò in ipsius obedientia non diu persistunt, sed inquieti, ac mobiles alium cogitant, & alium affectant. Denique sicut præmissa corpora à centro dissita à contrariis suis corrumpi solent: ita etiam imperia, quæ ad tyrannos Principes deuenerunt, ab externis hostibus petita faB ciliùs euerti, ac destrui solent. Habes hæc omnia apud Aristot. loco citato, vbi tyrannidis corruptioni obnoxiam conditionem ab iisdem capitibus petit.

Princeps ergo bonus ab omni auaritia, & cupiditate alienus esse debet, atque illud Themistij apud Stobæum serm. 46. apud se tacitus versare. *Vir bonus, qui gentis alicuius, aut ciuitatis imperium suscepit, non propter fiscum, aut dona capiendi, & à diuitibus pecuniã comparandi causa, similis est homini, qui pretiosum aliquod depositum accepit. Nam vt hic, quod datur, non retinendi, aut sibi vendicandi gratia sumit, sed vt custodiat, & integrum reddat ei, qui deposuit, quandocunque repetierit: Ita Principem quoque non ob quæstum priuatum, sed ob salutem, custodiamque subditorum omnia facere oportet, sic vt ipsos, quoad efficere potest, illæsos, & in fœlici statu ei, qui credidit, restituat.* Quanti verò facere oporteat eiusmodi Principem ab omni auaritiæ sorde mundum, ac purum, perspicuè declarat illud Iamblici in Epist. ad Dyscolium, *inter omnia,* inquit, *Principum opera plurimi facio, & admiror magnanimitatem, & magnificentiam, & maximè cum bene merendo de hominibus, non exactis & auaris rationibus vtuntur, neque parcunt in largitionibus, nec tanquam in lance, ac trutina, æqualia pro æqualibus commutat, sed gratias ingenuè proferunt, non tantum ex vase fundentes illas (vt Poetæ canunt) nec aliis huiusmodi organis inclusas, sed nudas, intectas, & sine velamentis externis continuas, sibique cohærentes benignèter, ac beneuolè porrigunt, vt decet, & gratiosum est. Huiusmodi enim gratiarum decus meritò coronã imperij appellauerim.* Id verò propterea D addidi, vt constaret, nõ tantum auaritiæ Principis tribui, si aliorũ bona contra ius, fasque sibi arroget, sed etiam si sua liberaliter non eroget. Nam satis sordidum est illi non esse munificum: nec nimia inde rebuspublicis pernicies imminere solet, cum Principes præparcos, nec de subditis suis benemerẽtes, aut eos sibi beneficiis minimè obstringentes inuenerũt. Huc spectat illud Platonis in Epist. 1. ad Dionys. *Meminisse,* inquit, *te volo, Poëtas tragicos, cùm tyrannum aliquem pereuntem inducunt, eiusmodi illi voces attribuere. Heu miser pereo nullis fultus amicis: auri verò defectu pereuntem nullus hactenus retulit Poëtarum.*

20. Stobæum. Iambl. Plato.

E 5. *Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.*

21. HOmo, qui, &c. Hebr. *Vir leniens super socio suo, rete expandens pedibus eius.* Subest autem פעמיו *Peghamau*, quod sic efferre licet, *pedibus suis.* Hinc nata translatio Sept. *Qui præparat ad faciem sui amici rete, circundat illud suis pedibus.* Sic habet textus Vaticanus. Complut. autem, & Regius codex paulò aliter dispunxerunt, & restituerunt. *Qui præparatur ad vultũ amici sui: rete circumiaciet ei pedibus suis.* Cahld. verò sic extulit. *Vir, qui diuiditur à socio suo, rete expandit*

gressibus

greſſibus eius. Sed vnde fluxit iſta lectio? In Origin. pro illis verbis, *blandis, fictiſque ſermonibus*, ſubiicitur מחליק *Machalik*, ex radice, *Chalak*, quam vocē noſter interpres paraphraſticè conuertit: ipſa verò æquè ſignificat *aſſentari*, & *diuidere*, ſeu *partiri*. Ad poſteriorem ſignificationem referenda eſt translatio Sept. ita vt perinde ſit illud. *Qui præparat rete ad faciem*, &c. ſicut. *Qui diuidit rete ad faciem amici ſui*, &c: Diuidere enim rete ſumptum eſt pro explicare, & ex-
22. tendere.

Vulgatæ noſtræ tranſlationis ſententia tota ad aſſentationem, & adulationem pertinet: continet autem ſenſum facilem, & ſæpè aliàs in hoc libro inculcatum. *Homo, qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur*, &c. is, ſcilicet, quiſquis tunc cùm amicum corripere & obiurgare oportet, eidem aſſentari, & ſermonum blanditiis ipſum delinire non dubitat, ante pedes illius ſpargit rete, vt maculis eius implicatus corruat. Illud non omninò apertum in his verbis, an ſcilicet ſermo intendatur ad adulatorem, an ad eum, qui ſe adulationibus emolliri ſinit: nam ad vnum, vel alterum non ſine lepôre aptari poteſt. Si ergo dicamus Salomonem eis, qui adulationes libenter audiunt, id conſilij dare, ſenſus erit. *Homo, qui blandis, fictiſque ſermonibus loquitur amico, rete expandit greſſibus eius.* Quaſi dicat: ô tu, quiſquis audis præcepta mea, adulatorem caue: is n. non eſt amicus, ſed hoſtis. Quapropter quoties aliquem mollia, blandaque verba auribus tuis inſtillantem videris, hunc caue, pro certo habens eundem retia tibi expandiſſe, quibus implicatus corruas. Metaphoram ſumptam eſſe puto à venatoribus, qui fiſtulis, atque aliis inſtrumentis imitãtur eas auium, aut ferarum voces, quibus tunc, cùm amoribus indulgent, ad ſocias euocandas vti ſolent: his autem, quas ad eum modum vocalibus blanditiis inuitant, retia inſtruunt, quibus, vbi conuenerint, aut deuolauerint, quamprimùm implicentur, & pereant. His. n. perquàm ſimiles ſunt adulatores, cùm animũ hoſtilē claudentes, & alioqui perniciē eius cui aſſentantur affectantes, voces tamen & ſermones amicorum imitantur, ac ſimulant. Ergo eiuſmodi homines ſummo ſtudio fugere, ac declinare iubet Salomon.

23. Quod ſi dicamus ſermonem intendi ad ipſum adulatorem, alius euadet ſenſus ad hunc modum, *Homo, qui blandis, fictiſque ſermonibus*, &c. id eſt, Quiſquis amicitiam ex animo colere vult, adulationem vitare debet: nam quicumque blanditiis, ſermonibuſque ad aſſentationem compoſitis cum amico ſuo vtitur, non amicè ac beneuolè, ſed hoſtiliter agit cum illo, expandens, ac circumiaciens retia pedibus illius, vt his illigatus corruat. Metaphora etiam ſecundum hanc ſententiam petita videtur à venatione, diuerſo tamen ſchemate: ſenſus enim ſic conformandus eſt. Quemadmodum euenire ſolet, vt auis aliqua à venatore priùs capta, & caueâ incluſa, dulce inde modulans ſui generis alias ad retia, & viſcum euocet, etiamſi illa amore ſtimulata, vt ſocias ad amorem ſui accendat, cantum edat ſuum, de inſidiis, laqueis & retibus nihil cogitans: Ita etiam euenire ſolet amicis vt licet ex amore, & beneuolentia ad conciliandos, arctiuſque ſibi deuinciendos ſociorum animos verba adhibeant blanda, atque mollia: eos nihilominus in retia, & laqueos pertrahant, & innumeris erroribus implicent, maliſque ſubiungant: ideò Salomon ab adulationibus abſtinere iubet. Et ſanè venationis & adulationis comparatio non eſt inſolens apud authores.
Plutarch. Plutarch. in libro de Adulatoris, & Amici diſcrimine ſic habet. *Adulator trahit, & in laqueum iniicit imitando.* Et poſt pauca. *Nec feram moratur, ſed ipſum in plagas conicit, & indagine cingit venatorem.* Vide ibi
Senec. plura. Seneca Natur. q. lib. 4. in Præfatione. *Nec adu-*
A *latoribus latus præbeas; artifices enim ſunt ad captandũ ſuperiores.* (En quâ ratione venatores ipſos ad retia ſua pertrahant: ſubdit. *Mihi crede, capieris ſi proditioni eorum ipſe te tradis.* Plato verò in Gorgia. *Adulator*, inquit, *optimi nullam habet curam: ſed ſemper eo, quod dulciſſimum eſt, quaſi hamo incautam illaqueat mentem, & vſque adeò decipit*, &c. Mitto alia. Plato.

Septuag. interpretes alium ad ſenſum iſthæc ver- 24.
ba vocarunt: ſic enim habent. *Qui præparat ad faciem amici rete: circundat illud ſuis pedibus*, id eſt, Qui alteri inſtruit dolos, ita vt ipſi eos cōſpicere & animaduertere liceat, non tam illi, quàm ſibimetipſi, laqueos parat. Sententia verò, vt aliquid ethicum contineat, ſic eſt conformanda; Salomon homines aſtutos, &
B dolorum artifices commonet, ne technas, & inſidias aliis inſtruere velint: ſæpiùs enim eiuſmodi technæ, atque inſidiæ, etiamſi verſutiſſimè celentur, comparere tamen, ac ſeſe nimiùm prodere ſolent. Quapropter ſicut auiculæ quædam ea, quæ nimiùm parent, retia vitare ſolent: ita etiam his, qui dolis petuntur, facile eſt dolos vitare: vnde fit vt illi ipſi tantùm ſuiſmet fraudibus pereant, qui illas inſtruxerunt. Hanc eſſe puto mentem Septuag. ſecundùm lectionem Vaticanam: illa enim quæ in Complutenſi & Regio codice habetur, non caret ſuſpicione mendi. Si tamen aliquid boni ſenſus reddit, id quidem ad Vulgatæ lectionis ſententiam allici debet, hoc modo. *Qui præparatur ad faciem amici ſui: rete circumiaciet ei pedibus*
C *ſuis*, Id eſt, qui aſſentationibus & adulationibus ſeſe ita condit. & temperat, vt placeat amico ſuo (hanc enim vim ſubeſſe exiſtimo illi verbo, *Qui præparatur*,
Græcè παρασκευάζεται, quod de eduliis, atque cibis 25.
enuntiari ſolet. Lege Platonem in Gorgia, vbi adulationem coquinariam non ſemel vocitat, & eam cum coquinaria componit: quia nimirum ſicut coquinaria ad voluptatem comparata eſt: ſic etiam adulatio eò ſpectat, vt placeat. Ex eadem arte ſimilitudinem nō ſemel petit Plutarch. in lib. de Adulatoris, & Amici diſcrimine) Is ergo, qui eo modo ad voluptatem amici ſui ſeſe temperat, & condit, perinde facit, ac ſi illius pedibus rete implicatiſſimum innecteret. Cæterùm hæc parum concinna, & condita videntur: ab
D vna enim cōparatione in aliam inſulsè pertranſitur. Niſi fortè ex vtraque vnam conflare liceat ex venatione petitam, ad hunc modum. Homo aſſentator, & adulator ſubdolus, duo ſimul vnaque præſtat, venatores, vel aucupes imitatione ſimulans: nam & ſeipsũ tanquàm eſcam, ſeu pulmentum temperat ad ineſcandum incautum hominem, & ſuarum technarum, ac fraudum rete ſubtus ſpargit, ad eius pedes implicandos, & obligandos, vt ipſum ruinâ ineuitabili proſtrare poſſit. Ad alia.

---

6. Peccantem virum iniquum inuoluet la-
E queus, & iuſtus laudabit atque gaudebit.

Peccantem, &c. Hebr. *In præuaricatione viri ma- 26.
lus laqueus: & iuſtus præconia dicet, & lætabitur.* Caiet. verò ſic extulit. *Et iuſtus cantabit, atque gaudebit.* Chald. *Vir malus in peccato ſuo capitur*, &c. Sept. *Peccanti viro magnus laqueus: iuſtus autem in gaudio, atque lætitia erit*, &c.

Rodolph. hunc verſum cum ſuperiori confuen- Rodolph.
dum putat, ita vt ſenſus ſit. Laqueus ille, ſeu rete, quod ſubdolus homo ſubter blanda, & delicata verba ſpargit ad incautum hominem captandum, ipſummet arctiùs implicabit, & ad ruinam pertrahet: ex aduerſo autem vir iuſtus, quem ipſe dolis adorſus fuit, ab eius inſidiis ereptus gaudebit plurimum. Sed tamen, ſi ita placeat verſum iſtũ cum ſuperiori connectere,

nectere, sensum paulò aliter conformandum puto. Superioris carminis posterius hemistychium est. *Et rete expandit gressibus eius*: reliqui *pedibus eius*. Huius autem prior clausula sic habet. *Peccantem virum inuoluet laqueus*. In Primitiuis est. *In peccato viri malus laqueus*. Sept. *Magnus laqueus*. Ego verò per *malum*, seu, *magnum laqueum*, vinculum intelligo gutturi iniectum ad strangulandum, & præfocãdum: hic enim satis aptè *laqueus malus*, aut, *magnus*. i. lethifer appellatur. Itaque Salomon ait: Vir dolosus, & vafer, quicunque fraudes, dolosque aliis instruit, sibi ipsi potius perniciem parat: nam cùm rete aliquod pedibus tantummodò spargat eius, cui fallaciter illudere vult, sibimetipsi laqueum magnum iniicit, arctissimum, scilicet, vinculum collo implicat suo, quo strãgulatus miserè depereat. Ad hunc modum versatus hic locus luculentam magis sententiam reddit.

27. Tamen lubentiùs sentio cum Caiet. Iansf. & aliis, qui versum istum à superiori exsoluunt: ex illo verò eiusmodi sententiam exprimunt. *Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus*. i. vir impius quoties peccat, suismet peccatis, ac criminibus arctiùs deuincitur, ac fortiùs, quam vllis vel laqueis, vel catenis: *iustus autem laudabit, atque gaudebit*. i. liber, ac solutus hisce vinculis pro sua libertate Deum laudabit & præ lætitia, & gaudio gestiet. Non displicet hæc sententia: tamen puto eam, ne iaceat, ac repat, tantisper excitari debere, ita vt comparationem in hoc carmine, sicut in superiori ab aucupio ductam dicamus, hoc modo. Vir improbus, quem sua ipsius peccata arctiùs illigatum tenent, similis est aui cuipiam ex his, quæ aucupis arte deceptæ laqueo caput inseruerunt, atque adeò neci proxima est: talia enim sunt, imò deteriora mentis malè sibi consciæ vincula, & nexus. Ex aduerso autem *iustus laudabit, atque gaudebit*. Caiet. habet, *cantabit, atque gaudebit*. i. similis erit aui exsolutæ, ac liberæ, aperto cœlo deerranti, & præ gaudio iucundè, ac modulatè perstrepenti. Ad iustos sub ista auium canentium similitudine spectant illa verba Isaiæ 35. n. 8. secundum translationem Sept. *In siticulosa terra erit fons aquæ. illic erit lætitia auium*. Cyril. autem ad hæc verba. *Fons*, ait, *aqua viua Christus Saluator, in illo factus est auium concursus, & lætitia. Aues hic dicit eos, qui vltra res terrenas euolant, & qui libertate spiritus vtuntur, qui alti sunt propter virtutem, & quæ supra sunt, sapiunt*, &c. Lege Hieron. in eundem locum.

Caiet.

Isai. 35. n. 8.

Cyrill.

28. Sed licet hæc non admodum insulsa sint, tamen aliam esse puto Salomonis mentem in hoc loco. Nisi enim mea me fallit suspicio, loquitur de desperatione, ac spe. Ego per *laqueum malum*, aut, *magnum* vinculum intelligo collo iniectum ad strangulandum, & præfocandum, vt nuper animaduerti: sensum autem huius loci sic instituo. *Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus*: vel, vt est in originibus. *In peccato viri malus laqueus*, seu, *Peccanti viro magnus laqueus* (vt habent Sept.) id est. Peccatorem maximorũ criminum reum sæpè admodùm sua ipsius conscientia ad desperationem adducit, & collum laqueo inserere cogit, suo ipsius damnatum iudicio. Exemplo sit Iudas proditor, qui admissi sceleris conscientia stimulatus sibi ipsi laqueum iniecit. De quo sic Ambrof. in scilicet 50. *Sua ergo sententia Iudas proditor condemnatur. Mirum fortè sit vobis, quod non eum populus iudicauerit, non præses addixerit. Hoc sacrilegi solet esse iudicium, vt impunitatem ipse suam dum recordatur, puniat, & scelus suum dum recognoscit, vindicet: omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia sua sententia condemnatur*. Et Hæreticum cum Iuda conferens subinde attexit. *Tali igitur Hæreticus pœna damnatur, vt idem ipse sui & reus sit sceleris, & index sit vltionis*. Tanta enim est maximorum delictorum

Ambrof.

A enormitas, & deformitas, vt reus sibi ipsi displicere incipiens ne sibi quidem ignoscat.

Quod si laqueum non corporaliter, sed spiritualiter accipere libeat, sic accipe, omnem animam, quã peccatorum suorum grauitas ad desperationem cõpellit, collum suum laqueo quodammodo insinuare, ac suspendium crudelissimum sibi indicere. Audi Augustinum in hom. 27. de diuersis. *Iudam* (inquit) *traditorem non tam scelus, quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interire. Desperando verius se occidit, & laqueo suspendit se, suffocauit se: quod fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius: spiritus enim dicitur etiam iste ventus aëris huius. Quomodo ergo qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat* B *spiritus aëris huius: sic illi, qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, vt eos Spiritus sanctus intus visitare non possit*. Deinde quemadmodum qui se laqueo præfocant, dum guttur strangulant, vocem opprimunt: ita etiam his, qui per desperationem animum strangulant suum, euenire solet, vt quasi erepta voce, ad eum clamare, eumque fusis precibus placere non possint. Huc spectauit D. Greg. Nazianz. in Iambico de Christo patiente, vbi de Iuda sic cecinit.

29.

August.

Naziana.

Eò ipse nam procedis dementiæ
In posterum, vt cuius firma tibi capere, & bona
Consilia liceat, & relictis omnibus
Ad genua Domini procidere, largas genis
C *Stillare lacrymas: pensilem contra implicas*
Laqueum, viam omnem vocis vt tibi obstruas.

Hæc ille, significans id prorsus laqueum collo innexum egisse exterius, quod desperatio interiùs peragebat. Subdit Salomon.

Et iustus laudabit, atque gaudebit, id est, ex aduerso vir iustus spe erectus, ac confirmatus, præ gaudio gestiens, in Dei laudes erumpet. vide oppositionem, & antithesim vtriusque partis: ille per desperationẽ, ac diffidentiam spiritum sibi abstulit, vocem eripuit; hîc contrà per confidentiam, & spem, spiritum gaudio relaxat, & vocem in diuinas laudes effundit. Caietan. legit: *cantabit atque gaudebit*, eodem sensu. Paulus ad Rom. 12. spei gaudium accommodat. *Spe*, D inquit, *gaudentes*. Sed de spei solatiis & ingenti gaudio alibi non pauca diximus. Pergo ad alia.

---

7. *Nouit iustus causam pauperum, & impius ignorat scientiam*.

30. Nouit *iustus*, &c. Hebr. non dissonant. Chaldæus etiam concinit. Sept. verba ista paulò aliter reddunt. *Nouit iustus iudicare pauperibus: impius autem non cogitat scientiam: & inopi non inest mens cognoscens*. Sic habetur locus iste in Vatican. Complutensis, *& impius non cogitat causam*, vel, *iudicium*. Regia, *non intelliget iudicium*. Omnia in idem recidunt.

E Omnium fermè interpretum concors iudicium circa sententiam huius carminis: sermo est ad iudices, & magistratus publicos. *Nouit iustus causam pauperũ*, id est, iudex rectus ex iure, & æquitate sententiam dicens, dat operam, vt causam, seu litem hominis pauperis, à quo nihil emolumenti ipsi euenire potest, rectè calleat, & iustitiam eiusdem attentiùs perscrutatur, ne non illi ius suum deferat. *Et impius ignorat scientiam*, id est, iniquus iudex pauperis ius non satis intelligens, ipsum incognita causa damnat. Sic fermè interpretes. Ego verò huius sententiæ energiam tantisper vrgendam, & extremum hemistychium hoc sensu donandum existimo. *Et impius ignorat scientiam*, vel, *causam* (vt habet editio Complutensis,) id est, de industria ignorantiam

ignorantiam affectat, & de pauperis hominis iure edoceri non vult, ne cognitâ æquitate cogatur pro illo ferre sententiam. Et sanè haud scio, an sit aliquid, in quo rectitudo iudicis explorari melius queat, quàm in pauperum causis, ac litibus.

31. Addunt Sept. illa verba: *Et inopi non est mens cognoscens*, quæ duplicem sensum reddere possunt. Alter, nullus aut vix aliquis est, qui ad cognoscendas pauperum causas, & eorum iura intelligenda mentem adiiciat. Quasi dicat: ideò rectitudo, & integritas iudicis in cognoscendis, ac perscrutandis pauperum causis agnoscitur, quia nullus ferè est, qui sponte id faciat. Vel paulò aliter: ideò iudex rectus pauperis causam, & ius attētiùs exquirere debet, quia ferè pauperes nō habent patronos, & aduocatos, qui eorum actiones B tueantur. Eapropter in quibusdam Rebuspublicis piè, ac religiosè admodùm aduocati, & patroni publico ære conducti ad pauperum causas litesque pro virili defendendas adscripti sunt: sed tum maximè in curia Romana, vt tradit Petrus Greg. in syntagmate iuris l. 49. c. 6. n. 11. & in plerisque etiam Academiis quotquot in iure laureas accipiunt, pauperum lites gratis à se defendendas priùs vouent, ac iurant. Alter sensus eorum verborum esse potest. *Et inopi non inest mens cognoscens.* id est, propterea iudex rectus atque integer in cognoscendam causam, & ius pauperum mente incumbere debet, quia ferè pauperes stolidi sunt, & inepti, suasque ipsius causas exponere, & iura allegare non satis norunt: atque adeò ne iniqua sit C sententia, iudex (si fieri possit) quasi adiacens, vel assistens pauperis mens esse debet, vt eas res intelligat, quas ille præ stoliditate non assequitur.

Petr. Greg.

---

8. *Homines pestilentes dissipant ciuitatem: sapientes verò auertunt furorem.*

32. HOmines pestilentes, &c. In Primitiuis est אנשי לצון *Anselatsom*, idest, *viri pestilentia*, ex radice *latsam*, cuius significationes alias non semel dedi: est enim *irridere, illudere, deferre.* Sept. sæpius ad pestem referunt: eorum vestigiis adhæsit hìc Vulgatus: alij verò aliter verterunt. Chal. *Viri derisores loquuntur mendacium.* Tigurina. *Viri illusores illaqueant ciuitatem.* Accinit Pagn. Alifer Caiet. *Viri derisionis facient sufflare ciuitatem.* Sept. *Viri impij*, in quibusdam est λοιμοὶ, idest, pestilentes, *exusserunt ciuitatem*, Symma. *incenderunt.* Ex Hebræorum magistris aliqui sic restituerunt. *Viri delatores fluctuare faciunt ciuitatem.* Hanc translationum dissimilitudinem peperit verbum יפיחו *Iapichu*, quod hìc subest, ex radice יפח *Iaphach*, quod significat propriè *efflare*, aut, *sufflare*, aliquando etiam *mentiri.* Ex hac posteriori significatione translationem suam petiuit Chald. Reliquæ lectiones ex priori acceptæ sunt: nam cùm verbi *Iapach* in hoc loco, non sit propria, sed translata, & metaphorica significatio, diuersi interpretes de hac metaphora diuersa senserunt: eorum dissidia statim subtexam.

In posteriori hemysticio: *sapientes verò auertunt furorem*, nulla occurrit lectionum diuersitas. Ad rem.

Viri derisores loquuntur mendacium: sic locum extulit Chaldæus, qui pro ciuitate *mendacium* restituit, nescio quo consilio. Est qui dixerit Chaldæum locum istum ad verbum sic conuertendum putasse. *Viri derisores loquuntur ciuitatem:* nomine autem ciuitatis rude vulgus accepisse, quod ferè mendaciis, fabulisque ferendis distineri solet. Quasi dicat: Viri illusores ridiculi quidam sunt de vulgo homines mendaciis efflandis, spargendisque vbique assueti: apud nostrates de viro dicaci & loquaci ita iactari solemus.

A *Qui habla mas que vn pueblo entero.* Sed tamen cùm hæc prior pars parum aptè consuatur cum posteriori, omninò refellendum est.

Viri delatores fluctuare faciunt ciuitatem. Sic ex Rabinis non pauci, qui verbi illius *Iapach*, metaphoricam significationem non insulsè accommodarunt, putantes similitudinem ductam à mari, cùm ventorum diuersis, imò aduersis flatibus concussum miscetur, ac fluctuat. Itaque sensus est. Quemadmodum si plures contrarii, ac secum pugnantes venti mari incumbant, illud insanis quibusdam fluctibus impellere, & agitare solent: ita etiam homines delatores, & susurrones (vulgò *soplones*) vrbem commouere, & pacem, concordiamque ciuium exturbare, ac seditiones excitare solent. Apposita est susurronum & ventorum pelago incumbentium similitudo. Posterius etiam hemistychium cum hoc priori optimè consibutur: *Sapientes autem auertunt furorem*, id est. Ex aduerso viri prudentes, & industrij, qui paci, & concordiæ semper student, seditiosos ciues pacant, & (liceat sic dicere) quandam sedatis fluctibus malaciæ similem tranquillitatem Reipublicæ afferunt. Quid certius? 33.

Septuag. interpretes, & Symmac. alio schemate huius carminis sententiam illustrarunt: nam verbum *Iapichu*, idest, *sufflauit*, ad ignem retulerunt, qui flatibus accendi solet. *Viri impij*, aut, *pestilentes exusserunt ciuitatem*, idest, Quemadmodum si ignis domum aliquam corripiat, atque subinde venti validi incumbant, in alias & alias ædes flammam deferre, & totam demum vrbem exurere, ac concremare solent: ad eundem modum si adsint delatores, susurrones, leuissimas discordias, quæ vel inter paucos subortæ sunt, tanquàm ingruentes venti, vsque adeò succendere, atque inflammare solent, vt grassante odiorum incendio, magnas vrbes, imò & regna, & nationes seditionibus nonnunquàm deflagrare videamus. Accommodata est etiam hæc similitudo, cum qua nectitur bene etiā consequēs clausula: *Sapientes verò auertunt furorem.* Viri scilicet prudentes concordiæ, pacisque amatores, ex aduerso dissidiorum ignem, antequàm sæuiat, opprimunt, & accensos, inflammatosque paucorum ciuium animos, quasi inspersa aquâ D restinguunt antequàm latiùs serpat incendium. 34.

Sed licet hæc idonea sint, tamen aliquid idoneum magis protulit Vulgatus interpres: hic enim metaphoram ab stipulis, seu paleis quas ventus difflat, & hàc illàc proiicit, desumptam existimauit, ita vt sensus sit. *Homines pestilentes dissipant ciuitatem.* (illud *dissipant*, perinde est ac difflant, seu dispergunt.) Quasi dicat. Viri delatores, susurrones, & discordiarū seminatores (hos enim hìc *pestilentium* nomine notari existimo) ceu venti quidam validiores, leues ciuium animos stipularum in morem difflant, idest, ab inuicem dissidiis distractos separant, ac disiungunt. Huius comparationis lepos in promptu est: nam pulchrè admodùm ostendit humanorum animorum leuitatem, E quos leuium palearum ad instar, vel subtilis susurrationis flatus facilè dissociat, ac dirimit. Significatur etiam accommodatè quanto studio delationes ac susurrationes prohibendæ sint à ciuitatibus, ac cœtibus: quia nimirùm his non aliter mouentur, impelluntur, ac disperguntur animi leues, quàm stipulæ ventis afflatæ. 35.

Subdit Salomon: *Sapientes verò auertunt furorem*, idest imprudentes detractiones, delationes, & susurria magno studio vitantes, omnem dissidiorum, & contentionum causam de medio tollunt. Hùc spectat illud Epicteti Philosophi apud Stob. serm. 43. *Quemadmodum faces in portu sublatæ magna flamma in paucis tremijs excitata nauibus per mare errabundis multum auxilij ferunt: sic & viri splendidi in vrbe pericli-* Stobæus.

tante paucis ipsi rebus contenti, magnis beneficiis ciues afficiunt. Similitudinem istam cum secunda expositione compone, quæ ex tempestate desumpta est. Tres præmissæ comparationes accommodatæ sunt, & ad rem natæ, eandemque sententiam diuersis schematibus comptam exhibent.

36. Restat altera illa translatio, quam secuti sunt Pagnin. & Tigurina. *Delusores illaqueabunt ciuitatem.* Et sanè licet verbum *Iapach* eam significationem aliquando subeat, tamen in hunc locum parum concinnè cadit. Nisi dicas sensum illum cum vulgari apud nostrates dicendi modo congruere *Vn hombre malsin basta para enredar vna ciudad entera*, idest, satis est, vt alios & alios verbis implicet suis, & ad mutua conuertat odia.

9. *Vir sapiens, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.*

37. VIr sapiens, &c. Hebr. ad verbũ sic habent. *Vir sapiens iudiciũ subiens cum viro stulto, & irascetur, & ridebit, & non requies.* Chald. *Vir sapiens contendens cum viro stulto, siue irascatur, siue rideat, non conteretur.* Sept. *Vir sapiens iudicabit gentes: vir autem nequam succensens deridetur, & non terret.*

Circa sententiã huius loci non vna interpretum censura, quippe quos illa verba, *siue irascatur, siue rideat*, in varias expositiones compulerunt, dùm alij de sapiente, alij de stulto accipienda esse dicunt. Vatablus ergo de stulto enuntiata esse putauit, atque sensum ita conformat. *Vir sapiens si cum stulto aliquando contenderit*, idest, contraxerit, aut commerciũ habuerit, *siue irascatur, siue rideat* scilicet ipsemet stultus, *non inueniet requiem*, puta, sapiens ipse, idest, illius stoliditatem diu perferre non potest. Quasi dicat: Stultus homo, siue ex gaudio placidè ridens, siue ex ira in furorem actus, importabilis est sapienti: omnia enim temerè, importunè, atque inconditè gerit. Cæterùm hæc expositio mihi non admodùm condita videtur, nisi amplius vrgeatur. Vatabl.

Quapropter si quidem illa verba, *siue irascatur, siue rideat*, stulto accommodentur: locum istum duplicem ad sensum vocari posse existimo. Alter sic habet: viro sapienti importabilis est stultus, non solùm cùm irascitur, sed etiam tunc cùm ridet, & placere cupit. Sensus autem sic vrgendus est, vt particula, *siue*, comparationem vtriusque partis innuat, hoc modo, *siue irascatur, siue rideat*, idest, non minus intolerabilis est sapienti stultus tunc cùm ridet, quàm cùm irascitur. Quasi dicat; Stulti hominis tanta stoliditas est, vt vel tunc cùm ex studio, & deindustria gratum se, ac iocundum exhibere vult, plurimùm displiceat, & molestiam magnam afferat homini sapienti, non minùs quàm si ipsum ex iracundia peteret, aut lacesseret. Quæ sententia vera est ac stulti inconditos mores satis declarat. Cæterùm alter sensus mihi arridet magis, quem tradit Rodolphus ad hunc modum. Si quando vir sapiens cum stulto disceptauerit, vt ipsum corrigat, & ad sapientiam, seu bonos mores traducat, nihil præstat: nam *siue irascatur, siue rideat, non inuenit requiem*, ipse videlicet stultus partim in suum exhortatorem iram effundens, partim eiusdem monita irridens, & iocosè declinans, à suis delictis nunquàm quiescit, aut cessat. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem, stultum inemendabilem, atque incorrigibilem esse decernit: quia vel irascendo, vel subsannando; correptionis seueritatem eludit, atque adeò non tàm verbis, quàm verberibus emendandum esse.

38. Sed licet superiores interpretationes accommodatæ videantur tamen, in alteram mens pendet mea: existimo enim illa verba, *siue irascatur, siue rideat*, non ad stultum, sed ad sapientiam pertinere: illa verò, *non inuenit requiem*, ad stultum esse referenda: sic enim verbis, vt in textu iacent, nulla affertur vis. Præfero autem expositionem Caietani, quæ sic habet. *Sapiens si cum stulto contenderit*, idest, si cum stulto de illius emendatione egerit, siue ipsi irascatur, & simulata indignatione illum seueriùs coerceat, siue eidem morem gerat, & ridens, placidusque ipsum blandè commoneat, *non inuenit requiem* stultus, idest, non acquiescit sapienti ipsum admonenti. Quasi dicat, ad stultum hominem emendandum ars nulla idonea est, quia neque minis, neque gratia, & leuitate adduci potest. Albertus Magnus de historia Animalium lib. 1. tradit feras, quæ animosæ sunt, atque prudentia, & sensu pollent, partim castigatas, partim delinitas facilè cicurari, ac mites reddi (eiusmodi sunt elephantus, leo, accipiter, & aliæ adsimiles;) eas verò, quæ stolidissimæ sunt, nec cicurari, nec mitescere: quia nimirùm nec popysmis deliniuntur, nec castigationibus sedantur. Ad eundem modum de sapientibus, ac stultis decernere oportet: hi quidem (liceat sic dicere) tanquàm stolidissimæ feræ, nec blanditiarum popysmis, nec correptionum castigationibus ad mititatem traducuntur: illi contrà instar animantium prudentia, & sensu præstantium, vtrisque sedantur, ac mitescunt. Albert. M.

39. De translatione Sept. ad extremum aliquid subijcere opus est, qui locum istum sic extulerunt. *Vir sapiens iudicabit gentes: vir autem nequam succensens deridetur, & non terret.* Hęc sententia discrimen assignat, quod inter probos, atque improbos Magistratus intercedit, hoc modo; Viro sapienti, ac probitate prædito iudicanti, & rempublicam gerenti, gentes & populi sponte acquiescunt, quia nimirum probitati eius, & sapientiæ cuncti deferunt. Quod si improbus aliquis vir magistratum ineat, tunc cùm seueriùs agit, à suis subditis deridetur, & cùm minas intentat, non terret; quia cùm ipsi ob improbitatem nihil deferant, eius seueritatem, & minas facilè contemnunt. Quæ sententia docet iudici, & magistratui præcipuam authoritatem ex probitate comparari, vt subditi sponte ipsis pareant. Aduocandus hîc Eusebius apud Stobæum in serm. 44 vbi sic scribit. *Homines inobedientes sunt illi, qui cùm iniustè viuant, aliis praeesse volunt: obedientiam autem facilem apud subditos efficiet quinis, qui quæ ipsum facere decet, diligenter exequitur, & eorum, quæ facere conuenit, subditis sese exemplum prabet.* Stob.

10. *Viri sanguinum oderunt simplicem: iusti autem quærunt animam eius.*

40. VIri sanguinum, &c. Hebr. non dissentiunt. Chald. verò sic expressit. *Viri sanguinum oderunt simplicitatem; recti autem quærunt eam.* Sept. *Viri sanguinum participantes odio habebant sanctum, &c.* Extrema verba huius sententiæ continent modum dicendi in scriptura solemnem. *Iusti autem quærunt animam eius*: cuius satis anceps significatio est: nam in bonam, inque malam partem verti solet. Ad bonam spectat illud Psal. 141. *Non est qui requirat animam meam, &c.* Sæpius autem ad malum refertur, Psal. 85. *Synagoga potentium quæsierunt animam meam.* Et Psal. 69. *Confundantur & reuereantur qui quærunt animam meam.* Psal. 34. v. 4. Ps. 37. v. 17. Ps. 53. v. 15. & passim alibi. Hinc locus factus diuersis interpretationibus. Sunt igitur qui illa verba ad malum vertentes, ita locum istum edisserunt. *Viri sanguinum oderunt simplicem: iusti autem quærunt animam eius.* Id est, contra virum iustum, atque pium, nescio quâ lege, omnia conspirât: non enim modò improbi ipsum graui Psal. 141. Psal. 85. Psal. 69.

graui odio insectantur, quia eius probitas, & pietas, A ipsi molesta est: sed etiam sæpius ipsimet iusti falsa opinione ducti de ipsorum vita inquirere, facta perscrutari, aliquando etiam damnare, & punire solent. Itaque authores isti putant Salomonem iusti ac pij hominis ærumnosam conditionem in hac vita describere voluisse, significando ipsius mercedem ad alteram differri.

41. Cæterùm huic expositioni parum tribuo, & cum his sentio, qui illa extrema verba, *Iusti autem quærunt animam eius*, ad bonam partem referunt: qui vnam, & aliam expositionem tradunt. Altera est, *Viri sanguinum oderunt simplicem*, id est, viri homicidæ, & sicarii, hominem sanctitate, & integritate vitæ præditum tanquàm sibi infensum, & moribus suis valde dissi- B milem immitissimis odiis prosequuntur: sed tamen hunc, quem improbi insectantur, probi omnes, ac recti insequuntur, vt eius vsu, & familiaritate perfruantur. Vel, *quærunt animam eius*. id est, incolumitati eius prospiciunt, & vitæ illius asseruandæ student. Sic plerique. Sed Rodolphus magis apposite sic habet. Viri sicarij, & homicidæ, hominem pium, ac sanctum tantoperè oderunt, vt ipsum neci dare, & de medio tollere non dubitent. Nam ipsimet fontes Sapient. 2 sese inuicem ita exacuunt. *Contumelia, & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum*, &c. Sed tamen rectissimi, atque integerrimi iudicis partes sunt inquirere animam illius, id est, mortem ipsi iniu- C stè illatam vlcisci, ac punire. Hanc expositionem commendat ille alter locus Psalm. 141. qui similem ad sensum vocari debet. *Et non est qui requirat animam meam*, id est, non est qui vlciscatur. Cui etiam adsimile est illud Ezech. 3. *Sanguinem autem eius de manu tua requiram*, & Baruc. 6. *Angelus enim meus vobiscum est; ipse verò exquiram animas vestras*, idest, illatas vobis iniurias vendicabo.

Rodolph. Sap. 2. Ezech. 3. Baruch. 6.

42. Hanc interpretationem libenter præfero: ita enim reor Salomonem iudices, ac rectores affari, atque hoc illis suadere, vt iniurias, & damna simplicibus, innoxiisque hominibus illatas vlciscantur. Nam cùm eiusmodi homines sancti, & insontes, iniurias iniuriis non remetiantur, & damna damnis non compensent, D maximè congruum est, vt rectores iusti, ac iudices integri de ipsorum iniuriis seriò vindictam sumant, atque fontes grauiter puniant. Ita suadet faciendum Menander apud Stobæum in sermone de iustitia, & huius rei rationem subdit. *Si improbis integrum esset probos iustos homines vexare, esset*, inquit, *hoc valde indecens*

Stobæus.

Omni tempore, quod iustum est, vincere debet.
Vnus iustus infinitos non iustos
Vincit, Deo, & iustitia adiuuantibus.

Id verò propterea adiecit Menander, vt suaderet, tunc cùm plures iniusti ad iustum opprimendum conspirant, non ideò parcendum, aut indulgendum, quasi damnum vnius plurimorum damnis cedat. E Nam si ita, inquit, aliquando contingit, vt vnus aliquis iustus ab innumeris improbis hominibus damna perpessus sit, haud verendum erit etiam ab innumeris pro vno tantùm pœnas expetere, ita vt si opus sit, vnius probi hominis caput permultis improborum capitibus luatur. Et sanè Dei maiestas læsis, ac violatis iustis hominibus mirum in modum læditur: nullæ autem ad ipsius iram sedandam magis idoneæ hostiæ, ac victimæ, quàm fontes pro delictis mactati. Hûc spectare videtur illud Phocilidis in eodem sermone. *Scelesti iustè necati victima Iouis sunt*. Expunge Iouem, & sic adscribe, *victima Dei sunt*, quibus eius Ira in nos concepta delinitur, atque placatur.

11. *Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reseruat in posterum.*

Totum spiritum, &c. Extrema verba in originibus Hebraicis sic habent, *Et sapiens in posterum sedabit eum*. Pagninus, *quiescere faciet eum*, Caietanus, *in posterum laudabit eum* Tigurina, *retrorsum cohibet eum*. Chaldæus. *Omnem furorem profert stultus: at sapiens in prudentia reprimit eum*. Septuaginta. *Totam iram suam profert stultus: sapiens autem dispensat per partem*. Cassianus, *per partes*. D. Hieronymus, *dispensat in partem*. Symmachus, *in nouissimo mitigat eam*. Has omnes lectionum differentias ad Primitiua reuocare procliue est. 43.

Diuersæ huius loci interpretiones ex diuersis acceptionibus illius vocis, *spiritus*, fluxerunt: nam *spiritus* in scriptura multa sonat; sed ex multis tria sunt, quæ huic loco aptari solent ab interpretibus. Hæc sunt, *robur, sermo*, & *ira*. Spiritus pro robore sumitur Psalm. 103. *Auferes spiritum eorum, & deficient*, &c. & 141. *In deficiendo ex me spiritum meum*, & sæpè alibi. Pro sermone supra capite 25. *Melius est in loquendo cohibere spiritum suum*, &c. & cap. 17. *Pretiosi spiritus vir eruditus*. Denique nihil obuium magis vel in hoc libro, vel in reliqua Scriptura sacra, quàm spiritum pro ira vsurpare, sup. ca. 27. *Impetum concitati spiritus sustinere quis poterit?* & alibi. 44.

Psal. 103. & 141.

His prælibatis, prima loci expositio est. Hebræorum, qui cùm nomine *spiritus* robur accipiant, sic verba ista edisserunt. *Totum spiritum suum profert stultus*, &c. id est, hominis est parum cordati, ea, quæ agit, tanto conatu aggredi, vt ab initio totum robur, & vires profundat suas: inde enim fit, vt exhaustis viribus, solutisque lacertis ocyus deficiat. *Sapiens autem differt, & reseruat in posterum*: is scilicet, qui sapit non ita, sed rebus agendis ita ab initio vires impendit, suas, vt eas in posterum ad alias. & alias res fortiter agendas adseruet. Id autem consilij accommodatum est ad eos commonendos, qui in aditu virtutis, & honestatis inchoatæ, inedia, vigiliis, & aliis afflictionibus corpus atterunt, & profligatis viribus, ac valetudine, officia pietatis deserere coguntur. Id ergo stultitiæ tribuit Salomon. *Totum spiritum suum profert stultus*. Hebraicè כסיל Chesil, de cuius nominis vi alibi diximus: fluit autem ex radice כסל *Chasal*, quam nonnulli Hebrorum magistri ex germana sua significatione perinde esse putant, ac *cadere*, vel *prosterni*, ita vt *Chesil* subditum, subiectum, aut seruilem significet. Ergo illum, qui ad eum modum suas vires corporis imprudenter effundit, ac deperdit, aptè admodùm Salomon appellat *Chesil*, id est, stultum, vel (si ita placet) subiectum, ac seruituti obnoxium hominem: huius enim hominis stultitia in eo sita est, quod imperantem hominis partem, scilicet animum, ei, quę obseruire debet, sponte subiicit, ac sufternit, dum graues morbos sibi accersens corpori inseruire cogitur. 45.

Audiendus D. Basilius in libr. de vera Virgin. vbi sic scribit. *Igitur corporis, & virium cura necessario habenda est, non ipsius gratia, sed vt seruitio illius ad philosophiæ studia vti possimus: impossibile enim est, nisi famulatum corporis obtemperantem habeamus, vel diuinis lectionibus operam dare, vel mentem corpore ægro, & languente conuenienter insistere, vel omnino quidquam eorum, quæ ad philosophiam conferunt, in nostram, vel sociorum vtilitatem operari*. Et paucis interiectis ita subnectit. *Ea tantùm ratio castigandi corporis adhibenda est, vt seruituti subijciam, & Domino obsequi ritè compellam: at verò qui seruum ita per inediam subiicit, vt non solum* 46. Basil.

lum ad ministerium domini fiat inutilis, verùm nec sibi ipsi sufficere possit, quid aliud, quàm serui sui se famulum fecit? Necesse enim est corpore inualido ad seruiendum, & per infirmitatem tabescente contra illi seruire dominum, dum semper circa infirmitatis eius curam versatur attonitus, & in serui sui obsequio vitæ tempus omne consumit. Hæc Basilius apposite ad præscriptam expositionem.

46. Secunda interpretatio Caietani, Rodolphi, & aliorum, per *spiritum* secretum sermonem capit, & locum istum ad hunc modum exponit. *Totum spiritum suum profert stultus*, id est, stolidus, ac mentis impos homo nihil arcanum, & secretum seruat, sed quidquid animo continet suo, statim effundit. *Sapiens autem reseruat in posterum*, id est, ea, quæ nouit, tacitus apud se premit, vt opportunè ea proferat, & in palam det. Similis est hæc sententia ei, quam supra cap. 15. non perfunctoriè discussimus. *Melius est in loquendo cohibere spiritum suum*, & cap. 17. *Pretiosi spiritus vir eruditus*; nec non etiam alibi in hoc libro de tegendo secreto verba fecimus: atque adeò ad tertiam interpretationem contendo.

47. Chaldæus, & Septuaginta verba ista de moderatione iræ exponunt; his assentior. Itaque sensus est. *Totum spiritum suum profert stultus*, &c. id est, stolidi, atque stupidi hominis est, ex qualibet causa, ira, & furore subito inardescere: *sapiens autem reseruat in posterum*, id est, vir eximiè sapiens subitos iræ motus coërcet, & differendo iram fallit. Et sanè ad frænandam iram nullum accommodatius, vel efficacius remedium est, quam eiusdem dilatio: nam subitus ardor, & vlciscendi libido, si non statim illi obsequamur, interim dùm differtur, se ipsa mitescit, atque lenitur. Quid certius?

48. *Athenodo.* Hûc spectat illud Athenodori Stoici documentum, à quo cùm Augustus Cæsar monitum aliquod sapientiæ exquireret, ita respondit. *Quoties irasceris, nihil dicere, aut facere tentes, priusquàm viginti quatuor alphabeti literas tecum recitaueris.* Et quidem meritò sperabat Athenodorus futurum, vt furoris primus impetus breuissima illa mora coërcitus illico desæuiret. *Seneca.* Audi Senecam in libr. 3. de ira cap. 1. *Mora*, inquit, *lentum præcipitis mali remedium est.* Sed luculentius libr. 2. cap. 28. *Maximum remedium est iræ mora. Nec ab illa pete initio, vt ignoscat, sed vt iudicet: desinet, si expectat. Nec vniuersam illam tentaueris tollere: graues habet impetus primos: tota vincetur, dùm partibus carpitur.* Hunc sensum (me iudice) reddit translatio Septuaginta, ita vt ab illis potius accepta, quàm à Seneca marte proprio enuntiata videatur. *Totam iram suam profert stultus: sapiens autem dispensat per partem.* Quasi dicat, inter sapientem, & stultum hoc interest, quod stultus læsus totam iram statim effundit, nam iræ obsequens suæ, vindictam, quam illa suadet, statim exequitur: sapiens verò ira incitatus, non tantum statim sibi excindere, aut euellere furorem adnititur, sed per partes sibi medetur, ista secum initio surgentis iræ deliberans, non vt parcat prorsus vindictæ, sed vti differat contendit: interim verò dum moram haud longam sibi incidit, ratio è vestigio succedens præcipitem iræ impetum comprimit.

49. Denique idem Seneca libr. 3. cap. 12. iterum de hoc remedio sic scribit. *Nemo se differt, atqui maximum iræ remedium dilatio est, vt primus eius feruor relanguescat & caligo, quæ premit mentem, aut residat, aut minùs densa sit. Quædam ex his, quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies molliet, quædam ex toto euanescent.* Pende illa verba, *& caligo quæ premit mentem, aut residat, aut minùs densa sit.* *Lipsius.* Lipsius enim putauit similitudinem desumptam ex nebula, quæ sole exurgente aut expellitur, aut extenuatur. Ita enim scribit:

A *Donec resideat, aut minùs densa sit à sole rationis depulsa.* Hac etiam similitudine vsus est Plutarch. in Moral. *Plutarch.* *Nemo*, inquit, *vindicat in seruum quod decimo, aut quinto die iam ante admiserit, neque tunc eum flagellat, quod pulmentum adusserit, mensam euerterit, segnius audierit. Atqui ea sunt, quibus admissis, tumultuamus, & placari non possumus. Enim verò vt per nebulam corpora, sic res per iram apparent grandiores.* Iam tenes energiam huius sententiæ: ideò enim isti Philosophiæ moralis præstantes magistri primos iræ impetus per dilationem eludere seriò præcipiunt, quia ex ira non secus atque ex nocte, densiores nebulæ mentem obruunt: interim autem sicut corpora inter crassiores nebulas grandiora, ita etiam iniuriæ, ira mentem obnubilante, B immaniores apparent: atque adeò tantisper expectandum, donec ratio, ceu sol exoriens, nebulas vi sua, aut fuget, ac penitus dissoluat, aut tenues reddat.

Audiendus etiam Aristoteles ab eodem Lipsio aduocatus. 50. *Aristot.* *Ad hoc ipsum, vt ira coquatur, tempore opus est, nec aliud salubrius remedium occurrit.* Mens autem Philosophi est eiusmodi. Ira similis est cibis indecoctis, & in acorem conuersis: atque adeò sicut eiusmodi cibos alij quidem molestissimè euomunt alij verò salubrius, ac leuius, haud longa mora vomitum differentes tandem acidos humores decoquunt, & molestia liberantur. Ad eundem modum de iratis cogita: alij enim, cùm primùm iræ acres, & amarulenta C passio animum subiit, illam ocyùs in aduersarios suos euomunt: alij vero salubriùs retinent, atque vltionem differentes omnem amaritudinem patientia diluunt. Quapropter non longè absum, vt putem illam patientiæ descriptionem, quam in Iambico de definitionibus inseruit Nazianz. ex Arist. desumptã fuisse. *Nazianz.* *Patientia, inquit, molestiarũ decoctio est.*

Sed redeo ad translationem Septuaginta, quam aliter expenderunt Hieronymus, & Cassianus: subiicio autem Cassiani verba, quæ fermè ab Hieron. mutuata videntur. 51. *Cassianus.* Hic ergo in Collat. 16 cap. 27. sic scribit. *Totam iram suam profert stultus: sapiens autem dispensat per partes. Stultus nimirum ad vltionem sui ira perturbatione succenditur: sapiens autem illam paulatim* D *maturitate consilij, ac moderationis extenuat, & expellit. Tale est, & illud, quod ab Apostolo dicitur: Non vosmetipsos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ, id est, non sicut corda vestra sic impatientiæ, & pusillanimitatis angustiis coarctata, vt violentam commotionis procellam, cum irruerit sustinere non possitis: sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes aduersos iracundiæ fluctus in illis extensis finibus charitatis, ita vt mens vestra habeat in se consiliorum salutatores regressus, in quibus receptus quodammodo, ac diffusus teterrimus iracundiæ fumus protinus euanescat.* Quasi diceret, *de manera que tengays chiminea por dondo se euapore el humo de la ira*, Et breui interstitio verborum ita subnectit. *Hæc enim natura est iræ, vt dilata languescat, &* E *pereat: prolata verò magis magisque conflagret.* Hæc ille, quæ ad sententiam Vulgatæ nostræ lectionis spectare videntur.

Addo etiam aliam huius translationis expositionem cum eadem vulgata magis conformem. 52. *Sapiens autem dispensat per partes*, id est, non statim effundit iram suam, sed fallit quodammodo illam, non subitò comprimens, aut restringens, sed *per partes*, nimirùm per interualla quædam vindictam differens. Non ira ex tempore surgente hanc legem sibi indicit, vt ad breue tẽpus indulgeat, & cùm illud tempus abiit, iterum à semetipso impetrat, vt diuturniori more parcat, & subinde sibi ipsi inducias alias ex aliis præscribens, tamdiu iram defraudat, quo ad eius ardor intepescat. Hoc sibi vult illud, *dispensat per partes*,

partes, idest, per interualla quædam differendo fraudat.

53. Denique non est prætermittenda illa lectio. *Totum furorem suum profert stultus: sapiens autē retrorsum cohibet eum*, quæ duplicem sensum reddere potest. Altel est sincerior ad hunc modum; Stultus iræ erumpenti habenas soluit, sapiens verò restringit, & cedere retrò cogit. Eodem sensu Seneca lib. 2. de ira. *Illud quidem refert, quantas vires, quámque integras habeat ira* (cognoscere) *vtrum ne verberanda, & agenda retrò sit, an cedere ei debeamus.* Similitudo autem ducta videtur ab equo in cursum ruente: præmiserat enim Philosophus. *Quod maximè desiderasti, Nouate, nunc facere tentabimus, iram excindere animis, aut certè refrenare, & impetus eius inhibere.*

Seneca.

54. Altera interpretatio, quam non nemo præmissæ lectioni aptauit, sic habet: *Sapiens autem retrorsum cohibet eum.* Quasi dicat, Stultus iram, & furorem in alios exerit, atque immittit: sapiens verò eundem erumpentem coërcet, & retrò, id est, in semetipsum redire compellit, qui nimirùm iræ erumpenti veluti ponè accidit. Appositus est ad hanc sententiam Ambrosij locus libr. 1. Officior. cap. 21 *Si irascimini, vobis ipsis irascimini, quia commoti estis, & non peccabitis: qui enim sibi irascitur, quia citò commotus est, desinit irasci alteri: qui autem vult iram suam iustam probare, plus inflammatur*, &c.

Ambros.

---

12. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.*

55. Princeps, &c. Hebr. *Princeps, qui attendit super verba falsitatis*, &c. Chald. non dissonat Septuag. sic extulerunt. *Rege audiente sermone iniustum, omnes subditi iniusti.*

Ex hoc loco duæ interpretationes excitari possunt. Alteram offert translatio Septuaginta ad hunc modum. *Rege audiente sermonem iniustum, omnes subditi iniusti*, id est, Princeps, qui detractionibus delectatur, & eorum sermones, qui aliorum famam, & honorem iniustè violant, sibi probari annuit, nullum subditum satis probum, & iustum habebit: nam dum alij aliis mutuò derogant, cuncti, apud ipsum malè audiunt, atque ea demùm ratione fit, vt nullum satis vtilem ministrum Rex nanciscatur, cui rempublicam permittere possit. Quapropter Princeps sic se gerere debet, vt calumniatorum mendacia sibi perquàm inuisa esse nunquàm non ostendat. Ita suadet Basil. Imperator Leoni filio in libello Exhortationum cap. 55. *Prebere*, inquit, *aures auditioni vanæ noli, & calumniatores in sinu tuo ne foue, & improbis ne temerè crede: isti enim sæpius viros bonos affligere solent, & propria improbitatis iras euomentes, innocentis sanguinis reum te constituent, aut suspectum reddent, quasi improborum consuetudine gaudeas. Quibus enim consuescere familiariter lætaris, & quibus fidem adhibere soles, eorum mores tu quoque habere non immeritò iudicaueris.*

Basil. Imp.

56. Posteriorem interpretationem reddit translatio vulgata. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Missam facio expositionē Rodolphi, qui locum istum de adulatione interpretatur, hoc modo. Rex, qui adulatores sibi fallaci assentatione blandientes libentiùs auscultat, improbos valde ministros publicæ rei gerendæ præficit: Quia fermè ita accidit, vt eiusmodi Princeps assentatoribus suis oblectatus, eisdem magistratus, & publica munera deferat. Atqui adulatores nunquàm non improbi, ac scelesti homines priuata commoda publicis damnis redimentes.

Aliam ergo esse censeo Salomonis sententiam; illum enim de Rege, aut Principe virum insontem damnare, & reum peragere volente accipi debere existimo, ita vt sensus sit. Quoties Rex alicui subiratus est, atque adeò eos qui illi etiam falsò crimina imponunt, libenter auscultat, omnes ministros habet impios, seu iniustos: cuncti enim, vt Regi pergratum faciant, contra innocentem quiduis falsò denuntiare, & contestari, non dubitant. Ob eam causam sacerdotum Principes, & Pharisæi plures nacti sunt falsos testes contra Christum, & eisdem postea etiam contra Stephanum falsos quoque testes permultos producere liberum fuit. Mitto alia exempla, sunt enim obuia tàm ex veteri, quàm ex nouo Testamento.

---

13. *Pauper, & creditor obuiauerunt sibi, & vtriusque illuminator est Dominus.*

Pauper, &c. Hebr. *Pauper, & vir contritionum. Alij, & vir fraudulentus obuiauerūt sibi, illuminans oculos amborum ipsorum Dominus.* Chaldæus. *Pauper, & mediocris fortunæ homo obuiauerunt sibi inuicem: & Deus illuminat oculos amborum.* Septuaginta. *Fæneratore, & debitore ad inuicem conuenientibus, inspectionem facit vtriusque Dominus.* Sic Complut. & Reg. Textus verò Vaticanus. *Visitationem facit vtriusque Deus.* Aquila, Symmachus, & Theodotion concinunt cum Vulgatis. 57.

Prima interpretatio huius loci, quam Caietanus, & Rodolphus Rabinorum adhærentes vestigiis amplectuntur, sic habet. *Pauper, & vir fractionum obuiauerunt sibi*, idest, Frequenter accidit, vt vir paupertate, & penuria rerum oppressus, & is qui qualibet alia ratione, laboribus aut molestiis premitur, sibi inuicem obuiam fiant: quia nimirùm simile gaudet suo simili, & miseri à se mutuò solatia expetere solent. *Illuminans oculos vtriusque Dominus*, id est, tunc cùm destituti sunt omni ope, & auxilio humano, præsto adest Deus, & conuersa fortuna, oculos vtriusque ex miseriarum, quibus premitur, caligine, & nocte, ad consolationis, & fœlicitatis candidissimam lucem transfert. Huic tamen expositioni parum tribuo.

Secundam interpretationem offert Rodolphus in hunc modum. *Pauper, & vir fractionum occurrerunt sibi*, id est, vir tenuis, & is qui eum opprimit, aut diuexat, sibi inuicem obuiam facti sunt: *illuminas vtriusque oculos Dominus*, idest, quamuis dispar sit vtriusque conditio, & mores dissimiles, tamen vtriusque Deus miserescit, cuius scilicet tàm latè patet clementia, vt *solem suum super bonos, æquè ac malos oriri faciat*, & vtriusque suæ lucis splendorem irradiet. 58.

Matth. 5.

Ego verò assentior Iansenio, qui existimauit locum istum iuxta Vulgatam lectionem nec latum vnguem discedere ab illo, quem habes supra cap. 22. ver. 1. cuius sententiam non perfunctoriè perscrutati sumus. *Diues, & pauper obuiauerunt sibi: sed vtriusque operator est Dominus.* Quod enim ibi nomine *operatoris*, aut *conditoris*, hoc ipsum hîc per *illuminatorem* notatur: nam *illuminare* in scriptura nonnunquàm idem est, quod lucis vsura aliquem donare, vitamq; & spiritum illi infundere. Iob. 10. *Quare misero data est lux*, idest, vita, & cap. 38. *Auferetur ab impijs lux sua*, idest, è viuis auferentur. & 33. *Vt reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viuentium*, idest, vt vitā, & spiritum illis afflet; & sæpe alias. Adi eum locum.

Iob. 10. & 38 & 33.

Ad eundem sensum licet transferre alias lectiones præter vnam translationem Septuaginta, quæ sententiam diuersam exhibere videtur. *Fæneratore, & debitore ad inuicem conuenientibus, inspectionem, seu visitationem facit vtriusque Dominus*, id est; Quamuis is, qui pecunias fœnori dat, & is, qui accipit, inter se ex 59.

pacto

pacto conuenerint de vsurarum quantitate, ita vt tam fœnerator, quàm debitor contenti sint, hic sorte accepta, ille vsuris decreto tempore accipiendis; non propterea transacta res est, & contractus ille iustus apud Deum habetur, sed Deus ipse, cui eiusmodi iniusta pactio mirum in modum displicet, super illam vlteriùs inquirit, & tàm vsurarij iniusti, quam eius qui vsuras accipit, inspector, & visitator est, vt ab vtroque rationem exigat, & vtrumque pro meritis seueriùs puniat. Sic interpretatur locum istum Basilius Hom. 2. in Psal. 14. ad illa verba. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, &c. *Psalm. 41.*

60. At, inquies, fœneratoris culpa comperta est; eius autem, qui fœnori accipit, nullum apparet delictum grauius, vt propterea seuerissimum diuini iudicij examen sustinere debeat, quandoquidem iure suo vti, & vexationem redimere, aut excutere videtur? Fateor accipientium vsuras longè leuiorem esse culpam, tamen addo illos frequentiùs culpa non vacare, quam eleganter obseruauit Basilius loco citato, vbi sic scribit. *Ne recipias super te fœneratorem, non te veluti prædam quandam exquiri, & vestigari patiare. Sumere mutuo, aut fœnori, initium mendacij, ingratitudinis, occasio perfidiæ, ac periurij. Alia verba sunt, quando sumis, & alia quando, vt reddas, exigeris.* Et alia multa subtexit, quibus eius qui vsuras accipit, culpas amplificat, &c. Ad extremum dico Vulgatam etiam lectionem hunc ad sensum haud coactè allici posse, dummodo per *illuminatorem*, inspectorem intelligas: quod non abhorret ab vsu scripturæ Sacræ. Eccl. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciā omnes dormiētes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*, &c. i. visitabo, aut perscrutabor, hác. n. vim habet ibi verbum *illuminabo*. *Basil.* *Eccl. 24.*

14. *Rex, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in perpetuum firmabitur.*

61. Rex, qui iudicat Hebr. cohærent cum Vulgatis Sep. *Regis iudicantis in veritate pauperes, sedes eius in testimonium constituetur.* Lucifer pro S. Athanasio, *Sedes eius in testimonium surget*, Aquila, *in posterum.* Symmachus, *in sempiternum.* Theodot. *in sæculum.* Chald. hæret Vulgatis.

Locus etiam iste secundùm translationem vulgatam concinere videtur cum alio, quem supra habes cap. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & roborabitur clementia thronus eius*: nam quod ibi de clementia ad ipsum de veritate, aut iustitia hîc denuntiat Salomon, futurum prædicens, vt Regis qui veritatem, & iustitiam sanctè coluerit, thronus in perpetuum seruandus, & constabiliendus sit. Itaque ait, *Rex, qui iudicat in veritate pauperes*, &c. Pauperes verò propterea hîc adscribuntur, quia illis iniuriā inferre, & fidem fallere Regibus facilius est: atque adeo Princeps, qui hoc etiam cauet, ne pauperibus fide, aut iure desit, hic planè iustitiæ, & veritatis studiosissimus amator putari debet. Quantum verò veritatis, & fides integra Principis ad eius imperium cōfirmandum possit, elegantissimè Xenophon in lib. 7. de expeditione Cyri. vbi in oratione ad Seleutem Principem habita, quantùm ad imperiorum, regnorumq; stabilitatem, Regis veracitas, & fidei datæ integritas faciat, multis aperit: atque inter alia sic scribit. *Magnum quiddam ego eiusmodi viro esse statuo non videri promeritos de se homines nulla relata gratia ablegasse, magnum etiam a sex millibus hominum prædicari: maximum tamen omnium nequaquàm committere, vt in his, quæ dixeris, p... des mercare. Video enim orationem hominum pr... seruantium vanam, & imbecillem esse, ac sine h... hinc inde vagari: at Principes, qui palam se veritatis studiosos ostendunt, eorum verba potentiam aliquid non minus possunt, quàm vis aliorum. Si quem castigare velint, non minus hos minis afficere animaduerto, quam alios puniendo: si cui quid polliceantur, nihilominus aliquid impetrant, quam alij statim largiēdo. Tu ipse tibi in mētem reuocato, quid prius nobis dederis quam societatē tecum coierimus? Nihil profectò sed tamen creditus fore verax in his, quæ dicebas, tot homines excitasti ad militandum tecum, & ad occupandum regnum; quod non solum quinquaginta talentis, quæ hi sibi deberi abs te putant, sed mutuo pluris æstimandum. Ergo primum hominis fide digni existimatio, quæ quidem etiam regnum tibi peperit, abs te hac pecunia venditur*, &c. Hactenus Xenophon veracitatis existimatio, & opinio ad regni constantiam, & firmitatem quantùm valeat in Principe, luculentis verbis adstruit. *Xenophon.*

62. Sed audiendus etiam Basilius Imperator in Parænesi ad filium Leonem dicto cap. 29. *Maximi, inquit, pendito veracem te esse in sermone: ita enim & firmus, & constans in omnibus, & factis, & dictis æstimaberis, ac veram, & non suspectam tuorum erga te beneuolentiam retinebis. Si autem vanitatis, & mendacij in suspicionem veneris, indigna facere imperatoria maiestate, qua auctus es, conuinceris, efficiesque, vt subiecti semper formidolosi, rerumque omnium incerti, ac titubantes vacillent*, &c. En qua ratione Regis veracis, ac fidem seruantis thronus firmus, ac constans est; eius verò qui fidem fallit & mendacis suspicionem, & notam sibi adussit, imperium inconstans, & mobile semper vacillat. Denique quanto studio Princeps mendacium, & falsitatem vitare debeat, omnium optimè docuit S. Thom. in opusc. de eruditione Principis c. 7. vbi sub finem inter alia ita decernit, Principem eapropter veritatem semper colere, ac verbis profiteri debere, vt proditiones subditorum fugiat; nam si erga sibi subiectos populos infidelis, ac fœdifragus existat, eos etiam erga se infideles, ac fœdifragos experietur. Aptè igitur, & germanè Salomon affirmat Regum thronos veritate offirmari, ac stabiles, constantesque reddi. *Basil. Imp.*

63. Sunt qui per *veritatem* iustitiam hîc accipiendam putant, vt sit sensus. Princeps, qui nullum iniurius lædit, sed suum cuique ius ex æquitate tribuit, regnis atque imperiis suis ea ratione firmitatem quærit. Non repugno: nam sententia est æquè illustris, ac certa. Sed tamen locum de veritate, aut veracitate accipiendum suadet translatio Septuaginta, qui sententiam istam sic exscripserunt. *Principis iudicantis in veritate pauperes, sedes eius in testimonium constituetur.* Hæc igitur vt probè teneas, cogitandum est, quod quemadmodum in rebus, quæ ad fidem diuinam spectant, omnis certitudo resoluitur in veritatē ipsius Dei dicentis: sic etiam veritatis humanæ omnis constantia, & firmitas in veritatem, seu veracitatem Principis supremam sedem tenentis resoluitur, ita vt quidquid Princeps è throno suo respondens indixerit, & nomine suo, aut sigillo munitum dederit, hoc verum, ratumque vulgò habeatur. Hæc videtur esse mens S. Thomæ in opusculo illo de eruditione Principis ca. 7. vbi sic ait. *Deus veritatis amator, eiusdem veritatis voluit esse tutor; vnde sui nominis assūptione* (hoc est, iureiurando) *veritatem voluit confirmari, & in eius veritatem cunctam fidei Catholicæ veritatem resolui.* Quid indeiruult etiam, inquit, *quod Princeps, qui eius locum tenet, eius sit tutor, & scriptura sua, & sigillo suo eam confirmet.* Vnde sic colligit S. Doctor: *Sed si viuæ voci Principis mendacis nō credatur, quomodo scripturæ eius, & sigillo credetur?* Hi positis, sensus premissę translationis est luculētus. *Principis iudicātis in veritate pauperes, sedes eius in testimonij constituetur.* i. eo vel maximè veritatem colere, atque eloqui nunquam non debet Rex, quia omne respōsum, aut rescriptū, quod ab ipso *D. Thom.*

ipſo pro tribunali ſedente egreditur, conſtantiſſimæ veritatis teſtimonium exiſtit, & in omni loco, ac tempore indubitatam fidem continet.

64. Sunt qui tranſlationem Septuaginta hunc ad modum extulerunt. *Principis iudicantis in veritate pauperes, ſedes eius teſtimonio ponetur*: eam verò ſic illuſtrant. Rex qui veritatis ſtudioſus amator eſt, ſecundùm veritatem ſemper iudicat, & ſuam ipſius ſedem, aut thronum *teſtimonio*, hoc eſt, ipſimet veritati ſubſternit, vt ei inſideat, atque inde loquatur. Quaſi dicat: non tam ipſe è throno, quam veritas ipſa ius dicere, & reſponſa dare videtur. Vel aliter, *thronum ſuum teſtimonio ponere*, perinde eſt, ac cunctam poteſtatem ſuam veritati ſubdere: iuxta illa verba, quæ S. Thomas in præcitato opuſculo cap. 15. ex Bernardo producit. *Princeps ſuam poteſtatem veritati debet ſubijcere, vt indicat illud Apoſt. 2. ad Corinth. 13.* 2. Cor. 13. *Non poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate, &c.*

---

15. *Virga, atque correptio tribuit ſapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam.*

65. VIrga, &c. Hebr. *& puer dimiſſus, pudore afficit matrem ſuam.* Chald. *& puer, qui non recipit correptionem.* Septuaginta. *Plagæ, & correptiones dant ſapientiam: puer autem errans confundit parentes ſuos.* Aquila, & Symmachus. *Iuuenis autem dimiſſus.* In originibus pro *dimiſſo* ſubeſt משולח *Meſulach*, ex radice *Salach*, quæ permiſſum ſignificat. Ex Hæbræis aliqui agnoſcunt hîc ſimilitudinem pulli equini, qui liber dimittitur, nec frænum ore excipere cogitur.

Senſus eſt luculentus. *Virga, atque correptio tribuit ſapientiam*, ideſt, pueri plagis emendati ſapiunt, & ad bonam frugem adducuntur: *puer autem dimiſſus, &c.* ſi quis ſcilicet puer ex indulgentia parentum ſuæ voluntati, ac libidini permittitur, nec correptionis fræno conſtringitur, ac verbere coërcetur, ad inſtar pulli equini effrænis euadit, & per omnia præceps delicta, confuſionem, & pudorem affert parentibus ſuis. Eandem infrænis equi ſimilitudinem vſurpauit Ieſus Syrach, Eccleſ. 30. *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps.* Quod igitur Eccleſ. 30. ibi apud Eccleſiaſticum ſignificat nomen *remiſſus*, id ipſum apud Salomonem vox illa *dimiſſus*, quæ ſubeſt Primitiuis, vt nuper monui.

66. Plutarch. Accedit Plutarchus in libro, qui inſcribitur, *de officio auditoris*, ſeu *de audiendo*, vbi ſic ait. *Atque equos qui ritè alunt, ita comparant eos, vt os habeant fræno obſecundans: pueros verò orationi audientes eſſe oportet, &c.* Ac rurſus in libro, *Quod bruta animantes ratione vtantur*, vt quantum educatio, & inſtitutio in pueris poſſit oſtendat, exemplum ab equis petit, de quibus ſic fatur. *Equi in theatris decubitus, tripudia, & ſtationes periculoſas, motioneſque nec hominibus admodum pronas exactè effingunt edocti, ac reminiſcentes ad demonſtrandam docilitatem ſuam, &c.* Inde verò ad puerorum inſtitutionem parentes acuit, futurũ prædicens, vt hi etiam edocti diſciplinas meliùs arripiant. Qualis autem eſſe debeat hæc inſtitutio puerorum, ipſi etiam equi nos edocent, de quibus idem Plutarchus in libro *de animantium comparatione*, ſic ſcrib. *Ipſi, inquit, vel canes, vel equos mulctant delinquentes, non nequidquam, ſed ad eos corrigendos, inuruntque eis triſtitiam, quam pœnitentiam nominamus, &c.* Eodem modo coërcendi, & multandi ſunt pueri, vt ad bonam frugem adducantur. Denique de puerorum inſtitutione, ſimilitudine ab equis aſcita, eleganter ſcripſit Seneca. Seneca in lib. 2. de Ira. *Plurimum, inquit, proderit pueros ſtatim ſalubriter inſtitui: difficile autem eſt regimen, quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus.* Et paucis interiectis ſic ſcribit. *Sic itaque inter vtrumque regendus eſt, vt modò frænis vtamur, modò ſtimulis, &c.* Mitto alia his perquam ſimilia, ex quibus ita demum conficere licet, quod ſicut equorum pullis quamuis generoſa ſtirpe ſati, niſi accedat inſtitutio, quæ verbere, fræno, ac ſtimulis perficitur, indociles, ac præcipites euadit: ſic etiam pueri quantumuis generoſi, niſi adſit recta educatio, & morum correptio, naturalem licentiam coërcens, ac reſtringens, peruicaces, proterui, & ad omne nefas proiectiſſimi fiunt.

67. Subnectit Salomon: *confundit matrem ſuam*: per *matrem* vtrumque intelligit parentem. Ita ſuadet tranſlatio Septuaginta, quæ ſic habet. *Puer autem errans confundit parentes ſuos.* Quod ſi hæc verba ſtudioſè à Salomone dicta velis, vt notaret ſtoliditatem, & degeneres filiorum mores ipſis matribus cum primis indecoros, ac turpes eſſe, & confuſionem, pudoremque illis maximum afferre, habes de hac re non ineruditam notationem ſup. cap. 10. ver. 1. Ad ea verò, quæ ibi ſcripſi, aliquid etiam hîc adſcribam. Aduocandus autem nobis eſt Philo, cuius verba producit Maximus locorum commun. ſerm. 9. qui patris, matriſque nomina, & munera ad Deum transferens, vt illum mundi huius, quem omnipotentia ſua condidit, patrem ſimul, & matrem eſſe monſtraret, in libr. de eo, quod deterior ſemper inſidietur poriori, ita ſcribit (ſubiicio verba eo modo, quo iacent apud Maximum) Maximus. *Patris, inquit, ac matris appellationes communes, ſed potentiæ differentes ſunt. Illũ igitur, qui hanc vniuerſitatem molitus eſt, artificem ſimul, & patrem ſui operis rectè, iuſtéque appellamus: matrem autem ipſius fabricatoris ſcientiam, cum qua congreſſus Deus non more humano, generandi ſemina inſeuit, quibus illa ſeminibus acceptis perfecta, fœcundiſſimo partu amabilem, & ſub ſenſus cadentem filium* (ſcilicet mundum iſtum) *peperit.* Hæc Philo, cuius in verbis illud obſeruatione dignum videtur, quod ſapientiæ diuinæ matris munus accommodauit. Optimam verò huius accommodationis rationem obtulit quidam ſuperioris loci Scholiaſtes, quia nimirum ſicut fœtus in vtero matris elaboratur, & formatur: ita etiam mundus per Dei ſapientiam expolitus, & conformatus eſt. Itaque vniuerſitas hæc à Dei omnipotentia, velut à patre, & genitore habuit, vt eſſet: at verò integritatem, perfectionem, formam, & pulchritudinem, qua præditus eſt, à Dei ſapientia, tanquam à genitricis aluo accepit. Accedat nunc Auguſtinus, qui contra Manichæos 68. August. quaſdam creaturas malas eſſe denuntiantem, illud paſſim producit dogma ipſi Deo, atque omnibus illius attributis, ſed tum maximè ſapientiæ, contumelioſum, & probroſum eſſe. Nam poſtquam ſerio affirmauit, & rationibus pluribus euicit omnem creaturam à Deo neceſſariò factam, & conditam, vt conſequenter omnem etiam bonam, nullamque malam eſſe demonſtraret, ab authore, & conditore id probat: quia ſi quid malum prorſus Deus effeciſſet, non omninò ipſe bonus eſſet. Addit verò inter alia attributa diuinæ ſapientiæ probrum ingens inde potiſſimum parari: nam ſicut in artefactis malitia omnis, & imperfectio ita opifici tribuitur, vt in artis, & peritiæ inopiam reiici omnino ſoleat: ad eundem modum ſi quid in creaturis malum occurreret, imperitiæ, & inſipientiæ Deus inſimulari poſſet. Iam tenes, quod dico. Quemadmodum ergo ſi, data hypotheſi impoſſibili, in creaturis, ac mundo malitia reperiri poſſet, fieret quidem, vt hæc ipſiuſmet mundi matrem, Dei ſapientiam præcipuè dehoneſtaret, ac pudore afficeret: ita etiam concipere debes filiorum malitiam, &

& prauos mores ad matrum suarum dedecus, & turpitudinem potissimum spectare. Rursus ita mecum statuo, naturam ipsam morum magistram esse: atque adeò sicut natura generationem corporis sic instituit, vt fœtus à patre breui mora progenitus, in matris vtero per plures menses formetur, & perficiatur: ita etiam in educandis, & formandis eorundem animis per rectam morũ institutionem natura duce præstandum reor, vt sit corporis, ita etiam animi longior formatio ad matrem spectet. Vnde Paulus inter præcipuas notas præstantis mulieris illam inseruit. *In operibus*, inquit, *bonis testimonium habens, si filios*
1. Timoth. 5. *educauit, si hospitio recepit*, &c. Quapropter quemadmodum si quæ in natorum corporibus ex generatione apparent deformitates, aut vitia, hæc matribus B potissimùm adscribi solent: ita etiam quæcunque in eorumdem animis morum labes, & vitia ex mala educatione sese produnt, eisdem tribui, & aptari, atque adeò ex illis confundi, & erubescere debent. Ad alia.

16. *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera: & iusti ruinas eorum videbunt.*

69. IN *multiplicatione*, &c. Hebr. *In multiplicari impios multiplicabitur praeuaricatio*, &c. Sept. *Cum multi fiunt impij, multa fiunt peccata: iusti autem, illis cadentibus timidi fiunt.* Extrema verba Hebr. aliqui sic restituunt. *Et iusti propter ruinas eorum gaudebunt.* Sed sensus eodem recidit.

Lectioni Vulgatæ vna, & altera sententia subiicitur. Nam *multiplicatio* vel referri potest ad eorum fortunas, vel ad personas. Si referatur ad fortunas, sensus erit. *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera*, idest, impij auctis opibus, ac fortunis deteriores reddũtur: ipsa. n. bonorũ accessio delinquendi ampliorem materiam illis suppeditat. Et sanè iste loquendi modus non est insolens in scriptura. Psal.
Psalm.4. 4. *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt*, idest,
Psalm.91. fortunis omnibus aucti, & ditati, & Psalm. 91. *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur*, idest, ditescet valde; & passim alibi. Sententia etiam verissima est. Nam ferè impij, ac scelerati homines copiis, atque fortunis abutuntur ad scelera, & crimina grauiora perpetranda. Sed de hac thesi sæpè aliàs diximus in his commentariis.

70. Libet tamen etiam hîc aliquid ex Chrysost. dare,
Chrysost. qui de diuitiis ad impios redactis sic scribit. *Diuitias dico luxus omnis, ac nequitiæ parentes, intẽperantiæ omnis, ac libidinis patronas, vitij omnis inuentrices, exitiosarum omnium voluptatum adiutrices, continentiæ hostes, pudicitiæ inimicas, clandestinas virtutis omnis fures.* Sic
Damasc. recitat Chrysost. verba D. Damascen. in Paralelis lib. 2. cap. 17. & ex Basilio sic adscribit. *Quousque tandem studio aurum erit animarum laqueus, mortis hamus, peccati illecebra? Quousque diuitiæ bellorum parentes, ob quas arma induuntur, enses acuuntur? Ob eas causas cognati naturam non agnoscũt, fratres infesto, ac sanguinea oculo sese intuentur. Propter opes solitudo prædones alit, mare pyratas, vrbes sycophantas. Quis mendacij parens est? Quis falsæ conscriptionis artifex? Quis periurij procreator? Nonne opes? Quis vobis ea, quæ vestra sunt, ad perniciem vestram conuertit? Ad subsidium vitæ, an ad vitiorum materiam, & adiumentum opes concessa sunt?* &c. Et iterum ex eodem. *Vide ne cum opes innumeris laboribus tibi cumulaueris, peccatorum materiem, tibi, atque aliis compares, sicque duplicem pœnam tibi accersiuisse comperiaris, nempe tum ob eos, quibus abs te iniuria illata, tum etiam ob eos, quibus vitiorum ansam, &*

viaticum subministrasti. Hæc, & alia de diuitiis, cùm ad improbos possessores deuenerunt, tradunt Patres ex quibus constat, ex earum incremento, & accessionibus, crimina, scelera, & piacula in his redundare, & affluere. Salomon ergo iustos de improborum fœlicitate, vt ita dicam, apud Deum querulos ita consolatur. *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera*, idest, Impiorum fœlicitati, & fortunæ nequaquam inuidere oportet: nam copiæ, & diuitiæ, quibus in dies augentur, plurimorum peccatorum, & scelerum materiem, ac messem illis administrant. Ex quo fit, vt ea ipsa peccata, quæ assiduò perpetrant, eos ocyus in ruinam impellant, & suarum calamitatum spectaculum non iniucundum tandem aliquando iustis præbeant.

Cæterum quamuis hæc prior expositio non ineptè verbis accommodetur, tamen posterior præferenda est, quæ multiplicationem ad personas refert. 71.
Ita enim suadet translatio Sept. quæ sic habet. *Cùm multi fiunt impij, multa fiunt peccata*, &c. Et vti quasdam minùs eruditas expositiones missas faciam, Vulgatæ lectionis sententiam sic conformandam reor. *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera.* Sanè iustorum numerus minor longè est quàm improborum: ne ergo iusti propterea animum despondeant, & impiorum numero victi illis cedant, sic denunciat Salomon. Quò plures fiunt impij, & scelerati homines, eò plura sunt eorum delicta, & peccata; C hæc autem ad eum modum multiplicata eos ad exitium, & extremam perniciem ocyus adducunt: sicque vt iusti incolumes, salui, ac superstites ruinas eorum spectent.

Translatio verò Septuaginta aliam sententiam offert. *Cùm multi fiunt impij, multa fiunt peccata: iusti autem illis cadentibus timidi fiunt.* Sanè cùm tam sit copiosa improborum hominum multitudo, verendum prorsus erat, ne iustorum paruum numerum vincentes ad suos mores traherent. Non ita, inquit Salomon: nam impij quò plures conspirant, eò plura, & grauiora perpetrant crimina, & piacula, quæ illis exitium, & perniciem tandem afferunt: atque inde fit, vt iusti eorum ruinas spectantes, eorumdem D calamitates, & ærumnas vereantur potiùs, quàm mores adament. Itaque Dei prouidentiam commendare videtur Salomon, qui sæpius sontes propter admissa peccata seuerius punit, & ad perniciem extremam adducit, vt iustorum numerum valdè exiguum non tam sceleratorum licentia ad crimina inuitet, quàm pœnarum eisdem inflictarum conspectus contineat. 72.

17. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ.*

ERudi filium, &c. Hebr. *Corripe filium, & requiescere te faciet*, &c. Accinit etiam Chald. Sept. 73.
E *Erudi filium tuum, & requiem dabit tibi, & dabit ornatum animæ tuæ.* Symmach. & Theodot. *delitias*, sicut nostra. In Primitiuis est מערנים *Maghdanim*, quam alibi etiam Septuag. κόσμον, idest, *ornatum*, reddiderunt.

Sententia huius loci est luculenta: suadet enim Salomon parentibus, vt filios suos erudiant, quibus verbis non solùm rectam eorum educationem in vniuersum præcipi existimo, sed vlterius etiam patres moneri, vt liberos suos literarũ, ac sciẽtiarum cognitione imbui curent. Itaque sensus est. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te*, &c. i. si fieri potest, susceptum filium liberalium disciplinarum cognitione instrui, & informari cura, vt doctus, ac literalis euadat: inde enim

enim tibi plura bona ſuppetent, ſcilicet *refrigerium, requies, delitia, ornatus:* hæc enim omnia in præſcriptis tranſlationibus continentur. Nam vbi filius tuus per eam, quam adeptus fuerit, in diſciplinis facultatem, reipublicæ munera, aut dignitates inierit, & fortunatus eſſe cœperit, efficiet vtique te in ſenecta à laboribus feriari, & requiem capere; filiique eruditio & ſapientia erit tibi nõ ſolùm ſolatio, ſed etiam emolumento & gloriæ. De hac theſi elegantiſſimè ſcripſit
Seneca. Seneca in lib. 2. de Beneficiis, vbi quanta ex filiorum ſapientia, & dignitate in patres redundent emolumenta, & commoda ad compenſandum generationis beneficium aperit, ac primum, filium quendam, qui vitam ſuam probis moribus excoluerat, & parentis vitam copiis ſuis ſuſtentauerat, eundem parentem ſic
74. affantem inducit. *Puta me vitam tibi pro vita reddidiſſe: ſit quoque munus tuum vici, cùm ego dederim ſentienti ſentiens me dare, cùm vitam tibi non voluptatis meæ cauſa, aut certè per voluptatem dederim, cùm tãto melius ſit retinere ſpiritum, quam accipere, quantò mori ante mortis metum. Ego vitam dedi ſtatim illa vſuro, tu neſciturо an viuerem. Ego vitam dedi mortem timenti, tu vitam dediſti vt mori poſſem. Ego vitam tibi dedi conſummatam, & perfectam, tu me expertem rationis genuiſti onus alienum* (ideſt matris.) *Vis ſcire quàm non ſit magnum beneficium vitam ſic dare? ſi expoſuiſſes, nempe iniuria erat genuiſſe. Quo quidem colligo minimum eſſe beneficium patris matriſque concubitum, niſi acceſſerint alia, quæ proſequerentur hoc initium muneris, & aliis officiis ratum facerent.* Nihil certè venuſtius aut dici, aut excogitari poſſet: Sed aliquid vlterius ad theſim noſtram magis aptum attexit Seneca, loquitur autem idem filius. *Deinde vt nihil aliud dicam, quam bonis artibus me ſtuduiſſe, vt curſum ad rectum iter vitæ dirigerem, in ipſo beneficio tuo maius, quàm quod dederas, recepiſti. Tu enim me mihi rudem, & imperitum dediſti, ego tibi filium reddidi, qualem genuiſſe gauderes. Aluit me pater? ſi idem præſto, plus reddo, quia non tantùm ali ſe, ſed à filio ali gaudet, & maiorem ex animo meo, quàm ex ipſa re percipit voluptatem: illius alimenta ad corpus tantum meum peruenerunt, ego animum ipſius alo.*

75. Ex his intelliges quàm aptè Salomon illud adiecerit. *Et dabit delitias animo tuo.* Sed ne quid deſiderares in hoc Philoſopho, appoſitè ad id, quod Septuaginta interpretes ſua tranſlatione expreſſerunt, *Et dabit ornatum animæ tuæ,* eodem ſermonis filo ſic ſcribit. *Quid ſi quis filius in tantum aut eloquentia per gentes enoteſceret, aut iuſtitia, aut bellicis rebus patri quoque ingentem circumfunderet famam, tenebraſque natalium ſuorum clara luce diſcuteret? Nonne inæſtimabile in parentes ſuos beneficium contulit? An quiſquam Ariſtonem & Gryllum niſi propter Xenophontem, ac Platonem filios noſſet? Sophroniſcum Socrates expirare non patitur. Cæteros enumerare longum eſſet, qui viuunt ob nullam cauſam aliam, quàm quod illos liberorum eximia virtus tradidit poſteris. Vtrum maius beneficium dedit Marco Agrippæ pater, ne poſt Agrippam quidem notus, an patri dedit Agrippa nauali corona inſignis vnicum adeptus inter dona militaria decus? Qui ter in vrbe maxima opera excitauit, quæ & priorem magnificentiam vincerent, & nulla poſtea vincerentur. Vtrum Octauius maius vllum beneficium dedit filio, an patri Diuus Auguſtus, quamuis illum vmbra adoptiui patris abſcondit? Quantam cepiſſet voluptatem, ſi illum poſt debellata arma ciuilia vidiſſet ſecuræ paci præſidentem; non agnoſcens bonum ſuum, nec ſatis credens quoties reſpexiſſet ad ſe, potuiſſe illum virum in domo ſua naſci,* &c. Lege ibi plura, quibus eandem ſententiam vrget, ac perſequitur Seneca.

76. Interim etiam illud aduota, Septuaginta extrema illa verba ſic exſcripſiſſe, *Et dabit ornatum animæ*

A *tuæ:* fuit enim non nemo, qui rationem quæſierit, ob quam ornatus iſte, ſplendor, & gloria, qui ex filiorum eruditione redundat in parentes, eorum animis tribuendus dicatur. Leuius quidem eſt hoc quæſitum, cui ille aliter, & aliter non admodum falsè reſpondet. Ego verò ſic quaſi per luſum illi occurrendum cenſeo. Primò, quia, vt alio in loco de filiorum educatione, & eruditione verba facientes diximus, pater, qui filium tantùm genuit, & aliis erudiendum tradidit, corpore tantummodò pater exiſtit: qui autem ad generationem naturalem vlteriùs eruditionem, & informationem morum adhibet, eiuſdem filii parens animo, ac mente eſſe incipit. Ergo cùm pater per filii eruditionem, & inſtitutionem, animo ipſo
B filium procreare dicendus ſit, eapropter ornatus & gloria, qui ex recta educatione filii ad ipſum redit, eidem animo aptè accommodatur. *Et dabit ornatum animæ tuæ.* Rurſus honor, & ſplẽdor, natura ipſa duce, & à parentibus ad filios deſcendit, & à filiis ad parentes redit, vt fusè docuimus ſupr. cap. 8. verſ. 13. Id ergo inter parentes, & filios intereſt, quod hi parentibus tunc honorem, & gloriam ſuis rectè geſtis afferunt, cùm illi beneficium percipiunt, ac ſentiunt: patres verò ſæpiùs filiis natu minoribus, & honoris, & decoris beneficium impendunt, tunc ſcilicet, cùm illud needum ſentire, ac percipere valent (vt de vitæ dono nuper dicebat Seneca:) ideò ornatus ille, qui à filiis proficiſcitur in parentes, eorum animis, ac men-
C tibus donari dicitur. Denique ornatus iſte, & ea gloria eapropter parẽtum animis impenſus dicitur, quia ipſis etiam corporibus intermorientibus cum eorundem animis perennat, vt comprobant exempla illa à Seneca adducta multorum parentum, quorum memoriam filiorum nobilitas, & ſplendor ad ſeram poſteritatem traduxit, &c.

18. *Cùm prophetia defecerit, diſſipabitur populus; qui verò cuſtodit legem, beatus eſt.*

Cvm prophetia, &c. Hebr. *In non viſione feriabitur populus.* Sic habet Regius codex. Pagninus, 77.
D *rebellis erit populus.* Caietan. *In non viſione nudabitur populus,* ideſt, ſpoliabitur. Alii etiam legunt, *retrocedet populus.* Alii *diſcooperietur.* Hanc diſſimilitudinem lectionum peperit verbum פרע *Pharangh*, quòd hìc ſubiicitur in Primitiuis, quod ſignificat *ceſſare, rebellare, ſpoliare, nudare, diſcooperire, retrocedere*, & alia non pauca. Chald. locum iſtum paulò aliter reſtituit. *In multitudine iniquorum diſſipabitur populus.* Sept. *Non erit enarrator genti iniquæ: cuſtodiens autem legem beatiſſimus.* Aquila, & Symmachus concinunt cum Vulgatis.

Aliqui hæc verba vatidico ſpiritu à Salomone dicta eſſe volunt; ita vt tunc demum Hebræorum populum diſſipandum, & vrbem Hieroſolymitanam
E ſubuertendam prædicat, cùm Prophetæ, & vates ex Dei afflatu reſponſa fundentes deſiderari cœperint, quod aliàs in ſcriptura non ſemel prædictum affirmant. In hanc expoſitionem propendere videtur Lyra, ſed non audiendus. Illi etiam minimè auſcultandi qui verba illa illa, *Cùm defecerit Prophetia,* ità exponunt, Cùm expletis iam iis, quæ à Vatibus futura olim denuntiabantur de Chriſto, & Eccleſia, prophetia, & vaticinium eſſe deſierit: nam omnis, inquiunt, prophetica prædictio tunc demum cùm decreto tempore impletur, viaticinium quodammodo eſſe deſinit, & migrat in narrationem rei factæ.

His igitur omiſſis, quæ à mente Salomonis longiſſimè abeunt, præmittendum eſt nomen *Prophetiæ,* & 78.
Propheta, in ſcriptura non ſemper pro vate, aut vaticinio

cinio accipi, sed pleraque alia significare. Septem A prophetię significationes colligit noster Martinus del Rio in sua Magia l.4.cap.1.q.1.de quibus etiam eruditè dixit Prado in cap. 28. Ezech. Et sanè illa satis vulgaris significatio *Prophetę* pro interprete, qui in explicandis, aut referandis scripruris operam ponit: cuius significationis vsus non semel inuenitur apud Paul. 1.Cor.11.*Omnis autem mulier orans, aut prophetans* &c. Et cap.14. *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis.* Et post pauca, *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* De hoc igitur prophetiæ genere interpretatus est D. Petrus Actor. 2.verba illa Ioëlis 2. *Et erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem,* B *& prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.*i. interpretabuntur scripturas. De hoc igitur prophetiæ genere capiendum esse Salomonem docent passim interpretes, & confirmat translatio Septuaginta, qui prophetæ loco *enarratorem*, aut *interpretem*, restituerunt.

Del Rio. *Pradus in Ezech.* *1.Cor.11. & 12* *Ioël.2.*

79. Ait igitur Salomon. *Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus.*i.si quis populus caruerit his, qui sacras Scripturas secundùm germanum, & genuinum sensum exponant, & veræ religionis dogmata denũtiẽt, is certò continuò *dissipabitur*, i.in varios errores, atq; hæreses dissecabitur: hanc enim vim subesse illi verbo docẽt Hugo, Caietanus, Iāsenius, Rodolphus, & alij. Sunt qui dicant ei populo subuersionem, & perniciem extremam à Salomone denuntiari. Non C repugno: sententia enim vtraque vera est.

80. Ego verò in ea sum opinione, vt credam iuxta Vulgatam lectionem in hoc loco nomine *Prophetiæ* non significari prophetam, aut interpretem legis, aut scripturarum, sed religionem ipsam veram · & idem etiam notari puto in posteriori hemistychio per *legẽ*. Nam prophetia secundùm magis germanum sensum significat omnem doctrinam cum fide conformem: ita etiam definit Paulus ad Rom. 12. *Et vnicuique sicut Deus diuisit, siue prophetiam secundum rationem fidei,* &c. Itaque sensus est *Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus*, i.si desit in populo religio, & veri numinis cultus, cõtinuò pax soluitur, & in factiones plebs secatur. Et quidem ita persuasum fuit semper omni- D bus qui de Rerumpublicarum fœlicitate scripserũt, nullum imperium sine religione diutius stare posse. *Religio vna ciuium animos adstringit, & contubernia, societatesque confirmat.* Verba sunt Philonis in Moyse. Seneca in Epist.95. *Primũ* inquit *malitiæ vinculũ est religio.* Quodvsque adeò verum est vt falsas etiam religiones, ac sectas ad illigandos ciuium animos ab infidelibus Principibus inuentas affirmet August. lib. 3. de Ciuitate, cap. 12. vbi sic scribit. *Sicut enim dæmones nisi eos, quos fallendo deceperint, possidere non possunt: sic & homines Principes non sanè iusti, sed dæmonum similes ea, quæ vana esse nouerant, religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos ciuili societati velut arctiùs alligantes, quo similiter subditos* E *possiderent.*

ad Rom.12. *Philo.* *Seneca.* *August.*

81. Hinc fortasse natum *religionis* nomen, quod, à religando dictum inter alios docuerunt Augustinus, & D. Thom. Quæsitum olim à Flauio Vopisco, qua demum ratione olim factum, vt Romanorum respublica, etiamsi plures imperarẽt, (cum alioqui ex eo administrationis genere seditiones, & bella ciuilia euenire soleant,) nihilominus tamen longo tempore viguit, atque diuturna fuit. Et lib. 1. sic occurrit. *Romanorum respublica inter multorum imperia per religionem stetit.* Et sanè quamuis falsæ etiam religiones hominum societates aliqua ratione vincire, & adstringere natæ sunt, tunc cùm plures fallaci aliqua veritatis opinione inducti in eas conspirant: tamen eam vim ante alias habet catholica religio, & veri numinis cultus, quæ vna cùm sit, & Deum vnũ colendum, amandum, credendumque docet ad animos deuinciendos, & fœdere mutuo alligandos magis idonea est: aliæ enim sectæ, & religiones falsæ, aut plures Deos admittunt, aut de eodem Deo vsque adeò diuersa, & dissimilia docent, vt multos potiùs quàm vnum Deum inducere dicendæ sint. Quapropter populo eas consectantes *dissipari*, hoc est. soluta pace dirimi, & in factiones secari necesse est.

Flau. Vopisc.

Aliæ verò lectiones, scilicet *Rebellis erit, nudabitur, spoliabitur, discooperietur, retrocedet*, aptè admodum 82. quadrant in eum populum, qui à vera religione defecit: eas tamen propterea inexpensas dimitto: nam quidquid mali ei populo indicunt, aut minantur, id quidem ex illa animorum dissolutione, ac diuisione fluit, quam translatio Vulgata significat. Subnectit Salomon:

Qui verò custodit legem, beatus erit, idest, populus legem, id est, veram religionem obseruans (hãc enim per legem notari nuper monui) fortunatissimus erit. Lege Augustinum in eo lib.3.de Ciuitate Dei cap.13. vbi de fœlicitate imperij Hebræorum disserit, illamque in veri Dei cultum refert. Frustra hîc plura.

---

19. *Seruus verbis non potest erudiri: quia quod dicis, intelligit, & respondere contemnit.*

SEruus, &c. Hebraicè. *Quia intelligit, & non respondet.* Chaldæus conspirat cum Vulgato. Septuag. *Verbis non erudietur seruus durus: nam etsi intellexerit, non obediet.* 83.

Vnus est D. Augustinus, qui hæc verba ad hæreticos conuertit in Epist. 48. & 50. quibuscum ita agendum esse dicit tanquam cum seruis, ita vt ad verba adhibendæ sint seueræ correptiones, ac non tantùm cohortatione, sed pœnarum etiam metu coerceantur, quia fidei veritatem satis norunt, & tamen illi acquiescere recusant. *August.*

Reliqui secundùm literalem sensum de seruorum inobedientia exponunt hoc modo. *Seruus verbis non potest erudiri*, &c.i.seruus vbi inobediens, & refractarius esse cœpit, non emẽdatur verbis, sed verberibus, ac plagis: non enim ideò non paret, quia mandata aut non tenet satis, aut illa peragere nescit, sed quia non vult obedire: quapropter ad ea agenda, quæ sponte præstare renuit, vi adigendus est. Et quidem seruos plagis impositis coërcendos docet sæpe aliàs scriptura. Eccles.33. *Cibaria, & disciplina, & onus asino: panis, & disciplina, & labor seruo.* Sed quis seruus iste, qui tam seuerè tractandus dicitur? Attexit Eccles. *Seruuo maleuolo tortura, & compedes.* Eum ergo, quem in illo loco Iesus Syrach maleuolum seruum appellat, describit hîc Salomon, cùm ait: *Quia, quod dicis, intelligit, & respondere*, seu *obedire contemnit.* 84. *Eccles.33.*

Ego verò puto extrema ista verba non tam rationem reddere, propter quã serui verberibus coërcendi sunt: quàm eos designare, quibuscum ea seueritate vti oportet. Nam cùm sæpe aliàs dominis atque literis præcipiat Salomon, vt seruos sapientes, & ad agendum promptos, expeditosque liberaliter & honestè tractent, certè in hoc loco, quisnam sit ille seruus, qui plagis, & flagellis dignus est, venustè aperit. Duplex enim malorum seruorum genus cogitare licet: aliud quidem eorum, qui præ nimia stoliditate, & vecordia mandata domini sui aut non tenent, aut peragere nesciunt: aliud verò eorum, qui & præcepta capiunt, & eadem exequi probe norunt, tamen ex nimia proteruia illa perficere detrectãt. Ergo priores stolidi, ac vecordes serui, non plagis, sed misera- 85.

tione

tione digni sunt: posteriores verò verberibus omnino macerandi,& emolliendi. Et hi certè sunt, quibus Salomoni in hoc loco plagis decernit, cùm ait *Seruus verbis non potest erudiri, quia quod dicis, intelligit, & non respondet.* Quasi dicat, seruus ille, qui domini mandata mente concipit, & eadem nihilominus peragere detrectat, is certè non verbis, sed verberibus emendandus est. De hoc enim seruo contumaci loquitur Eccles. cùm subinde attexit. *Quod si non obaudierit, curua illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem: verùm sine iudicio nihil facias graue.* In Græcis est: *& non sis nimius omni carni*, &c. i. ne in subigendo, & macerando seruo modum excedas, quo caro debet tractari: nam cùm omnis caro imbecillis sit ac fragilis, etiã cùm punitur, mitius cum illa agere oportet. Id sibi vult illud: *verùm sine iudicio nihil facias graue.* Et sanè ex hoc Eccles. præcepto desumptam puto constitutionem Iustiniani Imp. Inst. de his, qui sui, vel alieni iuris sunt, §. in potestate, vbi inter alia sic decernit Imperator. *Sed maior asperitas dominorum eiusdem principis constitutione coërcetur. Nam Antoninus consultus à quibusdam præsidibus prouinciarum de his seruis, qui ad ædem sacram, vel ad statuas principum confugiunt: præcepit vt si intolerabilis videatur sæuitia dominorum, cogantur seruos suos bonis conditionibus vendere, & pretium dominis detur, & rectè: expedit enim Reipublicæ, ne sua re quis malè vtatur.* (*Iustin. Imperf.*)

86. Et certè glossa in eum locum sic percontatur an liceat aliquando seruum nulla ex causa, eo solùm nomine quia seruus est, & vt seruum se esse meminerit, vel modicè verberare. Respondet autem affirmatiuè, putat scilicet, diuturnam impunitatem in seruis contumaciam alere, fastumque illis, & spiritus augere. Ego verò neq; id semper damno, nec semper etiam id probo: sed pro seruorum ingenio, ac moribus in æquum, aut iniquum, vtile aut inutile fore censeo.

87. Sed vide an posteriora illa verba; *quia quod dicis, intelligis, & respondere contemnit*, ita capienda sint, vt duplex mali serui vitium incusetur à Salomone: alterum quidem illis verbis: *quia quod dicis, intelligit*, ita vt seruis vitio vertat sapiens, quod rerum sibi demandatarum rationem quærant, & non magis indiscussis præceptorum causis ad nutum obtemperent. Q.d. vel eò seruus plagis dignus est, *quia quod dicis, intelligit*, & non potius actuturum mentem quoque suam domini obsequio mancipat. Et sanè inter aliàs rationes, quas offert Cuiacius Iurisconsultus, ob quas serui in iure *capite diminuti* dicuntur, Instit. de Capitis diminutione, & leg. 2. §. 1. ff de Capitis diminutione, hanc etiam inseruit. *Serui etiam ob amissam libertatem capite diminuti dicuntur, quia veluti ratione, & consilio priuati proprio, coguntur aliena ratione, & consiliis agere, & viuere.* Hæc autem ad cæcam Religiosorum obedientiam traducere procliue est. (*Cuiacius.*)

20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est, quam illius correptio.*

88. Vidisti hominem, &c. In Primitiuis ad verbum sic habetur: *Vidisti virum velocem in verbis suis, spes stulti præ illo.* Chald. non dissentit. Sept. sic habent. *Si videas virum velocem in verbis, cognosce quia spem magis habet insipiens eo.*

Aliqui putant versum istum cum superiori conferendum: nam cùm in sequenti carmine Salomon de seruo iterum loquatur, putant etiam hæc, quæ interseruntur verba, de eodem seruo concipi debere. Ergo sic aiunt. *Vidisti hominem velocem ad loquendum,*

A *stultitia est*, &c. idest, si quando occurrit tibi seruus quispiam, qui datis sibi mandatis ex contumacia respondet, obloquitur, excusat se, obtrectat, hic certè vix aliquando adhibitis etiam seuerissimis correptionibus emendabitur, ita vt sperandum sit alium stolidissimum, ac stupidissimum seruum priùs ad sanitatem, & sapientiam adduci posse, quàm istum ad obedientiam, & obsequium sui domini Et sanè inter alias boni serui conditiones numerari solet silentium, ita vt si fieri posset, omnes serui *muti & elingues* essent, vt ex Nemesio tradit Stobæus serm. 45. Et Philo Iudæus in libr. qui inscribitur, *Quis rerum diuinarum hæres. Est*, inquit, *serui laus maxima nihil ex iussis dominicis contemnere, sed impigrè, industriéque vel supra vi-* B *res conari cuncta exequi ex illius animi sententia. Serui etiam audire debent potius quàm loqui, ad quos nimirum dicitur. Tace, & audi præceptum pulcherrimum*, &c. De seruo etiam sic cecinit Plautus in Milite glorioso. *Plus oportet seruum scire, quàm loqui.* Et quidem haud facilè est seruis, hero aliquid sibi grauius demandante, illud exequi, & verba opprimere. Vnde seruus quidam contumax apud eundem Plautum in Persa, domino sibi silentium indicenti ita respondet. (*Philo.* *Plaut.*)

Seruam operam, & linguam liberam herus meus me iussit habere.

Cæterum hæc interpretatio ideò displicet, quia vim aliquam verbis afferre videtur.

Secunda expositio est Bedæ, Lyræ, Caietani, Hu- C gonis, & aliorum, qui hæc verba de loquacitate, & verbositate in vniuersum accipienda esse docent: hi enim per *virum velocem ad loquendum*, hominem vaniloquum garrulum, & quidquid in buccam venit sine delectu effundentem intelligunt, hoc sensu. *Vidisti hominem velocem ad loquendum*, &c. idest, si quando incidisti in hominem, qui temerè verba sua profundit, ab hoc quidem speranda potiùs stultitia, quàm correctio, aut emendatio: nam verbosi multa ineptè dicunt, & vix aliquando multis correptionibus adduci possunt vt verbis parcant. Itaque Beda putat extremis verbis verbosum cum fatuo conferri, & hanc quidem facilius emendari posse dicit, quàm illum: sic enim scribit. *Graue quidem vitium stultitia,* D *sed non leuius verbositatis: nam sæpè contingit, vt idiota aliquis citius verba correptionis accipiat, quàm verbosus: hic enim sua, quæ nouit, magis iactat, quàm aliorum monita audiat.* Quibus verbis rationem offert, ob quam difficilior est emendatio loquacis, quàm stulti: quia nimirum dum ad multa, quæ dicturus ipse est, animo intendit: ab his, quæ ipsum audire oportet, mente distrahitur. (*Beda.*)

Virum ad loquendum velocem exactè describit D. Grgor. Magnus Moral. lib. 8. cap. 2. nam postquam eum, qui verba priùs effundit, quàm ea mente recolat, aut pensitet, ad loquendum velocem esse dixit ita subnectit. *Is qui loquitur, de verbis suis auditoris sententiam expectat, & quasi eius iudicio supponitur, à quo au-* E *ditur. Qui igitur in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare quod dicit: quatenus inter cor, & linguam æquus quidam, discretusque arbiter sedeat subtiliter pensitãs si verba recta cor efferat, quæ vtiliter suscipiens ad auditorum iudicium lingua perducat.* Et post pauca sic scribit. *Si in eo quod ad nos per gressum locutionis exitis reprehendi non vultis, intus iustitiæ libram tenere, vt tantò foris quod dicitur ex veritatis pondere placeat, quantò hoc interius trutina discretionis pensat.* Hactenus Gregorius, qui similitudinem ducere videtur ex peruulgato fori vsu: nam ne his, qui res suas trutina expensas vendunt, pondera & mensuras permutare, aut corrumpere, atque emptores fraudare liceat, lipripens, seu ponderum exactor, vulgò almotacem, legibus institutus est, qui ea, quæ alij ponde- 90. (*Gregor.*)

rarunt, iterum ipse rependat, & si qua momentis suis imminuta pondera inuenerit, hæc damnet, ac fraudem iniusti venditoris puniat. Gregor. igitur ad hunc modum statuit, eum, qui dicit, similem esse ei, qui res suas ad trutinam diuendit: eum verò, qui audit, libripendem imitari, aures suas tanquam bilances ad excipiendas alterius voces accommodantem (ita enim Hebr. aures appllant אזנים *Oznaim*, idest, bilances.) Quapropter quidquid dicenti minus accuratè expensum excidit, hoc prudens auditor libripendis in morem taxat, atque repudiat. Quapropter ideò vel maximè verba sua quilibet accuratius pensitare debet, ne prudens auditor ea taxet, quæ ipse inexpensa, & inæstimata dedit. Salomon ergo hunc, qui ad eum modum inexpensa verba pronuntiat, *velocem ad dicendum* appellat, & ei stultum alioqui tacētem, & verba opprimentem omnino præferendum esse affirmat. B

92. *Iansen.* Iansenius tertiam interpretationem marte suo inuentam offert, ad hunc modum. *Vidisti hominem velocem*, idest, si quis ad dicendam sententiam suam ocyus processit non expectato aliorum sensu, & consilio, *stultitia potius speranda est, quàm illius correptio*, idest, putandum omninò illum pleraque stulta, & fatua pronuntiaturum: postquam verò ita pronuntiauerit, desperanda est illius correptio, quia eorum, quæ semel asseruit, tenax defensor erit, & ad mutādam sententiam multis rationibus adduci poterit. Hanc expositionem eo modo, quo à me tradita est (aliquid enim ad mentem Iansenij addidi) superioribus præferendam esse puto. C

93. *Rodolph.* Subest tamen quarta expositio Rodolphi, quæ mihi ante alias probatur de illo, qui antequam probè edoctus sit, ad alios edocendos veluti præceps venit. Itaq; ait Salomon. *Vidisti hominem velocem ad loquendum.* i. si quem videris ad docēdum alios properantē, qui videlicet priusquam ipse ipse sibi satis doctrinæ comparauerit, ad alios erudiendos temere ruit (sic accipio hæ priora verba, & eundem sensum subesse puto illis, quæ ex Iacobo in Canonica cap. 1. recitari solent. *Iacob. 1.* *Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum.*) Q. d. ita suadeo omni homini, vt audire, & discipulum se præbere his, qui ipsum edocere possint, præproperè velit: (omnis. n. ætas ad audiendum idonea est) ad docendū verò alios serus accedat: nimirum postquam ipse ex aliorum doctrina sapientiæ plurimum collegerit. Nam qui aliter tēpus ad docendum maturum præuertit, *stultitia potius speranda est, quàm illius correptio.* Vel, vt est in Primitiuis. *Spes stulto præ illo.* Quibus accinunt Sept. *Spem habet magis insipiens eo.* Quæ verba sensu cohærent cum illis quæ suprà exposuimus cap. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spē habebit insipiens.* i. melior longè est conditio hominis insipientis, qui præ stoliditate obmutescit, & alios audit, quàm eius, qui sapientem se esse ratus, alios auscultare detrectat. De his ergo, qui ad alios edocendos properāt, antequam ipsi disciplinas, quas aliis tradunt, probè teneant, aliàs non semel diximus in his Comment. Sed quia Salomon eiusmodi homines cum stultis confert, opportuna fuit hîc verba Nazianz. in Orat. 1. Apolog. vbi inter alia, quæ de hac thesi venustè dici, sic interserit. *Nazianz.* 94. *Hæc cum nobiscum ipsi non pessimis fortasse consiliariis, beneuolis quidē certè, collocuti, præstabilius esse duximus, cùm ea, quæ dicenda, & faciēda essent, nesciremus, ea discere, quam nescientes docere. Præclarè. n. cum eo agitur, cui vel in profundam senectutē canus sermo veniat, eamque vim habens, vt recenti adhuc in pietate anima, adiumento esse possit.* Iam vides quàm serum ad loquendum doctorem venire iubeat Nazianz. qui sic subiungit. *Nam certè alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edoctissimus, valde stultorum, aut temerariorum hominum* D E

A *esse videtur: stultorum quidem, si ne inscitiam quidē suam cognoscunt: temerariorum, si cùm eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur.* En qua ratione homo ille doctrinæ deproperator cum stulto collatus deterior sit: nam cùm ipse etiam insipientia, & stultitia laboret, dum eam ignorat, & audire alios detrectat, stultitiam excutere nunquam poterit: secus alius quilibet stultus, qui suæ conscius insipientiæ ad alios auscultandos promptus est. Audiendus etiam Plutarchus in libro de officio auditoris. *Pila, inquit, ludentibus simul & mittere, & accipere pilam disciplina est: at in sermonis vsu accipere rectè, quam emittere, sicut in partu conceptus, & retentio fœtantium.* Quemadmodum ergo fœmina, quæ ante menses fœtum edit, non tam parere, quàm aborsum pati dicitur: ita etiam ante idoneum tempus docere, non partus, sed perituræ ocyus doctrinæ quidam aborsus est. Addit Plutarchus. *Atque auibus quidem vrina puerperia, fœtusque rudium quorundam, ac surdorum exordia conceptuum ferunt esse. Adolescentibus verò, qui audire non sustinent, neque fructum didicerunt ex auditu capere, vrina reuera excidens oratio.* 95. *Plutarch.*

Obscura in nubibus euanuit, atque inhonora.

Hæc Plutarchus, qui *vrina* appellat oua subuentanea, & euanida seu sterilia, vulgò *gueros.*

---

21. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum, postea sentiet eum contumacem.*

QVi delicatè, &c. Hebr. *Nutriens delicatè à pueritia seruum suum, & in nouissimo suo erit filius.* Hinc datus locus aliis lectionibus: nam Chald. sic extulit. *Qui delitiis indulget à pueritia, seruus euadet, & ad extremum euertetur.* Accinunt etiam Sept. *Qui delitiatur à puero, famulus erit, nouissimè autem dolebit super se.* Symm. habet, *& in nouissimo erit murmuratio.* 96.

Vulgatæ lectionis sententiam ad sensum allegoricum, aut metaphoricum transferendam esse aliqui putant, ita vt ad literam sit sermo de corpore, quod animo obseruire cogendum est, hoc modo. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruū*, &c. i. qui corpori suo, quod tanquam ignobile mancipium animæ obtemperare natum est, delitiosè ab initio indulget, illud denique spiritu rebelle, refractarium, & peruersum experiri cogetur. Huic etiam expositioni obseruit translatio Hebr. *in nouissimo suo erit filius*, idest, eiusmodi corpus delicatè enutritum excussa naturali seruitute filij loco numerari, & tanquam cum filio secum agi volet. Nihil autem magis alienum à corporis degeneri conditione, quàm liberalitas, & ingenuitas filij. Libet hic aliquid assuere ex Nazian. de corporis seruitute qui in Orat. 16. ad hunc modum scribit. *Hi nos præcipuo quodam miserationis affectu permouere debent, qui sacro morbo correpti sunt, atque ab hoc improbo, & infido corpore proditi.* Adnota verborum vim. Nicætas per *sacrum morbum* lepram intelligit: assentior tamen his, qui eo nomine regium, seu caducum morbum appellatum malunt. Et quidem paruuli, qui nimium delicatè, & indulgenter ab infantia tractantur, caducum morbum sibi accersere solent, vulgò *gota coral.* de quo sic Cornelius Celsus lib. 4. *Caducus morbus pueris ex delitiosa educatione contingere solet.* Est autem huius morbi proprium, eos, quos corripuit, extra se factos passim subitis, & improuisis casibus prosternere: vnde alios in aquam, alios in ignem, alios in præceps huius morbi insana vis dedit. Ergo Nazianz. mēs sic habet. Sicut is, qui filium delicatè nimium enutrit, morbum sacrum. i. caducum illi adducere solet; sic etiam qui corpori, plusquam satis est, indulget, eum morbum caducum ipsi immittit, idest, ad subitas rui- *Nazian.* 97. *Nicæt.* *Cornel. Cels.*

nas, & frequentes admodum culparum casus veluti à mente abalienatum disponit, ac pertrahit.

98. Nazian. Appositè igitur ad hæc Salomon de eodem corpore ait. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum,* &c. Addit vlterius Nazianz. similitudinem proditoris: *atque ab hoc improbo, & infido corpore proditi,* significans, illis, qui corpori fidentes ipsi acquiescunt, quàm citissimè illud in proditorem verti: & subinde eodem sermonis filo subdit. *Cui quonam modo coniunctus sim, haud equidem scio, quoque pacto simul & imago Dei sim, & cum cœno voluter. Quod & cum pulcra valetudine est, bello me lacessit: & cum bello premitur, mœrore me afficit. Quod & vti conseruum amo, & veluti inimicum odi, atque auersor: quod & vt vinculum fugio, & vt cohærens vereor. Si debilitare illud, & conficere studeo, iam non habeo quo socio, & opitulatore ad res praclarissimas vtar, sin contra vt cum socio, & adiutore mitius agam, nulla iam ratio occurret, qua rebellantis impetum fugiam, atque adeò non excidam compedibus degrauatus. Hostis est blandus, & placidus, & insidiosus amicus. O miram coniunctionem, & alienationem! Quod metuo, amplector: quod amo, pertimesco. Antequam bellum gesserim, in gratiam redeo: antequam pace fruar, ab eo dissideo,* &c. Ex quibus constat quàm difficile sit cum corpore nostro ex iure agere, & ita ipsum regere, vt naturale rationis imperium fractis viribus sustineat, &c.

99. Cæterum alij interpretes Vulgatam lectionem secundùm literam de seruo intelligendam esse docent (in his Iansenius, Rodolphus, Caietanus, & Lyra, quibus ego etiam assentior) nimirum de verna, seu mancipio domi nato: ita vt verba eum sensum reddant, quem sonant. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum, postea sentiet eum cõtumacem.* Idest, qui vernam suum, dum puer est, ætati deferens delitiosè & indulgenter tractat, nec statim illum obsequio, & labori assuescit, tandem cum illo vti & seruilibus officiis addici oportebit, contumacem, & obsequia detrectantem eum experietur. Producit Lyra in huius contumaciæ exẽplũ Siba seruum Miphiboseth alterius ex filiis Saul, qui ab hero suo ab infantia peramanter educatus, & indulgentia domini sui abusus ipsum aliquando spreuit: de quo nimirum ipse Miphiboseth 2.Reg.19. sic loquitur. (2.Reg.19.) *Domine mi Rex, seruus meus cõtempsit me. Insuper & accusauit me seruum tuum ad te dominũ meum,* &c. In Primitiuis est: *& in nouissimo suo erit filius,* id est, excussa seruitute filij loco haberi volet, & tanquam filius honestè ac decenter tractari: atque adeò ad indecoras seruorum functiones sese ægrè admodum adiiciet.

100. Translatio Septuaginta alium sensum offert: nam cum verba originalis per se ancipitia sint, & de verna, aut de filio accipi possint, sacri illi interpretes ad filium retulerunt hoc modo. *Qui delitiatur à puero, famulus erit: nouissimè autem dolebit super se.* Idest, filius, qui ab infantia indulgenter, & in delitiis educatus, luxui, ac voluptatibus deditus, inertia, socordiaque solutus patrimonium suum ocyus decoquit, demum inopia compulsus alij obseruire, & famulari cogitur. Et quidem Septuaginta illius prodigi filij adolescentiam apprimè delineasse videntur, de quo sic Christus Dominus apud Lucam cap 15. (Luc. 15.) *Peregre profectus est in regionẽ longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, &c. cœpit egere, & abijt, & adhæsit vni ciuiũ regionis illius, & misit illũ in villam suã, vt pasceret porcos.* i. semetipsũ in seruũ cõduxit, vulgò dicere solemus, *Se igualo con vn ciudadano de aquella tierra.* Et post pauca ita subnectit. *In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundãt panibus, ego autem hic fame pereo,* &c. Quæ verba ad amussim respondẽt illis, *in nouissimo autem dolebit super se,* &c.

22. *Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuior.*

101. Vir iracundus, &c. In Primitiuis ad verbum sic legimus. *Vir nasi miscebit litem, & author excandescentia multus prauaricatione.* Chald. *Et viri furiosi multa sunt peccata.* LXX. *Vir indignabundus suscitat contentionem: & vir iracundus effodit peccatum.* In priori etiam hemistychio habent aliqui codices Græci ὀρύσσει, id est. *fodit rixam.* Symmachus, *irritat pugnã.*

Prior pars huius carminis, vt iacet in textu, occurrit suprà cap. 15. vers. 18. posterior autẽ parum abest, vt sit mera repetitio prioris. Et quidem Salomonem in hoc loco non quemlibet ira percitum hominem carpit, sed eum, qui primus iram suscipit, & discordiæ, ac contentionum occasionem offert. Ita suadet originalis lectio, quæ sic habet. *Et qui author est excandescentiæ,* &c. Pro qua noster appositè conuertit. *Et qui ad irascendum facilis est:* nam qui facilè ad irã concitatur, hic rixas, & contentiones ordiri solet. De hoc ergo Salomon sic pronuntiat. *Erit ad peccandũ procliuior:* nam qui iram, & rixã inchoauit, vt ei, quã incitatus est, vlciscendi libidini obsequatur, in quodcunque delictum temerè ruit. Chaldeus. *Et viri furiosi multa sunt peccata:* furor enim multas delinquẽdi occasiones offerre solet, & cum ira pleraque alia cohærent peccata: scilicet detractiones, contumeliæ, iniuriæ probra, iurgia blasphemiæ, homicidia, & alia his similia, quæ *ira ramos* nuncupauit Gregorius Magnus in Moralibus, ex ira nimirum, tanquàm ex radice, ac stipite progerminantes.

102. Septuaginta habẽt. *Et vir iracundus effodit peccatum.* Et quidem verbum *fodio* (vt alibi monuimus) cùm ad mentem refertur in scriptura, significat attentam cogitationem: ita enim de homine cogitabundo enuntiare solemus: *que es hombre que caba en las cosas.* Atque adeò sensus esse videtur; Homo iræ obsequens suæ *effodit,* id est, attentiùs cogitat peccata: atque adeò solã mente & intentione passim delinquit. Nam vel ex eo solùm quod apud se tacitus de vindicta cogitat, atque deliberat, grauiùs peccat. Et sanè hanc esse puto germanam Salomonis mentem, qui eò spectat, vt suadeat iræ parcere, & primos eius motus inhibere: nam ei, qui iracundiæ fecit locum, pronum valde ac procliue est (liceat sic dicere) *cabando en ello,* vel solã cogitatione pleraque grauia delicta. s. homicidia, & parricidia admittere. Eapropter Ioannes in sua 1. Canon. in eum, qui odio habet (Ioan. 1.) fratrem suum, sic inuehitur. *Et qui odit fratrem suum, homicida est.* At quonam iure homicida appellatur, qui nondum aliquem gladio confixit suo? Non loquitur Apostolus (inquit Augustinus) de effectu, sed de affectu: nam qui aliquem ex animo odit, statim vulnera, & neces apud se versat, ac cogitat. Quanta verò affluentia eiusmodi cogitationes menti occurrant, (D. Ephr.) perspicuè significauit D. Ephræm Syrus in tractatu de virtutibus, & vitiis, §. de iracundia. *Ex ira,* inquit, *mens perturbatur, sensus debilitatur, & cogitationes vindictæ fluminis instar scaturiunt.* Quis ergo huius fluminis ruentem impetum conuertere, & coercere queat?

103. Fuit nescio quis, qui translationem Septuag. alium ad sensum vocauerit. *Vir iracundus effodit peccatum,* idest vir irã incitatus contumeliam, vel iniuriam sibi olim illatam (hanc enim peccati nomine compellat) quantumuis longã obliuione consepultam, & altissimè demersam effodit, atque iterum memoria repetens vlciscendi libidinem, eã recordatione incitat, atque exacuit. Certè sententia vera est, huic loco non

sine lepore adaptatur: tamen (ni fallor) à literali sensu longè abhorret. Quod si non omnino displicet, ego quidem per peccatum non iniuriam acceptam, sed delictum, aut crimen alterius intelligerem. Nam qui ex iracundia in aliquem furit, ea etiam delicta, & crimina, quæ obliuio longa obruerat, velut effodere, & in apertum adducere, atque ei, cui iratus est, obiicere, & exprobrare solet. Quid certius?

23. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria, &c.*

104. SVperbum, &c. Hebr. *Superbia hominis humiliabit eum, & humilis spiritu assequetur gloriam,* Chald. *Et qui submissus est spiritu, diuidet gloriam.* Septuag. paulò aliter. *Contumelia virum humiliat: humiliter autem sentientes firmat gloria Dominus.*

Verba sunt perspicua ex quadam comparatione, aut contentione humilitatis, & superbiæ. Concinunt autem cum aliis huius libri locis. cap. 16. ver. 18. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Et cap. 18. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur.* Adi ea loca, & quæ in ea coniecimus, huc aduoca.

Translatio Septuaginta aliquid dissimile offert. *Contumelia virum humiliat: humiliter autem sentientes firmat gloria Dominus.* Tota sententia ad perpessionem iniuriarum spectat, & ad eam, quæ ex hac perpessione euenire solet, humilitatem, & demissionem animi pertinet.

105. Sensus autem sic habet. Contumeliæ, iniuriæ, & probra hominum fastum deprimunt, & elatos spiritus deiiciunt: illis verò, qui ad eum modum per contumelias se humiliari boni consuluerũt, gloria denique Deo auspice obtingit, qua obfirmati aduersus suos columniatores constantes redduntur. Quia nimirum cùm vident ex Dei prouidentia calumnias, atque iniurias sibi demum gloriam, & decorem verti, eas deinceps non verentur, sed firmo, & constanti animo sustinent. Vel aliter. *Humiliter sentientes gloria firmat Dominus:* quia nimirum gloria, quæ humilitatem sequitur, humiles in ipsa humilitate continet. Est enim duplex gloriæ genus: aliud vanum, & inane, quod auget superborum fastum, & spiritus: aliud solidum, quod cùm ad humiles venerit, illis nouam sese demittendi materiem, ac segetem offert: nam dum se eius, quæ illis obtingit, gloriæ indignos æstimant, ex ipsamet gloria humilitatis messem faciunt, & animi demissionem decerpunt. Hæc igitur Salomonis mens est, Deus Optimus Maximus humilibus gloriam, & splendorem adducit, ac per eam hoc præstat, non quidem vt efferantur, sed in humilitate magis, ac magis obfirmentur, & altiores radices agant.

106. Ad hunc sensum proximè allicere possumus trãslationem Chaldaïcam. *Et qui submissus est spiritu, diuidit gloriam,* quam aliqui ita exposuerunt: Tantam humilis obtinebit gloriam, vt non ipse solùm ex illa resplendeat, sed cum aliis gloriam partiri possit, ita vt ex illius consortio multi fulgeant. Aliter etiam sensus institui potest: *humilis diuidet gloriam,* idest, eam sibi integram nequaquã sumet, sed aliis, & aliis distribuet, & suæ gloriæ socios asciscet: hoc enim inter humilem, & superbum latissimum intercedit discrimen, quod hic gloriæ consortes non admittit, ille accersit, atque euocat. Hæc omnia competissima sunt.

A 24. *Qui cum fure partitur, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat.*

107. QVi cum fure, &c. Hebraïcè. *Execrationem audiet, & non annuntiabit.* Alij legunt, *periurium audiet,* &c. Chald. *Iusiurandum defertur ei, & non confitebitur.* Septuaginta hunc versum cum sequẽti contexunt ad hunc modum. *Qui participat furi, odit animam suam: si autẽ iuramentum propositum audientes non annuntiauerunt timentes, & reueriti homines supplantati sunt: qui autem confidit in Domino, latabitur.*

B Huius loci communis expositio sic habet. *Qui consors est furti* (& idem iudicium est de quolibet alio capitali crimine) *odio habet animam suam.* Anima non vnum quid significat in Scriptura: sumitur enim pro vita, & pro ipsissima anima rationali. Vtramque verò significationem complexus hîc videtur Salomon, cùm ait: *odit animam suam,* id est, vitam suam in discrimen adducit: nam eius criminis conuictus, cum fure simul publico iudicio emori cogetur. *Adiurantem audit, & non indicat:* hic scilicet furti particeps homo aliquid etiam animæ suæ exitiale vlteriùs admittit: nam vocatus in iudicium, & iureiurando furtum alterius prodere coactus, religionem iuramenti non veritus, neque reum, neque furtum, quod fortassis apud se retinet, manifestare vult, atque adeò quodammodo

C fure ipso deterior est: hic enim aliena diripuit: ipse verò alienorum retentor est, & diuinæ maiestatis temerarius violator. Sic Iansenius, Rodolphus, Caietanus, & alij. Inuehitur autem Rodolphus in Lyram, quod inter eas res, ob quas homo consors fit furti, vel alterius criminis ab alio admissi, extremo loco numerat non indicare, aut prodere tunc, cùm de tali crimine publicè inquiritur. Nam si furtum (inquit) secretum, & furis alioqui fama integra fuerit, non licebit illum spoliare sua fama, vt alteri res ablata restituatur, quandoquidem integrum non est maius damnum vni inferre pro minori alterius damno vitando, aut redimendo. Cæterum quidquid sit de hac ratione (quæ non admodum robusta est) Rodolphi

D aculei Lyram non attingunt: hic enim non explicat locum istum de quocunque homine furti conscio, sed de illo qui à publico magistratu accersitus, & iureiurando interrogatus fuit: iste verò absque dubio cognitum alterius crimen ex communi omnium Doctorum suffragio prodere, atque indicare tenetur.

Cæterum neutra interpretatio mihi satis probatur, quia duo hemistychia parum accommodatè consuit. Ego igitur Salomonem in hoc loco ad testẽ verba intendere existimo: ad testem (inquam) qui vocatus in iudicium, & adiuratus respondet. De illo ergo sic pronunciat. *Qui cum fure participat, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat.* In originibus 108.

E autem ad verbum sic legitur. *Partiens cum fure, odiẽs animam suam, adiurationem audiet, & non annuntiabit.* Quæ verba non ita accipienda, quasi dicant consortem furti, etiamsi adiuretur, haud indicare solitum alterius crimen: hic enim sensus marcet omnino, ac friget: sed ita vt quasi oppositam sententiam reddãt. Nimirum testem, qui à publico magistratu ex iure quæsitus, & iuramento interrogatus, furtum, quod planè cognouit, celat, & abscondit, furti consortem effici, & suam ipsius animam odio habere, quandoquidem illam grauissimo periurij crimine sauciat. Et quidem sententia ad hunc modum explicata illustris est, ac Salomone digna, addo etiam, verissima est, quia qui alterius furtum nõ aperit, cum debet, ac tenetur, in causa est, ne furtum prohibeatur, ac ne domino resti

restituatur res sua: vtrumque autem satis est, vt in ipsius furti consortium vocetur. Hæc enim inter alia, quæ participem criminis esse euincunt, numerauit hîc Lyra, producens illa Iurisperiti vulgò vsurpata carmina.

Lyra.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

109. Et quidem ex criminis reticentia, & non manifestatione, tunc cum vrget obligatio manifestandi, eiusdem participium, & communionem argui confirmat doctrina Magni Gregorij, qui affirmat propterea cunctum populum Iosue 7. propter vnius Achan furtum, qui contra præceptum Domini pretiosa quædam supellectilia ex anathemate vrbis Hericho subripuerat, seuerè punitum, quia differebatur manifestatio criminis, & tandiu populus in eiusdem peccati consortio esse videbatur, quandiu crimē suppressum erat. At, inquies, nullus fortasse delictum illud nouerat. Occurrit D. Augustinus in libr. quæstionum super Iosue, aliqualem populi culpam fuisse in re tam graui ex inertia sic se gessisse, vt furti illius notitia omnes effugeret: ac sic demum annectit. *Hoc modo apud illos, qui talia metuunt, disciplina sancitur, vt non se solum quisque curet in populo, sed inuicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis, & vnius hominis alia pro alijs membra sollicita sint. Simul etiam ostenditur, quantum connexa sit in populi societate ipsa vniuersitas, vt non in se ipsis singuli, sed tanquam partes in toto existimentur. Per vnius igitur peccatum, mortemque paucorum admonitus est populus tanquam in corpore vniuerso quærere quod amissum est.* Hactenus Augustinus optimam rationem accommodans, propter quam in qualibet communitate omnium sociorum, aut conciuium interest plurimum, vt pro salute, & bono vniuersali alij aliorum crimina indicent, adeò vt si fieri posset, nihil delinqui sine conscio, nihil sine accusatore committi possit, seruato fraternæ correptionis ordine.

Gregor.

110. Septuaginta interpretes versum istum cum sequenti consuerunt ad hunc modum. *Qui participat furi, odit suam animam: si autem iuramentum propositum audientes non annuntiauerint, timentes, & reueriti homines supplantati sunt: qui autē confidit in Domino, latabitur.* Sensus eodē recidit: persuasum enim fuit sacris illis interpretibus per subsequentia verba crimē testis, qui adiuratus furtū alterius celat, amplificari. Si enim (inquiunt) testes tam pusillo animo sint, vt iureiurando interrogati, metu aliquo perculsi sceleratorum crimina, & delicta manifestare non audeant, labuntur planè, & suo ipsorum delicto supplantati corruunt: si autem Deum, cuius nomine adiurati sunt, tantùm timeant, & hominum minas aspernati veritatem annuntient, ipso Deo seruante, læti gestient. Itaque secundùm hanc lectionem suadet Salomon testibus, qui iurati in iudicio sistuntur, vt Deum potius, cuius nomine vera se dicturos spondent, quàm homines vereantur: sic enim, & sibi, & animæ suæ melius consulent. Et quidem non longè absum, vt credam sequentem versum etiam secundùm translationem vulgatam ad præfatam sententiam euocandum esse. Subdit enim Salomon.

Septuag.

15. **Qui timet hominem, citò corruet: qui sperat in homine, subleuabitur.**

111. QVi timet hominem, &c. Hebr. *Tremor hominis dabit laqueum & fidens in Domino eleuabitur,* &c. Chald. *Calumnia filij hominis accersit ei offendiculum: & qui sperat in Deo, roborabitur.* Quia verò Septuaginta interpretibus (vt alibi in his Commentariis non semel monui) cùm locus aliquis occurrit anceps duas capiens translationes, vtramque exprimere solemne est: certè in hoc loco versum istum ita cum superiori contexuerunt, vt eundem sibi etiam seorsim dandum putarent: atque adeò sic restituerunt. *Impietas verò dat prolapsionem: qui autem confidit in Domino, saluabitur.*

Si locus iste à superiori exsoluatur, vt plures putant, sensum continet perillustrem. *Qui timet hominem.* Idest, qui hominibus defert plurimum, ac veritus ne illis displiceat, eorum gratiæ inseruit, *citò corruet,* (aliqui sic exponunt) ociùs ab eorum gratia excidet, & tunc cùm maximè illis placere, & gratus esse volet, ingratum se, atque inuisum eisdem reddet. Alij sincerius, *citò corruet,* idest, passim delinquet: nam studium inordinatum placendi hominibus multorum criminum occasiones offerre solet. Septuaginta interpretes casum istum, seu ruinam exaggerant *Impietas verò dat prolapsionem.* Quæ verba obseruatione digna sunt: nam primò timorem hominum *impietatis* nomine accommodatissimè vocauit: hi enim qui homines verentur ne ipsis displiceant, quodlibet scelus aggredi non timent. Vel nomine *impietatis*, eius, quod Deo debetur, obsequij defraudationem significarunt: ita enim vsu venit, vt qui hominibus, plusquam satis est, deferunt, obsequio, & cultui diuino non parum desint. Deinde etiam eam, quæ ex hoc timore humano contingere solet, ruinam, per quandā exaggerationem *Prolapsionem* appellamus. Vtrumque autem complexus videtur Dauid Psalm 52. *Deum non inuocauerunt, ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timore,* idest, quia homines verebantur in quibus nihil est, quod timorem afferre debeat (iuxta illa verba Christi Domini Matth. 10. *Ne ergo timueritis eos.* Et iterum. *Et nolite timere eos,* &c. Et Lucæ 12. *Ne terreamini ab his.*) ideò religionem, & pietatem Deo debitam deseruerunt. Sed quid inde? *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quia Deus spreuit eos.* Ecce prolapsionis magnæ damna, scilicet omnium ossium fractio, confusio, & Dei aspernatio. Ad hunc modum interpretatur locum istum Pseudo Bernardus in serm. de Miseria humana. In Primitiuis est, *Timor hominis dabit laqueum,* idest, timor de homine susceptus laqueum homini sternit, eumque ad ruinam pertrahit, eodem sēsu. Est aliquis interpres, qui lectionem istam non de laqueo pedes illigante, sed collum implicante intelligendam esse dixerit, hoc modo: Quicumque hominum gratiam studiosè aucupatur, & illis displicere timet, ei adsimilis est, qui laqueo collum inseruit suum: quia nunquam non suspensus hæret quamdiu ex hominum voluntate, & studio pendet: atqui eo modo pendere perinde est, ac suspendi, ne dicam strangulari. Subnectit Salomon.

112.

Psal. 52.

Matth. 10.
Luca 12.

Qui autem sperat in Domino, subleuabitur. Idest, etiamsi corruerit, è ruina extolletur. Sic plerique. Iansenius verò, & Rodolphus aliter sentiunt; imprimis enim aiunt non dictum: *Qui timet Dominum,* sed: *Qui sperat in Domino,* quia Deo gratior est confidentia, & amor, quàm timor. Deinde docent verbum, *eleuabitur,* hîc additum sumpta metaphora à munitionibus, aut turribus in excelsis rupibus locatis, ad quas milites confugiunt. Nam in originibus est ישגב *Iesugab,* ex quo משגב *Misgab,* idest, *munitio,* aut locus hostibus inaccessus Iuxta quam acceptionem sensus sic institui potest. Ideò homines metuendi non sunt, quia tunc cum illi molestius aliquem vrgent, aut insequuntur, præstò adest iusto spes, & confidentia in Deo sita tanquam turris celsissima, & munitissima, ad quam ab eisdem hominibus profugus se recipiat, & ab eorum molestiis tutus maneat. 113.

26. Multi

26. *Multi requirunt faciem Principis, & iudicium à Domino egredietur singulorum.*

114. MVlti requirunt, &c. Hebr. *Multi quærentes facies dominantes: & à Domino iudicium viri.* Chald. *Et a facie Domini iudicium viri.* Septuag. *Multi colunt facies ducum: à Domino autem fit iustum viro.*

Psalm.26. Psal.23. Psalm.104. *Faciem requirere*, in scriptura perinde est, ac gratiam alicuius promereri. Psal. 26. *Faciem tuam Domine requiram.* Et Psalm. 23. *Quærentium faciem Dei Iacob.* Et Psalm.104. *Quærite faciem eius semper.*

Duplex ergo huius loci sententia occurrit. Aliam offert translatio Septuaginta. *Multi colunt facies Ducum: sed à Domino iustum viro.* Idest, aliqui in id incumbunt maximè, vt gratiam Principum, & magistratuum ineant, qui putant ea ratione futurum vt in suis litibus, ac controuersiis iustas obtineant sententias, quos oportet potius Dei gratiam promereri, quia omnis æqua, & iusta sententia à Deo proficiscitur: is enim Regum, ac Principum arbitria, & iudicia pro nutu regit suo · quapropter ab ipsomet Deo potius pendere debemus, quàm ab illis. Non displicet hæc expositio.

115. Cæterùm communis est altera interpretatio, quæ iuxta verborum sonum hunc locum sic edisserit. *Multi requirunt faciem Principis*, idest, non plures sunt, qui Principum beneuolentiam sibi parare muneribus, obsequiis, diligentia, & studio contendunt: nam quia res suas ex eorum arbitrriis, iudicioque pendere certò sciunt, ne illos in ferendis iudiciis seueros experiantur, omnibus officiis sibi obstringere impensè cupiunt. *Et iudicium à Domino egreditur singulorum.* In hoc posteriori hemistychio aliqua per reticentiam suppressit Salomon, quæ nunc exprimenda sunt: arguit enim hominum stuporem, qui cùm aliàs certò sciant in grauissima salutis nostræ causa Deum iudicem supremum esse futurum, tamen ipsum placare, & muneribus, officiisque gratiam illius elucrari non satagunt. Quasi dicat? miræ cuiusdam stoliditatis est humana iudicia revereri; & diuina aspernari.

116. Sed licet præmissæ interpretationes mihi appositæ videantur, tamen aliam subiiciam, quæ mihi accommodatior videtur. Ergo *faciem requirere* (ni fallor) in hoc loco non est gratiam, & fauorem quacumque ratione aucupari, sed munerum, ac donorum corruptione. Sicut enim iudex, qui se donis corrumpi sinit, dicitur passim *faciem accipere*, vel, *faciem agnoscere:* ita etiam illius corruptor dicitur *faciem quærere.* Atque adeò sensus est. *Multi requirunt faciem Principis*, idest, quamplures sunt, qui iustitiæ diffidentes suæ, vt arbitria Principum ad se detorqueant, eos donis, ac muneribus tentare, & flectere contendunt. *Et à Domino iudicium egreditur singulorum.* Quod perinde est ac si dicat: Quamuis Principes, & magistratus muneribus inflexi iniustam sententiam ferant, non ideò acta res est, & causa perfecta, adhuc enim restat extremum aliud iudicium, cui tam Princeps quàm is, qui illum donis corrupit, subiici oportet, vt ex iure absoluantur, aut damnentur: hoc autem est ipsius Dei seuerissimum, & incorruptissimum arbitrium, quod effugere nulli integrum est.

27. *Abominantur iusti virum impium: & abominantur impij eos, qui in recta sunt via.*

117. ABominantur, &c. Hebr. *Abominatio iustorum vir iniquitatis: & abominatio impij rectus via.* A Septuaginta. *Abominatio iustus vir viro iniusto: abominatio autem iniquo recta pergens via.* Omnia in idem recidunt.

Sensus est luculentus. Salomon enim, qui alter est ex tribus, qui in conuiuio Sapientiæ interlocutores sunt (vt non semel alias præmonui) cum pleraque de probitate, & improbitate, deque probis atque improbis seruisset, denique concludit hæc duo inter se maximè pugnare, & mutuis dissidiis nunquam non confligere. *Abominantur iusti virum impium*, non quidem ipsum, sed eius impietatem immiti prosequuntur odio: & vicissim etiam *abominantur impij eos, qui in recta sunt via.* Nec mirum: fieri enim non potest, vt studia vsque adeò diuersa inter se non decertent. B *Quæ enim societas luci ad tenebras: aut quæ conuentio Christi ad Belial?* 2. ad Cor.6. Hinc Aug. in libris de Ciuitate Dei, duas illas ciuitates excogitauit: alteram impiorum, iustorum alteram, easque sibi per vices implacabilia bella mouere nunquam non dicit. 2.Cor.6. August.

Iansenius putat Salomonem his verbis præcipere hominibus piis, vt consortia, & commercia impiorum declinent, quia eos omnis probitatis implacabiles hostes semper experientur. Non displicet. Addo Salomonem fortassis iustis suadere, vt scilicet improbis omnibus nunquam non bellum moueant, & eorum improbitatem insectentur. Rationem autem offert, quia ipsimet improbi probos ac probitatem debellare nunquam cessant. Existimo enim particulam, C &, vt sæpè aliàs in Scriptura sacra, habere vim causalis, *quia*, hoc modo. Subiicio originalem lectionem. *Abominatio iustorum vir iniquitatis: &* idest, *quia abominatio impij rectus via.* Quasi dicat: eapropter iusti impios odisse, & impietatem persequi, & infestare debent, quia iimprobi iustos, iustitiamque nunquam non infensissimè insectantur: atque adeò ne pietas impietati, & probitas improbitati victa cedat, semper in castris esse, & bellum non modo sustinere, sed etiam dare, & inferre debet. 118. Iansen.

28. *Verbum custodiens filius extra perditionem erit.*

D

VErbum custodiens, &c. Hic locus desideratur in Primitiuis, abest etiam à Græcis codicibus: illum tamen vsurpat D. August. de Mendacio ad Consentium cap. 18. sed tamen illi aliqua intermiscet verba ad hunc modum. *Verbum excipiens filius à perditione longè aberit: excipiens autem excipit illud sibi, & nihil falsi de ore illius procedit.* Eiusmodi autem commentatio ipsa donat. *Dicet aliquis non aliud hic accipiẽdum esse, quàm quod positũ est: Excipiens verbũ filius nisi verbum Dei, quod est veritas. Ergo excipiens veritatem filius à perditione longè aberit, referturque ad illud, quod dictum est: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Quòd verò sequitur. Excipiens autem excipit illud sibi, quid aliud insinuat, nisi quod Apostolus dicit: Opus autem suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso habebit gratiam, & non in altero? Qui enim excipit verbum, idest, veritatem, non sibi, sed vt hominibus placeat, non eam custodit, cum eis videt placere posse mendacio. Qui autem excepit sibi, nihil falsum de ore ipsius procedit: quia etiam cum placet hominibus mendacium, non mentietur illi, qui veritatem non qua illis, sed qua Deo placeret, excepit sibi. Itaque non est cur hic dicatur: Omnes quidem perdet qui loquuntur mendacium.* Hactenus Augustinus. 119. August. E

Cæterum si locus iste capiatur, vt iacet in vulgatis codicibus, crediderim potius de ipsiusmet Salomonis verbis, quæ hactenus in hoc libro seruit, esse intelligendũ. Succedat memoriæ ea, quæ diximus in 120.

Isagoge

Isagoge huius Commentarij: & subinde etiam sequenti cap. vers. 1. non perfunctoriè dicemus scilicet hunc Salomonis librum esse quoddam Sapientiæ Conuiuium, in quo Salomon se ipsum, duosque illos Agur, & Lamuelem inducit, sententias, & problemata fundentes. Vbi illud etiam vlterius addidi, librum istum ab initio contextum, vt c. 25. & quæ deinceps sequuntur vsque ad c. 29. illũ absoluerent, quæ postmodum à viris Ezechiæ à suo loco in alium translata fuerunt, huius translationis causam ibidem obtuli. Itaque si germanam, & propriam huius libri contexturam teneamus, & rem ad sua reuocemus initia, versus iste vltimus est ad Prouerbiorum opus claudendum extremo loco additus. Hinc autem sensum illius aucupari licet. Nam postquam Salomon tot támque salutaria documenta, & sententias vsque adeo graues vtilesque profudit, ita demum opus suum claudit. *Verbum custodiens filius extra perditionem erit.* Idest, quicumque ea, quæ ego hactenus dictaui verba, & documenta probè tenuerit, & seriò obseruauerit, incolumitatem assequetur, & ab omni perditione, & interitu liber erit, idest, vita & salute æterna donabitur. Similis enim videtur hæc clausula, qua veluti epiphonemate Salomon opus suum absoluit, his, quibus Christiani oratores conciones absoluunt, *Y con esto nos dara Dios aqui su gracia, y despues su gloria, &c.*

CAP. XXX. SALOMONIS.

1. *VERBA Congregantis filij Vomentis. Visio, quam locutus est vir, cum quo
est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait. 2. Stultissimus sum
virorum, & sapientia hominum non est mecum. 3. Non didici sapien-
tiam, & non noui scientiam sanctorum. 4. Quis ascendit in cælum atque
descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas
quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen est
eius, & quod nomen filij eius, si nosti? 5. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in
se. 6. Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inueniarisque mendax. 7. Duo ro-
gaui te, ne deneges mihi antequam moriar. 8. Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.
Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria. 9. Ne
forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer,
& periurem nomen Dei mei. 10. Ne accuses seruum ad dominum suum, ne fortè maledicat
tibi, & corruas. 11. Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. 12.
Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. 13. Generatio, cuius
excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ. 14. Generatio, quæ pro dentibus gladios
habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. 15.
Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer. Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod
numquam dicit: Sufficit. 16. Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non satiatur aqua: ignis
verò numquam dicit: Sufficit. 17. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum ma-
tris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum aquilæ. 18. Tria sunt difficilia
mihi, & quartum penitus ignoro. 19. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam
nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia. 20. Talis est & via mulieris adulteræ,
quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum. 21. Per tria mouetur terra,
& quartum non potest sustinere. 22. Per seruum cum regnauerit: per stultum cùm saturatus
fuerit cibo. 23. Per odiosam mulierem cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam
cùm fuerit hæres dominæ suæ. 24. Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapien-
tibus: 25. Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: 26. Lepusculus, plebs
inualida, qui collocat in petra cubile suum: 27. Regem locusta non habet, & egreditur vni-
uersa per turmas suas: 28. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. 29. Tria
sunt, quæ benè gradiuntur, & quartum, quod incedit fæliciter: 30. Leo fortissimus bestiarum,
ad nullius pauebit occursum: 31. Gallus succinctus lumbos, & aries: nec est rex, qui resistat ei:
32. Est qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo impo-
suisset manum. 33. Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: &
qui vehementer emungit, elicit sanguinem: & qui prouocat iras, producit discordias.*

1. *Verba*

1. *Verba congregantis filij vomentis. Visio, quam loquutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait.*

2. PRÆMITTAM ea, quæ ad varias lectiones, & ad Grammaticam spectant. Et quidem 1. integras translationes dabo, deinde in membra distribuam. *Verba congregantis*, &c. Hebræi ferè omnes nostram lectionem carpunt, quod propria quorumdam virorum nomina dissoluerit, & in nomina, aut dictiones appellatiuas conciderit: Ipsi ergo ad hunc modum conuertunt. *Verba Agur Filij Lakeh, Visio, quam dixit vir ad Ithiel, ad Ithiel, & Vchal.* Vnus ille quisquis est apud Caietanum, soluit præmissa nomina ad hunc modum. *Verba collecti filij vomentis prophetia dictum viri per me cum el, mecum el, potero.* Locus enim si verbum ex verbo exprimas sic planè efferendus videtur. Septuaginta in hoc versu concisi admodum, & singulares sunt, sic enim transcribunt. *Mea verba, fili, timeto, & suscipiens ea pœnitentiam age, hæc dicit vir credentibus Deo, & quiesco.* Vtramque partem huic loco respondere existimo, quapropter immeritò Complutens. & Regia Biblia, quæ textum Septuaginta ita ordinarunt, vt Vulgatis, & Hebraïcis sic responderet, & vt versus cum versu concineret, locum istum ex cap. 24. mutilum protulerunt, ab illis verbis. *Hæc dicit vir credentibus Deo*, &c. ad hæc extrema; istam partem Aquila paulò aliter extulit. *Hæc dicit vir ad Ithiel, & perfice,* Thodot. *Ad Ithiel, & potero.* Hæc interpretes.

Sed tamen vt Vulgati nostri lectio sarta tectaque sit, libet singula verba ad amussim vocare. *Verba congregantis*, Hebr. אגור *Agur*, fluit à radice אגר *Agar*, id est, *congregauit, collegit, colligauit.* Huius verò vocis vim postea enucleabo, illud tantum hic obseruandum dixi, nomen illud *Agur*, esse Paul prædicti verbi, atque adeò vtrique voci deseruire posse tam actiuæ, quàm passiuæ, sic. *Verba congregantis, aut verba congregati, seu collecti.* Itaque verbum originale capit etiam lectionem Caiet. quod ideò animaduerti, quia ad lectionem Sept. edisserendam, gradum sternit, vt deinde constabit. Aliqui reuocant ad radicem גור *Gur*, quæ significat, *peregrinari*, ita vt *Agur* perinde sit, ac peregrinus, aduena, sed tamen hæc significatio in locum istum non quadrat.

Filij vomentis. Hebr. בןלקה *Ben lakeh*, manat hæc vox à radice קוא *Ku*, ex quiescẽtibus Lamed, Aleph, significat autem *vomere.* Testatissimum verò est apud Heb. verti posse. *Filij vomentis*, aut *Filij vomitus*, vt obseruauit Osorius, sed hæc diuersitas sensum non euariat. Addit Osorius transcribi posse. *Filij obedientis*, vel *Filij obedientiæ*, quia nimirum vocem illam, *Iakeh*, deriuari posse existimauit ab alio themate, scilicet ab יקה *Iakah*, idest, *audiuit*, seu *obaudiuit, obtemperauit.*

3. *Visio, quam locutus est ei*, pro visione subest, המשה *Hamasah* Alij *assumptionem*, alij *onus*, alij *prophetiam* reddunt, radix est נשה *Nasah*, idest, *portauit, leuauit*, sed tamen de hoc nomine aliàs dixi.

Vir, Hebr. pro *viro* est גבר *Geber*, fortem adsignificat & robustum, & quidem aptè eo nomine vsus est, nam cùm præmisisset vocem *Hamasah*, idest, *onus* appositè subiecit virum fortem, & robustum ad onus illud leuandum latera habentem. Aliqui etiam huic loco adaptare conati sunt aliam significationem nominis *Geber*, quod aliàs in scriptura *Gallum* sonat; apud Isai. cap. 22. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus*, ipsa scilicet gallus Isaias.

A est auis præsaga horas noctis cantu denuntians & proclamans.

Cum quo est Deus, Hebr. איתיאל *Ithiel*, ex præpositione את, quæ significat *ad*, & *cum*, & ex nomine אל *El*, idest, *Deus*. Itaque duplici sensu donari potest, scilicet *mecum Deus*, vel *ad me Deus*. Noster ergo interpres sensum tenens, & hæc cum superioribus nectens transtulit. *Vir cum quo est Deus.*

Et qui Deo secum commorante. In originibus redit iterum vox *Ithiel*, iuxta morem scripturæ, quæ ad sensum augendum nomina iterare solet. Itaque *Ithiel, Ithiel*, bis dictum, hoc est *mecum Deus, mecum Deus*, ipsum concepto Deo plenum, vel à Deo potentissimè afflatum, atque perculsum significat, quod
B accommodatissimo dicendi modo expressit noster interpres, cùm ait, *Et qui Deo secum commorante.*

Confortatus Heb. *Vchal*, fluit à radicibus אכל *Achal*, vel יכל *Iachal*, est autem *Iachal, potuit, prævaluit*, cui respondet Vulgati nostri lectio *Confortatus*, idest *potens, præualẽs.* Quia verò *Vchal* est futurum coniugationis Hophal, Theodot & Caiet. ad verbum extulerunt, *potero*, seu *præualebo.* Quod si referatur ad prius illud thema *Achal*, aliter dicendũ: nam *Achal*, perinde est, ac *comedit, manducauit, consumpsit*: hæc autem significatio manducandi optimè confertur cum illis verbis, *Filius vomentis*, aut *Filius vomens*, quasi id euomat quod Deo ingerente, hausit, comedit, deuorauit. Denique vox *Vchal*, trahi potest à ra-
C dice כלל *Chalal*, duplicante secundam, idest, *confecit, & absoluit.* huc spectauit lectio Aquilæ suprà scripta, *Hæc dicit vir ad Ithiel, & perfice*, & translatio Sept. *& quiesco*, q. d. absoluto opere conquiesco. Sed de sensu huius lectionis postea dicam.

His prælibatis explodenda omnino est sententia Hebr. qui docent, hæc verba non à Salomone, sed ab alio quopiam viro Agur nomine proflata, & dictata ad duos illos *Ithiel & Vchal.* Vel, vt aliis placet, partim quidem ab Agur, partim ab vno Ithiele, ad alium Ithielem, & Vchalem destinata: explodenda, inquam, est, tanquam Rabinicum commentum. 3.

Miror autem viros alioqui doctos, & pios, Iansen. & Rodolph hanc expositionem cum Vulgata le- 4.
D ctione pugnantem obuiis manibus amplexatos fuisse. Ratio autem, quæ Iansen. in hanc sententiam impulit, infirma est. Quomodo enim (inquit) Salomon seipsum virorum stultissimum in sequenti versu appellauit, qui planè nouerat, se præ omnibus hominibus sapientia & prophetico spiritu donatum? Certè si hoc absurdum est, absonum quoque erit Agur, qui caput hoc doctissimum conscripsit, sibi etiam hoc stultitiæ tantæ probrum inurere. Sanè hæc verba, quemadmodum alia, Salomonis propria sunt, & non minimam iniuriam tanto Vati infert, qui huius libri præcipua & maximè illustria verba illi adimit, vt alteri adscribat. Ergo hæc verba Salomonis esse communis totius Ecclesi. conspiratio tenet, quæ integrum
E librum sub illius nomine, & inscriptione legit: & ex patribus quàm plures, qui huius capitis pleraque testimonia nomine Salomonis recitant, imprimis illud, *Diuitias & paupertatem*, &c. Denique ex interpretibus ita sentiũt Beda, Lyra, Hugo, Dionys. Arboreus, Osorius, Sa, Peltanus, imò & Caiet. qui hac in re ab Hebraizantibus desciuit.

Sed inter præfatos interpretes, qui caput hoc Salomoni dedunt, quod ad sensum attinet, magna dis- 5.
cordia est. Sed tamen in vniuersum duplex est illorum factio. Prior quidem sic verba isthæc de prophetia ipsius Salomonis accipit, vt pleraque ad ipsius pœnitentiam, & resipiscentiam pertinere autumet: Posterior verò omnia de prophetia edisserit, & pœnitentiæ nullam mentionem interseri putat. Ergo qui

qui cuncta ad prophetiam referunt, non ſibi ſimiles ſunt Pergam per ſingula. *Verba congregantis.* Alij exiſtimant id nominis non diſtingui à nomine *Coheleth.* i. *Eccleſiaſt.* quo aliàs inſignitur Salomon, nam *Eccleſia* Græcè, *Congregatio* dicitur Latinè. Itaque *Verba congregantis* ſunt verba eius, qui euocat concionem, & ad multitudinem verba facit. Sic Hugo Cardin. Arboræus, & alij. Sed tamen difficilè ad hunc ſenſum aptari poteſt proprietas verbi Hebr. *Agar*, ex quo *Agur*, eſt.n. propriè *frumentum purum, & excuſſū in horrea inferre*, & in vniuerſum, fructus omnes in apothecas congregare. Prou. 6. de formica, *Quæ congregat in meſſe cibum ſuum*, & c. 10. *Qui congregat in æſtate filius ſapiens*, & alibi. Niſi fortè dicas aream eſſe Eccleſiam, vel concionem, & auditores grana, quæ doctor obiurgando exterit, aliquando etiam laudando eleuat, & euentilat, ac ſic denique excuſſis vitiorum paleis purgata & munda, in horrea pietatis condit, hæc enim ſunt doctoris optimi officia ex Auguſt. cuius verba alibi dedimus. Sed tamen hæc prior interpretatio mihi non arridet.

6. Secundam alij offerunt ad hunc modum. *Verba congregantis*, eius, ſcilicet, qui ſapientia ſua regni ſui ſubditos fœderauit & in vnitatem collegit. Itaque his verbis præcipuum Regis munus notari volunt, ſcilicet, *congregare & confœderare ſubditos.* Sic Lyra, & ex illo alij. Et quidem huic expoſitioni inſeruit etiam vis verbi Originalis, quæ à fructibus, colligendis, &
Agapet. in horrea inducendis trahitur. Nam Agapetus Diaconus in lib. de officio Regis ſic ſcribit. *Vnum Regis & agricolæ ſtudium, vna cura eſt, congregare: hic quidem ſerit frumentum, & frumenta congregat: ille verò beneficia ſerit, & ciues conducit.* Et quidem Salomon Rex planè congregans fuit, nam ſubditos tantoperè beneficiis, & gratia ſibi deuinxit, vt nulla ſeditio, aut ciuium motus Imperium eius vnquàm in perturbarit. Sed tamen hæc etiam interpretatio ad inſtitutum ſermonem accommodata non eſt.

7. Caiet. Tertiam igitur exhibet Caiet. *Verba congregantis*, ſcilicet ſemetipſum, vel, vt ipſe lectitat, *Verba collecti*, videlicet in ſeipſum. Nam cùm propheta, inquit, corripitur, ac percellitur diuino afflatu, collectis animi viribus, ac potentiis, in ſemetipſum quaſi compellitur, & ab vſu exteriorum ſenſuum abſtrahitur. Nec abit hoc longè à vi, & ſignificatione verbi originalis, quod non modò ſignificat *frumenta in horreum inducere*,
Deut. 28. ſed etiam *muſtum in dolia condere.* Deut. 28. *Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec congregabis ex ea quidpiam*, ſupple, vini, aut muſti in dolia nihil inferes; & hanc eſſe germanam verbi ſignificationem aliqui autumant. Ergo *Verba congregantis, filij vomentis*, eo ſenſu, perinde erũt, ac verba eius, qui ceu dolium aliquod illato diuinioris Spiritus muſto feruet, & exæſtuat, atque ex feruore, æſtuque conceptas animo ſententias, dolij etiam in morem, eructat, & euomit. Sed tamen hoc etiam, vt credo, plurimum abeſt à mente Salomonis.

8. Quarta expoſitio propiùs accedit. Sic enim habet. *Verba congregantis*.i. eius, qui plurimam in ſemetipſo ſapientiam & prudentiam tùm ex Dei infuſione, tùm etiam vſu, atque periculo rerum congregauit. Facit etiam ad hoc verbi Hebr. ſignificatum. Sapiens enim doctrinam in mentis ſuæ aream audiendo comportat, meditando triturat, & diſceptando euentilat, ac tunc demùm puras veritates excuſſas, & mundas in animi ſui horreum infert. Congregans igitur hoc ſẽſu dicitur Salomon, qui poſt ſtudium, meditationem, experientiam, & vſum, purgatas iam & mundas veritates excuſſis difficultatibus, tanquam grana pura, & munda in animo ſuo coëgit, & conflauit. Poteſt etiam iuxta hanc quartam expoſitionem nomen *con-*

A *gregantis*, & ſimilitudo ipſa peti ab his, qui annonæ collectores ſunt, & horrea publica adminiſtrant, à qua ſignificatione non abit nomen *Agur*, nam quod vulgò nos dicimus *Alhori*, Arabicè dicitur *Agori*, ita vt nomen noſtrum ab eo nomine deflexum videatur per aliqualem vocis corruptionem. At quid magis adſimile viro cuipiam doctiſſimo, & ad publicè docendum comparato, quàm Agur, ſiue collector annonæ publicæ? qui nimirum ita in ſe doctrinam & ſapientiam collegit, & cumulauit, vt eam non ſibi obſeret, & occludat, ſed velut publica alimenta cunctis fideliter diſtribuat, iuxta illud Euang. *Quem conſtituit* Luc. 12.
Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram. Ergo Salomon ſe ad eum mo- 9.
B dum Agur appellat, quia coactam ſapientiam non cohibebat, ſed ad vſum publicum conſcribebat, & euulgabat. Denique ſi *Agur*, in vniuerſum pro frumenti collectore accipiatur, non ineptè ad hanc ſententiam aſciſcere licet Platonis dictum in Protagora, qui de his, qui ſapientiam ſtudiosè comparant agẽs ait. *Doctrina, ceu frumentum acceſſiones habet.* vulgò dicitur, *tiene creces*, hoc enim frumenti proprium eſt inter alia grana, vt quoties ad modium venit, & denuò menſuratur, incrementum aliquod capiat. Suadet ergo Plato hauſtam doctrinam aliis tradere, repetere, & admetiri, quia frumento adſimilis eſt, & quoties iteratò dicitur, & pro menſura captus aliis traditur, aliquid illi accreſcit, quia vel res amplius
C intelligitur, vel iam intellecta mẽti altius ſedet. Propterea Chriſtus Dominus ſuadet doctoribus doctrinam ad eum modum, veluti frumentum, auditoribus ſuis admetiri, quia ex menſura creſcit. *Fidelis ſeruus, & prudens*, &c. Licet etiam referre ad fructum auditorum, qui terræ ad inſtar aratæ, & occatæ, vberes fructus reddit, quos fructus doctor ipſe demetere, atque congregare accommodatè dicitur: ex quo euadit.

Quinta interpretatio. *Verba congregantis*.i. eius, qui 10.
eruditis ſententiis auditorum ſuorum aures conſerit, & fructum inde vberem ſe demeſſurum, & congregaturum ſperat. Appoſitè ad hanc ſententiam loquitur D. Ioan. Chryſoſt. de ſemetipſo in Orat. de Paral. Chryſoſt.
D tom. 5. circa finem. *Vides*, inquit, *prapotentis Dei munere ſingulis noſtris concionibus aruum hoc noſtrum acceſſiones non paruas facere, ſegetes florere, areas abundare, manipulos augeri, horrea impleri, & licet dies non adeò multi præterierint, ex quo ſementem hanc fecimus, ecce ſpica obedientiæ longè vberrimæ confeſtim decoctæ, & maturæ prouenerunt.* Et poſtquã ſpiritualis, & naturalis agricolæ aliqualem differentiam adſcripſit, ſic tãdem ſubſcribit. *Quemadmodum agricola agrum comparatum, & aptum excolit, quia ex eo aream, & horrea ſæpe complet: ſic etiam nobis magna cura hac agricultura ſuſcipienda eſt, quia ſperamus aream, & horrea Chriſti breuiſſimo interuallo complenda.* Ergo non ineptè Salomon eandem meſſem ſperans ſe annonæ congrega-
E torem appellat.

Sexta denique & extrema interpretatio ſic habet. 11.
Verba congregantis.i. Verba eius qui ſententias, & do- Agur. 1.
cumenta optima cogit, & compilat. Nec putes Salomonem aliàs vulgò conſueta, & familiaria prouerbia conflaſſe, id.n. falſum eſt, vt iam inde docui cap. 1. v. 1. ſed dicitur conflator, aut compilator, qui optimas quaſque ſententias inſtillante ſibi Spiritu ſancto, in librum vnum retulit, non ex aliquo ordine, ſed per aggregationem & cumulum conſcriptas, quod propriè eſt congregare, & compilare; & quidẽ hanc expoſitionem non parũ commendat verbum originale *Agur*, quod per tranſlationẽ ad hanc ſentẽtiarum compilationẽ optimè aſciſcitur. Sunt enim eiuſmodi ſententiæ exploratæ, certæ, & vt ita dicam

euentilatæ, quas tanquam grana pura, & munda excussis dubitationum, & controuersiarum paleis in librum istum, tanquàm in horreum Salomon contulit, quod vulgò diceremus, *todoes grano, y noay paja*. Et quidem simili translatione ab eodem verbo dicitur. אגרת *Igereth*. i. *Epistola*. Nehem. 6. v. 5. Esther. 9. v. 26. 2. Para. 30. v. 6. Appellatur autem eo nomine Epist. quod in eam multa negotia, ac dissimiles valdè res colligi & contrahi consueuerunt.

Nehem. 6. Hester 9. 2. Paral. 30.

12. *Filij vomentis*, huius etiam nominis interpretatio distrahit expositores. Alij ergo eo nomine Dauid censeri putant, quod tantā prophetici spiritus vim hausferit, vt prophetias non more aliorum eloqui, aut efflare, sed veluti euomere videretur. Sic Hugo Card. Itaque secundùm hanc expositionem, Salomon semetipsum cum parente Dauid componit, & addit se (si fas est filium cum patre conferre) *collectorem* merum esse, qui ascitas hinc inde sententias congerit. Patrem verò *vomentem* dici posse, qui pleno ore & gutture prophetias reddere videretur. Subdit præfatus Cardinalis, 2. expositionem de matre Bethsabee, ita vt Salomon *Filius vomentis* dici potuerit. i. filius Bethsabee, hæc. n. interpretatur, *domus*, vel *filia satietatis*, teste Hier. de nominibus Hebr. vt perinde sit *filius vomentis*, ac filius exsatiatæ & saturæ. Sed quorsum hic filius saturæ matris dicatur Salomon? silet Hugo. Tamen dici posset, filium saturum ex satura matre dici, quem. s. iam voluptates & deliciæ ad nauseam vsque exsatiassent. q. d. non sine homine mater filia satietatis. i. satura dicta est, quia filium editura erat voluptatibus, & deliciis saturum, ex saturitate tandem fastidientem, nauseantem, vomentem. Sed tamen expositio hæc planè coacta est, & contra textum, nam *Iakeh*, est masculini, & non fœminini generis.

13. Hugo. Sed iterùm redit Hugo, & superioribus tertiam expositionem adnectit hoc modo. *Filius vomentis*. i. filius Dauid qui saliuæ quodam indecoro vomitu stultitiam & insaniam simulauit coram Achis Rege Geth. Neque id abit à contextus serie, nam statim stultitiā suam fatetur in auspicio capitis cū ait. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*, q. d. Homo sum verè stultus ex patre stultitiam simulante, nam simulatio illius stultitiæ, meæ veræ, & non simulatæ omen fuit. Cæterùm hoc quidquid est, ad Dauid, seu ad Bethsabee spectans ex ignoratione Hebr. sermonis profectum fuit: nota n. est sacræ Scripturæ phrasis, iuxta quam hoc nomen *filius* multis affigitur rebus augendæ significationis gratia; *filius mortis* dicitur reus mortis, *Filius nuptiarum*, sponsus *Filius iniquitatis*, valdè iniquus. Itaque iuxta hunc loquendi modum, *Filius vomentis*, seu vomitus appellatur vir abundans vomitu, vel, vt obseruat Caietan. vir, cui perseuerat adhuc vomitus. i. qui cœptum sistere, aut inhibere non potest vomitum. Ergo hæc significatio ad Salomonis prophetiam accommodata non vno modo accipi potest. Aliquis dixit similitudinem hanc vomitus eò spectare, vt significetur huius libri sententias non esse connexas, & in seriem aliquam redactas, sed permixtas omnino, & solutas, vtpote quas Salomon, veluti ex vomitu quodam effuderit: sicut enim vomens cibos permistos, & indiscretos reddit, sic Salomon huius libri sententias ad eum modum permistas sine ordine, ac serie aliqua profudit. Cæterùm hæc interpretatio non elaborata, & decocta, sed quasi ex vomitione reddita videtur. Posset etiam alius aliquis similitudinē vomitus ad ipsius prophetiæ seueritatem referre, vtpote quæ sit inuectiua & satyrica. Notus est ille dicendi modus. *Euomere aliquid in aliquem*. Cicero 5. Phil. *In me absentem orationem euomuit*. id est, inuectus est oratione sua.

1. Reg. 27.

14.

Cicer. Orat.

A Terent. in Adelph. *Ibo & requiram fratrem, vt in eum hac euomam*. Mitto alia. Ergo Salomon iuxta hunc sensum appellari potest in hoc libro *filius vomentis*, quia in eiusdem libri sententiis plerisque carpit seueriùs vitia, & in vitiosos inuehitur, ita vt multa ex his in illos stomachabundus euomuisse videatur. sed maximè in hoc c. vers. 11. tamen hoc etiam coactum videtur.

Illud procliuius, quod tradit Cælius lib. 21. cap. 8. Vomentes appellari solitos eos, qui ex tempore nec præparata, aut præmeditata loquuntur, citatque illud Aristidis, qui ab Imperatore quæsitus, vt aliquid ipso audiente diceret, subiecit. *Hodie proponas, cras vero audias*, οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων. B *Non sumus quidem ex vomentibus, sed ex accurate dicentibus*, id est, non sumus ex his, qui tempore imparati dicunt ad rem. Prophetæ quidem non à se præmeditata, & comparata, sed à Deo ipso instillata, & infusa ex tempore dicebant. Ergo Salomon vt significet se non suas ex antiqua præmeditatione sententias dicere, sed ex tempore diuino afflatum spiritu eloqui, non ineptè dixit, *Verba congregantis, filij vomentis*. i. extemporaria, repentina ex diuini spiritus perculsu dicta, non ex studio & præmeditatione coacta, & collecta promentis. Meliùs verò atque aptiùs ad quandam prophetici spiritus redundantem plenitudinem significandam similitudinem vomitionis adhibitam fuisse dicemus. Sicut. n. homo pleno & C emoto stomacho vomitionem sistere, aut inhibere non potest, donec exhausto ventriculo conquiescit, sic etiam Salomon prophetico plenus spiritu vomenti se similem esse dicit, quia ea, quæ diuino afflatus spiritu exceperat, etiam inde euomere cœperat, à libri huius initio cohibere non poterat; sed adhuc effundere cogebatur. Eodem sensu in Psalm. 44. quem plerique Salomoni tribuunt, vsus est verbo eructandi. *Eructauit cor meum verbum bonum*. & sæpè aliàs, quod perinde est, ac si dicat, Verbum bonum animo conceptum supprimere non possum. Sed velut cibus indecoctus in stomacho ructus ciet, & odore suo ipse sese prodit: Sic etiam ea, quæ à diuino hausi spiritu opprimi se, atque celari non permittunt, sed pro ructibus verba mouent, atque inuitum fari cogunt.

15. Cælius. Rhodig.

D *Visio, quam loquutus est vir, cum quo est Deus*, &c. 16.
Reliqua ad hunc prophetiæ sensum facilè accommodantur. *Visio*. Hebr. *onus*: aliqui putant eo nomine notari seueriorem admonitionem, qua Salomon vtitur in hoc capite. Tamen illud fortasse accommodatiùs dici posset, prophetiam tum hîc, tum aliàs passim in sacra Scriptura, *Oneris* nomine censeri, quia prophetæ, vt ait Dionys. Areopag. *Diuina patiebantur*, qui modus dicendi ipsi admodum familiaris est, vt significaret ipsos non tàm agere, quàm sustinere, pati & portare spiritus vim. Subdit. *Quam loquutus est vir, cum quo est Deus*. i. à Deo afflatus & perculsus. *Et qui Deo secū morante confortatus ait*. Iteratio quædam est ad significandam spiritus prophetici vim, id est, qui E Deo diutiùs, & acriùs impellente demum audacter fari cœpit: vel significat semel, atque iterùm sibi hæc à Deo instillata & reuelata. Hoc etiam sibi vult lectio originalis, si verbum ex verbo reddas, *Visio dicta à viro per, mecum Deus, mecum Deus & potero*, quod facilè ad superiores sensus acciri potest. Libet etiam hîc alteram suspicionem attexere, quæ verba expendenti satis vero similis apparebit. Constat enim Salomonem in sequentibus pluralitatem personarum in Deo insinuasse, & docuisse: duas enim personas, Patrem atque Filium numerauit. *Quod*, inquit, *nomen eius, aut quod nomen filij eius si nosti?* ergo quia duas illas personas prophetico spiritu patefacere, & insinuare

Dionys. Areopag.

& insinuare volebat, ideo bis dicit. *Mecum el, mecum el, & potero*, q. d. adsit mihi pater, adsit filius vnus Deus, & sic filio, atque patre digna eloqui potero. Hactenus de prima expositione, quæ tota ad Salomonis prophetiam pertinet.

17. Secunda, locum integrum ad ipsius pœnitentiam accommodat, quæ mihi non minus placet, quàm prima: numerat autem locupletes patronos ex Hebr. Leui Ben, Gerson, & Rabi Salomon: ex nostris Lyram, Arboreum, & Ioan. de Pineda, in suo præuio Salomone lib. 8. c. 1. sect. 5. quibus etiam subscribit Cardinalis, hanc. n. reliquis interpretationibus postremo loco annexuit. Ergo secundum hanc expositionem (vt alia minus idonea omittam) sic verba conformãda sunt. *Verba congregantis filij vomentis*. Verba, scilicet eius, qui multas sibi opes, delicias, & voluptates accumulauit, sic. n. ipse ait. Eccl. 2. *Coaceruaui mihi argentum & aurum, & substantias Regum & prouinciarum*, &c. vbi nullum deliciarum genus à se prætermissum fuisse dicit. *Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur*. Sed tamen postea damna plurima expertus, vbi resipiscere cœpi, opum, atque voluptatum tantum fastidium me cœpit, vt nauseabundus illas euomere cœperim. Ita ipsemet subdit. *Idcirco tæduit me vitæ meæ*, &c. Hæc expositio, quam supra delibaui, accommodatior videtur, quia vim vocũ originalium meliùs exprimit, & totius capitis scopum collimat; vbi multa Salomon de diuitiis, de concupiscentia, & auiditate deliciarum, de potentia & maiestate Regia, quasi nauseabundus dicit, horum omnium contemptum suadens. Huic loco adsimilis est alius Iob 20. *Cùm. n. dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud in lingua sua, parcet illi, & nõ derelinquet, & celabit in gutture suo*. Sed quid inde? *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus*, id est, quidquid opum, & deliciarum auidè ligurierit, tandem acescet, atque in fella amarissima abibit, ac sic demum. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus*. Non aliter Salomoni opes & delitiæ initiò prædulces visæ sunt; at postea his in amaritudinem conuersis, per summum fastidium, & nauseam ingenti dolore, ac pœnitudine animi easdẽ euomere, & anteactæ vitæ mollitiem retractare, ac deplorare cœpit, acciditque iuxta suum ipsius proloquium supra c. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud*, nam præceptum hoc transgressus deliciarum mel ad satietatem vsque sumpsit, ac demùm illud ex nausea ingenti labore, & animi dolore euomuit.

Eccles. 2.

Iob 20.

18. Nazianz. Succedat memoriæ id, quod alibi ex Nazianz. obseruaui ad præmissa verba Iob 20. scilicet, vomitum tepenti aqua, aut cieri, aut iuuari, qui hanc vim lacrymas tribuit. Sic. n. suadet ne iniustè opes cũ alienis lacrymis exsorbeamus: nam citiùs emoto stomacho, & lacrymis vomitum cientibus has effundere cogemur. Hęc ille. Orat. 9. contra Iulianum. Haud aliter dixerim Deum Opt. Max. Salomonem ex fastidio, & tædio deliciarum ad vomitum adducere volentem, eidem ad extremum non alienas, sed proprias pœnitentiæ lacrymas immisisse, vt hæ, tepentis adinstar aquæ, vomitionem iuuarent, (sentio. n. cum pluribus illum tandem aliquando pœnituisse, & ex pœnitentia deliciis vltimum vale dixisse.) Has verò Salomonis vberiores lacrymas confirmat testimonium illud, quod ex peruetusto illo exemplari. Mixtarabico in monte Eliberitano inuento producit noster Ioan. de Pineda ad hunc modum. *Et fleuit scelus suũ vehementi fletu, & condẽnatum est ei*, &c. Ad rem ergo nostram: ait Salomon, *Verba congregantis filij vomentis*, &c. quasi dicat, verba hominis congestas, cumu-

Pineda.

A latasque iamdiu diuitias, atque degustatas iam olim delitias per nauseam respuentis. Et sane quicumque sequentia verba perlegerit, planè agnoscet illa esse fastidientis, & nauseantis opes, voluptates, maiestatem, regnum, &c. Sed licet duæ interpretationes præmissæ mihi ante alias probentur, tamen alias etiam subscribam, quæ locum istum de Salomonis pœnitentia edisserentes aliter, atque aliter aiunt.

Verba congregantis filij vomentis. Sermones scilicet eius, qui multam sapientiam partim à Deo ipso haustam, partim vsu, & rerum periculo partam congessit; sed tandem quidquid ea ratione hauserat, & expresserat (liceat sic dicere) per vomitum effudit, inexpiabile idololatriæ piaculum admittens: sic habent B ex hebraizantibus non pauci. quæ interpretatio non caret energia. Satis. n. aptè vir sapiens, atque diuinarum rerum cognitione præditus cùm peccatum aliquod grauius perpetrat, suam ipsius sapientiam, & partam iam notitiam euomere dicitur. Vomitus. n. his accidit, qui adesas epulas nec decoquunt, nec secernunt, nec digerunt. Ergo hi cùm haustam rerum diuinarum cognitionem decoquere, digerere, & in mores suos transferre non possint, ipsam demum per nauseam euomentes grauioribus sceleribus se contaminant, quos contrario quodam sensu serpentibus similes esse docet Cæsarius Arelatensis in Orat. de pœnitentia, *Nam serpens, ait, virus euomit, vt salubres aquas ebibat; hi autem salubres sapientiæ, ac doctrinæ escas C reuomunt, vt peccati virus exhauriant*, iuxta illud, *Omnis peccans est ignorans*. Rursus alij alio sensu præmissa verba donant ad hunc modum. *Verba congregantis*, Verba scilicet Salomonis olim quidem disperdentis, ac dissipantis, sed iam nunc congregantis, & deperdita colligentis. Adludit hæc expositio ad illa Christi Domini verba. *Qui non colligit mecum, dispergit*, & ad pœnitentiam ipsius pertinet. Itaque *congregans* dicitur, quia videlicet perditam salutem, & gratiam recuperare, & quæ prodigè prius dispersérat congregare, & colligere iam tunc meliora sapiens studiosè curabat. *Filij vomentis*, scilicet peccatum suum: Nam qui peccatum suum per pœnitudinem eluit, ipsum quodammodo euomere dicitur. Hinc D. D Petrus eum qui deplorata iam olim scelera repetit, *canem* appellat *ad vomitum* identidem *redeuntem*. Est ergo pœnitentia quædam culpæ vomitio: *Et sicut stomachus, ex vomitu crudi alimenti, aut concepti, vel acidi humoris*, (verba sunt Chrysostomi, libro de pœnitentia) *deposita nausea conquiescit, sic animus & conscientia post vomitum peccatorum bene se habet, & salutaria alimenta deinceps appetit*. Ergo Salomon *Vomens* dicitur, quia postquam admissa peccata euomuit, iam inde velut sedato stomacho conquieuerat & interruptas prophetias, aut bonos mores, velut escas salubres iterum appetere cœperat. Ad hanc interpretationem allici potest translationis Septuaginta extrema clausula, *& quiesco*, nimirùm deposito E fastidio, sedato stomacho, expleto vomitu, conscientia videlicet ex pœnitentia & retractione sceleris confidente. Ad hæc Pacianus nauigantium nauseam ad pœnitentiam scelerum pulchrè conuertit, in Parænesi de pœnitentia. Eos enim, qui post diuturnam probitatem, & bene actam vitam flagitiosæ vitæ sese commiserunt, bis similes esse dicit, qui ex portu in altum soluerunt: nam sicut hi initio nauseam, & fastidiũ experiuntur, sed si vlteriùs progrediantur, & portum non repetant, deposita nausea benè se habent; Ad eundem modum, qui è vita honesta, velut ex portu, in flagitiosam ruunt, initio quidem ad fluctuantis conscientiæ leuiores motus nauseant, & eos cuiuslibet admissi criminis fastidium capit, quod si ne tunc quidẽ ad probos mores, & frugi

19.

Cæsarius.

Luc. 11. 20.

Chrysost.

Pacian.

vitam remeent, breui interuallo fastidium deponunt, abiiciunt nauseam, & validissimas conscientiæ successiones, & nutationes non sentiunt. hæc ille. Ex quibus constat pœnitentiam cum vomitu aptissimè componi. Ac meritò *filium vomentis*.i.vomentem, & nauseantem Salomonem pœnitentem appellari, qui videlicet perpetrato idololatriæ scelere ad primos fluctuantis conscientiæ motus nauseabundus & vomens antiquam probitatem repetiuit.

21. Reliqua autem verba ad hanc sententiam vocare facile est. *Visio, quam loquutus est vir, cum quo est Deus*, &c. vir scilicet, qui peccato suo per pœnitentiam diluto iam rursus Deum pectore excepit, & ab ipso incalescens fatidicas voces reddit. Cum multis enim sentio Salomonem, qui diu in peccato idololatriæ perstitit, prophetico spiritu ductum vaticinia sua intercepisse, ac rursus post resipiscentiam concepto iterùm Deo vaticinia inchoasse. Quod si verum est, satis accommodatè, vt amissum fatidicum spiritum per pœnitentiam anteacti sceleris se recepisse significaret, tùm seriò adiecit (expende vim originalium verborum) *Ithiel, Ithiel*, id est, mecum Deus, mecum Deus, *& potero*, id est, cùm mihi adsit, imò insit Deus ipse, onus prophetiæ leuare potero, aut verba prophetica profari, hæc est optima horum verborum accommodatio. Quapropter alias minùs appositas expositiones prætervolans, ad tertiam integri loci interpretationem contendo, quam cæteris facilè præferendam esse statuo ac decerno.

Præter duas adscriptas interpretationes de prophetia, & de pœnitentia Salomonis subest tertia, quę mihi magis germana videtur. Præmittenda autē sunt, quæ supra diximus tom. 1. in Isagoge huius commentarij, & cap. 9. vers. 1. vbi sapientiæ conuiuium describitur. Mens enim Salomonis eò loci est, sapientiam inducere inter epulas suos conuiuas alloquentem, & huius libri tàm varias, & dissimiles sententias dictantem iuxta veterum morem, qui præclaras sententias, problemata, ænigmata & gryphos in conuiuiis exponere, & disceptare solebant, atque ibidem multis tùm sacris tùm prophanis testimoniis probaui. Nihil enim aptiùs, & rebus ipsis accommodatiùs excogitari poterat. Nam omnes huius libri sententiæ ex his sunt, quæ in conuiuiis recitari solebant, vt in eo capite latiùs dixi.

22. Ergo Salomon, qui superiores omnes huius libri sententias sapientiæ hactenus tribuerat, ex quo illam loquentem induxerat, vt iuxta morem etiam conuiuiorum non vna tantùm persona verba faceret, in hoc capite, & in sequenti duos viros ex conuiuis, quos ad mensam sapientiæ inuitatos fingit sapiētia producit, qui ipso silente, simili ratione eloqui, & sententias excogitatas promere cœperunt. Hi sunt *Agur*, seu *congregans*, in hoc capite *verba congregantis*, &c. & *Lamuel* in sequenti, quod simili modo auspicatur, *verba Lamuelis Regis*. Itaque verba hæc non sunt aliena; sed quemadmodum Plato in suo conuiuio Socratem, Apollodorum, Glaucum, Agathonem, Aristodemum, & alios inducit loquentes, & singulis orationem suam, & amoris elogia tribuit, & Plutarchus septem Græciæ sapientes, & alij alios: sic etiam Salomon sapientiam ipsam, ceu conuiuij Reginam, & Symposiarcham, Agur verò & Lamuelem tanquàm conuiuas proponit, & singulis verba dat. Ergo sic ait, *Verba Congregantis*, non alienum à nostro interprete nomina propria Hebraica Latinitate donare, præsertim cùm Emphasim habent. Frustra huius rei exempla producam. Perinde igitur est, ac si dicat, *Verba Agur*. Et quidem aptissimè Salomon id nominis illi dedit, qui silente sapientia verba facturus erat: significat virum, qui multam sapien-

Plato.
Plutarch.

A tiam, & plurimas quoque sententias partim studio, partim vsu, & experientia collegerat, vt supra vim vocis primitiuæ expendens docui. Vel si mauis *verba ligantis*, aut *colligantis*. (hæc enim omnia originali verbo respondent vt initio dixi) sic accipe, id est, verba non clarè, & apertè dicentis, sed sententias suas quibusdam similitudinibus & ænigmatibus inuoluentis. Nec abit hoc ab antiquæ scripturæ phrasi, de qua nos supra cap. 6. vers. 21. vbi expendimus verba illa Isaïæ c. 8. *Liga testimonium, signa legem*. i. ne apertas & claras nimiùm res dicas, sed eas ænigmatibus, & similitudinibus tege. Iam intelligis quàm aptè hæc significatio in hunc locum cadat: Nam in conuiuiis problemata, & gryphos difficiles obiicere so-
B lemne erat, & caput istud eiusmodi gryphis scatet. Itaque ait verba *ligantis*, aut *colligantis*. id est, verba eius, qui sententias suas ænigmatibus condit, similitudinibus tegit. Subdit:

Filij vomentis, seu vomitus, id est, vir vomens nimirùm satur, & affatim epulis expletus: nam ferè problemata sub epulis proponi consueuerunt. *Vomens* autem pro saturo nō ineptè sumitur. Vel aliter. Moris erat in conuiuio, vt is, qui copiosè, & eleganter, & acutè fari volebat, è conuiuio surgeret, & adesas epulas haustumque vinum euomeret, vt mens liberior, & paratior ad dicendum foret. Sane id non crederem, nisi mihi subesset duplex satis locuples testimonium; alterum quidem Plutarchi in Symposio, 23.
C vbi docens in conuiuio philosophandum, suadet vomitum ei, qui peritè dicere vult, siquidem vinum caput tentare cœperit. Alterum supra cap. 23. vbi docens Salomon apud hominem liuidum non esse cœnandum, sic demum infit. *Cibos, quos comederas euomes, & perdes pulchros sermones tuos*. Nimirùm vt peritè, & copiosè dicas, cibos per vomitum extrudes. Sed nihilominus sermones tuos pulchros, & elegantes perditum ibis, quia vix ille liuidus ex inuidentia nihil probabit, nihil laudabit, sed omnia potius extenuabit, contemnet, arguet. Ergo fortasse iuxta hunc morem Salomon in hoc sapientiæ conuiuio Agur loquentem inducens, propterea illum *filium vomitus*, id est, vomentem appellat, quia ex
D vomitu leuato capite, & expeditis sensibus ad dicendum prosilierat. Reliqua verò: *Visio, quam loquutus est vir, cum quo est Deus*, &c cum his pulchrè concinunt, est enim sensus, Prophetia, quam protulit vir non vino obrutus, sed Deo plenus, non ex mero concidens, sed concepto Deo confortatus, & erectus. An verò hæc nostra coniectura reliquis interpretationibus anteponenda sit, lectorem arbitrum constituo. Vide plura in præcitata Isagoge istius commentarij.

De translatione Septuaginta aliquid etiam ad extremum dicendum est. *Mea verba fili timeto, & suscipiens ea pœnitentiam age*, hæc quidem respondent illis, *verba congregantis filij vomentis*, ex quibus Sept. 24.
E verba vt solēt missa facientes prædictū sensum eruerunt. Et quidem nomen illud אגור *Agur*, non actiuè, sed passiuè acceperunt. Quasi dicant, *verba collecti, & cōgregati*, vt nuper ex Caietano obseruaui. *Verba* autem *collecti* intelligunt verba ad virum collectū directa, ad eum scilicet, quem timor adstringit, & colligit. Nam quemadmodum lætitia soluit, & animum laxat: sic etiam metus adstringit, & comprimit. Rursus per *vomentem* eum notari existimantes, qui præterita peccata per pœnitentiam delet, & quasi per vomitum extrudit, sic denique sententiam extulerunt, *Mea verba fili timeto*. id est, cùm ad verba mea intendens metus animum adstringat tuum. *Et ea suscipiens pœnitentiam age*, nimirùm his (liceat sic dicere) vomitum peccatorum tuorum moue, & ante acta

actæ vitæ ſcelera his adiutus extrude; quaſi dicat, verba mea perinde ſuſcipe, ac cathartica quędā medicamenta peccatorum omnium vomitum procliuē efficientia. Subdit, *Hæc dicit vir credentibus Deo, & quieſco.* Illud ergo *Ithiel, Ithiel, mecum Deus, mecum Deus*, repetitum ad multitudinis numerum referendum putarunt, (ſicut illud, *Homo, & homo natus eſt in ea.* id eſt, plures homines in ea nati ſunt.) Per eos autem cum quibus Deus eſſe dicitur, credentes ipſi intelligunt. Ergo ait. *Hæc dicit vir credentibus Deo.* Ego ſcilicet hæc demùm ad eos pronuntio, qui Deo credentes mihi etiam prophetanti facilè fidem habebūt. *Et quieſco*, i. ſic tandem libro abſoluto & perfecto, à ſuſcepto labore feriabor. Itaque ſecundùm hanc lectionem Salomon præmonet, & comparat auditorē,

B vt extrema hæc verba ſtudioſiùs hauriat, quia his prolatis finem, & vltimam manum orationi ſuæ imponere parat. Omnis autem qui eloquenter, & artificiosè dicit, venuſtiora ſchemata, & magis acres ſententias in extremam orationis ſuæ partem differt. Extrema enim auditorum animis tenaciùs hærent.

---

2. *Stultiſsimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum:*

3. *Non didici ſapientiam, & non noui ſcientiam Sanctorum.*

Stultiſſimus ſum, &c. Hebraïc. ad verbum. *Stolidus ſum præ viro, & hominum intelligentia non eſt mihi.* Senſus idem. Septuaginta etiam à noſtro leuiter diſſident. *Inſipientiſſimus enim ſum omnium hominum, & prudentia hominum non eſt in me.* In quibuſdam eſt. *Et ſapientia hominis non eſt in me.* Sic Hieron. contra Pelag. 2. *Hieron.*

25. *Non didici ſapientiam*, &c. In his maius diſſidium. Hebræa vtique ſic efferenda ſunt, *& non didici ſapientiam, & ſcientiam ſanctorum noſcam.* Antiqui etiam codices vulgati ſic habebant. *Et ſcientiam ſanctorum noui*, ſublatâ negatione: inuehuntur quidam in eos, qui negationem addunt; & rurſus alij eos incuſant,

D qui negationem adimunt, & imperitiam ſacrarū litterarum illis exprobrant, quibus ſolemne admodùm eſt præpoſitam negationem ad ſubſequentem clauſulam trahere. Sed tamen litem iſtam compoſuit iam Clementis correctio quæ negationem expreſſit. Septuaginta vtramque particulam negantem adimunt, & locum integrum ſic ediſſerunt. *Deus docuit me ſapientiam, & ſcientiam ſanctorum cognoui.* Maior hæc lis, ſed denique componenda.

Horum verborum ſenſus alioqui apertus, & facilis, ex nexu cum antecedentibus difficilis quodāmodò redditur, & diuerſis interpretationibus locum facit. Prima eſt eorum, qui caput hoc ad Salomonis pœnitentiam referentes verba iſta ſic exponunt. *Stultiſ-*

E *ſimus ſum virorum*, &c. non quidem ſpeculatiuè, & theoricè, ſed practicè, quia etſi ſupra omnes mortales ſapientia & diuinarum rerum cognitione Salomō inſignitus fuerat à Deo; nihilominus ſtolidiſſimè egit, & crimen admiſit, quod ne in ſtolidiſſimum quidem hominum cadere poſſe videbatur. *Et ſcientia hominū non eſt mecum.* ſimili ſenſu, id eſt, ea ſcientia, quam quilibet è vulgo homo aſſequitur, expertem me eſſe ſentio. *Non didici ſapientiam, & nō noui ſcientiam ſanctorum.* Vt maior ſit energia orationis, puta argumentationē factam à minori ad maius, quaſi dicat, *Scientia hominum non eſt mecum*, ne dum ſapientia & cognitio illa illuſtrior, qua ſancti, & iuſti præditi ſunt,

A Itaque verba ſunt Salomonis ſuam ipſius ignorationem incuſantis, quod cùm plus omnibus ſapere debuiſſet, pluſquàm omnes deſipuit, cùm tam graue idololatriæ piaculum perpetrauit. Hæc tamen expoſitio non placet.

Secunda ergo explicatio non ad pœnitentiam, ſed ad prophetiam Salomonis ſpectat. Nam cùm in hoc capite ſiue Salomon, ſiue alius aliquis ab ipſo Salomone ſubinductus, pleraque difficilia, & hominis captum ſuperantia ſubnectat, difficultate rerum preſſus ſuam ipſius ignorationem initio profitetur dicens. *Stultiſſimus ſum virorum*, id eſt, cùm hæc mente intueor, & illa me aſſequi non poſſe video, ad agnitionem imperitiæ meæ conuertor, adeò vt me virorum 26.

B omnium ſtolidiſſimum appellare auſim. Nam etſi ſapiens vulgò dicar, quantula tamen eſt illa ſapientia, quæ ad res eiuſmodi pertingere non poteſt? *Et ſcientia hominum non eſt mecum*, id eſt, ſcientiâ illâ careo, quam homines ſtudio ſuo parare ſolent, nec non ſcientia illa, quâ Deus ſanctorum mentes diuinitus illuſtrare, & irradiare conſueuit: Hoc ſibi volunt illa verba, *Et non didici ſapientiam, nec noui ſcientiam ſanctorum*, quæ omnia ad hunc modum capienda exiſtimo. *Stultiſſimum* vtique *virorum* me eſſe fateor, quia ad hæc, quæ ſtatim dicturus ſum aſſequenda, nec ſatis ſtudij more humano poſui, nec ſatis luminis ex diuina illuſtratione hactenus hauſi, atque adeò imperitiam meam agnoſcere cogor.

C Tertia interpretatio, quam aliis libenter antepono, ſic habet. *Stultiſſimus ſum virorum*, ex humilitate, & animi quadam demiſſione hoc dicit, vt acceptam ſapientiam non ſibi ex ſtudio, ſed ex diuina infuſione eueniſſe fateatur: quaſi dicat, quod ad me attinet, ſtolidiſſimus ſum virorum omnium, quia nihil ſcientiæ ſtudio meo, atque induſtria more aliorum hominum mihi paraui (hoc ſibi vult illud, *& ſapientia hominum non eſt mecum;*) & ſi quid ſcientiæ nactus ſum, tàm eius, quæ ad aliarum rerum agnitionem ſpectat, quàm eius quæ prophetis ſanctis à Deo inſtillatur, id quidem non didici, ſed à Deo infuſum accepi: atque adeò, quod ad me attinet, omnium hominum inſipientiſſimus ſum. Hanc verò interpretationem ideō reliquis anteponendam cenſui, quia in Salomonem alioqui mortalium omnium ſapientiſſimum optimè 27.

D quadrat, & ſenſu nihil differt à tranſlatione Septuaginta, quæ primo aſpectu cum noſtra pugnare omnino videbatur. Aiunt enim. *Inſipientiſſimus ſum virorum omnium, & prudentia hominum non eſt in me. Deus docuit me ſapientiam, & ſcientiam ſanctorum cognoui*, quæ verba ad ſuperiorem ſenſum vocāda ſunt, quaſi dicat; quoad me ſpectat, ego reliquos mortales inſipientiâ ſupero. Nam ſi eoſdem idem tam ſapientia, & rerum cognitione, quàm prophetico ſpiritu vinco, id quidem mihi arrogare non poſſum; nihil enim laboris, aut ſtudij in hac repoſui, ſed Deus ipſe docuit me, & illuſtrem hanc ſapientiam indidit, quâ nunc polleo.

Alias expoſitiones parum vtiles tradunt Ianſe- 28.

E nius, Rodolphus, Hugo, Caietanus, & alij quas hîc ſupprimere decreui: illam ſolùm piam magis, quam ſolidam expoſitionem ſubnectam, quam Beda tradit; ex ipſo verò Hugo, Arboreus, Caietanus, & alij. Hic ergo, vt Salomonem, qui ſe hominum ſtolidiſſimum eſſe dicit, à mendacio vindicet, ad hunc modum verba expendit. *Stultiſſimus ſum virorum*, vel *ſtultus præ viro* (ſic enim ipſe ex Primitiuis elicit.) Præfert, inquit, ſe reliquis hominibus ſtoliditate, & inſipientiâ, nec tamen ideò mentitur; loquitur enim de ea ſtultitia, quæ aduerſatur ſapientiæ humanæ, & ipſa eſt apud Deum perfectiſſima ſapientia, de qua Paulus 1. ad Corinth. 2. *Sapientiam* *Beda.* *1. Cor. 2.*

loquimur inter perfectos, sapientiam verò non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, *sed loquimur Dei sapientiam.* Et iterum c. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Hac ergo laudabili stulcitia, quæ mundanam & prophanam sapientiam arcet, se stultissimum Salomon asserit. Propterea subdit. *Et sapientia hominum non est mecũ.* Hebr. אדם *Adam*, id est, *terreni*. sapientia scilicet terrestris, & eorum, qui terrena sapiunt. *Non didici sapientiam, & noui sanctorum scientiam*, sic ipse legit negationem alteram supprimens, id est, prædictam sæculi sapientiam nunquàm vestigaui, sed contra ad vestigandam sanctorum scientiam animum adieci, hoc est, diuiniorem illam & solis sanctis peruiam Dei notitiam. Sed tamen hæc interpretatio multa peccat, in primis abhorret à textu Correctiori, qui in posteriori versu negationem repetit, deinde cum Salomonis persona, ac moribus parum aptè congruit.

29. Hieron. Denique adscribenda sunt hic Hieronymi verba lib. 2. contra Pelagium, vbi locum istum de Christo sic exponit. *Dominus, atque Saluator sub persona assumpti hominis loquitur. Insipientissimus omnium hominum sum, & non est hominis prudentia in me.* Et in Psal. 68. *Deus tu scis insipientiam meam, sed quod fatuum est Dei, sapiẽtius est hominibus.* (Psal. 68.) Quæ quidem in Christum non aliter quadrare possunt, nisi quia omnium hominum insipientias expiandas, & luendas sibi arrogauit, vel quia hominum iudicio talis rebatur, cui scilicet iuxta Paulum, *Per stultitiam placuit saluos facere credentes*, &c. (Rom.) Cum Hieron. sensit August. in epist. 49. (August.) vbi Christo similiter tradit posteriora illa verba, *Deus docuit me sapientiam*, &c.

---

4. *Quis ascendit in cælum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligauit aquas, quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ? Quod nomen eius, aut quod nomẽ filij eius si nosti?*

30. *QVis ascendit in cælum, atque descendit?* In plerisque omnes lectiones consonant. Ea tamen attingam, in quibus dissidium aliquod est. *Quis continuit spiritum in manibus suis.* Hebr. *Quis collegit spiritum in pugillis suis.* Est enim vox חפן *Chophan*, id est, vola. Pag. *in volis suis.* Sept. *In sinu suo.* Aug. vbi supra. Aquila. *In palmis suis.* Symmac. *In pugillis.*

Quis colligauit aquas, quasi vestimento? Hebræa non dissonant. Chald. *In pallio.* Septuag. *Quis conuertit aquas in vestimento?* sic August.

Quis suscitauit omnes terminos terræ? Hebr. *Quis statuit omnes fines terræ?* Sept. *Quis tenuit omnia extrema terræ.* Aquila ad Origines accedens. *Quis constituit, vel offirmauit fines terræ?*

Quod nomen eius? &c. Hebræa non dissonant. Sept. supprimunt extremum illud *si nosti*, reliqua concordant.

August. D. Aug. venustam expositionem coniecit in hunc locum, sed accommodatitiam. Epist. 49. ad Deo gratias q. 5. cuius verba libet attexere. *Quodam*, inquit, *loco Prouerb. dicitur. Quis ascendit in cælum, atque descendit? quis collegit ventos in sinu?* &c. *Horum duorũ, quæ in extremo commemoraui, vnum retulit ad patrem, scilicet, Quod nomen est ei? propter quod dixerat, Deus docuit me sapientiam: & alterum euidenter ad filium, cùm ait, Quod nomen filij eius? propter cætera, quæ de filio magis intelliguntur, hoc est. Quis ascendit in cælum, & descendit? quod Paulus ita commemorat: Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos. Quis collegit ventos in sinu? id est, animas credentium in occultum, atque secretum, quibus dicitur, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quis conuertit aquam in vestimento? vt dici posset quotquot in Christum baptizati estis Christum induistis. Quis tenuit fines terræ? qui dixit discipulis suis, Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque ad fines terræ.* Hactenus Augustin. Proxime ad August. accedit Beda, qui mixta ex literali, & accommodatitia expositione locum istum donat, de qua infra.

31. Mitto Hebræorum nugas, qui locum istũ de Moyse capiendum esse docent ad hunc modum. *Quis ascendit in cælum, atque descendit?* Quis, scilicet, Moysi par, vel similis fuit, qui montem cælo proximum ascenderit, & Deo viso ad nos redierit? *Quis continuit ventum in manibus suis?* i. in potestate sua, tamquàm Moyses, qui ventos virga verberans plurimos culices, atque cyniphes ipsos compleuit? *Quis continuit aquas in vestimento?* Quemadmodum ille, qui aquas identidem rubri maris virga quatiens, easdem hinc & inde tanquàm in aggeres, aut muros erexit vt populo iter solidum præberet? *Quis denique suscitauit omnes terminos terræ?* Sicut idem Moyses, qui populum per deserta regens miraculorum, ac portentorum famâ omnibus latè nationibus, & gentibus metum immisit, atque omnes in se vnum conciliauit? *Quod nomen eius?* i. si talis quisquam aliquando fuit, nomen illius hîc adscribe; quod si eum iam inde è viuis migrasse dicas, atque nomen illius obliuioni datum, *Quod nomen filij eius, si nosti?* id est, quænam ipsius genealogia, & nepotum series, per quam illius ad nos fama transmissa est?

32. Alij rursus ex Hebræis, vt pluralitatem personarum in Deo, quam verba ipsa personãt, eludere possint, aliam expositionem commenti sunt, sic nimirũ, vt extrema illa verba, *Quod nomen eius? aut quod nomen filij eius si nosti?* non accipiantur de Deo hæc omnia patrante, sed de sapiente illo tantarum rerum cognitione instructo. Quasi dicat. Quis ille tam sapiens est, qui hæc omnia calluerit; *& quod nomen illius?* quod si ipse decessit, *quod nomen filij eius?* Vbinã filius, aut generatio illius? tantæ enim sapientiæ in filiis vestigium aliquod adhuc extabit. Cæterùm quis non videat has meras nugas esse ad manifestam scripturarum vim eludendam excogitatas, atque adeò his prætermissis ad nostra contendo.

33. Hæc verba cum superioribus facili nexu contendunt contexere interpretes nostri Salomon enim, inquiunt, supra planè insipientem se esse affirmauerat, *Stultissimus sum virorum*, &c. Nunc ergo, vt tuam cõprobet insipientiam hæc omnia profert, quæ mentis humanæ captum facilè superant. Hoc enim satis familiare est Scripturæ sacræ ad humanæ sapientiæ imbecillitatem notandam, vel pòtius obruendam, multa difficilia cumulare. Eccles. 1. ad hunc modum quærit Iesus Syrach. (Eccles. 1.) *Arenam maris & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit? altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? radix sapientiæ cui reuelata est, & astutias eius quis cognouit?* Item Iob 28. Isaiæ 40. & aliàs similia omnino occurrunt. (Iob 28. Isaiæ 40.)

34. Cæterùm quia, vt nuper dixi v. 1. in hoc capite *Agur*, seu *Congregans*, à Salomone inducitur in conuiuio verba faciens, & gryphos suos, seu ænigmata proponens, verosimilius existimo hoc esse vnum ex problematis, quæ præfatus Agur inter epulas dictasse fingitur, atque adeò eâ verborum formâ fuisse conceptũ, qua solent ænigmata iactari. *Quis ascendit in cælũ, atque descendit? Quis cõtinuit ventũ in manibus suis?* &c. *Quod nomẽ eius, & quod nomẽ filij eius si nosti?*

iuxta

A iuxta id quod vulgò dicitur, *Queesquesi cosa*: & quidem sanctissimæ Trinitatis mysterium hoc problemate, seu ænigmate venustè admodùm condiuit. Singula expendamus.

Quis ascendit in cælum atque descendit, &c. Rodol. Iansen. & alij noui interpretes, huius loci sententiam sic conformant. Quis est ille, qui supra cælos aliquando euectus, & inde ad nos reduce gradu veniens, homines de his, quæ in cælo aguntur edocere possit? An est quispiam qui ventos manibus suis premere, & aquas nubibus, ceu vestimento, inuoluere & fines terræ concutere potuerit? nemo scilicet: solius Dei est hæc gloria, cuius nomen nemo satis assequi potest, nec nomen filij eius, &c. Sed tamen hæc sententiæ constructio mihi nunquam arrisit. Sanè locum B istum ad eum modum exponendum existimo, quo ænigmata edisseri & explicari consuerunt; est enim ænigmati similis, vt nuper dixi. Itaque ait. *Quis ascēdit in cælum, atque descendit?* Beda, Hugo, Dionys. & alij, hæc propheticè de Christo pronunciata fuisse dicunt, de quo Paul. ad Eph. 4. (Ephes. 4.) *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos*. Et rursus. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit prius quidem in inferiores partes terræ*, &c. hoc modo. Ecquis ille, qui è mortuis rediuiuus in cælos ascendit, & inde rursus ad mundum iudicandum sese referet? Ego sanè prophetiam non refello; nam spirituales sensus aliquando etiam prophetias claudere compertum habeo. C Cæterum litteræ ipsius aliam sententiam esse reor, quæ cum reliquo textu aptius cohæret.

35. Displicet verò inelegans Caiet. commētarium de motu cælestium corporum, quod sic habet. *Quis instar ascendentis, & descendentis cælestes sphæras contorquet?* Nam cùm hæ ab oriente ad meridiem sursum ferri, & ascendere, à meridie verò ad occasum deorsum premi, & descendere videantur, Deus etiam earum primus motor cum ipsis pariter ascendere atque descendere nobis videtur, &c. Aptiùs Lyra, & Arboreus hæc verba de prouidentia Dei sic interpretantur, *Quis ascendit in cælum*, &c. quisnam ille, qui supra cælos euectus, atque ibi cuncta nutu suo regens ad ima etiam prouidentia sua descendit, at- D que inferiora ista curat? Quod non ita accipiendum, quasi eat & redeat; sed quia vbique præsens est, & vbique operatur, itaque *ascendere & descendere* dicitur non loci commutatione, sed prouidentiæ vicissitudine; quatenus non magnis solum, & excelsis rebus prospicit, sed etiam ad infima quæquæ prospicientiam suam deponit, ac demittit. Huic adsimile est, quod dixit Moyses in benedictione Aser. Deut. 32. (Deut. 32.) *Ascensor cæli auxiliator tuus; magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna*. Nimirum Deus tuus, ô Aser, cælum sublimis incolit, sed tamen (liceat sic dicere) longimanus est atque adeò inde manus suas ad infima quæquæ mittit, eaq; suæ prouidentiæ brachiis com- E prectitur, ac fouet, idest, non solùm cælestia illi curæ sunt, sed etiam descendit. Subdit:

36. *Quis continuit spiritum in manibus suis?* Beda, & ex hoc alij, per *spiritum* hîc intelligit omnem spirituum dissimilitudinem, ac differentiam scilicet Angelus, animas hominum, ac dæmones, ita vt sensus sit. Quis potentia sua Angelos regit? animas moderatur? & dæmones compescit? Vel aliter, Quis prædictos spiritus potentia sua continet ne deficiant, & in nihilum recidant? vtrumque mihi videtur coactum. Ergo cum reliquis sentio, qui nomine spiritus ventum capiendum putant, iuxta lectionem Sept. *Quis collegit ventos in sinu?* & ita postulat contextus. Itaque ait, quis ventum tenuem, fugacem, volucrem, & labilem manibus suis premit, ac sistit? non alius, nisi Deus, sed tamen expende vim verborum. *Quis continuit spiritum in manibus suis?* Nota est vis ventorum, quos vastissimæ terræ moles intra viscera sua coërcere & comprimere non possunt, quin succussis, atque impulsis longè latéque maximis regionibus erumpant, & tamen hos diuina manus continet, ac sedat. Hebræa emphasim habent. *Quis colligit spiritum in pugillis suis*, idest, *quien recogete doel viento en los punos*. Veteres quidem Æolum quendam ventorum Deum aut Regem commentitiè finxerunt, qui ventos antro, vel carcere includebat. Ouid. Metamor. 14.

Æolum Hypotadem cohibentem carcere ventos.

Et lib. 2. Fastorum.

Protinus Æolijs Aquilonem claudit in antris.

Statim verò addit saxum immane.

Non aliter modo quam si pater Æolus antro
Portam iterùm saxo premat.

Longè meliùs & aptiùs Salomon, ventorum regnum & imperium Deo tradidit, affirmans ipsum non cæcis specubus, aut angustis carceribus vento inclusos teneri, sed pugillis suis obstruere, & obserare, quia nimirum tantâ facilitate eos soluit, aut premit, quâ palma extenditur, aut contrahitur; ita vt contractâ manu eos contrahere, & cohibere, adaperta verò, & reserata, eosdem soluere, & remittere videatur.

Lectio Sept. idem imperium eleganter describit. 37.
Quis colligit ventos in sinu suo? per *sinum* verò intelligo non aliquid externum, sed internos pectoris recessus, quæ significatio non est insolens in Scriptura Iob 14. (Iob 14.) *Hæc spes mea in sinu meo*. Psal. 34. (Psalm. 34.) *Oratio mea in sinu meo conuertetur*. Eccl. 7. (Eccles. 7) *Ira in sinu stulti requiescit*. & sæpè aliàs. Existimo ergo similitudinē ductam fuisse ab humano pectore, qui ventos, seu auras respirat, & expirat; vt sensus sit. Ad eundem modum Deus opt. max. ventos vehementiùs flantes facilè colligit, & coërcet, aut etiam soluit, & remittit, quemadmodum aliquis auras sinu, aut pectore suo, vel haurit attrahens, vel reddit emittens. Nihil sanè elegantius aut dici, aut excogitari potuit ad ventorum imperium adumbrandum. Attexit:

Quis colligauit aquas, quasi in vestimento? huius etiam similitudinis vim aliter atque aliter pendunt interpretes. Caiet. de aquis tam pluuiis, quàm è terra scaturientibus accipit, hoc sensu. Quis est ille, qui aquarum manantium scaturigines, & pluuiarum defluxū sic temperat, vt quemadmodum ex panno aquis infuso, & refuso, sic ex nubibus pluuiæ, & ex fontibus venæ perstillare videantur. Ita vt nō subitò pluuiæ è cælo concidant, aut è terra lymphæ vnà omnes erumpant, sed in stillas mollissimas, & in tenuissimas venas solutæ fluant: hæc ille paulò obscuriùs. Et quidem hæc Caiet. interpretatio roborari potest ex communi exemplo, quo illi vtuntur, quotquot fontes omnes ex mari regi, & in suas scaturigines venire docent: quamuis tellus mari ipso elatior, & sublimior sit. Quemadmodum enim, inquiunt, linteum ex altera sui parte aquam attingens illam sic trahit, atque ebibit, vt sæpiùs ex altera parte quæ altior, & ab aquis remotior est, eandem effundat: sic terra aquas maris haurit, & per quasdam partes ipso mari sublimiores remittit. Cuius similitudinis meminit Aristot. Albert. Magn. & alij. Cæterùm hæc interpretatio mihi non satis accommodata visa est. Plerique ergo omissis fontibus, de nubibus tantùm locum istum edisserendum putant, quibus fauet verbum illud, *Colligauit*, quod nubibus aliàs accommodari solet, Iob 28. (Iob 28.) *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum*. Ad eundem modum hîc Salomon. Quis, inquit, ille est qui aquas veluti vestimento includit, vt non subitò omnes decidant, sed veluti, per pannum excerniculumve percolatæ, & expressæ fluant?

Nubes autem aptissimè cum vestimento conferuntur, quia velut atrum quoddam indumentum per aëreas plagas protensum, cælum contegunt, solisque & stellarum splendorem, vel penitus abscondunt, vel hebetant.

38. Aliter etiam hæc similitudo de aquis pluuialibus accipi potest, ita vt verbi *colligauit* vis eruatur, cui in originibus respondet צרר *Tsarar*, id est, *constrinxit, torsit*, nubes quidem vaporibus constant, hi autem dum spissantur & densiores fiunt in pluuias abeunt. Ergo Salomon hanc pluuiarum effectionem pulchrâ similitudine adumbrauit, panni scilicet aquâ irrorati, ac deinde torti, & compressi. Quasi dicat, ecquis ille, qui non aliter ex nubibus conspissatis, & stipatis aqua exprimit, quam ex panno aut vestimento aquis infuso, ac deinde contorto, & compresso?

39. Sed licet hæc non ineptè dicta sint, nihilominus tamen, Secunda expositio mihi præferenda videtur, quæ locum istum de mari interpretatur: sed tamen minimè assentior Iansen. Rodolp. Arboreo, & aliis, qui hæc de limitibus illis seu cancellis accipiunt, quibus Deus mare vndequaque circumdedit, ne vndis suis terras omnes latè infunderet, ac demergeret. Sed consulendus est vers. 28. c. 8. vbi locum illum Iob huic per omnia simile latè exposui *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi in pannis infantiæ obuoluerem.* Interpretatus verò sum verba ista de æstu oceani, idest, de accessu, & recessu, vide ibi. Similem ad sensum vocari debet locus iste. Quis colligauit aquas, quasi in vestimento? quis scilicet aquas maris præcinxit, ne vltra terminos sibi præscriptos sese attollererent: sed quemadmodum vestimentorum certa est mensura, quæ corpori aptatur, illudque vndique coërcet, ac cohibet: sic etiam Deus marinos æstus præfixis vndequaque limitibus continuit, ne illarum tumor impositam sibi legem mensuramque euaderet, atque terras iterùm demergeret. Eundem sensum reddunt verba Psal. 32. *Congregans sicut in vtre aquas maris.* Elegans valdè est maris intumescentis, & detumescentis, atque vtris comparatio, quando aquis conceptis tumet, & effusis subsidit. Rationes autem, quibus adductus sum vt hanc expositionem cæteris anteponerem, supra adscripsi cap. 8. vers. 28. Psal. 32.

40. Beda. *Quis suscitauit omnes terminos terræ?* Beda per *terminos terræ*, intelligit ea omnia, quæ terra terminis suis coërcet scilicet animalia, plātas, gramina, & quidquid vitæ particeps est, hoc sensu, Quis hæc terrestria, & corruptioni obnoxia conseruat, & tuetur, ita vt aliis, & aliis in dies intermorientibus alia, & alia excitet, & vita donet? Non alius, nisi Deus. Sed tamen hæc interpretatio coacta videtur. Reliqui hanc clausulam cum superiori consuunt hoc modo. *Quis suscitauit omnes terminos terræ*, id est, quis, inquam, ille est, qui vt pelagi vndas coërceret, & subsidentibus aquis tellus extaret, ipsius terminos eleuauit, atque extulit, vt scilicet terra altior esset quàm mare, atque adeò aquæ ad ima defluentes latissimas terræ plagas apertas dimitterent? Iuxta illud, *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida.* Itaque iuxta hanc expositionem fines terræ appellat Salomon ipsas oras, seu littora maris; in his enim terra continens definit, & inde mare initium capit. Hæc interpretatio mihi propterea probatur, quia illius verbi *suscitauit*, quo vsus est Vulgatus, vim exprimit. Cæterùm si alias lectiones auscultare libeat, sit locus alteri expositioni Sept. *Quis tenuit fines terræ?* Heb. *Quis constituit?* Aquila. *Quis statuit, vel offirmauit?* quæ verba ad stabilitatem & immobilitatem terræ pertinere videntur, postquàm enim dixit ventorum, & aquarum fugaces, &

A mobiles naturas à Deo regi, & impelli, subdit tellurem etiam ab ipso offirmari, & immobilitate donari. Hæc autem omnia non ita accipienda sunt, quasi de cælo tantùm & elementis Salomon verba faciat, sed in his omnes alias complectitur creaturas, quæ cælo, atque elementis continentur. Est quę mens Sapientis est Dei prouidētia describere quæ non tantùm cælestia obseruat, & curat, sed ab his ad infima & minima sese deponit, & nihil est in tota rerum vniuersitate tàm paruum, aut ignobile, quod illius prospicientiam fugiat. Addit.

Quod nomen eius, aut quod nomen filij eius, si nosti? In his verbis consistit problema, seu ęnigma quod Agur seu Congregans inter epulas ad torquenda conuiua-
B rum ingenia iactauit, quia nimirùm per illa, his, quæ hactenus præfatus fuerat, tenebras offudit, & totum problema difficile captu reddidit. Nam patrem & filium memorans, & personarum in Deo multiplicitatem nullo eo tempore explicatu difficilem adstrinxit. *Quod nomen eius* &c. Aliqui existimant Salomonem hîc de nomine Dei quod τετραγράμματον tetragrammaton, & ἄρρητον, seu ineffabile dicitur, quęstionem inducere. His verò non assentior, atque adeò frustra hîc de nominis illius vi, ac potestate de quo satis multa diximus Cant. 1. v. 3. Alij Salomonem hîc de nomine Dei in vniuersum interrogasse existimant, vt significaret Deum esse ἀνώνυμον, qui scilicet nullo nomine illum sicuti est significante, ab aliqua crea-
C tura censeri possit, quod sanè certo certius est: Lege D. Thom. 1. p. q. 10. art. 2. atque interpretes eius ibi, ab his etiam dissentior. 41. D. Thom.

Ego enim ita reor, nomen in hoc loco quemadmodum passim aliàs in scriptura, sumi pro ipsamet persona, iuxta canonem D. Aug. Hieron. & aliorum interpretum in Ps. In os, vbi valdè obuia sunt huius loquutionis exempla. Psalm. 9. *Protegat te nomen Dei Iacob*, idest, Deus Iacob. & 71. *Populus insipiens incitauit nomen tuum*, idest, te ipsum & infra. *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum*, id est, vt *timeat te*. Ergo sensus est. *Quod nomen eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* idest, quis ipse aut quis filius eius edicito mihi, si forte id assequi potuisti? Et sanè si nomen capitur pro persona, vt docet Aug. dum totam patris, & filij
D diuersitatem ad nomina reuocat Salomon, personas tantummodò discretas esse innuit, substantiam verò eandem: quasi dicat, *Quod nomen eius*, &c. idest. quæ illius persona, & quæ item persona Filij? reliqua enim indiscreta sunt. 42. Psalm 17. Psalm 19.

At, inquies, cur Spiritus-sancti personam suppressit Salomon in hoc loco, nec totam Trinitatem absoluit? Occurrunt aliqui, Primò in Trinitatis mysterio præcipuam difficultatem sitam esse in concordia summæ cuiusdam simplicitatis substantialis, & distinctionis personarum hæc autem duarum personarum enumeratione peruincebatur Nam semel si ponas Filium ab intellectu Patris fœcundo gigni, statim sit voluntatem simili fœcunditate præditam es-
E se, atque ex illa personam aliam subsistere. Secundò aliter occurri potest, quia in præmissa paulò ante triplici illa Dei periphrasi totam quodammodò Trinitatem per vmbram quandam complexus fuerat Salomon, & Spiritus sancti cum duabus aliis personis etiam meminerat conuerso ordine: cùm enim ait, *Quis continuit spiritum in manibus suis*, vel, vt habent Septuaginta *in sinu suo?* similitudine aëris Spiritum sanctum, atque eius processionem adumbrauit, præsertim si accedat tertia illa expositio de aëre expirato, & respirato, quam supra tertio loco adscripsi expendens lectionem Septuaginta. Nihil enim est, quod Spiritus sancti emanationem, vim & munera ad intra in ipsa Trinitate, & missionem, communicationemque 43.

tionemque eiusdem ad extra in creaturas meliùs exprimat, quàm hæc similitudo respirationis & flatus. Lege Cyprianum in sermone de Spiritu sancto, & alios patres cùm agunt de insufflatione Christi Domini, per quam Apostolis Spiritum sanctum post resurrectionem immisit. Rursus cùm dicit. *Quis colligauit aquas, quasi in vestimento?* Filium quodammodo exprimere videtur: præsertim si tertiam expositionem teneamus de mari, atque illius æstu. Nam vt supra dixi cap. 8. vers. 28. Filius ex fœcunda parentis æterni mente velut exundans, haud dissimilis est æstui, quod mare ex suis quodammodò visceribus parturire atque eniti videtur, iuxta illa verba Iob. *Quando erumpebat, quasi de vulua procedens*, quæ similitudo satis aptè adumbrat duarum personarum diuersitatem cum omnimoda identitate substantiæ. Nam æstus seu fluxus intumescentis maris à mari quidem fluit, & procedit, sed tamen ab ipso mari non est diuersus.

Cyprian. Iob 38.

44. Quod autem addit æstuantis maris aquas, quasi in vestimento colligatis, vel fasciis inuolutas, iuxta illud, *Et caligine illud quasi fasciis infantia obuoluerem*, ad susceptam humanitatem referri potest. Denique id quod ait, *Quis suscitauit terminos terræ?* Patri accommodari potest, qui sicut terra inter elementa (liceat sic dicere) est primum subsistens, cui aqua & aër incumbunt; sic etiam Pater est prima Trinitatis persona, ex qua aliæ procedunt, & in qua sunt. Tertiò etiam responderi posset, Salomonem hîc solius Filij meminisse, quia cùm multas prauæ generationis differentias subiicere vellet in hoc capite, æternam Filij generationem optimam nobilissimamque præmisit: si quid autem tibi altiùs & accommodatiùs in mentem venerit, hîc adscribe.

---

5. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.*

6. *Ne addas quidquam verbis illius; ne arguaris, inueniarisque mendax.*

OMnis sermo Dei ignitus. Heb. *Omnis sermo* צרופה *Tserupha*, idest, *purgatus, defæcatus*, à radice צרף *Tsaraph*, idest, *incendit, decoxit*. Septuag. *Omnia verba Dei ignita*. Chald. *Omnes sermones Dei sunt conflati.*

Clypeus est sperantibus in se. Hebr. *Clypeus ipse fidentibus in eo.* Septuag. *Protegit autem eos, qui reuerentur ipsum.* Schol. *Qui timent ipsum.* Chald. Etiam soluit metaphoram. *Et auxiliatur confidentibus in se.*

Ne addas quicquam, &c. Hebræa non dissonant. Septuaginta etiam consonant.

45. Hunc versum cum superiori innodare contendunt interpretes, & alij quidem alia ferunt. Mihi autem non alius nodus arctior occurrit, quàm si dicamus, Salomonem postquam de filio Dei egit, quod est Verbum à patre genitum, iam nunc Verbi exterius ab ipso Deo dictati, & prolati conditiones aliquas exprimere. Nam vt alibi docuimus ex August. hoc Verbum Dei vocale, & denuntiatum exterius vices gerit substantialis æterni, & interni Verbi Dei, atque adeò plurimas ex illo conditiones trahit, vide supra cap. 1. vers. 24. Ergo ait. *Omnis sermo Dei ignitus.* Duplex occurrit huius prioris hemistychij interpretatio, altera accipit verba, vt sonant, scilicet omnis Dei sermo flammæ ad instar ignit, accendit, vrit. Huius verò expositionis vnus & alter sensus esse potest. Prior est, sermo Dei cùm auribus excipitur animum inflammat charitate, zelo, aut alio bono affectu. Sic exposui D. Ambros. illa verba Psalm. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer*, subiicio pauca illius verba ex multis. *Quem ergo Dominus ignem in nouo sparsit testamento? Quis secretos mentium diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei, ac deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet.* Et breui interuallo *Bonus*, inquit, *ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata: hoc igne Apostolicum illud aurum probatur; hoc igne illud morum, vel operum examinatur argentum: hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur, fœnum autem, & stipula consumitur. Mundat ergo hic ignis animum, consumit errorem.* Et rursus infra. *Hoc igne vrebatur rubus, & non consumebatur; virit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit, vt perdat.* Denique ex his absoluit triplicem esse huius ignis vim, scilicet purgandi, illuminandi & vrendi Vide ibi plura.

Ambros. Psalm. 118.

A B

46. Posterior sensus est. *Sermo Dei ignitus*, id est, sermo Dei eos, qui non obtemperant, vel acquiescunt, ignis ad instar vrit, angit scilicet, atque molestiam illis infert: Ex aduerso *Clypeus est sperantibus in eo*, id est, his qui obaudiunt Dei verba, atque ipsa facessunt, clypei ioco sunt, ad omnes ictus prohibendos: imò ad ignem extinguendum, iuxta illud. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia nequissimi tela ignea extinguere.* Existimo enim Paulum in hoc loco ad Ephes. 6. scuti quoddam genus innuere voluisse, cuius meminit Polybius de militia Romana, Vegetius, & alij hoc enim crudo, & madido bouis corio tegebatur, atque adeò ignes ab hoste vibratos facilè C excutiebat, atque eludebat, igneorum autem telorum non vnum genus olim in vsu fuisse compertum est. Vide Lipsium in Polybium, & Godeschalcum in Vegetium. Vel aliter dicemus Salomonem duplicem sermonis Dei vsum obseruasse (liceat sic dicere) ad defendendum, & offendendum. Nam vt iam dixi, apud veteres in vsu fuerunt ignita tela, quorum meminit Vates in Psal. 7. *Sagittas suas ardentibus effecit*, id est, *ardentes efficit.* Et Psalm. 119. *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatorijs.* Ergo ait Salomon. *Sermo Dei ignitus clypeus est*, &c. nimirùm sagitta, seu telum ignitum est ad offendendum, & clypeus ad tutelam, & munimen. Et quidem sermones Dei cum sagittis contulit Origen. in Psalm. 37. ad illa D verba. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Qui ergo*, inquit, *loquitur sermones Domini, sagittas iaculatur, & cùm loquitur corripiens, & castigans, correptionis iaculo cor penetrat audientis.* Sed ignitas sagittas elegantissimè cum verbis Dei composuit Diuus Augustinus ad illa verba Psalm. 7. *Arcum suum tetendit, & parauit illum, & in ipso parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Arcum*, inquit, *istum scripturas sanctas libenter acceperim, vbi fortitudine noui testamenti, quasi neruo quodam duritia veteris flexa, & edomita est. Hinc tanquam sagittæ emittuntur verba Dei, quas sagittas ardentibus operatus est, vt percussi diuino amore flagrarent*, &c. Rursus ad illa verba, *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus*, &c. sic fatur. *Sagittæ potentis acutæ verba* E *Dei sunt. Ecce iaciuntur, & transfigunt corda, sed cùm transfixa fuerint corda sagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur, nouit Dominus sagittare ad amorem, & nemo pulchrius sagittat ad amorem, quàm qui verbo sagittat*, &c. ergo appositè ad ea quæ diximus, sermo Dei sagitta ignita & clypeus est: nam vel in alios verba Dei intendimus, vel nobis eadem accommodamus. Si igitur in alios intendamus, sagittæ sunt ignitæ, non mortem inferentes, sed amoris ardorem cordi imprimentes, & animos Deo debellantes: Si verò eadem nobis accommodemus, pro clypeo sunt ad omnia Diaboli ignea tela extinguenda, & retundenda. Cæterum hæc prior expositio, et si cuipiam probabilis videri possit, ego verò illam ab originali textu abhorrere existimo, nam verbum צרף *Tsaraph*,

Lipsius. Psalm 7. Psalm. 119. Origen. Psalm. 37. August. Psalm. 7.

Tsaraph, ex quo fluit *Tseruphah*, vt nuper dixi, propriè significat *metalla conflare, & excoquere.*

48\. Secunda igitur interpretatio sic habet. *Sermo Dei ignitus*, id est, sermo Dei ad purum excoctus & defæcatus, passiuè, vel ad purum excoquens & defœcans, actiuè (vterque enim sensus subesse potest tùm Hebraïcæ, tum etiam Latinę lectioni.) Ergo si actiuè sumas, sensus est perspicuus; Sermo Dei est purificatiuus, iustos scilicet, ignis ad instar, conflans, & sordes eorum consumens. In hoc sensu actiuè dicitur Psalm. 104. de Ioseph Patriarcha. *Eloquium inflammauit eum*, id est, decoxit, & efflatis sordibus purum reddidit: quod quidem ad Prophetiam aliqui referunt, quasi dicat; Eloquium Dei ipsum ad vaticinandum impulit, & purificauit. Sed verius est hæc verba ad labores pertinere, quibus Deus illum exercuit, & probauit. Chaldæus legit. *Eloquium Domini repurgauit eum*, quod ita capiendum est, id est, obseruatio mandatorum Dei exacta in causa fuit, vt laboribus, quasi igne, examinaretur, & ad purum excoqueretur, vel ipsamet Dei eloquia assidua eorum meditatione ipsum repurgauerant, & omnem libidinis scoriam excoxerant. Eo sensu dixit Dauid Psal. 26. *Vre renes meos, & cor meum.* Hieronymus. *Confla renes meos*, id est, purifica, & omnes libidinis sordes consume. Nimirùm innuit sacer textus. Iosephum non fuisse adulterij reum, cuius suspicione in carcerem trusus fuerat, sed purū, castum, & ab omni libidinis scoria valde mundum.

Psalm. 140. Psalm. 26. Hieron.

49\. Possunt etiam hæc verba alium ad sensum actiuè sumpta detorqueri. *Sermo Dei ignitus*, scilicet conflans, & expurgans aurum à sordibus, & scoriis, nimirùm iustos, auri in morem, ab improbis, tanquàm ab scoria, secernens, & separans: in Psalm. 118. qui de sermonibus, ac præceptis Dei totus est pro illis verbis. *Præuaricantes reputaui*, &c. in originibus sic est. *Tollis vt scoriam omnes impios à terra, propterea diligo iustificationes tuas.* Sensus verò est eiusmodi, propterea sermones, & præcepta tua impensè diligo, quia his facilè ostendis quantum inter pios, atque impios intersit: hos enim præcepta tua violantes, velut scoriam amoues, & abiicis, illos verò eadem seriò seruantes, tanquàm aurum defæcatum, & purum ad te sumis. Simili sensu Iudicum 7. Deus Gedeonem populi sui ducem affatus ait. *Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos.* Hebraicè. *Et ibi conflabo illos*, id est, ibi scoriam ab auro, nimirùm fortes, atque robustos, ab ignauis separabo. Rabi Dauid in locum istum eiusmodi Scholium coniicit. *Ibi fundam, & purificabo illos, quemadmodum argentum ab scoriis, vt non sint ibi nisi iusti, quia dum incuruant se ad bibendum, est signum quod genua sua curuauerunt Baal.* Ego verò non inter iustos, & improbos, sed inter robustos, & imbelles discrimen à Deo quæsitum puto eo exemplo, ex his verò ignauos scoriæ nomine censeri. Quod si roges, scoriam ne, an aurum ad bellum conficiendum elegerit Gedeon? Placet coniectura Augustini, scoriam, hoc est, ignauissimos omniū in eo delectu à Deo fuisse præclaros, vt tota victoriæ gloria ad ipsum rediret. Ergo secundùm hanc acceptionem sensus erit. *Sermo Dei ignitus*, probos ab improbis secernens, *Clypeus est fidentibus in eo*, id est, eos qui illi acquieuerunt, protegit ac tuetur. Cæterùm modus iste exponendi actiuè præmissa verba, etsi aliquibus fortasse non displiceat, mihi tamen non arridet.

Psalm. 118. Iudic. 7. R. David. August.

50\. Quapropter aptius secundo modo passiuè effertur hæc clausula. *Sermo Dei ignitus*, id est, sermo Dei repurgatus, & defæcatus, iuxta illud Psalm. 9. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Sed huius allegoriæ vis non eodem modo expendi potest. Diuus

Psalm. 9.

A Augustinus in eum Psalmum, sermonem Dei tunc examinari, probari, atque purgari dicit, cum iusti tribulationibus vexantur. *Ipsa*, inquit, *eloquia Domini tribulationibus probantur.* Et D. Gregor. ipsissima verba exponens lib. 4. Moral. cap. 28. sic addit. *Eloquium Domini argentum igne examinatum dicitur, quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur*; idest, statim atq; quis Dei verba excepit, & ea sedulus exequi decreuit, de tribulationibus, & laboribus explorat an hæc animo ipsius altiùs refixa sint. Illud verò *probatum septuplū* ad septem dona Spiritus sancti refert Augustinus, ad septem priores beatitudinis gradus, quos enumerat Matthæus capt. 5. *Nam octaua*, inquit, *vbi dictum est, Beati, qui persequutionem patiun-*
B *tur propter iustitiam, ipsum ignem significat, quo septempliciter probatur argentum.* quasi dicat, Persequutio ignis est septemplici examine probans, & examinans, verba Dei, an scilicet in animis piorum rectè insederint, eadem ab omni sorde repurgantia: nimirùm paupertate, luctu, mansuetudine, atque aliis beatitudinibus.

August. Gregor. August. Matth. 5.

Secundò alij prædictam allegoriam sic exponunt. *Sermo Dei ignitus*, id est, sermo Dei purgatus, & excoctus ab omni falsitatis scoria, auri ad instar defæcatissimi obtinet; nihil scilicet falsi tamquàm deterioris, & alieni metalli cohibet, sed vera omnia, & germana. Et sanè mendacia, & falsa veris permixta, valde similia sunt æri, vel alteri ignobili metallo auro
C immixto. Nam sicut æs auro infusum auri colorem refert, sic etiam falsa quando veris immiscentur, veritatis colorem mentiuntur. Vel aliter. Sicut æs auro infusum ipsius auri splendorem non parum hebetat, & imminuit; sic etiam falsa cum veris confusa his fidem adimunt. Et quidem vtrumque satis verum est: nam mendacium ex veritatis societate, & commercio splendorem trahit; veritatis autem splendor ex mendacij consortio plurimum hebescit, hoc verò alienum valde est à Dei sermonibus. 51.

Cæterùm ego omissis aliis, per hoc deterioris notæ metallum, vulgò *liga*: quodlibet additamentum in vniuersum capiendum esse existimo ex proprio sensu dictum. Quasi dicat, *Sermo Dei ignitus*, exco-
D ctus scilicet, atque repurgatus, nihil alieni recipiens, sed aliena omnia tamquàm adulterina repudians. Hęc verò interpretatio mihi ante alias probatur, quia aptiùs nectitur cum sequentibus; subdit enim *Ne addas quidquam verbis illius, ne arguaris, inueniarisque mendax.* id est, cum sermo Dei, purgatissimi ad instar auri, totus verissimus, & germanissimus sit, nihil illi ex tuo cerebro adiicere audeas; nam quidquid aliquis ex semetipso dicit, id falsitati obnoxium est. Quapropter existimo in hoc loco admoneri Prophetas, ne suas coniecturas diuinis reuelationibus interserant, ne fortè euentu rerum mentiente fides vatis periclitetur. Itaque totius loci sententia sic confirmanda est:

Sermo Dei ignitus. id est, sermo, quem ex Dei affla-
E tu vates fundunt, ad purum excoctus, totus verus, & constans, *Clypeus est sperantibus, vel fidentibus in eo.* nimirum Prophetis ipsis eius adimpletionem expectantibus pro clypeo est aduersus omnes calumnias obloquentium, nam tandem aliquando perficitur, & fidem Prophetæ liberat. Quapropter, *Ne addas*, inquit, *quidquam verbis illius, ne arguaris, &c.* id est, ne quid ex tua coniectura, & cerebro diuinis promissis, & vaticiniis interponas, ne fortè id, vt fieri potest, frustra sit, & tua fides insimulari incipiat, & falsi Prophetæ nomen tibi accersas. Quibus verbis obiter insinuat Salomon omnia quæ dicit in hoc libro ex Dei afflatu effundi, & nihil ab ipso excogitatum, aut inuentum immisceri. In illa verò extrema verba incidit Chrysostomus Hom. 20. in Matthæum, atque ad hunc 52.

Chrysost.

hũc modum expendit. Sic enim Salomon ait. *Non ad-*
das verbis Dei, &c. Qui autem hoc auſus fuerit, facere
ſe ſapientiorem putat eſſe, quàm Deum, & incipit eſſe
falſus teſtis, quia illud dicit, quod nec auris audiuit, nec
oculus vidit. Denique illud, *Clypeus eſt ſperantibus in eo,*
aliqui de ſacra Scriptura, & verbo Dei in vniuerſum
accipiendum putant, quia videlicet eius teſtimoniis
ad eludendos omnes aduerſarij ictus vti licet. Nam,
& Chriſtus Dominus hoc clypeo ſeipſum aduerſus
Matth.4. tentatoris iacula contexuit Matth. 4. Diabolo enim
præcipitium ſuadẽte producit teſtimonium ſcriptu-
ræ. *Non tentabis Dominum Deum tuum,* & duas alias
tentationes duobus aliis ſcripturæ teſtimoniis eluſit.
Sed hæc accommodatitia ſunt, illa germana.

---

7. Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar.

53. *DVo rogaui,* &c. Hebr. ad verbum. *Duo poſtulaui*
à te, ne prohibeas à me antequàm moriar. Septua-
ginta. *Duo peto à te, ne auferas à me gratiam antequam*
ego moriar.

Sententia huius carminis eſt perſpicua. Si enim
verborum ſonum ſequamur, hunc ſenſum reddit.
Duo fuſis à te precibus flagitaui, fac vt ea impetrem
antequàm moriar. Sic nonnulli. Cæterum ſi vim ſen-
tentiæ calleamus, aliter exponi debet; duo ſcilicet aſ-
ſiduis precibus à te contendi hactenus, illa igitur quo-
ad vixero, & ſuperſtes ero, ne mihi deneges, id eſt, hęc
duo donec inter viuos egerim ex tua beneficentia
mihi nunquàm deſint, ſed ſemper adſint. Hoc ſibi
vult lectio originalis, *Ne prohibeas à me antequàm mo-*
riar, id eſt, hæc mihi per adſint, donec vixero. Cla-
rius Septuaginta. *Ne auferas à me gratiam, antequàm*
moriar. Itaque ſententia totius carminis ſic confor-
manda eſt. Duo à te ſupplex obſecraui, fac vt ea im-
petrem, & vbi ſemel exorauerim, ne vnquàm de-
ſerant me. Ianſenius hîc diſceptat, cur duo tantum à
ſe poſtulata dicat, cum ſtatim quatuor ſubiiciat. alij
aliter reſpondent. Cæterum quæſtio eſt leuioris mo-
menti, & ſolutiones Ianſenij mihi non admodum pro-
bantur. Vera ſolutio ex dicendis conſtabit.

---

8. Vanitatem, & verba mendacij longè fac à me: mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: ſed tantùm tribue victui meo neceſſaria.

54. *VAnitatem & verba mendacij,* &c. Hebræa non
diſſonant. Septuaginta. *Vanum verbum, & men-*
dax longè fac à me. Aquila. *Vanitatem,* ficut noſtra.
Chald. *Detractionem, & verbum mendacij elonga à me.*
Mendicitatem, & diuitias. &c. Hebr. *Paupertatem*
& opulentiam ne dederis mihi, prædam da mihi panem
ſtatuti mei: pro illis verbis, *prædanda mihi,* &c. ſubeſt
in primitiuis הטריפני *Hateripheni,* à verbo טרף *Ta-*
raph, quod eſt *dilacerare, diſcerpere,* proprium fera-
rum quidam ſic legunt. *Fac vt carpam à feris alimen-*
tum. Alij, *Fac vt ferarum more victitem.* Denique plu-
res ſimpliciter vertendum putant. *Ale me cibo con-*
gruentiæ meæ. Sed de vi huius lectionis poſtea dicam.
Chaldæus. *Enutri me pane ſufficienti mihi.* Septuagin-
ta. *Conſtitue mihi quæ neceſſaria, & ſufficientia.* Diuus
Ambroſius in Pſalmum 108. *Sed ordina mihi, quæ*
opus ſunt, & quæ abundent. Aquila. *Inſtitue mihi victum*
ſufficientem. Symmachus. *Panem ſtatutorum meorum.*
Diuus Hieronymus in Ezechielem, & in Iſaiam ſæ-
pius adſcribit hæc verba: extrema autem ſic extulit.

A *Conſtitue mihi neceſſaria quæ ſufficiant.* Sanctus Sixtus
in libello de diuitiis, *Conſtitue mihi neceſſaria ſufficien-*
ter. Omnia in idem recidunt.

Prioris hemiſtychij ſenſus trifariam conformari 55.
ſolet. *Vanitatem, & verba mendacij longè fac à me.* Ali-
qui exiſtimant vanitatem, & verba mendacij eſſe ſy-
nonyma, ita vt vanitatis nomine notentur verba va-
na, & caſſa, nimirùm fallacia, ſeu falſa. Nam ſermo
verus rem ipſam, quam ſignificat, quodammodò con-
tinet, ac coërcet; at ſermo mendax, vanus, vacuus. &
inanis eſt, nihil continet: in Hebræo eſt vox שוא *Sa-*
ue, quæ ſæpiùs mendacium adſignificat in ſcriptura.
Exod. 23. *Non ſuſcipies vocem mendacij.* Deuteronom. Exod. 23.
5. verſ. 20. *Et non loqueris contra proximum tuum fal-* Deut. 5 20.
B *ſum teſtimonium.* Mitto alia. Aliqui dicunt hanc vo-
cem fluere à radice שוה *Sauach,* quæ ſignificat *ade-*
quare, componere, ita vt ſit compoſitio figmentum. Alij
rurſus petunt à radice שאה *Saah,* quæ ſignificat ali-
quid ſubitum, & præceps, ita vt temeritatem & pre-
cipitantiam ſonet: nam mendacia ſubita plerumque
ſunt, & repentina. Denique alij, quibus libentiùs aſ-
ſentior, deriuant à radice שוא *Saua,* id eſt, clamauit,
ita vt *Saue* ſit merus clamor, cui nihil ſubiicitur, va-
cuus videlicet atque inanis. Sed tamen ea vox non
mendacium ſolùm, ſed etiam *vanitatem, nihil, gratis,*
fruſtrà, & alia quædam ſignificare conſueuit, quorum
exempla ex lexicis petere integrum eſt: hinc natum
fuit interpretum diſſidium.

C Caietanus, & Ianſenius non de verbis, ſed de fa- 56.
ctis vocem illam capiendam eſſe exiſtimant. Caieta-
nus quidem exiſtimat Salomonem id obnixe à Deo
poſtulare, vt omne ſeu facti, ſeu verbi mendacium
ab ipſo prohibeat. Itaque per vanitatem mendacium
facti notari exiſtimat: Nam, vt docet Auguſtinus, Auguſt.
non in verbis tantùm, ſed etiam in operibus ac factis
mendacia contingunt quoties facta rem aliter ſe ha-
bere demonſtrant quàm ſit. Ianſenius ad elationem
refert, & externam quandam gloriæ venditationem
innui putat, quam à ſe longius remoueri poſtulat Sa-
lomon. Cæterum aptius, & cum voce originali con-
gruentiùs ſentiunt, qui vanitatem hanc in verbis po-
nunt, ſic Septuag. *Vanum verbum, & mendax longè fac*
D *à me.* Nec verò verbi vani, atque mendacis eandem
ſignificationem eſſe exiſtimo, ſed diuerſam. Chaldęus
ad detractionem reuocat, ſic enim habet. *Detractio-*
nem, & verbum mendax longè fac à me. Et quidem de-
tractio non ineptè dicitur ſermo vanus, inanis vide-
licet, atque vacuus, vel quia plerumque detractioni
hæret mendacium, cuius inanitatem ſuprà expendi-
mus, vel quia verba detractorum à viro probo, &
conſtanti tanquàm vana, irridenda, & refellenda
ſunt. Quod bona ſimilitudine Echo voces retorquen-
tis innuit Plutarchus in Moral. quaſi non aliter vir Plutarch.
conſtans inanibus obloquentium detractionibus ob-
ſiſtere, atque illas in dicentes remittere debeat, quàm
prædura, & annoſa cautes, immota, & inconcuſſa
E Echo reddit. Aut denique detractio ſermo vanus ap- Pſalm. 5.
pellatur, quia ex vano, & inani corde fluit, iuxta il-
lud *Quia non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum* 57.
eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis do-
loſè agebant. Et quidem olim in vſu fuerunt ſepulchra
quædam vacua, & inania, quæ Cænotaphia appella-
bantur, hæc autem erant moles ſepulchrorum in mo-
rem erectæ, & inſcriptæ, ſed tamen cadauer ibi nul-
lum erat. Eiuſmodi aliquod ſepulchrum inane prorſ-
ſus ac vacuum expingere videtur Vates in eo loco.
Sepulchrum, inquit, patens eſt guttur eorum. nimirùm
guttur eorum ſepulchri quandam ſimilitudinem ex-
terius præ ſe fert, ſed tamen *cor eorum vanum eſt,* ina-
ne videlicet, ac vacuum. Sed quorſum hæc ad detra-
ctionem? ſanè hoc ſignificat detractorem ſæpius
mentiri,

mentiri, & aliter dicere, quàm mente, & animo sentiat. Mirum sane est quanta architectetur, quantas moles verbis suis construat; credet aliquis rem verbis subesse, atque ita se habere, quemadmodùm ab ipso serio affirmatur; sed tamen Cænotaphium est sermo illius, & sub illo nihil omnino illius rei latet, quam exterius præsentat. *Cor eorum vanum est*. Ergo cum audis detractorem ne statim iudices famam proximi demortuam esse, & sub illius verbis delitescere, verius est illam viuere, & superstitem esse atque sermonem eius Cænotaphij in morem vacuum esse, & vanum.

58. Sed licet hæc non ineptè dicantur, tamen plures sunt qui nomine *Verbi inanis, & vani*, verbum nihili, id est, otiosum, & superuacaneum significari existimant. Cæterùm cùm Salomon tàm seriò hæc petat à Deò, aliquid maius verbo otioso notari crediderim. Quapropter sentio per *vanitatem*, seu *verbum vanum*, promissionem violatam notari, quasi dicat, verbi dati, aut oblatæ fidei violationem, & mendacium amoue longiùs à me. Vtrumque enim Principe indignum crimen est, atque adeò ab illo procul esse debet, ita vt ne remotissima quidem eius suspicio in illum cadat. Quid certius? Hinc Cassiodorus in Variis, Principis sermonem oraculi ad instar futurum esse dixit. Cassiod. *Maiestas Regis numinis autoritatem sortiri, & vox illius oraculi locum habere oportet*. Loquitur autem de promissis à Principe verbo ipso oblatis, quæ non aliter certa, & rata esse decent, quàm si oracula quædam, seu responsa forent à numine aliquo pronuntiata, quibus nihil falsi, aut irriti subesse potest. Hùc spectat illud. *Diuinatio in labijs Regis*, de quo supra non pauca c. 16. vers. 10. Sed de Principibus qui promissis non stant, aut fidem fallunt, iam inde diximus supra cap. 25. ad illa verba. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes vir gloriosus, & promissa non complens*, & cap. 29. vers. 11. & 14. & quidem promissio irrita, accommodatè satis dicitur *vanitas*, aut *verbum vanum*, verbum cassum, & inane: Cui optimè etiam accommodari potest similitudo illa vacui sepulchri, aut Cænotaphij: nam cùm exteriùs magnum aliquid promittat, & portendat, deintus omninò vacuum est. At, inquies, cùm ad loca inania, & vacua replenda aliud aliquid semper accurrat, est ne aliquid etiam replens id, quod irrita promissio fecit vacuum? Subiicio libens, odium profectò quod sibi meritò consciscit, quisquis gratis promittit, & deinde promissis non stat. Petrus Chrysologus in quadam Epistola, cuius verba retulit Dominicus Nanius in πολυανθία, sic habet. Chrysol. *Magna esse debet in pollicitatione discretio, quia inanis promissio multorum odium sibi accersit*. eorum scilicet, quos tandem expectatio refellit. Glossa in cap. 22. Eccl. *Sunt, qui plura promittunt, & pauca reddunt. Et eos, quibus mentiendo promittunt, inimicos sibi faciunt*. Denique Stobæus in lib. de mor. *Priusquam promittas delibera, & cùm promiseris facies, prius finegaueris non fecisse postea fallere est, id ergo agas, ne quis merito tuo te oderit*. Subdit Salomon: Eccles. 22. Stobæus.

60. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria*. Hæc est altera deprecationis pars, per quam Salomon flagitat à Deo, ne sibi aut ingentes diuitias, aut magnas census angustias donet sed ea tantum, quæ vitæ alendæ sufectura esse videantur. Aliqui hæc verba à Salomone pœnitente dicta fuisse volunt, qui opulentiæ, & copiarum damna expertus, meliora, & saniora sapiens, hæc sibi adimi, aut plurimum extenuari postulauit. Cæterum id non curo an Salomon hæc verba suo ipsius nomine, an alius aliquis à Salomone inductus in hoc libro *Agur* videlicet, aut *coagregans* dixerit hoc enim leuius est. Sententia quidem est valdè aperta D. Ber-

A nard. in Cant. serm. 58. & Hieronym. in Eccles. 2. Salomonem de semetipso fari existimantes hæc verba non de terrenis diuitiis, quibus Salomon supra omnes Principes affluebat, sed de spiritualibus copiis accipienda esse censuerunt. Itaque ex his Bernardus sic habet. *Perniciosa paupertas penuria meritorũ, præsumptio autem spiritus propter merita fallaces diuitiæ, & ideò diuitias, & paupertates ne dederis mihi, ait Sapiens*. Itaque ex hac sententia Bernardi duo hæc à se moueri postulat Salomon meritorum penuriam, aut eorundem abundantiam, quæ superbiam, & fastum gignat. Diuus Hieronymus diuitiarũ nomine spiritualem lætitiam capit, ait enim. *Non solum temporalis lætitia, sed etiam spiritualis, est tentatio possidenti: ita vt aliquando indigeam Angelo corripiente, & Angelo Satanæ qui me colaphiset, ne hinc eleuer. Vnde & Salomon ait, Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi*, &c. Bernard. Hieron. B

61. Cæterùm idem Bernardus sermone 2. in Dominicam Palmarum, & Hieronymus in caput 17. Ezech. & in 48. & 55. Isaiæ. Ambros. in Psal. 118. Octon. 8. & libr. 6. Hexam. cap. 8. Pseudo-Sixtus in libello de diuitiis tom. 5. Bibliotheca Patrum, Beda, & reliqui interpretes hic de diuitiis temporalibus, & caducis hæc verba accipiunt, sed vt alios dimittam, subiicio verba Diui Ambrosij in præmissum Psalmum: neque enim aliud elegantius commentarium desiderabis; expendens quippe illa verba Apostoli. *Quis nos separabit à Charitate Christi*, &c. ac demum incidens in illa, *Neque altitudo, neque profundum*. sic attexit. *Illud etiam quod videtur obscurum non prætermittemus, quia ait, Neque altitudo, neque profundum: quæ sunt grauia tentamenta: propterea habes in Isaia scriptum ad Regem Achaz; Pete tibi signum à Domino in profundum, aut in altum. Respondit ille: Non petam, & non tentabo Dominum. Mysticum illi propositum est, sed non intellexit. Virtus est, ne tentaret Dominum, si signum peteret in altum, aut in profundum. Dominus autem volens grauia tentamenta remedio supplantare diuino ait. Ecce virgo concipiet in vtero*, &c. *Hoc est, magnum signum, quod altitudinis, & profundi tentamenta destruxit. Dominus enim Iesus non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, neque quæ sua sunt requisiuit, sed formam serui accepit, humiliauit se vsque ad mortem. Itaque neque elatus est potestate, neque mortis quadam deiectione turbatus. Hoc ergo signum proponitur Regi, vt petat sibi remediũ, per quod nec regia potestatis extolleretur supercilio, nec ærũna alicuius exceptione perturbaretur, vt erat corde turbatus, cum videret bellum sibi ab Assyriis imminere. Ad hæc prophetico sermone facile est docere sarcinam quadam horum tentamentorum. Hæc enim tentamenta duo maxima Salomon oratione propria declarauit, & rogauit, vt posset excludere dicens. Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi*, &c. *Nempe Salomon qui sapiens erat, timuit per diuitias extolli, & pauper fieri formidauit; ne paupertatis necessitate abstinentia gratiam non teneret*. Hactenus Ambrosius, qui eleganti oratione sententiam Salomonis exposuit, & rationem obtulit, propter quam Rex ille sapiens tàm seriò hæc duo à Domino postulauit. Cui accinit etiam Bernardus vbi supra. *Quia vtrobique, inquit, in sinistris videlicet, ac dextris, in prosperis atque aduersis, periculum est, ideò Sapiens dicit, Diuitias, & paupertates ne dederis mihi, ne fortè aut diuitiæ extollerent in superbiam, aut paupertas deiiceret in impatientiam*. Ambros. Rom. 8. C Isai 7. D 62. E Bernard.

63. Non prætermittenda est lectio isthæc non semel à Bernardo vsurpata, qui non paupertatem, sed paupertates de numero multitudinis legit. Postulat ergo Salomon à se excludi paupertates, quia paupertas hæc noxia, & detestabilis non est vnica, sed multiplex; sola enim opum penuria per se nequaquam est detestatione atque odio digna: imò, vt ait D. Chrysostomus Chrysost.

ſtomus iam indè à me ſupra adſcriptus, multarum A
virtutum adminiſtra,& cauſa exiſtit,atque adeò ingentibus diuitiis præferri debet. Tunc ſolum refutanda eſt,cum hæret illi alia indigentia,ſcilicet auiditas,& cupiditas; hæc.n.omnium indigentiarum maxima, imo multiplex alia ex alia maior ex minori indigentia eſt. Nã da mihi aliquem pauperem,& tenuiſſimi cenſus hominem,hic ſatis diuitem,& beatum ſe futurum exiſtimat,ſi cenſus illius duo millia.v.g.aureorum attingat.Fac ergo illum attigiſſe,noua inde, ac maior illi oboritur paupertas,nam ſex millium cupiditate ſtimulatur,& ſic deinceps auctis opibus augetur ſimul cupiditas,& paupertas:nam cum hominem his tantummodò indigere,quæ auidè cupit,exploratum ſit,quoties noua, & maior cupiditas inar- B
64. Auguſt. deſcit,noua ſimul atque maior paupertas ſæuit.Audi Aug.ſerm.15.de diuerſis c.4.*Iſta quidẽ iniuſta diuitiæ dicuntur,non quia iniuſtum eſt aurum,& argentũ, ſed quia iniuſtũ eſt eas diuitias putare quæ non auferunt egeſtatẽ.Tanto enim quiſque magis ardebit egeſtate,quãto magis eas diligẽs maiores habuerit.Quomodo ergo sũt diuitiæ,quibus creſcentibus creſcit inopia, quæ amatoribus ſuis,quantò fuerint ampliores,non auferunt ſatietatem,ſed inflammant cupiditatẽ?diuitẽ tu putas,qui minus egeret.ſi minus haberet? Nam vidimus quoſdã cùm haberent paruam pecuniã paruis lucris fuiſſe contentos: ſed poſtquam cœpit eis abundare,verum quidẽ corpus auri,& argenti,ſed tamẽ falſæ diuitiæ,cùm parua obtuleris iam recuſant, credis iam eos eſſe ſatiatos,ſed falſum eſt.* C
Nam maior pecunia fauces auaritiæ non claudit,ſed extendit,non irrigat,ſed accendit,poculum reſpuunt, quia fluuiũ ſitiunt, &c. Hæc ille. Atque adeò accommodatè Salomon *paupertates* à ſe arceri precibus contendit, nimirum illas, quæ aliæ ex aliis dicto modo progerminant. Cum his facit quorumdam interpretatio qui verba hæc Salomonis ex ſono tantum penſantes ſic illa ediſſerunt; *Diuitias,& paupertatẽ ne dederis mihi,ſed tantum victui meo tribue neceſſaria.* Vel,
65. vt habent. Septuag. *Conſtitue mihi ſufficientia*.i. ne mihi opes cum paupertate copulatæ contingant, quales ſunt illæ, quæ licet ingentes ſint, maius ſui deſiderium immittunt,& auiditatem aſſiduò ſtimulant,eiuſmodi enim opes ſociam ſemper habẽt paupertatem: tot enim nec paucioribus indiget quis, quot impenſius exoptat:ſed ſtatue,aut decerne mihi D
neceſſarias,& ſufficientes facultates, quæ videlicet ſatis ſint,& exiguæ licet ac tenues auiditatem tamen omnino expleant. Ad hanc interpretationẽ proximè accedit Pſeudo Sixtus loc. cit. *Poſtulat*, inquit,*ſuffi-*
Pſ.Sixtus. *cientia naturæ, non autem auaritia, auaritia enim nũquã ſufficere aliquid poteſt etiã ſi totũ mundũ, vt eſt luxurioſa,poſſideat.* Sed hæc interpretatio à reliquo textu abhorret,atq; adeò expẽdenda sũt extrema verba.
66. *Sed tantùm victui meo tribue neceſſaria.* Noſtra lectio luculenta eſt. Originalis in conſilium vocanda, quæ ſic habet. *Da mihi prædam panem ſtatuti mei.* Kimhi exiſtimat ſimilitudinem duci à feris, quæ in diem victitant,& non plura quærunt,aut diripiunt, quàm quæ ipſis ad victum opportuna aut neceſſa- E
ria ſunt:& vbi famem expleuerint, venationẽ intermittunt. Quaſi dicat; Conſtitue mihi alimenta non aliter,quàm feris (præſtat enim hac in re rationis expertia animantia imitari,quàm homines) nimirum id fac, vt neceſſariis alimentis contentus (vti feris ſolemne eſt) non plura conquiram. Vel aliter. Decerne mihi victum ex præda, hoc eſt, labore meo ſic partum, & quæſitum, quemadmodum feræ prædas ſuas captare ſolent.Illa prorſus inepta lectio. *Fac vt capiam à feris victum.* Tranſlatio Septuag.eſt perſpicua. *Statue mihi neceſſaria, & ſufficientia.* Vel,*neceſſaria ſufficienter*, vt habet Hieronymus,id eſt,neceſſa-

rias ad vitam tuendã facultates mihi impende:neceſſarias,inquam,non parcè,& anguſtè,ſed ſufficienter, ita vt potius aliquid redundet,quàm deficiat. Atque 67.
Ambroſ. id ſibi vult Ambroſ.cùm legit. *Ordina mihi neceſſaria quæ abundent*.hoc eſt,decerne mihi neceſſaria largiùs,& copioſiùs. Denique illud,*panem ſtatuti mei*, vel *ſtatutorum meorum*,quod eſt in primitiuis,ad ſtatum,& conditionẽ vitæ referendũ eſſe docet Caiet. ita vt Salomon petat facultates ſuæ cõditioni,ſtatui, ac moribus accommodatas. Atque ita fit ſatis cuidã leuiuſculæ difficultati;quæ à quibuſdam hîc excitatur:nam hæc verba in Salomonem cadere non poſſe rati ea ipſi adimunt. Dico ergo diuitias,& paupertatem hîc relatè ad perſonam,& eius conditionem eſſe accipiendas, Rex enim aliquis potentiſſimus ſi conditioni ſuæ impares opes habeat pauper dicitur. & rurſus idẽ ſi copias conditione maiores poſſideat, diues, & opulentus appellatur: denique ſi facultates ſuæ conditioni pares nactus eſt,is quidem ſufficientia,& neceſſaria obtinere conſendus eſt.Quapropter id non vetat quominus hæc Salomon ex ſua perſona pronuntiet, quamuis potuerit etiam aliam inducere, vt ſupra dixi, vel ipſe communi aliorum nomine eloqui.

---

9. *Ne forte ſatiatus illiciar ad negandum,& dicam, quis eſt Dominus? aut neceſſitate compulſus furer,& periurẽ nomen Dei mei.*

NE *forte ſatiatus illiciar ad negandum.* Hebr.*Ne fortè ſatier,& mentiar,& dicam,&c.* Alij,*Et negem,& dicam*,Septuag. Ne *ſaturatus mendax fiam, & dicam.* Aquila & Symmach. *Negem, & dicam.* queis hæret Chald.

Et periurem nomen Dei mei. Hebr. Et *apprehendam nomen Dei mei*.Pagn.Et *aſſumam in vanũ*.Chald.*Violem nomen Dei mei*.Sept.*Peierem*,ſicut noſtra.

Exploratum eſt Salomonem in hoc loco de coacto, & inuoluntaria paupertate loqui, & de abuſu diuitiarum: ſi enim paupertas ſit ſpontanea, ſufficientiæ anteponenda eſt, & diuitiæ iuſtè partæ, & bene locatæ non malæ ſunt.Ergo Salomon diuitiarum incommoda enumerans ait. *Ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam quis eſt Deus?* Non vna huius hemiſtychii expoſitio. Hugo hac para- 68.
Hugo. phraſi ſuperbiam notari vult, id eſt,ne in ſuperbiam impellar; hoc enim eſt *negare Deum*,ac debitum ipſi honorem ſibi arrogare. Quid enim aliud ſuperbia, niſi quædam ſui ipſius idololatria ac Dei abnegatio? Sic D. Ioannes in ſuperbum quendam Eccleſiæ perturbatorem in 3. Canonica ſic habet. *Et qui amat* 3.Ioan.Epiſt.
primatum gerere inter vos Diotrephes non recipit nos. Sunt qui virum aliquem eo nomine Diotrephẽ appellatum hîc induci putant; ſed Vatablus curioſius Vatabl.
aſſerit, eo nomine cenſeri ſolitos viros nimio faſtu turgentes;nam Diotrephes,inquit, *Dei aut Iouis nutritium* ſonat,ſuperbi autem ſe diuinos Heroas,ac ſemideos putant,atque Dei honores ſibi ſumunt.Hinc obiter lux paratur verbis. *Si oſculatus ſum manum* Iob 31.
meam ore meo, quod eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum? Nam, vt docet Gyraldus de Gyraldus.
Diis Gentium, Ioui, Saturno, Marti, atque aliis Diis veteres adoraturi pedibus oſcula libabant; at verò Deorum filiis, aut ſemidiis, ſcilicet Herculi, Polluci,Caſtori, & aliis, manuum oſcula offerebant,vt diſpar adoratio inæqualitatem diuinitatis innueret. Hùc fortaſſe ſpectauit Pſalt.in ſecundo Pſal.nam pro illis verbis,*apprehendite diſciplinam*, in Pſalm.2.
Originibus eſt, *Oſculamini filium*, ipſi ſcilicet tam-

quàm vero filio Dei manuum oscula date. Ergo Iob A ait, Dispeream tandem, si quando ex superbia diuinos spiritus mihi sumens, tamquàm Dei filio, semideo, aut Heroj, mihimetipsi manuum oscula impressi, hoc enim est arrogantiæ, & elationis fastigium: & *negatio contra Deum altissimum*, quidquid gloriæ enim sibi superbus arrogat, Deo detrahit.

69. Secunda expositio est aliorum, qui obseruantes vocem, *ne satiatus*, ad gulam referunt; quasi dicat; Ne mihi diuitiæ ingentes contingant, precor: nam diuitiæ suauiores epulas, & delicatiores mensas, hæc autem idololatriam suadent. Et quidem idololatriæ, atque multarum hæresen præcipua causa gula, & *Deuter. 32.* intemperantia semper fuit. Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit; incrassatus, impinguatus, dila-* B *Hierem. 5.* *tatus*, id est, cessit retrò à Deo ad idola. Hieremiæ 5. *Saturaui eos, & mœchati sunt*, id est idola coluerunt. & iterum, *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Et quidem post mensas, & vina, obtenebrata mẽs nihil Deo dignum sentire potest. Aliter etiam intemperantia ipsa idololatriæ quædam species existit, quatenus intemperantes ventrem *Ad Philip. 3.* ipsum Dei loco ponunt, teste Apostolo ad Philipp. 3. *Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt.* Quibus verbis aliqui allusum existimant ad Idolum Philistinorum nomine Dagon: nam *Dagon* Hebraïcè *ventum* sonat, quasi dicat, hi sunt Philistæis similes, qui sui ventris Dagon diuinis honoribus prosequuntur, in quos optimè cadit Phi- C *Hieron.* listinorum nomen. Nam vt docet Hieronymus de nominibus Hebraïcis, Philistiim interpretantur, *ca-* 70. *dentes poculo*, id est, ebrij, ac vino madidi. Quod si roges de cultu, quem intemperantes gulosi huic im- *Tertull.* mundissimo Deo tribuunt, addit Tertullianus contra Psychicos. *Deus illis venter est, & pulmo templum, æqualiculus altare, sacerdos coquus* Ac tutus de virtutibus, quibus illi deo inseruiunt, sic attexit. *Cuius tota charitas in cacabis feruet, tota fides in culinis calet tota spes in ferculis iacet.* At inquies, in idolis olim dæmonem præesse solitum, qui oracula & responsa funderet, fateor; latet etiam hic in ventre. Cle- *Clem. Alex.* mens Alexandrinus, in Pædagog. *His autem qui ad luxum mensarum sunt propensi præest dæmon helluo* D *maximus, quem non verebor ventridæmonem appellare, dæmonum omnium pessimum, ac perniciosissimum.* Huius verò dæmonis oracula, & responsa non sunt bellorũ euentus, sed bellariorũ noua in dies adinuentiones, non ad rem publicam, sed ad culinam spectantia.

71. Tertia interpretatio verba hæc ad auaritiam refert hoc modo. *Ne saturatus illiciar ad negandum*, &c. ne scilicet opibus multis locuples auaritiæ locum faciam, quæ ex Pauli mente est, *idolorum seruitus*, atque adeò Dei denegatio, & cõtemptus: ad Ephes. 5. *Ad Ephes. 5.* *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est* *Matt. 6.* *idolorum seruitus.* Et Christus in Euangelio ait. *Nemo potest seruire Deo, & mammonæ.* Vtique Mammonam lingua Syriaca, *nummum* significare docet Ter- E tul. lib. 1. contra Marcionem. Augustinus non semel *Tertul.* *August.* Phœnicem vocem esse dicit, & lucrum notare asserit; nam in sermone 35. de Verbis Domini sic habet. *Quod Phœnices dicunt Mammon, Latinè lucrum vocatur*; sed ibi etiam fatetur Hebraicam esse dictionem. Clemẽs Alexandr. *Mammonam & Mammon*, per inflexionem, pecuniæ amorem signare affirmat. S. au- *Iren.* tem Iræneus lib. 3. aduersus hæreses cap. 8. sic scribit. *Mammona autem secundum Iudaicam loquelam, qua & Samaritæ vtuntur, est cupidus, & plusquam oportet habere volens: secundum autem Hebraicam adiunctiuè dicitur Mam, & significat gulosum, id est, qui non possit se à gula continere.* Cuius verba explicare non est facile; docet enim duo, scilicet Mammona vo-

A cem esse Syriacam, & ad Hebraicas etiam origines reuocari posse. Vtrumque libens admitto: est enim apud Syros, vel Phœnices ממונה vox Primitiua, *diuitias*, vel *nummos* significans, quod nemini ambiguum esse potest. Cæterum eadem vox ab Hebræis deriuari potest, tunc verò ait Irenæus, *Vel adiunctiuè dicitur Mam, & significat gulosum, &c.* Itaque non vnam illius vocis deriuationem, sed duplicem esse dicit. Feuardentius eius Scholiastes, doctè satis suspicatus est. *Mammon* aut *mammonam*, ex mente Irenæi ex duplici vocabulo Hebraico conflari posse. Scilicet ex *Mam* מם vel *Mum*, quod *maculam* sonat, & הון *Hon.* quod *potentias*, siue *diuitias* innuit, abiecto ה *he* euphoniæ gratia, & secundo מ B *Dagbes* forti onerato; tunc verò *Mammon* perinde erit ac sordidæ diuitiæ: auaros autem sordidos, & auaritiam sordes dici compertum est. Ergo sic accipiendus est Irenæus. *Mammon*, vel *adiunctiuè dicitur ex Mam, & Hon*, vna scilicet voce ex duabus 72. conflata, & tunc auaritiã significat, vel diuitias auarè sordidéque retentas: vel simpliciter *Mam mam*, dicitur repetitione facta, scilicet *macula, macula*, tunc verò *gulosum* notabit, constat. n. gulosos conuiuatores maculas appellari solitos. Hinc illud Iudæ in Epist. Canon *Hi sunt in epulis vestris maculæ conuiuantes sine timore*, &c. Addo etiam eam vocem deduci posse ex radice מון *Mon.* simul cum מם *Mam.* est autẽ *Mõ* species, imago, simulachrum, Idolum, quasi dicas. C *Idolum sordium*, vel *sordidum*, quæ significatio aptè satis in diuitias cadit.

Sed vt ad rem nostram veniamus, D. Hieron. in c. 6. Matthæi, & quæst. 6. ad Algas. asserit Mammona idem esse voce Syriaca, quod Græcis πλοῦτος quem Poëtæ Deum finxerunt. Et quidem apud Syros sub eo nomine Plutonem, aut Ditem adoratum fuisse reor, sicut etiam apud Moabit. nomine Chamos. Sic scribit D. Gregor. Nazianz. in Iambico aduersus *Nazianz.* opum amatores.

Multi licet sint, & vocentur, improbi,
Idololatra dicitur est solus tamen,
(Quo nullum in eno grauius est vsquam scelus)
Qui præter aurum nil scit, aut nil cogitat:
D *Facturus vt qui hoc facile sit, morbum ob suum,*
Si tempus adsiet quidpiam lucri afferens,
Vel execrandum quod Chamos Plutum colat.

Hùc ergo spectauit Christus Dominus cùm ait, *Nemo potest seruire Deo & Mammonæ*, id est, nemo potest vtrumque diuino cultu prosequi, & vtrumque numinis loco habere: sic exponit Chrysostom. in *Chrysost.* Epist. ad Ephes. c. 5. & alij non pauci.

Quomodo autem auarus diuitiarum idololatra sit, non eodem modo exponunt Patres. Primo Augu- 73. *August.* stinus auari idololatriam in eo ponit, quod ordine rerum perturbato Deo quidem vtitur, ac nummo fruitur: Nam lib. 11. de ciuit. cap. 25. sic habet. *Non* E *sicut peruersi, qui frui volunt nummo, vti autem Deo, quia non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.* Itaque August. tunc auarum pecuniis honores diuinos tribuere dicit, cùm propterea Deum colit, & obseruat, vt ab illo nummos impetret. Similis omnino sibi est idem Doctor in Psalm. 30. vbi sic scribit. *Dico breuiter homini auaro, Inuocas Deum: quare inuocas Deum? vt det tibi lucrum: lucrum ergo inuocas, non Deum: quia hoc lucrum quod concupiscis, non potes habere per seruum tuum, non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per amicum tuum, per satellitem tuum: ideo inuocas Deum: ministrum ergo lucri tui facis Deum, viluit tibi Deus. Vis inuocare Deum? gratis inuoca.*

Ambros. hanc idololatriam acutè admodùm ex- 74. pendit in Epistolam ad Colossen. cap. 3. vbi sic scrit, *Ambros.* *Aliud*

Aliud crimen est auaritia non dispar malitia (scilicet ab idolorum seruitute) *sed diuersum nomine, semper bibens, & semper sitiens: non immeritò ergo sub vno idololatriæ nomine vtrumque malum comprehendi ostendit: penè enim vno explentur opere: Quia sicut idololatria vni Dei auferre nititur gloriã, ne, quod eius peculiare est, solus habeat nomen diuinitatis sibi soli condignum: Ita & auaritia in Dei res se extendit, vt, si fieri potest, vnus & solus creaturã Dei sibi vsurpet, quam Deus communem omnibus fecit. Vnde dicit Propheta Aggæus, Meum est aurum & meum est argentum. Vtraque igitur Deo inimica est, ambæ n. Deo abnegãt, quæ illius sunt.* Itaq; mẽs Ambros. est illũ, qui sibi arrogat vel vsurpat ea, quæ Deus omnibus cõmunia esse iussit, nõ tã ab aliis quã ab ipso Deo illa eripere. Quemadmodũ qui eam sortem, quam Princeps aliquis seruis suis distribuẽdam dedit, sibi sumeret, non tàm seruis, quàm Principi iniurius esset. Ergo auarus propterea idololatra appellatur, quia sicut idolorum cultor Deo gloriã ipsi propriam auferet: ita etiã auarus bona alia eidẽ eripit.

Aggæi 2.

75. Basil. Basil. in c. 1. Isaïæ hanc idololatriam aliunde petit. *Auidus* (inquit) *congerendarum opum, vbi thesaurus est ibi intendit cor, vt latriam exhibeat idolo suæ inexplebilis auaritiæ præsidi.* Sensus est, quod quemadmodum in Gentium idolis præerat semper dæmon aliquis oracula fundens, in quem adoratio intendebatur: Ita etiam malè partis pecuniis, opibusque, dæmon aliquis præest auiditatem assiduè stimulans, cui potius quàm ipsis pecuniis auari inseruiunt, & obsequuntur. Vnde cùm diabolus Christum ad auaritiam impelleret, ostendens illi omnia regna mundi, *Hæc* (inquit) *omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.*

Matth. 4.

76. Nicet. Quartò, Aliter Nicætas, in orat. 29. Nazianz. de hac idololatria decernit. *Auaritiã, inquit, idololatriã Paulus vocat fortasse, quod eos solos diuitiarum amor deceat, qui Deum nesciunt: vel quia sicut Ethnicus consertis manibus simulachrum amplectitur, ita & auarus aurum iannis & repagulis committit: atque illud quasi sacrum quoddam donarium attrectare minimè audet. Quod si quando ad id necessitate compulsus fuerit, haud aliter animo afficitur, quàm si nefarij aliquid perpetrasset.* Quibus verbis tres rationes assignat, quas euoluere necesse est. Prima sic habet, *Quod eos solos diuitiarum amor deceat, qui Deum nesciunt.* quasi propterea idololatria dici debeat, quia aut omnino nullam esse, aut idololatriæ coniunctam esse oporteat. Nam ab his, qui verum Deum agnoscunt & colunt, pecuniarum amor plurimùm abhorrere debet. Ratio in promptu est, quia alii Dii falsi socios diuinitatis & adorationis consortes admittunt, atque adeò his, qui illos adorant, pecunias etiam adorandi locũ faciunt: at verò Deus optimus maximus solus sibi diuinitatẽ arrogat & alterius Dei consortium minimè patitur.

77. Secunda verò ratio clauditur illis verbis. *Vel quia sicut Ethnicus simulacrum consertis manibus adorat* (sic lego, non *amplectitur*, vt habent nuperi codices repurgati) *Sic auarus pecunias iannis & repagulis committit.* Adludit quidem ad veterem adorationis ritũ (qui hodie etiam Mauris solemnis est) quo gentiles consertis, complicatis, & contractis manibus Deos venerari & adorare solebant. Manus autem ad eum modum consertæ & contractæ, auaritiæ & parcitatis symbolum exhibent. Quid certius? Ergo sic ait: Similis est auarus idololatriæ, quia sicut hic simulacrum consertis, contractis & obseratis manibus adorat, sic ille pecunias adorabundus colit & manus contrahit, clauditque præ sordibus & auaritia.

Tertia denique ratio subest illis verbis. *Atque illud tanquam sacrum quoddam donarium attrectare minimè audet*, &c. quæ satis perspicua est, i. Quemadmodum idola colentes donaria & in vniuersum res sacras manibus contingere nefarium, atque prophanum existimant: sic etiam auari nummos inclusos contrectare, nedum insumere, & effundere, nefas & piaculum inexpiabile rentur.

78. Nilus. Quinto S. Nilus Abbas hanc auaritiæ idololatriã satis aptè exposuit oration. 3. de auaritia his verbis. *Execrabilis est, qui facit idolũ, & in abscondito ponit, huic similis est, qui auaritiæ vitio laborat: vt enim cultor idoli nomen adulterinum & inutile veneratur: sic auarus vanam diuitiarum imaginem anima complectitur & colit.* Quasi dicat, idoli cultor in simulacro, vel statua, numen non verum, sed falsum, & commentitium adorat: sic etiam auarus in auro & argento non veras diuitias, sed falsam quadam & adumbratam diuitiarum imaginem & similitudinem colit: Nam veræ & minimè falsæ diuitiæ non aliæ sunt, inquit Nilus, nisi gratia, virtutes & alia quæ animũ potius quàm corpus ditãt: aliæ adumbratę sunt, & fallaces.

Anselm. Cõcinit D. Anselm. ad eum locũ Pauli, vbi sic habet. *Nam sicut qui idolis seruit, cultum debitũ creatori, imaginatæ creaturæ attribuit, sic & auarus impendit cultum effigiatæ pecuniæ: ideoque pecunia facta est illi idolum, quia spem suam in illa ponit, & à Dei cultu pro ea recedit. Dum n. deberet adire Ecclesiam custodit arcam, dũ deberet rogare Deum, petit forum, vt augeat lucrũ, &c.*

79. Chrysost. Sexto D. Chrysost. Homil. 6. in Epist. ad Rom. *Ne, inquit, dixeris, te aureum idolum non adorare, quin potius illud mihi probato te ea non facere, quæ ipsum aurum facienda iubet. At non sacrificas boues, quemadmodum gentiles: sed quod multò pestilentius est, tuam ipsius animam pro victima illi offers. At genua non flectis, non adoras: sed magis audiens dicto est, si quid præceperit aurum, venter, & concupiscentia id genus alterius tyrannis. Si n. gentiles hoc nomine execrabiles sunt, quod hominum affectus Deos effecerunt, concupiscentiam Venerem, iram Martem, ebrietatẽ Bacchum, auaritiam Plutum appellantes, quãtò magis tu execrabilis es, qui etsi illorũ exẽplo idola non sculpis, maiori animi studio eisdẽ animi affectionibus te summittis, & eadem adoras? Vel* (liceat sic dicere) *illi earũ affectionũ idola in ligno sculpunt, tu autẽ execrandus magis, qui eadem in animo exprimis tuo.* Hæc ille, quæ interpretatione non egent. Sed rursus hom. 28. in Epistolam ad Ephes. illam Pauli sententiam longam oratione edisserit: & postquàm aliqua præscripsit ex supradictis, ab hunc modum subiicit. *Quænam est Mammona? auaritia, & tu eam adoras? non adoro, inquis, quare? quia non te ipsum inflectis, & incuruas? Multò magis adoras per facta & res ipsas: hæc enim est maior adoratio: & vt discas, vide in Deo quinam eum magis adorant, hi ne, qui stant in precibus, an qui faciunt eius voluntatem? Ita etiam in Mammona & auaritia, qui faciunt eius voluntatem, magis eam adorant. Atque illi qui prædictas animi affectiones sub illis nominibus Martis, Veneris, Pluti, & aliorum, sæpe ab illis sunt remoti. Videre enim licet cultorẽ Martis iram reprimere & cohibere: at in te non ita accidit, sed ipsismet affectionibus seruis & obtẽperas.* Quasi dicat, si illi ex eo solùm, quia earum affectionum imagines colunt, etiamsi ab ipsis affectionibus liberi sint, execratione digni sunt, tu potiori iure detestandus, qui easdemmet affectiones colis & obseruas. Addit, gentiles tunc cùm immanius agere solebant hominem corpora idolis mactare solitos: Auarus autem suam atque illius cuius facultates diripit, animã auaritiæ ante aras perimit: *Hæ* (inquit) *animarum cædes maximæ sũt, ante arã auaritiæ nõ satiantur, neque se sistũt vsque ad sanguinẽ hominũ: sed nisi etiam ipsã sacrificaueris animã, nõ impletur ara auaritiæ, & nisi vtriusque acceperit animas, nempe eius, qui sacrificat, & eius qui sacrificatur: eum n. qui sacrificat oportet primũ esse sacrificatum & ita sacrificare: & mortuus* (*horrendum*

80.

dum dictu) sacrificat eum, qui tunc viuit.

81. Sed vlterius Chrysostomus aliam offert rationem, quæ præmissam auaritiæ idololatriam extollit, *Idololatræ*, inquit, *adorant Dei creaturas: & coluerunt*, inquit Apostolus, *& seruierunt creaturæ magis quàm creatori: tu autem tuam adoras creaturam: Deus enim non creauit auaritiam, sed eam inuenit immoderatio tua inexplebilis.* Et alia ibid. attexit Chrysostomus satis eleganter, quæ ab eodem excipi possunt. Illud minimè omittendum est, quod tradit hom. 18. in Epistolam ad Corinthios, vbi venustè admodùm auaros cum his contulit, qui auream Nabuchodonosoris imaginem supplices adorarunt. *Hoc fit etiam nostro tempore*, ait Chrysost. *& nunc Rex est fornacis Babylonicæ, & nunc accedit flammam illâ seuiorem: est* B *nunc quoque, qui iubet illam adorare imaginem, & multi admirantur hanc imaginem auream, nec auream solum, sed variam & magnam: est enim res huiusmodi auaritia: qualis illa imago, ne ferrum quidem excludens, sed ex rebus composita dissimilibus, iubens omnia admirare, non aurum solum & argentum, sed etiam æs & ferrum, & his multo viliora. Sed tamen cũ tot sint eius imaginis admiratores, non desunt etiam trium puerorum æmulatores, qui dicunt: Imaginem auream, quam erexisti non adoramus, sed paupertatis fornacem libenter sustinemus: sed quid inde? Qui imaginem adorant multa habentes, & multa possidentes, hi exuruntur & paupertatẽ acriùs sentiunt, nam quò plura habent plura appetunt, atque adeò pluribus indigent: qui autem nihil possident,* C *tribus pueris similes, cùm sint in paupertate, rore aspergunt, sicut etiam & tunc qui pueros in ignem iniecerunt, conflagrarunt: illi autem in medio fornacis erant tamquam in rore, & aqua*, &c. Hactenus Chrysostomus, cuius nonnumquam verba omisi, & sensum tenui. Ex dictis constat opulentiam ad idololatriam quandam satis impiam auaros impellere, à qua Salom. sibi ipsi timuit cùm ait. *Ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam quis est Deus?* ne scilicet dubitare incipiam quis dignus ampliori cultus, & obseruantia, Deus ne, an Mammona?

Rom. 1.

Daniel 3.

82. Quarta denique interpretatio & (ni fallor) accommodatior, de vera idololatria accipit præmissa verba. Itaque Salomon diuitias ingentes sibi à Deo D nequaquam dari flagitat: ne ab his dementatus ad idola colenda animum adiiciat. Et quidem opes ad idolorum cultum diuitum animos transferre solitas multa suadent. Oseas c. 2. *Ego*, inquit, *dedi eis frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicaui eis, & aurum, & ipsi fecerunt Baal.* & cap. 12. *Veruntamen diues effectus sum, inueni idolum mihi, omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem quam peccaui.* Quibus verbis Propheta rationem assignat, propter quam opes ad simulachrorum cultum permouere consueuerunt: quia scilicet diuitiæ ad cuncta scelera perpetranda administræ sunt, & auxiliares. Cùm autem Deus optimus maximus hæc scelera legibus suis seuerius vetet, diues statim Deum aliquem sibi E effingere vult, qui nihil ipsi prohibeat, sed quilibet admittendi copiam faciat. Hoc sibi vult Ephraim cùm ait, *Inueni idolum mihi.* i. effinxi mihi simulachrum. sed qui inde? *Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui:* quasi dicat, Hinc accidit, vt ex indulgentia huius numinis quod egomet mihi effinxi, in omni opere & labore meo nullius criminis aut peccati mihi conscius videar, quia Deus iste nullis legibus me adstringit, &c. Vnde D. Ambros. lib. 2. Officiorum cap. 7. *Auaritia* inquit, *perfidiæ vicina est.* & Aug. de Ciuitate l. 5. docet homines ab idolorum cultu ad Dei fidem paupertate primum traductos, & fidem à paupertate cœptam paupertate augeri. diuitiis autem & opibus

Osee 2. & 12.

Ambros.
August.

A exteri & in perfidiam relabi. Ergo Salomon opulentiam timere se affirmat, ne hæc (vt assolet) illi perfidiam suadeat. Subdit:

Aut egestate compulsus furer, & periurem nomẽ Dei mei: hæc coactæ & inuoluntariæ paupertatis damna furtum & periurium, vtrumque satis certum. Primum ergo coacta paupertas suadet furta, vnde illam *furti matrem* dixit Seneca, non ex partu, sed abortsu infœlici. Ita enim reor paupertatem spontaneam cùm vltro & absque vi, expletis (vt ita dicam) mensibus parit, non vnam tantùm, sed omnes virtutes parere solitam. Chrysostomus homilia in Psalmum 4. *Sciatis*, inquit, *sciatis apertè quod diuitiæ quidem his, qui non attendunt, sunt vitiorum omnium* B *ministræ, paupertas Philosophiæ parens*, &c. Philosophiæ inquam, id est morum secundum virtutem & honestatem. Itaque paupertas cùm spontanea est, atque adeò sponte parit, optimos mores edit, cùm verò coacta est, atque adeò per vim & aborsum parturit, furtum & maleficia omnia ex illa nascuntur. Hinc Arist. libr. 1. Ethicorum cap. 5. *Ea*, inquit, *quæ pecuniis incumbit violenta quædam est vita.* In Græcis quidem subest vox violentiam & nixum adsignificans, quæ in partu immaturo accidere solet: atque adeò duplici sensu donari potest, *Violenta quædam est vita*, id est, aliis vim parans & facultates eorum inuadens, vel vita doloribus & laboribus multis obnoxia, mulieris, intempestiuò par- C turientis nixum & dolores quodammodò imitans. Opes enim iniustè partæ ingenti dolore constant. Audiendus insuper Aristotel. in problem. sect. 29. cap. 4. vbi paupertatis vtriusque discrimina venustè attingit, coactæ scilicet, quæ improbis euenit, & spontaneæ quæ apud viros probos est: sic enim quærit, *Cur paupertas apud homines probos, & bonos potius, quàm apud prauos esse solet? occurrit. An quia ab omnibus odio habetur & expellitur, ideo ad probos perfugit, rata maximè apud eos salutem, permanendique locum se posse assequi? E contrario vero si ad improbos venerit, nunquam eos fortuna sua contentos fore, sed vel furta, vel latrocinia adituros.* deinde aliam offert prioris quæsiti non iniucundam rationem. *An* D *quia viros probos optimè se vsuros existimat, nec sibi petulanter contumeliose que quidquàm facturos? Itaque vt nos pecuniarum deposita tutè hominibus probis credimus, sic etiam hæc sibi dispensat & statuit:* & post pauca sic infit. *An quia mala est numquam se malis iungere velit? nam si ita maluerit omnino malum irremediabile ipsa videtur.* Ergo ab his omnibus cauet sibi Salamon & obseruat, ne sibi ingrata illa, inuisaque paupertas accidat, quæ tot mala gignere consueuit.

83.
Senec.

Chrysost.

Aristot.

84.

Addit secundò periurium ex hac nefaria paupertate suboriri, *Et periurem nomen Dei mei.* Nam vir inopia laborans, vt qualicumque sorte subleuetur, non solum facilè iurat, sed etiam peierat: Vnde aptè admodùm suadet D. Greg. Nazianz. in Iam- E bico de iuramento, ne super lucro, aut pecuniis iuretur, nam tunc maximè periurii discrimen imminet, sic enim ait.

85.

Nazianz.

Iurare quæstus absit at causa mihi.
Est quippe turpe facinus hoc supra modum,
Quinimò promptum crimen est periurij:
Plures enim sunt improbi in pecuniis.

Et quidem tantum est periurii periculum cùm de pecuniis, & quæstu agitur apud viros tenues, vt sæpius oboli vnius causâ peierare ausint. Chrysost. in acta Apost. hom. 9. *Proh Deum*, inquit, *de obolis iuramenta fiunt, & periuria. An quia fulmẽ supernè nõ descendit, & nõ omnia subuertũtur, propterea stas obstringẽs Deũ? quamobrẽ, vt olera accipias, aut calceos pro paruo argento, &c.* Pro his autem leuissimis rebus Deũ cõtẽ-

Chrysost.

cum

cum veritate adiurandum non esse comprobat. *Qui iurat, inquit, Deum, aut fideiussorem, aut testem facit, dic oro mihi, si seruis inter se contendẽtibus, dixerit quispiam ex illis fidem se nequaquam alteri habiturum, nisi communis Dominus fideiussor, & testis accedat, nonne illi irrogarentur meritò plagæ multæ, vt discat, quod domino in aliis grauioribus, & non in hisce vti oporteat? Deum ergo eiusmodi contumeliâ affici ne sustineat, quam alius quilibet homo in se committi ægrè ferret.*

86. Pagnin. Etquidem obseruanda est lectio originalis, quæ tantummodò habet, *& apprehendam nomen Dei mei*, pro quibus Pagninus, Et *assumam in vanum nomen Dei mihi.* Itaque secundùm hanc lectionem nõ tantùm peierandi, sed etiam frustra, & sine causa iurandi causam à se remoueri postulat Salomon: non solùm periuria, sed etiam iuramenta exosus. Absit, inquit, à me paupertas, ne ob angustias rei familiaris cogar assumere nomen Dei in vanum: ne scilicet cogar pro pecuniis, ac quæstu etiam cum veritate, iurare, hoc enim semper vanum est. Nimirùm rebatur Salomon iuramenta pro quæstu etiam cum veritate nuncupata, nisi iste maximus sit, vt minimũ esse vana & inania. Nam iuramenta de leuioribus & nihili rebus edita proculdubiò vana sunt: quæstus autem & pecunia à viris probis pro nihilo haberi debet. Videas hoc à Chrysost. passim enuntiatum, qui cùm quæreret, an alicuius quæstus gratiâ iurare liceret, subdit virum iustum quamlibet iacturam libentiùs subire oportere, quàm Dei testimonio pro quæstu abuti. Nã hom. 12. in Matth. sic habet. *Quid faciam? nõ mihi credit, nec vult credere, nisi iurauero. Acquiesce magis pecuniam perdere, quàm salutem: preciosior est anima tua, quàm res tua. Vilior est res tua, quàm vt testimonio Dei* Chrysost. *contutari debeat.* Sed tamen id eo loco Chrysostomus iuramenti malitiam per hyperbolem extollit: aut certè perfectionem suadet, non id, quod in præceptis est. Licet enim aliquando pro pecuniis Deum adiurare, sed tamen non debet esse quælibet pecuniæ summa, aut leue iacturæ periculum, vt iuramentum vanitatis crimen effugiat. Ad alia.

10. *Ne accuses seruum ad Dominum suum: ne fortè maledicat tibi, & corruas.*

87. NE accuses, &c. Hebr. *Ne crimineris lingua, aut crimen imponas seruo apud Dominum suum, ne forte maledixerit tibi, & delinquas.* Chald. *Ne maledixerit tibi, & reus peragaris.* Sept. *Ne tradas seruum in manus Domini, nequando maledicat te, & delearis.* Illa verò extrema: *Ne delearis:* Aquila, Symm. & Theod. sic extulerunt. *Ne pecces, ne delinquas.*

Prima expositio est Hebræorum, qui existimant hac sententia interdici Iudæis ne seruos gentilium (quos cùm ad legem se receperant ex infidelitate iã deinceps liberos esse, & iugum seruitutis excussisse putabant) dominis suis deferrent, aut traderẽt iuxta
Deuter. 23. illud Deuter. 23. *Ne tradas seruum domino suo, qui ad te confugerit, habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum quiescet, ne contristes eũ.* Huic expositioni fauet lectio Sept. quæ sic habet. *Ne tradas seruum in manus domini sui.* Eandem etiam lectionem sequutus est Beda, quam spirituali quodam sensu donat hoc modo. *Omnis qui facit peccatum, seruus*
Joan. 8. *est peccati. Hunc ergo ille domino suo tradit, qui quemlibet delinquentem, & resipiscere volentem sua exhortatione, aut exemplo præterita delicta repetere suadet.* Cæterùm prior expositio est Rabinica ac textui parũ accommodata, atque adeò non est audienda. Reliqui fermè interpretes per *seruum* virum quemlibet humilem, & infimum in vniuersum capiendum esse

A existimant: per *dominum* autem eum, qui potentia & opibus pollet: ita vt dominus, & seruus propriè sint superior, atque inferior, non seruitio, sed dignitate & potentia: sensum autem sic conformant: Ne inferiori calumniam aliquam obiicias apud eum, qui superior illo est, atque illum vi, & potentia sua facile opprimere potest, ne fortè ab eo afflictus ex animi sui angore tibi mala precetur, & preces illius Deus ratas esse iubeat. Ita enim fieri solet, vt maledicta pauperum, ac miserorum irrita non sint. Hanc expositionem amplectuntur Hugo, Lyra, Iansenius, Rodolph. Arboreus, & alij, & in textum nostrum apprimè quadrat.

Cæterùm quia, vt initio præmisi, extremæ illi vo- 88.
B ci. *Ne corruas*, in originibus respondet. אל תלשן *El Thalsen.* id est, *ne delinquas*, vel, *ne reus agaris.* vt habet Chaldæus, alium sensum subodoratus sum ad hunc modum. *Ne accuses seruum apud dominum suum*, id est, ne crimen aliquod imponas subdito apud superiorem & potentiorem, vel etiam iudicem (hæc enim omnia *dominus* significare potest) ne ipse vicissim *maledicat tibi.* i. de te malum aliquid dicat, nimirùm crimen aliud tibi obiiciat, ac demùm reus esse cõproberis: quod quidem ita accipiendum est: Suadet Salomon auditori, ne criminosus & delator sit: nemo. n. est qui culpa prorsus vacet: quod si aliquis hodie ab omni crimine immunis est crastina die illud admittet, atque adeò delatus, seu denunciatus, poterit illũ
C vicissim reconuincere & criminis alterius insimulare. Concinit hoc cum illo apud nostrates vulgato problemate. *El que tiene el texado de vidrio, notire piedras al del vecino.* Ad hunc sensum vocari debet extrema illa pars nostræ lectionis, *ne maledicat tibi & corruas.* id est, labaris, aut delinquas, ne scilicet postmodùm & tu labaris, atque delicti reus ipsius testimonio comproberis ab eo quem accusas. Translatio etiam Sept. huic sensui potest inseruire. *Ne tradas seruum in manu Domini sui.* Ne scilicet ob delictum aliquod te autore subditus in superioris manus veniat, vt ab ipso pœnæ debitæ exigantur. *Nequando maledicas & delearis.* Fiet enim, ait, vt aliquando mores & vitam tuam curiosè vestigans crimen aliquod
D æquale, aut maius tibi obiiciat, propter quod grauissimæ pœnæ subiaceas: hoc sibi vult illud. *& delearis.* id est, ne euertaris Hoc verò de his delictis accipiendum est, ad quæ deferenda non est aliunde obligatio, aut consilium. Ad alia.

11. *Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit.*

12. *Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis.*

13. *Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & pal-*
E *pebræ eius in alta surrectæ.*

14. *Generatio, quæ prodentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.*

ANtequam de singulis dicam, harum quatuor 89.
sententiarum inter se, aut etiam cum superioribus nexum aperire oportet. Et quidem generatio Hebr. est דור Dor, ætatem sonans, vel *generationem* per successionem ad posteros deriuatam, vel *prolem*, vel etiam speciale aliquod genus, seu conditionem hominum. Prima igitur concatenatio sententiarum illarum per *generationes*, diuersas hominis ætates accipit, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, & viri-

lem ætatem, sed tamen præmissa verba difficilè admodùm & coactè ad eum sensum trahuntur.

Secundò, alij præfatas quatuor sententias sic ordinant, vt diuersas ipsius mundi ætates notent, in quibus dissimilia vitia viguerunt. Prima ætas Idololatras tulit. 2. Iudæos, 3. Hæreticos, 4. impios Christianos. Vel, si ingratum est tibi mundi sæcula in eas ætates concidere, per *quatuor generationes* totidem illas hominum conditiones suprascriptas significari dicunt. Nam 1. generatio, inquiunt, Idololatras signat, hi enim patrem suum, id est, Deum, & matrem suam, hoc est Ecclesiam maledictis proscindunt, 2. generatio Iudæos notat, qui propterea quod carnem de foris externis quibusdam lauacris, & baptismatibus eluunt, sibi munditiem arrogant, cùm tamé sordes animi minimè deponant. 3. generatio Hæreticos adúbrat, quos fastus, superbia, & elatio animi à vera fide deficientes in tàm dissimiles sectas compulit. 4. generatio malos Christianos innuit, qui ab omni misericordia & másuetudine alieni viscera induunt ferrea, & in proximos sæuitiem exercent. Cæterùm hæc quoque expositio mihi parum accommodata videtur.

90. Tertius igitur sententiarum illarum ordo cum per *generationes* diuersas hominum conditiones accipiat: quatuor vitia significari docet, quæ vitam hominum potissimùm infestare solent: impietatem erga parentes, hypocrisim, superbiam, & sçuientem in proximos iram, quę prœmissis illis versibus ad amussim respondent: sic Beda, Hugo, Arboreus, Iansenius & alij plures, quibus libenter subscriberem, nisi digniorem aliquem sensum delitescere existimarem.

Igitur præfatus generationum ordo duplici alia ratione conformari potest. Prior quatuor illas senté-tias cum superiori versu nectit. Posterior cum duobus sequentibus consuit. Prior sic habet: Præceperat Salomon, ne quis per calumniam criminosus, aut delator esset, quia nemo est tàm insons & culpa vacans, vt non vicissim deferri, & delicti alicuius appellari apud superiorem possit; Iam nunc subdit hominum ad crimina, & calumnias imponendas maximè procliuium conditiones. *Generatio*, ait, *quæ patri suo maledicit*, &c. quæ sententia cùm non intercedat verbum aliquod, per appositionem exponi potest. Quasi dicat: Ex his qui criminosi sunt, quidam ad effundenda maledicta ita proclines inueniuntur, vt ne parentibus suis parcant: verùm etiam illis crimina obiicere audeant. *Generatio, quæ sibi munda videtur.* Nimirùm alij sunt, qui iactandis in alios criminibus assueuerunt, ab omni culpa, aut scelere vacuos, ac permundos se esse existimant, & tamen non paucos culparum næuos, ne dicam scelerum impurissimas maculas sibi adusserunt, de quibus argui, & insimulari similiter ipsi possint. *Generatio cuius excelsi sunt oculi*, &c. Hi scilicet, qui delicta aliorum accusant vel produnt, tumidi sunt, & præ nimio fastu, & supercilio alios contemnunt, incusant, lacessunt. Denique addit, *Generatio, quæ pro dentibus habent gladios*, &ç. Nimirum hoc criminosum & cunctis infensum hominum genus adeò petulans & mordax est, vt pro dentibus gladios, & cultros pro molaribus habere dixerim, quibus pauperes, ac misellos homines proscindunt, molunt, conficiunt. Hæc de priori sensu, qui deinde enucleatiùs edisserendus mihi est, sed tamen huic expositioni non assentior.

91. Posterior interpretatio easdem quatuor sententias ad subsequentium sensum reuocat: hæc autem nomine דור *Dor, seu generationis*, prolem vel filium intelligit, hæc enim est altera non insolens eius vocis significatio (vt iam præmisi.) Animaduertere autem oportet Salomoné plerasque huius capitis senté-tias

A sic contexere, vt quasdam res inter se componat, & ex collatione reliquis alteram anteponat: nam paulò post subnectit. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.* Et iterùm. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum incedit fœliciter*, & rursus, *Tria sunt, insaturabilia terra, & quartum numquam dicit Sufficit* quæ postmodùm enumerat, & inter se confert, & præfert. Ergo ad eundem modum hîc Salomon quatuor generationes, vel prolis differentias recenset, & in seriem redigit, vt eas inter se conferat, & ex collatione alterá præferat, scilicet quartam. Intelligit autem quatuor filiorum differentias, qui vitia quædam ex sua natiuitate trahere solét. Itaque per *generationes* filios accipit prauos, malitiam ex genere & origi-
B ne petentes. Huius interpretationis autores mihi sût Sept. qui loco *generationis filium malum* vtique reddunt. Quomodo autem hæc intelligi oporteat, ex dicendis constabit. Singula iam expendo.

Generatio quæ patri suo maledicit, &c. In Hebraïcis deest relatiuum *quæ*, sic enim habent. *Generatio patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit.* Sept. *Filius malus patrem suum maledicit*, &c. Hæc verba, si iuxta priorem illam seriem accipiantur, quæ sentétias istas cum antecedenti clausula nectit, duplicem ad sensum vocari possunt. Præmittit enim Salomó *seruum*, id est, humilem, abiectum & de fæce hominem, apud superiorem, aut iudicem non esse accusandum, ac subdit. *Ne maledicat tibi*, &c. hinc duplex sensus se-
C quentis clausulæ, *Generatio, quæ patri suæ maledicit, & matri suæ non benedicit.* Nam referri possunt vel ad 92.
accusatorem, vel ad seruum: si de accusatore, & delatore capiantur, sensus conformandus est, vt supra. *Generatio, quæ patri suo maledicit*, &c. quasi dicat, aliqui sunt ad maledicta iactanda, & crimina aliis imponenda ita procliues, vt non modo in alios sibi inferiores, aut æquales maledici sint, sed etiam in parentes suos maledicam linguam exerere soleant: ipsisque contra omnia naturæ iura crimina, & calumnias affigere non vereantur. cum ex aduerso qui parcunt iniuriis & maledictis etiam erga inferiores longissimè absunt, ne superiores quomodolibet lingua sua violent aut saucient. Vnde eleganter Plato in dialogo 6 de legibus agens de seruorum educatione sic scribit. *Est autem recta horum educatio, vt nulla illis contumelia inferatur, iniuriaque his multò minus,*
D *quam æqualibus inferenda: liquido enim colligitur qui ex natura, & non fictè iustitiam colit, oditque reuera iniquitatem, cum cauet ne his iniuriam faciat quibus facile potest. Qui ergo circa mores, actionesque seruorum nihil vnquã facit impiè, nihil iniquè, atque adeò in his se seruat immaculatum, ad producendas virtutis fruges erit aptissimus.* Et quia hîc Salomon non præsè de seruo Plato.
agit, sed in vniuersum de omni viro superiori, & potentiori erga inferiorem & inualidum (vt supra animaduerti) subdit Plato. *Idemque de Domino, & Rege, omnique potétiori erga imbecilliores rectè dici potest.* Hęc ille, quibus verbis argumentum quorundam inseruit à minori ad maius, sic enim disertè ratiocinatur. Qui
E seruum humilem & imbecillem cui facilè & impunè iniuriam inferre potest, non lædit, faciliùs & própriùs adduci poterit, vt in æquales vel superiores & potentiores iniurius non sit. Nimirùm suadet Salomon auditori ne vnquam infirmiores lædat, sed ipsos potius obseruet & colat, ne inde assuefactus parentibus suis parum deferat. Huic sententiæ ex aduerso respondet id quod dixit Telecrus apud Plutarchum in Laconicis, qui percontatus cur mos esset apud Spartanos, vt iuuenes quantumuis nobiles assurgant senioribus etiam sordidis, & ignobilibus, sic occur- 93.
rit. *Vt assueti honorem reddere senibus propinquitate iunctis, magis honorent suos parentes senio confectos.*

Ergo

Plutarch. Ergo ſimili oratione ſuadet Salomon non eſſe inferendas iniurias infirmioribus etiam ſordidis, ne inde iuuenes aſſueſcant parentibus ſuis ſenio confectis iniurias dare. Cæterùm hæc interpretatio, quam recentiores aliqui tradunt, in eo peccat, quia non ſatis firmum argumentum conficit, dum à ſeruorum calumniis, ad parentum iniurias tranſit. Niſi dicas argumentationem ab iniuriis, quæ inferuntur ſeruis, hoc eſt infirmioribus & imbecillioribus, ad parentes ſenio iam confectos, infirmos, atque imbecilles transferri, quaſi dicat. Quiſquis ex eo alios iniuriis & calumniis appetit, quia infirmi ſunt, atque inualidi, is ſanè ſi parentes tàdem habuerit ſenectute ingraueſcente viribus effœtos, & imbecillitate ſimili præditos, eos etiam iniuriis & probris laceſſere audebit. B Sed tamen hæc minus accurata ſunt.

94. Satius eſt prædicta verba ipſimet ſeruo vel humili, aut ignobili viro affigere, ſic enim luculentior euadit ſenſus ad hunc modum. Ne ſeruum, id eſt, ſordidum & degenerem hominem per calumniam accuſes, is enim cùm læſus erit, probra & iniurias in te reArist. geret. *Generatio, quæ maledicit patri ſuo, & matri*, &c. id eſt, Hoc genus hominum, ſordidum, vile, & ignobile, per ſummam petulantium etiam parentes ſuos probris & maledictis appetere ſolet. Et quidem ita docet Ariſtotel. in Ethicis libr. 3. cap. 5. & experientia ipſa fidem facit, ignobiles, ſordidos, & plebeios homines patriæ poteſtatis temeratores & pietatis erga parentes violatores faciles eſſe. Itaque mens Salo- C monis hæc eſt, Ne virum ſordidum & infamem calumniis, aut accuſationibus laceſſas, nam vltionis appetens maledicta & probra in te retorquebit. At, inquies, Princeps, ac Dominus, aut herus ſum, atque adeò ſordidus ac vilis homo verebitur me? Non ita, inquit Salomon, *Generatio enim hæc maledicit patri ſuo, & matri ſuæ non benedicit*, id eſt, hæc hominum vilis conditio probris aut calumniis laceſſita mirum in modum ſæuire ſolet, adeò vt ne parentibus ſuis parcat.

95. Quod ſi poſteriori modo, atque ordine prædictæ ſententiæ conformentur, ita vt quatuor prauorum filiorum ſpecies ab ortu ſuo vitia noxaſque trahentium enumerentur, & quarta reliquis præferatur, D ſenſus erit. *Generatio* (vel, vt habent Sept.) *malus filius patri ſuo maledicit, & matri ſuæ non benedixit*, id eſt, liberorum quoddam genus eſt impium, ac ferum, quod parentum ſuorum amorem, & timorem exuẽs, eos probris, ac maledictis dehoneſtare ſolet: eiuſmodi autem filij vitium hoc ex ſuiſmet natalibus quodammodo haurire conſueuerunt, nam fere ſic accidit, vt filij ſæui, ac crudeles in parentes, liberos generent, qui eandem ſæuitiam & crudelitatem in ipſos exerceant. Itaque hæc ſententia ſuadet filiis, vt parentes ſuos colant, & revereantur, ne liberos ipſi gignant contumaces, & proteruos: ſed de hac ſententia infra verſu 17. non pauca dicam. Subdit Salomon:

Generatio, quæ ſibi munda videtur, & non eſt lota à E *ſordibus ſuis*. Heb. ad verbum. *Generatio munda in oculis ſuis, & à ſorde ſua non eſt lota*. Sept. *Filius malus iu-* Hieron. *ſtum ſe indicat, exitum verò ſecum non lauit*. Diuus Hieronymus libro 1. contra Pelag. *Filius malus iuſtum ſe facit, & non lauat exitum ſuum.*

96. Si in prima ſerie hæreamus, verba iſta ad ſuperiorem illam clauſulam reuocantes. *Ne accuſes ſeruum*, &c. ſententia hæc duas capit expoſitiones: duabus reſpondentes, quibus antecedentem donaui. Nam ſiquidem de illo intelligamus, qui ſeruum, vel inferioris notæ virum accuſat, & lædit: ſenſus erit cum priori conſentiens, *Generatio, quæ ſibi munda videtur*, &c. Mirum quod hoc genus hominum ad accuſationes & calumnias in ſeruos & infimos quoſque ia-

A ctandas procliue ſit, fallax quædam exiſtimatio in cauſa eſt, nam ſemetipſos vitæ integros & ſceleris omnino puros falsò ducunt, & hinc temerè ad alios accuſandos & carpendos veniunt, & tamen non paucis ſcelerum ſordibus infecti ſunt, propter quas ſeruorum & abiectiſſimorum hominum accuſationibus & calumniis obnoxii ſunt. Vel aliter ad infamiam referre licet hoc ſenſu. *Generatio, quæ ſibi munda videtur*, &c. id eſt, illi, qui ad calumnias ingerendas proni 97.
ſunt, & ſeruis aliiſque infimis hominibus noxas & ſordes affigere non dubitant, ex his ſunt qui ſe puros, mundoſque ab omni dedecoris, & infamiæ labe falsò putant: qui ſi ſapiant, & ſuam originem perſcrutentur, planè inuenient nequaquem ſe ab omni ſorde infamiæ perpurgatos eſſe, atque adeò maledicentiæ, ac mordacitati ſordidiſſimorum etiam hominum ſubiacere. Cuius enim tàm pura mundaque conditio, & genus, qui auos ſuos atauoſque memoria repetens omnem infamię labem fugiat: nullus profectò. Quod ſi de ipſiſmet ſeruis & ſordidis hominibus intelligantur præfata verba, ſenſus erit; Ne ſeruum illiberalem & ſordidum hominem illatis contumeliis tibi infenſum reddas, quia tibi ipſe contumeliarum vicem reddet. At, inquies, ſordidus eſt, atque adeò contumelias, & iniurias leuiores ducit. Minimè verò, imò potius nemo eſt tot ſordibus infectus, qui non ſibi purus, & ab omni labe immunis videatur, atque iniurias & probra non detrectet. Id ſibi volunt illa verba. *Generatio, quæ ſibi munda videtur, & non eſt lota à ſordibus ſuis*, &c. id eſt, cùm ſit pluribus infecta ſordibus, puram nihilominus, atque illibatam ſeſe iactat & putat. Ita enim fert vana hominum exiſtimatio, vt homo, quãtumuis humilis, de ſemetipſo tàm demiſsè ſentiat, vt ſordidum planè, & abiectum ſeſe putet, atque iniurias & probra non auertat, &, ſi liceat, in exprobratorem ſuum non conuertat. Itaque ſecundùm hanc ſententiam ſuadet Salomon auditori, ne ſordidiſſimorum etiam hominum famam lædat: omnes enim mundos ſe putant, atque adeò infamiam ægrè ferentes, eam in ſuos exprobratores retorquent.

Cæterùm, ſi cum Sept. interpretibus de filiis accipiamus, qui ab ortu ſuo vitium aliquod trahunt, lo- 98.
cus hic de ſpuriis, ac nothis liberis exponendus erit. Lectio Sept. ſic habet. *Filius malus iuſtum ſe facit, & non lauit exitum ſuum*, exitus autem accipitur pro natiuitate atque ortu. Itaque ſenſus eſt. Filius nothus & degener, etiamſi nonnumquam frugem bonam inchoet, & iuſtitiam, ac bonos mores ſimulet, tamen ſuæ natiuitatis originiſque labes nunquàm prorſus detergit: imò ſæpius in ea vitia recidit, quæ ſpurios, & degeneres addecent. De quibus idem Salomon Sap. 6. *Ex iniquis enim ſomniis filij qui naſcuntur, teſtes* Sap. 4. *ſunt nequitia aduerſus parẽtes ſuos in interrogatione ſua.* Filij videlicet ex illicito concubitu ſuſcepti, ſi exquirantur eorum mores, & vita excutiatur (ſic accipio illa verba *in interrogatione ſua*) ſæpius parentum ſuo- 99.
ruorum intemperantiam, & libidinem malignis ſuis moribus produnt ac teſtantur. Itaque Salomon ſecundùm prauæ & degeneris ſobolis ſpeciem hîc recenſet, quæ ſcilicet parentum, vt ita dicam, ſapit vitia, & intemperantiam moribus ſuis exprimit. Loquitur verò de ſpuriis, ac nothis liberis. Eiuſmodi autem liberos non modo ſordidos, ſed ipſiſſimas *ſordes* appellat L. *humilem* Codic. de inceſtis nupt.

Quia ſordes, inquit, *non merentur nominari inter præcipuos*, & Bald. in cap. *Innotuit*. col. vlt. ver. *Nota quod nobilitas*, ſic habet, *Baſtardi nobilium non ſunt nobiles, quia non decidunt ab aliquo fonte puro, & nobili*: ſed, liceat ſic dicere, ex ſanguine putrido. Ergo Salomon appoſitè ad hæc ait (ſententiam hanc nouã expoſitione dono) *Et non lauit exitum ſuum*, id eſt, Filius no-

thus, cùm ex fonte satis impuro manet, fieri non potest, vt deinde istè, ac piè viuens sordes in decursu vitæ suæ omnino deponat, quinimò fontem semper riuulus imitatur. Hûc spectant eiusdem Iurisconsulti verba in cap. fin. de translatione Epis. circa med. *Spurius*, inquit, *legitimatus*, aut *aliqua alia ratione nobilitatus, similis est agro curato à vulnere, cuius aliqua semper remanet cicatrix.* Ex qua sententia alius etiam Salomoni sensus affigi potest hoc modo. Filius spurius, ac nothus, quamlibet iustè viuat, & piè conuersetur, numquàm omnino eluit labem natalium suorum. Quia tàm degener, & sordida est spuriorum conditio, vt nota ignobilitatis, quę inde trahitur, nullis medicamentis extergi queat: Semper enim ex curato vulnere superest adhuc cicatrix & sordes ex fonte fluentes numquàm penitus subsident. Hunc ad sensum vocanda est lectio Vulgata. *Generatio, quæ sibi munda videtur, & non est lota à sordibus suis.* Hæc nimirùm prolis nothæ, ac degeneris species quantumlibet puritatem affectet, nunquam tamen suorum natalium defectum instaurare, ac reficere omnino potest: numquàm mores sic instituit, vt vitia natiuitatis non referat, & parentum suorum intemperantiam non prodat. Subnectit:

Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrecta. Hebr. *Et palpebra eius eleuata sunt.* Sept. *Filius malus sublimes oculos habens & palpebris suis extollitur,* &c.

100. Hic locus secundùm duos modos innodandi sententias istas, duas quoque expositiones subit. Si enim cum superiori illa sententia consuatur. *Ne accuses seruum,* &c. & de eo sermo sit, qui seruo, id est, homini infirmo, & impotenti calumnias imponit, sensus sic cōformari debet. *Generatio, cuius excelsi sunt oculi,* &c. id est, eiusmodi homines calumniatores, & exprobratores humilium hominum, fastuosi sunt, & timidi, qui fastum, & tumorem elatione oculorum, & supercilio præ se ferunt, & reliquos homines præ se nihili æstimantes ex despicientia & contemptu, tenues præcipuè, imbecilles, & plebeios iniuriis contumeliisque lacessunt. Et quidem superbiam, & fastum superciliorum elatione, & motu imprimis prodi alibi diximus. Subscribenda hîc sunt verba Plinij lib. 11. cap. 37. *Supercilia homini, & pariter, & alternè mobilia, & in his pars animi: his negamus, annuimus: hæc maximè indicant fastum. Superbia alicubi conceptaculum, sed hic sedem habet, in corde nascitur, hic subdit, hic pendet: nihil altius simulque abruptius inuenit in corpore vbi solitaria esset.* Sanè superbia, & tumor perpetuus nobilium affectator, & comes, & ex tumore aliorum despectus. Salustius in Iugurtino sic in Metellum. *Metello,* inquit, *quanquàm virtus, gloria, & alia optanda bonis superabant, tamen inerat illi contemptor animus, & superbia commune nobilitatis malum.* Sed nobilium in populares, & tenues homines maior despectio, atque odium. Bald. in l. per adoptionem. ff. de adoptione. *Nobiles,* inquit, *sunt maxima ex parte superbi, popularium osores & contemptores.* Sed tùm maximè in Populares ardent, cùm quisquàm illorum nobilitari denuò, & honestari incipit: hinc Tullius, qui nobilitati suæ initium dederat 7. in Verrem actione sic fatur. *Hominum nobilium non ferè quisquam nostra industria fauet: nullis nostris officiis beneuolentiam illorum allicere possumus: quasi natura, & genere disiuncti sunt: ita dissident à nobis animo & voluntate, quemadmodum sanguine.* Et quidem hanc nobilioris, & parum generosi sanguinis discordiam optima similitudine duarum auicularum, Spini videlicet, atque Hori, adumbrauit Plutarchus in Moral. Inter *Agaballos,* inquit, *& Achanalides* (sic vocat præfatas auiculas) *tantum est odium, vt si sanguis earum vi misceatur, continuò secernat se, ac dissiliat: sic inter Patritios, & plebem, si quando pro rerum vsu coniungantur, & conspirent, durat tamen vsque odium naturale.* Hinc est vt mutuò alias maledictis, probrisque proscindant. Fitque locus alteri expositioni, quæ verba præmissa non proceribus aduersus humiles, sed humilibus, ac sordidis, aduersus proceres tribuit. Ne seruum, hoc est hoc sensu sordidum, & degenerem hominem incuses; aut contumeliis quibusuis lædas, nam hoc genus hominum sæpiùs insolescit, & iugi impatiens implacabiliter contra primarios, & optimates erigitur. Hoc sibi vult illud, *Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebra eius in alta surrecta.* Quasi dicat, ne putes eiusmodi homines abiectos, & humiles facilè edomari, & sublimiorum iniurias, & probra perpeti: sæpius enim nobiliorum iugum insolenter detrectat. Appositè ad hanc sententiam Plato in Dialog. 6. de legibus. *Difficilè,* inquit, *domatur homo, & necessariam distinctionem serui à libero, & domino, humilisque ab ingenuo, & nobili egrè patitur.* 102.

Cæterùm iuxta posteriorem illam seriem, quam supra reliquis prætulimus, de filiis prauis vitia quædam ex genere habentibus præfata verba talem sensum reddunt. *Generatio* (vel, vt habent Septuaginta.) *Filius malus, cuius excelsi sunt oculi,* &c. quasi dicat, alia est filiorum praua, atque detestanda species, eorum scilicet qui ob natalium splendorem, & gloriam superbè tument. Itaque cùm præmisisset spuriorum conditionem satis malam, qui suorum natalium vitia & sordes labesque nunquam prorsus eluunt; iam nunc aliam fortasse deteriorem inducit, eorum scilicet, qui gloriosis orti parentibus propterea extolluntur, & superbiunt. Et quidem superbiam nobilitati agnatam esse, & fastum genuinum esse patritiorum vitium supra diximus. Sed præmissis testimoniis aliud subnecto ex Plutarcho in libro de liberis educandis circa initium, vbi cuiuspiam veteris Poëtæ sententiam adducit in hunc fermè sensum. *Sceleris parentum conscia mens fortissimum quemque captiuum trahit virum, quemadmodum iactantia simul, & fastu repleti sunt, quibus claris nasci parentibus obtigit.* Atqui ob generis claritatem, & progenitorum splendorem nimiū extolli non leue filiorum vitium est. Vnde pulchrè satis Plato in Charmide, seu *de temperantia.* Cum enim adolescens obiecisset se capite dolere, addit Socrates, capitis morbum maximum in iuuene ingenuo esse iactantiam & superbiam, atque adeò morbum hunc ante alios curari oportere, sed difficultatem huius curationis extollens ait. *Caput,* inquit, *solum curari nequit, quemadmodum ex peritis sæpe medicis audiuisti, qui quoties aliquis dolore oculorū affectus eos consulit, aiunt non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeantur, neque caput absque totius corporis medicina posse curari: hac de causa regulis quibusdam toti conferentibus vtuntur, & à toto ad partem transeunt restituendam.* Ad eum igitur modum (inquit Plato) quicumque superbiæ, quæ ingenuorum adolescentium capita vexare solet, succurrere voluerit, reliquos eorum morbos & prauas affectiones per temperantiam curare debet, ac tunc demùm caput benè valere incipit. Itaque mens illius Philosophi est, fastum & superbiam in iunioribus inter alios animi morbos tanquàm capitis dolorem & grauedinem extremam sanari; sed remedium aliquod præsentissimum disquirens ad eam grauedinem leuandam, sic scribit. *Ego verò percontante illo vtrum capitis aliquam medelam scirem, vix tandem me scire respondi. Quænam ista inquit? folium quoddam aio. At insuper addenda est incantatio, quam si quis adhibeat, folioque vtatur, sanitas restituitur absque incantatione folium nihil confert.* Et infra, huius excantationis formam subscribens asserit eam esse, *Vera nobilitas, & pulchritudo*

Plato. 103. Plutarch. Plin. 101. Plato. 104. Salust. Bald. Cicero. Plutarch. 105.

pulchritudo in virtute sola ponenda est. Et quidem nullum præsentius remedium excogitari poterat, ad arrogantiam, quę nobilium adolescentum capita tentare solet, sanandam, quàm hæc vna persuasio scilicet nobilitatem in vna virtute, & honestate consistere.
Nazianz. Vndè optimè D. Gregor. Nazianz. in tetrasticho. 36.

Malum vocari turpe, non ignobilem.
Sunt namque pridem putridæ carnis genus.

Subditque optimam rationem, quia qui malus est, soluit genus suum, qui autem bonus, & honestus eidem initium præbet: hoc autem præstantius est, quàm illud. Itaque sic ait.

Genus auspicari præstat, id quàm soluere:
Vt esse pulcrum, quàm satum pulcro patre.

Secundi autem carminis sententiam luculentius tradit infra in Iambic. de virtute, huic enim nobilitatem postponens sic addit.

Stirps clara generis est mihi Princeps bono
Quo sum ortus, ad quod subueho viam meam,
At nobile illud terrei, vocant, genus
A labe, nexu, & corporum quod profluit
Clarisque quondam mortuis, & putridis
Fluente fimo, neutiquàm putandum est nobile.

Sed redeo ad Solomonem, qui docet satis malum, & turpem esse filium, qui ob generis nobilitatem tumens, & iactabundus, oculis & superciliis elatis despectum, & contemptū aliorum præ se fert: est quippe vitium hoc morbus capitis periculosus, cui aliter mederi non licet, nisi curatis, ac medicatis reliquis prauis animi affectionibus, quia nimirum morbus hic extremo loco pellitur. Subdit.

106. *Generatio, quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis. Vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Hebr. *Generatio gladij dentes eius, & cultri molares eius ad comedendum afflictos ex terra, & egenos ex hominibus.* Pro *gladiis.* Hebr. est חרבות *Charaboth*, pro *cultris* מאכלות *Maachaloth.* Est autem *Charaboth* vox nota *gladios* sonans, aliquando etiam *malleos* ad cædendos, & poliendos lapides. Et vt docet R. Dauid, significat in vniuersum omnia instrumenta ferrea ad cædendum apta; scilicet securim, falcem, malleum, & in vniuersum arma omnia: Cuius significationis latitudo opportuna est hoc loco, vt statim dicemus. At verò vox illa *Maachaloth* fluit à radice אכל *Achal*, id est, *comedit consumpsit.* Duplici autem modo accipi potest: vel ita vt sit Benoni in coniugatione *Piel:* tunc verò sic reddi debet. *Comedentes*, aut, *mandentes molares eius.* Hanc significationem præferens interpres noster transtulit, *Et commandens molaribus suis.* Vel ita vt sit pluralis numerus ex voce מאכלת *Maacheleth*, quæ *cultrum*, seu *gladium* adsignificat. huic significationi adhæserunt Septuag. qui locum integrum sic conuertunt. *Filius malus gladios dentes habet, & cultros malos, vt consumat, & comedat humiles de terra, & pauperes eorum ex hominibus.* S. Hieronymus vbi supra, leuiter dissidet. *Et malos cultros comedentes infimos de terra.* reliqua consonant. Hieron.

107. Similem ad modum loci istius dissimilis est sensus iuxta duos illos nodos, quibus quatuor sententias deuinximus; si enim cum verbis illis nectamus, *Ne accuses seruum*, &c. duplex interpretatio subest. Altera ad eum pertinet, qui seruum, id est, humilem virum opprimit calumnias illi imponens. hoc modo. *Generatio, quæ pro dentibus habet gladios*, &c. nimirùm procerum, diuitum, atque sublimium hominum in rebus publicis ingens erga plebeios, & infimos odium est: atque adeò verbis suis, probris, & contumeliis eos assiduò commordent, & lacerant. Itaque hæc interpretatio morsus, & lanienam, quam isti in pauperes, atque egenos edere dicun-

A tur, ad linguā & verba refert, iuxta scripturæ phrasim. *Fili hominum dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Psal. 56. Cui expositioni optimè inseruit vox illa *Charaboth.* quæ, vt nuper obseruaui, omnem ferrei instrumenti speciem sonat, habilem ad cędendum lapides, ligna, messes, homines, &c. vt constet linguam maledicam nemini vnquàm parcere, atque omnia armorum genera imitari. Psalm. 56.
Secunda expositio præfata verba seruo, seu humili & obiecto homini dat, qui læsus ad vlciscendam iniuriam sibi illatam excitatur: sed tamen difficilè admodùm huic sententiæ adaptatur. Aliqui sic exponunt. *Generatio quæ pro dentibus habet gladios*, &c. i. hæc seruilis, humilis & degener hominum conditio,
B quando vlciscēdarum iniuriarū desiderio impellitur, mirum in modum sæuit in suos calumniatores, adeò vt prodentibus habeat gladios (quod sic commutandum censent) cùm exarmati sunt, dentibus ipsis vtuntur pro gladiis & molaribus pro cultris. i. cùm non possint contra proceres armis vti, & gladiis, dentes aduersus illos exacuunt, iniurias scilicet & contumelias in illos iactant. Extrema autem illa verba, *Vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus*, quæ ab illa expositione abhorrere videntur, si accommodāt, quasi dicat. Hęc vilis conditio hominum imprimis cauenda est: tantā enim solet insaniā furere, vt non modò in proceres sibi aduersos, sed etiam in pauperes, & viles alios homines sibi æquales, aut etiam inferio-
C res insanire soleat, quod perinde est, ac si dicat: prę insaniæ in obuios quosque furit, siue magnos, siue paruos. Cæterum in his omnibus coactio non parua est.

Longè accommodatior sensus elicitur iuxta posteriorem huius ordinis pangendi rationem. Sed duo imprimis notanda sunt. Prius est quartum hoc pessimæ prolis genus reliquis malitia præferendum esse, vt præmissus ille ordo constet. Posterius est eam deuorendi, & dentibus lacerandi allegoriam de maledicentia accipi posse, aut de auaritia. Prioris significationis exemplum nuper dedi: posterioris autem occurrit in Psal. 9. *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua: insidiatur, vt rapiat pauperem* (scilicet 108.
D ad lanienam) *rapere pauperem dum attrahit eum.* Habac. 2. *Exultatio eorum, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.* Et Psal. 37. *Qui deuorant plebem meam, vt cibum panis.* & passim aliàs. His præmissis si de maledicentia sermo sit, sensus erit. *Generatio*, seu, *filius malus*, secundum Sept. qui *pro dentibus habet gladios*, &c. (præfatam illam verborum commutationem hîc admittendam puto) quasi dicat: quæ pro gladiis dentes habet, id est, cùm gladio vti non possit, vel non audeat, dentes exerit. Cui expositioni fauet lectio originalis, quæ sic planè ad verbum efferenda est. *Generatio gladij dentes eius*, &c. quæ vtrumque sensum capere potest: nimirum & dentes pro gladiis, & gladios illi pro dentibus esse. Ergo sententiam Psalm. 9. Habac. 2. Psalm. 37.
E hanc ad imbelles homines, & meticulosos, vulgò *Cobardes*, spectare existimo, quasi dicat, inter alias prauæ sobolis species est denique alia: quænam hæc? *Vn hijo cobarde*, à maiorum suorum fortitudine, ac robore deciscens: hic ergo cùm armis nihil possit, nec valeat, nec ausit, omnium armorum loco linguā, & dētes ducit, quibus graues ad modùm, atque immedicabiles plagas infligit, hoc sibi vult illud, *& gladij dentes eius, & cultri molares eius*, id est, dentes pro gladiis, & molares pro cultris, exacuit ad demordendam & laniandam proximorum famam. Et quia metus illum aliquando à potentiorum iniuriis continet, propterea in humiles & pauperes potissimùm lingua & maledicentia sua furit. Hæc omnia ignauiæ & timiditatis sunt, quid enim magis proprium ignauis, quàm

quàm *verbigerari* (vtor verbo ab Apuleio festiuiter nouato aduersus timidum quendam & imbellem, sed dicacem militem) quem non belligerari, sed verbigerari potius solitum affirmat. Hinc Virgil. minacem linguam ignauiæ dat. *Virgil.*

An tibi Mauors
Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis
Semper erit, &c.

Et Hector apud Homerum. *Homer.*

Sane ego vel diuis ausim contendere lingua.

Sed vere audacia ad dicendum in timidis & ignauis non aliunde sanè, vt ait Seneca, nisi quia lingua eminus ferit, propterea ad conuitia prompti. Non iniucúdum est illud Memnonis factum apud Plutarch. in Apophthe. qui militem quendam multa conuitia petulanter contra Alexand. iactantem hasta confodit dicens. *Ego te alo, vt pugnes contra Alexandrum?* Ita.n. putabat eum qui linguam in hostē strinxerat, gladiū nequaquā nudaturum. Porrò fortitudo non maledica neq; minax, sed cum facto opus est tacita rē exquitur.

109. Quod dicamus Salomon, hic in diuites inuehi, sensus erit, *Generatio, quæ pro dentibus habet gladios.* (LXX. *Filius malus*) quasi dicat. Est alia soboles præ cæteris perniciosa, filius scilicet qui diuitias, amplumque patrimonium à parentibus hæreditario iure capiens his abutitur ad pauperes opprimendos, & laniandos. Ego enim ita existimo Salomon. qui iam inde supra summis precibus à Deo contenderat, ne sibi diuitias, & opulentiam multam donaret, præter rationes iam inde adscriptas, hanc etiam reliquis adiungere, quia scilicet diuites immites valde, atque feroces sunt in pauperes & egenos. Istam verò truculentiam ori tribuit, ac dentibus Salomon venusto schemate, *quæ pro dentibus habet gladios*, &c. scilicet dentibus ipsis pro gladiis vtitur, quibus pauperes ac tenues homines comminuit, ac comminutos deuorat. *Vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Concinit enim hæc sententia cum his quæ de sæuitia diuitum in pauperes nuper adscripsimus. Subest autem pro *gladiis* vox illa *Charaboth*, quæ omnem ferrei instrumenti ad cædendum idonei speciem adsignificat, quod omnimodam diuitum in tenues sæuitiam innuit. Diuitum ora describit Chrysost. Homilia 9. in primam ad Corinth. *Quid ore illius* (idest, diuitis) *truculentius? quid sæuius, quod omnia deuorat, & non satiatur?* ac infra subnectit. *Ora quoque illorum sunt ora ferarum, imò vero ora illorum sunt feriora: non solum enim mordent, sed etiam verba dicunt, quæ magis quam ferarum dentes virus emittunt, & cædem faciunt.* Gregor. Nazianz. eorum ora cum rictu, ac dentibus leonum confert in Iambic. 22. aduersus opum amatores, vbi sic ait. *Chrysost.* *Nazian.*

110. *Vorat que post hunc vt leo, qui à bestia*
Feras cruentas submouet, non ducitur
Benignitate, sed parat prædam sibi.

Sic etiam diuites aliquando pauperes ab aliis item diuitibus defendunt, vt eos paulò post aptius deuorent. Basilius hanc diuitum ingluuiem similitudine piscium adumbrat, inter quos minores semper maioribus in escas cedunt: nam Homil. 7. in Hexam. sic habet. *In mari piscis minor esca maioris est, & si vsquàm euenerit, vt is, qui minorem superauerat, alterius præda fiat, ambo simul deglutiuntur, & in vnum vltimi piscis ventrem deuoluuntur. Quid quæso nos homines aliud agimus cùm vim afferimus inferioribus? quid interest inter eum & vltimum piscem, qui sua intemperanti cupiditate diuitias consequendi, in suos inexplebiles auaritiæ sinus imbecilles ingerit homines, atque condit?* Et breui interstitio sic attexit. *Prouideto ne finis idem tibi, qui piscibus euenire crebrò solet, occurrat, hamus forsitan, nassa, aut rete.* Hanc verò posteriorem interpretationem vel ideò reliquis anteponendam puto, quia illi cum subsequentibus mira concordia. Subdit enim Salomon multa de auaritia. *Basil.*

---

15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, affer.*

SAnguisuga, Hebræa, עלוקה *Ghalukah*, cuius vocis significationem germanam aucupari necesse est. Ex Hebr. Rabi Sahadgah, *priuationem* notari affirmat, quasi dicat. *Priuationis duæ filiæ sunt*, exponit autem de morte: quasi duplex sit mortis genus; aliud est, eorum, qui postquàm nati sunt decedunt; aliud eorum, qui in vulua, & matrice parentis suæ ante natiuitatem immoriuntur. vtrumque autem mortis genus assiduò instat, & homines quàm plures, tàm ex his, quàm ex illis conficit, ac consumit. Et quidem hæc verba cum sequentibus nectere conatur hic Hebr. sed perperàm. Sunt etiam ex Rabinis alij, qui voce illà *lacertam* significari docēt, alij *crocodilum*, ac per hæc mortem, & obitum, hoc sensu. *Crocodili filiæ duæ sunt*, idest, mortis oppetēdæ non vna, sed duplex ratio. Alios.n. mors deuorat subitò, illos aggrediens, ac degluttiens, alios veluti mandit, & dentibus conterit, quos.s. longis morbis, ac diuturnis febribus tabefacit, ac consumit quemadmodum etiam crocodilus alia deuorat, alia mandit. Sunt qui duas lacertæ filias, duos dentium ordines intelligunt, qui inter se commissi quidquid demorderint arctiùs tenēt. Hæc & alia minus apta Hebræi comminiscuntur, sed illud minimè silentio premendum quosdam vocem illam ad עקל *ghiquel* reducentes per metathesin, aut litterarum quandam commutationem, *gehennam* conuertisse, hoc modo. *Gehennæ filiæ duæ sunt dicētes, affer*, &c. nimirùm duo ora, aut rictus, quibus homines ad se pertrahit, luxuriam scilicet & *auaritia*. sed de his postea. Cæterùm his omissis Sept. linguam sanctam apprimè callentes *sanguisugam* conuerterunt, queis hæret Thargum: meritò ergo noster interpres hanc translationem reliquis prætulit. Subiicio verba Sept. quæ non parum abeunt a lectione Vulgatæ. *Sanguisugæ tres filiæ erant dilectione dilectæ, & tres ipsæ non saturauerunt eam, & quarta non sufficit dicere, satis est*, qui planè verba hæc cum sequentibus illis contexerunt. *Tria sunt insaturabilia, & quartum nunquam dicit, sufficit*, &c. Sed cur non duas, sed tres filias numerant non satis assequor, nisi dicamus vocē illam *duo*, aut *duæ*, in scriptura pro paucis accipi solitam. 3. Reg. 17. *En colligo duo ligna, & ingredior*, &c. i. pauca ligna, nescio an alibi. Ergo Sept. cùm *duas* nō germanè pro duabus, sed pro paucis acciperent, vt prior hæc sententia cum sequenti congrueret, augentes numerum *tres filias* extulerunt. At cur etiam, inquies, addunt, *Vnicè dilectæ*, vel, *dilectione dilectæ?* cōiectura est in promptu, quia origines ad verbum sic habent. *Sanguisugæ duæ filiæ da, da.* Hebr. הב הב *bab, bab.* Ergo qui has voces trahunt à radice יהב *Iahab*, id est, *dedit*, aptè transferunt *da, da.* vnde Vulgatus suam hausit lectionem, dicens *Affer, affer*, verba scilicet omittens, ac sensum tenens. Cæterùm si voces illæ fluant ex radice illa quadrata הבהב, ita vt in vnam coalescant dictionem, locus sit translationi Septuaginta, nam verbum illud tantummodò occurrit Oseæ 8. vers. 13. vbi noster sic habet. *Hostias offerent, immolabunt carnes.* Hebr. pro *hostiis* הבהבי *Habhabai*, id est, *donorum meorum*, alij verò meliùs, *Pro hostiis mihi gratis, & acceptis immolauerunt carnes*, &c. Ergo Septuaginta illud *bab, bab*, ad hanc significationem & radicem referentes appositè conuertunt, *Sanguisugæ filiæ tres vnicè gratæ*, aut, *dilectæ.* Symmachus etiam concinit cum nostra. 111. 112. *3. Reg. 17.* *Osee 8. v. 13.*

113. Athanaſ. Hæc ſane verba, ænigmatica ſunt, atque adeò interpretes per diuinationem quandam eorum ſenſum aucupantur, Sic docet D. Atha. in Synopſi ad Prouerbia Salomonis *Ænigmata & obſcuri ſermones, ita*, inquit, *cautè ſunt poſiti vt mœrere afficiant, ſi quis in illos incidat: propterea quod nihil manifeſti habeant, & ne ſuſpicionem quidem aliquam ſenſus præbent: vbi verò diligenter inquiſiti ſint, ſenſum, quem claudebant, indicant, quales ſunt illi. Sanguiſugæ tres filiæ ſunt dilectione dilectæ, & hæ tres, & quarta non dicunt, ſatis eſt*, &c. Sic ille extulit tranſlationem Septuaginta. Quid ergo patres, atque interpretes ex hoc ænigmate ſenſus eruerint iam aperio, & expendo. Illud autem premittendum duxi *duas ſanguiſugæ filias* ex multorum interpretum conſenſu ad literam ſignificare duo ora quibus hirudines ſanguinem trahunt. (Plin.) Plinius lib. 32. cap. 10. non vno tantùm ore præditas eſſe dicit, ſic enim ait. *Ergo ſugentia ora forcipibus præcidunt*. (Berchor.) Berchorius teſtimonium D. Iſidori producit, vbi os triangulum ſanguiſugæ accommodat, id eſt, tribus quaſi angulis diſtinctum, cui numero reſpondet lectio Sept. qui tres filias huic ſanguiſugę tribuit. Galenus infra vnum tantùm os eiſdem dat. Cùm ergo de hoc numero non ſatis conſtet, diſquirere oportet an ſanguiſugæ alias pariant, quod nullus naturalis hiſtoriæ autor attigit. Plinius tantùm docet eas verno tempore naſci. Et quidem ego ita reor ſanguiſugas, ſicut multa animalia aqualitia parua, & inſecta, ex aquarum aliqua corruptione generari: alia enim ex aliis naſci non conſtat, ſicut limaces, & id genus alia: Quapropter cum Salomon hirudini filias dat, non tàm ad naturam huius vermis, quàm ad ſententiam reſpexit, vt poſteà ſubiiciam.

114. Prior ergo interpretatio peti poteſt ex Chryſ. in homil. 49. de maledicentia hoc ſenſu, *ſanguiſugæ*, id eſt, maledicentię *duæ ſunt filiæ*, duæ videlicet ſpecies, detractio, & contumelia, vtraque verò ſanguinem auidius ebibit. Aiũt enim hirudinem corruptum ſanguinem hauſtu ſuo eſſugere, incolumi parcere: propterea ægris adhibebantur, quorum ſanguis intabuit: ſic Saluianus in hirudine. Ad eundem modum maledici alienis malis enutriuntur, proximorum crimina, & culpas exprimunt, res autem benè geſtas opprimunt, atque conticent. (Chryſoſt.) Audi Chryſoſtomum. *Omnes auerſantur maledicum, vt eum, qui lutum redoleat, vt hirudinem, qui tetro ſanguine, & ſcarabeum qui ſtercore, id eſt, alienis malis aluntur.* Itaque maledicus hirudo eſt, qui ore ſuo bifido, hoc eſt detractione, & contumeliâ aliena mala velut tabidum ſanguinem exprimit. (Iſidor.) Illud etiam Berchorij ex Iſidoro ad hanc expoſitionem facit, ſic enim ſcribit. *Sanguiſuga venenoſis ſæpe inſidet, vt eorum humorem ſugat.* Quid ergo maledicis magis adſimile, quàm ſanguiſuga venenoſis adhæreſcens? nam quemadmodum hæc virus ore ſuo emungit, ſic etiam maledici defectus & culpas ſontium ore ſuo exprimunt. Quid plura?

115. (Plin.) Plinius vbi ſupra, *Aliquando*, inquit, *ſanguiſugæ ex morſu affixa relinquunt ora, quæ cauſa vulnera inſanabilia facit, ſicut Meſſalinum e conſularibus Patriciis cùm ad genua admiſiſſet.* Hæc ſanguiſugæ proprietas ſuperioribus, vel doctioribus à quibuſdam accommodatur, cum vitia aſperiùs & acerbiùs corripiunt, quàm par eſt, qui ex morſu ſuo verba quædam virulenta, & venenata in animis altiſſimè defixa relinquere ſolent, quæ interitum audientibus certò afferunt, quemadmodum virulentiſſimarum hirudinum venenatiſſima vulnera. Quapropter ſicut medici ſanguiſugæ virus vt emendent, & corrigant, eas dulci aqua immergere, & diutiùs includere, & aſſeruare iubent, & tunc demùm depoſitio veneno ægris admouent, vt tradit (Galen.) Galenus tom. 5. claſ. 6. cap. 1. de hirudinibus: ad eundem modum ſuperioris amarulenti & acerbioris linguã emendari oportet: vt correptionis acerbioris virus deſeratcharitatis, & manſuetudinis prædulci liquore tingenda, & immergenda eſt, & inſuper diutiùs includenda, & aſſeruanda. Lingua enim eiuſmodi, quam charitatis dulcedo imbuit, & diuturna cuſtodia continuit, iam tunc ægris admoueri, & ſine damno, aut iniuria, proximorum vitia carpere poteſt.

116. (Bernard.) Secundam expoſitionem tradit Bernard. in ſer. ad illa verba Euang. *Dixit Simon Petrus ad Ieſum*, vbi per *ſanguiſugam* voluntatem propriam, per *duas filias* auaritiam, & ambitionem accipit. *Auaritia*, inquit, *& appetitus laudis ſibi inuicem aduerſantur, nam quod illa congregat, hic diſpergit. hæc autem tam diſſimilia mala ex vna radice pullularunt, propria ſcilicet voluntatis, huius enim ſanguiſugæ duæ ſunt inſatiabiles filiæ clamantes affer, affer: ſi quidem nec animus vanitate nec corpus voluptate ſatiatur: vt ſcriptum eſt, Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu: fuge ſanguiſugam hanc & omnia reliquiſti.* Hæc ille. Sed quàm aptè auaritia, & ambitio cum ſanguiſuga conferatur poſtea explicabo. Illud peculiare, ac proprium habet expoſitio Bernardi, quod ſanguiſugam illam primam aliarum parentem, voluntatem propriam eſſe dixit, cui ſanè optimè aptantur illæ ſanguiſugę proprietates, quas nuper maledicentiæ accommodaui. Sanguiſuga enim tetrum, ac tabidum ſanguinem trahit, incolumi parcit, venenatis libentiùs inſidet, & ab eiſdem venenum exprimit: non aliter propria voluntas vitioſa omnia, & corrupta ſponte appetit, & venenatis libentius, hirudinis in morem, adhæreſcit: ſæpiuſque eorum venenum, & corruptionem tantummodò exprimit reliqua omittit, ſed tunc maximè cùm malum appetit, nec tamen exequitur, quia exequendi copia non eſt, tunc enim ſolùm voluntas mala abſque opere eſt, ſolam malitiam ab operibus trahens. Lege Bernard. in ſer. Quomodo voluntas noſtra diuinæ voluntati ſubiici debeat. Nec ſolùm voluntas propria vitiis hæret, & vitiorum omnium virus exſugit, ſed etiam cùm bonis operibus inſidet, eadem inficit, ac corrumpit, ſanguiſugæ in mortem, quæ morſu ſuo virus aſpergit. Sic idem Bernar. ſerm. 71. in Cant. *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi bona non ſint.* hæc ille, expendens verba Iſa. 58. *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* (Iſai. 58.) Pergo ad alia.

117. (Beda.) Tertiam expoſitionem tradit Beda in hunc modum. *Sanguiſuga diabolus eſt, qui ſiti peccandi, ac peccata ſuadendi ſemper accenditur: huic duæ ſunt filiæ, duæ ſcilicet ſpeciales humani generis illecebræ, luxuria videlicet, & philargyria.* (Nicet.) Cum beda concinit Nicetas in 20. orationem Nazian. qui ſequutus tranſlationem Septuag. tres illi filias dat, libidinem, auaritiam, ambitionem: ſed de luxuria & philargyria ſeu auaritia, poſtea dicam: id enim huic cum aliis interpretationibus commune eſt. Illud proprium, ſanguiſugam illam duarum parentem eſſe diabolum, in quem ſatis aptè quadrat hæc ſimilitudo: vt pote qui animarum, quæ ſanguinis nomine cenſentur in ſacra Scriptura, perpetua ſiti vritur, aut etiam vitæ hominibus auferendæ deſiderio ſemper ardet: homicida enim eſt ab initio. (Pet. de Vareg.) Accipe etiam non iniucundam locupletis autoris allegoriam, qui cum præmiſiſſet ſanguiſugas aut calido tempore, aut in aqua calida carnes tenaciùs mordere, ſic ſcribit. *Dic quod diabolus quando inſidet alicui membro, id eſt, alicui peccatori, ſugit ſanguinem, id eſt, compaſſionem, & memoriam paſſionis Chriſti, & ſanguinis eius, & hoc potiſſimũ in calido tẽpore, id eſt in tempore proſperitatis, quia tunc libẽtius ſugit & temat.* Rurſus quidquid attingit, veneno ſuæ ſuggeſtionis inficit, & morſus eius totus læthalis eſt,

quoties

quoties aliquid suo vulneri affixum demisit, ex incuria eius, qui illi obsistit. Denique ex sanguisugis quędam sunt prę cęteris virulentę, quæ nulla arte emendari & corrigi possunt, de quibus Galenus vbi supra, & Plin. l. 32. c. 10. sic scribit. *Inuehunt virus remedio verso, maximeque rufæ, atque ita formidantur.* His ergo assimilis est diabolus, qui iam inde in malitia obfirmatus, nullâ arte commutari potest; propterea morsus illius semper cauendus.

Galen. Plin.

118. Quartam expositionem sequuntur vulgò alij interpretes, qui per *sanguisugam* concupiscentiā in vniuersum notari existimant, & *duas eius filias* luxuriam & auaritiam esse affirmant. Hæc etiam expositio illud peculiare, ac proprium sibi vendicat, quòd asserit concupiscentiam sanguisugę mores imitari: quemadmodum enim hæc duplici ore instructa est, vel duas filias numerat: sic etiam concupiscentia in vniuersum duas sibi subiectas affectiones habet, scilicet concupiscentiam carnis & concupiscentiā oculorum. Saluianus, & medicorum vulgus sanguisugam propterea auidius sanguinem exorbere, & acutè, cui adhæsit, difficilius diuelli affirmant, quia duplici gustu instructa est, atque adeò sanguis illi mirum in modum dulcescit: sicut enim Arist. ex eo, quod serpens bifidam linguam habet, duplicem illi gustum inesse conficit: sic etiam medici ex duplici ore, aut fistula, quâ hirudo sanguinem emungit, geminum quoque illius gustum colligunt. Quid inde? subiicio libens: sicut sanguisugam difficilè à carne diuelli geminatus gustus facit: sic etiam de concupiscentia decernendum est quæ propterea carni, & carnalibus rebus tenaciùs adhærescit, quia duplici illa gustādi vi prædita est, scilicet libidine, atque auaritiā. Itaque illius cupiditas propriè sanguisuga est, quę vtramque illā affectionē, auaritiam nempe, atque libidinem, continet. Quotiescumque autem istæ duæ conspirant malitiæ (vt ita dicā) gustum, & voluptatem conduplicant, cùm verò per duplicem istam delectationē voluntas, seu cupiditas carni adhæsit, vix vnquàm inde reuelli potest. Difficile quidem est auarum, aut etiam libidinosum emendare, cum verò qui auarus simul, ac libidinosus existit, & concupiscentiam sanguisugæ similem duplici turpitudinis gustu præditam habet, à malitia abstrahere, difficillimum, imo vix possibile est.

Arist.

Quintam expositionem addit Caietan. qui per illam sanguisugam duarum parentem auaritiam, aut philargyriam capiendam esse dicit, ac per duas eius filias, vim, atque fraudem: his enim auaritia alienas opes, quasi alienum sanguinem exorbet. Et quidem satis aptè duo sanguisugæ ora vim & fraudem adumbrant. Nam quod cutem, carnemque prærumpere adnituntur, & dolorem inferunt, vis est: quod autem sanguinem non subitò, sed paulatim exprimunt, & nullum fere vulneris vestigium relinquunt, fraus magna est.

119. Cæterùm in his expositionibus quas hactenus pręmisi, id animaduertere licet, quod omnes hunc versum seorsum accipiunt, & sententiam quandam à sequentibus discretam, & disiunctam absoluunt. Item per duas sanguisugæ filias, duo vitia intelligunt, quæ illius mores referunt, ac per sanguisugam ipsam aliquid aliud, siue dæmonem, siue voluntatem, siue concupiscentiam, siue auaritiam captant. Sed tamen ipsa contextus ratio, & translatio Septuag. cui ego semper plurimum defero, suadent vt versum istum cum sequenti coagmentemus. In primis contextus ita postulat, cùm enim Salomon de cætero per totum caput res per ternaria, & quaternaria partiatur, atque hanc partitionem à quadruplici generatione orsus sit, parum accommodatè hîc binarium quaternariis insereret. Rursus in Primitiuis Hebr. hæc clausula non est absoluta, & perfecta, sed ad sequentia spectat, de translatione verò Sept. postea dicam. Iansen. igitur, qui solus in hanc sententiam pendet, nexū istum satis acutè conformauit: obseruat autē ex Hebræo non ita legendum in sequenti versu, *Tria sunt insaturabilia, & quartum numquam dicit, Sufficit.* sed sic. *Et quatuor nunquàm dicunt, Sufficit.* Ergo hæc sic contexenda esse dicit. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: affer, affer*, id est, duo sunt omnino insaturabilia, quæ videlicet sanguisugæ in morem semper sitiunt, & numquam explentur: sequens autem versus est correctio istius, *tria sunt insaturabilia*, id est, imò potius tria sunt, quæ nunquam satiantur. Rursus prę scriptum numerum corrigit & auget. *Et quatuor nunquàm dicunt, Sufficit.* quasi dicat, quinimò quatuor sunt, quæ nunquàm exsaturantur & explentur, hæc sunt, *Infernus, & os vuluæ, terra quæ non saturatur aqua, ignis verò nunquàm dicit, Sufficit.* Et quidem eiusmodi numerorum correctiones aliàs in scriptura occurrunt. Amos 2. *Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam illum*, pro eo quod est, tria sunt scelera Moabitarum, quinimò quatuor sunt. Sic etiam supra, c. 6. dicitur. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.* in Hebr. est, *& septem detestatur anima eius.* & sensus est, sex Deus odio habet, imò potius septem. Hæc Iansen. cui libenter subscriberem, si eius interpretatio cum Vulgata lectione omnino congrueret.

Amos 2.

Vt igitur nostra lectio sarta tectaque sit, locum istum cum sequentibus hunc ad modum innodandum esse existimo. *Sanguisugæ filiæ duæ sunt dicentes, affer, affer*, his autem verbis non duo, sed tria insaturabilia recenset, scilicet sanguisugam, & duas illius filias, quæ omnino tria sunt, dicentia: *affer, affer*, & iram, luxuriam, & auaritiam significant: per sanguisugam enim iram innuit, quæ vindictam & sanguinem impensè appetit, & nunquàm expletur: auaritiam verò, & libidinem duas eiusdem filias appellat, idest, illi per omnia insatiabilitate similes, de quibus statim dicam. De his ergo tribus, quasi sensum colligens illicò attexit, *tria sunt insaturabilia*, &c. deinde assuit, *& quartum nunquàm dicit, Sufficit*, quasi dicat, præter hæc tria, est rursus quartum quid deterius, quod reliqua insatiabilitate & appetentia facilè superat, scilicet *ambitio*: hæc autem quatuor statim totidem similitudinibus inferni, vuluæ, terræ, atque ignis inuoluit, vt cœptum ænigma condiret. Huic nostræ interpretationi fauet contextus, nam iuxta illam idem est tenor huius sententiæ, & sequentium, Adhæc commendat illam translatio Sept. quæ sic edisserēda est. *Sanguisugæ tres filiæ erant dilectione dilectæ*, hæc respondent illis, *Sanguisugæ filiæ duæ sunt*, &c. nam Sept. sensum callentes, ne quem falleret illa partio duorum, ac trium, tres sanguisugæ filias numerarunt, quod tantumdem valet, ac si dicerent *tres sanguisugas*, atque adeò, quod ad sensum attinet, non abeunt à nostro Vulgato, reliqua verò, quæ addunt, *Et tres ipsæ non saturauerunt eam, & quartæ non sufficit dicere, Satis est*, facile ad superiorem sententiam referuntur, sed de his infra aliquid subiiciam. 120.

Ex dictis liquet iram, & vindictæ appetitum sanguisugæ nomine censeri, & eius filias insatiabiles atque illi per omnia similes esse, auaritiam, & libidinem: de singulis aliquid dicamus. Sanè iracundia sanguisuga est: Primo, quia, vt ait Arist. l. 1. de anima. *Ira est accensio sanguinis circa cor*, nam vehemens iræ motus sanguinem in cor euocat, qui coactus feruet, & exæstuat. Hinc D. Ioan. Damas. iram sic describit. *Ira est feruor eius, qui circa cor est sanguinis, vaporatione fellis vel perturbatione factus.* Accinit D. Greg. Nazianz. in Iambic. 21. de iracundia, vbi sic ait. 121.

Arist. Damas. Nazianz.

Par

Par æſtuantem ſanguinem pectus prope
Subitum eſſe dixit impetum iracundiæ.
Et infra.
Æſtum cruoris dictitant, ſed cui tamen
Cupido cauſam præbeat, & oratio ſimul.

Baſil. Sed elegantiſſimè D. Baſil. in Homilia de ira. *Nam his qui ad vindictam anhelant, ita quidem circum præcordia ſanguis feruet, quaſi vi ignis ebulliat, & exæſtuet.* Itaque iram ob hanc vnam cauſam ſanguiſugam appellare integrum eſt, quia cor impellens ſanguiſugæ ad inſtar vndique ex omnibus membris cruorem allicit, & calore ſuo accendit: propterea iratis membra ſanguine ſuffurato pallere ſolent. Sic idem Gregor. iratum deſcribens.

Crines aprini, barba madida, & pallida
Genæ (eſſe quales morte confectis ſolent)
Sunt quibus plumbo pares.

122. Chryſoſt. Vel aliter. Iræ ſanguiſugæ nomen indere propterea licet, *quia eſt homicidij mater, & ſanguinis bibax.* Verba ſunt Chryſoſt. in cap. 6. Matth. vnde vulgò iratis, & vindictæ libidini peritis dicimus. *Que de ſe anheber la ſangue aſus enemigos.* Hinc Mimus quidam iratus apud Plautum in Epid. *Iam ego, inquit, me vertam in hirudinem, atque horum exugebo ſanguinem.* Adde Euripidem apud Philonem, qui Herculem inducit ſic loquentem. *Comburè, carnem hanc concrema, repleto te meo cruore.*

123. Theocrit. Rurſus libidinem, ac luxum aptè cum ſanguiſuga conferri quis abnuat? Subeſt Theocrit. teſtimonium, apud quem Limæta non aliter ab amore mulierum ſibi ſanguinem exuctum expilatumque dolet, quàm ſi limoſa hirudo ipſi diutius admota fuiſſet: cuius verba ex Græco reddita ſic habent.

Heu crudelis amor noſtro ſaturare cruore
Summa affixa cuti, velut hunc ſuxiſſet hirudo.

Et quidem ex amore, & Venere homines exángues reddi alibi docuimus. Itaque venus, ſeu libido, iuxta hunc ſenſum hirudo eſt libidinoſi cruorem ſuctu aſſiduo exprimens. Alio tamen ſenſu Venus ſanguiſuga dicitur, quatenus voluptates carnis inſatiabili appetentia ſic deperit, quemadmodum ſanguiſuga cruorem auidiſſimè bibit. Et quidem voluptates venereas ſanguines appellari comprobat teſtimonium Ioan. 1. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis.* Lege Aug. & Bedam ad illa verba Pſalm. 50. *Libera me de ſanguinibus,* &c. Horum ergo ſanguinum appetentiſſima hirudinis in morem libido eſt, his numquam ſaturatur, numquam expletur. Et quemadmodum ſanguiſugæ verno tempore ſanguinem impenſius appetunt, vt nuper ex Plinio adnotaui, (quæ res ſuadet miram naturæ prouidentiam admirari, nam cum eo tempore ſanguis immodicè augeri ſoleat cruoris appetentiam in ſanguiſugis maiorem natura excitauit, vt medicinæ opportunius inſeruirent:) ſic etiam libido in vernante iuuenta feruet, & maiori voluptatum appetentia exæſtuat; in ſenecta tamquam in hyeme deferuet, ac remittitur, atque adeò iuuenibus in primis cauenda.

124. Nazian. Denique auaritiam ſanguiſugam eſſe interpretes vulgo edocent, audiendus eſt Nazianz. in iambico de auaritia.

Amore lucri turpe ne quidquam gerat,
Auidam cruoris æmulans hirudinem,
Quædam tenens iam, mente quædam cogitans,
Oculiſque rurſus non bonis quædam intuens,
Quædamque inani ſpe leui fingens ſibi.

Sed obſeruanda ſunt alia verba eiuſdem Nazianzeni Orat. 19. quæ eſt conſolatoria ad matrem Nonnam, vbi Nonnæ parentis ſuæ liberales largitiones extollens ſic ſcribit. *Quam autem, & qualem mulierem dico, cui ne Athlanticum quidem pelagus, aut ſi*

A *quid aliud maximum eſt, ad exhauriendum ſufficere potuiſſet, (tanto tamque immodico largiendi amore flagrabat.) Quæ Salomonis ſanguiſugam in contrarium æmulata eſt, per inexplebilem largiendi cupiditatem, inexplebilem acquirendi auiditatem vincens, tantaque ad bene merendum alacritate prædita, vt ea ſaturari non poſſet: quæ denique non opes ſolum omnes, quas vel arbitrio habuit, vel poſtea conſecuta eſt, cupiditate ſua minores exiſtimauit, ſed ſeipſam quoque, ſi fieri poſſet, & liberam (vt ex ea ſæpè audiui,) promptè ac libenter vendidiſſet, vt in pauperum vſus expenderetur.* Hæc ille, quibus ſatis eleganter ſanguiſugam vnam aduerſus alteram producit, ſcilicet, auiditatem donandi, & diſtrahendi, contra acquirendi retinendique libidinem, hoc eſt li-
B beralitatem contra auaritiam. Et ſanè præclarum quoddam liberalitatis ſymbolum in ſanguiſuga contemplari licet: nam vt docet Galenus loco ſupracitato, & medici communi vſu celebrant, ſanguiſugis vbi cuti adhæſere, & cruorem ebibere cœperunt, caudæ exſcindendæ, aut vulnerandæ ſunt, hinc autem fit, vt quidquid ſanguinis ore hauſerunt, per vulnus emittant. Eſt igitur præclarum liberalitatis ſymbolum ſanguiſuga execta cauda, quidquid enim opum, & diuitiarum hinc vel inde conquirit, aliunde effundit. Et quidem hæc tam liberalis, & profuſa largitio numquam fit ſine vulnere, nemo enim tam ſponte bona ſua donat, vt his priuari omnino non doleat. Galenus.

C Cæterùm quemadmodum ſanguiſuga ad eum, modum vulnerata liberalitatis ſimilitudinem exhibet, ita etiam eadem tam integra, quàm vulnerata auaritiæ ſymbolum præbet. Primò, quia ſicut ſanguiſuga cruorem alienum, ſic etiam auaritia alienas diuitias impensè deperit, & vtraque inexplebilis eſt: ſáguiſuga quidem hæret cuti (quid mage amicum, & coniunctum?) ſed dum hæret ſanguinem ſuffuratur: ſic etiam diuites auari cum pauperibus, & cum his, qui neceſſitate aliqua premuntur concordiam ſimulant, ipſis familiariter adhærent, vt eorum miſeriam ad tempus leuent: ſed per rapinam, & vſuram, hoc eſt, per vim, aut fraudem eorum bona paulatim emũgunt, donec ipſis turgentibus alij marcent, & rigeſ-
D cunt, ſed tamen auari diuites miram appetentiam, qua ſanguiſuga cruorem exprimit, non modo adæquant, ſed etiam ſuperant: nam hæc tandem aliquando cruore impletur, ac tunc ſuctum intermittit. Sic Plinius vbi ſupra. *Decidunt ſatietate, & pondere ipſo ſanguinis detractæ.* Hinc eſt illud Horatij. 125. Plinius.

Non miſſura autem niſi plena cruoris hirudo. Horat.

Auarus autem numquam expletur, & ſua augendarum opum auiditate numquam excidit, ſed pluribus hauſtis, & exuctis maior hauriendi, ſugendique libido illam inceſſit. Sed aliquid rurſus omnino adſimile habent, quod ſicut ſanguiſugis cruore turgentibus medicus extremam caudam exſcindit, ac vulnerat, vt effuratus paulatim ſanguis per vulnus effluat;
E ſic etiam auaris euenire ſolet. Nam ſpirituales medici, id eſt, ſacerdotes, conſcientiam ipſorum vulnerantes malè partas longo tempore diuitias reſtituere cogunt. His autem qui alienis bonis turgentes ea ratione non leuantur, id accidit, quod præfatus Plinius lib. 11. cap. 34. de quodam alio animanti ſanguinis bibaci prodit his verbis. *Et animal infixo ſemper ſanguini capite viuens, atque ita intumeſcẽs, vnum animalium, cui cibi non ſit exitus, dehiſcitque nimia ſatietate alimento ipſo immoriens.* Nam cùm diuitiis iniuſtè quæſitis per reſtitutionem, & compenſationem nullus fit exitus, mors imminet præſentiſſima, alia quidem, ac alia, nimirum ex temporali æterna. Sed expendo paucis reliqua verba quæ cum his cohærent, vt ſupra adnotaui. 127. Plinius.

15. *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod numquam dicit, Sufficit.*

127. TRia sunt, &c. Hebraicè. *Tria ista non saturantur, & quatuor non dixerunt abundantia.* Licet etiam aliter reddere, sic scilicet, *tres istæ non saturantur*, ita vt clausula hæc omnino referenda sit ad superiora modo supradicto. Sic Septuaginta. *Et tres ipsæ non saturauerunt eam, & quartæ non sufficit dicere satis est.* Aquila, Symmachus, & Theodot. *Et quatuor non dixerunt sufficit.*

Aliquid etiam de hac clausula nuper in superiori versu diximus. Nostra quidem lectio anceps est, ita vt independenter à superiori versu possit ad sequentem reuocari, nec non etiam cum superiori construi. Ego verò cum superiori etiam contexèdam duxi hoc modo. *Tria sunt insaturabilia*, &c, quasi dicat. Sanguisuga, & duæ illius filiæ, quæ tres omnino sanguisugæ dici debent, hæc vtique tria insatiabilia sunt. *Et quartum numquam dicit sufficit.* i. præ cæteris inexplebile est. Sed quæres an etiam quartum hoc sanguisuga sit? sanè ego ita reor, quartum hoc de sanguisugarum numero esse. Ita senserunt Septuag. quorum lectionem denuò sic interpretor, existimo enim illos hîc de more suo verba non curare, & sensum tenere, nam sic aiunt. *Et tres ipsæ non saturauerunt eam, & quartæ non sufficit dicere satis est.* Iam intelligis quartam etiam sanguisugæ nomine censeri, quandoquidem inter sanguisugæ filias computatur. Mens ergo Septuag. hæc est. Per *sanguisugam* in vniuersum cupiditatem intelligunt, huic autem quatuor filias adscribunt, ex quibus tres insaturabiles sunt, sed quarta præ cæteris inexplebilis; tres quidem sunt, ira, luxuria, auaritia, de quibus supra; quarta verò est ambitio. Et quidem has quatuor vnius cupiditatis aut filias, aut membra esse eleganter docuit D. August. de Ciuit. Dei lib. 14. cap. 15. *Libido*, inquit, *generale vocabulum est omnis cupiditatis. Est enim libido vlciscendi, quæ ira dicitur, est libido habendi, quæ auaritia nominatur, est libido seu appetentia delectabilium, quæ luxuria dicitur, est libido gloriandi, & dominandi, quæ iactantia, seu ambitio appellatur*, hæc ferinè Aug. Appositè autem ad hæc Sept. dicunt. *Et tres ipsæ non saturauerunt eam*, quasi dicant, sanguisuga cupiditas est tres sibi subiectas filias numerans, iram, luxuriam, & auaritiam, quæ ipsius sitim, & appetentiam explere nequaquam possunt his autem accedit alia filia quarta, quæ præ cæteris saturari nescit.

August.

128. *Et quartæ non sufficit dicere satis est*, quæ verba ambitionis naturam optimè exprimunt: nam partis honoribus numquam contenta ad alios, atque alios magna contentione anhelat: tametsi enim illi obiicias pristinam vilitatem, & nactos iam honores satis magnos esse, numquam id suadeas. *Ambitio* enim (verba sunt Senecæ) *non vnde venerit respicit, sed quò tendat.* Vel aliter. Solet quidem sibi ambitio terminos quosdam honoris præscribere, nimirum, cùm ad tale, aut tale honoris fastidium peruenero, tunc quidem contenta ero, nec vlterius aliquid cupiam. *Sed tamen huic non sufficit dicere satis est*: nam vbi quis ad eum, honoris cumulum peruenit, quem ipse sibi tamquam sufficientem indixerat, tunc quidem adeptam gloriam aspernari, & denuò maiorem, & ampliorem gloriam sitire incipit. Perinde enim ambitioni accidit, ac sanguisugæ, de qua sic D. Isidor. lib. 12. origen. c. 5. *Sanguisuga vbi cutem adheserit, sanguinem haurit, & cùm nimio cruore maduerit, id euomit, quod hausit, vt recentiorem denuò sugat.* Ad eundem modum ambitio amplam aliquam gloriam sitit, sed cùm eam

Seneca.

Isidor.

A adepta est, & satis iam turgere videtur, nactum iam honorem ex despicientia quadam, imò ex nausea respuit, vomit, extrudit, ac denuò amplioris alicuius gloriæ siti accenditur, quid certius? Seneca ad Lucilium. Epist. 86. *Relinque ambitiosum, tumida res est, vana, ventosa, nullum habens terminum.* Et alibi. *Nemo agit de tribunatu gratias, sed conqueritur quod non est ad præfecturam vsque perductus, & si desit consulatus nec hoc quidem sufficit, cupiditas enim non vnde venerit respicit, sed quò tendit.*

Seneca.

129. Nonnemo etiam ambitioni sanguisugæ motum accommodauit, quæ vt author est Aristot. in lib. de gressu animalium, cùm repit posteriorem partem ad anteriorem trahens tumet quodammodò, ac gliscit: B sed rursus anteriorem vlterius impellens porrigitur, extenuatur, & gracilis admodum fit. Ad eundem modum ambitiosus cùm honorem aliquem capessit superbia, & fastu tumet, at cùm vlterius ad ampliorem dignitatem anhelat sanguisugæ in morem detumescit, ac semetipsum extenuat hoc est, humiliat, ac deiicit. Ambros. in cap. 3. Lucæ. *Ambitiosus vt dominetur aliis prius seruit; curuatur obsequio, vt honore donetur: & dum vult esse sublimis, fit demissus, ac tenuis*: Et Innocentius Pontifex de vilitate conditionis humanæ sic scribit. *Ambitiosus semper est pauidus; humilitatem simulat, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis inclinat, assurgit, applaudit, adulatur*, nimirum vt vlterius ascendat sanguisugæ in morem sese extenuantis.

Bercherius.

Ambros.

Innoc.

C

130. Ex his constat quatuor illa, iram, luxuriam, auaritiam, ambitionem satis aptè à Salomone cum sanguisugis fuisse composita ob inexplebilem earum auiditatem, & appetentiam. Ad extremum libet obseruare id quod docet Galenus loco citato. Sanguisugas quidem cum tenaciùs adhæserunt, & sanguinis voluptate inescatæ reuelli non possunt, insperso sale, aut cinere sponte decidere, sic enim ait, *Ab attrahendo quidem non desistunt, donec cinere, aut sale os earum aspergatur.* Salis etiam meminit Plinius, supra lib. 32. cap. 10. Quorsum hæc? vt constet nihil aptius, aut potentius ad quatuor illa, iram, libidinem, auaritiam, & ambitionem, cohibenda, & maximam illorum appetentiam hebetandam, quàm cinerem hoc est mortis recordationem, hæc enim illas facile deiicit, & inexplebilem illarum sitim restinguit, quid certius? Addo etiam salem, idest, sapientiam, & rationem, huius enim est cupiditatum, ac libidinum contentissimam vim cohibere, omnis enim passio ratione intercedente ruit. Vel, si libet, per *cinerem* passionis Christi memoriam cum Bernardo intellige. Sicut enim cinis ex igne, ceu monumentum quoddam relinquitur, sic etiam ex illo igne amoris, quo Christus in passione sua arsit, recordatio eiusdem in mentibus nostris, velut cinis reliqua est. Passio autem Christi memoria retenta cupiditates omnes sistit. Per *salem* etiam sanctos doctores accipere licet, ad quos spectat verbis suis, & salubri doctrina cupiditates hominum, ceu sanguisugas ad cruorem semper anhelantes coërcere, & si quid aliud aptius occurrit, hîc adscribe.

D

E

Galenus.

Plinius.

16. *Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non satiatur aqua: ignis verò numquam dicit, Sufficit.*

131. INfernus, &c. Hebr. ad verbum, *Infernus*, vel *sepulchrum*, (nam vox שאול *Seol*, vtrumque sonat, vt alibi diximus,) *& constrictio vuluæ, terra non est satiata aquis, & ignis non dixit abundantia.* Chald.

priora

priora verba sic transtulit. *Infernus,& constricta vulua*: videtur autem *vuluam constrictam*, sterilem appellasse,seu infœcundam, nec omnino inepte, nam in his quæ pariunt, quamdiu grauidæ sunt, veneris appetentia aut restringitur, aut hebetatur,in sterilibus autem numquam intermittitur, semper ardet. Sept.paulò aliter. *Infernus,& amor mulieris, & terra, quæ non satiatur aqua,& aqua, & ignis,qui non dicent satis est*. Caiet. & ex ipso alij conuertunt. *Fouea, & stringens vulua*(ac denique,)*& ignis non dixit diuitia*, sed non audiendus. Aquil. & Symmah. *constrictio vuluæ*.

Sensus horum verborum ex superioribus pendet. Sed antequam singula expendamus,& nostram adscribamus sententiam,libet aliorum consilia recensere. Valeant primum Hebr.qui in his quatuor insaturabilibus quatuor elementorum inexplebilem naturam perperam meditati sunt,nihil non coactè asseuerantes. Displicet etiam Rodolph. qui in his quatuor totidem suppliciorum genera notari voluit,quę quatuor illas degeneres, prauasque generationes denique excipiunt,quia dum singula singulis accómodat non pauca peccat. Posset autem accommodatio ad hunc modum conformari. Prima generatio filiorum contumacium,*inferno*.i. morti,& *sepulchro* addicitur, hoc est breuioris vitæ pœna mulctatur:nam qui negligit eos, per quos vitæ donatus est, propter huius beneficij contemptum debet ipso priuari. Et rursus Secundæ generationi illi immundæ,hoc est,filiis spuriis,atque nothis,*constrictio vulua*,i.sterilitas interminatur. Ita enim decet,vt degener plantatio sterilitate, & infœcunditate arescat Sap.4.*Spuria vitulamina non dabunt radices altas*, &c. Tertia verò generatio filiorum qui natalium suorum gloria insolescunt, & reliquos homines præ se despectui ducunt,paupertate plectitur: hoc sibi vult illud. *Et terra,quæ non satiatur aqua*, nimirum terra arida, & sitiens,atque adeò fructus nullos reddens.Itaque hi fructuum penuria. i.paupertate multantur;paupertas. n. præ cæteris rebus superborum fastum superciliumque demittit. Quarta denique generatio auarorum pauperes, atque humiles deuorantium igni adiudicatur,nimirum gehennæ(vt ait Rodolphus)vt hi,quibus egeni in pabulum cedunt,ipsi quoque æterni incendij pabulum fiant.Sed tamen nisi vtrumque liniatur,atque expoliatur, hæc expositio parum aptè in reliquum textum cadit.

132. Ergo recentiores aliqui interpretes de sententia huius loci aliter decernunt,existimant enim supra per duas ságuisugæ filias duas res notari gignédi,& producendi appetentissimas, nimirum fœminæ vuluam, & terram,quæ præ cæteris elementis ferax est plantarum, & herbarum:deinde verò aduersus has duas, alias item duas res à Salomone produci, quæ simili corrumpendi,& destruendi appetentia prædita sunt, ita vt ea quæ priores moliuntur,aut generant,posteriores ocyus corrumpát,& euertát. Quidquid.n.vulua parturit,& in lucem edit,id paulò post sepulchrú exedit,atque consumit.Quidquid terra arbustorum, & plantarum assiduò profert, tandem aliquando vel arescit,vel exscinditur,& igni in pabulum cedit.Itaque Salomon quatuor res produxit, vnam contra vnam,sepulchrum scilicet contra vuluam, & ignem contra terram;quæ omnes inexplebili quadam appetentia præditæ sunt:aliæ quidem gignendi,& producendi,aliæ verò absumendi,& conficiendi ea, quæ à

133. duobus genita,& producta sút. At,inquies,quorsum hæc Salomon? Subiicio. Mens vtique Salomonis secundùm hanc interpretationem eò fertur, vt suadeat hominibus, ne quid auidius, & intemperantius appetant;quia nulla est res quæ aliquid ardentius appetat,cui ex aduerso non respondeat alia opposita omnino, atque contraria impensè cupiens: hoc sibi voluit Eccles. cap. 33. cùm ait. *Contra malum bonum est,& contra mortem vita. Sic contra virum iustum peccator,sic intuere omnia opera Altissimi, duo & duo, & vnum contra vnum*.Salomon igitur duo tantùm contrariorum paria hìc adscribens inductioni viam præmuniit,ac de reliquis rebus eodem modo decernendum esse indixit. Itaque sub hoc verborum integumento,aut ænigmate,suadet iram,hoc est, vindictæ libidinem,& cupiditatem temperare,nam subest aduersarius referendæ iniuriæ non minori cupiditate ardens:suadet auaritiam,i.rerum alienarum appetentiam cohibere,quia si quis alieni appetens aliquid ab alio auferre adnititur, adest statim alius maiori appetentia stimulatus,qui hoc ipsi vi, aut fraude adimere contendit, vt supra ex Basilio adscripsimus vers. 14. qui ad hanc rem piscium exemplum elegantissimè conuertit, quorum alij alios deuorant,& maior minori in prædam cedit.Vel aliter,aptiùs dico auaritam duorum contrariorum exemplo insimulari à Salomone,quia ita ferè euenire solet, vt quidquid auarè aliquis diu cumulauit, illius hæres ocyus profundat. Ad hæc præcipit Salomon ambitionem.i. dominandi cupiditatem coërcere, quia nullum quis honorem, aut magistratum petere potest,cui non illico competitores, & candidati alij ex aduerso se obiiciant,vel si quem tandem honorem adeptus est, adsunt etiam alij, qui ad illum euehi cupientes ipsum deturbare contendunt; hæc ambitiosorum certamina eorum ora dum eruit. Tullius 1.officiorum his verbis. *Quidquid est eiusmodi, in quo non possunt plures excellere, in eo plerumque fit contentio tanta,vt difficillimum sit sanctam seruare societatem: difficile enim est cùm praestare concupieris, seruare æquitatem*. Et rursus in Lælio. *Pestis*,inquit,*maior in amicitiis nulla esse potest, quàm honoris certamen,& gloriæ,ex quo inimicitiæ maximæ inter amicissimos extiterunt*. Vel si ad filios id referas, sæpè accidit,vt quidquid honoris,& gloriæ ambitiosus pater in filios transmisit,ipsi degeneres nefariis sceleribus deturpent. Denique iubet Salomon libidinem, hoc est veneris,& voluptatum cupiditatem continere, quia nullus est mœchus sine riuali, nullus adulter, cui maritus acquiescat, nulla denique voluptas tanta,quam non mœror aut præeat,aut excipiat.Ergo iuxta præfatam expositionem,Salomon ab omni nos cupiditate deterret propter bella, & contentiones quibus ea parantur, quæ impensè cupimus, & propter aduersarios, à quibus postquam parta sunt ocyus euertuntur.

Reliqui interpretes his quatuor rebus totidem vitia à Salomone notari affirmant quæ numquam penitus explentur.His ego assentior.Quomodo autem hæc verba cum superioribus consuenda sint supra adscripsi. Atqui dum singulas res singulis vitiis accommodant non leuiter dissident expositores,eorum dissidia nostrumque iudicium subiiciemus. *Infernus*. Beda, Hugo, Lyra,& ex his alij nomine *inferni* diabolum significari volunt, qui hominibus ad malum permouendis, & ad tartara deportandis numquam satiatur. Itaque continens accipitur, inquiunt, pro re contenta, *infernus* pro diabolo, Regia pro suo Principe. Interim autem innuitur immensa illius auiditas deferendi homines ad orcum. Nam si quis eius cupiditatis (liceat sic dicere) latissima spatia metiri velit, quilibet dæmoni infernus ipso amplior, est,citius enim inferni immensæ intercapedines damnatorum multitudine implebuntur,& redundabunt; quá vniuscuiusque dæmonis nefaria illa nostrę damnationis cupiditas expleatur. Subdit verò aliam non illepidam rationem Hugo, propter quam diabolus

insatiabilis est, quia nimirum peccatis, ac culpis nostris pascitur, hæc autem cum nihil sint ipsum minimè explere possunt. A

136. Caietanus, cui etiam alij subscribunt, per *infernum* mortem accipiendam esse dicit, nec verò *inferni* nomine orcum intelligit, sed *sepulchrum*. Itaque signum accipitur pro re significata, *sepulchrum* pro morte, cujus monumentum est. Interim etiam mortis inexplebilis auiditas notatur, quia eos, quos mors perimit, sepulchris conficiendos tradit. Optimè. n. Plato tellurem omnem *mortis stomachum* appellauit, quia quos vna mors deuorat, tellus, stomachi in morem, conceptos, tumulatosque decoquit, &, vt ita dicam, digerit. Quanta ergo & quàm insatiabilis erit eius fames, cui tam latus, tam edax contigit stomachus? B

137. Pseudo-August. Pseudo-Aug. in lib. de salutaribus docum cap. 40. per *infernum* quidem *gehennam*, per hanc verò *auaritiam* intelligit, sic enim habet. *Auarus vir inferno est similis: infernus enim quantoscunque deuorauerit, numquam dicit satis est; sic et si omnes thesauri confluxerint in auarum, numquam satiabitur.* His similia verba habet Chrysost. Chrysost. hom. 29 in Matth. *Auarus*, inquit, *in omnes, vt mors, insiliens, omnes, vt infernus, deglutiens, communis generis humani hostis, quippe qui nullum hominem esse vellet, vt omnia possideret.* Nec solùm eo nomine *inferni*, insatiabilis eius cupiditas notatur, sed etiam cruciatus, & tormenta, quibus assiduò auari animus sauciatur. Audiendus est iterum Chrysost. in cap. 15. Lucæ de diuite illo auaro, vbi probat auaritiam esse cruciatum gehennalem, quia alia vitia quibusdam aliis tormentis apud inferos expiantur, auaritia verò ad inferos penetrat, & sibi ipsi tormentum est. Hanc enim *oculorum concupiscentiam* appellat Ioannes. Lucas verò diuitis illius cruciatus memorans ait. Luc. 15. *Eleuans oculos suos cùm esset in tormentis vidit Lazarum*, &c. *In tormentis erat* (inquit Chrysost.) *& oculos solos liberos habebat, vt alterius diuitias posset aspicere: propterea dimittuntur oculi liberi, vt magis torqueatur, qui non habebat, quod alius tenebat: aliorum diuitiæ eorum qui in paupertate sunt tormenta sunt.* Itaque auarum diuitem auaritia apud inferos cruciabat, haud dissimilis ei, quæ, cùm apud viuos ageret, animum illius torsit. Hinc autem conficit Chrysostomus auaritiam esse damnatis cum viuis communem, atque adeo auaros in hac vita iam inde gehennæ pœnas experiri. Quod si nomine *inferni*, sepulchrum accipias, id quoque in auaritiam quadrabit. Subest

138. Matth. 23. Chrysost. testimonium Christi Domini Matth. 23. cuius verba expendens Chrysostomus homilia 82. in eundem Euangel. sic scribit. *Auari sepulchra sunt, quis non viderit? quid enim sepulchrum est? nihil aliud quam lapis mortuorum corpora tegens. Quid igitur? an non illis lapidibus horum corpora miserabiliora sunt? Non lapides sunt cadauera tegentes, sed corpora ipsis lapidibus immitia magis, & insensata, mortuas animas tegentia. Præterea nemo errabit sepulchra ipsos nominans, sicut, & Dominus noster Iudæos appellauit, & propter istud potissimum subiunxit dicens, intrinsecus autem rapina atque auaritia pleni sunt.* Itaque Chrysost. priorem Matthæi clausulam ad posteriorem trahit, & manifestè adlusum putat ad ritum sepeliendi antiquis solemnem, qui magnam sæpe vim pecuniarum cum ipsis cadaueribus defodiebant. Itaque auaros sepulchra appellat, quorum corpora immitia lapidum in morem demortuas animas contegunt, & insuper rapinæ, & alia malè parta bona pro thesauris (liceat sic dicere) cum eorum simul animis humantur; erga rapinas verò, & alia malè parta bona perinde se habent, atque cadauera aliqua vitæ, & sensus expertia, nihil pecuniarum sibi creditarum vnquam intumere valentia.

Cæterum Iansenij sententia mihi magis probatur, 139. qui nomine *inferni* iram, seu vindictæ libidinem notari existimat, hoc autem verum reor siue *infernus* sepulchrum, siue etiam gehennam sonet: nam primò ira seu vindictæ libido sepulchro non ineptè adsimilis esse dicitur, quia sicut hoc ad mortem paratur, sic etiam ira ad mortem vsque sæuit, & tota ad mortem spectat, nec prius desæuit, quàm hostem suum neci dederit. Hinc Ioan. 1. can. cap. 3. *Qui irascitur fratri* 1. Ioan. 1. *suo, homicida est*, quia nimirum ex quo iram animo concipit, fraternæ necis desiderio teneri incipit, aut eiusmodi desiderium facilè subit. Propterea iram mortis parentem, cædis autorem, homicidij matrem vnus appellat Nazianz. in Iambic. de ira, deinde alio Nazianz. ex capite ira sepulchri nomen fert, quatenus eum, quem corripit quodammodo defodit, & tumulatur. Vnde August. in sermone de Lazaro illum, in quo ira August. diutius arsit, & post solis occasum perseuerans ad plures dies, cum Lazaro quatriduano componit. *Nam hominem*, inquit, *quatuor iam dies in ira, tam-* 140. *quam in sepulchro agentem mansuetudini restituere di-* Psalm. 28. *uina potentiæ portentum est.* Quod si per *infernum* gehennam accipiamus, huic etiam iram, & vlciscendi libidinem similem esse nemo ambigit. Nam primo iræ incendium gehennalis ignis æmulum esse alibi diximus ex Chrysost. quatenus vrit, sed non lucet. Ba- Basil. silius enim ad illa verba. *Vox Domini intercidentis flammam ignis; Deus*, inquit, *optimus maximus apud inferos ignem intercidit, aut intersecat, nam cùm ignis duplex facultas sit, scilicet lucendi, & vrendi, ignem dissecans vnam ab altera secernit, ita vt damnatos vrat, sed cæcos illos inferni tractus minime illustret.* Huic ergo similis est ira, ignis est animum torrens, sed non illuminans, imò tenebras Cymmerias illi offundens. *Qui enim dicit se in luce esse* (verba sunt Ioannis 1. 1. Ioan. 2. can. cap. 2.) *& fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Quod si dicas apud inferos manes ab igne ad frigus perquandam vicissitudinem transire, certè in iracundis friget charitas, quo frigore nihil acrius excogitari possit; atque adeò miser animus ab iræ incendio, ad frigus charitatis per vices transit, hîc alget, & illic torretur. Rursus in iracundi hominis pectore, quasi in barathro quodam non desiderabis sæuos dæmones. Audi Basilium in homilia de ira. Basil. *Sicut qui charitatem habet, Deum in se habet; ita qui odium, & iram habet, dæmonem in se continet.* Et iterum. *Habetis*, inquit, *iram dæmonem pessimum vestris animabus innatum.* Et Chrysost. iram *voluntarium dæmonem* appellauit. Quid plura? non solùm in hoc irati hominis pectore tamquam in orco ea contemplari licet, quæ fides vera apud inferos esse docet: sed etiam illa quæ fabulæ ipsæ comminiscuntur, nimirum Cerberum tricipitem, Megæram, Alecto, & alias furias. Seneca in libr. 2. de ira. *Qualia*, inquit, *Poëtæ inferna monstra finxerunt succincta serpētibus, & igneo flatu, quales ad bella excitanda, pacemque lacerandam teterrimæ inferi exeunt Furiæ, qualem Cerberum tricipitem flammas vomentum, talem nobis iram figuremus.* Meritò ergo ira, & vindictæ cupiditas *inferno* similis adstruitur.

Ad extremum alij *inferni* nomine gulam capien- 141. dam esse dicunt, à quibus non multum dissentio, si tamen *infernum* sepulchrum innuat. Nam 1. gula, & ebrietas homines quodammodo sepelit; hoc dicendi modo vsus est Seneca in Epist. 12. sic scilicet, *Sepeli-* Seneca. *uit se vino, & epulis*, & Virgil. 3. Æneid. Virgil.

Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus.

Et Ouid. 1. de Rem. Amoris. Ouidius.

Et stupeam multo corda sepulta mero.

Sunt

Sunt qui similitudinem ductam putant ex veteri ritu humandi: nam cum cadauere vini ac ciborum ingens copia consepeliri solebat, ita vt vino, atque epulis obrueretur. Accedit Greg. Nazianz. in carmine de diuersis vitæ generibus, vbi sic canit. *Non epulum natale adiens vel funereum, aut connubiale, ne serò domum redeam, & ventrem, sepulchri ad instar, vinum referam.* Est autem viri intemperantis venter sepulchro similis, primo quia in ipso quodammodo defossa, atque sepulta est anima. Accipe verba Ioannis Climaci in scal. grad. 26. *Quod si vndique corrupto vino fœtet, & epulis satur est, cogita infœlicem animam in tali corpore tamquam in sepulchro defossam.* Sed ante alios Chrysost. hom. 29. in Matthæum. *Certè, inquit, si posses animam hominis delitiis dediti cernere, non dubitares multò melius esse in sepulchro iacere, quam his irretitum teneri, & graui insensibilitatis operculo, tamquam saxo premi.* Et postquam ebrios, & intemperantes cum mortuo quatuor iam dies in sepulcho ingente composuit, subdit. *Age igitur, videamus caput ipsorum vinctum: etenim cum crebro ebrij sint, perindè vt mortui multis velaminibus, & institis ligantur, ita istis omnia sensuum organa concluduntur, & vinciuntur.* ac denique post pauca sic attexit. *Vidistis mortuum nunc, & pollinctorem videte,* (est autem pollinctor vulgò *El que amorta ja los muertos.*) *Quis igitur pollinctor est? nempe nullus alius, nisi diabolus, qui eos diligenter ita stringit, & posuit, vt non homines, sed ligna esse videantur.* Ergo pollinctor iste nefarius animam gulæ, & ebrietatis vinculis adstrictam non alibi, quàm in ventre tamquam in sepulchro tumulatur. Rursus viri intemperantis venter alia de causa sepulchrum dicitur, nimirum ob insatiabilem cupiditatum appetentiam, de qua hîc specialiter sermo est: Quia sicut sepulchrum mandata sibi hominum corpora excipit, tabefacit, absumit, & aliis confectis ad alia denuò excipienda sese comparat: sic etiam venter gulosi carnes, atque omne epularum genus sepulchri ad instar excipit, corrumpit, consumit, & pluribus iam decoctis, & consumptis pluta concupiscit.

Nazianz. Climacus.

142. Secundo loco adscribitur *os vulua*, de cuius significatione minus dissidium est apud interpretes. Caietanus Thargum, & Hebræorum vestigia premens conuertit, *stringens vuluam.* Putat autem eo nomine sterilem fœminam notari, quæ scilicet, matricem concepta prole numquam distendit: hæc.n. longè meliùs inexplebilem veneris auiditatem significat, quàm fœcunda. Nam fœcundæ mulieris libido, cum vterus prole ingrauescit multum hebescit. Nostri per *os vulue* nata ad libidinem membra notari volunt. Ego verò aliter existimo per *vuluam*, ipsam meretricem, aut pellicem notari, nam Hebr. est, רחם *Rechem*, quæ vox aliquando pro scorto sumitur, aut puella sese exponente. Iudic. 5. *Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei.* Hebræa ad verbum sic habent, de plurali numero. *Forsitan nũc diuident spolium, & duæ matrices, aut vulua pro capite viri,* idest, duæ fœminæ, aut pellices singulis contingent. Septuag. *amicas* conuerterunt, est autem synecdoche, pars videlicet pro toto; *os vulua*, pro meretricis ore. Cæterum cum hæc omnia allegorica sint, & aliud aliquid sonent, aliud verò significent: vestigandus est metaphoræ sensus. Primò igitur aliqui per *os vulua* gulam, & edendi intemperantiam notari voluerunt sumpto effectu pro causa, quia epularum luxus libidinem acuit. Iuxta illud Hieron. *Semper saturati vicina est lascitia: vicina igitur sunt venter, & genitalia, pro membrorum ordine ordo vitiorum.* Sed tamen hæc interpretatio planè absurda est, nisi fortè dicas *os vulua*, meretricem innuere: hanc autem gulæ symbolum esse. Huc spectat illud Plutarchi in Moralibus. *Vt meretrices aborsum pronocant, vt rursus impleantur, & voluptuentur, ita quidem in hoc ipsum corpus euacuant, vt rursus liceat ingurgitare.*

Iudic. 5. Hieron. Plutarch.

143. Secundo alij sunt qui his quatuor similitudinibus solam auaritiam notari existimantes, sic accommodant. Auaritia est *os vulua*, quia sicut hæc nullis libidinibus expletur, sic etiam auaritiæ nullis facultatum incrementis fit satis. Nec multum abit ab hac sententia Chrysost. hom. 29. in Matthæum, vbi auarum similem esse dicit ei, *qui luxuria corruptus, ac petulans, ad omnem corporis formam hiscit.* Sed tamen longè aptius cadit accommodatio hæc, si per *os vulua* meretrix, & per hanc auaritia significetur. Audiẽdus etiam hac de re Chrysost. hom. 15. in Epist. ad Hebræos *Prostant in adibus meretrices, & hoc est earum crimen, quia corpus suum pecunia vendunt; sed paupertas, & fames compellit, licet neque hoc idoneum ad excusationem; poterant enim opus facientes enutriri: hic verò stat auarus non in domo, sed in media ciuitate: non corpus, sed animam suam prostituens diabolo, vt voluptuetur cum ea, & intret ad eam, veluti ad meretricem, & impleta omni cupiditate egrediatur,* & rursus addit. *Hoc proprium est meretricum, quia eius sunt, qui aurum dat, sic & illorum anima.* &c. Hactenus Chrysost. auarum cum meretrice componens. Auaritiam autem ipsam meretrici adsimilem esse quis neget? quia sicut meretrix alienis viris sine discrimine succumbens, numquam impletur, nec grauida fit: sic auaritia dum alienas opes, & bona consectatur numquam expletur, sed meretricis in morem vacua semper, atque adeò insatiabilis est: sicut è contra parcitas suis contenta similis est nuptæ fœminæ, quæ viro tantum proprio sui copiam faciens citius impletur: parcitatem enim propria bona exsatiant, & affatim explent.

Chrysost.

144. Tertio reliqui ferme interpretes per *os vulua* Venereum amorem significari autumant. Beda, Hugo, Caietanus, Iansenius, Arboræus, & alij, qui huius insatiabilem auiditatem per fœminæ matricem notari volunt, sed maximè sterilis, hæc enim veneris appetentior esse consueuit, quàm fœcunda, tum propter prolis desiderium, tum etiam quia, vt nuper dixi, fœmina grauida concubitum fastidire, & detrectare solet, quia vt tradit Galenus, matrix ingrauescens similis est stomacho pleno, atque adeò epulas fastidienti. Itaque hac similitudine sterilis *vulua* Venereæ concupiscentiæ mira, & inexplebilis auiditas adumbratur, turpia semper appetens numquam fastidiens. Huic expositioni subseruit lectio Septuag. quæ pro illis verbis. *Et os vulua*, subiicit *amor mulierum.* Cæterum vt dicam quod sentio, non satis placet hanc metaphoram in eas angustias coniici, vt amorem tantummodò venereum adumbret, sed in vniuersum omnem carnis delectationem, turpem voluptatem significari mallem; nam pellicis, aut meretricis similitudo, quæ hîc latet, in eã aptissimè quadrat. Nihil enim familiare magis sanctis patribus quàm voluptatem cum scorto conferre. Lege. Ambrosium libr. 1. de Abel, & Cain. cap. 4. sed ex multis hæc accipe. *Duæ mulieres vnicuique nostrum cohabitant, inimicitiis ac discordiis dissidentes, velut quibusdam zelotypia contentionibus nostra replentes animæ domum. Vna est virtus, altera voluptas, hanc nobis opinamur sociam, & domesticam illam, alteram immitem, asperam, feram credimus, cui nomen virtus est, illa igitur meretricio procax motu, infracto per delicias incessu,* &c. vide ibi plura. Hanc sententiam Ambros. libauit ex Philone in libro de mercede meretricis non inducenda in ærarium sacrum, cuius verba paulo vberiora hîc adscribam. *Duas, inquit, nostrum quisque mulieres habet in suo contubernio easque infensas sibi inuicem, & anima domum replentes contentionibus, zelotypiis: harum alteram diligimus,*

Galenus. Ambros. Philo.

quasi amicam blandam, & familiarem, quæ Voluptas dicitur, alteram odio prosequimur, vt immitem, & tetricam, hæc Virtus nominatur. Illa ad nos accedit ornatu meretricio fracto incessu præ mollitie, obtutu lasciuo, ceruicem supra natiuam staturam assurgens, ridens, cachinnabunda, calamistrata, cincinnatula, fucata facie, & pictis superciliis, &c. & post pauca. *Cum ea pedissequæ domestica vafricia, iniustitia, nequitia, quibus stipata more principis sic pertentat animum:* deinde verò subscribit orationem, quam voluptas ad lentandos molles animos habet, vide ibi etiam plura. Mitto alia.

145. Tertio loco adscribitur, *& terra, quæ non satiatur aqua.* Caietanus singularem expositionem coniecit in hæc verba, nam per terram aquam assiduò sitientem, iram significari voluit, odium, & vindictæ appetitum; sed similitudinis vim non expendit. Atqui non satis capio, qua ratione vtilis aliqua comparatio, odij, ac terræ aquas præ ariditate sitientis conformari possit: Quamuis enim terram solis ardore arefactam, & adustam cum irato homine conferre liceat, teste Plutarcho *Quia sicut siccitas terram scindit, & laxiores quasdam rimas, & ora indecorè aperit: sic ira hominem corripiens os laxat, & in maledicta, probra, & contumelias inhonestè soluit.* (*Plutarch.*) Tamen iuxta hanc similitudinem, & Salomonis mentem in hoc loco aquam accommodare non licet, quamuis extra mentem ipsius dici posset aquam esse beneuolentiam, & gratiam hosti exhibitam; quia sicut aqua in terram arentem decidens indecoras illas rimas, vel ora obstruit, mitemque, ac mollem reddit, ita vt ligonem, aratrum, sarculumque sponte recipiat: sic etiam beneuolentia, & gratia aduersarij os, & maledicam linguam comprimit, animumque illius seuerum, & rigidum sic emollit, ac lenitat, vt iam inde proscissus, & exaratus non doleat. Meliùs alij per terram aridam, cuius sitim nulla aquarum copia extinguit, tristitiam, & mœrorem accipi posse dixerunt, nam vt schola medicorum docet, ex humoribus quatuor, quos ipsi inter elementa distribuunt, atræ bili terra respondet, & inter passiones seu affectiones tristitiam quoque terræ dedunt: est enim præ cæteris terrestris affectio animum grauans, & deorsum premens. Ergo quemadmodum terra arens pluuias ebibit, sic etiam tristitia lacrymis nutritur, & fouetur. Item sicut terra aquis semel perfusa iterum arescit, & aquas identidem sitit: sic etiam grauior tristitia nunquam lacrymis exsaturatur, sed priores ebibens, alias post alias impensè sitit.

146. Cæterum licet hæc non omnino inepta sint, præferenda tamen est communis expositio, quæ per tellurem aquas sitientem auaritiam adumbrari docet. Sic Beda, Hugo, Arborçus, Iansen. & alij. admonet autem Lyra hic tellurem, quæ numquam satiatur aquis, arenam, vel sabulum innui, hoc enim præ cæteris est aquarum bibulum; nam etiamsi plurima aqua affatim infundatur paulo post siccum omminò est, & plures, ac plures aquas appetit. Iam intelligis quo tendam. Sanè apud patres passim occurrunt elegantes, & venustæ admodum sententiæ, quibus auaritiam cum vehementiori aquarum siti conferunt. Peruulgata est auari, atque hydropici comparatio, sed, vt alios omittam, eam elegantissimè persequutus est D. Chrysost. (*Chrysost.*) hom. 15. in Epistolam 1. ad Corint. *Rectè*, ait, *quidam dixit auaros esse hydropicos: quomodo enim illi multam aquam ferentes in corpore magis vruntur: ita etiam auari multas circumferentes pecunias plures concupiscunt: causa autem est: neque illi in quibus conuenit locis aquam habent, neque isti diuitias in quibus conuenit affectionibus, & cogitationibus.* Sensus est, sicut in hydropicis aqua simul atque percolatata est ab stomacho, & visceribus statim ad venas extimas transit & cutem inter & carnem fluit, vnde fit, vt aqua quæ introrsum hærens illis, atque visceribus, refrigerium præberet, & calorē foras excuteret, eadem ad externa fluens calorē intro cōpellat & sitim accendat. Sic etiā in auaro pecuniæ, atque diuitiæ, quo plures sunt, eo maiorem sui sitim inflammant: quia eas non in quibus conuenit cogitationibus & affectionibus habent: non quidem in affectionibus, quia scilicet non intra viscera continent, vt per misericordiam & viscerum compassionem eas indigentibus impendant (sic enim fieret, vt ipsis refrigerium afferrent,) sed illas extra viscera faciunt, hoc est, misericordiæ, & liberalitati distribuēda non subiiciunt, sed parcitati, ac sordibus seruanda committunt: hinc illa nullis thesauris extinguendis sitis. Deinde non in quibus conuenit cogitationibus habent, quia cùm diuitiæ in despicientia & contemptu sunt, tunc quidem etiam paruæ, & angustæ desirium explent, at cùm in æstimatione & admiratione locantur, licet quis immensas facultates nactus fuerit, plures, ac plures inexplebili siti concupiscit.

147. (*Chrysost.*) Rursus hanc auarorum sitim cū ea contulit Chrys. qua diues ille Euang. apud inferos vrebatur, aquæ guttam tanta contentione exposcens. Sic enim ait. *Illi quidem maximus erat cruciatus paruam aquæ guttam concupiscentem non assequi, quod quidem assiduo mihi pati videntur auari, & esse sicut ille qui rogabat, vt ea frueretur, & non assequebatur, eorum enim anima magis ardet, quam illius.* At, inquies, diuites auari non vnam pecuniarum stillam, sed affluentes, ne dicam exundantes opes ebibunt. Id sanè mirabile est, quod cùm tantas, tamque affluentes diuitias exorbeant, tam vehementi, ac molesta siti nihilominus vratur, vt ipsis flumina immensa pro guttula exigua sint: imo guttulæ cuiusdam refrigerium non attingant.

148. Idem hom. 28. in Matth. auarorum cupiditatem cum febricitantium siti composuit. *Quemadmodum qui acuta bilis ardore febricitant, non solum extinguūt ardorem potu, verum etiam accendunt: sic qui auaritia laborant cùm huic cupiditati omni bili acerbiori pecuniam offerunt, maiori seipsos flamma incendunt.* Deinde verò huius morbi remedium offert his verbis *Sicut ergo acuta bilis non potu, sed cōtrarijs quibusdam remedijs amaris extinguitur, sic etiam concupiscentia diuitiarum non pecunijs oblatis, sed diuitiarum, pecuniarumque despectu sibi contractio sanatur.* Hanc etiam auarorum insatiabilem concupiscentiam venusto schemate cum aquarum siti contulit D. Gregor. Nazianz. (*Nazianz.*) in Iambic. aduersus opum amatores, sic enim scibit.

Est viperarum quodpiam dispar genus,
Quas solitudo Pharta complures alit,
Ac vulnus eius quale sit nomen docet:
Huic namque morbus, quem parit nomen dedit.
Perit bibendo quisquis hac ictus fuit,
Aquis repertis totus in eas irruens,
Quovsque nimio turgidus potu crepat,
Vita cadente, sana sic cadit sitis.

Cum hoc serpente comparat auaritiam Nazianz. hæc enim vbi aliquem admordet, inexplebilem pecuniarum sitim illi immittit, donec ab his turgens malè pereat. Subdit enim.

——Id ergo pati
Homines auaros scilicet iustum foret,
Vt vel creparent opibus, &c.

149. Sed licet præfatæ similitudines ex siti petitæ, auaritiæ insatiabilem cupiditatem apprimè significent: cæterum (mea quidem sententia) omnes facilè vincit hæc similitudo arenæ, aut terræ sabulosæ aquas sitientis, qua Salomon vsus est in hoc loco. Nam sicut arena incidentes pluuias, sic auaritia pecunias ebibit, & quidem arenæ tanta est aquæ bibacitas, vt si quando vberior pluuia è cœlo decidens ipsam perfuderit paulò post exarescat, & nouam pluuiam sitibunda expectet:

pectet: idem de auaritia iudicium est: nam licet in illam innumerabiles copiæ vbertim influant, è vestigio siccæ in morem arenæ alias post alias sitit ac deperit. Quàm verò aptè copiæ in auarum influentes conferantur cum aquis arenam infundentibus satis liquet: nam velut aquæ si crassam bonamque terram compluant, vberes segetes ex illa excitant, eædem verò si in arenam gracilem incidant, nihil messis, aut fructus proferunt: sic etiam diuitiæ in liberalem virum incidentes vberes eleemosynas, copiosamque bonorum
1.Cor.9. operum messem reddunt, iuxta illud. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Quod si in auarum ac sordidum cadant, velut in arenam defluentes, nihil boni germinis producunt. Rursus arena non continet aquam, sed hæc per illam ocyus trāsmissa statim elabitur: sic auarus ea, quę contra ius fasque quæsiuit, diu cohibere non potest, sed perbreui interuallo malè parta malè, vt aiunt, dilabuntur, & ab illo ad alium fluunt. Atque his similia tu tibi alia effingere poteris.

150. Quarto loco addit Salomon. *Ignis autem numquam dicit, sufficit.* Beda, & Caietanus per *ignem gehennam* intelligunt, quæ nulla damnatorum copia impleri poterit. Sed hæc expositio idonea non est. Illi ergo, qui tres præfatas similitudines de auaritia exponunt, in hac quarta eandem auaritiam contemplantur. Accommodatio autem est perspicua: quia sicut ignis quamcumque sibi vicinam materiam incendit, neque tot ligna illi addere licet, quin plura vi sua corripere, & inflammare possit, & pluribus additis maior, ac maior fiat: sic etiam auaritia nunquam tot bona sibi accumulat, vt partis contenta plurium desiderio non flagret: & quo plura nanciscitur, magis ac magis crescit.

151. Sed tamen aptius, & cum aliis huius allegorię partibus cohærentius Hugo & Iansenius ambitionem significari docent: hæc enim quo plures digniores magistratus, & honores ignis in morem corripuit, ac tenuit, eo acrius inflammauit. Audi Senecam in lib.
Senec. de Benef. *Numquam,* inquit, *improbæ spei quod datur satis est, omnia meruisse se existimat, nec satis pretio æstimatum putat. Maiora enim cupimus, quo maiora venerint, intentioque concitatior est, ambitio enim siue cupiditas, vt flamma infinita vis, acrior est, quo ex maiori incendio emicuit.* Infinitam flammæ vim dixit, quia flamma magnitudinis terminum non habet, sed lignis additis maior, ac maior euadit sine termino. Accedit etiam
Chrysost. D. Ioan. Chrysost. qui hom. 10. in Epistolā ad Ephes. gloriæ cupiditatem, quæ Ecclesiam iam tunc peruaserat, cum magnifici cuiusdā palatij incendio elegantissimè simul atque vberrimè contulit: adi eum locum, vbi inter alia obseruare licebit aliam rationem, propter quam ignis ambitioni par esse dicitur, quia scilicet, sicut ignis ad sublimia fertur, sic ambitio altissimos semper honores petit: quapropter sicut ignis in terra inclusus ingentes moles impellit, vt erumpens locum sublimem capessat: sic etiam ambitio humi pressa, cuncta mouet, cuncta molitur, vt desideratam gloriam, & honorem assequatur.

152. Reliquum est, vt de lectione Sept. aliquid feramus, qui, vt supra obseruauimus, bis aquam ponunt: sic enim habent. *Infernus amor mulieris, & terra, quæ non satiatur aqua & aqua, & ignis, qui non dicit, sufficit.* Itaque aquam semel & iterum adscripserunt, ex quo non quatuor insaturabilia, sed quinque resultant. Aliqui existimant, *aquam* posteriori loco adscriptam omnino esse expungendam & delendam. Sed tamen cum correctior Sixti textus eam retineat, non facilè adducor vt credam superuacaneam esse. Ego igitur ita reor: Primo aquam posteriori loco additam non esse aliquod insaturabile ab aliis distinctum, sed cum

A tertio in vnum coire hoc modo. *Et terra quæ non satiatur aqua, & aqua.* Est qui dixerit per *terram*, quæ non saturatur aqua auaritiam notari, per *aquam* verò seorsim additam profusionem & prodigalitatem, inter quas versatur liberalitas, medium virtutis tenens, inter duo extrema vitiosa. Et quidem Septuag. duplicis extremi, quod liberalitatem hinc & inde circunstat, propterea specialiùs meminerunt, quia vtrumque insatiabile. & inexplebile est, quod in reliquis tribus vitiis, scilicet ira, libidine & ambitione non ita accidit. Sed cur per *aquam* prodigalitas intelligitur ducitur, inquiūt, similitudo ex fontibus. Sicut enim fons nihil aquæ apud se continet, sed assiduò illam effundit: sic etiam prodigus nihil suarum pecuniarum re-
B seruat, sed quidquid habet perennibus sumptibus profundit. Hinc Philosophus quidam apud Stobęum Stobæus. liberalem virum cum lacu, aut palude conferendum esse dixit. *Nam sicut lacus prius impletur, deinde verò redundantes aquas desuper effundit: sic liberalis opes sibi sufficiētes quodammodo stagnat, superfluas in largitiones deriuat.* Sed licet hæc subtiliter dicta videantur, tamen (ni fallor) germanus illius translationis sensus est, *quæ non satiatur aqua, & aqua*, idest plurima aqua: nam repetitio illa multiplicationem hic significat, quemadmodum alias in scriptura, Psalm. 125. *Homo & homo natus est in ea*, &c.

Ex dictis constat in quatuor præfatas similitudines, dissimiles valdè accommodationes ab interpreti- 153.
C bus coniectas. Quapropter si eas inter se conferamus & ordinemus, plures ordines conformari possunt: sed tamen ex omnibus vnus, aut, alter mihi præferendus videtur. Primo igitur censeo non inepte à quibusdam asseueratum Salomonem illis similitudinibus auaritiæ insaturabilem cupiditatem adumbrasse. Qui enim per *sanguisugam* auaritiam, perque *duas eius filias* vim, & fraudem acceperunt, non inepte addere possunt quatuor hæc insaturabilia: tum quia eiusdem auaritiæ symbola à Salomone fuere subiecta ad notandam illius inexplebilem sitim. Iuxta quam interpretationem obseruari debet ordo similitudinum, videas enim alios ab aliis superari, priores scilicet à posterioribus: innuitur autem auaritiam is-
D dem gradibus incrementa capere. Deinde dico ordinem à me supra præscriptum cæteris anteponendum esse, vt scilicet per *infernum* ira, & odium, per *vuluam*, libido, & voluptas, per *terram* auaritia, & sordes, per *ignem* ambitus & dominandi cupiditas accipiatur, hęc enim accommodatius in præfatas similitudines cadunt, & cum reliquo textu aptius cohærent, vt ex suprà dictis patet.

---

17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij*
E *aquilæ.*

Oculum qui subsannat patrem, Hebr. *Oculum qui subsannauerit patrem*, subest autem verbum לעג 154.
Lagbab, cuius vim alibi expendimus: significat autem *irridere, balbutire.* Quidam significationem irridendi ad balbutiem referunt, quia nimirum balbutientes vulgò derideri solent: sed hoc leuissimum est: illud certius, verbum hoc despectum quemdam notare oculorum nutu insinuatum, nam subsannatio ferè oculis tribuitur. Psal. 21. *Omnes vidētes me subsānauerunt me.* Vulgata. *Deriserunt me.* Et Psalm. 34. *Subsan-* Psalm. 21.
nauerunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis. Quæ verba expendens Rabbi Abrah. ait. Psal. 34.

Subsannatio est in oculis eorum, sicut placenta ad edendum. Cur autem hîc placentæ meminerit alterius est negotij: sensus est, tam iucundum ac volupe est illis oculorum nictatione aliis illudere, ac si placentam mollitam vorarent.

Et qui despicit partum matris suæ. Hebr. *& contempserit ad obedientiam matris suæ*, subest autem vox ליקהת *Liquehath*, ex radice יקה *Iaquah*, quę significat *obedire, obtemperare*. Caiet. asserit eam vocem *rugas* notare: in eadem autem mente videntur fuisse Septuag. interpretes, sic enim legunt. Et qui *despicit senectutem matris suæ*: quibus accinit etiam Chald. Alij *societatem* legunt, alij *doctrinam*.

Effodiant eum corui de torrentibus. Hebr. non dissonant. Sept. *de conuallibus.* Aquila, & Theodot. *de torrente*: pro *coruis* autem Hebr. legitur ערבים *Ghorbim*. Itaque vox Latina & Heb. mirè concordant.

155. Gregor. *Et comedant eum filij aquilæ*, Sept. *Pulli aquilarum*, reliquæ lectiones concordant.

Quasdam allegoricas expositiones de Hæret. Iud. & malis Christ. missas facio, ac D. Greg. Magn. verba hîc adscribenda duxi Moral. l. 18. cap. 19. *Oculum qui subsannant*, &c. *Peruersi quippe dum diuina indicia reprehendunt, subsannant patrem suum. Et quilibet Hæretici prædicationem sanctæ Ecclesiæ contemnunt, despiciunt partum matris suæ. Corui verò de torrentibus veniũt dum prædicatores veri ad defensionem sanctæ Ecclesiæ à sacrorum librorum fluentis procedunt. Qui etiam rectè corui vocati sunt, quia nequaquam de Iustitia luce superbiunt; sed per humilitatis gratiam peccatorum in se nigredinem confitentur. Qui videlicet corui oculum subsannantis effodiunt, quia prauorum, ac pertinacium hominum intentionem vincunt.* Hæc ille.

156. Germanus, ac literalis sensus ad filios spectat, qui parentes suos seniores non obseruant. Præmittit ergo Salomon crimen filiorum, & deinde supplicium attexit. *Oculum qui subsannat patrem*, his verbis contemptus innuitur natorum, qui postquam adoleuerunt, grandæuos parentes despectui habent, & eorum adhortationes, correptionesque derident. Tribuit autem oculis Salomon contemptum istum, vt scelus extollat: significans eos data opera adapertisque oculis visos, cognitosque sibi parentes violare solitos. Deinde vt innueret quanta obseruantia colendi sint illi, quos oculis tantum violare nefas est, nedum manus eisdem afferre, vel alio modo illos lædere auderet. Addit, *Et qui despicit partum matris suæ*. Plures per *partum matris* fratrem intelligunt eadem matre natum, ita vt Salomon eisdem pœnis subiiciat eos, qui parentes lædunt, & fratres. Nec immeritò, quia cùm filij singuli expressiores quædam parentum suorum imagines, & simulachra sint, *In quibus ipsi viuere, atque spirare dicuntur* (verba sunt Platonis) quicumque filios violat in parentes iniurius est: atque Plato adeò frater in fratres sæuiens parentes suos iniuria afficit: quemadmodum iniuria, qua simulacrum, aut imago alicuius Principis violatur, ad Principem redit. Extollitur autem crimen eius, qui fratres suos iniuriis lacessit, dum non frater, sed *partus matris* appellatur, quid enim magis à ratione alienum, & ipsi naturæ aduersum, quàm eos, quos ex vna matre in eisdem visceribus & ex vno sanguine creti sunt, inter se mutuo dissidere?

157. Cæterùm aptiùs & cum originali textu congruentiùs alij dicunt, per *partum matris*, vteri gestationem & dolores significari, quos mater pariens sustinuit, vt sensus sit. *Qui despicit partum matris suæ*, quasi dicat, ille quidem pœnas grauiores luere debet, qui matris suæ gestationem partus, & educationis labores oblitus, ipsi iniurius est. Sept. & Chald. quibus hæret Caietanus, de matris senecta exponunt, sic enim legunt,

A *Qui despicit rugas, vel senectutem matris suæ.* Potest autem nostra lectio eidem sententiæ aptari: constat matrum iuuentam & pulchritudinem ex partu tabescere, quæ sæpius enixa est, ocyus sibi canos aspergere, & rugas trahere. Itaque sensus erit, Pereat *filius qui despicit partum matris suæ*, qui scilicet matris suæ senectam, quam ipsemet partu suo illi maturius attulit, temerè offendit. Reliquæ autem lectiones eorum, qui pro *partu obedientiam, doctrinam & societatem* conuertunt, perspicuæ sunt, illud tantum obseruatione dignum, optimarum matrum in filios officia omnia his contineri. At, inquies, cur tantopere Salomon parentum honori & obsequio defert, vt ne nutu quidem oculorum, aut leuiori alia contemptus significatione eos violari velit? Rationem libens attingam. 158.

B Quia quemadmodum grauitatem criminum, quæ in Deum admittimus ex dignitate illius, ac nostra vilitate pensamus, ex quo fit infinitam quandam delicti turpitudinem ex infinita Dei maiestate ac nostra tenuitate colligimus: ac nullam esse tam leuem culpam, cui momenti plurimum non insit, eodem argumento conficimus: ad eundem modum de iniuriis parentibus illatis decernere licet, quæ eadem prorsus ratione ex illorum dignitate & maiestate, & filiorum vilitate aucupanda est. Audeo enim dicere parentes si cum filiis suis conferantur infinitam quandam dignitatem sortiri, ac rursus filiorum immensam quandam vilitatem esse. Nota enim est Aristot. doctrina, cuius alibi Aristot.

C meminimus, filios scilicet iure naturæ semper parentibus subesse: ita vt quantumlibet dignitas filiorum in immensum excrescat, patria potestas filium infra se habeat, quod supra cap. 8. vers. 16. adeo verum esse decreuimus, vt humanitas Christi Saluatoris nostri, cui ex societate diuinitatis in eadem hypostasi infinita dignitas accrescebat, sub patria nihilominus Mariæ Virginis parentis suæ potestate esset tanquam filius eius naturalis, vt ex Ambrosio, atque aliis patribus ibidem docui. Ergo cum dignitas, & maiestas parentum in filios ad eundem modum immensa sit, inde profectò fit, vt filiorum in parentes nullum sit leue crimen: imo ex eo liquet illatas parentibus iniurias immensam quodammodo grauitatem, & turpi-

D tudinem habere ex immensa parentum dignitate deriuatam.

Ad hanc parentum in filios maiestatem, & filiorum in parentes delicta extollenda pertinet id, quod scribit Stobæus ex Hierocle Philosopho his verbis. *Si quis parentes, secundos ac terrestres quosdam Deos dixerit non errabit, cum nobis propter vicinitatem vel ipsis Diis honorabiliores sint. Necessarium autem est existimare vnum erga ipsos gratitudinis modum esse perpetuam, & numquam remittentem beneficia ipsorum rependendi animi promptitudinem, quantumuis enim multa in eorum gratiam fecerimus, semper tamen inferiora erunt omnia, quàm esse deberent.* Et quemadmodum Theologi 159. Stobæus. 160.

E de nostris erga Deum meritis statuunt scilicet non posse nos secundum iustitiæ rigorem satisfacere, quia nihil nobis tam proprium est, quod postetati, ac dominio Dei non subsit, potius, quam nostro: ex bonis autẽ creditori propriis, vel aliàs debitis, nemo potest illi debitum rependere, aut pro culpa satis dare. Eodem argumento Hierocles conficit filios non posse parentibus gratiam referre, & pro debito acceptæ vitæ satis dare. Sic enim attexit. *Quinimò prope malum actiones nostræ omnes illorum propriæ videri debent, vt qui nos hæc agentes produxerint, quemadmodum Phydiæ, aut aliorum artificum opera, si & ipsa rursus alia quæpiam facerent, ea quoque non dubitaremus opera nominare artificum. Eodem modo actiones quoque nostræ parentum nostrorum opera esse dicentur, per quos & nos nati sumus.* hinc colligit præmissus Philosophus neminem posse

posse parētibus in se merita officiis,& obsequiis exæquare. Ego verò inde rursus elicio neminem etiam posse po leuissima iniuria parentibus illata de rigore iustitiæ satisdare. Quidquid enim obsequij,& officij filius parentibus exhibuerit,totum id ipsorum parentum proprium, atque aliàs omnino debitum est, ob beneficium naturæ ab ipsis acceptæ. Quid plura? subdit Hierocles. *Vt igitur in promptu habeamus quibus officiis erga parentes obstringamur, summariam hanc sententiam semper animo versare oportet, quod parentes deorum nobis imagines sunt, & per Iouem Dij lares pseudomystici beneficiorum autores, cognati, creditores, domini & amici constantissimi. Sunt enim Deorum imagines certissimæ, & similitudinem eorum nobis referunt, melius quam vllius artis facultas exprimere possit, cum tamquam Dij, domus patroni, & nobis familares sint.* Hinc etiam grauitatem iniuriæ parentibus illatæ aucupari licet: Nam Ethnici Philosophi sententiam emendantes,non Deorum, sed veri ompotentisque Dei animata simulacra & viuas, actuosasque imagines parentes esse dicemus, atque adeò quacumque ratione filij in parentes peccent & eorum pietatem violent, iniuria ad Deum ipsum omnino pertinet: quemadmodum violatio statuæ Principis maiestatem lædit: ex quo fit mensuram huius iniuriæ non ex dignitate,& excellentia parentum, sed ex ipsa Dei immensa maiestate capiendam esse. Quapropter idem Philosophus perbreui intestitio verborum sic attexit. *Sed quoniam inter omnia hactenus enumerata præstantissimum est parentis nomen, cuius gratia ipsos appellamus Deos, adiiciemus quod ad hanc sententiam sequitur, nempe filios existimare debere se in domo patria veluti fano quodam æditues, & sacerdotes ab ipsa natura consecratos esse, vt parentum cultui operam darent.* Hactenus Philosophus,cuius verba nostræ fidei secretiora dogmata sapiunt. Ex quibus constat quàm sit graue parentum pietatem, vel leuiter lædere, vt meritò Salomon in eos seuerius inuehatur, qui nutu tantùm oculorum parentes suos violant, dum ait, *Oculum, qui subsannat patrem*,&c.

161. Cicer. Et quidem solo nutu patriam pietatem offendi docuit Tullius in oratione pro Roscio, vbi sic fatur. *Etenim si id præclarè à sapientibus dicitur, vultu sæpè læditur pietas, quod supplicium reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura diuina, atque humana cogebant.* ad hanc veterē paræmiam, aut sapientum profatum adlusit D Amb. (Ambros.) in lib de Virg. vbi inter alia Deip. Virginis elogia hoc adscribit. *Numquam vultu parentes læsit.* Quam verò graue crimen sit ad eundem modum vultu,& oculorum nutu parentibus succensere, aut ipsis ridiculè irriderè,& illudere, ipsamet pœna satis prodit, quam Salomon his derisoribus imponit.

162. *Effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* De hoc supplicio non eodem modo sentiunt interpretes. Alij enim per *coruos* & *aquilæ filios* dæmones accipiunt, q.d filius, qui ea ratione parentum suorum pietatem læsit, spirituum malignorum pabulum esto. Et quidem dæmonem cum coruo cōposuit Hieron. contra Luciferianos: & Chrysost. de (Hieron. Chrysost.) coruo ab arca emisso sic scribit in hom. de Spiritu sācto. *Hic coruus diabolus est, qui ex arca Ecclesiæ eliminatus verè niger, ac tenebrosus est: suffocatus in aquis baptismatis.* Item dæmones sæpissimè corui speciem formamque induūt, vt multis exemplis probat Vlysses Aldrob. infra citandus. (Aldrob.) Rursus aquilini pulli dæmones etiam notare possunt, ob rapacitatem, ex Clemente Alex. & aliis. Cæterum vtraque, tam coruus, quàm aquila, vel ex eo maximè dæmones adumbrare dicenda sunt, quod ad cadauera,& morticinia confestim aduolant,& ex his pastum sibi quærunt, adeò
A vt interneciones, aut etiam mortes lōgè ante præsentiscere credantur, ex quo fit, vt paulò post morituris, siue animantibus, siue hominibus sæpè adsint, prædæ futuræ auidi. Ergo Salom. iuxta hanc interpretationem docens eos, qui parentes suos violant pro meritis puniendos, ait, dæmones, seu coruos, & aquilas ad ipsos deuorandos aduolaturos. Nota emphasim 163.
huius sententiæ: vtique liberis illis, qui parentes suos piè colunt, longior vita passim promittitur in scriptura: at contumacibus filiis immaturæ mortis minæ intentantur. Ergo ait contra eiusmodi peruicaces filios, aquilas, coruosque venturos præsentissimum illorum obitum annuntiantes. Adsunt quippe his citius morituris assidui dæmones, aquilarum,& coruo-
B rum more, vt cumprimum decesserint, prædam auferant. Vel aliter, eiusmodi inobsequētes filij dæmonibus tamquam coruis,& aquilis discerpendi tradūtur, quia vtraque tā coruus, quam aquila, cognationum iura, legesque à natura inditas non seruant (vt infra adnotabo) qua in re dæmonum ingeniū,& mores exprimunt. Accipe verba Imperfecti ad illa Christi Domini (Imperf.) *Tradet autem frater fratrem in mortem*,&c. vbi rationem offert, propter quam diabolus ad iura propinquitatis violanda tantopere instigat. *Non est*, inquit, *fides in seruis diaboli, diabolus nec generat, nec generatur, & ideo nescit seruare iura propinquitatis, quia nullum propinquum habet.* Ergo iure optimo filios parentum suorum violatores dæmonibus tamquam
C coruis, aquilisque laniandos Salomō committit, vt ab his pereant, quorum mores imitantur. Denique illud etiam compertum est apud historiæ naturalis autores, coruos prædæ oculos inuadere comprimis solitos, hi enim ipsis prędulces esuiq; gratiores sunt: aquilas verò prædatum à se captarum corda quamprimū extrahere & vorare consueuisse, hæc enim esca illis quoque pergrata est, quid certius? Igitur aduersus filios istos parentum osores, coruos, & aquilas mittit Salomon, dæmones scilicet, coruorum mores referentes: innuere volens ab his filiorum impiorum oculos tamquam à coruis erui, & corda tamquam ab aquilis reuelli. Nam perinde ac si oculos effossos haberent, parentes suos non agnoscunt, ac veluti excor-
D des essent insitæ à natura pietatis vehementissimos affectus non sentiunt.

Secūda expositio aliter de *coruis*, & *aquilis* decernit. Notum est coruorum & aquilarum ingenium, qui ad occisa corpora densi conueniunt, vt eorū carnibus pascantur. Ad aquilas spectat illud Matth. 24. (Matth. 24.) Luc. 17 (Luc. 17.) *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*, & Iob. 39. (Iob 39.) *Et vbicumque cadauer fuerit, statim adest:* quod an in omne aquilarum genus quadret, non curo: hoc enim à meo instituto alienum est. Ad coruos spectat illud Horatij. (Horat.)

Non pasces in cruce coruos.

Subiiciam alia. Sententia igitur sic conformari 164.
debet. *Effodiant eum corui de torrentibus*,&c. idest, fi-
E lius impius,& parentum violator, suspendio, ac cruce dignus est, ita vt cadauer illius inhumatum alitibus exponatur. At cur, inquies, Salomon filiis cōtumacibus crucem, aut suspendium minatur? cur etiam coruis,& aquilis potius quàm aliis auibus cadauer illorum tradit? Vtriusque rei rationem paucis subiiciam. imprimis ergo crux & suspendium manet proteruos liberos, quia quicumque parentes suos violare audet, eum quidem omnem humanitatem exuisse constat. Quid inde? audi Pseudo-Chrysostomum loco citato (Pseudo-Chrysost.) *Qui in parentes suos parum humanus, ac mitis est, in alios sæuus, & atrox existit: si enim amicitia in ipsa natura deficit, quomodo inuenietur extra naturam?* Igitur ob hanc causam ex filiis contumacibus fiunt plagiatij, sicarij, homicidæ & alij atrocissimi homines, qui

qui tandem aliquando delictis suis crucem, aut suspendiú sibi accersunt. Et quidem scelerati in crucem acti, & necati, aliquando etiam viui auium laniénæ obiici solebant. De viuis est illud Prudentij satis affine verbis à Sapiente dictatis. Pruden.

Crux illum tollat in auras,
Viuentesque oculos offerat alitibus.

165. Catullus. Accedit etiam Catullus in Epigrammatio, qui reum quendam cruci affixum describens sic ait.

Non equidem dubito quin primum inimica bonorum
Lingua execta auido sit data vulturio,
Effossos oculos voret atro gutture coruus.

Gretserus. Huc spectat etiam illa mali imprecatio peruetus, *Abi ad coruos*, quæ, vt noster obseruat Gretserus de cruce tom. 1. l. 1. cap. 18. non differt ab illa, *Abi in malam crucem*. Hinc effluxit illud Poëticum.

Deque tuo impastus sit rixa cadauere coruis.

Gen. 4. Mitto alia humana, illud diuinum, nimirum magistri pistorum insomnium, Gen. 4. *Videbam*, inquit, *quod tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsum portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo.* Quod insomnium edisserens Ioseph, respondit illum post tres dies ascensurum patibulum. *Tres adhuc*, inquit, *dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Accedit etiam locus perelegans Psal. 26. Psalm. 26. *Ne repellas me à mandatis tuis*, Græcè, μὴ ἀποσκορακίσῃς με quod verbum à coruis tractum quidam putant, q. d. ne me à mandatis tuis deuium ad coruos amandare velis, id est, ad patibulum, ad crucem. Sed cur Salomon filios impios sepultura priuat, & alitibus discerpendos tradit? Nimirum quia tellus communis omnium parens à sapientibus appellatur, hæc enim omnes denique post mortem gremio suo excipit, aut visceribus claudit. Iustè ergo cum liberis proteruis agitur, vt qui propriam sibi matrem læserunt, communis matris beneficio careant.

166. Sed insuper cur coruis, atque aquilis potius quam aliis alitibus filios peruicaces committit Salomon? Primam rationem obtulit Iansenius, quia corui & aquilæ propter longioris vitæ prærogatiuam celebrantur. Lege Plinium lib. 7. c. 8. & Vlyssem Aldrob. lib. 12. Ornitholog. Plin. Aldrob. Igitur ambus longæuis dilacerandus traditur filius contumax, vt significetur eum lõgioris vitæ beneficio, quo liberi obsequentes, ac pij gaudent, multandum, & defraudãdum esse. Sed huic adnecto secundam aliam rationem ex dictis petitam: quia corui, & aquilæ cognationis iura non seruant, parentes enim in pullos immites sunt, & rursus pulli in parentes sæuiunt, vt postea dicam. Meritò ergo Salomon ad filios proteruos, & impios deuorandos eiusmodi alites admittit, vt constet suam ipsorum impietatem, quam aues illæ moribus suis adumbrant, illis turpissimam illam necem afferre.

Cæterum licet hæc interpretatio mihi accommodata videatur, aliam tamen subiicere libet, quæ mihi accommodatior videtur, nam cum omnes istæ sententiæ ænigmata quædam sint, vel ænigmatis similes, aliquid euoluere & replicare necesse est, quod sub literæ cortice delitescit. Existimo igitur per *coruos*, & *aquilas*, filios impios notari impietatis paternæ vltores. Præmittere autem oportet *coruos* & *aquilas* nullam cognationis legem seruare. Primò tam corui, quàm aquilæ parentes pullos suos exclusos nido expellunt, sic tradit Arist. l. 1. de historia animal. cap. 31. Arist. *Nimirum ex multis aliquot ne grauis sit multorum nutricatio aquilam quidem tres parere aiunt, ac duobus nido expulsis vnum alere.* Hinc carmen illud ab Aristotele vulgatum.

Tres parit, atque duos nido eiicit, educat vnum.

Coruus plures sibi alendos reseruat, sed non propterea minor illius impietas: nam eos ipsos quos seruauit, pullos deserit omni alimonia destitutos, sic D. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 8. vbi sic scribit, *Coruus editis pullis (vt fertur) escam planè præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant: eosque inedia affici patitur quousque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur.* Chrysost. hom. de Helia Propheta. *Odit*, inquit, *coruus prolem suam, & natam non educat.* Concinit August. & alij Patres ad illa verba Psalm. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Qui addunt pullos coruorum interim dum à parentibus neglecti fame tabescunt, muscis, aut culicibus præteruolantibus viscoso humori, quod fami & crebris vlulatibus in rostrum mouēt adhærētibus ali, & ab interitu vindicari. Vnus Cassiodorus eos rore cælesti interim pasci affirmat. Sed tamen vlterius procedit parentum impietas, nedum robustos ad volendum volare, imò auolare cogunt: nam eos statim fugāt, & toto tractu & regione à se longius exterminant, maximo nutriendi tædio. Sic tradunt Aristotel. & Plinius supra. Cæterum hanc parentum sæuitiam filij maiori crudelitate quasi quodam talionis iure compensant, & cumulant. Ælianus enim libr. 2. cap. 49. sic habet. *Pulli deinde ea, quæ sunt ad viuendum necessaria inquirunt, genitoresque suos minimè alunt.* Chrysost. etiam in ea homil. de Helia Propheta sic habet. *Sed ea parentum cura coruorum pulli destituti, ab ipsis etiam non curatum permanet coruorum genus*, quasi dicat: Corui non curant pullos suos, ac pulli vicissim parentes suos negligunt. Verùm illud omnem sæuitiam excedit: quod pulli genitoribus suis minimè parcere dicuntur, aiunt enim ob miram vorandi libidinem genitores nonnumquam à pullis lacerari, & discerpi. Hinc est illud Philis ex Græco fideliter redditum. 167. Gregor. Chrysost. August. Psal. 146. Ælian. 168. Chrysost.

Coruus autem male malos fœtus alens,
Quos ipse excussit generis causa,
Cum vrget vel breue famis tempus,
Cibum sese fœtibus alimenti loco infert.

Non quasi id sponte faciat, sed quia pulli cùm tantisper adoleuerunt vnum multi inuadunt, ac perimunt. Vnde satis aptè eos patricidas, & culeo dignos appellat Aldrobaldius.

169. Basil. De Aquilis etiam non est dispar ratio. Nam vt tradit Basil. in Hexam. pullos, quos aquila è nido suo deturbat ossifraga excipit suo, atque alit. Hi verò postquam adoleuerint cum parentibus suis sæpe pugnant, victos vnguibus dilaniant. Sic lege apud recentiorem historiæ naturalis collectorem, sed pugnat cum illo Epicrates apud Athæneum, qui docet Aquilas iam seniores, & effeminatas à iunioribus ali, atque cum his meretrices componit, quæ cùm ad senectam peruenerunt, & venari inhabiles sunt lenocinio dant operam, & adolescentulis amatores comparant: Ergo harum alteram perstringens ait. Athen.

Mihi videtur id perpessa quod solent aquilæ.
Nanque hæ iuuenes cum sunt aries,
Leporesque carpunt arduis ex montibus
Tulere sublimes, quos pedum robore,
Vbi senecta mox grauis compresserit,
Iuuenes volantes quæritant acta fame.

Sed tamen quicumque Epicratis verba calluerit, facilè agnoscit his versibus non referri aliquod pietatis obsequium, quod pulli parentibus, vel in vniuersum maiores natu senioribus aquilis exhibere soleant: sed potius innui has seniores cum prædis agendis ineptæ sunt iuniores consectari, & earum reliquias arrodere solitas, quod miserrimum planè est. Quid inde? Ad rem.

170. Per *coruos* in oculos aduolantes & aquilas vnguibus

bus lacerantes filios impios intelligit Salomon hoc inſenſu. *Oculum qui ſubſannat patrem*, &c. filium ſcilicet, qui oculis, aut vultu paternam pietatem lædit, & matrem ſuam nutu violat: *Suffodiant eum corui de torrentibus*, pullos coruorum intelligit. Nam corui, ferè apud torrentes & riuulos nidos conſtruunt, & pullos excludunt. (ſic Arati interpretes ſcribit) vt ſcilicet crebrius arentia corpora humectent, & humidos cibos carpant. Itaque ait, eiuſmodi filij erga parentes ſuos contumaces digni ſunt, vt filios etiam ſuos contumaces, & proteruos erga ſeipſos experiantur. Ita vt quemadmodum pulli coruini, & aquilini genitores ſuos excruciare ac lacerare ſolent, ſic etiam eorum filij in parentes ſuos immaniter ſæuiant: dignum quippe eſt, vt qui ſuos læſit parentes talioni ſubiiciantur, eademque à filiis ſuis referat, quæ parentibus exhibuit.

Arati Interp.

171. Et quidem per ſeniores *coruos*, parentum in educandis filiis iniuriam, per *pullos* autem filios improbos notari exploratum eſt. Ad id ſpectat peruetus illa paræmia. *Mali corui malum ouum*, nimirum improbus pater improbam ſobolem gignit. Sed audi Chryſoſt. qui corui exemplo ipſi quotidianum victum adminiſtrantis, Heliæ ſeueriorem zelum eleganter peſtringit, vt interim per coruos, coruorumque pullos filios parentum ſuorum oſores, impioſque parentes ſignari docet. *Proinde*, inquit, *per patres illos filiorum ſuorum oſores apud Heliam, qui Iudæis, & filiis male frugis ſuccenſebat, Deus intercedit, quaſi ad eum ſilenter ita diceret, Nec tanto Iudæorum filiorum tuorum odio teneare, quanto erga pullos ſuos corui. Ecce illi nunc conuerſi ſunt, vide vel eorum miſericordiam, qui natura ſua ſunt immiſericordes & inhumani, illi ipſi, vt hoſpites tibi obſeruiunt. Abſurdum eſt, ô Helia, quod apud te miſericordia mea patrocinentur corui, tu autem pro Iudæis, in quos ſæuio ego, non intercedis: erubeſce, & coruorum exemplo Iudæis eſto clementior. Ego enim vt tuæ ſententiæ honorem do, ita & illorum miſereri velim. At Helias cum Deo nondum crederet, alumni corui beneficium reuocatur: alia reconciliandi via quæritur: nempe vt fame victus ſententiam ipſe ſoluere cogat*, &c. hactenus Chryſoſt. Cuius verba attentè legenda ſunt.

Chryſoſt.

172. Pleraque igitur in pullis coruorum contemplari licet, quibus impiorum filiorum mores apprimè referuntur. Primo quidem parricidas corui adumbrant, quia vt nuper ex Philete admonui, corui, cum adoleuerunt, ſuoſmet genitores roſtris, vnguibuſque laniare, & eorum carnibus veſci ſolent. Secundò nata eſt corui natura, qui parentum oculos inuadere, ac roſtro figere ſolent, vt ex hoc Salomonis loco conſtat. Ita etiam docet Iſidorus lib. 12. Originum, cap. 7. vbi aſſerit oculos à coruis etiam in cadaueribus cum primis laniari atque erui. Hinc eſt etiam illud Ariſtophanis in auibus.

Iſidor. Ariſtoph.

Coruus aduenieus peieranti, clam
Aduolans eiiciet oculum verberans.

Et Catullus nuper citatus.

Catullus.

Effoſſos oculos vorat atro gutture coruus.

173. Accinit Ariſtoteles, qui corui cum aſino, & tauro inimicitias deſcribens eorum oculos à coruo peti & configi affirmat, vbi ſupra. Neque verò corui genitorum ſuorum oculis parcunt, cum eos lacerant. Hinc fluxit vulgatum apud Hiſpanos adagium. *Criais cuerbo que os ſaque los ojos.* Denique, vt aliàs etymologorum opiniones omittam, propterea coruus Græcè κόραξ, dicitur ab κόρα, ideſt, pupilla, ſcilicet à *coris*, vel pupillis figendis *coraces* appellati ſunt. Aliqui huius rei rationem in alimenti ſaporem conferunt, quod videlicet oculi coruis gratiſſimam eſcam præbeant. Alij curioſius aſſerunt coruos oculos potiſſimum inuadere, quia in ipſis effigiem ſuam tamquam in ſpeculo cernentes inuidia, & indignatione quadam inflāmantur, nō aliter ac ſi alios ſibi aduerſarios videāt, hæc verò attentius conſiderans illud occurrit, quod hi, qui in pupillis oculorum ſemetipſos contemplantur, quamuis magni ſint, tamen paruos admodum ſe cernunt. Iam tenes, quò tendam. Tūc quidem coruorum pulli parentum ſuorum oculos perforant, cùm ſemetipſos paruos, & puſillos in his cernūt, quod natura ſuadente iuſte admodum faciunt, & vt clarius dicam, natura ipſa illatas ſibi iniurias vlciſcitur. Nam cum corui pullos ſuos paruulos, & implumes cōtra naturæ leges negligere ſoleant, natura ipſa ad vltionem huius impietatis comparata hos impetus coruis inſeuit, vt quoties ſemetipſos in parentū oculis paruulos conſpicati fuerint, oculos roſtris ſuis confodiant, iniuriam, quam paruuli acceperant, degeneri illo impetu vlciſcentes: quorſum hæc? Certè vt cōſtet filios, quos parentes proteruos, aut contumaces, aut ſæuos experiuntur, Deo ita diſpenſante, malæ educationis iniuriam vlciſci. Ille igitur verè coruum alit, oculos eius tandem aliquando effoſſurum, qui filij educationem negligit, qui ſcilicet à puero optimis documentis non paſcit, vt cum corpore boni quoque mores adoleſcant. Et quidem ita ego reor, quod quēadmodum coruos à parentibus ſuis neglectos, & deſertos, Deus optimus maximus paſcit, cibum illis interim prouidè comparans, quod in maximis diuinæ prouidentiæ miraculis ponit Dauid, cum ait. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Sic etiam portēto, ac miraculo ſimile eſt, filium, cuius bonam educationem parentes à puero non curant, diutius viuere, & Deo ſeruante ſuperſtitem eſſe: ita enim parentum incuria poſtulare videbatur, vt filius negligenter educatus ocyùs interiret. Sed tamen hæc in re idem omnino parentibus euenire dixerim, quod de coruis Ælianus decernit. Quid ideò coruorum pullos diuina prouidentia ſeruari, & ab interitu vindicari dicit, vt cum adoleuerint parētum impietatem vlciſcantur, quod longè meliùs in parentes bonæ ſuorum filiorum educationis neglectores cadit, quorum liberos (quos ſtatim in pueritia emori ipſorum praui mores poſtulabant) Deus optimus maximus diutius incolumes ac ſoſpites ſeruat, vt cùm primùm ad robuſtiorem ętatem peruenerint, ab ipſiſmet debitas à parentibus pœnas expoſcant.

Pſalm. 146.

Sed tamen nouus autor alio ſenſu ad filios improbos eum Pſalmi locum conuertit. *Et pullis coruorum inuocantibus eum*, in maximis (inquit) diuinæ prouidentiæ portentis numerat Pſaltes, quod Deus coruorum pullos alit, ac fouet, qui filios impios, & parentum oſores notant, innuens ſcilicet filium, qui aliquando improbus, & contumax, & parentum ſuorum oſor futurus eſt, à Deo ſeruari, & rebus neceſſariis ad vitam tuendam benigne donari prouidentiæ diuinæ maximum portentum eſſe. Nihil enim magis à paterna Dei prouidentia, & cura alienum eſſe deberet, quàm filios parentes ſuos negligentes ſeruare. Quapropter ſi quando filium eiuſmodi contumacem curat communis prouidentiæ fines prætergredi, & aliquid miraculo ſimile facere videtur. Hæc de filiis erga parentes. 174.

Parentum verò erga filios impios mores coruus etiā optimè adūbrat, hic enim pullos ſuos implumes deſerens, & nutriendi tædio antequam ad volandum robuſti ſint è nido deturbat, ac demū tota regione, & tractu à ſe procul expellit vt nuper dicebam, atque adeò parentes notat filiorum educationem, & nutricationē minimè curantes. Quid certius? idē verò pullis excluſis quoſdā nutrit, & ſeruat, quoſdā verò expellit, & impaſtos emori ſinit, aut ſupra obſeruabam. *Quapropter* parentes illos innuit, qui facultates ſuas iniuſta 175.

iniusta partitione inter filios distribuunt, aliis quidem amplissimum patrimonium, aliis autem vt ita dicam, paupertatem ex testamento legantes. Quod similes Aquilæ mores expendens D. Basilius hom. 8. in Hexam. eleganti oratione persequutus est. *Iniquissima*, ait, *volucris aquila in educanda sua prole existit; duos enim mox vt excludit pullos, horum alterum alarum verbere casum nido deturbat in terram; alterum autem, vt eum solum exceptum, vt proprium adiungit sibi familiariter, qui in hunc quoque quem ipsa genuit, ob nutricationis difficultatem ab se ablegat. Sed hunc, vt aiunt, exceptum ossifraga disperire non sinit, sed vna cum suis educat pullis. Eiusmodi parentes sunt erga liberos praduri, & inclementes, qui pratextu à paupertate quasito infantes suos exponunt, aut certè iniquissimos se declarant in patrimonio in filios partiendo.* Quemadmodum autem aquilæ parentes in filios suos parum benignos, & clementes notant; sic etiam pulli aquilini filios erga parentes suos impios, & crudeles præ se ferunt, vt ex supradictis liquet.

Basil.

18. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.*

19. *Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.*

20. *Talis est via mulieris adulteræ, quæ tergens os suum dicit, non sum operata malum.*

175. HÆc omnia copulare necessum est, quia vnam sententiam componunt. Sed vestiganda primo est lectionum varietas. *Tria sũt difficilia mihi, & quartum*, &c. Hebr. *Tria ipsa abscondita sunt à me, & quatuor non noui ea.* Sic plerique conuertunt. Noster vestigia pressit Sept. hi. n. non *quatuor*, sed *quartum* reddunt. *Tria sunt impossibilia mihi intelligere, & quartum non agnosco.* Sic D. Amb. de obitu Valent. Aquila. *Tria sunt mirabilia mihi, & quartum non agnosco.* Chald. *Tria sunt abscondita mihi, & quatuor quæ non scio.*

Viam aquilæ in cælo, &c. Hebræa non dissonant. Sept. *Vestigia aquilæ volantis.*

Viam colubri super terram. Hebr. *Super petram.* Concinunt Sept. *Vias serpentis super petram.* Quibus hæret etiam Chald.

Viam nauis in medio mari. Hebr. *Viam nauis, in corde maris.* Sept. *Semitas nauis nauigantis.*

Et *viam viri in adolescentia.* Inter nostrum, & Septuaginta omnimoda concordia est: plures autem ex interpretibus primitiuæ vocis vim eruere volentes ad hunc modum extulerunt. Et *viam viri in virgine*, vel puella, vel adolescẽtula. Est n. Hebr. עלמה *Ghalmah*, quæ vox puellam virginem in laribus, atque, penatibus additam sonat, à radice עלם *Ghalam. i. abscondit, occultauit.* Quapropter aliqui mendũ irrepsisse existimant huic loco, atque sic restituendum esse. Et *viam viri in adolescentula*, non in *adolescentia*. Sed tamen hanc coniecturam coërcet, vtraque translatio tam vulgata, quàm Sept. Et quidem ita reor nomen illud עלמה *Ghalmag*, quod est Thoar ex עלם *Ghelem*, non solum iuuenculam, aut virginem, sed etiam iuuẽtutem significare. Nam Septuaginta Hebraicè linguæ peritissimi persæpe solent hæc nomina Thoar fœminea non solùm personis, sed etiam affectibus, aut passionibus accommodare: cuius rei exempla non pauca occurrunt in hoc libro, quemadmodum nos alias expendimus. Cui opinioni adstipulatur recentiorum Hebræorum consilium ad illa verba Psal. 47. *Ipse reget nos in secula* עלמות *Ghalmoth*, sic lego, non *Ghalmuth*, quẽ locum ita ipsi conuertunt. *Ipse reget*

Psalm 47.

A *nos, sicut in adolescentiis.* Hæc verò nostra sententia constantissima esse debet apud omnes, qui Vulgatæ lectioni aliquid deferunt, à qua aliqui in hoc loco temerè resiliunt. Solet etiam hic disputari, an vox illa *Ghalmah*, puellam tantum innubam, & virginem; an etiam nuptam, & corruptam sonet. Sed omissis Hebræorum nugis cum plerisque ex nostratibus sentio id nominis virginibus tantum dari, sicut apud Hispanos vox illa *doncella*. Adducor autem in hanc opinionem facili quadam ratione postpositis aliis, quas alij non satis robustas congerũt: quia *Ghelem* quod est formatiuum nomen, ex quo fluit *Ghalmah*, pueros tantummodo, seu adolescentulos sonat ante nuptias, & adultam ætatem. Ergo idem de fœminea terminatione

B decernendum est, nimirum puellas innubas, & virgines notare. Ex his constat C[illegible], & alios Hebraïzantes tam recẽtiores, [illegible] antiquos perperam hîc *mulierem corruptam* eo nomine [illegible] voluisse, vt versus iste cum sequenti [illegible] enim alia longè aptior concordia, vt [illegible] dicemus.

Locum istum venustis admodum expositionibus allegoricis, & accommodatitiis donant interpretes. 177.
Beda, Hugo, Dionys. Lyra, & alij: aliquando per *aquilam, colubrum, & nauem diabolum* satis nostræ insidiatorem intelligunt, nonnumquam doctorem passim Christum Dominum, cui potissimum tribuere solent lectionem illam, *& viam viri in adolescentula.* Ex his verò elegantius, ac iucundiùs Lyra *per viam aquilæ* Lyra.

C *in cælo*, Christi ascensionem, qua cælos penetrauit, per *viam colubri in petra*, Christi resurrectioné, clauso sepulchro, *per viam maris in medio mari*, eiusdem conuersationem in hoc mundo, *per viam viri in adolescentula*, eiusdem natiuitaté ex Virgine illibato pudicitiæ claustro accipiendam putauit. Dissidet nonnihil à Lyra Anastas. Nicænus in quæstionibus Anag. q. 43. vbi sic scribit. *Viam aquilæ volatis in cælo. i. Christi Ascensionem, viam serpentis super petram, nempe vestigiũ peccati in corpore Christi, & semitas nauis per mare, nempe Ecclesia, vt pote quæ in hac vita, tamquam in mari, spe in Christum per crucem gubernetur, & vias viri in iuuentute, nempe eius, qui natus est ex Spiritu sancto, & Virgine. Ecce n. vir oriens nomen eius.* Extrema au- Athanas.

D tem verba secundùm lectionem Septuag. sic pendit. *Talis est via mulieris adulteræ quæ quando aliquid fecerit, lota dicit se nihil mali fecisse. Talis scilicet conuersatio Ecclesiæ Christo credentis, quæ fornicata in Idolis, ipsis renuncians, & diabolo, cum peccata abluerit, & acceperit remissionem, dicit se nihil mali fecisse.* Cæterũ extremam hanc allegoriam iucundius cõducit D. Amb. serm. 30. de eleemosyna. *De hac*, inquit, (scilicet de anima per baptismum abluta) *dixisse Salomonem puto, eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis, quæ cũ se abluerit nihil se dicit fecisse prauum, quod de hac planè dictũ est, quæ postea quàm fonte abluta est Saluatoris delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis assumit; & viua aqua abstergens maculas suas ad euangeli-* Zachar. 6. 179. Athanas.

E *zandum, non conscientia peccati retrahitur, sed fides calore compellitur. Nihil enim se dicit fecisse prauitatis dum fit nuntia veritatis, & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat castitatem: hac enim virtus est Christi Domini, vt peccator, qui eius vnda se lauerit, denuò in virginem reparatus nõ meminerit ante quod fecerit, rediuiua natiuitate infantia innocentiam præ se ferat, fitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.* Hactenus Ambrosius.

Sed ad litteralem sensum gradum faciens Iansen. prioris clausulæ sententiam sic conformandam esse dicit. *Tria sunt difficilia mihi* captu. s. atque intellectu; imò quatuor sũt, quę penitus ignoro: Vel ad hũc modum, tria, quatuorve sunt, quæ mente consequi non possum. Sed tamen hæc interpretatio pugnat cum Vulgata 180.

Vulgata lectione, quæ planè tria cũ quarto confert & quartum omnino præfert. Itaque ait. *Tria sunt difficilia mihi*. Hebr. *abscondita*, quæ.s. ita me latet, vt ea consequi me posse desperem; *sed quartũ penitus ignoro*, quia captum hominis omnino superat: hæc sunt.

Caiet. *Viam aquilæ in cælo*, &c. Prima expositio est Caiet. atque Hebræorum, qui cùm extrema verba sic legant. *Et viam viri in adolescentula*, nomenque *Ghalmah*, non solum virginem, sed etiam corruptam fœminam significare existiment, non admodum pudicè sic exponunt. Quemadmodum aquila, serpens, nauis nullum sui vestigium relinquunt in aëre vel in petra, vel in aquis, sic etiam qui mulierem iam corruptã compressit, nihil relinquit ex quo concubitus dignosci possit, hoc sibi vult illud, *& via viri in muliere vel in adolescentula*. Extrema verò sententia in hunc sensum sponte allici potest, *Talis est via mulieris adulteræ*, q.d. eiusmodi est impudica conuersatio adulteræ, in qua nulla adulterii nota relinquitur, atque adeò postquàm scelus admisit suum, facilè dissimulat, & lota, vel perfricta fronte innocentiam præ se fert. Et quidem iuxtà hunc sensum, vt sententia hæc ad mores spectet, dicimus Salomonẽ suadere viris, vt vxores suas cautè obseruẽt, difficilior.n. est custodia mulieris nuptæ, quàm virginis. Nam virgo ipsa sibi cauet, quia scelus eius latere non potest: at nupta audacter illud admittit, quia facilè tegi posse confidit: sic sane potest Hebr. expositio condiri, quam ipsi satis insulsè non tam reddunt, quàm effutiunt. Sed tamen quia, vt supra dixi, vox illa *Ghalmah*, virginem tantummodò innuptam significat, audiendi nõ sunt.

Iansen. 181. Secundã igitur expositionem tradit Iansen. qui lectionem illam amplexus, *& via viri in adolescentula*, ac per hanc puellã innubam, & virginem accipiens, aliter sensũ cõformat. Existimat.n. hæc verba respõdere illi generationi.2. de qua supra scripserat, *generatio quæ mũda sibi videtur, & non est lota è sordibus suis*, nimirũ est generatio quædã quæ cũ impura sit, atq; impudica, tamẽ pudicitiã, & illibatã quandã puritatẽ præse fert, hæc autẽ est virgo cõstuprata sui copiã faciẽs & cõiugata adulterũ admittens, vtraque.n. facinus suũ tegere ac dissimulare cõtendit. Itaq; ait, sicut in aëre, petra, & aqua nullas itineris sui expressas notas dimittũt aquila, serpẽs, atq; nauis: sic etiã viri ad virginẽ ingressus nullũ vestigiũ apparere solet propter nimiũ studiũ celãdi id, quod sine capitis periculo euulgari non potest. Subditq; *talis est via mulieris adulteræ*, &c. quasi dicat, huic per omnia similis est aditus ad adulteram, cuius discrimen æquale est, atque adeò illius celandi non minor cura existit.

Iansen. putat hæc verba iuxta hũc sensum aduersus eos pronunciata, qui peccata sua fateri abnuunt: hinc virginibus stuprum dissimulantibus, vel nuptis adulterium celare volentibus similes sunt. Ad quam
Iob 5. sententiam propiùs accedit Eliphaz apud Iob cap. 5. vbi ad hypocritã scelera sua ex dissimulatione quadã tegendam sic ait. *Concepit dolorẽ, & peperit iniquitatem, vterus eius præparat dolos*. Ducitur.n. similitudo à puella innupta: quemadmodum.n. hæc cũ ex stupro concepit, tumorẽ vteri fasciis arctioribus comprimit, & partũ similiter abscõdit, ne ignominia illius prodatur: ad eũdem modum hypocrita, liceat sic dicere, animum concepto dolore grauidum, & prægnantẽ, & ipsam sceleris perpetrationem, quasi ignominiosũ quemdam partum celare, atque dissimulare contendit. Cæterum eius scelera diutiùs latere non possunt: sicut enim virginis impudentiam vteri tumor, ac partus denique prodit, ita etiam hominis hypocritæ malitiam conceptam ipsa sceleris adornatio, & perpetratio manifestat.

182. Sed licet hæc nõ ineptè dicta sint, ego tamẽ existi-
A mo Salomonis mentẽ eò ferri, vt suadeat parentibus filias innubas cautiùs obseruare, & viris item vxores diligentiùs custodire; quia vtraq; tam adultera, quàm cõstuprata, suã intẽperantiã tegere consueuerũt. Ad hãc interpretationẽ proximè accedit tertia aliquorũ recentiorũ, qui lectionẽ illã amplexi. Et *viam viri in adolescentula*, vel in adolescentulã (sæpe.n. in scriptura præpositio *in* regit ablatiuũ, & sensus nihilominus est casus accusandi) addunt, tres illas priores vias aquilæ, colubri, & nauis difficiles captu, ad cæcũ iuuenis amorẽ notandũ ascitas esse, qui virginẽ clausã, & in penetralibus abditam decipere contendit. Quasi dicat, Rẽ prorsus arduã, atq; difficilẽ tentat impurus ille iuuenis, qui ad virginẽ clausã, & obseratã ingredi B vult, & in qua nullas notas, aut vestigia sui relinquere oportet: aliter.n. sibi, atq; virgini maximũ periculũ creat. Itaq; *viã aquilæ in aere, colubri in petra, & nauis in aqua* illũ imitari oportet, vt quemadmodum hæc nullã itineris sui significationẽ relinquunt, non aliter ille viã suã celet, ac dissimulet. Huic autẽ sensui optimè inseruit extrema clausula. *Talis est via mulieris adulteræ*. i. ad adulteram (q.d.) non minus arduum est nuptã fœminã adire, quæ adulteriũ dissimulare artificiosè norit. Vtrumque.n. difficile est adulteris viam suam, vt oportet, tegere, & fœminas nancisci, quæ scelus dissimulanter occultare sciant. Hoc sibi vult illud, *Quæ tergens os suum dicit, non sum operata malũ*. Itaque Salomon secundum hanc expositionem, ab C adulterio, & stupro homines deterrere vult ob nimiam difficultatem, quia hæc crimina, vt oportet, tegere admodum difficile est: retecta autem, ac prodita, vitam, & salutem in maximum discrimen adducunt.

Cæterum si cum his legamus, *Viam viri in adolescentulam*, subest quarta interpretatio nõ inepta, suadens parentibus filias virgines diligentius obseruare, 183. & maritis vxores cautius occludere: ad hunc modum puellam virginẽ, & innuptã ab stupratore defendere difficile est: nã vir ad ipsam ingredi cupidè exoptans, aquilæ, serpentis, atque nauis viam imitari solet, quæ omnia lenissimè, ac sine strepitu aliquo feruntur. *Quartum*, inquit, *penitus ignoro*. Sed quid est illud, cuius D tanta ignoratio Salomonem tenet? *Viam viri in adolescentulam*, quasi dicat, Viri ad virginem aditus, tam lenis, mollis, & occultus est, vt facilius viã aquilæ aëra scindentis, & colubri per nudam petram proserpentis, & nauis maria sulcantis lenes illapsus me dignoscere, & assequi posse sperem, quàm viri ingressum ad virginem; cum ille viam suam latere omnino voluerit, & eadem est ratio de adultero, qui ad maritatam dissimulandi peritam ingreditur, &c. Sed tamẽ licet hæ expositiones non inelegantes sint, quia verò à Vulgata lectione abhorrent, aut eas refellere, aut certè parum illis deferre oportet. Ex nostris P. Gaspar 184. Sanctius in c.7. Isaiæ, num. 29. duas alias interpretationes accommodat. Gaspar Sanctius. Prima, quæ in aliarum ordine est, sic habet. Purus est aër atque integer, quia E si volatu aquilæ scinditur, illicò partes illius cõmissę coëunt, & volucris vestigia delentur: idem in mari accidit cum à naui sulcatur, & in petra cũ super illam coluber serpit: hæc enim nullas notas aut signa nauis transeuntis, aut colubri proserpentis seruant. Ad eũdem modum in virgine pura, & illibata nullum virilis operæ vestigium est. Hæc ille, quæ mihi non satis idonea videntur, nisi fortè referantur ad mentem virginis (luculentius dico) nisi accipiantur de virginitate mentis non corporis, ita vt sensus sit; Sicut in aëre, in mari, & in petra nullas sui notas impressas relinquunt tum Aquila, tum nauis, tum serpẽs, ita etiam *viam viri in adolescentula*, id. est, in virgine illibata, & pura, cogitatio, affectus, aut

memoria viri nulla ſui veſtigia miſſa facit, ſed illicò hæc omnia deleta fluunt. Sexta interpretatio, & noſtri Gaſparis ſecunda ſic habet. Quemadmodum in aëre, in aqua, & in petra, nulla apparet ſemita gradientium aut tranantium: ita etiam ad virginem abſconditam, & cautè à ſuis parentibus cuſtoditã, nullę ſunt ad ipſam iuuenum petulantium viæ: id eſt, nulli concurſus, aut occurſus. Sed tamen in hac etiam expoſitione neſcio quid deſiderare mihi videor; nam vt ſimilitudines illæ aptè cadant nõ demendum iter viri, ſed illius notæ ac veſtigia. Rurſus non ſatis cohæret cum ſequenti verſu. *Sic & via mulieris adultera*, &c. Quapropter ſi præfatæ lectioni aliquid deferre oportet, præferenda me iudice, quarta interpretatio ſupra adſcripta. Venio ad Vulgatæ ſententiam.

185. Quinta igitur interpretatio Vulgatæ lectionis ſic habet. *Tria ſunt difficilia mihi*, ſed quartum reliqua difficultate ſuperat, id autem eſt, *Via viri in adoleſcẽtia*, propter inſtabilem, ac mobilem naturã eius ætatis, quaſi dicat, difficile eſt, imò planè impoſſibile, viã aquilæ aëra tranantis, & colubri per nudam petram labentis, ac nauis per liquidas aquaş ruentis dignoſcere, ac certò deſtinare; ſed longè difficilius eſt adoleſcẽtis mores, & ingenium aſſequi, & aſſignare propter eius ætatis inſtabilem conditionem. Lactantius diuin. inſtit. lib. 7 *In adoleſcentibus*, inquit, *mobilia ſunt ingenia*. Et Virgil. ait.

Lactant.
Virgil.

Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

De hac iuniorum mobilitate plura Ariſt. lib. 8. Ethic. c. 3. ex qua colligit nullum ſatis certum iudicium in ea ætate de illorum ingenio, ac moribus ferri poſſe: quò ſpectat etiam carmen Homericum à Plutarcho citatum ex Iliade 7: *Semper autem iuniorum virorum mentes pendent*, id eſt, in ancipiti quodam æquilibrio ſunt, vt in hanc, vel in illam partem flectant. Sed vt conſtet quàm aptè ſecundùm hanc expoſitionem iuuenis conuerſatio, & mores cum viis aquilæ in aëre, colubri in petra, nauis in aqua componantur, ſinguli ad hunc modum accommodare opus eſt. Primo dicendum eſt, ſapientiam, conſilium, & omnem illuſtriorem cognitionem, & doctrinam, quam cũ aquila conferre licet, per eam ætatem, tamquàm per liquidum aërem ferri, ita vt in illa nullum ſui veſtigiũ dimittat: prudentiam, quam ſerpens aſtu ſuo adumbrare ſolet per eandem ætatem, tamquàm per ſaxũ moueri, ita vt nullas ſui notas eidem imprimat: virtutẽ denique omnem per eam ætatem, tamquàm nauẽ in mari velocius labi, ita vt nullum in illa ſignum exprimat. Quibus ſimilitudinibus ſignificatur nihil boni iuniorũ moribus affigi, nullamque virtutẽ in ipſis ad habitum perduci, ſed omnia per lubricam illam ætatem labi, & excurrere. Sed tamen hæc interpretatio ex eo difficilis eſt, quia cum ſequenti ſententia conſui non poteſt. *Talis via mulieris adultera*, &c.

Ariſtot.
Plutarch.

186. Octaua expoſitio expendit verbũ originale, quod ſubeſt illi voci *viri*, & *via viri*, &c. nempe גבר *Geber*, qui virum planè robuſtum, & fortem, & ætate prouectum ſonat. Deinde obſeruat Salomonem tres illas vias non ideò tantùm difficiles appellaſſe, quia non licet illas dignoſcere, & adnotare, ſed etiam quia per ſe mirabiles valde ſunt; ſic legit Ambroſ. vbi ſupra, *Tria ſunt mirabilia mihi*. Quid. n. admiratione dignius, quàm aquilam prægrandem alarum remigio per tenuem aërẽ librari, & ſerpentem teretẽ, & apedẽ mira velocitate per terram ſerpere, eundéque aliquando accliues, & arduos ſcopulos nullis pedibus, aut manibus ſuffultum aſcendere: ac denique oneratiam nauem ſupra liquidas maris vndas ferri? Hæc tria valdè admirabilia ſunt, inquit Salomon; ſed illud admirationem omnem ſuperat facile, *via* גבר. i. *viri* robuſti, & prouecti *in adoleſcentia*: conuerſatio nimirum ac mores maturi, quàles virum decent, in præcoci iuuenis ætate: & quidem hoc quartum miraculum non ſolùm per ſe admiratione dignum eſt, ſed etiam quidquid eſt in tribus aliis mirabile, in ſe exprimit: iuuenis. n. affectionũ pondus, quod eam ætatẽ præcipuè grauat, in liquido, ac prætenui adoleſcentiæ conſilio tanquã in aëre ſuſpendens, ac continẽs, *aquila* eſt per aëris plagas graue corpus librans. Adoleſcens carens quidem ea prudentia, quam experientia, & rerum periculum parit, & nihilominus prudẽter, & cautè agens, *coluber* vtique eſt, teres, & apes per terram currens, imò ſcopulos ſcandens. Denique iuuenis perturbationes, atque turbas eius ætatis (quę maximæ ſunt) iam tunc ratione peruincẽs *nauis* eſt, quæ rationis gubernaculo acta tumentes maris vndas proterit, & in portum appellit. Sed tamen hæc interpretatio difficultatem continet cum ſuperiori communem. Nam cum ſequenti illo verſu necti non poteſt. *Talis eſt via mulieris adultera*, &c.

Ambroſ.

Quapropter nonam expoſitionem ſubſcribã, quæ mihi ante alias probatur, de ætatis videlicet veloci decurſu ad hunc modũ, *via viri in adoleſcentia*. 187.
Quaſi dicat: Aquila per aëris leuiſſimam regionem velociſſimè fertur, ſerpens per terram leniſſimè labitur, nauis per aquas maris molliſſimè ſimul, atque ocyſſimè ruit: ſed tamen longè velociùs, ac leniùs vir ex adoleſcentia ad alias ætates fertur, labitur, ruit. Et quidẽ cũ aliæ ætates fluant, & decurrant, adoleſcentia magis quodammodò fluit, ac decurrit, quia iuuenis quid ſibi temporis abeat non ſatis attendit, atque adeò iuuentus inopinantem illum, & quaſi aliud agentem fugit. Integra verò ſententia ſic conformari debet. *Tria ſunt difficilia mihi*, quia videlicet labũtur, & fugiunt, & nullum ſui veſtigium relinquunt, *ſed quartum penitus ignoro*, hoc eſt, *viam viri in adoleſcentia*, quæ velocius quidem pertranſit, & poſtquàm pertranſierit antiquæ pulcritudinis, elegãtiæ, ac roboris nihil reliquum facit. Et quidem ætatis lapſum tribus illis ſimilitudinibus optimè notari nemini dubiũ eſſe poteſt. Primam quidem, & tertiam attigit auctor Sapientiæ 5. *Tranſierunt omnia illa tamquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus. Aut tanquàm auis, quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem: commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius.* Et Iob 9. *Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt, & non viderunt bonum, ac tranſierunt, ſicut naues poma portantes, & ſicut aquila volans ad eſcam.* illã præterea nauis ſimilitudinem non inelegantem ad ætatum velocem lapſum conuertit Senec. in epiſt. 109. his verbis. *Quemadmodum nauigantibus terra, vrbeſque recedunt: ſic rapidiſſimi temporis curſu primùm pueritiã abſcondimus: deinde adoleſcentiam, demum ſenectutem.* Sed audiendus eſt Chryſoſtomus, qui eas ætates diſſimiles cum diuerſis pelagi ſinibus componit, per quos homo nauis ad inſtar velociſſimè ex vna in aliam fertur, hom. 84. in Matth. *Pelagus*, inquit, *eſt longè latéque protenſum hæc vita, & quemadmodum in mari vniuerſo ſinus diuerſi aliis atque aliis tempeſtatibus cõmouentur, præcipuè velut Ægæum ventis exaſperatur, Tyrrhenũ verò fretũ propter anguſtias, Charibdis autẽ, quæ eſt Lybiam verſus, propter ſtagna, ſyrtes, & breuia, Pontus magnitudine fluctuum atque impetu, Hiſpanicus Oceanus, quia immius, carentia portuum, & locorum ignorantia difficilis nauigantibus eſt. Sic, & in vita noſtra fieri videmus: Nam primum in ea pelagus pueritia: puerum quippe videre licet in quadã ætatis conditione, quæ multis procellis vexatur, tum quia mens imbecilla eſt, tum quia nulla*

Sap. 5.
Iob 9.
Senec. 188.
Chryſoſt.

firmitate adhuc roboratur, sed huc, atque illuc flectitur: quapropter pædagogos illi, & magistros præficimus, vt defectus naturæ diligentia suppleat: sicut in nauigando gubernatoris artificio maris asperitas superatur. Adolescentium fluctus pueritiæ succedunt, qui vehementius, sicut Ægæum mare, concupiscentia ventis exagitatur; quæ quidem ætas potissimum correctione destituitur, nō solum quia maioribus turbationum fluctibus caditur: verū etiā, quia pædagogus tunc, & magister subtrahitur. Quapropter cùm maiori turbine venti spirent, & rationis gubernator sit imbecillior, nullusque alius tutor adsit, considera tempestatis magnitudinem: Virilis ætas tertium locū occupauit, quam rerum omnium dispensatio maxima vrget, quando vxoris nuptiæ, procreatio prolis, familiæ gubernatio, & in mentem plurima cura veniunt, &c. Hanc

189. verò similitudinem, quam tanta verborum vbertate persequutus est, sic denique absoluit. *Si igitur vnamquamque ætatis partem cum naufragiis peragamus, quomodo hanc vitam transibimus? Nā si nihil sinceri, atque integri in prima ætate didicerimus, si iuuenes modestè nō vixerimus, nec auaritiam viri superauerimus, per omnes has ætates aut sinus velocissimè vecti, quasi in sentinam quandam vitæ, in senectutem scilicet, intrantes, vitæ iam tempestatibus animæ nauicula, fatiscentibus compaginibus, deferemur tandem in illum portum, non spirituales merces, sed luti, ac sordium plurimum deportantes.* Hactenus Chrysost. quibus vitæ celerem cursum, & singularum partium fluctus turbulentos copiosè admodùm describit.

Gregor. Accedat etiam D. Gregor. lib. 6. epist. 26. *Vita*, inquit, *nostra nauiganti similis est, is qui nauigat siue stat, siue iacet, vadit tamen, quia impulsu nauis ducitur: ita & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes per momenta temporum ad finem quotidie ducimur.* Et Agapitus Diaconus in expositio-

Agapit. ne Capitulorum admonitoriorum sic habet. *Nauis per mare commeantis imitatur transitum compendiosa præsentis vitæ conditio, quæ sanè nos nautas fallens suos cunctanti raptos cursu tandem ad suum cuiusque exitum perducit.*

190. Alteram verò aquilæ volantis viam abeuntis vitæ similitudinem tenere nemo ambigit: rationem autem obtulit locuples autor; Quia reliquæ aues non rectà volatus regunt, sed tam sursum, quàm deorsum obliquéque per quosdam anfractus mouentur: Aquila verò sursum quidem rectà fertur; & cùm deorsum volatum flectit, iaculi ad instar, recto impetu ruit: præsertim cùm ad prædam captandam sese deponit. Hinc est illud. *Sicut aquila festinans ad escam.* Iob 9.

Iob 9. Abac. 1. & Abacuc. 1. *Equites eius de longè venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.* Ad eundem modum de vita nostra decernere licet, hæc enim non obliquè, & per anfractus temporis labentis cursum eludens, sed rectà cum ipsomet tempore, aquilæ in morem, velocissimè fluit.

Denique secunda illa serpentis labentis via vitæ similitudinem optimè gerit. Nam temporis fluentis lapsum per serpentem adumbrari constantissimum apud veteres fuit: apud Chaldæos serpens in orbem glomeratus, & caudam suam mordicus tenens, anni symbolum præbebat: idem verò longus, & per mollem, ac lubricam herbam ruens, vitæ in delitiis actæ lubricum etiam cursum significabat lege Horum in serpente: quod ad virentem vernantemque iuuentā referre licet, per quam ad eundem modum lenitur simul, ac velociter vita fluit, sicut serpens per herbas conterit terram. Et quidem noster interpres signatè transtulit *super terram*, & non super *petram*. Hanc verò expositionem propterea reliquis anteponendam esse reor, quia sequens versus illi subseruit.

191. *Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergēs*

A *os suum dicit, non sum operata malum*: hæc verba, *quæ comedit, & tergens os suum dicit*, ad obscænam quandam significationem conuertunt Hebræi, parum elegantem metaphoram commenti. Sed tamen quis obscænam adeò expositionem non repudiet, quam aliis non indoctis viris placuisse admiror? Ego quidem si verba hæc metaphoricè capiantur ad impudentiam adulteræ referenda esse dicerem, vt supra in prima huius loci expositione adscripsi ad hūc modum; *quæ comedit, & tergit os suum*, id est, sicut is, qui interdictas sibi escas comedit, vt se comedisse per dissimulationem tegat, eluit, ac detergit os; sic etiam hæc impudica, & adultera fœmina post illicitum concubitum eluit os suum, id est, faciem suam & frontem perfri-

B cat, & mirabili quadam impudentiâ perinde se gerit ac si nihil vnquàm mali admisisset. Itaque *tergere*, aut *lauare os*, iuxta hanc expositionem nihil aliud est, quàm frontem fricare, & verecundiam eluere.

Sed his dimissis mens Salom. sic habet. *Talis via* 192.
mulieris adulteræ. Sept. *Via meretricis*. Hæc.n. duo in scriptura vicissim permutari solent, nimirum similes per omnia sunt *via meretricis*, & *via viri in adolescentia*. Nam sicut vir ab adolescentiâ ad senectutē transit, ita vt præteritæ formæ, elegantiæ, ac roboris ne vestigia quidem remaneant; sic etiam meretrix tandē aliquando senescit, adeò vt antiquæ pulcritudinis, & venustatis, quæ pridem tātoperè placebat, nullæ nonę reliquæ sint. Illa verò extrema verba, *Quæ comedit, &*

C *tergens os suum dicit, non sum operata malum*, descriptionem quandam continent meretricis ab illius impudentia, vt nuper dixi, quasi dicat. Ad eundem modum meretrix ad aniles annos concita tendit, meretrix, inquam, illa impudens, quæ frontem perfricuit, & pudorem omnem excussit. Quamuis aliter etiam dici possit, hæc scilicet verba extrema ad meretricis cultum referri hoc modo. *Quæ comedit; & tergit os suum*. i. quæ ad excolendam formam delitiosè comedit, & faciem suam pigmentis curat. Inter alia enim quibus pulcritudo fœminarum curari solet, numerantur etiam delicatiores epulæ. Hester secundo mu- Hester 2.
lieribus, quæ in gynecæo ad futuras nuptias formā colebant *partes decernebantur*, id est, ciborum lautio-

D rum certa mensura. Et Ezechiel. 16. vbi Deus Hie- Ezech. 16.
rusalem more sponsæ elegantissimo cultu ad nuptias adornat, inter alia sic serit. *Ornata es auro & argento, & vestita es bysso, & polymito, & multicoloribus; similā & mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis.* Rursus illud *tergens os suum*, perinde est ac si dicat, faciem suam vnguentis, aut medicamentis nitidam reddit. Nam verbum *tergo* ad formæ cultum significandum sæpiùs asciscitur. Plautus in Penul. Plaut.

Numquam cessauimus industria
Ambæ lauari atque fricari, tergi, & ornarier.
Et infra.
Lauantur, terguntur, poliuntur.

Ergo sensus erit. *Talis est via mulieris adulteræ*, &c.

E Ad eundem modum meretrix abiecto decore, & venustate, in deformem senectutis maciē transit, quantumuis delicatioribus epulis, aliisque pigmentis faciem medicari, detergere, ac nitorem illi comparare studiosè curet. Imò potiùs ipsa faciei cura, & medicatio, rugas, & senectam præcocem fœminis afferre consueuit, sic enim experientia comparatum est. Ad 193.
hunc sensum vocari debet lectio Septuag. *Talis via mulieris meretricis, quæ cùm sit lota, nihil se dicit fecisse absurdum*, id est, cùm se abluerit, hoc etiam ad formæ curam pertinet. Terent. in Heaut. *Atque illa, si iā lauerit, mihi nuntia*, id est, verū iam faciem excoluerit, & in Trucul. *Vise illam, atque operire ibi; iam exibit, lauabit*, & alibi passim. Hinc *lautitia*. Itaque sensus est, sic meretrix culta, & elegans, in rugas, & senectam

ocyus abit, quantumuis id medicamentis, & pigmentis faciei dissimulare, & obtegere contendat.

Vt autem intelligas vim illius extremæ clausulæ. *Nihil se dicit fecisse absurdum*, nec non illud Vulgatę lectionis, *Dicit non sum operata malum*. Animaduertere oportet Salomonem hic agere de iuuene intemperanti, ac de meretrice: nam vtraque venus scilicet, atque lasciuia, præcocem senectam adducit. Quid.n. certius, quàm corpus ex nimia venere intabescere, ac senium citius contrahere? hac de re aliàs non semel dixi, vide supra c. 5. vers. 11. De his ergo dicit minori velocitate aquilam per aërem in prædam labi, & nauem per aquas ruere, ac colubrum per æquabilem, & herbescentem terram serpere nullas itineris sui notas relinquentes, quàm adolescens intemperans & mulier impudica in senium (vt ita dicam) serpunt, labuntur, ruunt, nullis pristinæ elegantiæ, & venustatis vestigiis derelictis. Itaque licet iuuenis intemperás, & meretrix impudica suam intemperantiam, & impudentiam dissimulare, & obtegere velint, macies ipsa corporis, & totius formæ, ac pulcritudinis iactura, quæ ex veneris vsu illis accidit, id statim prodit, quamuis pigmentis, & medicaminibus illa se virginem incolumi, & indeleta formâ mentiatur.

194. *Ambros.* Ad extremum subiicio decimam expositioné D. Ambrosij, quæ mihi etiam valdè probatur. Hic ergo in sermone de obitu Valentini Imperatoris sic scribit. *Magnum est quidem abstinere à vitiis iuuentutis, vel ea in ipso iuuentutis vestibulo derelinquere, atque ad saniora conuerti: lubrica enim & perplexa sunt via iuuentutis. Vnde Salomon ait, Tria mihi impossibilia sunt intelligere, vestigia aquila volantis, & vias serpentis in petra, & semitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute.* Ex quibus verbis talis sensus elicitur, iuniorũ studia, & cupiditates in vitia pronæ, atque labiles sunt, & vix remeandi, & virtutis, honestatisque repetédæ spem aliquam relinquunt. Nam sicut aquilæ, nauis, atque serpentis, per aërem, aquam, & petram viæ lubricæ sunt, nullumque sui vestigium relinquunt, per quod identidem redire, & ad posteriora recurrere liceat; sic etiam studia iuuenum in malum omne procliuia, & lubrica: vbi auté in vitia prolapsa sunt nullum lapsus sui vestigium dimittunt, per quod regredi possint: hoc est, nullam ex lapsu suo spem honestatis repetédę relinquũt. Quid enim aliud iuuenis gloriæ cupiditate elatus, nisi aquila sublime volãs? Quid adolescés terrena, & caduca bona impensè appetés, nisi coluber per terram serpens? Quid denique iuuenis delitiis, ac voluptatibus diffluens, nisi nauis per aquas ruens? Quoties autem hic per omnes istas vitiorum differentias prolabitur, & iisdem assuescit; nullum sane vestigium, aut notam relinquit, ex qua illum tandem aliquando meliora, & saniora consilia repetiturũ sperari, aut diuinari possit; tanta.n. est, nec minor vitiorum vis, cùm ab adolescentia in alias ætates influunt. Et quidem appositè ad hæc subdit. *Talis est via mulieris adultera*, &c. i. per omnia similis est viuendi ratio, quam adultera, seu meretrix sectatur, in qua vix vlla futuræ resipiscẽtiæ spes reliqua est: præsertim quia tanta esse solet eius impudentia, vt perfrictâ fronte affirmare audeat se nihil mali, aut absurdi præstare, vel quia prostitutionem suam licitam putat, vel quia eius malitiam non satis agnoscit.

195. *Ambros.* Sed ad hanc expositionem, quæ literalis est, & reliquas facilè superat, libet adiungere aliam, atque aliã mysticam eiusdẽ Ambros. in lib. de Salomon. c. 2. vbi locũ istũ de Christo Domino vberius exponit. *Quasi verò sit facilè, vt suspensu aliqua in altum, celeri elatione pennarũ plausus sui, & lapsus vestigia manifesta cõstituat, aut viam signet in vacuo, & lineam sui volatus figat in liquido. Aquilã in hoc loco Christũ Dominũ debemus accipere. Et si.n. post passioné, & resurrectioné suã*

A *præsentibus Apostolis Dominus noster ascendit in calũ, tamen cuius hominis tàm altus sensus, & tantus est, vt explicare possit, quomodo illa tanta maiestas de calo, aut venire dignata fuerit, aut redire? cùm hoc solùm nobis scire liceat, quod aut venit aut rediit. Quis enim cognoscere potest quemadmodùm Verbum in Virginem venit, vt repentè conceperit, vt tam fœlicem fœtum partus Virginalis effunderet, vt hominem Deus indueret, quem totus mũdus non potest, nec sufferre, nec capere? i. quod Salomõ ait: vestigia aquila volantis. i. Christi Domini aduenientis ad terram, redeuntis ad calos vestigia comprehendi, enarrarique non posse.* Hæc de aquilinis vestigiis.

De serpente autem sic fatur. *Dixi iam quod sinnosis labens membris nitidus ac volubilis coluber, tractibus* 196.

B *suis vestigium aliquod in petra, quia res est dura, non faciat; inaccium.n. monstri huius non nisi molli signatur in puluere. Hanc petram Christum Dominum n. [illegible] esse* *Genes. 3.* *ambigere non debemus, serpens auté ex ipso nomine quod sit callidior omnium bestiarum, qua sunt super terram, apparet quod est diabolus, qui ideo serpens dicitur, quod occultè serpat, & quod [illegible] tentando pertentat. Hic ergo in corpore [illegible], quod omnipotens Dominus induerat, nulla malitia sua potuit imprimere vestigia, quamuis illud ausus fuerit sæpè tentare.*

Rursus de via nauis in medio maris ad hunc modũ ferit Ambros. *Nauem adeòque Ecclesiam debemus accipere in salo mundi huius constitutã, qua crebris ven-* 197.

C *torum flatibus, id est, tentationum plagis ac verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, id est, huius saculi potestas conatur ad saxa perducere: qua, etsi vndarũ fluctibus sæpè vexatur, nunquam tamen potest sustinere naufragiũ, quia in arbore eius, id est in cruce, Christus erigitur. In puppi Pater residet gubernator: proram paracletũs seruat spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portũ remiges ducunt, id est, duodecim Apostoli, & similis numerus Prophetarũ. Inde Montani antra latratu falsi carminis resonant, qui duabus fœminis prophetissis Priscilla, & Maximilla tamquam alicuius scylla rabidis succinctus est canibus: sed in ista naui Ecclesia hanc fœliciter praterimus. Inde in Photinianam Charibdim non incidimus, inde Arium archipyratam*

D *non timemus*, &c. Et postquàm vada, syrtes, scopulos, & ventorum violenta flabra enumerauit ad extremum sic attexit. *Sed quod ait vias nauis nauigãtis, propriè significat, quod in tempore persequutionis miro in modo comprehendi omnino non possit, quia scilicet vincitur per interitum, & diues per damna reddatur: qua ob hoc multis in locis soli cõparatur, aut luna qua etsi tunditur, non mouetur, & si moueatur, resurgit.* Nimirum aut soli similis, qui lucis detrimenta non patitur, aut lunæ, quæ licet aliquando decrescat, aut deficiat paulò post, denuò reparatâ luce, non innouatur.

Adhuc *viam viri in adolescentia* ad hunc modum accommodat. *Vir iste Christus Dominus noster est, hic est vir, cuius via non possunt agnosci in iuuentute. Quis* 198.

E *enim astimare animo possit quanta ille opera exercuerit cùm secundum hominem moraretur in terris, qua itinera virtutis duxit, quas vias beneficiorum circa humanum genus fuerit ingressus.*

Denique ait. *Tales hic etiam dicit vias meretricis, qua postquàm abluta est, dicit se nihil mali fecisse. Meretrix ista Ecclesia typus est aliquando in gentibus constituta, idolorum cultibus viriata, quam vana superstitionis stupra polluerant*, &c. *hanc posteaquàm Dominus noster Iesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem criminis accepit, & nominis, post meretricem fit virgo, quia vni se destinauit sponso.* 199.

Iterum Ambr. eadem verba ad trutinam vocans nouam applicationem excogitauit. *Nauis, serpentis, & aquila*. sic.n. ait. *Nam quod dixit vias nauis nauigan-*

tis se inuenire non posse, hoc non est sine mysterio verbũ. Nam quis inter fluctus ostenderet, vel præscriberet viã, qua nauis transierit? nauis.n.in transitu suo vndas scindit,& illicò se vndæ condensant, vt videatur quà transit, & non scitur quà transierit. Visum.n.habere potest, vestigium non potest. Christus est, nauis, in quam ascendunt omnium credentium animæ, quæ vt firmiùs inter fluctus euehatur, de ligno fabricatur, & ferro configitur; hoc autem est Christus in cruce. Sed dicit nauem sine vestigio, quia verbum Dei viuum, & efficax per aurem penetrat ad viscera sine læsione, & homine assumpto Verbum inter homines nascitur sine sui diminutione, & Maria Virgo generat sine corruptione. Transit ergo nauis per mare, & nulla in vndis vestigia remanent quia venit Christus de cœlo, aure concipitur, vtero portatur, & talis virgo Maria remansit, postquam peperit, qualis antequam Verbum aure conceperit, & vtero gestauerit.

100. Iterùm de serpente sic addit. *Deinde profitetur se non videre semitas serpentis super petram. Commune est, & omnibus hominibus patet, quod æstatis tempore, cùm terra soluitur in puluerem, de latibulo suo egressus serpẽs impressione corporis sui in terra corrupta potest designare semitam, sed cùm ad petram peruenerit non facit in lapide, quod fecit in puluere. Sic & ipse diabolus in ipsis natalibus mundi inuenit corruptibilem terram Adam, & Euam libenter audientem, quæ eis loquutus est, fecit in auribus semitam, fecit & in pedibus, quibus interdictũ fuerat iter ad arborem, fecit in manibus, à quibus contrectata sunt poma, fecit in lateribus, dùm ab eis, non vt fuerant concessa, celebratæ sunt nuptiæ, venit denique inde ad patrem qui est Christus (talis enim factus fuerat Adam ex limo, qualis Christus ex vtero Virginis) vidit hominis similitudinem, sed coopertam corpore cognoscere non potuit maiestatem, potuit & ipsum tentandum aggredi; sed Christus non obtemperauit, sed diaboli verba contempsit, ideò serpens in petra vestigium non fecit.*

Et rursus ad Aquilam rediens hæc adscribit, *Aquila intelligitur Christus, qui volatu suo descendit ad terras, quod animalis genus non nutritur, nisi primum castitas comprobetur matris, vt apertis oculis absque palpitatione totum aspiciat solem, hoc.n. animal comparatur Saluatori, quod cùm aliquid rapere voluerit, non vestigiis obambulat terras, sed excelsum eligit locum; sic & Christus altâ cruce suspensus tonanti strepitu, & terribili volatu impetum ad inferos fecit, sanctosque rapiens ad superna remeauit.*

Denique de viis viri, & meretricis nihil noui attexit, sed per virum, Christum, per *meretricem*, Ecclesiam intelligit, quæ baptismo abluta, & renata, depositis sordibus virgo fit, atque viro illi Christo Domino copulatur.

---

21. *Per tria mouetur terra; & quartum non potest sustinere.*

22. *Per seruum cùm regnauerit, per stultum cùm saturatus fuerit pane.*

23. *Per odiosam mulierem, cùm in matrimonium fuerit assumpta, & per ancillam cùm fuerit hæres dominæ suæ,*

Per tria mouetur terra. &c. Hebr. *Sub tribus tremit terra, & sub quarto non potest sufferre.* Sept. *Per tria concutitur terra, quartum autem non potest sufferre.* Symm. *Quatuor autem non potest ferre.* Chald. concinit cum nostra Vulgata.

Per seruum, &c. Nostræ lectionis, Hebraicæ, Chaldaicæque omnimoda concordia est. Septuag. in eo solùm à reliquis dissident, quod tertium, quartum-

A que permutant; nam seruam dominæ hæredẽ tertio loco numerant & nuptam illam fastuosam, & infensam viro suo, in quartum locum differunt: sic enim ad verbum habent. *Si famulus regnet, & imprudens saturatus fuerit cibis; si famula eiecerit suam ipsius dominam: & odibilis mulier sortita fuerit virum bonum.*

De huius quaternarij quarto loco adscripti sensu 101.
non eodẽ modo decernunt interpretes. Aliqui enim omnes has sententias ænigmaticas, aut ænigmatis similes esse, & sub alicuius allegoriæ cortice mystici etiam sensus nucleum contineri censent, atque adeò hæc verba, quemadmodum aliorum quaternionum, non vt sonant, sed allegoricè captant. Alij sonum sequuntur: hinc varietas interpretationum, quas iam
B subnecto. Prima est multorum, qui rationis, appetitusque pugnas his metaphoricis locutionibus notari docent ad hunc modum. *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere.* i. tria, vel quatuor sunt, quæ turbas, & contentiones maximas in mundo excitant; at intra hominem vnum aliquid est, quod illa quatuor imitatur, & parui huius mundi angustias cõcutit, scilicet appetitus rationi imperans. Nam primò appetitus cùm tale imperium adeptus est, seruus regnans meritò dicitur, hoc sibi vult illud, per *seruum cùm regnauerit.* Constat.n.appetitũ ex natura sua ad obediendum, & parendum rationi natum fuisse, tanquàm seruum domino suo. Tullius in secundo de Cicer.
C Officiis. *Efficiendũ est vt appetitus rationi obediat, eamque neque præcurrat, neque ob pigritiam, aut ignauiam deserat.* Hæc sunt serui sequacis officia, hanc sententiam ex Tullio libauit D. Ambros. lib. 1. Officiorum c.47. vbi sic habet. *Appetitus lege naturæ ipsius rationi subiectus est, & obedit ei: vnde boni speculatoris est ita prætendere animo, vt appetitus neque præcurrat rationẽ, neque deserat, nec præcurrendo perturbet, atque excludat, eamque deserendo destituat,* &c. Lege ibi plura in hanc sententiam. Rationis verò regnum, & imperiũ in appetitum descripsit idem Tullius infra his verbis. Cicer.
Est & in animis omnium molle quoddam, demissum, humile, eneruatum quodammodò, & languidum, si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius: sed præsto est domina omnium, & regina ratio, quæ connixa per se, & progressa lõgius fit perfecta virtus. Hæc, vt imperet illi parti animæ, quæ obedire debet, videndum est viro, velut ser-
D *uo dominus, velut imperator militi, velut parens filio.* Ad hæc Tullij verba respiciens Lactantius appetitũ ra- Lactant.
tionis imperium detrectantem, *Desertorem Imperatoris sui appellat.* lib. 7. cap. vltimo. Cùm verò appetitus per naturam seruus sit, & ratio imperium obtineat, quotiescumque appetitus imperium inuadit, & ratio cum reliquis animi viribus illi paret, tunc verè seruus regnare dicitur. Hinc Thalass. ad Paulinum Pres- Thalass.
byterum. *Sicut absurdum est, inquit, subesse bonum dominum improbo seruo; ita & absurdum corruptibilis corporis mancipium esse rationalem mentem.*

Addit Salomon. *Per stultũ cùm saturatur pane.* Sa- 102.
nè appetitus stulta, atque bruta hominis pars, quæ cùm affatim exsatiatur, frangi, ac domari non potest:
E quod non ineleganti pastoris, ac pecorũ similitudine docuit Philo Iudæus in lib. de agricultura, vbi post- Philo.Iud.
quàm rationem cum pastore composuit, sic adnectit. *Natura vnicuique nostrũ cognatas addidit pecudes, nimirum sensus quinque, & instrumenta vocis, & genituræ, quæ multitudo tota bruto pecori comparatur: & quia numerosa est iuxta naturæ legẽ operam ductoris necessariã habet. Quoties igitur imperitus regẽdi sed diues, seipsũ præficit, plurimorum malorũ causa fit pecori: nam ipsi necessaria copiosè suggerit; at illud in tanta copia ciborum nimia saturitate petulans redditur. Saturitatis enim germana proles est petulantia: per eam petulantiam saltitant, & contempto rectore vagantur, soluũtque gre-*

gis ordinem: Ad eundum modum pecus sensuum quando intellectus supinè se gerit, & ignauiter, audè saturatum copia rerum sensibilium ceruicem iactat, & subsultat impingens in omnia visui patentia, vel quæ videre nefas est: auribus quoque voces recipiens insatiabiliter, &c. Lege ibi plura. Ex his liquet appetitum nostrum stultum penitus, ac brutum esse, atque adeò parcè cibandum, ne ob petulantiam insolescat: quod si affatim concupitis rebus exsaturetur, quid aliud erit, nisi *stultus saturatus pane?*

203. Subnectit Salomon. *Per odiosam mulierem cùm in matrimonium fuerit assumpta.* Mulierem odiosam appellat eã quæ contumax, & iracũda est, quæ si virũ facilem, & mitem nacta sit, insolescit, & parere cùm debeat, imperat. Sic Septuaginta. *Et odibilis mulier si sortita fuerit virum bonum.* Huic similis est appetitio, & concupiscentia, quæ rationi, & consilio quodammodò, velut coniux viro, in matrimonium data est. Hæc igitur concupiscentia si rationem nimis facilem, & ad eam continendam inermem experta fuerit, insolentiùs agit, & coniugii legem violans cùm more vxoris subesse, ac parere deberet, viri ad instar, imperare contendit. Philo Iudæus in lib. de mundi opificio sic scribit. *Philo Iud.* *Cæterùm voluptas* (hanc enim per serpentem notari autumat) *suas præstigias, ac fraudes viro non audet admoliri, sed fœminæ, & per hanc illi, idque admodum appositè & efficaciter: In nobis enim quasi vir est mens, sensus quasi fœmina: serpens ergo prius appellat, pertentatque sensum, per quem id, quod principale est, hoc est, mentem illicit.* Sed quid inde? subiicit. *Ratio porro inescata ex Regina subdita: & serua ex Domina: & exul ex ciue, & mortalis fit ex immortali.* Hæc ille appositè ad hanc superiorem similitudinem. Ex Philone sententiam eandem libauit Ambrosius in lib. de Paradiso, sed lucuientissimè eandem tradit D. Cyrillus Alexand. *Cyrill. Alex.* in libr. 1. de adoratione, vbi Adamum cum ratione, Euam cum appetitione & concupiscentia pulchrè componit. Hæc igitur concupiscentia similis est vxori odiosæ. i. quæ virum suum odio habet, & eidem odibilis est. Quemadmodum ergo inter virum, & vxorem, quæ mutuo odio in se inuicem ardent, assiduæ discordiæ, contentiones, & iurgia versantur; sic etiam inter rationem, & concupiscentiam semper intestina, & domestica iurgia sunt. Et quidẽ ea odia, quæ inter virum, & vxorem intercedere solent ex vtriusque inæqualitate, & dissimilitudine cum primis oriri consueuerunt: inæqualitas autem in nobilitate, & diuitiis consistit; dissimilitudo in moribus. Quid autem magis inæquale quàm ratio, & concupiscentia? hæc terrena degener, imò congener brutis: illa verò spiritualis, generosa, & Angelos ipsos cognatione attingens: hæc pauper omnino & indiga; illa diues, & opulenta: huius mores aliquando rigidi, iracundi, nonnumquam molles, & effœminati, aliquando fastuosi, & superbi, nonnumquam humiles, & depressi, quæ non coniugi suo solùm, sed sibi etiam semper dissimilis est; at rationis mores seueri, & graues cum suauitate coniuncti. Ergo in tanta morum dissimilitudine, & conditionis inæqualitate, nulla potest esse consensio. Hinc liquet quantam oportet esse rationis constantiam, & robur ad concupiscentiæ motus frænandos, & coërcendos: si.n. hæc rationẽ parùm robustã, & vegetã experiatur, sic se habet erga illam, sicut vxor contumax erga virum imbellem ac mollem.

204. Deniq; addit Salom. *Per ancillam cùm fuerit heres dominæ suæ.* Vim huius extremæ clausulæ expresserunt Sept. *Si famula eiecerit suam ipsius dominam.* Si nimirũ propria, & legitimã vxore pulsa, & repudiatã, ancilla ipsius locũ, & honorẽ teneat, hæc sanè altera rationis, & concupiscentiæ inordinata perturbatio. Finge tibi rationem, & concupiscentiam vnicuiq; homini à Deo inditas: rationem quidem, vt legitimæ adinstar coniugis domi præsideat, imperet, & in honore sit: concupiscentiam verò, vt rationi ancillæ, seu pedissequæ cuiusdam in morem pareat. Sed tamen apud intemperantissimos homines deordinatis, ac perturbatis rebus sæpè accidit, vt ancilla, hoc est concupiscentia, vxori legitimæ, rationi videlicet, dicto repudio, eidem loco, & honori succedat. Quid certius? Hoc igitur Salomon inter præcipuas interioris nostræ domus perturbationes ponit. Hac de re satis eleganter lusit Philo Hebræus *Philo.* de Abraham Patriarcha, super historia Saræ, & Agar ancillæ eius, hanc cupiditati comparans, illam verò virtuti, atque menti. Sed pende ancillæ insolentiam, cùm primùm ad illam ingressus est Abraham, dominam suam Saram aspernari, & despectui habere cœpit. *At illa concepisse se videns, despexit dominã suã.* Propterea Sara ad Abraham eiusmodi querelas dedit. *Iniquè agis contra me; Ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet.* Hæc sunt virtutis, & rationis detrimenta; quoties enim cupiditati locum facit, & hominem illi sociari, & adiungi suadet, statim ancillæ suæ in se contumaces spiritus sustinere cogitur; Sed vide iusti decretum. *Cui respondit Abraham; Ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet.* Quid inde? *Affligente igitur eam Sarai fugam iniit:* eadem cupiditas à ratione sustinere cogenda est, vt in fugam sese det, & rationi locum relinquat. Cæterùm hæc expositio mihi non satis probatur, pergo ad alias.

Secunda expositio totum locum allegoricè explicat de Prælatis, ac Principibus ad hunc modum. *Per tria mouetur terra.* i. impellitur, ac nutat respublica, *& quartum non potest sustinere*, id est, tria scilicet illam concutiunt, *quartum* omnino ipsam euertit. *Per seruum cum regnauerit*, nimirum per Principem, qui suarum cupiditatum seruus est, hic enim rempublicam continere, & iustè administrare non potest. Audi August. de Ciuitate lib. 4. cap. 3. *Proinde iustus etiamsi seruiat liber est; malus autem etiamsi regnet, seruus est, nec vnius domini, sed quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum, de quibus vitiis cùm ageret Scriptura diuina, A quo enim,* inquit, *quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* Accedit Greg. in lib. 26. Moral. qui contrariam huic sententiam calculo suo confirmat. *Summus locus bene regitur, cùm his, qui præest vitiis, potius quam subditis dominatur.* Audiendus item Seneca Tragædia secunda. 205. *August.* *Greg.* *Seneca.*

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regia.
Non auro nitidæ trabes.
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris.
Quem non ambitio impotens,
Et numquàm instabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet.
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs,
Qui tuto positus loco
Infra se videt omnia.
Occurritque suo lubens
Fato, nec queritur mori:
Rex est, qui metuit nihil,
Hoc regnum sibi quisque dat:
Non capit regnum duos.
Habere regnum casus est,
Virtus dare.

At cur, iniquies, ad bonam regni administrationem tantoperè 206.

tantoperè facit regem sui ipsius,(vt ita dicam) potentem esse. Ægidius de regimine Principis sic occurrit. *Quia Principis officium ac munus est ita regnum gubernare, ac præsidere, sicut corpori præsidet anima, qui autem sic se gerit, vt in ipso animus iaceat; corpus autē principetur, præstātissimo optima administrationis exemplari caret, & tyrannidis exemplum præstò habet: Nam corporis in animum principatus tyrannis est, atque tyrannidis exemplar.* Sed tamen præcipua, remque totam, & causam continens ratio illa est, quam ex August. loco citato petere licet: Quia Imperium omne, omnisque publica administratio ad id demùm referenda est, quod in Rege regnat, ipsumque moderatur. Nam quod Regem ipsum regit, eiusque voluntatem impellit, id sanè quasi à fortiori regnum gubernat. Si ergo ratio, & virtus, cuius est omnia sapienter, & iustè constituere, in Rege imperat, regnum vtique ratio, & virtus regit. Si autem è conuerso cupiditas, & vitia in Principe imperium teneant, illumque sibi ipsis mancipent, cupiditas vtique ac vitia regnum gubernant. Rationem alteram obtulit Plutarchus in Moral. *Ad imperitum ducem. Oportet,* inquit, *vt quemadmodum amussis cùm planè recta, & minime peruersa fabricata est, reliqua quibus admouetur, & applicatur, dirigit. Similiter quoque Principem vbi primum didicerit imperare sibi ipsi, & animum suum rectè instituerit, & mores habuerit benè compositos, ita demum subditos regere. Neque enim cadentis est currere, aut incompositi componere, aut parere nescij est imperare.*

107. Addit Salomon. *Per stultum cùm saturatus fuerit pane.* Hæc est altera Imperij subuersio, scilicet Principis *stultitia.* Nam stultitia accedente potestate, & rerum omnium copia, effrenatè bacchatur, ac maximis Imperiis ruinam parat. Itaque *stultus satur panibus est.* Princeps opulentus, prædiues, atque vecors. Frustrà hîc demonstrare aggrediar quantum ad euertendas respublicas possit vecordia, & amentia cum principatu, & copiis coniuncta. Quemadmodum enim Rex sapiens regni stabilimentum est; sic etiam Princeps insipiens eiusdem subuersio, & demolitio. Rationem obtulit D. Thom. in opusculo de regimine Principis, libr. 1. cap. 7. quia potestas, & imperium per se iracundos, & ad vltionem procliues Principes reddit: si autem accedat stultitia, & amentia, temerarios eosdem, sæuos, atque truculentos efficit.

Subdit Salomon. *Per odiosam mulierem cùm in matrimonium fuerit assumpta.* Hæc verba ad rempublicam, Communitatem, aut Ecclesiam spectant, quam sibi quodammodò Princeps, vel Prælatus sociat, & in sponsam assumit. De Episcopi, & Ecclesiæ coniugio multa Patres. Regis autem, atque Reipublicæ nuptias latè describit Ægidius vbi supra. Ergo locus iste incusat perstringitque eas Respublicas, quæ aduersus bonos, & legitimos Principes concitantur; eas verò similes esse dicit vxoribus, quæ viros suos inuisos habent: sicut enim hæ alios adamare, atque illis succumbere solent: sic etiam istiusmodi Reipublicæ alios Principes optant, atque illis sponte se dedunt. Vel aliter, Princeps ipsos arguit, qui in Respublicas sibi creditas, tamquàm in vxores sibi ingratas, & inuisas seuerius agunt. Quia sicut mariti erga vxores immites ac sæui eas adulteras reddunt; sic etiam Principes in Rempublicam crudeles, ac truces, eandem infidelem, ac sui ipsius proditricem faciunt. Quid certius?

108. Denique absoluit Salomō. *Et per ancillam cùm fuerit hæres dominæ suæ.* Hæc verba difficilius Imperiis, ac præfecturis accommodari posse videntur; tamen si comminisci licet: nimirum Reipublicæ duas esse factiones, bonorum alteram, alteramque malorum. Erga bonorum factionem suaues, ac mites esse debent Principis mores; hanc amantissimæ vxoris loco ducere, sibi proximè adiungere, ac eius operâ vti debet. Ergo impiorum factionem seueram, atque immitem esse oportet; eam, scilicet quasi contumacem, & rebellem quandam ancillam coërcens, suppliciisque, ac pœnis sibi mancipans, & priori illi bonorum factioni subiectam esse iubens. *Tunc ergo ancilla fit hæres dominæ suæ,* vel vt Septuaginta conuertunt, *famula eiicit dominam suam,* cùm Princeps improbos ciues sibi adiungit, & bonorum classe repudiata, malorum turbam sibi copulat, eisque potestatem in bonos permittit. Sed quid inde? sicut ancilla, quam dominus adamare incipit, heram suam despicit, ac pro nihilo habet; sic etiam malorum turba bonos quosque despectos ducit, atque illis acrius insultat.

109. Sed licet duæ interpretationes adscriptæ ineptæ nō sint, imò ex eo præferendæ videātur, quod allegoriis locum faciunt, vt quaternarius hic cum reliquis cohæreat, qui allegoricas etiam sententias continent, nihilominus tamen communis interpretum consensus verborum sonum amplectitur, & locum istum de publica, & domestica administratione edisserit, de his scilicet rebus, quæ tàm politiam, quàm œconomiā perturbare solent. Itaque ait. *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere.* Tria scilicet sunt, quæ in rebus publicis turbationes, & seditiones excitant, sed quartum ipsas penitus euertit. Sic vulgò interpretes. Ego verò per similitudinem exponendam esse existimo, aliter enim sensus illius cum sequentibus non concinit, constat enim duas posteriores sententias huius quaternarij non ad respublicas, sed ad priuatas domos spectare, atque adeò non sunt ex his, quæ terram vniuersam commouent. Sensus ergo per similitudinem ad hunc modum conformandus est, *Per tria mouetur terra,* &c. idest, tria sunt, quæ ad eum modum publicos cœtus, & domesticas familias exturbant, & commouent, quemadmodum cùm tellus ex tremore aliquo impellitur, ac nutat. Et quidem valde apposita est præfata similitudo: nam terræ motus, vt docet Philosophia, accidit ex aëre, qui intra viscera terræ contentus tellurem impellit, vt superiorem locum sibi naturalem captet. Rursus alio modo, ex quorundam Philosophorum sententia, terræ tremor, aut trepidatio accidit: nam tota, inquiunt, tellus è centro suo educitur, atque dum illud iterum comparare adnititur tota contremit. Ita fert illorum sententia, qui terræ motum trepidationi dedunt. Vtr. cue autem terræ commotio eos motus, & turbationes, quæ rebuspublicis, vel familiis ex quatuor illis capitibus euenire solent, optimè adumbrat, nihil enim superbum magis ac fastu plenum quàm seruus, qui regnum adeptus est, nam humilis, ac degener hominum conditio ita fert, vt potestate auctâ supra mensuram omnem turgeat. Quemadmodum ergo cùm aqua vel corpus aliud, quod intra terræ viscera naturaliter subsidebat, in aërem soluitur, atque adeò erumpere, & ad superiora ferri contendit, terram concutit; ad eundem modum seruus tumens, qui ex conditione sua infra omnes ciues est, si fortè (liceat sic dicere) in aërem vertatur, & ex leuitate animi sui ad superiora adspiret, dùm emergere, & superiorem locum tenere vult, totas respublicas commouet, & nutare facit. Et idem decernendum est de stulto, cui conditione etiam suâ sapientibus subiacere natum est, hunc enim naturâ seruum Philosophus vocat; atque adeò cùm in aërē solutus emergere, & ad regnū euehi contendit, totas latè impellit respublicas. Eodem modo de vxore dicendum est, quæ ex conditione sua marito ad nutum parere debet, & de ancilla, cui proprium est matri familias subesse, & ipsius imperia exqui: Nam sicut corpus illud intra telluris

specus naturaliter subsidens statim atque in leues auras solutum est, subesse quodammodo detrectans magno impetu erumpit, superiorem locum captat, terramque ipsam eo motu impellit: sic etiam vxor superba & fastu tumens, viro suo subesse, ac parere abnuens, imò ipsum sibi substernere, & subdere volens, familiam totam perturbat, & domos euertit. Idemque iudicium est de ancilla, quæ à patre familias adamata superbit, & dominæ suæ imperium detrectans, ipsam suppeditare, ac sibi subiicere contendit: hoc enim prę cæteris rebus familias exturbare, ac domos demoliri solet.

Aliter etiam, similitudinem hanc conformare licet ad hunc modum. Aëri quidem naturalle est supra terram esse, terræ autem aëri subiacere, & substerni: sicut ergo aëre intra terræ viscera incluso terra impellitur, & commouetur, ad eundem modum cùm seruus liberis, stultus sapienti, vxor viro, & ancilla matri familias subesse, & ad nutum obsequi debeant, si hi vice versa præesse, & imperare, notosque ad imperia sibi subiicere & substernere velint, tàm publicarum, quàm domesticarum rerum maximas perturbationes euenire necesse est.

210. Alter tremoris, ac trepidationis motus, qui terræ accidit cùm ex centro suo extrahitur, his quatuor rebus per similitudinem accommodari non ineptè potest: Nam sicut terra ex centro extracta tota contremit, ac trepidat; sic respublica cùm illiberalem, ac minimè ingenuum stultum, vt Principem sortitur, velut excentrica, & naturali suo loco mota, tota concutitur, ac nutat. Nam liberalis, & sapiens Princeps reipublicæ pro connaturali centro est, in quo obfirmatur, & quiescit, iuxta illud Sapien. 6. *Rex sapiens stabilimentum populi.* Rursus tota domus, ac domesticæ administrationis ratio patri familias, velut centro cuidam innititur, & post hunc mater familias eandem domum veluti centrum continet. Et quidem si Salomon hîc de politica, & œconomica administratione verba facit, vt prædicti interpretes volunt, hæc sententia, quemadmodum aliæ in hoc capite contentæ, aliquid obscurum, & ænigmati per similitudinariam istam accommodationem exponantur: Propterea extremam hanc expositionem reliquis anteponendam esse reor. Iuxta quam reliqua verba sic interpretanda sunt.

Sap. 6.

211. *Per seruum cum regnauerit*, id est, Per seruum cùm ex seruili, & humili conditione ad imperium obtinennendum adspirat, quod maximarum turbarum caussam esse necesse est; nam liberi omnes illius imperium iustè detrectant, & inde contentionum, & perturbationum infinitæ caussæ resultant, tùm etiam quia seruile hominum genus vecors, omnino, ac demens, atque adeò temerarium est, ac ferum. Quapropter eos omnes, qui ex seruili conditione ad magistratum aliquem euecti sunt, immanes, atque crudeles esse constat. Sic Atheniensis hospes apud Platonem in dialogo. 6. de legibus. *Contra etiam dicitur nihil in animo seruiente integrum esse, nec quidquam seruorum generi esse demandandum, quod & sapientissimus Poetarum testatur nobis, cùm de Iosue sic loquitur, dimidium mentis Iupiter illis aufert, qui seruitutis sorti subiecti sunt.* Et infra cum feris eosdem componit. Quæ ergo tàm patiens, ac recti tenax erit Respublica quæ tàm demens, ac ferum imperium perferre possit? Hinc ergo seditiones, & bella. Denique aliter per *seruum* hîc intelligere licet, non eum qui ex genere, & conditione sua talis est, sed eum, qui naturâ ipsâ seruus ad obedientiam natus. Aristoteles enim Polit. libr. cap. 4. duplex seruitutis genus statuit, aliud ex conditione ac lege, aliud ex natura: & duplicem etiam libertatem, seu nobilitatem esse decernit, alteram ex genere, & ex natura alteram: hanc nobilitatem simpliciter, illam verò non simpliciter esse dicit, ac de his omnibus sic scribit. *Alia est simpliciter nobilitas, alia nõ simpliciter, vt Theodecti Helenam ex dijs ab vtraque stirpe prognatam quisquam appellauit seruam, scilicet ob mores seruiles: sed cùm hoc aiunt nulla alio quam virtute, ac vitio definiunt seruos, ac liberos, nobilesque, & ignobiles.* Et infra. *Quod igitur hæc dubitatio habet rationem quandam, & quod sunt alij natura serui, alij liberi manifestum est.* Itaque omnes vitiosos, ac improbos homines seruos, & naturâ ipsâ ad obsequium natos; probos autem liberos, & ad imperia naturali iure genitos esse docet Philosophus. Ergo iuxta hanc seruorum differentiam locus Salomonis expendi potest. Per *seruum cùm regnauerit*, per seruum, inquam, cui seruitus non ex genere, aut conditione sua, sed ex natura ipsa contigit; hoc est per improbum, ac sceleratum hominem, quem natura ad parendum produxit, ipse verò per vim imperium inuasit. Finge igitur tibi aliquem terrę tremorem latè omnia vastantem, atque vrbes demolientem; maiorem sane, ac vehementiorem Reipublicæ concussionem, & ruinam efficere solet Princeps impius. Subdit.

Plato.

Aristot.

Per stultum cum saturatus fuerit pane, id est, per insipientem hominem, cui similiter magistratum capessere, atque inde locupletari licuit. Saturitas panis in scriptura magnas fortunas, & rerum omnium vberē copiam sonat. Ezechiel 16. 49. Leuit. 25. 19. Exod. 16. 3. & alibi. Et quidem hoc stultitię proprium est. quod ipsam tenuitas, & paupertas quodammodò exacuat: diuitiæ verò, & rerum copia magis, ac magis hebetet, ac perstringat. Quid certius? Quoties ergo stultitia in Principe vel magistratus est, cùm socias semper habeat fortunas, & copias, magis, ac magis desipit, atque adeò imperium illius temerarium est, ac præceps. Hinc turbæ, & seditiones, quæ maximas Respublicas subuertunt. Propterea vbique Salomon Regibus sapientiæ studium præ cæteris suadet Sapien. 6. *Si ergo delectamini sedibus, & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Et infra. *Rex sapiens stabilimentum populi.* Quapropter sicut Princeps sapientia prædictus constantiam, & immobilitatem Reipublicæ affert. Ita etiam ex aduerso insipiens ac stolidus eandem magnopere commouet. Hæc ad Rempublicam, reliqua ad vnam tantùm familiam spectant. 212.

Ezech. 16. Leuit. 25. Exod. 16.

Sap. 6.

Per mulierem odiosam cùm in matrimonium assumpta fuerit, id est, per vxorem, quæ odio habet virum suum & ipsi parere detrectat. Nihil enim æque familias perturbat, ac distrahit; sicut vxoris viro suo obsequi abnuētis difficiles mores. Nec enim terra insanis motibus agitata tàm vehementes nutationes habet, quantas familia illa, quam vxor viro infensa regit. Chrysostomus Homilia quarta in Epistolam ad Titum. *Præcipuum*, inquit, *est illud domesticæ pacis, ac bonorum omnium fundamentum, si vxor viro consentiens sit. Principibus namque peccatis, quis tam pacem diuidere possit, atque discindere? Quemadmodum è contra his inuicem dissentientibus nihil salubre esse poterit, totaque simul nutabit familia.* Quantum verò inter concordes, ac discordes coniuges intersit, docet Nazianz. in oratione de laude Virginitatis. 213.

Chrysost.

Nazianz.

Nam si concordes animis iustisque coirent
Iure thori leuius sulcarent æquora vitæ,
Nimirum duplici vento impellente carinam.
At cùm discordes tædarum fœdera iungunt,
Immanis labor est: dolor hic præcordia rodit,
Omnia dissidijs flagrant, pax exulat omnis,
Concutiturque domus, res atque domestica nutat.

Quid illustrius?

Quid plura? *Et per ancillam, cùm fuerit heres dominæ* 214.

mine ſuæ. Vel vt habent Septuaginta, *Per famulam cum eiecerit Dominam ſuam.* Cùm ſcilicet hera ſua loco, & dignitate pulſa in amplexus domini ſui ſe inſinuauerit. Hoc enim, ante alia domeſticæ concordiæ vinculum ſoluit, totamque familiam concitat.
Ambroſ. Rationem obtulit D. Ambroſ. de Abraham libr. 1 cap. 4. vbi expendens illa verba, quibus Sara expoſtulat cum viro ſuo Abraham ob ſuperbiam, quâ ipſam Agar ancilla iam inde à partu Iſmaelis deſpectui habebat
Gen. 21. *At illa concepiſſe ſe videns deſpexit dominam ſuam, dixitque Sarai ad Abraham: Iniquè agis coram me. Ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns, quod conceperit, deſpectui me habet.* Sic attexit. *Accipite etiam illud, quod eiuſmodi intemperantia ſoluit charitatem coniugij, ſuperbas ancillas facit, iracundas matronas, diſcordes coniuges, concubinas procaces, inuerecundos maritos.* Et infra ad trutinam vocans verba illa. *Et affixit eam Sara, & fugit à facie eius*, ad hunc modum ferit Ambroſius. *Duo ſunt, quæ comprehendit ſcriptura, vt dominæ grauem indignationem exprimeret, & ancillæ tumorem, ac ſuperbiam; quod affligit eam Sara ad iracundiam affligentis refertur: quod Agar fugit, contumeliam ſeruilis patientia non ferebat. Quæ ſibi herile contubernij vendicabat faſtigium, indignata eſt iniuriam, quæ induerat inſolentiam.* Et poſt pauca ſic adpit Ambroſius, *Non placuit Angelo ancillæ inſolentia, & ideò dixit illi, Reuertere ad dominam tuam, & vt oſtenderet, quia tanquam ſuperba fugiebat, ne ſubiecta eſſet dominæ, addidit; Et humiliare ſub manibus eius. Opto igitur, vt in hoc vitium nullus incidat, ſed ſi quis inciderit, diſcat ancillam ſuam humiliare vxori ſuæ, ne dum vult ancillam vindicare, excludat vxorem.* Id autem eſt, quod Salomon deteſtatur in hoc loco dicens. *Et famula cùm eiecerit dominam ſuam*, id eſt, cùm loco illius occupato eam ſuperbè excluſerit. Et quidem de quarto ipſo incommodo ſic Salomon. *Et quartum poteſt ſuſtinere*, quod aliqui ſic accipiunt. Quarta hæc mali ſpecies poſtulat, vt tellus dehiſcat, & vtrumque ancillam, dominumque ad ima deuoluat; ſed nõ placet, exiſtimo enim verba hæc ad eum modum exponenda eſſe, quo priora ſupra explicuimus per ſimilitudinem quandam, quaſi dicat. Quartum illud incommodum perinde familiam exturbat, & commouet, ſicut tellus cum vehementi tremore agitatur. Et quemadmodum tellus contremiſcens ædificia ſuſtinere non poteſt, ſed ex motu collapſa ruunt: ſic etiam cùm damnum hoc graſſatus magnæ familiæ domeſticis motibus, & perturbationibus concuſſæ concidunt. Sed quid mirum cùm (teſte Ambroſ.) eiuſmodi malum, *Ancillas ſuperbas, matronas iracundas, & maritos inuerecundos reddat?*

---

24. *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus.*
25. *Formicæ, populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi.*
26. *Lepuſculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum.*
27. *Regem locuſta non habet, & egreditur per turmas ſuas.*
28. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.*

215. *Quatuor ſunt minima terræ*, &c. Hebr. *Quatuor ipſa minima terræ, & ipſa ſapientia ſapienter edocta.* Pagnin. autem extrema verba ſic extulit. *Et ipſa perinde ſapiunt, ac ſi ſapientiam eſſent edocta.* Caietanus. *Et ipſa ſapientia effecta ſapientia*, id eſt, per ſapientiam non ſtudio comparatam, ſed à natura ipſa inditam, vel ingenitam. Septuag. concinunt cum noſtra.

Formica populus infirmus, &c Hebr. *Formica populus non fortis, & præparauerunt in æſtate panem ſuum*, Septuaginta. *Formicæ, quibus non eſt fortitudo, & præparant verè cibum ſuum.* In originibus eſt לאןעז *Logbaz*, à radice *Gharaz*, quæ vox non ſolùm *robuſtum* ſonat, ſed etiam *præſtantem*, aut *generoſum*. Itaque licet conuerterè. *Formicæ populus ignobilis, aut non generoſus.*

Lepuſculus plebs inualida, &c. Hebr. שפנים *Sephanim*, de cuius vocis ſignificatione non idem iudicium ferunt interpretes: alij *Erinacios* vertunt, Pſal. 140. Pſalm. 104.
Petra refugium Sephanim, Sept. *Erinacijs*, quibus hæret Hieron. Sed vox χοιρογρύλλιος, quâ vſi ſunt ibi Septuaginta, anceps, eſt *ericiũ*, atque *lepuſculum* ſignificans. Plures *cuniculos* legunt, noſter *lepuſculos* tranſtulit, per *lepuſculos* autem non intelligo lepores, ſed cuniculos, quos aliqui vulgò *lebrones* vocitant: Nam lepores non agunt foſſas, nec inter petras degunt, ſed ſub dio lectulos ſternunt. Ergo integer locus ex primitiuis ſic eruendus eſt. *Lepuſculi, aut cuniculi plebs non robuſta, & poſuerunt in petra domum ſuam*, Septuaginta à reliquis diſſident. *Cherogrylli gens non fortis, & fecerunt in petris domus ſuas.* De Cherogrylli autem natura poſtea aliquid dicam.

Regem locuſta nõ habet, &c. Hebræa ad verbum. *Rex non eſt locuſtæ, & egreditur dimidians totum ipſum.* Caietanus, & Pagninus vertunt. *Et egreditur adunata tota ipſa.* Noſter vocis originalis ſonum dimiſit, & ſenſum tenuit, nam illud *dimidiãs totum ipſum*, perinde eſt, ac ſi dicat in medias diſtributa partes: hinc noſter valdè appoſitè. *Egreditur per turmas ſuas* Chald. *Et congregantur omnes in vnum.* Septuaginta. *Sine rege eſt locuſta, & pergit in acie ab vna iuſſione ordinatè*, Symmachus. *Et tamquàm calculus tota.* [illegible] pro *locuſta* eſt. ארבה *Arbah*, ex radice *Rabab*. id eſt, multiplicauit, eò quod agminatim, & copia ingenti graditur.

Stellio manibus nititur, &c. Pro ſtellione ſubeſt in originibus vox שממית *Semamith*. Plures ex Rabinis nominis aſſonantiâ ducti conuertunt. *Simia manibus nititur*, alij *araneam*, non pauci *hirundinem*. Septuaginta. καλαβώτην, *Calabotem*, ſed de his infra. Totus autem locus ex originibus ad verbum ſic effertur. *Aranea, vel ſimia, &c. in manibus tractabit*, alij *capiet: & ipſa in ædibus Regiis.* Chald. *Aranea manibus tegumenta facit, & captu facilis habitat in munitionibus Regum.* Theodotion. *Manibus capiens, tractans.*

Hæc verba ſub quadam perpetua allegoria, aut 216.
ænigmate ſenſum aliquem moralem, aut myſticum claudere interpretes omnes ſentiunt. Sed ex multis eorum interpretationibus triplex conformari poteſt dicendi modus; aut enim ſpirituales ſenſus tradunt, aut iuxta literam locum iſtum de cuiuſcumque ſingularis hominis ſapientia, aut de reipublicæ totius induſtria capiendum putant. Iuxta priorem exponendi modum, Hugo Cardinalis ſenſum valdè ſpiritualem eruit, nam per *quatuor minima*, totidem hominum genera adumbrare dicit, in quibus ſapientia imprimis viget, per *formicas* monachos notar iexiſtimat; per *lepuſculos* doctores ſacros, per *locuſtas* Anachoretas, per *ſtelliones* ſimplices Chriſtianos. Singulorum autem non inelegantes accommodationes ex ipſo excipi poſſunt. Beda integrum locum Eccleſiæ tradit, Beda.
& pleraque verba ex Gregorio Magno decerpit. Hic Gregor.
ergo in libr. 12. Moral. cap. 12. de locuſtis ſic ferit. *Regem locuſta non habet*, &c. *Quia videlicet derelicta*

gentilitas

gentilitas aliena dudùm à diuino regimine extitit, sed tamen ordinata postmodùm contra aduersantes spiritus ad fidei bellum processit. Idem verò in libr. 6. ca. 5. de stellione sic fatur. *Stellio manibus nititur, &c. Plerumque enim aues, quas ad volandum penna subleuat, in vepribus resident, & stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus Regis ædificium tenet. Quia nimirum sæpè ingeniosi quique, dùm negligentia torpent, in prauis actionibus remanent, & simplices, quos ingenij penna non adiuuat, ad obtinenda æterni regni munia virtus operationes leuat. Stellio ergo dùm manibus nititur in Regis ædibus moratur, quia illo simplex per intentionem recti operis peruenit, quo ingeniosus minimè ascendit.* Gregorium imitatur Salonius Viennensis Episcopus in mystica explicatione Prouer. vbi sic addit. *Stellio illos significat, qui tardi sunt ingenio, & tamen quotidiano studio, & diligentia, manibus æternam aulam conscendunt, hoc est, quamuis cum magno labore ad notitiam sacrarum scripturarum perueniunt, & penetrant secreta cœlestium* Salonius.

217. *mysteriorum.* Sed totum locum iuxta interpretationem Sept. accommodat Ecclesiæ Anastasius Nicenus quæst. in script. 46. vbi sic habet. *Formica, quibus non sunt vires, parant in æstate alimentum, hoc est gentes per fidem in Christum parant sibi vitam æternam per bona opera. Et Echini gens non valida fecerunt in petris domos suas: gentes scilicet in spirituali Christi petra ædificata sunt, quæ facta est in caput anguli. Stellio nitens manibus cum sit captu facilis, habitat in munitis palatiis Regum: latro scilicet in manuum extensione Iesu Cristi cruce nitens habitat in paradiso trium Regum munito palatio Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Regem locusta non habet, & vno iussu ordinatè proficiscitur ad militiam. Regem non habebant gentes: in eos enim regnum obtinebat peccatum, nunc autem cùm Deo crediderunt, cælestem sub duce Christo militant militiam.* Hæc ad spirituales sensus pertinent. Anast. Nicen.

218. Secunda interpretatio ad literam spectans docet Salomonem his verbis bonum ciuem informare, & munera eius officiaque præscribere. Hanc tradunt Caiet. Rodolph. Iansen. & alij recentiores: sed non eodem modo singulas huius loci partes accommodant. Primùm ergo illorum dissidias adscribam, deinde meam sententiam subscribam. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus.* Aristoteles de historia animalium lib. 9. cap. 7. sic scribit. *Omnino ratio brutorum magnã refert vitæ humanæ similitudinem, magisque in minori genere, quàm in maiori videris intelligentiæ rationem.* Ergo Salomon ex his minoribus, quæ sapientia & astu reliqua maiora facilè superãt, quatuor exempla producit ad infirmandos hominis mores. *Et ipsa,* inquit, *sunt sapientiora sapientibus.* Aliqui existimant quatuor hæc animalcula cum aliis item animalibus conferri, in quibus sapientia aliqua viget, & magnitudine corporis præstant. Quasi dicat, hæc tam parua, & exigua animacula inter reliqua maiora animantia, quæ sapientia pollere existimantur, prudentiç & intelligentiç palmam ferunt. Reliqui comparationem cum ipsismet hominibus initam putant, ac si dicat ipsa sapientissimos homines prudentiæ, atque intelligentiæ vi facilè antecellunt. Sed tamen hæc discordia leuioris momenti est. In originibus nulla est comparatio, vt nuper animaduerti, sic enim habent. *Et ipsa sapientia sapienter edocta,* idest, perinde sapiunt, ac si sapientiam diuturno studio à doctoribus hausissent: vel vt habent Caiet. *Ipsa sapientia effecta sapientiã*, id est, sapientiam non studio collectam, sed natiuam & genuinam habent, quæ cum ipsismet nata, & congenita est. Aristot.

219. *Formicæ populus infirmus*, &c. Describitur optimi ciuis officium & mores. Caiet. ergo, & Iansen. singula ad hunc modum accommodant. Formica, inquiunt, A docet ciuem res ad vitam tuendam necessarias comparare. Lepusculus domum & commodam habitationem construere. Locusta concordiam cum reliquis ciuibus statuere. Denique præferentes communi lectioni eam, quam plerique Hebræorum amplectuntur, *Simia manibus nititur*, &c. addunt ab hac simia, quæ in aulis procerum, ac Regum magno semper in pretio habetur, moneri optimum ciuem, vt ad honores & Principum fauorem, gratiamque obtinendam studiosè contendat. Non displicet. Sed vt dicam etiam quod sentio, non admodum placet. Alij verò singula accommodare non curant. Sed id tantùm in vniuersum à Salomone suaderi dicunt, scilicet, victum & totius vitæ rationem non tam viribus & lacertis, quàm prudentia & consilio conseruari & B administrari oportere, quod quatuor istorum animalium exemplis comprobat, quæ, minima cùm sint, & imbellia; per naturalem solertiam omnia necessaria ad vitam tuendam sibi ipsis prouident, scilicet cibum, domum, locum, &c.

Cæterùm si verba hęc de vnoquoque ciue specialiter exponantur, & non de tota republica, aliter sensum conformandum esse reor. Monet quidem Salomon nullum hominem priuatum, quamuis paupertate prematur, licet vagus & aduena vbique sit quãtumuis infirmus viribus, & conditione perquàm humilis existimat, animum despondere, ac spem abiicere debere: quia si prudentia, & sapientia præsto sint, fieri C potest, vt pauper necessaria ad victum copiosè paret, & vagus, seu aduena, domum, commodamque habitationem sibi construat, & imbellis castra militiamque sequatur, ac demùm plebeius, ac degener, honestissima reipublicæ munera obeat, & inter aulicos, ac regni proceres locum teneat. Hæc igitur Salomon quatuor animalium exempla haud difficilia esse euincit. Exponendo singula. *Formicæ populus infirmus & parat in messe cibum sibi.* De formica admonet Salomon pauperes, quos augustia rei familiaris vrget, quasi dicat, formicæ ex se quidem pauperrimę sunt: cæterum accommodatum tempus nactæ, & naturali solertiã indulgentes victum paulatim asportant, nec longo interuallo horrea sua complent. Fieri D ergo potest, vt vir tenuis, & indigentia rerum omnium pressus oblata occasione, deposita pigritia, consilioque adhibito, non longo temporis interstitio ditescat plurimum. Et quidem eos, qui accuratam diligentiam diuitiis parandis impendere volunt, ad formicam mittit Salomon supra c. 7. vide multa, quæ ibi diximus, de solertia huius animantis, eadem enim in hunc locum conferre licet. 220.

Subdit, *Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum.* Laudat hîc Salomon lepusculi, aut cuniculi ingenium. Concinit Aristotel. de historia animalium lib. 1. cap. 1. vbi ferarum diuersas naturas percurrens sic demùm infit. *Alia sunt ingeniosa & cauta, vt lepores, cuniculi*, &c. Et sanè in hoc loco lepusculus E cuniculũ significat, cuius in fossis, scrobibusq; ducendis mira industria est. Nam leporis nomen commune esse & cuniculos etiam complecti docet Plinius l. 8. c. 55. vbi plura scribi de cauernis, ac fossis, in quibus se occultare, & subripere solent: & quidem ob eam causam Hebr. *Sephanim* שפנים dicuntur à radice *Saphan*. idest, abscondit, occultauit, quia cuneis perforatis inter petras sese occulunt. Ergo Salomon hoc exemplo docet hominem vagum, & aduenam industria sua domum ad incolendum aptam sibi facilè construere posse. q. d. cuniculus licet inalidus & nullo robore prędi tus vauarium satis amplum ad habitandum sibi perfodit. Ergo longè melius homo industrius, & prudẽs, domum sibi extruere poterit, ne amplius tamquàm hospes, & aduena, hac illac vagetur. Arist. Plin.

Attexit.

221. Attexit. *Regem locusta non habet, & egreditur per turmas suas.* Locustas duce sui generis carere docet hic Salomon, nihilominus cateruatim stipatis agminibus ad agros depopulandos conuolare. Lege hac de re vnum Plin. lib. 11. cap. 29. Illud autem obseruare oportet in Scriptura sacra militum manus, & phalanges locustarum agminibus notari, nihil enim his magis adsimile excogitari potest. Iudic. 1. Holofernis exercitus sic describitur. *Et profectus est ipse, & omnis exercitus eius cum quadrigis, & equitibus, & sagittariis, & cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ.* Et Hierem. ca. 46. Pharaonis exercitum agros depopulantem sic inducit. *Succiderunt saltũ eius, ait Dominus, qui supputari non potest, multiplicati sunt super locustas, & non est eius numerus*, & passim alibi. Amos 7. n. 1. Nahum. 3. n. 15. & 17. Addo etiam ipsam locustæ speciem galeati militis formam referre: propterea locustas galeatas dixit Columella. Salomon igitur producto locustæ exemplo, suadet his, qui robore, ac lacertis carent, ne propterea desperent & se ad militiam, castraque sequenda imbelles putent, quia locusta satis infirma est, roboris expers: sed nihilominus dum reliquo agmini se adiungit, segetes euertit, & agros latè depopulatur: & id quidem facit, etiamsi ducem nullum habeat, qui agmina distribuat, & phalanges ordinet, &c. Multò igitur meliùs homo ratione & consilio vigens quamlibet vires infirmas habeat, militiam, & castra audacter adire poterit, futurum spectans, vt ex illis honorem reportet, cùm præsertim sub duce, atque imperatore rei militaris perito bella semper gerat, qui consilio suo, & arte omnes sibi subiectos milites moderatur, & seruat.

Iudic. 1. *Hierem. 46.* *Columell.*

222. Quid plura? *Stellio*, inquit, *manibus nititur, & moratur in ædibus regum.* Diuersas huius loci lectiones supra adscripsi: nunc autem nostram translationem reliquis præferendam esse denuò affirmo. Stellio animal est lacertæ adsimile, sed longè minor, lucentibus guttis, tamquàm stellis depictum: hinc nomen Latinum traxit: à Græcis dicitur ἀσκάλαβος, seu ἀσκαλαβώτης, quod nomen aliqui deriuat à voce ἄσκαλος, id est, circulus, quia nimirum circulis etiam quibusdam aureis distinctus, ac varius est. Appellatur etiam ab Arist. καλαβώτης, & aliquando etiam γαλεώτης: ex quo liquet Sept. interpretes non dissidere à nostro Vulgato interprete. Constat etiam mendum irrepsisse Complutensi, Regio, aliisque codicibus qui habent καλαμώνε genus piscis satis ignobile, quod vulgò dicitur *Calamar*, in quem quadrare minimè possunt verba illa. *Et moratur in ædibus Regis.* Cùm ergo Vulgatus, ac Septuag. interpretes conspirent, eorum translatio reliquis debet præponi. suadet hoc ipsa vox originalis *Semamith*, שממית à radice *Samam*, id est, *admirari*, & *pauescere*, non *aspirare*, & *afflare*, vt alij volunt. Est enim animal cum primis timidum, ædificiorum rimas, & ostiorum cardines petens, & quidem in nouis ædificiis, atque adeò in palatiis Regum versari consueuit. sic enim docet Marcellinus *Stelliones*, inquit, *in nouis domibus cernuntur, fortè hi, quos Romanorum vulgus tarantulas vocat, albas, innocuas, & pusillis lacertis similes.* Vulgus appellat, *Salmanquisas*: de pugna verò illius cum araneo, aliisque huius animantis proprietatibus postea aliquid dicam. Hæc igitur stellionis exemplo degeneres & infimæ conditionis homines adhortatur, neu cadant animis, nec ad supremos honores adspirare desinant, quasi id prorsùs impossibile sit. Fieri enim potest vt quemadmodũ stellio animal valdè exiguum & ignobile manibus reptans, aulæ regiæ laquearia, fastigia perambulat: ita etiam homo obscurus, industria ac rectè gestis ad honorum fastigia, & Regibus proximas sedes ascendat,

Marcell.

223. Sed tamen licet præmissa interpretatio mihi valdè probetur, aliam nihilominus subiiciam magis accommodatam. Loquar autem de priuato ciue, de hoc enim hactenus sermo est. Cuiuslibet priuati ciuis, seu patris familias officia hæc sunt: rem suam familiarem solicitè curare, & augere: filios, atque domesticam familiam rectè educare, reipublicæ fidem præstare, atque commune bonum propriis commodis anteferre, ac demum Principibus, ac magistratibus deferre. Hæc igitur quatuor optimi ciuis officia quatuor illis animantibus adumbrat Salomon. *Formica*, ait, *populus infirmus qui præparat in messe cibum.* Discat ergo à formica priuatus quilibet ciuis rem suam industria curare, & amplificare. Hanc curam exemplo formicæ supra informaui c. 6. v. 6. *Lepusculus plebs inualida*, &c. animal hoc cumprimis fœcundum numerosam familiam habet, cui educandę, & alendę assiduam curam impendit. Nam Arist. & ex eo alij docent cuniculos, ac lepores superfœtare, ita vt fœminæ semper grauidæ sint & nullum sibi ex partu faciant interuallum: addunt eos singulis ferè mensibus parere & ex his, quos pepererunt, nullum repudiare sed omnes alere & lactare, hinc perbreuis illorũ vita, nam tot partubus effœtæ, & continua catulorum lactatione exhaustæ citiùs deficiunt. Sed illud maximè leporum, ac cuniculorum erga fœtus familiamque suam studium, curamque commendat, quòd illis educandis, & asseruandis tutissimas domos perfodiunt, ac fossas nulli alteri animanti peruias agunt. Sanè hæc omnia parentis optimi curam in filiorum educatione, ac reliquis ad œconomiam spectantibus optimè adumbrant. Itaque Salomon patrem familiam lepusculum imitari iubet omnes œconomiæ partes addiscere. Singula accommodare procliue est. Subnectit: *Arist.*

Regem locusta non habet, & egreditur per turmas suas. 224.
Locustæ communionis studiosæ semper cateruatim incedunt, & cùm innumerabiles hinc, & inde greges coire soleant, nullæ inter ipsas simultates, nullæ seditiones oboriuntur, sed omnes conspirant, & vnà feruntur: quod eò magis admirationem mouet quia non habent Regem, aut ducem sui generis. Ex apibus quidem, ouibus, atque aliis animantibus greges conuenire videmus, sed ferè per communem aliquem Principem, aut ductorem grex aditting... atque illo pereunte soluitur: at in locustis nullus est Princeps, aut Dux, & tamen omnes concurrunt, & inter se ordinem, concordiam & pacem seruant. Salomon ergo exemplo locustarum suadet priuatis ciuibus, vt communitatem adament & erga conciues pacem, & fœdera seruent, publicisque vtilitatibus numquàm desint, quod vel ex eo maximè præstare tenétur, quia Principes, & magistratus habent, communis boni, pacis, ac fœderũ studiosos. Denique ait. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*, hæc verba suadêt ciui, vt Superioribus, Principibus deferat. Tradunt enim stelliones & *lacertulas*, vulgo *lagartizas*, conspectis hominibus hærere, & quasi ex admiratione consistere, sic docet Marcel. & experientia quoque suadet. Videas enim passim lacertulas in hominem intendere, & ab ipso quodammodo pendere, adeò vt nutibus suis colere illum videantur, & nonnumquam ab ipso se captari sponte permittant. Appositè ad hoc Sept. *Callabotes seu stellio manibus innitens, & captu facilis*, nimirum propter eius erga hominem studium & obsequium. Fortasse autem propter hanc admirationem, aut stuporem, qui stellionem ex hominis conspectu tenere solet, dictus est Hebraicè *Semamith*, à radice *Samam*, quæ est, *admirari*, & *obstupescere* (vt nuper obseruaui.) Ergo ab stellione discere oportet obsequium quod superioribus, ac Principibus meritò impendimus. Sicut enim stellio

Marcel.

lio hominem admiratur, & ex illo totus pendet, sic etiam Principes admirari, colere, & obseruare, imò ab ipsis pendere debemus. Quid certius? Itaque ait Salomon. *Stellio manibus nititur*, &c. id est, manibus prorepens ad summa Regum Palatia contendit, atque inde ad Regum conspectum admirabundus hæret: ad eundem modum priuatus quisque Principum aulas adire, atque aliis honorem, obsequiumque deferre debet. His igitur quatuor omnia optimi ciuis officia complexus est Salomon, scilet diligentia in augenda re familiari, in domestica familię administratione vigilantiam, & curam, fidem erga rempublicam, & obsequium erga Principes.

225. Cæterùm quamuis hæc satis aptè dicta videantur, nihilominus tamé in aliam sententiam inducor, quam suadet mihi modus ipse loquendi, ait enim Salomon. *Formica populus infirmus*, & postea. *Lepusculus plebs inualida*, ac deinde locustarum turmas recenset, quæ verba satis innuunt non de aliquo singulari, & priuato homine, sed de multitudine, ac republica sermonem esse. Existimo ergo his quatuor exemplis diuersas hominum conditiones, ex quibus respublica coalescit, Salomonem complecti Formicæ agricolas notant, lepusculi ciues in vrbe manentes, qui ad arma capessenda inhabiles sunt adsignificant: locustæ milites adumbrát: stellio magistratus & aulicos omnes signat. Itaque ait. *Formica populus infirmus*. Hebr. *non generosus*, vt supra admonui, *Qui preparat in messe cibum suum*. Eiusmodi sunt agricolæ, & rusticani homines, qui labore suo formicarum industriam imitantur, quid certius? Hinc Plato in Phædone, vbi animarum transmigrationem fatetur, postquàm pronuntiauit hominum animos in ea demùm animantia transire, quorum vitam ipsi suis moribus expressissent, addit agricolarum manes in formica demùm abire, quia videlicet formicas labore assiduo imitantur. Sed de hoc labore iam inde multa diximus supra c. 6. v. 6.

Plato.

Lepusculus plebs inualida, &c. Lepusculi inualidi, sunt omnes illi qui ad arma tractanda idonei non sunt, quos scilicet aut pauor, aut imbecillitas domi continet, nam lepusculi, aut cuniculi trepidationis, & pauoris symbolum præbent. Lege Valerium in lepore. Vtrumq; autem exprimit vox שפן *Saphan*, quam fluere existimant Hebr. ex צפן vel ספן *Tsaphan*, idest, *abscondit, occultauit*, quia nimirum animal est imbelle, ex metu latebras petens.

Valer.

Regem locusta non habet, &c. locustæ milites significant, vt supra ex Scriptura sacra obseruaui, quorum exercitus, ordines, acies, & phalanges militiam quandam præ se ferunt: imò ipsarum forma galeatos milites referre docet Marcellinus. Addo etiam mores earum ipsis militibus imitandos esse. Illud sanè omnibus compertum est Romanorum signa fuisse dracones, ac serpentes, tradunt etiam Carthaginenses contra Romanos aliquando locustas in signis, atque vexillis produxisse. Nimirùm vt innuerent milites suos pro locustis futuros, quæ Romanorum dracones debellare, ac perimere facilè possent. Nam locustas cum serpentibus pugnare, atque ipsos interimere docet Plin. libro 11. cap. 89. *Serpentem*, inquit, *cùm libuit necant singula faucibus eius apprehensis mordicus*. His inducti aliqui peritiores existimant Ophiomachum non alium esse nisi locustam (Ophiomachus autem interpretatur animal cum serpente pugnans:) confirmat hoc Aristot. qui locustam Scorpiomach. appellat.

Plin.

Arist.

226. Denique subdit Salomon. *Stellio manibus nititur*, &c. hoc animal aulicos significat, qui scilicet Regũ, ac Principum limina assiduò exterunt, vt eorum honores, & magistratus aucupentur, quia, vt nuper dixi,

A stelliones circa aularũ fores, & forium cardines versari consueuerunt. Sic Plin. in eo l. 30. c. 10. *Stellio*, inquit, *est in locis ostiorum, fenestrarumque, aut in cameris, vel in sepulcris*. Hi Principum admiratores sunt, & temquàm stelliones ex eorum aspectu pendent. Mores autem illorum qui honores, & magistratus apud Principes ambiunt, quàm stelionibus similes sint, ostendere facile est. Sed vt alia dimittant, stellio quidem ex Aristot. Plin. & aliis, exuit quotannis veterem tunicam & nouam induit: id autem est ambientium omnium studium, & cupiditas, magistratuum infulas, & togas permutare, veteres deponere, ac nouas, & illustriores induere. Illud etiam quibusdam euenire solet, cũ ambitio nimia excreuit, quod accidit stel-

B lioni, hic enim tunicam quam deposuit, iuxta eosdem autores, deuorat, quod summæ cuidam inuidentiæ tradit Plin. cùm enim eiusmodi membrana cum vino pota comitiali morbo mederi soleat, ne emolumentum istud homo percipiat, inuidum animal eum primùm illam excussit, statim deuorat. Huic ergo similes sunt quidam nimis ambitiosi beneficia Ecclesiastica, vel publica munera, & magistratus in semetipsis quodammodo stagnantes, qui nouas induentes infulas, & dignitatum insignia pristina aliis non relinquunt, sed deuorant, ac sibi reseruant. Adhæc iuris periti stellionatum appellant criminis quandam speciem per astum & calliditatem admissi, quoties aliquid dolo malo fit, vt quis merces supposuerit, vel

C obligatas auerterit, vel corruperit, aut qualibet alia ratione imposturam fecerit. Aliqui ergo id nominis huic crimini propterea datum volunt, quia stellio membranam suam deuorat, atque hominem eo emolumento defraudat. Sed hoc accommodatum non est: illud appositum magis, quod tradit Aristotel. stellionem araneis pasci solitum: quod mira quadam industria facit: accedit quidem proximè ad aranei latebras, & retia, quæ ad muscas, culices & alios vermes implicandos areneus contexuit, pertentat leuiter: tunc araneus de more ad prædam contendit, atque ipse stellionis præda fit. Obserua mirabilem animantis astum, hic enim (ni fallor) in causa fuit, vt cognita ab hominibus illius fraude, quidquid per astum, & 227.

D fraudulentiam admittitur, crimen stellionatus appellatur. Hæc verò, si libet, ad aulicorum fraudes conuertere integrum erit, inter quos ea lege plerumque viuitur, vt potentissimi alios minus potentes deuouorent, & eorum consilia, rationes, & petitiones disturbent. Pergo ad alia.

---

29. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum incedit fœliciter:*

30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.*

E 31. *Gallus succinctus lumbos suos, & aries, nec est Rex, qui resistat ei.*

TRia sunt, quæ bene gradiuntur, &c. Hebr. ad verbum. *Tria sunt incessum* (liceat sic dicere) *bonificantia, & quatuor bonificantia iter*. Caietan. *Tria sunt boni incessus, & quatuor bona deambulationis*. sed tamẽ quartum legi oportere supra docui. Sept. *Tria sunt quæ prospera vadũt, & quartũ quod bene incedit*. Aquila, Sym. & Theod. *Tria sunt bonum facientia gressum*.

Leo fortissimus bestiarum, &c. Hebr. *Leo fortis, vel potens animalibus, & non reueretur à facie omnium*. Sep. *Catulus leonis fortior bestiis, qui non auertitur, neque horret bestiam*. Aquila, Symmach. & Theodot. *Qui non horret à facie cuiusquam*.

Gallus

Gallus ſuccinctus lumbos ſuos,&c. de vocum originalium ſignificatione diſſidium eſt non leue inter Rabbinos:nam Hebræa tantummodò habent מתנים זרזיר *Zarzir Mathanim*, ideſt,*ſuccinctus lumbis*, de cætero diuinandum eſt quodnam animal vel arctiùs, vel elegantiùs præcinctos lumbos habeat, vt hoc nomen *antonomaſticè* ſibi ferat. Et quidem quadruplex fuit interpretum de hac re conſilium.Primo alij ad ea referentes,quæ arctiùs præcinguntur,ac lumbos in maiores anguſtias cogunt, *apem*, aut *veſpam* conuertũt,ſic nimirum, *Et apis ſuccincta lumbos ſuos*, nam apis, atque veſpæ lumbos arctiſſimos habent: hinc fœminæ, quibus gracilis eſt exiliſque cinctura,
228. Græcè dicuntur σφηκώδεις à voce σφήξ, ideſt, veſpa. Sunt etiam qui ob eandem rationem, propter lumborum ſcilicet exilitatem,ſic tranſferant.*Formica ſuccincta lumbos ſuos.* Secundo alij ad robur ſpectantes *pardum* conuertunt,hoc.n. animal tenues admodum lumbos atque in ipſis robur maximum habet.Tertio velocitati hoc tribuentes aliqui (hanc enim lumborum arctior compreſſio ſignificare cõſueuit) ſic reſtituerunt.*Aquila accincta*,&c.Vel alij.*Canis venaticus, ſeu lelaps ſuccinctus*,&c.&c.Denique Vulgatus cum Sept.Interpretibus,quibus etiam hæret Chald. *Gallum* vertunt,qui lumborum anguſtias ad elegantiam & pulchritudinem mihi retuliſſe videntur.Nam gallus præ cæteris auibus erectus incedit,& veluti ſuccinctus eſſet, nihil demiſſum habet, nihil fluens, in quo maxima elegantiæ pars ſita eſt. Sed licet omnes præfati interpretes hîc gallum agnoſcant, tamen non eodem modo integrum locum extulerunt. Noſter quidem habet.*Gallus ſuccinctus lumbos ſuos*.Chaldæus. *Et gallus inter gallinas ſuccinctus.* Septuag. *Et gallus conſcendens gallinas alacer.* Aquila & Theod. *Et gallus dorſo ſuccinctus*.Symm.concinit cum noſtro.

Et aries Hebr. תיש *Thaiis*,alij *hircum*, alij *arietem* vertunt,ſed leuiſſimum eſt hoc diſſidium, ſiue enim caper, ſiue aries ſit, eum ſignificat,qui mitis,atque cicur eſt, reliquum gregem ductans. Septuag.ergo ſic habent.*Et hircus ducens gregem* : Chald. *Et hircus ſylueſtris,qui vadit in domum peregrini.*

229. *Nec eſt Rex, qui reſiſtat ei.* Plures ex Hebraizantibus nouum quoddam animal hîc inducunt, ſic enim conuertunt *& Rex Al Kum cum eo*.Hebr.אלקום עמו ומלך *Vmelech Alcum Ghamu.* Ergo qui ex *Al Kum* vnam tantùm dictionem conſtant,animal intelligũt, quod reliqua omnia animantia inceſſus grauitate & maieſtate ſuperat:nimirum Alcem,aut aliud aliquod: ſed hæc interpretatio nullum idoneum autorem habet.Reliqui vocem illam *Al Kum*,in duas dictiones ſoluunt,nimirum in חל & קום : *Al*,quidem eſt particula negans,*Kum* autem eſt à verbo קום ex quieſcentibus Ghaiim, Vau, quod ſignificat *ſurgere,ſtare*, aut *conſiſtere*,aliquando etiam actiuè ſumptum ſignificat *reſiſtere*, *repugnare*, aut *vincere.* Hinc nata lectionum magna diſſimilitudo. Caietanus habet ,& *Regem non leuare cum eo*.Cuius mẽtem paulò poſt dabo. Alij exiſtimant voces illas *Al Kum*,ſic eſſe inter ſe conferendas,vt *Al*,ſit negãs particula, & *Kum* ſit infinitiuum præfati verbi,ita vt ad verbum ſic efferri debeat. Et *Rex non inſurgere cum eo*,ſenſus autẽ ſit, *& Rex iniuſtus,in quem nemo inſurgere auſit*.Chald.ad ſignificationem ſtandi retulit hoc modo,*& Rex , qui ſtat,& loquitur in domo populi ſui*.Deſumpſit verò hãc lectionem ex Sept. qui locum iſtum ſic extulerunt, *& Rex qui concionatur in gente.* Mitto alia lectiones minus vtiles,& ad noſtram venio.

Lyra, Inſenius , & alij recentiores exiſtimanti lectioni Vulgatę librariorum incuria mendum irrepſiſſe,atque adeò ſic reſtituendam. *Et aries : & Rex , & nõ eſt qui reſiſtat ei*, vt inter quatuor illas res,quæ bene incedunt, quarto loco Rex numeretur. Confirmatur autem hæc ſuſpicio, quia hoc modo Vulgata lectio cum textu originali Græco, Chald.& aliis concordat. Aliter verò multum diſſidet. Sed tamen Ianſenij coniectura iam inde poſt Clementis correctionem non eſt audienda,textus.n.emendatus illam cõtinet & eandem tot retro ſæculis amplexus eſt D. Gregorius Papa Moral. lib. Beda hîc & alij minores. Sunt nonnulli,qui inter bene gradientia quarto loco ſtultum cenſeri voluerunt,ſubdit enim textus. *Et qui ſtultus apparuerit, poſtquam eleuatus eſt in ſublime : ſi enim intellexiſſet, ori ſuo impoſuiſſet manum.* Ab his quidem non omnino diſſentio, poterit,n.forſan ea ratione ſenſus non inelegans conformari, vt ſtatim patebit. Sed tamen non omnino aſſentior, mallem.n.inter quatuor illa bene & fœliciter progredietia quartum, ac principem locũ Regi tribui , ne Vulgatus ab aliis interpretationibus tam longè abeat.Ergo ſententiæ iſtius vis ſic habet. *Et aries, nec eſt Rex qui reſiſtat ei.* Obſerua verò interim hanc extremam clauſulã.*Nec eſt Rex*,&c. in correctiori textu duplici puncto à ſuperioribus ſeiungi, atque adeò ad arietem non poſſe referri. Exiſtimo ergo aliquid hîc ſupplendum eſſe, q.d.& ille quiſquis eſt,cui Rex quilibet etiam potẽtiſſimus obſiſtere non poteſt : nimirum Rex aliquis, qui reliquos Reges potentia facilè ſuperet,& maieſtate obruat. Itaque Salomon quarto loco adſcribit Regem potentiſſimum:cui nullus alius Rex ſeſe aduerſarium offerre auſit, ſed cuncti cedant. Admonet hic Ianſen. in codice Beſſarionis nomen Regis ſupprimi,atque locum integrum ſic afferri. *Et aries , nec eſt qui reſiſtat ei.* Sed tamen is codex planè mendoſus eſt,& reliquos tum Hebr. tum Græc. tum Latinos codices aduerſarios habet. Ad rem.

Triplici modo verſari conſueuit huius loci ſentẽtia:primus particulas alias *bene,ac fœliciter*, in malam 230.
partem vertit , ſecundus in bonam,tertius partim in bonam,& partim in malam:hæc autem diuerſas diſſimiles valde interpretationes peperit.Prima ergo interpretatio D.Greg.particulam *bene* bonam in partẽ, Gregor.
particulam verò *fœliciter*,in malam conuertit.nam l. 30.Mor.c.5.prolixe ſatis hunc locum exponit,vbi per *leonem*,Chriſtum Dominum,per *gallum* prædicatores, & doctores,per *arietem* Sacerdotes accipit,atque hęc tria bene quidem incedere.i.rationem quandam viuendi cum virtute coniunctam tenere affirmat : non autem feliciter , quia multa aduerſa experiri ſolent: denique quartum illud,quod fœliciter incedit.i.fortunatè & proſperè ſecundùm humanam,& terrenam fœlicitatem,quæ cum honeſtate ſæpius pugnat,non Regem eſſe dicit,ſed ſtultum(vt nuper dixi) de quo Salomon ait. *Et qui ſtultus apparuerit,poſtquam eleuatus eſt in ſublime*, per hunc autem ſtultum *Antichriſtum* intelligit,quem fœliciter progreſſurum affirmat propter temporalem fœlicitatem , non autem bene ob prauos mores.Hæc,quę ego compendij ſtudioſus
hactenus perſtrinxi, latiſſimè perſequitur Greg. loco Beda.
citato , & ex ipſo tranſcripſerunt Beda , & Epiſcop. Salonius.
Vienẽſis in myſtica ſua expoſitione. Rurſus D.Aug. August.
lib. 22.conſtra Fauſt.c.42.priora illa verba,*Leo fortiſſimus beſtiarum*, Chriſto tradit iuxta hanc lectionem Sept. ſic.n.infit. *Cauſa,inquit,reddita eſt,quare catulus leonis dicatur,in cuius laudem ſcriptũ eſt in Prouerbiis.Catulus leonis fortior iumentis,hoc eſt paruulus maioribus ſi non aſcendit in cruce recumbens cum inclinato capite reddidit ſpiritum , ſi non dormiuit, vt leo,quia in ipſa morte non eſt victus,ſed dicit , & vt catulus leonis, inde enim mortuus eſt,vnde & natus*, nimirũ propterea cùm moritur Chriſtus,& catulus dicitur,quia ab initio ad mortem natus & morti addictus eſt,ſed tamen hæc omnia accommodatitia ſunt.

231. Secunda expositio apud Hebr. familiaris, particu- A
las illas *bene*, ac *fœliciter*, de temporali fœlicitate acci-
pit, & in his quatuor rebus, quæ bene, ac fœliciter
progrediuntur totidem Imperia intelligunt, quæ Sa-
lomon hîc Prophetico spiritu diuinauit, hæc sunt, As-
syriorum, Persarum, Græcor. Romanorum. Nam pri-
mo inquiunt Assyriorum imperium per *leonem* adum-
Hierem. 4. bratur, hunc Hierem. c. 4. Assyriorum Regem com-
memorans. *Ascẽdit*, inquit, *leo de cubili suo*, &c. Huius
autem imperij incessus cum leonis gressu componi-
tur, quia quamdiu fortunatè progressum est, numquã
cessit retro, aut hostibus suis terga vertit. Cum au-
tem Hebr. secundo loco pro *Gallo* Canem vanati-
cum supponant, per hunc Persarum regnum notari
volunt: nam huic imperio auspicium dedit Cyrus, B
quem alij à *Caue* nomen sortiri volunt, alij à vena-
tione, nam Græcè venatio *ζύρα zyra* dicitur. Tertio
per *arietem*, aut *hircum* Græc. regnum capiendum es-
se docent, iuxta Dan. Prophetiam c. 8. vbi sic ait. *Por-
ro hircus caprarum rex Græcorum est*. Deniq; cum sub-
dit, *Et Regem non leuari cũ eo* (sic. n. legit Caiet.) Ro-
manorum Respublica describitur, quæ semper Re-
gis nomen vsque adeò perosa est, vt post Tarquiniũ
à regno pulsum nulli vnquam id nominis dari con-
senserit. Itaque *Regem non leuari cum eo*, perinde est,
atque ipsum sine Rege plurimum crescere, & auge-
ri. Cæterùm hæc mihi nequaquam arridere possunt.
232. Ex his ergo, quia aduerbiis illis *bene*, ac *fœliciter*,
nihil bonum, aut laude dignum notari affirmãt, sunt, C
qui illa per quandam irrisionem pronũtiata fuisse di-
cunt, ita vt *bene*, ac *fœliciter* incedere, sit prompaticè
incedere, id. s. quod vulgò dicitur. *Cõtornearse, ó pano-
nearse*. Putant autem hoc loco describi superbũ quẽ-
dam Principem, qui fastum potius & gloriam quam
regni sui vtilitatem consectatur: cùm verò cum *gallo*,
& *ariete* à Salomone componi suadent (hæc. n. tria
animantia præcipua Regum vitia præclarè adumbrãt
Leo. n. Regum superbiam & sæuitiam innuit, de qui-
bus supra nõ pauca diximus, c. 19. v. 12. ad illa verba.
Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira.) Gallus obliuio-
nem & memoriæ defectum notat, qui inter præcipua
regum vitia referri debet, nihil. n. Principibus, ac Re-
gibus solemne magis, quàm subditorũ officia & me- D
rita obliuisci: ita. n. ferunt Regum superbi mores, vt
omnia sibi deberi existiment, & nullius se officiis ob-
stringi putẽt, hinc obliuio, & memoriæ defectus quẽ
gallus notat. Aiunt. n. illum præ cæteris animantibus
immemorem esse, inde natum vulgare illud apud no-
strates Prouerbium. *Memoria de gallo*: & Physiogno-
mici tradunt eos, quorum capita temporibus com-
pressis gallos imitantur, labilis admodum memoriæ
esse. Per *arietem* verò significatur *pertinacia*, est. n. ani-
mal capite impingens. Vnde in pertinaces illud iacta-
ri vulgo consueuit. *Quedaŋ de cabeca*. Hæret autem
plerumque pertinacia potestati & imperio: nam Prin-
cipes cuncta ex arbitrio suo statuere volentes suis
sententiis plus æquo addicti, & consecrati sunt, & in E
his libentia vsu ipso crescit, hinc fit, vt nullis consi-
liis aut rationibus ab statutis suis abduci possint. Ap-
positè igitur ad hæc Salomon hanc sententiam abso-
luit. *Nec est Rex, qui resistat ei*, &c. q. d. talis, imò lon-
gè maior est Regis pertinacia, cui nemo obsistere &
repugnare audet.
233. Cæterùm alij tantum ab his dissident, vt ex aduer-
so in his tribus animantibus non Regum vitia, sed
ipsorum potius præcipua officia, & virtutes contem-
plentur, quibus ego libentius acquiesco. Ergo aduer-
bia illa *bene*, ac *fœliciter*, (quibus in originibus vna
eademque vox subest) bonam in partem vocanda
sunt, hoc sensu. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur*, tria sci-
licet sunt, quæ gressu suo maiestatem quandam præ

A se ferunt. Rex tamen optimus eadem in se exprimit:
imò maiestate & gloria facilè vincit. *Leo fortissimus
bestiarum ad nullius pauebit occursum*. Imprimis leo-
nem Regis, ac Regum similitudinem præbere testan-
tur tam sacra, quam prophana, Deinde hoc etiam te-
statissimum est, præcipuas Regis virtutes à leone
adumbrari, sed tum maximè fortitudinem, animi ma-
gnitudinem, & ingenuos in vniuersum mores, quos
præclarè describit Arist. de hist. anim l. 9. cap. 44. *Leo*, Arist.
*ait, pastus, & fame iam vacans, facilis mitisque maiorem
in modum est. Nihil hic suspicatur, nullius suspiciosus
est, festiuus, ludibundus, beneuolus*, &c. Et Physio: n.
leonis animos, & ingenium sic depingit. *Animal hoc
in his, quæ circa animam, datiuum, liberale, magnanimũ,*
B *& amans victoriæ, mansuetum, iustum, & amans eorum,
cũ quibus versatur*, quæ omnia Princibus imitãda pro-
ponit Agapit. Diacon. de Regno. Sed vt de gressu Agapit.
leonum aliquid dicamus, quem Salomon in hoc ca-
pite commendat. Plin. l. 8. c. 16. docet. *Leones seme-* Plin.
stres vix ingredi posse, nec nisi bimestres moueri, quod
nulli animantium accidit, reliqua enim animalia intra
mensem, tum cum tardissimè gressum adoriuntur: &
quidem ita fert naturæ vsus, vt perfectiora tardius
gradum moliantur. Quapropter cum leonis incessus 234.
præ cæteris animantibus generosus & maiestate ple-
nus sit, illum quidem natura tardius absoluit, vt sua-
deat Principibus eos Reipublicæ administrationem,
quæ per leonis incessum innuitur, cunctanter aggre-
C di: Nam (liceat sic dicere) regius gressus, quò perfe-
ctior, & gloriosior est, eò tardius addiscitur. De leo-
nis incessu Aristot. in Physiogn. sic habet. *Ambulat* Arist.
tardè & magnificè, ac mouens se in spatulis cùm ambulat,
tam gloriosus ergo, tamque magnificus gressus haud
facilè breui tempore expediri debuit. Sed rursus idem
l. 2. hist. cap. 1. sic habet. *Gradiuntur pedatim leones,
nimirum sinister pes, manusque non transit dextrum, sed
subsequitur more camelorum*. Suadet etiam hoc Regi-
bus, ac Principibus, omnia sinistra dextris esse post-
habenda, nimirum publicis priuata, honestis turpia,
æternis temporalia, ac denique bonis improbos. Ma-
gistratus enim ministros Principum manus, ac pedes
esse dixit Plato, hinc nata vulgaris paremia de mini-
D stro diligenti, ac strenuo, *es mis pies, y mis manos*. Quò 235.
spectauit etiam Christus Dominus cum ait. *Si manus
vel pes tuus scandalizat te*, &c. quæ verba de amicis,
aut ministris accipit vulgaris interpretum censura.
Id ergo Princeps contendere debet vt incessus illius
leonis assimilis faustus, secundusque sit, vt dexter
pes, manusque sinistris præferantur, vt scilicet melio-
res, sapientiores, ac digniores honore antecellant at-
que præsint, alij subsint. Quid plura? Idem Philoso-
phus lib. 9. cap. 44. hist. animal. reliqua ad gressum
leonis spectantia sic absoluit. *Dum cernitur numquam
fugit, sed si venatorum multitudini cedere cogitur, sen-
sim, pedatimque discedit, crebro subsistens, atque respe-
ctans. Nactus vero opaca, fuga, qua maximè potest, velo-*
E *ci, se subtrahit, donec in aperta deueniat, tunc rursus len-
tè incedit*. Lege Plin. loco citato, & alios historiæ na-
turalis auctores. Ex hac liberali, & ingenua leonis
constantia petito exemplo suadet Agapitus Principi- Agapit.
bus in aduersis constanter agere, & si quando ce-
dere, ac fortunæ terga vertere oporteat (id enim à
leonum robore nonnunquam alienum non est) illud
quidem liberaliter, ac decorè præstari oportere, ne
Regię maiestatis fastigium abiiciatur. *Quemadmodum
enim ait, leone subsistente, ac respectante, hærent vena-
tores: sic etiam Principe constanter agente malorum
impetus frangitur*. Denique ad leonis gressum spectat
id, quod tradit Gregor. Nazianzen. in poëmate de Nazianz.
virtute humana, vbi docet leonem pedum suorum
vestigia cauda euertere, ac delere solitum, ne à ve-
natoribus

natoribus conſectantibus inueniri poſſit. Hunc
leonis aſtum imitantur Principes, qui conſilia ſua,
& inſtituta celant : ita vt ne veſtigia quidem relin-
quant, ex quibus ab aduerſariis deprehendi poſſint,
id enim publicæ adminiſtrationis ac fœlicitatis plu-
rimum intereſt. Hæc omnia documenta ex leonis in-
ceſſu ad Principis optimi officia & mores transferre
licet, reſpondentque Salomoni, qui leonis greſſum
commendat. Sed cùm ſubdit. *Leo fortiſſimus beſtia-
rum ad nullius pauebit occurſum*, interritam illius con-
ſtantiam innuit, quæ nullis aduerſariorum incurſi-
bus percellitur, aut conſternatur, quæ Reges maxi-
mè decet. Subdit.

236. *Gallus præcinctus lumbos ſuos*. Sanè galli Reges prę-
Plin. clarè exprimunt, de illis ſic Plin. l. 10. c. 21. *Imperitant
ſuo generi, & regnum, in quacumque domo ſunt, exercent,*
Politian. *quod dimicatione paritur inter ipſos.* Ad hæc Politian.
in ruſtico, gallum ſic deſcribit.

Formoſo Regi cui vertice purpurat alto,
Faſtigiatus apex, dulcique errore coruſcæ
Splendeſcunt ceruice iubæ, perque aurea colla,
Perq; humeros it pulcher honos, palla ampla decenter
Albicat ex rutilo, atque toroſa in pectora pendet
Barbatum in morem, &c.

Subiicitur autem leoni gallus, vt per ſuos gradus
efferatur oratio : nam gallus leones cantu & aſpectu
etiam terret. In gallo autem commendatur etiam in-
ceſſus magnificus. Politianus *Altigradum* appellauit:
quia auium nulli corpus erectius, & ceruix elatior
eſt cùm graditur. Illud item in eo mirificum ait Ælia-
nus. *Cùm limen intrat, tametſi altiſſimum exiſtat, cri-
ſtam inclinat, ne criſta vſpiã offendatur.* Sed cùm ſem-
per aliàs pompaticè, atque magnificè greſſus regat,
tum maximè oriente luna. *Tunc enim quaſi diuino quo-*
Ælian. *dam ſpiritu afflatus ouat, exultat*, (verba ſunt Æliani,)
hinc licet magnis Principibus exempla petere. Sit ni-
mirum illis greſſus altigradus & ſtatus, erectus ani-
mus, ſcilicet non demiſſus, ſed ſublimia cogitans.
Rurſus gallo criſta pro diademate & corona eſt. qua-
propter dum illi tam cautè proſpicit, & tam diſtan-
tia, & longè poſita offenſionum pericula declinat,
ſuadet Principibus non ea tantum diſcrimina vitare,
quæ regnis proximè perniciem allatura videntur:
ſed etiam illa præcauere docet. quæ diſtant &
à longè imminent. Hæc ex greſſu galli Regibus
documenta depromi poſſunt, quem Salomon hîc
obſeruat.

237. Sed dum ait. *Gallus ſuccinctus lumbos ſuos*, ex quo-
rumdam ſententia Principibus exemplo galli vigi-
lantiam conſulit Sapiens: gallus. n. vigilantiæ ſymbo-
Plin. lum eſt. Quid certius? Plinius loco citato. *Gallos*, in-
quit, *vigiles noſtros excitandis in opera mortalibus natu-
ra genuit : Norunt ſydera & ternas diſtinguunt horas
interdiu, cantu cum ſole eunt cubitum, quartaque caſtrẽſi
vigilia ad curas, laboremque reuocant: nec ſolis ortum in-
cautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant*
Gregor. *cantu.* Lege D. Gregor. lib. 6. Moral. vbi de hac galli-
nacei vigilantia multa ſerit. Nec verò gallus Princi-
pibus in vniuerſum vigilantiam ſuadet tantùm, quæ
ipſis ante alia perneceſſaria eſt, ſed etiam id docet,
quod ipſos vigiles, imò inſomnes facilè reddet. Nam
vt ſcribit Cælius, gallum zelotypia & amor erga
Cel. Rhodig. aues ſibi ſubiectas toties noctu excitat, & ideò canit,
vt cantu ſe adeſſe teſtetur : ſimilem ad modum ze-
lus, & amor erga rempublicam optimum Principem
peruigilem efficiet.

238. Sed licet hęc non ineptè dicta ſint, tamen Salomo-
3. Reg. 20. nis mentem aliam eſſe reor, ait enim. *Et gallus ſuccin-*
Pſalm. 17. *ctus lumbos ſuos*, in ſcripturis accingi, præcingi & ſuc-
Abac. 3. cingi verba ſunt militaria. *Non glorietur accinctus, at-
que diſcinctus.* Et iterum, *Deus, qui præcinxit me virtu-*
A *te ad bellum:* & alibi, *vt aſcendam ad populum accinctũ
noſtrum.* Illa ergo verba, *Succinctus lumbos ſuos*, nõ ad
elegantiam, & pulchritudinem, vel ad temperantiam
& caſtos mores, vt alij volunt, ſed ad pugnacitatem,
& bellandi peritiam ſpectare exiſtimo ; gallinaceorũ
enim pugnas, & belligerandi induſtriam nemo igno-
rat. Et ſanè propterea illos ipſamet natura quaſi ad
militiam accinxit ; ita vt milites quidam in procinctu
eſſe videantur. Si enim eorum ſtructuram aſpicias,
nihil in his ſolutum, laxum, aut fluens obſeruare li-
cebit. D. Aug libr. 1. de ordine elegantiſſimè gallina- *Auguſt.*
ceorum pugnam deſcribit. *Ecce*, inquit, *ante fores ad-
uertimus gallos gallinaceos ineuntes pugnam, in quibus
videre erat intenta proiectius capita, inflatas comas, ve-*
B *hementes ictus, cautiſſimas euitationes ; & in omni motu
animalium rationis expertium nihil non decorum, quippe
alia ratione deſuper moderante. Poſtremò legem ipſam
victoris, ſuperbum cantum, & membra in vnum quaſi or-
bem collecta velut in faſtum dominationis, ſignum autem
victi elatas à ceruice pinnulas, & in voce, atque motu de-
formem totum, & eo ipſo naturæ legibus neſcio quomodo
concinnum & pulchrum.* Hactenus Auguſt. Sed vt alios
dimittam, qui de gallinaceorum pugnacitate multa
deſcribunt, Agellius ex Æliano lib. 2. narrat Athenię- *Agellius.*
ſes poſt victoriam à Perſis partam legem tuliſſe, vt
quotannis certo die galli in theatro publico certarẽt;
quam legem nobilis quædam occaſio peperit. Cùm
enim Themiſtocles contra Barbaros caſtra moueret
C gallos duos non ignauiter pugnantes animaduertit,
atque inde anſam arripiens milites ſuos tali oratione
confirmauit. *At hi neque pro patria, neque pro penati-* 239.
*bus, nec pro ſepulchris maiorum, libertate, ac filijs pugnãt;
ſed tantum ne vincatur, neuter cedit alteri; his ergo di-
ctis Athenienſibus ingentes animos fecit.* Atque hinc fa-
ctum, vt quod illis ſemel fuerat incitamentũ ad vir-
tutem quotannis iterari iuberent; vt eo exemplo iu-
ues ad fortiter agendum ſæpiùs acuerentur. Ergo Sa-
lomon in hoc loco inter præcipuas optimi Principis
virtutes bellãdi peritiam & induſtriã numerat, quam
gallinaceus præclarè adũbrat. Et interim eo exemplo
admonet nihil in bellis adminiſtrãdis indecore gerẽ-
dum, non fœdera, non inducias, non legatos, non ob-
D ſides eſſe violandos: nam gallorum pugnas illud im-
primis commendat, quod etiamſi longo tempore cõ-
fligant nihil non decorum alius aduerſus alium ten-
tat, vt in eo certamine obſeruauit Aug. *Et in omni*, *Auguſt.*
inquit, *motu animalium rationis expertium nihil non de-
corum.* Rurſus eodem exemplo belli ſuſcipiendi cau-
ſam honeſtam ſemper futuram innuit Salomõ. Nam
licet Galenus lib. 5. de decretis Hipocratis dicat, *Galli-* *Galenus.*
naceos pro *ſola victoria contendere*, quod Themiſto-
cles illa ſua oratione expreſſit, dum ait, *ac ne vincatur
neuter cedit alteri*, hoc non probo, quia ad eum mo-
dum temerè & nulla de cauſa pro ſola victoria con-
tendere eorum eſt, qui per tyrannidem aliorum di-
tiones inuadunt. Melius D. Auguſt. loco citato, qui
E docet illos nunquam in bellum ruere, niſi pro ſtabu-
lis tuendis, ac pro dominatione in ſubiectas ſibi fœ-
minas defendenda, qua nulla honeſtior cauſa eſſe
poteſt, vt doceant Reges ob iuſtas ſolùm & honeſtas
cauſas bella mouere. Addit autem Varro, ex gallis *Varro.*
eos eſſe valde generoſos, qui pugnam ipſi non au-
ſpicantur, ſed aggredientibus aliis *fortiter repugnant.*
Subdit Salomon.

Et Aries. Significat autem arietem reliqui gregis 240.
ducem, qui præ cæteris mitis eſt, ac cicur, & vulgo
dicitur *el Manſo*, quo exemplo Regibus manſuetudi-
nem & ſuaues mores indicit Salomon, hæc vir-
tus enim Reges imprimis addecet. Quid certius?
Hinc eſt illud. *Intende proſpere, procede & regna. Pro-* *Pſalm. 44.*
pter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, &c. *Matth. 5.*

Et Christus Dominus mitibus imperia decreuit. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Ad hæc, eadem arietis gregem ductantis similitudine docet Salomon Principis exemplo reliquum populum in quamcumque partem facilè impelli. Sicut enim præeuntem ducem reliquus grex etiam in macellũ sponte sequitur, sic etiam post Regem ad ardua quæque præcurrentem reliqua multitudo temere ruit, hinc signatè transtulit Chaldæus. *Et hircus qui vadit in domum peregrini*, quæ verba cohærent cum translatione Septuag. *Et hircus ducens gregem:* sensus autem est. Optimus quisque ac mansuetus Rex, non aliter populum sponte assectantem post se ad difficilia quæque inexperta, ardua & peregrina trahit, quàm hircus cicur gregis dux præcurrens, in peregrinas caulas, imò in macellum reliquam multitudinem abducit. Eapropter Salomon eius gressum tantopere commendat.

241. Denique addit. *Nec est Rex, qui resistat ei*, nimirum *& Rex, cui nullus* alius Rex resistere poterit. Quæ verba, vt cum præmissis consuantur, hunc ad sensum vocanda sunt. Optimus ille Rex, qui enumeratas trium animalium virtutes imitatur, qui scilicet leonis magnitudinem, & robur, qui militarem galli peritiam, cicuris arietis mansuetudinem in seipso adumbrat, non modo ab hostibus debellari, & vinci ipse non poterit; verùm etiam nulla hostium robusta vis illi obsistere valebit: quasi dicat? Eiusmodi Princeps imperium suum latissimè propagabit, & cunctis regnis facili negotio potietur. Septuaginta habent. *Et Rex qui concionatur in gente*, quibus hæret etiam Chaldæus. *Et Rex qui stat & loquitur in domo populi sui*, quorum verba ad superiorum verborum sensum sic reuocanda sunt. *Rex iste optimus*, qui eas in se virtutes expresserit, subditos suos non modò ad easdem cohortari & acuere, verùm etiam ad quamlibet rem difficilem suscipiendam breuissima oratione impellere, ac permouere poterit.

242. Sed licet hæc apposité dicta sint, aliam nihilominus & aliam expositionem attexam Ex illis ergo, qui dictiones illas *bene* & *fœliciter* malam in partem rapiunt, affirmare aliquis posset his quatuor similitudinibus *leonis, galli, arietis*, & *Regis* eadem quatuor vitia notari, nimirum *iram*, *libidinem*, *auaritiam & iniustitiam*. Itaque ait *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum incedit fœliciter*, idest, tria sunt vitia, quæ his potissimum euenire solent, qui prospera vtuntur fortuna, quæ fœlicitati, potentiæ & imperio hærere consueuerunt, ira scilicet, quam *leo* significat; libido & luxuries, quam *gallus* notat; est enim auis admodum salax (fauet huic expositioni translatio Sptuaginta quæ sic habet. *Gallus conscendens fœminas alacer:*) stultitia & imprudentia, quam *aries* adumbrat (nam inter reliquos animantes nullum est ariete stolidius, aut hebetius, vt ex Arist. aliàs dixi;) ac denique iniustitia, quam *rex* aliquis efferus omnia pro libidine statuens, & cui nullus obsistere audet, perspicuè signat.

Sed licet hoc consilium accommodatum videatur, subest tamen alia huic omnino aduersa expositio, quæ docet his quatuor similitudinibus totidem virtutes cardineas præmissis vitiis contrarias exprimi: *Leo* quippe fortitudinem significat; huius enim animantis animus, roburque ab omnibus prædicatur; *Gallus* temperantiam notat, huc spectare existimant id, quod Salomon addit, *præcinctus lumbos suos*, lege Gregorium in Moral. loco citato. Ego verò si hoc galli exemplum ad temperantiam referendum esse dicerem, non dubitarem asserere per *gallum præcinctum lumbos suos*, gallum exectum, idest, capum esse accipiendum, hic enim temperantiæ insinuãdæ aptiùs accedit. *Aries* prudentiam innuit, non quilibet, sed ille, qui ad reliquum gregem ducendum edoctus iam cicuratus est: hic enim ouile à caulis ad pastum producit, & à pastu caulas refert: & vt verba Varronis hîc adscribam. *Totius gregis oculus est.* Huc spectat quod refert Pausanias, apud Corinthios æneum Mercurij simulacrum fuisse, cui aries ex aduerso assistebat; putat autem eo simulacro significari orationi & facundię, quam Mercurius notat, prudentiam pernecessariam esse. Denique Rex præpotens, cui nemo obsistere potest, iustitiam notat, cuius tanta est integritas, & constantia, vt nullis obsistentium contradictionibus cedat. Et quemadmodum rex aliquis, cui nullus alius vel Rex, vel Princeps obsistere potest, nullum metuit, nullius precibus, aut minis lentatur; sic etiam iustitia cùm seuera & integra est, precibus, metu, aut minis flecti non potest: sed præferenda reliquis tertia interpretatio, quam supra vberius prosecuti sumus. Varro. Pausanias.

---

33. *Est qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.*

EST qui stultus apparuit, &c. Hebr. codex hæc verba paucis perstringit, sic enim habet. *Si stulte egisti in eleuando te, & si malum cogitasti manum ad os*, quæ verba sensu à superioribus non abeunt. Aliqui priora verba sic reddunt. *Si voluisti postquam exaltatus es*, &c. Septuag *Si immiseris te in lætitiam, vel si profuderis te in lætitia, & extenderis manum tuam cum pugna, inhonoraberis.* Chald. ad hunc modum vertit. *Ne te extollas, ne sis insipiens, neque extendas manum tuam ad os tuum.* Hanc lectionum diuersitatem peperit vox נבלת *Nabaltha*, à radice *Nabal*, quæ significat cadere, marcescere, de floribus, ac foliis propriè dicitur, aliquando etiam per translationem vituperari & flocci fieri; hinc nomen Thoar נבל *Nabal*, idest, stultus: hinc translationum varietas supra adscripta. 243.

Superest translatio Septuaginta, quæ à reliquis lectionibus discedit plurimum, quam ad nostræ lectionis sensum ad extremum reuocabo.

Locum istum cum superiori versu nectunt supra adscripti interpretes, sed hunc nexum correctior textus non admittit, nam cum olim Vulgata sic haberet. *Et qui stultus apparuerit*, &c. hodie sic legimus, est *qui stultus apparuit*, sublata particula coniunctiua. Sed eorum, qui locum istum à superiori clausula diuellunt, multæ adsimiles interpretationes numerantur: Prima est Caietani, qui de republica Romanorum valde coactè exponit hæc verba: nam cùm sic vertat. *Si voluisti cùm exaltatus es, & si considerasti manum ad os*, ad hunc modum subdit. Apostrophe est ad rempublicam Romanam, futurum prædicens, vt tunc maxime cùm euecta foret, vilius deiecta rueret, & in antiquam humilitatem, ad Reges deuolata recideret; cùm Cæsares imperium capessèrent & Dictaturam perpetuam sibi vsurpant. Atque id sibi vult, inquit, illud. *Si considerasti manum ad os.* Nam manus ad os, executio est ad imperium oris; quibus verbis describitur Dictatoris officium, cuius tanta erat in vniuersam Rem. autoritas vt quidquid diceret, actutum fieret. Itaque Salomon, ex mente Caietani, prophetat futurum vt aliquando Romanorum omnium manus vnius ad os imperiumque mouerentur, præsertim si per manum, iuxta vulgarem loquendi modum, exercitum accipiamus. Constat enim Impe 244.

Imperatores Romanos ab exercitu deligi solitos; & exercitui potissimùm præfici. Itaque *manus ad os* erit exercitus ad Imperatoris nutum sese effingens. Cæterùm hæc interpretatio aliena est & coacta.

245. Vt autem reliquis expositionibus viam sternam, præmittere oportet illa verba *Manum ad os*, (sic enim habent origines) multiplici sensu donari posse, aut enim significant, tuumipsius os manu adiecta concelude & verba opprime, aut aliis silentium indicito: nam digitus ori commissus gestus est silentium imperantis, Actorum 13. *Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens.* Addo etiam tertiam significationẽ quæ aliquibus etiam arridet, id est, manum exerce & labora, vt ori tuo victum quæras. Subiicio quartam significationem eorum, qui dicunt manum ori admotam deliberantis & consilia apud se tacitè versantis gestum esse: quasi dicat; Delibera, & antequàm consilium aliquod ineas, diutius id tecum cogita. Ergo iuxta dicta plures in hunc locum expositiones turba Hebraizantium coniecit.

Actor. 13.

Rabi Dauid sic legit. *Si cecidisti postquàm eleuatus es, & si cogitasti: manum ad os*, & ad hunc modum exponit. Si fortè à gloria & dignitate tua deturbatus corruisti, ideò sanè fuit, quia in superbiam elatus es: nam superbis præsto est ruina. Si autẽ sapuisti, id est, si sapiens aliis apparuisti, ideò etiam fuit, quia os tuũ manu adiecta oppressisti; nam silentium stultissimum quemque sapientiæ, ac prudentiæ laude exornat. Cæterùm, vt posterior pars cum priori cohæreat, illud *si cecidisti*, non de ruina aliqua è fastigio dignitatis, sed iuxta vim verbi נבלתה *Nabalthah*, ex נבל *Nabal*. i. *desipuit*, de insipientiæ infamia captandum dicetem hoc sensu, *si fortè penitus desipuisti*, id est, insipientiam tuam aliis prodidisti, ideò certè fuit, quia sapientiam superbè admodùm venditasti, quod si aliquando gnarus, & sapiens apparuisti, eam gloriam silentium tibi peperit; vtrumque satis certum est.

Secunda expositio eiusdem Rabi Dauid sic habet. *Si cecidisti postquam eleuatus es.* i. si è sublimi forsan dignitatis fastigio, quod priùs tenebas, ad paupertatem deiectus es, animum ne despondeas, sed sapienter age. *Et pone manum tuam ad os tuum*, id est, manibus tuis victum tibi para, quasi dicat, Exerce manum tuam, & labora, vt os tuum inde pascas.

246. Tertia interpretatio Rabi Leui, de arcanorum custodia edisserit hæc verba hoc modo. Multis ruinæ causam obtulit iactãtia, & elatio, tu autẽ, si sapis, *Pone manum tuam ad os tuum*. i. tace, & si quid secreti tibi cõmissum fuit, nemini prodas, sic enim præcipuam ruinarum causam cauebis. Rursus idem alio modo expedit hunc locũ: sic verò legit. *Si stulte egisti exaltando te, & si cogitasti malum, manum tuam ad os tuum admoue*, id est, si ex eo, quod ad honorem aliquẽ euectus es spiritus malos tibi sumens de te superbè cogitare incipis, cogitationem hanc supprime, nec verbũ aliquod excidat, ex quo illa aliis palam fiat, quia si aliter feceris omnes ad te deturbandum conspirabunt, ita enim fert nostra conditio, & ingenium, vt superbè de se cogitantes deprimere & humi sternere contentis neruis curemus. Quid certius?

Rabi Leui.

247. Quarta interpretatio ab Hebræis petita sic construitur, *Si fortè stultus cùm esses ac rerum planè imperitus*, ad dignitatem, aut honorem aliquem euectus es, quoties tibi aliquid præstandum erit, ne id subitò, & ex improuiso perficias, sed *manum ad os* appone. i. diu delibera & tecũ cogita: (nam vt supra admonui manus ori admota deliberantis & consilium ineuntis significatio est) quia ignoratio & rerum imperitia longa deliberatione, & meditatione compensari cõsueuit. Ex præmissis interpretationibus plures à Vulgata lectione longè abeunt, reliquæ à contextu ab-

A horrent: vltima tantùm Vulgatæ lectioni & contextui tantisper hærere videtur, atque adeò reliquis præferenda est. Nihilominus tamen aliam, atque aliam subnectam interpretationem quas reliquis antepono.

Præmiserat Salom. in superiori versu optimi, ac sapientissimi Principis partes, easque trium animantium, *leonis* scilicet, *galli*, ac *arietis*, exemplis adumbrarat, quem versum sic absoluit. *Nec est rex, qui resistat ei*, pro quibus Sept. *Et Rex qui concionatur in gente*. Chald. verò transtulit. *Et Rex qui stat, & loquitur in domo populi sui.* Ex quibus constat Principem hîc induci sapientem & peritum ex edito loco ad populum verba facientem, leges, imperiáque dictan-

B tem. Ergo appositè ad hæc subnectit Salom. *Et qui stultus apparuit, postquàm eleuatus est in sublime: Si n. intellexisset ori suo imposuisset manũ.* Nimirum est alius Princeps priori per omnia contrarius, imperitus planè & insipiens, qui thronum inscendens insipientiam suam verbis prodit, cui satius esset os claudere, ac verba opprimere, sic enim stultitiæ suæ velamen aliquod obtenderet.

Memoria igitur repete id quod nuper diximus, videlicet tria illa animantia *leonem, gallum & arietem* ambigua quodammodo & ancipitia esse, vt Principis optimi sapientiam, & præcipuas virtutes notent, aut eiusdem imprudentiam, & indecora vitia adumbrẽt. *Leo*. n. fortitudinem significat, & idem iram & furo-

C rem notat. *Gallus* vigilantiam innuit, & idem obliuionem signat. *Aries* mansuetudinem adumbrat, & idem pertinaciam adsignificat. Hinc factum vt ex interpretibus alij Principum virtutes, alij eorumdẽ vitia his animantibus portendi voluerint. Fortasse autẽ Salomon non vnum aut alterum, sed vtrumque sibi voluit, virtutes videlicet, ac vitia Principum, illis similitudinibus complecti, propterea vbi *leonem, gallum & arietem* præmisit, duos Principes subnectit, sapientem alterum, cui nemo obsistere audeat, qui ad multitudinem suam orationem habere, & leges optimas dictare possit; alterumq; stultum, & amentẽ, qui ad regium thronum euectus suam inde stultitiam & vecordiam prodit, cui satius esset inter priuatos os claudere, & vocem obstruere, quàm inter Principes insanire: quasi dicat; Vterque iste Princeps siue sa-

D piens, siue stultus, *leonem, gallum & arietem* motibus suis exprimit, sed ille horum animantium præcipuas virtutes in se ipso adumbrat, ille autem eorundem vitia refert. Non displicet hæc interpretatio.

Cæterùm alia perplacet expositio, quæ Vulgatam cum Sept. interpretum lectione conciliat. Nam Sept. sic habent. *Si profuderis te in lætitia, & extenderis manus tuas cum pugna, inhonoraberis.* Sanè verba hæc adhortationem continent ad Principes & Reges, neu faciles nimium, & lenes erga subditos sint, neue seueri valde, atque rigidi; vtrumque enim honorem eorum, & bonam existimationem in discrimen adducit. *Si profuderis*, inquit, *te in lætitia.* Si videlicet, ô Princeps, subditis tuis festiuè, ludibundè, ac familia- 248.

E riter nimiùm vsus fueris, *inhonoraberis* ab ipsis, quia scilicet ipsi tua lenitate indecorè abutentur, *y te perderan el respecto.* Quod si ex aduerso. *Extenderis manus tuas cum pugna*, id est, in eosdem seuerè admodum egeris, vim & manus inferens, minas iactans, pugnas indicens, similiter *inhonoraberis*, nam subditi, vt vim & iniurias qualibet ratione propulsent, Principes suos violare, eorumque autoritatem lædere nõ verentur. Itaque Salomon suadet Principibus, vti medium teneant, ne faciles nimiùm & indulgentes, neue rigidos & seueros valde subditis se præbeant, sed indulgentiam seueritate, seueritatem indulgentia temperent; nam bona administratio reipublicæ id postulat.

postulat. Hæc interpretatio in eo priores alias vincit, quod cum antecedenti sententia optimè nectitur, & cum sequentibus etiam cohæret, vt postea constabit. Audeo etiam dicere Vulgatam nostram lectionem ad eundem fermè sensum vocari posse, hoc modo, *Est qui stultus apparuit, postquam eleuatus est in sublime.* Est scilicet Princeps aliquis, qui ad thronum euectus propter faciles nimium & indulgentes mores stultitiæ vulgò insimulatur. *Hic ergo si intellexisset, ori suo imposuisset manum,* is nimirum si sapit, nequaquam se festiuum subditis familiaritate sermonis exhibebit, sed grauem & morosum taciturnitate & silentio, silentium quippe grauitatem & maiestatem Principibus conciliare consueuit. Pergo ad alia.

33. *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem: qui prouocat iras, producit discordias.*

149. QVi autem fortiter premit vbera, &c. Ex Hebraïcis originibus locus integer sic restituendus est ad verbum. *Nam emulsor lactis educit butyrum, emunctor nasi elicit sanguinem, & emunctor furorum producit litem.* Aquila pro *emulsore*, & *emunctore*, emulsionem, & emunctionem reddunt. Sept. *Mulge lac, & erit butyrum; si autem expresseris nares, exibit sanguis: si autem extraxeris sermones, exibunt lites, & rixæ.* Chal. *Quia qui exprimit lac, elicit butyrum, & de expressione furoris exit sanguis,* &c. Aquila etiam pro *naso* furorem conuertit.

Caiet. Caiet. vrget præmissam expositionem de Romano imperio, nam per *emulsionem*, seu *emunctionem*, Dictaturam intelligit, quæ reipublicæ illi aliquádo bonæ administrationis, ac denique subuersionis causa extitit, quemadmodum expressio ex vberibus distentis lac & butyrum; ex naribus autem sanguinem prolicit: sed tamen hæc expositio accommodata non est, atque adeò reiici debet. Subiiciam alias.

150. *Gregor. Magnus.* Ex patribus vterque Greg. hæc verba spiritualem ad sensum vocant. Magnus enim in lib. 21. Moral. c. 1. sic habet. *Nam quia diuinæ sententiæ aliquando interius rimandæ sunt aliquando exterius obseruandæ, ideò per Salomonē dicitur, Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, &c. Vbera quippe fortiter premimus cùm verba sacri eloquij subtili intellectu pēsamus, qua pressione dum lac quærimus, butyrum inuenimus, quia dū nutriri, vel leni intellectu quærimus, vbertate internæ pinguedinis vngimur: quod tamen nec nimiè nec semper agendum est; ne dum lac quæritur, ab vberibus sanguis sequatur. Plerumque etenim dum verba quidam sacri eloquij, plusquam debent, discutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehementer emungit, quia carnale efficitur hoc, quod eximia spiritus discussione sentitur.* Hęc ille. D. Greg. Naz. oratione 31. in illa verba, *Cùm consummasset Iesus sermones,* &c. priora verba ad eundē fermè sensum trāstulit. *Quin etiam*, ait, *hæc verba studiosius & accuratius expendamus. Mulge lac,* ait ille, *& erit butyrum, idest, sedulò exquire, & fortasse in his succulentius aliquid inuenies.* Magni Gregorij verba transcripsit Beda, lege alia accommodatitia, & mystica apud Hugonem & Dionysium.

Nazianz.

151. Qui litteræ sententiam rimari volunt, prius sonum verborum excutiunt, vt inde latentem sub allegoriæ cortice nucleum eliciant. Ergo ex his, quæ initio dixi, cùm varias lectiones præscriberem, constat in originibus nullam *vberum* mentionem fieri: sed ad verbum sic haberi. *Emulsor*, vel *expressor lactis*. Hinc fluxit ad Hebræos celebris expositio, qui similitudinem hanc ductam volunt ab his, qui lac vtre inclusum versant tunduntque, vt butyrum exprimant, vulgò *mantequillas*. Placuit hæc expositio Rodolpho, adeò vt suspicari se affirmet mendum irrepsisse Vulgatis codicibus; & non *vbera*, sed *vtrem* legendum esse hoc modo. *Qui fortiter premit lac in vtre, exprimit butyrū.* Sed hanc suspicionem correctior Clementis textus damnat, qui *vbera* retinet. Rursus Hebræorum interpretatio parum aptè cum sequenti clausula consuitur, ac denique totius sententiæ energia facilè perit.

D. Gregor. loco citato, Beda, Hugo, Lyra, & alij minores, priorem, ac posteriorem clausulam ad vbera referūt, ita vt sensus sit; *Qui fortiter exprimit vbera, elicit butyrum. Et qui eadem fortius, ac vehementius comprimit, prolicit sanguinem.* Sed inter Lyram, atque alios hoc interest, quod Lyra *butyri* nomine non lactis coacti pinguedinem accipit, sed materiam aliquam lacte ipso solidiorem per vim elicitam intelligit, scilicet ipsorum vberum innatum adipem: putat enim vtramque partem ad vim esse referendam. Reliqui ipsummet butyrum accipiunt, quod ex lacte coacto, & compresso sero fluente trahitur, quasi dicant. *Qui exprimit vbera lac elicit,* quod coactum denique maceratum butyrum reddit. His assentior, & Lyram minimè audiendum puto. Rursus à Lyra & ab aliis discedo, quatenus asserunt illa verba, *Et qui vehementer emungit,* &c. ad vbera esse referenda, nam in originibus *nasus* exprimitur, & verbum *emungo*, ex propria, & germana sua significatione ad nares spectat. Itaque prior pars vberibus; posterior ad nares accommodatissimè traditur.

His prælibatis prima expositio est Lyræ, qui vtramque partem de violenta nimium expressione accipiēs, putat duabus similitudinibus eius, scilicet, qui vbera tam fortiter vrget, vt innatum adipem extrahat, & qui nares tam fortiter premit, vt sanguinis vim ad ipsos moueat, significari identidem homines, qui verbis suis alios tantoperè vrgent, ac premunt, vt ipsos ad iracundiam & furorem prouocent. Hæc autem expositione prorsus fordeat, sic efferenda est: per *vbera* quidem homines mansueti, & faciles notantur, qui verba mollia & dulcia veluti *lac* sponte sua reddunt, per *nares* item homines significari immites, & ad iram procliues, vtrumque satis exploratum est: nam mititas in pectore sedet, ita verò ad nasum subit, adeò vt passim in scriptura *nasus* pro ira adscribi soleat. Ergo sensus erit: Nemo alium verbis acerbioribus perurgeat; nam licet is vberum in morem mitis, ac lenis sit, si tamen verbis nimium austeris premitur, mansuetudinem exuere, & ad iram concitari solet. Si autem aliquis immitis, & angustiori, vt aiunt, naso sit, hunc certè verba austera & acerba ad furorem & rabiem adigunt: quasi dicat; ille quidem irascitur, hic furit. Vel aliter. *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum,* idest, adipem & pinguedinem, hoc sensu, qui virum mitem verbis acrioribus vrget, adipem, hoc est vires & robur illi eripit. Ita enim euenire solet vt viri, quibus faciles, ac lenti mores sunt, vi oppressi animos despondeant. *Qui autem vehementer emungit, elicit sanguinem.* Qui scilicet virum immitem, & iracundum austerius alloquitur, iram illi & furorem immittit. Itaque suadet Salomon verbis acrioribus semper esse parcendum; his enim oppressi mites ac faciles animo cadunt; immites verò & acerbi magis ac magis sæuiunt. 152. *Lyra.*

Secunda expositio est Iansenij, qui horum verborum sententiam sic absoluit: quemadmodum qui vbera 153. *Iansen.*

vbera mulget, butyrum exprimit, & qui nares emungit vehementius, sanguinem premit: sic qui probrum, aut iniuriam sibi illatam non statim obliuioni commendat, sed semel iterum, atque iterum illam cogitat, & cogitando vrget, tandem aliquando sanguinem, hoc est vindictam, & vltionem exprimat necesse est. Hæc ille obscurius, quæ ad hunc modum explicata aptiùs cadent. Suadet Salomon nihil magnanimis discussione examinari, & vltra modum cogitando exprimi debere, nec beneficia, nec iniurias. Nam quemadmodum si quis lac ex vberibus elicitum premat butyrum, aut caseum cogit, rem scilicet duram ex molli, atque tenui; sic etiam qui acceptam ab alio gratiam nimis discutit, & cogitando apud se diutius premit, non semel eandem corrumpit, & ex beneficio iniuriam præstat. Rursus quemadmodum qui nasum vehementius comprimit, sanguinem promit, sic qui iniuriam sibi illatam nimia cogitatione examinat, premitque, ad sanguinem tandem, & vltionem concitatur.

Tertiam expositionem offert idem Iansenius. *Qui fortiter premit vbera*, id est, sicut ille, qui mulget vbera exprimit lac, & butyrum, sic qui mollia & suauia verba ex ore suo producit, atque eadem auditoribus propinat, illos quidem optimè reficit & delitiosè pascit. *Qui autem emungit*, &c. Qui nimirùm ad eundem modum ex ore suo sordes, & probra depromit, quemadmodum ex naribus fæces depromi solent, vt eas proximis affigat, discordias suscitat, quas sanguinis effusio consqui solet.

254. Rodolph. Quarta interpretatio est Rodolphi, qui non de propria, sed de alterius ira exponit hoc modo. *Qui fortiter premit vbera*, &c. id est, qui conceptam semel ab aliquo iram non sedat, sed verbis stimulat, vrgetque, similis est illi, qui vbera fortiter mulget, & nares vehementer emungit: Nam sicut hic ex vberibus butyrum, & ex naribus sanguinem prolicit; sic etiam ille iram hostis sui vrgens, bella & discordias, aliquando etiam neces promit. Sicut enim vbera nimiũ expressa lac, & nares fortiter emunctę sanguinem reddunt; sic etiam conceptus furor, si verbis acrioribus identidem vrgeatur, iurgia & dissidia proferre solet. Hæc ille. Sed mallem duas istas similitudines distribui, & priorem ad amicos & familiares, posteriorem ad hostes referri hoc sensu. Sicut is, qui vbera nimium vrget, butyrum promit, idest, vbera exhaurit: sic ille, qui amicis impensius vtitur, & eos plusquàm satis est, crebris petitionibus, aut querelis premit, gratiam similiter exhaurit, & quemadmodum is, qui nares vehementer emungit sanguinem trahit, sic etiam ille, qui hostes suos sæpius lacessit & verbis acrioribus vrget, bella tandem atque discordias prouocat ineuitabiles.

255. Sed licet præmissæ interpretationes lepôre non careant, tamen (ni fallor) alia est Salomonis mens in hoc loco, & sententiam à superioribus sententiis pendens. Nam superior versus suadet Principibus, ne rigidos nimium, & seueros erga subditos se præbeant (vt nuper dixi) hîc verò rationem attexit. Et quidum omnis Principum erga subditos seueritas in duobus versatur, aut in exigendis tributis, aut in puniendis, coërcendisque delictis. Vtrumque temperat hîc Salomon, vt statim dicam. Sed tamen possunt hæc verba ad supra dictum sensum duplici ratione vocari, vel ita vt vtraque similitudo ad vtramque seueritatem temperandam referatur, vel ita vt prior ad tributorum exactionẽ, posterior ad delictorum correptionem accommodetur. Ergo vtramque similitudinem ad seueritatem correptionis referamus, *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac exprimit butyrũ, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem*, &c. Si quidem pars vtraque cũ Gregorio Magno de vberibus

A intelligatur, facilis euadet sententia, & cum superiori versu valde cohærens ad hunc modum; Subditos quidem benignius premere & coërcere, vtile est; eosdem verò opprimere perniciosum. Nimia enim indulgentia & impunitas libertatem parit, nimia seueritas seruitutis ac iugi impatientes reddit. Sicut enim is, qui vbera fortiter premit, quantùm opus est ad lac mulgendum, butyrum, id est, quod lactis est pinguissimum & suauissimum, extrahit: sic etiam Princeps, qui subditos suos lentius ac suauius coërcet & continet, bonos mores & iustam legibusque conformem vitam ab ipsis exprimit, quasi dicat; Sicut vbera non sponte, sed lentius expressa & coacta lac reddunt: sic etiam subditi non sponte, sed benignius
B coërciti & coacti bonos mores sectantur. Rursus sicut is, qui eadem vbera vehementius comprimit, exhausto lacte sanguinem extrudit, sic etiam Princeps, qui subditos suos nimia seueritate compescit, & plusquàm satis est legibus premit, non vtique bonos mores, & iustam viuendi rationem illis suadet, sed eorumdem iram, & furorem in se cõcitat & impatientes animos ad bella, & seditiones cogitandas exacuit. Quemadmodum verò de seueriori morũ correptione, eodem tenore de tributorum exactione illa interpretari licet, vt sensus sit; Tributa à subditis parcè admodum exigenda (liceat sic dicere) subditos vberum in morem mulgendos esse, non emungendos, & exhauriendos: nam vbi se exhauriri vident, seditiones cogitant.

C Quod si prior pars de *vberibus*, posterior de *naso* accipiatur, duplex interpretatio offerri potest: altera 256.
vtramque partem de correptione & punitione delictorum concipit hoc modo. *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum*, qui scilicet parcè & leniter vberum in morem premit subditos, bonos mores & optimam viuendi rationem tamquam lactis adipidem ab ipsis extorquet: qui autem eosdem nasi in modum violentius vrget, iram, indignationem, contumelias, & probra velut sanguinem ab eisdem refert. Hæc interpretatio alicui forsan arriserit. Cæterum si verba penitius inspiciantur, venustiorem aliam sententiam reddunt. Duplex sanè hominum genus; alterũ facile & mite, alterum acre,
D & indignabundum, vtrumque igitur nimia seueritate violari docet Salomon. Nam genus illud hominũ mite & moderatũ vberibus adsimile est, atque adeò quẽadmodũ vbera leniter pressa lac reddunt, sed violenter torta natiuum adipem, & succum effundunt; sic etiam mansuetissimi quique si à superiori, vel Principe leniter adigantur, bonos mores, tamquam lac spõte manant, sin autem seuerius quàm par est, cogantur, & coërceantur, vires abiiciunt, atque animis cadunt. Quod si cum Hebraizantibus sentias similitudinem non duci ab vberum expressione, sed à butyri concretione, quæ fit lacte in vtre contuso, & macerato, haud inepta euadet sententia hoc modo. Sicut lac molle, & liquidum vtre inclusum, dum violenter
E tunditur, ac maceratur, indurescit quodammodò, & in butyrum concrescit; sic etiã mansuetissimi, ac lenissimi homines, cùm à superioribus acrius exercentur, tunduntur, ac verberantur, non quidem mitiores, ac lentiores redduntur, sed magis obdurescunt, & rigescunt. Rursus genus illud hominum acre, & indignabundum, simile est naso, vt supra obseruaui. Quẽadmodùm ergo nasus cùm nimium exprimitur, sanguinem reddit: sic etiam homines illi duri, & immites, seuerius coërciri seditiones, bella, & effusiones sanguinis cogitare incipiunt.

Cæterùm licet hæc non ineptè dicta sint, nihilo- 257.
minus tamen ego ita reor duas similitudines distribuendas esse, & priorem ad tributorum exactionem

 referri,

referri, posteriorem verò ad delictorum punitionem, & correptionem spectare, hoc modo. *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac exprimit butyrum.* Imprimis enim lactis expressio tributorum exactionem notat. Ezechiel. 25. *Idcircò ego tradam te filiis Orientis, & ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum*, id est, percipient à te tributa: & infrà cap. 34. inuehitur Propheta in Principes Israël, qui tributa populi auferentes, eiusdem vtilitatem, commoda & rectam administrationem minimè curabant. *Væ pastoribus Israël qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.* Accedit Isaias cap. 6. *Lac gentium suges, & mamilla Regum lactaberis*, id est, gentes atque Reges tibi vectigales reddes. Ergo sensus est; Quemadmodum qui vbera lentiùs premit, lac elicit, & vbera ad eundem modum leuiter pressa, numquàm exhauriuntur, sed fluente lacte iterum distenduntur: sic etiam Princeps, qui à populo parcè, ac moderatè tributa exigit, non exhaurit eorum fortunas, quidquid enim vna tributi exactio fecit vacui, succedentia lucra facilè replent. *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum.* Quasi dicat. Ex aduerso quemadmodum qui vbera violenter nimium mulget adipe exhausto penitus euacuat, lactis profluuium sistit. & vbera ipsa arefacit(sic enim docet Galenus in lib. de alimentorum qualitate ab his qui pecudes mulgent non omnino eadem exhauriri debere, *ne fons deficiat*:) sic etiam Princeps qui à subditis immoderata vectigalia exposcit, eorundem facultates, & fortunas exhaurit, atque adeò tributorum fontem arefacit. Itaque Salomon in hac priori similitudine suadet Principibus, neu prouincias grauissimis tributorum impositionibus onerent. Cui adsimile est Alexandri responsum, quod Plutarchus in Regum apophthegmatis narrat, qui à familiari quopiam admonitus, vt grauiora subditis tributa imponeret, sic adiecit. *Olitorem odi, qui radicitus olera excindat.* Cui accinit illud Tiberij ex Tyrio Maximo 13. sermone Philosophico. *Boni pastoris est pecus tondere, non deglubere.* Subdit Salomon:

[Margin notes: Ezech. 26. — 34 — Isaie. 6. — Galenus. — Plutarch. — Tyr. Max. — 258.]

Et qui vehementer emungit, elicit sanguinem, hæc de puniendis, coërcendisque delictis capranda sunt, quasi dicat. Sicut qui nasum leniter emungit sordibus; ac fæcibus illum purgat, qui autem eundem vehementiùs exprimit, sanguinem excutit: sic Princeps, qui subditos lentiùs coërcet, mores eorum corrigit, & rempublicam delictorum fecibus perpurgat: quod si eosdem seuerius, quàm par est, suppliciis, atque minis cogit, illorum animos proritat, & bellis, seditionibus, ac sanguine omnia complet. Itaque docet Salomon subditorum liberos mores leniter, ac clementer esse compescendos, ne dissolutioni fiat locus: sed tamen sæuitiam, crudelitatem erga eosdem omnino cauendam, ne grauius indignentur, &c. Subdit:

Et qui prouocat iras, producit discordias. Nimirùm Princeps qui seueritate subditos premit, eorumdem aduersum se concitat furorem, &c.



CAP. XXXI. SALOMONIS.

1. *ERBA Lamuelis regis. Visio, qua erudiuit eum mater sua.* 2. *Quid di-*
lecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum? 3. *Ne*
dederis mulieribus substantiam tuam, & diuitias ad delendos reges. 4.
Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est
vbi regnat ebrietas. 5. *Et ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum,*
& mutent causam filiorum pauperis. 6. *Date siceram mærentibus, & vi-*
num his, qui amaro sunt animo. 7. *Bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non re-*
cordentur ampliùs. 8. *Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt.* 9.
Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & iudica inopem & pauperem. 10. *Mulierem for-*
tem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. 11. *Confidit in ea cor viri sui,*
& spolijs non indigebit. 12. *Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ.* 13.
Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. 14. *Facta est quasi nauis*
institoris, de longè portans panem suum. 15. *Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis*
suis, & cibaria ancillis suis. 16. *Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum*
plantauit vineam. 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.* 18.
Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. 19.
12. *Manum suam misit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fusum.* 20. *Manum suam aperuit*
inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. 21. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis:*
omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. 22. *Stragulatam vestem fecit sibi: byssus*
& purpura indumentum eius. 23. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus*
terræ. 24. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* 25. *Fortitudo &*
decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. 26. *Os suum aperuit sapientiæ, & lex cle-*
mentiæ

mentiæ in lingua eius. 27. *Considerauit semitas domus suæ,& panem otiosa non comedit.* 28. *Surrexerunt filij eius,& beatissimam prædicauerunt;vir eius,& laudauit eam.* 29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* 30. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum,ipsa laudabitur.* 31. *Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera eius.*

---

1. *Verba Lamuelis Regis, visio,qua erudiuit eum mater sua.*

1. Erba Lamuelis, &c.Hebr. *Verba Lamuel Regis assumptio, qua erudiuit eum mater sua.*Pagn. *Prophetia,qua erudiuit,* &c.Chald. *Prophetia,& eruditio* seu *increpatio,qua erudiuit eũ mater sua.* Aquila. ῥήματα γαμμοῦν,idest,*verba Lammun.* Theodot. ῥήματα ῥεβουήλ,idest,*verba Rebuel.*Symmach. λόγοι λάμουη, idest,*Sermones Lamuel.*Est autem hîc למואל *Lemuel,* per Scurech.sed infra *Lemoel*, per cholem.Hanc diuersitatem obseruauit Caietanus, & quo ad sensum nihil interesse dicit. Nam qui in initio superioris capitis semetipsum in prima persona איתיאל *Ithiel*, nũcupauerat, hoc est *mecum Deus*, hîc in tertia vocat *Lemuel*,idest, *cum ipso*,vel *in ipso Deus*, nam *Lemuel* fit ab למו *Lemo* & אל el.Quidã etiam legunt למועל *Lamoel*, quod interpretatur *ipsius Deus* per Kamest & cholem ab למו & אל.Beda verò,Lyra & alij conuertunt;*Cum quo Deus*, sed præferenda est prima lectio.Fere interpretes docent Salomonem eo nomine insignitum à Matre ante lapsum ob propheticum spiritum, per quem Deus ipsi præsentissimè aderat, vel quia valde gratus erat Deo. Adnotat præterea Iansenius id nominis compositum & conflatum videri ex nomine שלמה *Selomo*, sublato ש & addito אל nomine Dei.Ita vt dicamus Bethsabee (vt solemne est matribus cum filiis delitiosè agentibus)nomen illius commutasse, illi nimirum applaudens, atque blandiens,vt placet Hugoni.Ego quidem reor Salomonis hoc nomen magno consilio inditum fuisse, quia vmbra erat, atque figura veri Salomonis Christi,qui propriè *Lemuel*,idest,*in ipso Deus.*Septuaginta interpretes nomen hoc dissoluerunt, nam sic conuertunt.*Verba mea dicta sunt à Deo, Regis admonitio, quem erudiuit mater sua.* Itaque non vnum aliquod nomen proprium existimarunt esse *Lemuel*,sed propositionem,ac nomen Dei.

Visio. Hebr. משא *Masa* fluit à radice נשא *Nasa*, quæ significat *portare & eleuare*. Itaque *Masa* propriè *onus*,ac *pondus* notat:sumitur verò passim in scriptura pro vaticinio, & Prophetia. Ergo aliqui hîc oneris significationem obseruantes putant notari seueriorem aliquam correptionem matris, alij non ita, sed Prophetiam & visionem,Chaldæus verò vtrumque complexus est, habet enim. *Prophetia, & correptio,qua erudiuit eum mater sua*,Symmachus. *Assumptio,qua erudiuit*,&c. Aquila *Pondus.* Diuus Ambrosius ad virgines. *Admonitio,qua erudiuit*,&c.Sed expendamus singula.

2. *Verba Lamuelis Regis*,non quidem ab ipso primum dictata, sed recitata & relatã,vt à matris ore didicerat. Huius quidem orationis, quam ad filium habuit Bethsabee, non vnam causam offerunt Hebræi. Alij enim dicunt,vel potius fabulantur,Salomonem cùm in prima nocte nuptiarum,quas cum Pharaonis filia copulauit ex conuiuio geniali mero incaluisset, ac nouis amoribus lasciuiret;in thalamo ad multam vsque diem hæsisse. Hæc autem Regis iners indulgentia in causa fuit,vt hora sacrificij matutini præteriret, atque hostiæ solemnes non persoluerentur.Nam claues templi erant sub ceruicali Salomonis,atque adeò sacerdotibus aditus præclusus fuit Eapropter,inquit, mater filium suum increpauit, & seuerius monuit obiiciens libidinem, & crapulam, de quibus postea sermo est. Sed quis non videat hoc aliis Rabinorum figmentis prorsus adsimile esse? Aptius,ac verisimilius alij etiam Hebræi docent Salomonem patre demortuo, vt erat liberali ingenio & moribus ingenuis,vt matri pro adepto sibi regno gratiã referret,eidẽ significasse,vt quidquid vellet nihil non exoratura postularet;ipsã verò his verbis occurrisse, quibus adstruit nihil gratius sibi à filio præstari posse quàm vt libidinem, atque crapulam caueret. Cæterùm frustra ad hæc commenta confugimus,cùm sit obuia satis huius orationis causa.Puta ergo studiosam & solicitam de filij educatione Bethsabee hæc ab ineunte ætate Salomoni monita sæpius dictasse, atque inculcasse, vt altius illius animo infigerentur,quæ adeò memoriæ illius adhæserant, vt ea iam prouectus repeteret. Nec insolens Salomoni sententias à Matre olim acceptas in librum istum referre:nam supra cap.4. vers. 3.sic fatur.*Nam & ego filius fui patris mei tenellus. & vnigenitus coram matre mea, & dicebat:Suscipiat verba mea cor tuum*,&c.Vide quæ in eum locum coniecimus. Hugo Cardinal. existimat hoc prius Hemistychium, *verba Lamuelis Regis*, non à Salomone conscriptum,sed ab instauratore sacrorum librorum Esdra in titulum capitis præfixum,deinde in textum relatum.Non inficior in antiquis codicibus hæc extra textum in fronte capitis adscribi; sed tamen postquam correctiora Clementis Biblia reliquo textui inseruerunt, haud dubitandum est à Salomone pronuntiata.Itaque ait.

Verba Lamuelis Regis, Visio qua erudiuit,quasi dicat,ea, quæ hactenus adscripsi mea sunt, sed tamen 3.
illa potissimum mea esse iudico, quæ à matre accepi; nam præstantissima patrimonij pars, quam parentes in filios transferunt,sunt monita & adhortationes salubres.Et quidem cum doctissimus,ac sapientissimus vulgo habear,haud piget meo nomine matris consilia proferre, quæ nimirum fœminæ captum exuperant, & sapientissimo viro digna sunt. Et quidem si vera est Hugonis sententia,illud nomen *Lamuel* Salomoni à matre inditum fuisse cùm illi adhuc paruulo blandiebatur & indulgebat, accommodatè hîc additum est,cùm Salomon ea recenset,quæ mater illi blandiens & applaudens dicebat.Interim autem cogita illius Heroinæ seueros mores,quæ inter blanditias tam seria monita miscebat: imò hæc & non alia erant illius blandimenta & plausus, quibus filium delitiosè fouebat.Discite matres adblandiri filiis,neu vestris delitiis remollescant & illiquefiant. Ad hæc, acerbæ quædam,& rigidæ nimium matres quæ filios suos passim diabolo, ac diris deuouent, animaduertant quonam nomine Salomonem paruulum compellare solita erat, etiam cùm increpabat & corripiebat, *Lamuel*,scilicet.i.*cum ipso Deus*,quod perinde est ac si diceret, *Valate Dios:* quia verò mater id nominis passim vsurpat, inde factum vt Salomon illud

cognominis

cognominis loco ferret, ita vt vulgò *Lamuel* à pueritia vocaretur.

4. *Visio, qua erudiuit eum mater sua.* Nomen visionis *Vaticinium*, & Prophetiam sonat, quapropter dubiũ est an Bethsabee fuerit prophetissa, & vatidico spiritu afflata, negant expresse Caietanus & Arboreus, ex quibus Caietanus asserit fieri quidem potuisse vt hæc à Nathan Propheta accepta mater filio denuntiaret, ac auferret. Arboreus autem nomine Prophetiæ, ac visionis, non oraculum aliquod, sed piam, & spiritualem doctrinam ad mores informandos idoneam significari vult (vt passim aliàs in scriptura.) Iansen. vero, cui hæret noster Ioannes Pineda, fatentur Bethsabee Prophetiæ dono illustratam fuisse, atque ex hoc loco satis efficaciter colligi eam ex diuino afflatu præuidisse futuros deinde Salomonis amores & turpem libidinem, atque illum iam inde à puero aduersus eam pestem salutaribus documentis munire cœpram: & quidem huic sententiæ non aduersor. Mitto Bedam, Hugonem, & Glossam, qui totam hanc orationem Bethsabee adimunt gratiamque matris nomine ad ipsum loquentem induci volunt, hæc enim planè accommodatitia sunt. Magis enim placet Rodolph. consilium, qui docet Salomonem his verbis insinuere voluisse, quanti apud ipsum esset matris doctrina; tanti enim se illam fecisse dicit, vt Prophetiæ & oraculi loco duceret, propterea addit. *Visio, qua erudiuit eum mater sua.* Et sane parentum monita filiis pro oraculis esse debent, nam per ipsorum ora Deus ad illos loqui, & certissima responsa reddere solet. Subest Platonis sententia in Dialog. 11. de legibus. *Cuius pater*, inquit, *vel mater confecti senio, quasi thesaurus quidam domi iacent, is putet nunquam aliud sibi tale simulacrum magis efficax domui sua affuturum si rectè & vt decet ab eo colitur.* Quę verba sic accipio, vt parentes senes ad instar simulacrorum obtinere dicantur, quos filiis consulere liceat, atque ipsi vicissim oracula & responsa eisdem fundere soleant. Aliter etiam nomen *visionis*, ac Prophetiæ exponi potest in vniuersum pro re certissima & verissima, quemadmodum vulgo dici solet de re aliqua indubitata. *Esto es el euangelio.* Sic Salomon parentis suæ documenta propter constantissimam certitudinem visionem, ac Prophetiam appellauit, etiamsi mater nusquam prophetico spiritu afflata fuerit. Adhæc dici posset, hanc Bethsabee orationem Prophetiæ, visionis nomine donatam à Salomone, non vtique quia mater ex diuino afflatu tamquam prophetes vsquàm loquuta fuerit, sed quia id, quod reipsa futurum erat attigit, vt vulgò etiam dici consueuimus, cùm aliquid à quopiam nobis ante denuntiatum contigit. *Esto me prophetico fulano*, non ita vt illum prophetico spiritu diuinasse credamus, sed quia illius coniectura & suspicio vera euasit. Non aliter Salomon videns, ea quæ sibi iam inde à puero à matre documenta, & monita seriò tradita fuerant, ad ea maximè spectasse crimina, in quibus postea deliquit, scilicet ad mulierum turpem amorem, vini & epularum intemperantiam; isthæc documenta visionem, atque Prophetiam appellat.

5. Quod si pro *visione onus* legas, vel *pondus*, hæc enim est altera significatio, quę subiicitur voci *Masa*, seueram matris correptionem significabit, quã Bethsabee ex materna licentia in illum animaduertisse credendum est, iam tunc cum turpi mulierum amore flagrare & vino epulisque solui cœpit, tunc enim maximè opportuna erat hæc increpatio quæ meritò *onus* appellatur, vel *pondus*, quia nimirum grauis admodum fuit, atque seuera. Sed licet hæc non ineptè dicta sint, tamen præferenda est illa interpretatio, quam supra dedimus c. 30. ver. 1. vbi germanam causam obtulimus, propter quam Salom. in superiori capite, *Congregantem*, atque in hoc *Lamuelem* inducit verba fundentes: lege etiam plura de hac re in Isagoge huius commentarij.

---

2. *Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum?*

QVid dilecte mi, &c. Hebr. *Quid fili mi, quid fili vteri mei, quid fili votorum meorum.* Chald. *Quale va fili mi? ve? fili vteri mei, va fili votorum meorum.* Sept. *Quid fili seruabis? quid dictiones Dei primo genite tibi dico fili, quid fili mei ventris? quid fili mearum orationum?* 6.

Vti horum verborum vis melius capiatur singula enucleanda sunt. *Quid dilecte mi?* profectò circa illud *quid*, ter repetitum, non vna interpretum mens, nam cùm verbum aliquod supplere oporteat, alij aliter decernũt. Ergo ex his, quos supra adscripsi, quotquot sentiunt Salom. matri amplam quidlibet petẽdi copiam fecisse, addunt illam sic respondisse. *Quid dilecte mi?* quid inquam petam à te fili amantissime? per illam verò repetitionẽ inducitur Bethsabee quodammodo addubitans, quid potissimum à filio expeteret, absoluit autem ea deprecans, quæ ipsi filio maximè salutaria fore putauit. Secundo alij sincerius edisserunt. *Quid dilecte mi?* quid scilicet dicam tibi? Illud verò *quid* ter propterea vsurpatum fuisse dicũt, quia triplex eidem consilium præbere decreuerat: Primum de libidine fugienda, secundum de ebrietate vitanda, tertium de iniuria proximo non inferenda. Tertio alij illud *quid* vocem esse dicunt excitantis, & ad audiendum comparantis, quasi dicat *Hem*, vel *heus dilecte mi.* Et quidem si dicamus hæc verba esse matris Salomoni adhuc tenello adblandientis, placet hæc extrema obseruatio: Sin verò ad correptionem, & increpationem esse affirmemus, qua mater iuuenem iam & luxui habenas laxantem coërcuit, sanè illud *quid* minas cohibere existimo, ac si dicat, quid de te sperem fili mi? idest, mali aliquid ominor. Chald. id expressit, qui sic habet. *Quale va fili mi? va fili vteri mei*, &c. idest, *Que sera deti hyo mio Ay deti hijo de mis entrannas.*

7. *Dilecte mi.* Hebr. ברי *Beri.* Pagninus admonet in quibusdam codicibus legi, *Electe mi*, idque propiùs ad origines accedere, nam בר *Bar* potest esse Benoni, à verbo ברר *Barar*, duplicante secundam, quod significat *eligere, mundare*, itaque *Bar*, est electus, mundus & purus. Item בר *Bar*, cum nomen substantiuũ est, *filium*, sonat, vt obseruauit D. Hieron. ad illa verba Ps. 2. *Apprehendite disciplinam*, vbi sic ex Heb. cõuertit, *osculamini filium*, communiter autem ex Hebræis aliqui inter בר *Bar* & בן *Ben*, hoc interesse dicunt, quod *Ben*, quemlibet ex filiis notat, *Bar* autem eum tantummodo, qui præ cæteris electus, atque dilectus est; quapropter accommodatè interpres noster conuertit hîc, *Quid dilecte mi*, aptè n. mater dilectum eum appellat, quem ante alios omnes filios, quos ex Dauid susceperat adamauit, adeò vt reliquis posthabitis illum ad regni fastidium euehendum curauerit. Quod si verbum illud *Bar*, sit participium à radice *Barar*, vt nuper obseruaui, atque adeò cõuertas. *Quid electe mi?* aut *quid munde mi?* sensus etiam erit cohærens, ita vt electum mater vocet illum, quem præ cęteris adamatum delegit, vt patri successorem offerret. Vel appositè ad ea documenta, quibus illum imbuere decreuerat, *mundum purumque*, illũ iterũ, atque iterum vocat, quasi dicat, ô pure adhuc & immaculate adolescens, *ô pure vteri mei*, &c. qui scilicet eam adhuc munditiem seruas, quam ex vtero matris traxisti,

traxisti, & quam egomet tibi votis & orationibus meis impetraui; ne committas vt hanc puritatem, & munditiem contamines, & commacules. *Ne tradideris mulieribus substantiam tuam*, &c.

8. *Quid dilecte vteri mei?* Sunt qui nomine *vteri* viscera in vniuersum notari existiment, quasi dicat, quid dilecte viscerum meorum? idest, quem totis visceribus amplector, eo sensu, quo Paulus in Epistola ad Philemonem, Onesimum seruum sua viscera appellat cum ait. *Suscipe mea viscera*. Reliqui existimant Bethsabee filio obiicere tempus, quo illum in vtero gestauit, atque dolores, & cruciatus, quibus illū tandem enixa est, vt ipsum magis sibi deuinciat, & obsequentiorem reddat, quod satis solemne est matribus. Machab. 2. c. 1. Mater septem filiorum, ad vnum, qui sex iam interfectis superstes erat sic orationē habuit. *Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi*, & apud alios similia passim legas. Ad hęc noster Pineda in suo Præuio Salomone lib. 1. c. 6. ex hoc loco colligit Bethsabee Salomonem non peperisse tantùm, sed etiam aluisse, ac propriis vberibus lactasse, nam cap. 4. *se vnigenitum & tenellum coram matre* sua fuisse dicit, idest, non amandatum & nutricibus traditum, sed matris semper in gremio reptasse & in oculis fuisse. Hoc autem, inquit, propterea asserendum est, vt illa indulgentiæ plena blandimenta meritò vsurpare posset Bethsabee. *Quid dilecte vteri mei? quid dilecte votorum meorum?* adi ipsum; constat enim non pauca in eam sententiam.

Paulus. *Machab.* *Pineda.*

9. *Quid dilecte votorum meorum?* Non eodem modo hæc verba exponi consueuerunt. Iansenius, dilectum seu filium votorum à matre cōpellari propterea dicit, quia mater omnia sua vota & desideria in illum vnicè intenderat, ita vt de nulla alia re, præterquam de salute, fortuna & fœlicitate illius sollicita esset. Rodolph. aliter atque aliter exponit. Itaque filium votorum dictum censet, vel quia antequam illum conciperet, aliquod votum Deo nūcupauerat, vt probum & sapientem filium ab ipso obtineret; vel quia votis omnibus ac desideriis expetitum regnum à patre illi impetraret. Caietanus hæret Rodolpho, & priorem illius interpretationem sic illustrat. *Fili votorum meorum*, idest, tot votis, ac desideriis expetitus, vt non sis minus desideriorum meorum filius, quàm vteri mei, vtpote quem animo magis, quàm corpore enixa sum. Beda autem sic legisse videtur. *Quid electe votorum meorum?* Quam lectionem apud veteres in vsu fuisse nuper admonui. Explicat autem hunc modum, fili mi, qui electus demum es, ad hoc, quod ego tibi tota deuotione desiderabam & deprecabar, scilicet in regnum. Alij demum *dilectum votorum*, hoc sibi velle dicunt, idest, quem non modo vti mater filium adamaui, sed etiam vt amica amicum suum? his enim de more erat, pro salute illorum, quos impensè diligebant, vota & victimas Deo exoluere, vnde amatrix illa fœmina supra cap. 17. sic ad iuuenem, cuius amore flagrabat. *Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi vota mea.* Nec insolens hæc sententia apud parentes, atque filios, nam apud Homerum Hecuba Hectorem filium sæpe amicum compellat, atque ipsi vicissim matrem amicam dicit, vt obseruat illius Scholiastes.

Rodolph. *Beda.*

10. Placet nihilominus coniectura nostri Ioan. de Pineda in Salom. l. 1. c. 6. qui docet Bethsabee, quæ viderat priorem filium ex adulterio susceptum paulo post lata sententia interiisse, timore maximo perculsam fuisse ne secundus filius simili sententia decederet, atque adeò pro illius salute & incolumitate sollicita mente vota Deo nuncupasse, & preces fudisse; eapropter illum filium votorum suorum appellat, id est, quem non solum ex vtero editum pepererat, sed indies etiam votis, ac precibus quodammodo reparturiebat. Huc spectat lectio Sept. qui habent. *Quid fili mearum orationum?* Itaque Salomon orationum filius dicitur, siue quia precibus illum mater à Deo obtinuit, siue etiam quia editum iam in lucem mater precibus à præcoci morte vendicauit, siue etiam quia regnum, sapientiam, & probos mores eidem mater precibus suis exorauit. Quapropter affirmare licet Orationem vna cum Bethsabee Salomonis matrem fuisse, aut etiam commatrem, sic enim in Hom. de Anna, & Samuele Chrysost. asserit Orationem in procreando, alendo & educando Samuele, *Annæ commatrem* extitisse.

Pineda.

Sed tamen quæres an Salomon filius orationum dici queat, sicut Samuel, Isaac, Ioannes Baptista & alij, quos quia ab infœcundis, & sterilibus parentibus procreati sunt, filios orationum vocat Ambros. in 1. cap. Lucæ? Et quidem Rupertus Bethsabee in sterilium fœminarum censum refert, nam in c. 2. Matth. sic scribit. *Septem matres fuisse steriles sacra scriptura memorat, Saram, & Rebecam, Rachel, & eam, quæ peperit Sanson, Annam matrem Samuelis, Bethsabee quæ fuit mater Salomonis & Elizabeth, quæ peperit præcursorem Domini: qui ex istis nati fuerunt, magni fuerunt, & in plerisque (vt iam dictum est) admirabiles quasdam similitudines Domini prætulerunt, de virginitate nascituri, quæ naturaliter sterilis est, & non parit, videlicet Isaac & Iacob, Ioseph & Sanson, Samuel & Salomon*, hæc ille. Cui adstipulatur Dionys. 2. Reg. 11. ad illa verba. *Sanctificata est ab immunditia sua & dixit, concepi.* Liberata (inquit Dionys.) ab sterilitatis & infœcunditatis opprobrio, quia hactenus filium minimè genuerat. Dubitationem hanc versat pater Pineda in cap. 7. eiusdem libri, ac demum Bethsabee sterilem minimè fuisse decernit; imò tantum ab sterilitate abfuisse, vt ex primo Dauidis concubitu conceperit, ego libenter subscribo: non enim adduci possum, vt credam, primum Bethsabee partum ex adulterio susceptum à Deo fœcundationis miraculo honoratum. Illa autem verba. *Sanctificata est ab immunditia sua*, alium sensum reddunt, significant enim mēstruum profluuium illi defuisse, quod vbi experta est statim dixit, *concepi*, nullum enim fœminis concepti fœtus certius argumentum esse consueuit, quam menstrui fontis defectio. Quod autem *sanctificata* dicitur, perinde est ac purificata à sordibus menstrui, nam *sanctifico*, non semel in scripturis idem est, quod *purifico*, secundi Paralipom. 15. *Sanctificamini cum fratribus*, ad Hebr. 9. *& inquinatos sanctificat*, idest, *purificat*, & alibi. Quapropter cùm Salomon *filius orationum* appellatur, non est sensus ipsum ab sterili matre per orationes conceptum, sed multis aliis modis ab eadem matre orationibus ac precibus tum natum, tum etiam seruatum, vt ad regnum capessendum veniret.

Ambros. *Rupertus.* *Dionysius.* *Pineda.* *Paralip.* *Paulus.*

---

3. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & diuitias tuas ad delendos Reges.*

NE dederis mulieribus, &c. Hebr. *Ne dederis mulieribus robur tuum, & vias tuas ad delendum Reges*. Chald *Ne dederis mulieribus fortitudinem tuam, & vias tuas filiabus Regum*. Sept. longè aliter. *Ne dederis mulieribus diuitias tuas, & mentem tuam, & vitam in seram cōsilij mutationē*, sic habet correctior textus, Grecè εἰς ὑστεροβουλίαν. Complut. & Reg. *in pœnitentiam*, accinit Theod. εἰς μεταμέλειαν, i. *in pœnitentiā*, idem verò Theod. Aquil. & Sym. priora verba sic extulerunt. *Ne dederis pecunias tuas mulieribus*. Quomodo autem eiusmodi 11.

eiusmodi lectiones cum originibus cohæreant, deinde subnectam.

Caiet. Ian. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam*, Caiet. & Ian. affirmant satius esse *robur* quam *substantiam* reddere, & Vulgato interpreti tam in hoc, quàm in sequenti Hemistychio oblatrant. Sed vtrobique aberrant, & Vulgati mentem non tenent. Hic enim cùm vox originalis ambigua esset, atque diuitias & robur ex æquo significaret, vocem similiter ambiguam, & ancipitem addidit quæ pro diuitiis & pro ipso corpore, aut corporis robore sumi solet; talis enim est *substantia*. In quo superat Sept. interpretes, qui habent σου πλοῦτον, idest, *tuas diuitias*. Ergo vocem ambiguam, & ancipitem duplicem ad sensum vocant interpretes: alij sic exponunt. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam*, ne scilicet opes tuas & facultates regias mulieribus impendas; nam quamlibet regiæ sint, & immensæ, tamen ocyus exhaustis thesauris deficient; nam fœminarum quoque immensa auiditas est; sed hac de re non semel supra cap. 6. 7. & 9. frustra hîc multis. Secunda expositio est. *Ne dederis*, &c. id est, ne immodico, ac intemperanti veneris vsu corpus conficias, & vires labefactes tuas. Vide etiam plura de hoc argumento supra c. 5. v. 9. 10. & 11. *Et diuitias tuas ad delendos Reges*. Carpunt similiter hanc le-

12. Caietanus. Iansenius. ctionem Caiet. & Ian. & eam præferunt, quæ respondet originib. nimirum, *& vias tuas*, &c. sed tamen eam retinet correctior codex, & nihil omnino absurdi cohibet, nec sensum euariat. Ergo prima interpretatio sic habet, Ne diuitias & thesauros tuos in bella conferas & ad euertendos finitimos Reges his abutaris. Et quidem aptè consuluit mater filio regnare tunc inchoanti: nam primum regnare incipientium consilium esse solet de regno & ditione amplificandis, præsertim eorum, qui thesauros & copias non vulgares à parentibus acceperunt. Cum igitur Salom. ingentes à parente Dauid thesauros accepisset, sapienter admodum Bethsabee id consilij filio suo dat, neu de bellis, aut debellandis Regibus statim cogitet, sed consilia sua, & rationes, ad quietem, pacemque traducat, vt verè *Salomon*, idest, *pacificus* existat. Itaque Salom. eam pacem, quam toto regni sui tempore tanto studio amplexus est, parentis suæ consiliis tribuit.

13. Secunda interpretatio per Reges accipit eos, qui Regi à consiliis sunt & administrationi publicæ dant operam, qui cum ipsius Regis personam vbique sustineant, non immeritò Regum nomen ferunt. Sic autem verba edisserit, & cum superioribus nectit, *Nec diuitias* (seu vias) *tuas ad delendos Reges*, ne scilicet libidini obsequaris, & mulierũ amore colliquescat. Etenim Rex cum sis exemplo tuo plurimum aliis nocebis, & eos vel maximè euertes & in tuos mores traduces, qui tecum quasi corregnant, nimirum proceres, & cõsiliarios tuos: hi enim sese ad Regum mores plerumque effingunt, & eorum viuendi rationem imitantur. Sed tamen huic expositioni non acquiesco, vim enim non paruam verbis ipsis afferre videtur.

14. Aben-Ezra Iansenius. Rodolph. Subiicio tertiam, quam ex Rabi Aben-Hezra petitam tradunt, & præferunt Ian. & Rodolph. *Nec vias tuas ad delendos Reges*. Noli, inquam, mulierum amores sectari, ne inquam actiones tuas, & instituta ad ea conuertas, per quæ maximè Reges, & regna pessum ire solent. Itaque vias tuas dare ad delendos Reges, inquit Abẽ-Hezra, hoc sibi vult, sectari. s. eos mores, & consilia, quæ maximè Reges perdere solent, & regna euertere: hæc autem sunt libido & amor impensus fœminarum, quæ præ cæteris Reges à publica, administratione & negotiis agendis auertere & ad inertem quandam ignauiam & inertiam traducere solent. Ex tribus autem expositionibus sanè mihi prima ante alias probatur, quia melius cum Vulgata lectione concinit, hæc autem tertia minimè displicet, iuxta quam emphasim habet verbũ originale למחות *Lamechoth*, est enim à radice מחה *Machah*, quæ significat *abstergere* aut *detergere*, & teste Dauid in libro radicum, propriè dicitur, aut de calice, qui ad fundum vsque exhauritur, aut de tabula literis exarata, quæ conuerso stylo deletur. Patet hoc ex illo loco 4. Reg. 21. quem D. Hieronym. sic extulit. *Delebo Hierusalem sicut deleri solent tabulæ, delens vertam & ducam sæpius stylum super eam*. Alij verò ad alteram 4.Reg.4. significationes referentes sic conuertunt. *Et abstergam Hierusalem, quemadmodum abstergit quispiam calicem, qui abstersit, & vertit super faciem eius*. Ergo si illud ad delendos Reges ad priorem referas significationem, talis euadet sensus, fuge amorem mulierum, & molles effœminatosque mores, qui eiusmodi sunt, vt Reges de Regum, ne dicam de virorum catalogo deleant. An non Herculem, Sardanapalum, & Neronem venus & mollities de virorum catalogo deleuit, & in fœminarum album retulit? quos constat, velut demutato sexu inter mulieres ingloriè admodum aliquando consedisse, atque colis fila duxisse. Quod si ad posteriorem significationem referamus, sic sententia conformanda est, caue fœminarum amores, qui tales sunt, vt vel Reges ipsos rerum potientes non aliter copiis omnibus exhauriant, quàm cùm calix aliquis ad fundum vsque vacuatus, & detersus super faciem vertitur suam. Et sanè hæc posterior expositio aptiùs congruit cum vulgato textu, qui ait, *Et diuitias tuas ad delendos Reges*, ne scilicet copias tuas dilipes, & in meretrices effundas, id enim satis est ad Reges ipsos copiis, ac fortunis omnibus priuandos, & thesauros eorum penitus exhauriendos.

Adest tamen lectio Septuaginta, quæ difficilè admodũ ad Hebraicos fontes reuocari potest. Sic enim 15. extrema verba extulerunt, *Et mentem tuam & vitam in seram consilij mutationem*. Accipe hac de re meum consilium: sanè in Hebræo sic habet למחות מלכים ודרכיך *vderabecha lamechõ malechim*, quæ ad verbum sic habent. *Et vias tuas ad delendum*. posterior autem vox *malechim* duplici modo verti potest, vel ita vt sit subiectum illius gerundij *ad delendum*, hoc modo, *ad delendum Reges*, vel ita vt per gignendi casum efferatur hoc modo, *delendum Regum*, & participium habeat vicem nominis, quod Hebræis insolens non est: quasi dicat, ad deletionem, vel obliterationem Regum: sensus autem efformandus est iuxta ea, quæ nuper diximus de conuersione styli ad delẽdas vel eradendas tabulas, quod verbum *Macham*, genuinè notat: itaque ait. Ne vias illas, atque viuendi rationes, ineas, quæ cogunt Reges stylum vertere, idest, sententias mutare, ducta metaphora ab his, qui quod semel in cereis tabulis exararunt, conuerso stylo detergunt. Ergo Septuaginta metaphoram soluentes, sic expresserunt. *Et mentem tuam, & vitam in seram consilij mutationem*, supple, *non des*. Congruit autem optimè cum priori parte. *Ne des pecunias tuas mulieribus*, ac si dicat, ne copias, & fortunas tuas meretricibus addicas, nam decoctis facultatibus te sera tandem pœnitentia capiet, sic enim libidinosis omnibus euenire consueuit. Exemplo sit iunior ille, qui vbi totam substantiam luxuriosè viuendo liguriuit, tunc demum *ad se reuersus dixit. Quanti mercenarij* Luc.15. *in domo patris mei abundant panibus?* Item supra idem Salomon iuueni luxurioso seram pœnitentiam adscribit. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli: ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis* quando

quando consumpseris carnes tuas, &c.En seram deuoratis facultatibus & consumpto patrimonio resipiscentiam.Et quidem ferè ita accidit, vt hi libidinibus mancipati homines non prius resipiscant, quàm consumptis fortunis paupertas, fames, atque ipsarum fœminarum repulsa illos menti reddit, & sanitati restituit.

16. Ad extremum subiicio haud disparem difficultatẽ occurrere in translatione Chaldaïca cum originibus consuenda, quæ sic habet. *Ne dederis mulieribus robur tuum, & vias tuas filiabus Regum.* Nisi quis dicat Chaldæum pro למחות *lemechoth*, legisse, לבנות *lebanoth*: aut ex propria coniectura sic restituendum existimasse, quia non satis assequutus est vim textus Hebraïci, & sensum eâ ratione quadrare conspexit, ad hunc modum, Ne mulieres impensiùs adames: sed illud imprimis caue, ne longiùs à finibus Israël excedas, & ad alienigenas transeas, vt filias Regum tibi in coniugium asciscas. Itaque mater consulit filio Salomoni, vt legem eam seruet, quæ prohibet alienigenarum nuptias. Ad alia.

---

4. *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas.*

17. NOli regibus, &c. Hebr. *Non Regum, ô Lamuel, nõ Regum bibere vinum, & gubernatorum non est sicera.* Chald. *Obserua te à Regibus, ô Lamuel, obserua te à Regibus, qui bibunt vinum, & à potentibus, qui bibunt siceram.* Septuag. paulò aliter. *Cum consilio omnia fac, cum consilio vinum pota: potentes iracundi sunt, vinum autem non bibant.* S. Hieron. in c. 5. Isaïæ sic extulit verba Sept. *potentes verò si iracundi sint, vinum non bibant.* Ex his constat extrema nostræ translationis verba, *Nullum secretum est, vbi regnat ebrietas*, lõgiùs abire ab aliis interpretationibus: placet autem coniectura Iansen. qui obseruat vocem רוזנים *Rozenim*, quæ *gubernatores* sonat, aliàs ab interprete nostro ad secretum referri. Isaïæ 40. *Qui dat secretorum scrutatores, quasi nõ sint.* Hebr. *Rozenim*, nesciò an alibi. Addit præterea Vulgatum pro ל *le*, deseruiente, legisse לא *le*, negatiuum, vt crediderit sensum esse, *& nõ secretarij vbi sicera*, quem ipse luculẽtius expressit, *Nullum secretum vbi regnat ebrietas*, illud tamen nõ probo, scilicet cõmutationem deseruientis ל *le*, in לא *lo*, sed superioris clausulæ negationem his repetitam ad extrema verba, ab interprete nostro extensam: est.n. Hebræis perquàm familiare negationem supprimere, ac supplere ex prima quæ præcessit clausula, eiusmodi est illud Ps. 142. *Non auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.* hoc est, *Et non ero similis*, &c. & passim alibi.

Hieronym.

Isai. 40.

Psalm. 142.

18. Huius autem loci non vna expositio. Primo ergo quibusdam placet Bethsabee filio Salomoni id consilii dare, vt suis proceribus, & aliis, quibus ad publicam regni administrationem vtetur, vini vsum interdiceret: putant enim hos Reges appellari, quia Regis personam, & vices agebant. Itaque ait: *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum*, id est, tuos consiliarios à vino penitus abstinere iube: aliter omnes tuas rationes, & arcana consilia in palam dabũt, *nullum.n. secretum vbi regnat ebrietas.* Sanè consilium optimum est, sed expositionem minimè probo: Mater enim filio potius suadet vt temperantiam ipse seruet, quàm vt aliis leges temperantiæ imponat.

Lyra. Iansen. Arbor. Igitur Lyra, Iansen. Arboreus, & alii, per *Reges* Salomonem ipsum vnà cum suis proceribus, ac iudicibus intellexerunt, ad quos ait: Neque tibi, neque tuis

A consiliariis vini plurimum hauriendi dederis, cùm illos fortè conuiuio exceperis: tempera, scilicet tibi à vino, & Principibus tuis eandem temperantiam indicito. Et quia Princeps cum Rege simul affatur, omnes Reges compellat, ita enim omnes à superioris nomine censeri debuerunt. Caietan. & Rodolph. imò etiam Iansen. cùm non satis hæc illis placeant, de Vulgata lectione parum bene sentiunt: itaque sic legendum censent. *Non Regum ô Lamuel, non Regum bibere vinum*, id est, dedecet maximè Reges temulentia, & crapula. Cæterùm cùm nostram lectionem deserere nec fas, nec pium sit: puto quidem Vulgatũ aptissimè conuertisse, nam cùm extremam superioris sententiæ clausulam ad hunc modum extulisset, *Et delitias tuas ad delendos Reges*, Hebraïsmum retinẽs, quod perinde est ac si dicat. *Ne conferas opes tuas ad delendum te ipsum Regem*, per similem Hebraïsmum sequentem versum extulit dicens, *Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum*, id est, tibi ipsi Regi plurimùm vini ministrari vetato, præsertim cum tam sit familiare linguæ sacræ numeros multitudinis pro singularibus vsurpare. Sed expendo iam singula.

Caiet. Rodolph.

B

Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, tunc cùm filium à vino temperare sibi iubet Bethsabee, nomen Lamuelis resumit, id est, *cum ipso Deus*, vel *ipsi Deus*, vtrumque enim siue hoc, siue illud, Regem abstemium esse oportere demonstrat. Itaque 19.

C mater vini temperantiam filio suadet duplici nomine, & quia Rex, & quia Lamuel: Regem enim cum primùm dedecet vinolentia. Inter alias leges (auctor est Laërtius) quas Solon tulit Lacedęmoniis altera sic habebat. *Princeps si deprehendatur ebrius, morte mulctetur.* Item Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 11. tradit apud Indos lege similiter cautum, *Vt concubina, vel alia quælibet mulier Regem temulentum occidens, hoc donaretur munere, vt successori nuberet.* Quantùm verò ex Principis ebrietate periculi immineat, vnus confirmat Alexander Magnus, qui inter ipsa pocula Clitum clarissimum sibi ac fidelissimum hastâ transfodit, quo facinore intellecto propè fuit vt sibi etiam ipsi manus afferret. Vnde August. ad sacras Virgines de hac Alexandri intemperantia sic scribit. *Innumerabiles quidem iugum dominationis diu recusantes vi-*

Solon.

Alex. ab Alex.

Alexand. Magn.

Augustin.

D *nolentia in alienum redegit arbitrium. Alexander omnium victor à vino victus est.* Seneca verò in epist. 28. de eodem Alexandro. *Alexandrum, inquit, qui tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per qua victa temporum ac locorum difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, totque maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac facilis scyphus summersit:* quasi diceret, *El que auia passado tantos rios, y tantos mares se vino achogar en vna taza de vino.* Et quidẽ cyathus vino plenus, pelagi turbulentissimi vndas imitatur: vnde non ineptè antiqui Græci maximos quosdam scyphos *Thetides*, id est, maria appellabant, vt tradit Athenæus lib. 5. cœnarum. *Maria* inquam, in quibus plura quàm ipsissimo in mari naufragia

Seneca.

Athen.

E euenire consueuerunt. Ad id spectant illa verba Salomonis sup. c. 23. *Ne intuearis vinũ*, &c. *Et eris sicut dormiẽs in medio mari, & sicut gubernator amisso clauo.*

Sed tamẽ elegantissimè de Principis ebrietate Plato dialogo tertio de Republ. *Ab ebrietate itaque omnibus diximus abstinendum: sed tamen cùm alij, tum maximè custodi non conceditur, vt ebrietate grauatus vbi terrarum sit nesciat. Nẽpe ridiculum esset custode indigere custodem.* (Nota est acceptio custodis apud Platonẽ pro supremo Principe.) Addit præterea eiusmodi custodes, vel ex eo abstemios esse oportere, quia athletæ quidam sunt, hi autem à vino, & crapula magnoperè sibi cauebant, putabant enim his vires, 20.

Plato.

atque lacertos elidi: sic autem scribit. *De his verò quid dicemus? Athletæ quidem hi viri sunt & maximi quidē certaminis. Nonne, maximè quidem.* nimirum quia secum, & cum vitiosis omnibus decertant. Adhæc alio ex capite id comprobat, quia scilicet ebrii crapulam edormire solent. Custodes verò insomnes esse oportet, *At verò*, inquit, *somnolenta est ebrietas, & ad valetudinem dubia. An non vides quod vitam totam edormiunt?* Et post pauca. *Ergo dedecet ebrietas hos bellicosos athletas, quos velut canes insomnes esse oportet, & acutissimè videre atque audire.* Ad extremum Basilius Imperator capita quædam exhortatoria Leoni filio dictauit, quæ habentur in 5. to. Bibliot. PP. in his autem cap. 25. de luxu, & ebrietate sic scribit. *Refuge comessationes, in quibus indulgetur poculis, ebrietas enim inimica est prudentiæ. Vbi enim mens à vino opprimitur, idem contigit Principi, quod imperitis aurigis, qui cùm regere currum nesciant, & se, ac suos equos hùc, atque illùc circumagunt & spectatoribus magnos risus excitant, ac denique in præcipitia feruntur.* Hæc ille.

Basil.

21\. Rursus alio nomine mater vini abstinentiam Salomoni filio suadet, quia *Lamuel* est, id est, *in ipso*, vel, *cum ipso Deus*, atque Deus ab ebriis quàm longissimè abest. Sanè Basilius infra ebrios cum his, qui à dæmone obsessi sunt componit. August. in serm. 24. de tempore ipsammet ebrietatem *blandum dæmonem* appellat. Clemens Alex. in Pædag. ebrios, & gulosos cum pythonibus ventriloquis comparat, nimirum cum his, ex quorum ventre diabolus oracula, & responsa refert. Chrysost. hom. 1. ad Popul. *Ebrius*, inquit, *dæmon est voluntarius, mortuus, animatus*, &c. Cùm igitur in temulentis diabolus tot nominibus adesse, & præesse dicatur, vtique Deus in ipsis manere non potest. Vnde Basil. in orat. 16. de ingluuie & ebrietate sic assuit. *Ebrietas Dominum non suscipit, Spiritū sanctum depellit: nam vt fumus fugat apes, sic crapula dona fugat Spiritus sancti.* Merito ergo Bethsabee, vt filium ab ebrietate deterreret *Lamuelem* appellat, scilicet *in quo est Deus.* Quod si etymologia huius nominis sit *ipsius Deus*, vt supra animaduerti, id etiā temulentiæ aduersatur: nam vt Princeps erga suos Deus quodammodo sit, ac numen propitium, Duo præcipit Anonymus ad illa verba Psal. *Quoniam dij fortes terræ*, &c. scilicet, vt quemadmodum Deus vbique locorum præsens est: sic etiam Princeps vbique adsit, & totam quodammodo Rempublicam compleat: atqui ebrius, vt ait Plato supra, *Vbi terrarum sit, nescit*, imò nullibi gentium est, nec secum ipse. Secundo Princeps Dei prouidentiam erga suos imitari debet: quid autem magis vel improuidum, vel incautum, quàm temulentus?

Basil. August. Clem. Alex. Chrysost. Basil. Plato.

22\. *Quia nullum secretum vbi regnat ebrietas*, accōmodatè sanè vsus est Salomon verbo illo, *Regnat.* nam cùm Princeps vino deditus est, non tam ipse, quàm merum & ebrietas regnat. Vinum quippe ebrium, atque omnes eius actiones moderatur. Hùc spectat D. Basil. in orat. de ingluuie, cùm ait, *Cùm enim multum meri infusum fuerit, quasi tyrannus quidam arcem petit, & à summo vertice ingentes tumultus animæ præbet, nulli rei, ne principali quidem parcit, sed ipsam primum rationem in seruitutem addicit. Propter hoc Dynastæ, inquit, ne bibant vinum.* Quibus verbis vini in hominem tyrannicum imperium describit, & planè ad hunc Salomonis locum alludit.

Basil.

23\. Quod autem ebrietas omnis secreti, & arcani violatrix sit, passim legas. D. August. ad sacras virgines. *Ebrius vultu deiecto supinus accūbit, & nullo alio cogēte præter vinū cordis sui arcana patefacit, & amicorū commissa secreta in mediū producit.* Expēde illud, *nullo alio cogēte præter vinum* significat. n. vinum ad proditionē arcani cogere. Vnde perbellè Horat. in Odis.

August. Horat.

Tu leue tormentum ingenio admoues
Plerumque duro, tu sapientum
Curas, & arcanum iocoso
Consilium retegis Lyæo.

Huius tormenti iterum meminit in Poëtica.

Reges dicuntur multis vrgere cucullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant
An sit amicitia dignus.

Senec. in epist. 28. *Onerati*, inquit, *mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita nec secretum: sed quod suum est, & alienum pariter effundunt.* Et iterum. *Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo iacet, in summam partē vis caloris eiectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo iacet abditum effertur, & prodit in medium.* Accedit etiam D. Maxim. locorū com. ser. 30. qui Æschynis dictū producit ad hunc modū. *Speculū formæ est æs, animi autem vinum.* Innuebat autem in vino arcana perinde obiici obtutibus, ac formam in speculo. Quid plura? Plin. lib. 14. c. 22. de vitanda ebrietate sic habet. *Alij, ait, testamenta sua nuncupant, alij mortifera loquuntur, redituraque per iugulum voces non continent, vulgoque veritas iam attributa vino est*, mitto alia.

Seneca. Maxim. Plin.

Venio ad lectio. Sept. quæ sic habet. *Cum consilio omnia fac, cum consilio vinū pota, potentes iracundi sunt, vinum autem non bibant.* Vel vt reddit Hieron. *Potētes si iracundi sunt, vinum non bibant.* Itaque cùm nostra lectio eā ob causam vinum interdicat Regibus, quia ebrietas secreta & arcana omnia in medium adducit (quod quā sit Regibus perniciosum nemo ignorat) Sept. aliam rationem attingunt, scilicet, quia Reges per se iracundi sunt: vinum autem furorem & iram valdè exacuit. Quid certius? Sed tamen, vt alia omittam, accipe tantum verba Plato. dialog. 8. de Repub. *Ebrius*, inquit, *vir tyrannicum gerit animū: quinetiam furiosus, & extra se positus non solum hominibus, sed & diis imperare contendit, speratque se id consequuturum:* reddit autem rationem, quia ebrietas iram & animositatem, hæc autem tyrannidem parit. 24.

Hieron. Plato.

5\. *Ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum: & mutent causam filiorum pauperis.*

NE fortè. &c. Hebr. *Ne fortè bibat, & obliuiscatur statuti, & mutet iudicium filiorum afflictionis.* Itaque hic versus in Hebr. de singulari num. est, noster autem interpres, vt hæc verba cum superioribus cōcinerent, numerum multitudinis seruauit: non equidem vt significaret tam de aliis Regibus, quàm de ipso Salomon. capienda esse, sed vt pari Hebr. ornaret, ne posterior pars à priori dissideret. Chal. *Ne fortè bibas, & peruertas rationem tuam, & mutes iudicia omnium filiorum pauperis.* Sept. *Ne obliuiscantur sapientiæ, & rectè iudicare non possint imbecilles.* 25.

Huius loci luculenta valde sententia est: id tātùm inter Doctores dissidii versatur, quod aliqui de Iudicibus, ac Magistratibus illam exponunt, quos Rex publicis negotiis atque iuridicendo præponit: reliqui de ipsomet Rege enuntiari putant: quibus ego libentius assentior: vsus autem numeri multitudinis pro singulari aliàs solennis hìc locum habet ob supradictam rationem. Ergo ait. *Ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum*, hoc est, *ne fortè bibas, & obliuiscaris*, &c. Ne, scilicet, si vino madueris, obliuionē tibi accersas iuris, atque legum ad causas iustè decernēdas. Et sanè vinum memoriā perimere autor est Plinius in lib. 14. c. 22. *Postera*, inquit, *die* (scilicet à potu nimio) *ex ore halitus cadi, ac ferè rerum omniū obliuio, morsque memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant: cum priorem diem quotidie perdant: illi verò, & venientem.*

Plin.

Itaque

Itaque in ebriis memoriam penitus emori docet Plinius, quos quidem ideò carpit autor iste, qui aiebant, se eâ ratione dum vino, & calicibus hauriendis, & sorbillandis dies terebant, *Vitam rapere*, an non potius (inquit) eiusmodi homines vitam amittere dicendi sunt, quippe qui non modò more aliorum præteritam iam diē perdunt, sed etiam sequentem, in qua vel crapulam edormiunt, vel mentis impotes non sentiunt. Et quidē hæc solùm temporis iactura Principes ab omni crapula deterrere deberet, quia illos tot negotiis intentos esse oportet, quibus vix tota vita satis est. Quod autem attinet ad memoriam, quam
Basil. ebrietate hebetari diximus, subest D. Basilij sententia in hom. de Ieiunio. *Famulus profugit ab hero verberante, tu verò non recedis à vino, quod contundit caput tuū: ebrietas vt somnum affert morti germanum, ita vigiliam habet obliuiosam somnis adsimilem.* Et rursus in oratione de ingluuie, stuporem, & obliuionem hanc appositissimè describit. *Quod enim*, ait, *peccas per Deum immortalem, ita vt ebrius visu, & auditu delinquit: nam vino obrutus familiarissimos non agnoscit, sed sæpius ad hostes, quasi ad necessarios accurrit, vmbras etiam ipsas aliquando quasi riuos quosdam, & conualles transit: terra altum petere ipsi videtur, ac montes in orbem circumverti. His quidem somni sunt graues animam ipsorum intercludentes, quique morti sunt quàm simillimi: vigiliæ autem somnis longè stupidiores. Vita enim ipsorum quasi insomnium quoddam est: vtpote qui, cùm nec pallium quidem habeant, neque quod crastinâ die edant, dominantur tamen, & exercitui præsunt, vrbes statuunt, & pecuniæ largitiones faciunt.* Hæc ille: ex quibus constat homini vinum obliuionem afferre, quia vel omnino dormit sumno pressus, vel vigiliam agit sumno adsimilem.

26. Basil. Sanè in eo loco hominis temperantis, atque ebrii discrimen tradere contendit Basilius, hoc modo, temulentus cùm dormit morti similem somnum agit, & velut exanime cadauer iacet, ita vt mori potius, quàm dormire dicendus sit. Temperans autem cùm moritur, somno similem mortem obit, ita vt dormire potius, quàm emori dicendus sit. Item ebrius cùm vigilat somno similem vigiliam transigit, temperans verò cùm dormit, vigiliæ similem somnum carpit. Denique ebrius, cùm ad se omnino rediit, & merum decoxit, quandam somnianti similem vitā agit: at temperans cùm insomnia interdormiendum patitur, non minus prudenter, & decorè cogitat, quàm si penitus insomnis esset. Hinc obliuio plusquàm lernæa rerum omnium ad rectam administrationē Reipublicæ spectantium, quæ ex temulentia, & vino accidit. Vnde satis accommodatè Horatius vinum Massicum *obliuiosum* appellauit. *Et obliuiosi pocula Massici*, &c. Adde etiam Basilium hîc adnotasse, illud ebrietatis esse proprium, vt pannosi homines, & miseri cùm vino madent, semetipsos Duces, Reges, & Imperatores æstiment, adeò vt dominari, exercitus regere, atque magnis populis iura dicere sibi videantur. Si ergo ebrietas in causa est vt miseri, & sordidissimi homines sibimetipsis imperia mentiantur, quid de magnis Regibus cogitandum erit, cùm fortè illos ebrietas & temulentia cepit? sanè nihil vlterius restat, quàm vti se deos, ac numina æstiment. Hoc sibi voluit Plato, cuius verba nuper exhibui, de Principe temulento. *Quin etiam furiosus, & extra se positus non solùm hominibus, sed & diis imperare contendit speratque se id consequuturum.* Consule antiquarum monimenta historiarum, ac nullum planè leges Imperatorem aut Regem diuinos honores affectasse, qui non etiam ebrius, ac vinolentus fuerit. Ad hanc sententiam pertinet alia huius loci expositio. *Ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum*, &c. aliqui enim per

Horat. Plato.

A *iudicia* intelligunt legem Dei, & religionem. Hebraïcè enim habēt. *Et obliuiscatur statuti.* Statutum verò antonomasticè est lex, & testamentum diuinum, cuius ebrii haud meminisse dicuntur.

Chaldæus legit. *Ne fortè bibas & peruertas rationem.* sumitur autē *ratio* pro supputatione quæ fit subductis numeris, vulgò, *Por que no pierdas la menenta.* 27.
Sanè inter alias ebriorum passiones illas satis cōmunis est, vt oculi caligine quadam offusi numeros personarum, ac rerū minimè discernant. Nā sæpius vnus homo duplex, ac triplex apparet, vt docet Plinius loco citato. Accipe verba Clement. Alex. lib. 2. pædag. c. 2. *Ebrij numerare non possunt, quæ procul sunt, tanquàm sint vnica: atque duos soles videre mihi videor, ebrius ille dicebat Thebanus Rex. Motus. n. visus à vini calore sæpius eius, quod est vnum, multiplicem apprehendit visione substantiam.* Ad hæc si nomine *rationis* mētem ipsam & iudicium accipiamus, expendendum est verbū illud *peruertas*, quod in Originibus est, *circumagas*, & ad vertigines capitis referre licet, quas temulenti assiduò experiuntur. Aut aliter hæc lectio accommodari potest verbis Chrysostomi, qui in ebriis quædam rationis volumina, & vortices exemplo fluminum aptè describit. *Hoc sanè contingit ebriis, quod in flumine quispiam viderit cùm aquarum vortex efficitur*, scilicet in maximis alluuionibus, *sicut enim tunc mortuos pisces videmus adnantes, & fimi crassitudine oculis captos: idem & in nobis efficitur, cùm multus ingluuiei supernè influxerit imber, postquàm omnia commouerit, mortuas adnare facit cogitationes pridem sanas, & impurè viuentes.* Subdit Salomon.

Plinius. Clem. Alex. B Chrysost. C

Et mutent causam filiorum pauperis. Sensus apertus, Ne, scilicet, Rex vino madens pauperis causam non satis calleat, & contra illum sententiam ferat. Quibus verbis significat Principem vino deditum ad iudicādum, & sententiam dicendam prorsus inhabilē esse. Omnis quippe diiudicandi ac discernendi dexteritas in temulentis perit. Quapropter Leuit. 10. sic Dominus ad Moysem. *Vinum & omne quod inebriare potest non bibes tu, & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, quia præceptum sempiternū est in generationes vestras: & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israël omnia legitima mea, quæ loquutus sum ad eos.* 28.

Leuit. D

Sept. habēt. Ne obliuiscantur sapientiæ, & recta iudicare non possint imbecilles. Sententia eadem est cum superiori, significat autē ebrietatem, & ingluuiem in sapientes aliquando cadere; at vbi cecidit omnem in ipsis sapientiæ vsum interire ac demergi. Elegantes Chrysost. hom. de ebrietate exemplo nauis rimosæ, & nimio onere prægrauatæ. *Quemadmodū*, inquit, *in nauibus plurimū oneratis, vel quæ aquā per rimas ebibūt, nō maris tranquillitas, nō scientia gubernatoris, nō multitudo nautarū, non instrumētorū aptus apparatus, nō tempus anni cōmodū, nō aliud quidquam ita se habenti naui prodest. Ita & his, qui luxu affluunt & vini plurimum hauriunt, non scientia, non doctrina, nō exhortatio, nō institutio, non consiliū, nō metus futurorum, non pudor, non aliud denique quidquā seruare animū ita fluctuantē potest: verùm & ad hanc vitā præsentem inutilis sic is, qui talis est, & ad omne opus bonum reprobus.* Itaque sensus est, homo bibax vini, similis est nauigio pertuso & aquarū (vt ita dicam) bibulo, reliqua perspicua sunt. 29.

Chrysost. E

Ad extremum subiicio non inelegantem coniecturam nostri Hieron. de Prado in c. 27. Ezech. vbi notat *pretium*, aut *manus* Hebraicè appellari אשכר *eschar*, à radice שכר *Sachar*, quæ significat *inebriare*, hinc שיכר *Sichar*. i. sicera, quæ vox omnem potum ad inebriandum compositum sonat. Ergo fortasse, inquit Hieronym. Bethsabee dùm vinum & siceram interdicit

Hieronym. à Prado.

interdicit Principibus, atque Regibus, ne scilicet causam pauperis commutent: non tàm vinum, & siceră ipsam significare voluit, quàm dona, & munera, quæ Principum capita fortiùs tētant, quàm vinum, & grauiorem illi temulentiam adducunt. Et quidem omnes temulenti hominis conditiones Principi muneribus corrupto accommodare in promptu est. Pergo ad alia, hanc enim coniecturam non probo.

---

6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.*

7. *Bibant, & obliuiscantur egestatis suæ: & doloris sui non recordentur amplius.*

30. **D***Ate siceram*. Hebræa non dissonant, Chaldæus etiam concinit. Sept. *Date inebriatiuum his, qui in mœroribus: & vinum bibere his, qui in doloribus.* Symmach. *Date inebriatiuum pereunti.* quæ lectio ad origines propiùs accedit, & eam sequitur Caietan. & alij recentiores Hebræi.

Bibant & obliuiscantur. Hebr. de singulari habetur. *Bibat & obliuiscatur*, &c. Chald. numerum multitudinis tenet, & extrema verba sic extulit, *& detritarum vestium non recordentur amplius.* Accinunt Septuag. qui extremam clausulam sic reddūt. *Et laborum suorum non recordentur vltra:* Symmach. *Et mollitierum suarū*, &c. de significatione illius vocis שכר *Sichar.* alibi multa. Adi lexica, piget enim hîc transcribere.

Prima expositio satis vulgaris apud Hebræos, quā amplectitur Arboreus, nec displicet nostro Hieronymo à Prado in c. 23. Ezechiel. docet hîc fieri sermonem de sontibus damnatis, & extremo supplicio addictis: constat enim his vini meri poculum exhiberi solitum, quo vel fierent animosiores ad cruciatus, & supremam necem tolerandam, vel omnino ex temulentia in stuporem acti minimè persentirent. Huius vini meminit Amos cap. 2. *Et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui*, id est, vinum generosum, & pretiosum, quale propinari solebat damnatis ad robur, animosque capiendos: sic ferè alij. Egò verò sic expono. *Et vinum damnatorum bibebant*, id est, vinum ad ebrietatem vsque, & stuporem potabant, vt damnati consueuerunt. Itaque vinum damnatorum bibere perinde est, atque sic bibere vti sontes extremo supplicio deuoti solebant, scilicet vsque ad stuporē & amentiā. Vel aliter, vinum illud, quod in suis conuiuiis percolabant, pro vino damnatorum ipsis erat, quia nimirum iam tunc erant ad certam mortem destinati. Huius etiam poculi mentio occurrit in Psalm. 59. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* D. Hieron. *Potasti nos vino stuporis*, vel *stupefaciente*, id est, nobis præsentissimam necem ostentasti, adeò vt vinum damnatorum iam inde propinaueris paulò post morituris. Accedit etiam locus alter Psal. 74. *Et calix in manu Domini vini meri plenus mixto: inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Huius etiam vini soporiferi, & stuporem adducentis, quod sontibus offerri solebat meminit Isaias c. 29. vers. 8. 9. & 10. & Ierem. c. 25. vers. 27. & c. 51. vers. 7. Hinc etiam aliqui lucem afferunt illis verbis Apocal. 17. *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino*, &c. *Habens poculum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis suæ.* Et infra. *Et vidi mulierē ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu.* Ab his enim extremis verbis colligunt poculum illud in manu sęuissimæ mulieris esse calicem damnatorum, vt sensus sit, illam martyres Christi vino damnatorum perpotasse, id est, ad mortem damnasse:

Prado. *Amos 2.* *Psal. 59.* *Psal. 74.* *Isaias. Ierem. Apocal.*

A sed tamen alibi docui eum calicem esse amatorium, in quo meretrix illa phyltra sua miscuisse fingitur ad homines fascinandos, & sibi alliciendos. aptiùs enim cadit hæc interpretatio in illa verba. *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius*, scilicet plenum phyltris amatoriis, quibus homines ad fornicationem inducebat. Denique vinum hoc, quod sontibus offerebatur, nō erat merum & immixtum, sed quibusdam aliis speciebus conditum, scilicet, myrrha, thure, vel aliis rebus stuporem efficientibus. Extat eiusmodi vini mentio apud D. Marcum cap. 15. *Et dabant ei myrrhatum vinum*, oblatum verò ipse minimè hausit, ne dolores passionis, stupefactis membris, leuaret. Mitto alia, pro- B phana, quæ ad hunc perantiquum morem referri possent, & ad sententiam suscepti loci contendo. *S. Marc.*

Inuehitur sanè in hanc interpretationem Rodolphus, & Rodolph. de more suo hæret Iansenius, quasi cum reliquo textu consui non possit, sed tamen (ni fallor) accōmodatè necti potest, nodum autem eius sic adstringo. Vtique Bethsabee filium officii admonens Regibus, atque Principibus à vino abstinendū esse dixerat, quia videlicet merum obliuionem adducit, & caput tentat, & ad iudicandum ineptū reddit: ergo iam nunc aptè subdit. *Date siceram mœrentibus* (vel vt habent origines) *pereunti, & vinum his, qui amaro sunt corde:* nimirum vinum non conuenit Iudicibus, quos muneri suo intentissimos esse opor- C tet, ne quemquam insontem damnent, sed ipsimet sontibus & damnatis, his enim expedit fortasse inebriari, vt in stuporem acti cruciatus non sentiant. *Et doloris sui non recordentur amplius.* Obserua extrema illa verba, *Non recordentur amplius*, quæ non parum expositionem istam commendant; atque in eos solùm aptè quadrant, qui morte damnati vino soporifero perpotantur. Nam statim atque inebriati sunt, prius quàm ad se redeant, & afflictionis suæ meminisse liceat, morte afficiuntur, atque adeò doloris sui *non recordantur amplius.* Itaque nexus istius sententiæ cum aliis superioribus hic est. Dedecet sanè Principes, ac iudices inebriari. Hoc enim reorum magis est, & eorum, qui morte damnati sunt, vt scelera sua luant, quàm eorum, qui illorum causas ad iudicandum assumunt. 31. *Iansen. Rodolph.*

D Secundò dici posset Bethsabee per quandam vini detestationem hæc verba subiecisse. *Date siceram pereunti*, &c. quasi dicat: Ita ne, vt Principibus inebriari liceat? absit, ebrietas vtique, & stupor maleficis, ac sontibus contingat. 32.

Tertiò denique aliter accommodatiùs dico, Bethsabee his verbis ebrietatis summam turpitudinem, & dedecus optimè exaggerasse, solent enim ebrii vino madidi multa indecorè facere, multa temerè, & per furorem admittere: ex quibus postea cùm ad se redeunt pudorem, & confusionem maximam accidere necesse est, sępe etiam dolorem, atque molestiam. Ergo ait Bethsabee. *Date siceram pereunti*, &c. nimirùm his tantummodò vinum ad ebrietatem vsque sume- E re licet, qui illud ad cruciatus supremos subeundos sumunt. Nam hi numquàm ad se amplius redeunt, atque adeò si quid interea per ebrietatem indecorè, & turpiter gesserunt, id minimè illos tangit: qui verò decoctâ crapulâ mentem recepturi, & tunc demum quàm ignominiosa, & quàm turpia commiserint, cognituri ac visuri sunt, sanè ob pudorem à vino sibi temperare deberent. Hunc ad sensum vocanda est lectio vulgata. *Date siceram mœrentibus*, &c. scilicet his, qui ad mortem destinati mœrent, & qui deuorata iam nece amaro, & acerbo animo sunt. *Bibant, & obliuiscantur egestatis suæ*, hi, scilicet, copiosius ad ebrietatem vsque hauriant, vt stupore correpti

correpti præsentem afflictionem, & cruciatum non sentiant.(Egestas.n.hîc, vt sæpe aliàs in scriptura, afflictionem sonat.) *Et doloris sui non recordentur amplius.* i. vt iam deinceps numquàm suæ mentis compotes facti, sui dedecoris meminerint: nimirum quia ebrietatis ipsius, & eorum, quæ ab ebriis dicuntur, ac geruntur, infamia illos numquam deinceps attingere potest. Fauet huic expositioni vox Hebraïca עמל *ghamal*, quæ nō dolorem solùm, sed etiam infamiam sonat, Psal. 140. *Et labor labiorum ipsorum operiet eos*, alij, *& dedecus labiorum*, &c. i. infamiæ labes, quibus alios aspergere voluerunt, in ipsos recidēt: & Genes. 41. Aseneth filia Phutipharis Manasse in lucem edito sic dixisse fertur. *Obliuisci me fecit Deus laboris mei:* sic habent Primitiua, quod plures ad sterilitatis infamiam referunt, cuius suspicionem, quâ diu laborauerat, tunc exuerat.

Psalm. 140. Genes. 41.

33. Secundam expositionem offert idem Hieronymus de Prado in c. 24. Ezechiel. vbi hæc verba exponit de his, qui mortuos lugebant, atque illorum parentalia celebrabant, quibus solemne erat vinum haurire ad dolorem leuandum. Meminit Hierem. cap. 16. vbi in maximis Hebræorum calamitatibus hoc ponit, quod vinum ad temperandum luctum illis minimè suppeteret. *Et non dabunt*, inquit, *eis poculum calicis ad consolandum super patre suo, & matre sua.* Mitto plura, quæ de sepulchralibus epulis alij conflant. Itaque sensus erit. *Date siceram mærentibus, & vinum his; qui amaro sunt animo, vt obliuiscantur egestatis suæ:* Vinum scilicet Regibus parcè admodùm hauriendum est: nam delitiæ, secunda fortuna, & omnium erga illos obsequium satis ipsos oblectat, & erigit, & si placet etiam illorum caput tentat. Quapropter si his omnibus vinum accedat facilè mentem eripit, & in valde indecoras voluptates effundit. Ergo *date*, inquit, *siceram mærentibus*, id est, vinum, & quidquid inebriat, his tantùm modò copiosius offerre licet, qui charissimorum mortem acerbiùs lugent, vel alia de causa dolore tabescunt, & in squalore iacent: hos enim difficiliùs vinum mēte, & ratione priuat: interim autem eosdem oblectat, & mœrore delinito obliuionē adducit afflictionum, atque dolorum, quæ animum grauiter angebant. Et quidem exploratum est tristes, atque mœstos difficiliùs inebriari, & in vniuersum melancholicos omnes perrarò vino vinci, & in temulentiam agi docet Hipocrates & ex ipso alij medicorum proceres: hæc enim passio sanguineos, atque in lætitiam nimium effusos ferè inuadere solet.

Pradus. Hierem.

34. Tertia interpretatio cōformari potest ad hunc modum, Bethsabee his verbis eò spectat, vt in vniuersū vini potum haud communem futurum esse demonstret: sed veluti medicamentum aliquod adhibendum esse, quando vsus postulat, scilicet, ad leniendū mœrorem, & luctum. Itaque ait. *Date sicerā mærentibus*, &c. id est, vini præcipua facultas, atque vis est cordi lætitiam & hilaritatem inspirare, atque adeò tunc solùm adhibendum est, cùm tristitia, & mœror animū angit. Huic autem expositioni inseruit lectio originalis, *Date siceram pereunti, & vinum his, qui amaro sunt animo*, pereuntem quidem ęgrum appellauit. Itaque duas vini hauriendi causas attigit, scilicet, morbum, & mœrorem: de reliquo à vino abstinendū esse dicit. Et quidem merum non passim, sed medicamenti ad instar opportunè sumendum esse, cùm vsus postulat, docet Clemens Alexand. loco citat. Chrysost. Anselm. & alij, ad illa verba Pauli. *Vtere modico vino propter stomachum*, &c.

Clem. Alex. Chrysost. Anselm.

35. Ego verò existimo ex præmissis expositionibus primam esse reliquis præferendam, vel omnino dicendum Bethsabee neque vinum interdicere, neque hauriendi vini causas præscribere, scilicet, morbum,

A aut luctum: sed eiusdem sumendi modum & temperantiam tradere: constat. n. vinū sobriè potatum valetudini prodesse, & cordi lætitiam afferre: quod si medioeritas, & temperantia absint, valetudinem lædere, & tristitiæ minimè succurrere. Ergo ait Bethsabee, *Date siceram mærentibus vel pereunti, & vinum his, qui amaro sunt animo.* Seruatur Hebraismus idem qui in superioribus sententiis, numerus, scilicet, multitudinis pro singulari. Itaque filium affatur dicens: Vtique vinum (ô Salomon fili mi) eā medioctitate sumendum tibi est, quâ constat valetudini salutare, & mœrori auxilio esse, *Bibant, & obliuiscantur*, &c. nimirùm eatenus bibas licet, quatenus satis sit ad deliniendum mærorem, & calamitates, atque afflictiones tuas obliuioni tradendas: hoc autem modum, ac

B temperantiam postulat: nam potus vini immoderatus ex aduerso morbos, & tristitiam adducit, vnde Patres sæpius ad vini temperantiam hoc argumento adhortantur. Chrysost. hom. 1. ad Populum. *Vinum*, inquit, *medicina optima est, quando commensurationem habet optimam.* Et in homil. 71. *Vinum*, ait, *datum est vt delectemur, non vt dehonestemur, vt rideamus, non vt rideamur; vt valeamus, non vt ægrotemus: vt corrigamus corporis valetudinem, non vt animæ prosternamus virtutem. Cur te ipsum per immoderantiam afficis contumelia? Audi Paulum dicentem, vino modico vtere*, &c. Pseud. August. in lib. de Salut. documentis. *Vinū*, ait, *Deus nobis ad lætitiam cordis, non ad ebrietatem dona-*

Chrysost. Paul. Pseudo. August.

C *uit: bibamus ergo non quantùm gula exigit, sed quantum necessitas postulat: nē id, quod ad medelam corporis nostri tributum est, ad perniciem eiusdem deputemus:* sed absolutissimè in homil. de Castitate, & sobrietate. *Vinum moderatum*, ait, *debilem stomachum reficit, vires deficiētes reparat, algentem frigore calefacit, vulneribus infusum medetur, antidotis etiam, diuersisque medicamentis adiunctum salutem operatur, tristitiam remouet, languores animi delet, lætitiam infundit, conuiuas honesta viscere colloquia facit: paulo amplius verò sumptum quodammodo conuertitur in venenum.* Et infra. *Rusticanum quidem, sed sanum dictum: vini medicamentum plus iusto sumptum venenum esse cognoscitur.*

D

8. *Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum, qui pertranseunt.*

36. *Aperi os tuum*, &c. Hebr. ad verbum. *Et ad iudicium omnium filiorum transitus.* Pagnin. *Omniū filiorum mundi.* Chald. *Aperi os tuū, iis qui non peruertunt iudicium, & indica causas peruersorū.* LXX. *Aperi os tuum verbo Dei, & indica omnes integrè.* Lucifer pro S. Athanas. Aquila, Symm. & Theod. *Aperi os tuum* ἀλάλῳ, i. muto. Occurrit hîc vox אלם *Elem* à radice אלם *Alam*, quæ significat *colligere*, & *obmutescere*, hæc. n. duo affinia sunt, & quidem nomē illud *Elem*, cum quinque punctis sæpius *mutum* sonat, *congregationem* verò *Ecclesiā*, & *collectionem* hominū aliquan-

E do significat, vt obseruat Pagn. Psal. 57. *Si verè vtique iustitiam loquimini.* Hebr. *Nunc verè congregatio iustitiam loquimini*, &c. Ergo LXX. ad hanc significationem posteriorem fortè respicientes conuerterunt. *Aperi os tuum verbo Dei*, scilicet ad docendam Ecclesiam & congregationem. Pro *Aperi os tuum Ecclesiæ*, extrema illa verba, *& causis eorum, qui pertranseunt*, deinde expendemus.

Psalm. 57.

Vna omnium interpretū mens de sententia prioris hemistychij. *Aperi os tuum muto*, scilicet, *pro muto*, quasi dicat, eius, qui pro semetipso eloqui non audet præ timore, vel nescit præ imperitia, tu ipse causam suscipe, & deposita iudicis persona patronum illius age. Itaque mater sapientissima filio suadet, vt

vt pauperes, & abiectos homines, qui ferè suas causas apud Principem tueri nesciunt, ipse quidem foueat, & ius illorum prudenter æstimet: & quidẽ Vulgata nostra lectio difficilè alium ad sensum vocari potest propter subiecta verba. *Et causis omniũ filiorum qui per transeunt*, sed tamen (si ad origines cũcta reuocentur) vtique licebit dicere, Bethsabee filio innuere, quibus cum agere, & arcana sua aperire deberet, hoc sensu. *Aperi os tuum muto*, nimirum ei tantùm consilia, & rationes tuas explica, quem veluti mutum omnino, & elinguem taciturnum fore speras. Regibus enim cumprimis necessarium est, vt eorum consilia arcana sint. Quapropter illa aut nemini committere deberet, aut his tantum, quos non secus apud se seruaturos esse norunt, ac si penitus elingues essent. Huc spectat peruetus symbolum viri optimi, quo Princeps familiariter vtitur apud Horum, scilicet *Canis elinguis*, qui fidem simul, ac silentium notaret; Canis enim fidei simulacrum est. Quod si hæc interpretatio minimè displiceat, subiecta verba sic edisserenda sunt. *Et ad iudicium eorum, qui pertranseunt*, (sic habent Primitiua) nimirũ Princeps os suum vix aperire debet, atque adeò tunc solùm eloqui tutò poterit, cùm arcana sua familiari alicui tradit, cuius silentium exploratum habet; vel cùm causam aliquam publicè iudicat, &c. Cæterùm quamuis hæc posterior interpretatio non omnino absurda sit, tamen prior, tanquam apposita magis, & Vulgatæ lectioni consentanea anteponenda est.

37. *Et causis omnium filiorum, qui pertranseunt*. Hebraicè *filiorum* חליף *Chaluph* i. *transitus*, vel *mutationis*, vel *excisionis*. Nam fluit a verbo *Chalaph*, quod significat *transire, mutare, & exscindere*, hinc dissidium interpretum. Pagninus legit. *Omnium filiorum mundi*, addit autem sic, *Et vocantur filij mundi, filij excisionis, eo quod a mundo exscinduntur, & moriuntur*. Itaque per *filios mundi*, mortales omnes notari existimat Pagnin. vt sensus sit; Regis est non solùm nobilibus, & proceribus, sed etiam sordidissimis hominibus sine discrimine ius suum reddere: id sibi vult illud. *Et causis omnium filiorum mundi*, vt vulgò dicimus. *De todos los hombres del mundo*. Secundò alij cùm legissent, *& causis omnium filiorum excisionis*, eos intelligunt, quorum caput, ac vita agitur: itaque putant Bethsabee filium admonere, vti his maximè patronum se præbeat, quorum causa capitalis est: hi enim *filij excisionis*, optime appellantur, idest, proximi vt exscindantur, & de medio tollantur. Itaque hoc matris consilium eò spectat, vt maximum omnium supplicium, videlicet mortem, nemini temerè, & inaudita causa irrogandum esse Salomoni suadeat: quin potius iudicis partes esse, vt quoad fieri possit reos morti eripiat. Tertiò alij legendum existimant, *Et causis omnium filiorum transitus*, per filios verò transitus, peregrinos, & aduenas accipiunt; sed de his peregrinis alij aliter decernunt. Nonnulli. n. peregrinos appellari existimant omnes in vniuersum homines, qui continuò migrant, & transeunt, iuxta illud. *Mane floreat, & trãseat*, &c. Psalm. 83. Itaque sensus est; Reges omnibus mortalibus ab æquo iustitiam impertiri debere, ac ius suum cuique reddere, & personarum acceptionem à Principe longius abesse oportere, ita vt nihil propter gratiam, vel amicitiam, vel necessitudinem faciat; sed in omnes æqualiter, tanquam in peregrinos, & alienos, ius dicat. Alij rursus peregrinos dici volunt eos, qui verè à patria sua extorres apud alienos agunt, hi. n. cumprimis despecti, atque omni patrocinio destituti sunt; atque adeò maiestate regia dignum est, eos maximè fouere, & amplecti. Quarto quibusdam placuit extrema lectio, *& causis filiorum mutationis*, per eiusmodi autem mutationis filios eos accipiunt, quorum fortuna commutata, & conuersa est, qui scilicet olim fœlices, & fortunati fuerunt, sed iam inde miseri in rerum omnium angustias deciderunt, his enim auxilium ferre magis quodammodo pium, atque decorum est, nam eorum, qui fortuna demutata iacent miseria maior, atque sors deterior est, quàm eorum, qui numquam fœlices fuerunt.

Ad extremum obseruandum est D. Hieron. in lament. Hieremiæ cap. 1. ad illa verba. *O vos omnes, qui transitis per viam*, hæc verba spiritualem ad sensum vocasse hoc modo. *Hinc per Salomonem dicitur, Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum, qui pertranseunt; muti. n. dicuntur, qui prædicatorum verbis contradicendo minimè resistunt: qui etiam pertranseuntes sunt, quia intentionem mentis in amore vitæ præsentis dedignantur agere*, quæ verba D. Gregor. transcripsit, & in sua commentaria coniecit l. 15. Moral. c. 27. *Aliter Beda. Os, inquit, aperire muto, est populo gentium fidei verbum prædicare, qui diuina eloquia prius personare nesciebat.* — 38. Hieronym. Gregor. Beda.

Sectio Sept. perspicuam sententiam claudit. *Aperi os tuum verbo Dei, & iudica omnes integrè*, significat autem Principem, qui potestate à Deo accepta regnat, eius etiam nomine ius dicere, & causas iudicare. Itaque ait, sic loquere, vt Deum decet, cuius vices geris; vtere scilicet verbis Dei, hoc est, ad eum modũ integrè, ac iustè sententiam ferre debes, ac si Deus ipso ex solio suo decerneret. Et quidem nunc de hac translatione Septuag. tale iudicium fero; nimirum sapientissimos illos viros, vocem אלם *Elem*, non per casum dandi, sed per casum nominandi efferendam existimasse, ad hunc modum. *Aperi os tuum mutus*, non autem, *Aperi os tuum muto*, quibus verbis hunc sensum subesse censuerunt. Non tua tu, sed Dei verba proferre debes. Id enim sibi vult. *Aperi os tuum mutus*, noli ex cerebro tuo loqui, sed mutus, & tacens expecta à Deo quidquid dicturus est, ac tunc demum dictata à Deo verba dicito. Ita vt non tam tu ex te ipso, quàm Deus in te eloqui videatur.

---

9. *Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & iudica inopem, & pauperem.*

Aperi os tuum, &c. Hebr. *Aperi os tuum, & indica iustitiam, & iudicium afflicti & egeni*. Chald. *Et ius redde pauperibus, & iniuriam patientibus*. Sept. *& iudica pauperem, & imbecillum*. Antiquis codicibus irrepserat hoc mendum, *& vindica inopem, & pauperem*. 39.

Sentẽtia adeo perspicua est, vt interprete nõ egeat. *Aperi os tuum*, &c. Suadet quidem, vt omnibus ipsum adire volentibus sui copiam faciat adeò, vt alloqui dignetur pauperes, ac maximè destitutos, & causas illorum aduersus diuites, à quibus iniuriam pati solent, non audiat solùm, sed etiam tueatur, ac defendat, hæc enim sunt præcipua Regis officia. Pergo ad alia.

---

10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.*

Mulierem fortem quis inueniet? Hebr. אשת חיל *Isah, Chail*, fluit autem חיל *Chail*, à radice חול *Chul*, vt quidam putant, quod est cum dolore eniti. Itaque strenuitatem, & diligentiam propriè notari existimãt, hæc enim cum labore, & molestia prçclarè gesta velut parturit, vel potius enititur. Et quidem vox illa non vnam rem significat in scriptura, sumitur. n. passim pro *exercitu*, sæpius pro *robore*, sæpissimè pro *diuitiis*, ac facultatibus; aliquando 40.

etiam

etiam pro *industria*, & sollicitudine: harum significationum exempla satis multa peti possunt ex lexicis. Inde nata lectionum discordia: plerique enim ex Hebræo legunt, *Mulierem opum quis inueniet?* & quidem non ditem aliquam fœminam significare volunt, sed eam, quæ parandis opibus industriam impendit. Alij rursus lectitant. *Mulierem exercitus quis inueniet?* idest, fœminam aliquam militari robore præditam, pugnacem, & robustam. Cum hac lectione cohæret Vulgata translatio, & ab eadem Sept. non abeunt, *γυναῖκα ἀνδρείαν*, id est, *Mulierem*, vel *vxorem virilem*. Chald habet. *Mulierem bonam quis reperiet?* Alij denique conuertunt. *Mulierem industriam*, & quidem vim eius vocis adeò extollit Luysius Legion, vt dicat ea voce virtutum omnium cumulum, & omnimodam perfectionem notari.

Procul & de vltimis finibus terræ pretium eius: Heb. ad verbum, *Longinquum, & ab vnionibus pretium eius*, pro *vnionibus* autem subest, מפנינים *Mi Pheninim*, eius autem vocis vim supra adscripsimus cap. 3. vers. 15. Constat enim interpretem nostrum non semper eodem modo vocem illam conuertisse. Nam supra loco citato, *opes* transtulit. *Pretiosior est*, inquit, *cunctis opibus*, & cap. 20. n. 15. Gemmas in vniuersum.

Thren. 4. *Est aurum*, ait, *& multitudo gemmarum*. Thren. 1. *Ebur antiquum, Rubicundiores*, inquit, *ebore antiquo*, hìc demùm, *extremos terræ fines*. Quid plura? Hebr. doctiores cùm gemmas vbique significari existiment, tamen de certa gemmarum specie euariant; Alij enim *margaritas* notari volunt, qui partim eam vocem פנינים *Pheninim*, fluere existimant à radice פנה *Phanah*, id est, *aspexit*, quod scilicet, *margaritæ* in anteriore concharum parte sint; alij verò à radice פנם *Phanam*, ex eo quod ab intimis nimium, & abstrusis locis petantur. Alij rursus *Rubinos*, nonnulli etiam *Adamantes* conuertunt. Hinc nata etiam lectionum dissimilitudo in hoc loco. Sept. habent. *Pretiosior est lapidibus pretiosis, quæ talis est.* Chald. *Pretiosior est lapidibus optimis.* Pagninus. *Distans à margaritis pretium eius*, quam lectionem amplectuntur passim Hebr.

41. Hæc verba aliqui tribuunt Bethsabee. Asserunt enim sapientissimam illam fœminam, quæ filium hactenus ab omni libidine, & illicito fœminarum congressu dehortata est, iam nunc illi ligitimas nuptias suadere, atque adeò omnes optimæ vxoris conditiones describere intendit: vt ostendat rem admodùm difficilem esse illam nancisci, atque adeo non temerè, sed magno delectu suscipiendam. Alij rursus Salomoni tradunt ista verba, qui vbi matris suæ monita adscripsit, arrepta inde occasione reliquam orationem laudibus strenuæ mulieris impendit. Ego verò existimo verba isthæc à Salomone pronuntiari non suo, sed *Lamuelis* nomine, quem in hoc sapientię conuiuio loquentem inducit, vt docuimus sæpe in Isagoge huius commentarij, & cap. 9. vers. 1. & cap. 30. vers. 1.

Et quidem eiusmodi laudes, & elogia sic temperat Salomon, vel Lamuel, vt singuli versus à singulis Alphabeti Hebr. literis incipiant. Nimirùm prima incipit ab א *Aleph*, secunda à ב *Beth*, & sic deinceps ordine suo. Sed quorsum Salomon sententias istas per Alphabeti ordinem digerit? Occurrit non ignobilis, sed recentior interpres, Salomonem hoc innuere, eam scilicet fœminam quæ his virtutibus prædita foret, quas ipse viginti duobus carminibus complexus fuit, dignam esse longioribus elogiis, adeò vt super eo themate libros integros exarare liceret. Quapropter alphabeti litteras omnes præscripsit, vt significaret se aliis immensam scribendi, & laudandi materiem offerre, atque tantæ fœminæ laudes non breui oratione celebrandas esse, sed quam plurimis scriptis, & monimentis commendandas. Alij vero significationes ipsarum litterarum referunt; asserentes eas huic extremæ mulieri adaptari posse, aut per singulas, vel inter se comparatas. Nam *Aleph*, inquiunt, *Doctrinam* sonat, & Beth, *domum*, atqui vxor *doctrina Domus* optimè dicitur, & sic de aliis. Denique cùm constet litteras Hebr. numerorum notas esse, alij ad numeros spectari putant; ita vt Salomon hoc innuerit se videlicet numeris omnibus absolutam fœminam describere, vel certè valorem, & pretium eius, ea ratione extulisse, vtpote quod omnes summas clauderet, & nullis vnquam numeris, & rationibus plenè comprehendi posset. Quapropter vbi aliquid accommodatum inciderit circa eiusmodi litteras libenter adscribam.

Aleph, quidem *doctrinam* sonat: *Beth*, *mille*, sunt 42.
qui doctrinam tentationum interpretari autument, sed difficile est eiusmodi interpretationem ad origines reuocare. Ergo qui doctrinam eo charactere significari volunt, Aleph quidem cum sequenti littera *Beth*, copulant, ita vt *Aleph*, *Beth*, perinde sit, ac doctrina, seu disciplina domus; vt nuper dixi, quod in vxorem apprimè quadrat, ipsius enim est domesticas res agere, ac familiam instituere. Hi enim qui *mille* interpretantur, id quidem innui volunt, vnam fortem, ac strenuam mulierem mille adinstar fœminarum obtinere, vel ex multis millibus vnam esse eo robore præditam.

Mulierem fortem quis inueniet? Sunt qui putent his 43.
verbis fidem strenuæ coniugis commendari, ita vt *fortis mulier* illa dicatur, quæ procorum, adulterorumque vim constantissimè retundit. Sed tamen huius expositionis nullus satis locuples autor est. Osorius vtique *Mulierem fortem* dici voluit, quæcumque muliebrem superat infirmitatem, nam fere mulierum genus infirmum, & molle est, mulieremque à mollitie dictam passim docet etymologorum turba. Ergo fœminam, quæ muliebrem, id est, mollem, & imbecillem naturam vicit, & conditione sua superior existit, hæc *mulier fortis* appellatur, seu *mulier virtutis*. Non reluctor. Rodolphus *fortem*, id est, *audacem* ad res gerendas exponit; nam fœminæ plerumque timidæ, & parum animosæ existunt. Non repugno. Iansenius eam *fœminam fortem* dici vult, quæ non sit deiecti & demissi animi, vt fere mulieres omnes, sed supra conditionem suam viriles spiritus alat, virilemque fortitudinem præ se ferat, cui fauet translatio Sept. quæ sic habet. *Mulierem virilem quis inueniet?* Denique Luisius Legionensis non vnam aliquam virtutem, aut perfectionem ea voce notari existimat, sed omnes vna virtutes, & animi dotes, quotquot mulierem exornare, & perficere possunt: ita vt perinde sit *Mulier fortis*, ac mulier, vel vxor perfecta, numerisque omnibus absoluta.

Cæterùm quamuis hæc omnia appositè dicta videantur, ego sanè *fortem mulierem* hìc appellari existimo, vxorem solicitam, & industriam, quæ parandis fortunis diligentem curam impendit. Equidem tùm in hoc libro, tùm alibi obuia satis sunt loca alia, in quibus industrij, ac solliciti homines *fortes* appellantur, sup. ca. 10. *Manus autem fortium diuitias parat*, & cap. 12. *Manus fortium dominabitur, & quæ remissa est tributis seruiet*, & cap. 15. *Domus iusti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio.* Ad hæc si ad huius elogij seriem spectes commendandæ, ac celebrandę, strenuæ mulieris industriæ totum impendi videas. Ergo Salomon ait. *Mulierem* eiusmodi diligentem, & industriam *quis inueniet?* Hæc autem verba non ita accipienda sunt quasi mulier talis in vniuersum à quolibet difficilè admodùm inueniri queat (vt ferè interpretes exponunt) sed de maritis sermo est hoc

sensu: Quis maritus diligentem, atque strenuam vxorem reperiat, quam sibi ipsi non copulat. Ita exponit D. Gregor. Naz in oratione de Patris funere, vbi de matre sua verba faciens sic addit. *Diuinam scripturam dicentem audiui, Mulierem fortem quis inueniet? quæ in sententia externi quoque sunt, si quidem illorum hoc est, nullam proba vxore meliorem rem cuiquam euenire posse, nec rursus improba peiorem*, Sententiam hanc petiuit Gregorius ab Hesiodo ex libro, qui *Opera, & dies* inscribitur. Ergo dum Salomon ait. *Quis inueniet?* eam planè inuentu difficilem esse ostendit, atque inde infert Luisius Legion. magno studio, & cura vestigandam. Ego verò aliter infero, scilicet eiusmodi fortem, ac strenuam vxorem propterea inuentam dici, quia illam nancisci res est fortunæ, & gratiæ, non industriæ. Nam inter hæc verba *inuenire*, & *reperire* hoc interest, quod ea quis *reperire* dicitur, quæ post multam vestigationem nactus est; illa verò *inuenire*, in quæ fortè incidit, vt docet Quintilianus. Et quidem eam esse vim verbi originalis alibi docui, & exemplis confirmaui. Nec verò id suadeo, vt vxor quælibet temerè, & sine consilio ducatur, sed contendo post multam consultationem, & diligentem disquisitionem vxorem optimam euenire, non quidem diligentiæ, ac solertiæ nostræ, sed fortunæ cuidam, & fœlicitati diuinitus immissæ tribuendum esse. Addo etiam præfatum Gregorium nobiscum sensisse, ac nomine fortis mulieris industriam, & sollicitam vxorem res domesticas diligentissimè obeuntem intellexisse: libet autem hìc subiicere verba, quibus ipse materiam industriam extollit. *Iam*, inquit, *cum aliæ rei familiaris augẽdæ laude, aliæ pietatis gloria excellant, (vtrumque enim assequi difficile est) vtroque nomine mulieres omnes superauit: tum quod vtrumque horum ad summum vsque præstiterit: tum etiam quod sola duo ista complexa fuerit. Rem enim domesticam industria sua iuxta leges mulieri forti à Salomone statutas ita auxit, quasi pietatem colere nesciret. Deo rursum, ac diuinis rebus ita se addixit, tamquàm à rerum domesticarum procuratione omnino abesset. Nec ab alterutro horum quidquam impedita est, quominus alterum impleret, quin potius vtrumque alterius ope fulciuit, & confirmauit:* hæc ille. Hinc autem liquidò colligitur difficultatem, quæ in hac sollicita muliere reperienda occurrit, non equidem totam in sexus infirmitatem, & mollitiem referendam esse, vt quidam docent, sed in ipsammet rei magnitudinem, quæ tanta est, vt illi virilis mens, & animus vix sufficiat. Nam Salomonis mens proculdubio ea est, vt eam mulierem laudibus ad cælum vsque vehat, quæ cum pietate industriam componit, hanc sanè *fortem* appellat, vel vt est in Primitiis *Mulierem virtutis*, quæ vox anceps est, & vtramque significationem complectitur. Hæc autem duo, industriam scilicet cum pietate copulare arduum valde, atque difficile est, quia mutuò secum pugnare videntur, pietas enim quietis amica est, industria verò inquietudinem & perturbationem parit.

Nazianz.

44. *Procul, & de vltimis finibus terræ pretium eius.* Interpretes ferè æstimationem huius optimæ Virginis his verbis notari volunt, quasi dicat. Huius vtique mulieris pretium ingens est, quemadmodum earum rerum, quæ procul ab extremis terrarum finibus asportari solent. Ea enim quæ aliunde adducuntur, pluris fieri solent, quàm illa, quæ tellus patria passim fundit. Ad eundem sensum vocari potest lectio Sept. *Pretiosior est lapidibus pretiosis, quæ talis est*, atque illa. *Longinquum ab vnionibus pretium eius*, hæc omnia pretij magnitudinem innuunt. Cæterum (ni mea me fallit coniectura) alius est huius loci sensus. Præmittere autem oportet, id quod iam inde multis docui supra cap. 4. vers. 5. scilicet vxores à viris emi solitas, vti eas in suas familias traducerent: cuius moris luculenta exempla ex sacris litteris petita ibi dedi; consule eum locum. Ergo Salomon sic ait. *Mulierem fortem quis inueniet?* Si qua verò eiusmodi inueniatur, *Procul, & de vltimis finibus terræ pretium eius*, idest, quolibet pretio oblato coëmenda, & comparanda est in vxorem, quia pretium eius superat pretiosissimarum rerum æstimationem, vincit vtique earum rerum, quæ ab extremis terrarum finibus asportantur pretium: excedit vnionem, & aliorum lapidum æstimationem.

Licet præterea in lectionem originalem aliam conicere interpretationem, acutam magis quàm solidam. *Longinquum ab vnionibus pretium eius*, id est, pretiosissimarum margaritarum valorem exsuperat. Margaritæ enim vnionum nomine propterea censentur, quia, vt author est Plinius libr. 9. cap. 35. vix vmquam duę reperiantur indiscretæ magnitudine æquales, forma, & colore consimiles. Ergo Salolomon, ait, vxor hæc fortis, ac strenua, vnionum valorem facilè superat, quia in his nullus est alteri par, & similis, atque adeò nullus cum altero cohærere potest. Ideò vniones appellantur, quia per se singuli pulchri, ac pretiosi sunt, non autẽ quia cum aliis accommodatè congruant. At verò mulier eiusmodi strenua, & sollicita, vel ideò pretiosa est, quia aptissima est ad consortium, & societatem; idonea videlicet ad nuptias, vtpote, quæ ad viri sui ingenium, ac mores sese accommodare, & temperare soleat, ita vt illi per omnia par, atque consimilis sit.

Plinius.

De Virgine, & Ecclesia.

Præter hanc expositionem, quæ litteralis est, occurit alia Patribus admodùm familiaris, qui mulierem istam fortem Ecclesiam esse voluerunt. Hieron. Beda, & Salonius hìc; sed reliquos vincit August. sermone 45. de diuersis, vide ibi. Sunt etiam ex Patribus, qui reliqua huius capitis verba sanctissimæ Deiparæ adscribant, ex his autem D. Bernard. in præfatum versum sic addit, serm. 2. super *Missus est*. *Quam verò aliam requirebat mulierem Salomon cùm dicebat, Mulierem fortem quis inueniet? nouerat enim vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem: tamen quia Deum legerat promisisse, & ita videbat congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat, Mulierem fortem quis inueniet? quod est dicere. Si ita de manu fœminæ pendet nostra omnium salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria, fortis omnino necesse est vt prouideatur, quæ ad tantum opus possit esse idonea; ac ne hoc quæsisse putetur, desperando; subdit prophetando: Procul, & de vltimis finibus terræ pretium eius: hoc est non vile, non paruum, non mediocre, non denique de terra, sed de cælo proximo terræ pretium huius fortis mulieris, sed à summo cælo.* Hæc ille, sed excutiamus hæc verba, *Mulierem fortem*. De Virginis sanctissimæ robore, & fortitudine satis multa dixi supra cap. 8. ed illa verba. *Mea est fortitudo*: si verò per *fortitudinem* non quidem robur, sed accuratam diligentiam circa domestica accipiamus, nulla vmquam rei domesticæ magis sollicita procuratrix fœmina fuit, quàm *Maria*, domus enim Dei Ecclesia est, istius domus totam curam, & administrationem Virgo sancta suscepit, sed de hac re ibidem aliquid adscripsi. 45.

Bernard.

46. *Procul, & de vltimis finibus terræ pretium eius*, nimirum digna est, quæ ingenti pretio comparetur (sic nuper exposui;) vile enim est quidquid pro ipsa offertur, ergo quicumque Mariam sibi optat, opes suas profundat, quidquid enim dederit illi longissimo interuallo impar erit. Septuaginta habent. *Pretiosior est lapidibus, quæ talis est*, Diuus Augustinus de Ecclesia in

in vniuerſum exponens hæc verba deſeribit:primum A
Eccleſiam multarum gemmarum varietate conueſtitam, & ornatam, ſubdit verò omnes fideles gemmas eſſe, in ornamento huius myſticæ mulieris; ſed ſi inde aut excidant,aut euellantur,continuò à pretio, & valore excidunt ſuo. Itaque abſoluit ſic Auguſtinus. *Diſcite lapides æſtimare negotiatores regni cælorum,nullus lapis nobis placeat,qui ſit extra huius mulieris ornamentum; hæc,quæ pretioſior eſt lapidibus pretioſis,ornamenti ſui ipſa pretium eſt.* Non aliud de ſanctiſſima Deipara iudicium ferendum eſt;ſanè fideles omnes,quotquot illam ardentiori ſtudio proſequuntur gemmæ ſunt, & pretioſi lapides, quibus illa veſtem ſuam pingit, ac variat:hi autem tamdiu æſtimatione digni ſunt,quamdiu in veſte illa inſulti hærent, B
ſi enim inde excutiantur, valorem omnem continuo amittunt. *Maria enim,quæ pretioſior eſt lapidibus pretioſis,ornamenti ſui ipſa pretium eſt.* Quid certius?

47. Extremam etiam lectionem accipe, *Longinquum ab vnionibus pretium eius.* Virgo enim Margarita eſt omnium margaritarum pretium ſuperans, hoc enim
Bernard. nomine cẽſuit Mariam Bern.non ſemel aliàs,ſed tùm maximè in ſerm. de Natiuit. D. Damaſc.in ſerm.eodem titulo. D. Ephræm in orat.de Margarita, & alij non pauci. Et quidem Maria vniones omnes vincit, eo ſenſu,quo nuper adſcripſi , quia non eſt vnio alicuius alteri vnioni per omnia ſimilis,& ideo omnis ad ſocietatem , & conſortium ineptus, ait , ſanctiſſima Deipara nihil vtique ad ſocietatem copulandam ac- C
commodatius vnquàm fuit, hanc Ioſeph ſibi coniugio adiunxit , hanc Spirit. Sanct. imò tota Trinitas ſponſam adſciuit, & vt ſup.c.8.non perfunctoriè diximus ad illa verba, *Per me Reges regnant*,&c.eadem *ſponſa Chriſti ſponſa Patris,& ſponſa totius Trinitatis* à Patribus compellari conſueuit. Quid igitur ad conſortium aptius illa,quæ tot vnà ſimulque ſponſos adinueuit? Subdit Salomon.

---

11. *Confidit in ea cor viri ſui ; & ſpoliis non indigebit.*

48. CONſidit, &c. Hebr. *Et ſpolio non indigebit*, oc- D
currit autem loco ſpolij vox שלל *Salal* , propriè autem ſignificat *prædam*, quæ de victis hoſtibus refertur. Septuag. *Confidit ſuper eam cor viri ſui, quæ talis eſt ; pulchris ſpoliis non indigebit.* Chald. *Confidit in ea cor viri ſui,& non ſpoliatur,neque indiget.* Scoliaſt. pro *ſpolijs* ſubiicit λαφύρων , cùm Sept. habeant σκύλων: hoc autem intereſt diſcriminis inter vtramque vocem, quod σκῦλα ſpolia ſunt ab hoſte iam peremto detracta,λάφυρα verò ea ſignificant,quibus hoſtis adhuc viuus diripitur. Caietanus tranſtulit , metaphoram ſoluens. *Et res familiaris non deficiet. Confidit in ea cor viri ſui*, verbum eſt בטח *Natach*, ſignificat autem ſeuerum eſſe, opponiturque metui,vel ſuſpicioni,vel dubitationi. E

Prima ergo fortis , ac ſtrenuæ mulieris pars eſt hæc,ſic ſe gerere, vt omnem ſui ſuſpicionem adimat viro,atque illum ſeuerum eſſe iubeat,ita vt zelotypię nullus locus ſit, ſic ferè omnes interpretes. Sunt tamen nonnulli, qui confidentiam iſtam mariti ad rem domeſticam,& familiarem referant,quaſi dicat;Maritus omnium rerum domeſticarum adminiſtrationem,& curam illi permittit,ac ſecurus,& timoris expers forenſia,& publica ipſe tractat.Poteſt tamen aliter exponi fortaſſe accommodatius. *Confidit in ea cor viri ſui*,nimirū vir eius prouidentię,& induſtrię tantum tribuit, vt ſperet ſe ipſius operis,atq; lucris ſatis diuitem euaſurum,adeò,vt ſpoliis non idigeat,ideſt, minimè opus ſit illi caſtra ſequi ad ſpolia referenda.

Sed tamen extremum hoc hemyſtichium non vno modo expendunt interpretes, plures præmiſſam expoſitionem amplectuntur,ideſt, vir huius fortiſſimæ mulieris haud opus habebit apud caſtra mereri , & ſpolia tanto diſcrimine quærere , quod quidem ita accipiendum eſſe reor,quaſi dicat,vir iſte fortunatus, cui tam ſolicita,& prouida vxor contigit , numquàm in eas anguſtias rei familiaris deueniet,vt opus ſit illi cuiquam inſeruire : adeo vt vel illud, quod maximè ingenuum eſt,ac liberale ſeruitij genus, ſcilicet militare , ac mereri in caſtris numquam ſubire cogatur. Caietanus per ſpolia rem familiarem intelligit , atque illud,*Spoliis non indigebit* perinde eſſe exiſtimat, ac ſi dicat, *Res familiaris non deficiet*, nam lucra omnia,quę induſtria parantur ſpoliorum nomine cenſeri vult.Illud verò *non indigebit*,ſic exponit,*non carebit illis*,ideſt affatim habebit. 49.

Rodolphus hæc verba vxori tradit, ita vt ipſamet ſpoliis nequaquam indigere dicatur,hoc ſenſu. Non minori ipſa robore , ac induſtria res neceſſarias ſibi, ac domeſticis comparabit, quàm ſi de victis hoſtibus ſpolia reportaſſet. Hieron. Oſorius aliam in hunc locum coniecit expoſitionem ad hunc modum. *Et ſpoliis non indigebit*, vtique ſpolia vocat bona per induſtriam parta : nimirùm vir iſte,qui optimam vxorem nactus eſt, credet illi cuncta bona ab ſe conquiſita, & ex creditis, & fidei illius commiſſis nihil vmquàm ei deperibit vel deficiet. Id ſibi vult illud, *Non indigebit* , id eſt , non carebit , ſed ſeruata ſemper in promptu habebit. Legionenſis de perfecta vxore aliter verba iſta ediſſerit Duplex eſt, ait, genus bonorũ, aliud quod mercatura,& negotiatione paratur,id verò ſpoliorum nomen fert , quia ferè mercatores aliis ſpoliatis diteſcunt:aliud autem quod ex telluris fructibus quæritur, quod imprimis innocens,ac iuſtum eſt(vt nos alibi longa oratione docuimus. Ergo Salomons ait, vir iſte fœlix,cui diligens, ac ſollicita vxor contigit , augendæ rei familiaris ſpem in ipſa reponens,ſatis ſibi ducet agros colere, & fructus decerpęre,quos tellus ſponte affert;negotia ver,& mercaturam exercere ad quæſtus ampliores percipiendos opus ſibi eſſe non exiſtimabit. Hactenus interpretes. 50. Rod.lib. Oſorius.

Sed vt dicam quod ſentio,aliam Salomonis mentem eſſe reor,præmittere autem oportet fœminarum veſtes,monilia , & alia mundi muliebris ornamenta, ſpoliorum nomine accommodatiſſimè appellari ; ſic apud Sophoclem *Amicus ad amicam*, καὶ σέ παγχρύσοις ἐγὼ στέφω λαφύροις,ideſt,& ego te aureis ſpoliis coronabo,vel circumdabo, ideſt, monilibus, atque aliis ornamentis ; vide quæ nos contulimus Cant.4. ad illa verba.*Collum tuum ſicut turris Dauid,quæ ædificata eſt cum propugnaculis:mille clypei pendent ex ea,omnis armatura fortium*,vbi decreuimus Salomonem loqui de anathematis. Erant autem anathemata ſpolia ab hoſtibus detracta,ſcilicet ſcuta,& alia armorum genera pro turribus appenſa in partæ victoriæ monimentũ, ita vt quarundam turrium externi parietes clypeis vnde quaque cincti olim viſerentur. Accipe pauca ex multis , quæ ibi dedimus. Ezech. Propheta Tyri pulchritudinem commendans ſic ſcribit c.27. *Perſæ, & Lydy,& Lybies galeam,& clypeum ſuſpenderunt in te pro ornatu tuo.* Ipſos etiam templi Hieroſolymitani parietes ſpoliis atque anathematis appenſis ornarunt Hebræi. Ioſeph. lib 15. Antiquit. ca.14. *Circum templum*, inquit, *affixa erant ſpolia barbarica, quæ omnia Herodes denuò dedicauit,additis etiam recentibus Arabicis.* Mitto alia humana. Ergo in illis verbis , *Mille clypei pendent ex ea,omnis armatura fortium*,ſermo eſt de Regia Dauid:per clypeos autem intelligo anathemata,& ſpolia,non quidem intra turrim ſeruata, ſed foris pro muris appenſa , &c. hæc autem aptiſſimè conferuntur 5. Sophocl. Cant.4. Ezech.27. Ioſeph.

conferuntur cum monilibus aureis, aliisque ornamentis, quæ ex collo sponsæ demittebantur. Licet etiam hanc clypeorum multitudinem ad scutulatas vestes referre, quibus olim nuptę vtebantur, quarum meminit Hieron. qui illa verba Psalm. 44. *Omnis gloria filia ab intus in fimbriis aureis*, &c. ad verbum ex originibus sic conuertit. *Omnis gloria filia Regis intrinsecus fasciis aureis vestita est, in scutulatis ducitur ad Regem*. Erant autem scutulatæ vestes vmbellis aut scutulis quibusdam aureis distinctæ, quarum meminit Plin. lib. 38. cap. 8. & Iuuenal. Satyr. 2. de viro qui induerat muliebria sic addit. *Cærulea indutus scutulata, & Galbana rasa*. Et quidem decora satis, atque apta comparatio est, turris clypeis, & vmbonibus deauratis victoriarum monimentis vndequaque præcinctæ, cum fœmina scutulatam vestem induente. Ad rem. *Plinius. Iuuenal.*

52. Salomon quidem mulierem illam fortem, quam describendam susceperat, commendans sic ait. *Confidit in ea cor viri sui*, idest, illi toto corde, atque omni suspicione sublata fidit, *& spoliis non indigebit*. Vir scilicet iste fortunatus, nequaquam opus habebit pretiosis monilibus, aut scutulatis vestibus, vel aliis ornamentis, quibus illam sic exornet, quemadmodum turres spoliis, & anathematis appensis decorari solent. Nam cùm ipsam fortissimę adinstar turris constantem semper, atque robustam experiatur, non tamen illi necesse erit scutulata vestem ipsam tegere, quemadmodum turres appensis scutis præcinguntur. Et idem sensus est si præfata verba de vxore accipiantur cum Rodolpho, ipsa nimirum non indigebit hisce ornamentis à marito sibi collatis. Itaque iuxta hũc sensum prima huius strenuæ mulieris laus est ornamentorum contemptus; hinc autem viri erga illam fides: nam quæ sunt Phylocosmæ, & ornamentorum percupidæ mulieres, zelotypiam maritis mouere solent. Chrysost. hom. 21. ad Popul. *Vis, inquit, ornare faciem, non margaritis, sed modestia, & honestate: sicque vir gratiorem cernet aspectum; ille nempe ornatus, & zelotypiæ suspicionem inijcere semper solet, & inimicitias, & contentiones, & pugnas.* *Chrysost.*

53. Vel aliter, iuxta dicta locum istum expono. Animaduertere autem oportet illas aureis vmbellis scutulatas vestes nuptiales esse; his enim amictæ sponsæ ad maritos deferri solebant. Ita docuit Plinius, atque lectio D. Hieronymi apertè innuit, quæ sic habet. *In scutulatis ducetur ad regem*, id est, ad sponsum. Ergo Salomon ait. Mulier fortis, & industria, difficilis admodùm inuentu est; *Procul, & de vltimis terræ finibus*, &c. Si tamen aliqua eiusmodi occurrat, *Confidit in ea cor viri sui*, idest, cor animumque suum in illam transfert maritus *& spoliis non indigebit*, hæc nimirum, quę talis est, opus non habebit scutulata veste, aut monilibus vt placeat viro suo, cùm primùm illi ducenda offertur; sed nuda, vt aiunt, & indotata accipi poterit. Itaque secundum hanc expositionem suadetur mulierem industriam, & strenuam indotatam, & nudam præferendam esse illi, quę auro, & gemmis splendet, atque dotem amplissimam numerat. Hanc interpretationem confirmat trãslatio Sept. quæ extrema verba sic extulit. *Quæ talis est, pulchris spoliis non indigebit*. Itaque non *spolia* solùm, sed *pulchra spolia* dicit, innuens apertè non de militaribus spoliis sibi sermonem esse, sed de his ornamentis fœminarum, quę metaphoricè spolia, & anathemata dicuntur. *Plin. Hieronym.*

De Virgine, & Ecclesia.

54. Hæc verba de Ecclesia interpretantur supra scripti Patres, Augustinus, Beda, Hieronymus, Hugo, & alij locis citatis. Lege apud illos multa in hanc sententiam. Virgini etiam hæc verba tribuit Ecclesia. At quis, inquies, vir iste, vel sponsus qui tanta ipsam confidentia complectitur, *confidit in ea cor viri sui?* non enim vnus tantùm Mariæ sponsus, sed duplex, scilicet Ioseph, atque Spiritus sanctus; illi quidem per legitimas nuptias tradita fuit, huic mente, & animo copulata, de quo Angelus ad ipsam. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, vbi verbum *obumbrabit*, ad nuptias pertinet, sicut verbum *nubo*, vt supra docui cap. 8. vers. 13. Ergo ex his duobus sponsis, alter, scilicet Ioseph, non omnino ex corde Virgini confidisse videtur: nam aliquando zelotypiæ, & suspicioni locum faciens. *Cùm nollet eam traducere, voluit tamen occultè dimittere eam*, Matt. 1. Reliquum ergo est, vt Spiritus sanctus sit cõfidentissimus ille sponsus Mariæ. At inquies, Spiritus sanctus à zelotypia non omnino immunem se esse testatus est Cant. 8. vbi eandem Virginem affatus ait. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est, vt mors, dilectio, & dura sicut infernus æmulatio*. Cæterùm Iosephum à zelotypiæ suspicionibus liberant ex patribus Chrysostomus, Theodoretus, Theophyl. & alij: accipe vnius Chrysostomi verba Hom. 4. in Matth. *Non enim tantum eam damnare voluit, sed ne publicare quidem. Vidistis virum sublimiter philosophantem, & tyrannia illius affectionis immunem; nostis enim profectò, nostis quam impotens res sit zelotypia.* *Matth. 1. Cant. 8. Chrysost. Theodoret. Theophyl.*

Ego quidem ita reor vtrumque sponsum Virgini sanctissimæ ex animo fidem præstitisse: an verò inter se mutuò zelotypiæ aliquid senserint videndum est. 55.
D. Augustinus in lib. 83. quæst. inquirit causam, ob quam Deus; qui in veteri Testamento vni viro plures ducendi vxores copiam fecit, vni quidem fœminæ plures maritos sibi adiungere non indulsit; occurrit autem ea in re, *Deum zelotypiam remouere voluisse*, quæ viros vehementes vexare solet. Cùm ergo Virgini duplex sponsus euenerit, scilicet Ioseph, ac Spiritus sanctus, zelotypiæ locus quodammodo fieri videbatur. D. Laurent. Iustin. vtriusque sponsi nuptias recolens zelotypiam omnem inter Spiritum sanctum, & Ioseph, submouere volens ait. *Officia inter se sic partitos fuisse, vt cura, & custodia corporis ad Iosephum pertineret, animi autem curam, & custodiam Spiritus sanctus sibi finxerit*: itaque Ioseph, corporis, Spiritus sanctus animæ sponsus erat. Cæterùm, si res penitius inspiciatur, ea curarum, atq; munerum partitione non tam quidem Spiritus sancti, & Ioseph, zelotypiam sustulisse, quàm eiusdem excitari assignatiue mihi videtur. Nam Ioseph quidem tanto studio Virgini inseruire, atque de illa benemereri cupiebat, vt quodammodo zelotypia erga Spiritum sanctum (si licet dicere) vreretur, quod animum colens, maiora, & digniora sponsæ suæ beneficia conferret, quàm quæ ipse eiusdem corpori impendere poterat. Ac rursus Spiritus sanctus tanto ardore erga Mariam beneficiis largioribus cumulare studebat, vt quodammodo etiam (liceat sic fari) Iosephum zelo quodam nobili prosequeretur, quod ea Ioseph præstaret Virgini officia quantumuis inferiora, quæ ipsemet Spiritus per seipsum Mariæ pręstare non poterat. Hinc vtriusque æmulatio, hæc zelotypiæ materies, ex quo id demum conficiebatur, non solùm vt sponsus vterque sua erga Virginem officia plurimùm augere curaret, sed etiam vt singuli alter alterius ęmulus, eius curam, & munera, quoad fieri posset, imitari conarentur. *August. Laurent. Iustinian.*

Expendo igitur æmulationem, qua Ioseph erga Spiritum sanctum ardebat, ac primo succedant memoriæ illa verba, quibus Iacob Patriarcha filio Ioseph moribundus benedixit Gen. 41. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu*, quem locum Septuag. 56. *Gen. 41.*

A Septuag. Interpretes sic extulerunt. *Filius zelatus Ioseph, filius zelatus.* *Ambros.* Ambrosius autem non semel sic legit. *Filius zelotes Ioseph, filius zelotes.* Itaque Ioseph ille qui *Bernard.* Bernardo teste, nostri Ioseph vmbra, & similitudo fuit, *zelatus*, atque *zelotes* dictus est: quæ verba in Mariæ sponsum optimè cadunt, hic enim vir zelatus, atque zelotes fuit, quia scilicet ab Spiritu sancto zelatus est, & ipse vicissim eidem Spiritui se zelotem, atque æmulum præbuit. Iam verò qua ratione Ioseph Spiritum sanctum, quasi ex quadam æmulatione imitari contenderit in his, in quibus ab ipso superari videbatur, subiicio libens. Vtique Spiritus sanctus, ad quem spectat animas sanctificare, & gratia donare, Mariam gratia repleuit, vnde Angelus ad ipsam, *Aue gratia plena.* B Ergo Ioseph Spiritum sanctum zelatus, liceat mihi, inquit, illum quodammodo imitari: ita vt quemadmodum Maria ab Spiritu sancto sponso suo gratia plena dicitur, sic etiam eadem à me gratia quodammodò compleri dicatur: nam ipsemet Spiritus sanctus mulieris, quæ viro probo atque iusto tradita est, fœlicitatem commendans ait, *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata:* loquitur *Ecclesiast.* autem Ecclesiasticus de fœmina vxorata cui bonus, & pius obtigit maritus, & sensus est, iusta, casta atque bene nupta mulier, quasi dicat, mulier, quæ virum optimum nacta est, gratia quidem affatim expletur, id est, fœlix valdè, atque beata est, sumitur enim ibi gratia pro fœlicitate. C Ergo non immeritò dicemus Mariam Virginem ex eo, quod Iosepho viro perfecto, ac iusto copulata fuit, gratia completam fuisse, atque adeò Iosephum Spiritus sancti erga Mariam beneficentiam, velut ex quadam zelotypia imitatum *Luc. 1.* fuisse. Secundo de Spiritu sancto dicitur Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Aug. autem sic exponit *obumbrabit*, id est, ab æstu libidinis defendet, vt salua Virginitate conciperet. Ergo Ioseph ait, in huius gloriæ societatem, me vocari oportet, si enim Spiritus sanctus Virginitatis Marianæ defensor, & assertor est, *ego etiam eiusdem Virginitatis custos* dici debeo, & quidem eo no-*August.* mine censetur ab eodem Augustino in serm. de An-*Bernard.* nunciatione Mariæ, & ab alijs passim Patribus. D Bernardus verò verbum illud *obumbrabit*, sic edisserit, nimirùm Spiritus sanctus mysterium incarnationis, & Virginitatem Mariæ teget, & quasi tenebris obducet, ne passim ab hominibus cognosci posset, huius autem gloriæ nequaquàm exortem se esse patitur Ioseph; quinimò si Spiritus, inquit, sanctus ad occultandum hoc mysterium vmbram aliquam obtendere volet, ego sanè futurus sum ipsa vmbra, & integumentum, quia non aliter partus Mariæ Virgineus celatus, & occultatus est, nisi per nuptias Iosephi. Ad hæc alij tradunt verbum illud *obumbrabit*, esse vocem nuptialem, sicut *nubo, tego, operio*, & alia id genus, vt supra obseruaui cap. 8. vers. 13. atque adeò sensum esse, *obumbrabit*, idest, viri opus, ac vices compensabit, vt scilicet ab ipso Spiritu sine viro Christi E conceptus peragatur. Hinc autem emicat sublimior quædam gloria Ioseph, cuius vicarius proximè Spiritus sanctus fuit. Succedat autem memoriæ id, quod lex olim fratri minori præscripsit, cùm natu maximus obierat, antequàm filios ex propria vxore susciperet. *Et accipiet*, inquit, *eam* (scilicet vxorem fratris natu maximi) *frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen illius de Israël.* Ad rem. Sanè Ioseph, quod attinet ad prolem generandam, per votum perpetuæ Virginitatis, quod iam inde nuncupauerat, plane demortuus, ac vita functus diu, & cum mortuis numerari poterat. Ergo Spiritus sanctus erga illum (liceat sic dicere) quasi minoris fratris vices egit, suscitans illi semen, hoc est filium in vtero Mariæ diuina sua virtute procreans, qui licet opera, & virtute Spiritus sancti editus in lucem fuit; cum tamen Spiritus sancti filium appellare fas non est, (vt verosimilior opinio fert.) Ioseph verò filius, & dici, & appellari potest, ac debet, vt ab ipsa Virgine Maria didicimus, cùm ait. *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te*; ad hunc modum Ioseph cum Spiritu sancto, veluti ex quadam zelotypia contendit, ita vt nihil gratiæ, vel operis ab Spiritu sancto in Mariam proficisceretur, quod non etiam ex quadam imitatione à Ioseph quodammodo proficisci dicatur.

Rursus Spiritus sanctus sponsus Mariæ aliter per 57. zelum, & æmulationem cum Iosepho contendit, ea scilicet officia, & munera, quæ per semetipsum exequi non poterat imitari, & adumbrare, & eiusdem consortem fieri volens. Nam primo quidem Ioseph fuit legitimus, & proprius Mariæ sponsus, per veras & legitimas nuptias illi copulatus, hanc dignitatem, & gloriam (liceat sic dicere) inuidit Spiritus sanctus Iosepho, & cùm non posset Mariæ ea ratione per nuptias legitimas verè desponsari, ac nubere, id tamen, quoad fieri potuit, imitari ipsi libuit. Primo quidem quia Nicephorus Calixtus nuptias Mariæ, atque Io- *Niceph.* seph describens sic addit. *Spiritus sanctus fuit huius connubij paranymphus, & pronubus.* Est autem pronubus, vulgò procurator, qui nomine absentis sponsi sponsam ducit: ergo Spiritus sanctus, vt aliqua ratione Mariam duxisse diceretur, cùm non possit eidem suo ipsius nomine nubere, pronubum egit, vt saltem de alterius nomine nubere diceretur. Quod si roges qua ratione pronubum, & paranymphum Spiritus sanctus sese exhibuit; audi Hieronymum in hi- *Hieron.* storia de ortu Mariæ. *Pontifex ad consulendum Deum de more accessit; nec mora, cunctis audientibus de oraculo, & de propitiatorij loco vox facta est: requirendum esse, cui virgo illa commendari ac desponsari deberet, cunctos de domo, & familia David nuptiis habiles, non coniugatos virgas suas ad altare allaturos esse prædixit, & cuiuscumque virgula florem germinasset, & in eius cacumine Spiritus Domini specie columbæ consedisset, eum esse, cui Virgo commendari, & desponsari deberet.* Euentus autem oraculo respondit, & Spiritu sancto columbæ specie supra illius virgulam consedente delectus est Ioseph. Meritò igitur Nicephorus harum nu- *Niceph.* ptiarum paranymphum, & pronubum Spiritum sanctum appellat.

Quid plura? Gerson hanc præscriptam historiam 58. commemorans sic absoluit. *Ioseph ergo sancto Spiritu* *Gerson.* *suadente Mariam duxit vxorem*, id est, Spiritus sancti afflatu, & impulsu. Sanè exploratum est in moralibus ei, qui aliquid suadet alteri, effectum exhortationis perinde moraliter tribui, & adscribi, ac si ipse per se gessisset. Nimirum qui suadet furari, fur dicitur, & qui suadet mœchari, mœchus similiter appellatur. Ergo Virginem ab Spiritu sancto aliqua ratione ductam fuisse dicere oportet: si quidem Gerson ait Ioseph Spiritu sancto suadente Mariam duxit vxorem. At, inquies, abhorret hic modus loquendi ab Spiritus sancti maiestate, & gloria. At rogo, quid magis Spiritus sancti maiestatem, & gloriā dedecet, despōsatione, an flere, & gemitus dare? sanè hoc indecorum magis videtur. Cùm ergo ex eo tantùm, quod ad flendum, & gemendum impellat, illacrymari, atque gemitus edere non incongruè dicatur, secundum illud Pauli, *Rom. 8.* *Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, potiori iure desponsari, & Mariam ducere congruè satis idem Spiritus dicetur, cuius suasione, & afflatu illam duxit Ioseph. Itaque Spiritus ille sacer nuptias Ioseph, velut ex zelotypia imitari volens quodammodo etiam Virgini nubere voluit, vt iam dixi.

59. Rupert. Sed tamen, mea quidem sententia, in eo maximè hæc Spiritus sancti erga Ioseph æmulatio perspicitur, quod Rupertus attexuit. *Erat*, inquit, *Spiritus sanctus vtriusque nexus, & coniugalis amor*, quod quidem ego ita accipio, ne Maria Iosephum impensiùs amaret, ita vt iniuria aliqua fieret amori, quem ipsemet Spiritui sancto super omnia impēdere debebat. Ac rursus ne Ioseph Mariam sic adamaret, vt aliquid de amore suo erga Deum detraheret, vtriusque coniugis amorem æmulator, atque zelator Spiritus moderabatur, ac regebat, duas vtriusque voluntates sic connectens, ac copulans, vt inter se ea ratione cohærerent, vt amor humanus, & coniugalis diuino amori, & charitati penitus subderetur. Ad hunc modum Ioseph noster filius fuit *zelatus*, atque *zelotes*, sic duo Virginis sponsi Spiritus sanctus, atque Ioseph (liceat sic dicere) inter se mutuò ex æmulatione contenderunt, & virgini etiam confidentissimè inseruierunt, iuxta illud. *Confidit in ea cor viri sui*.

August. Cæterùm vt hæc confidentia Ioseph plurimi habeatur libet subiicere obscura verba Augustini in serm. 84. de tempore in festo Natiuit. (si tamen illius est, vel alterius non inerudίti viri, stylus enim haud degener existit.) *Habe*, inquit, *Ioseph cum Maria coniuge tua Virginitatem membrorum, quia de Virgineis membris virtus nascitur Angelorum, sit Maria sponsa Christi Virginitate seruata* (hic sanè mendum esse suspicor, atque adeò sic restituendus est locus iste, vt sententia cohæreat,) *sit Maria mater Christi Virginitate seruata, sis autem & tu pater Christi cura castitatis, & honorificentia Virginitatis, vt de Virgineis membris genitricis sæculis Christianis nulla sit zelotypia*, hæc ille, quæ verba hunc ad sensum vocanda sunt. Alloquitur Augustinus Iosephum Mariam dimittere cogitantem: *Habe*, inquit, id est, cole Virginitatem carnis, quæ tibi cum sponsa tua Maria vna, & communis est: nec temerè, quia qui Virginitatem colunt virtute, ac meritis, Angelis ipsis pares sunt, *Sit*, inquam, *Maria mater Christi Virginitate seruata*. Hæc verba non ab ipsa Maria Virginitatem seruatam significant, sed à Iosepho, qui Mariani pudoris custos, & seruator fuit. Itaque ait sit scilicet per te, ô Ioseph, *Maria mater Christi seruata ipsius Virginitate*; nimirum quod Maria sit mater Christi hoc tibi debeat: nam ideò mater Christi extitit, quia Virgo fuit; ideò autem Virgo fuit, quia tu Virginitatem illius seruasti. Quomodo autem Ioseph Mariæ pudorem seruauerit, subscribit Augustinus, quia scilicet iuri, quod ipsi propter legitimas nuptias in Mariæ carnem inerat, cessit libens, & vna cum ipsa Virginitatem colere voluit. Obserua dignitatem Ioseph, & Mariæ erga ipsum immensum debitum. Quod enim mater Dei electa, & facta fuit, post Deum ipsum vni Ioseph debet; nam Virginitas illi maternitatem attulit; Virginitatem autem illius Iosephi temperantia seruauit. Rursus ex hoc tanto debito coniectari licet quantis pia Virgo donis hoc debitum illi rependere, & remetiri semper studuerit.

August. Subdit Augustinus. *Sis autem & tu pater Christi cura castitatis, & honorificentia Virginitatis*, id est, non quidem tuæ, sed Mariæ: quasi dicat, dum Mariæ Virginitatem, custos optime, temperantia tua seruas, ac defendis, non solum id obtines, vt sponsa tua sit Dei mater, sed etiam vt tu ipse sis Dei pater, excellenti quadē auctoritate: sicut enim alij violatis vxoribus suorum filiorum parentes fiunt, sic tu è conuerso sponsæ tuæ Virginitate incolumi seruata, pater Christi efficiaris. Nam quemadmodum aliis filiis nascendi causa fuit coniugalis vsus; ita etiam Christo nascendi causa fuit abstinentia ab hoc vsu, & matris ipsa Virginitas à Iosepho seruata, Christus enim non aliter nisi ex Virgine nasci debuit. *Ac demum inde fiet, vt de Virgineis membris genitricis sæculis Christianis nulla sit zelotypia*, idest, te custode, ac seruatore Virginei pudoris, fiet vt iam deinceps nullis vmquam sæculis Christianos animos nulla tangat suspicio Marianæ Virginitatis, sed omnes certo certius credāt eam ante partum, in partu & post partum, inuiolatam Virginitatem seruasse, Itaque mens Augustini hæc est Ioseph Virginitatem per suam zelotypiam (si qua fuit erga Virginem) omnem ab Ecclesia zelotypiam, & suspicionem de perpetua Dei genitricis Virginitate sustulisse. *Ergo confidit in ea cor viri sui*. Quia etsi primùm fortasse ambiguus fuit, ab Angelo admonitus suspicionem deposuit, Christianis omnibus eiusdem suspicionis deponendæ auctor fuit. Attexit.

Et spoliis non indigebit. Hæc si Iosepho tribuantur, recolenda est communis illa doctorum persuasio, quę docet in Iosepho ab ipso die initi cum Maria coniugij, ob reuerentiam tantæ Virginis omnem libidinis fomitem, & sensum fuisse penitus extinctum, ita vt neque leuior aliquis motus animum illius subiret, ita docent Gerson. in serm. de Natiuit. Virginis. Ekius in serm. de sancto Ioseph. Iacobus Christopolitanus in Magnif. & alij passim. Ergo sic accipe. Cum alij sancti carnis rebellionem experiantur, vtique pugnare, vincere, ac spolia reportare illis opus est: At Ioseph noster spoliis non indiguit, quia pugnas, & bella appetitus, & carnis numquam sensit, ex quo Virgini matrimonij vinculo adstrictus fuit: quod si per *spolia* intelligas ornamenta monilia, scilicet inaures, & alia id genus, vt supra præfatus sum, sensus erit, *Et spoliis non indigebit*, hoc est, minimè opus erit Ioseph, vestes, monilia, & alia ornamenta ad Mariam sponsam suam perornandam & decorandam conquirere. *Omnis enim gloria filia Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, externarum autem vestium nullus illi cultus, aut gloria, vt docet Ambros. in libr. de Virginitate, vel aliter, *Maria ipsa non indigebit spolys*, nimirum vti sponso suo Ioseph placeat, pretiosis vestibus & ornamentis non indiguit, nam virtutum ipsius decor ac splendor efficiebat vt eidem pergrata accideret.

60. Gerson. Ekius. Iacob. Christ. Psalm. 44. Ambros.

12. *Reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ.*

Reddet ei, &c. Hebr. *Reddit*, aut *retribuit ei*. Septuag. *Operatur enim viro bonum, & malum tota vita sua*, sic habet codex Regius, Complutensis, & alij. At Sixti correctior textus sic reddi debet. *Operatur enim viro ad bona in omni vita sua*. Schol. *In omni tempore*. D. August. *Operatur viro suo bona, & non mala*. Aquil. Symmach. & Theodot. *Omnibus diebus vitæ suæ*, sicut nostra. 61.

Sanè textus noster anceps est: possunt enim verba hæc vxori, atque viro tradi, ita scilicet, vt sensus sit. *Reddet ei bonum & non malum*, &c. nimirum huic forti, atque strenuæ mulieri non solum fidit vir eius, sed etiam ei semper indulget, & numquàm seueriùs cum illa agit: Sed tamen hæc iuterpretatio, quam aliqui amplexi sunt, abhorret omninò à textu originali, in quo pronomen illud *ei*, est generis masculini, atque adeò ad virum referendum est.

62. Ergo communis interpretatio verba ista vxori tribuit, sensus autem quadrifariam conformari potest. Primo, *Reddet ei bonum*, &c. idest, vxor hæc fortis, quam maritus per tantam confidentiam sibi deuinxit, hanc gratiam illi rependet, vt quo maior est viri erga illam confidentia, eo maior ipsius erga virum sit fides. Itaque *bonum reddet ei, & non malum*, secundùm hanc

hanc expoſitionem perinde eſt, ac ſi dicat, pro confidentia fidem ei reddet, non perfidiam. Sic Rodolph. Et ſanè ea oratione inſinuatur optimè huius fœminæ robur, & ingenuitas, nam ſi deneget eſt alicuius fœminæ animus, confidẽtia viri audaciam illi, & impudentiam præſtare ſolet. At ingenuæ, atque robuſtæ mulieris fides confidentia ipſa alitur, & creſcit.

63. Secundò alij ſic exponunt. *Reddet ei*, &c. i. non ipſius opes, & facultates exhauriet, ſed magis induſtria ſua augebit, & cumulabit. Congruit autem hæc interpretatio cum ſequentibus. *Quæſiuit lanam, & linum*, &c. ſic Legionenſis. *Legion.* Expendit autem autor iſte verbum illud *reddet*, quod ſignificat hoc officium nõ gratis, ſed ex debito viro ab vxore præſtari debere: tenetur enim vxor opes mariti ſeruare, & augere, B non diſſipare, & decoquere. Vrget iterum idem verbum *Reddet*, atque inde conficit, oportere maximè vt vir erga vxorem ſic ſe gerat, vt prædicta vxoris cura ſit quædam reddito, & compenſatio acceptæ ab ipſo gratiæ.

64. Tertiò Ianſenius per *bonum* hoc, quod vxor marito *Ianſen.* ſuo reddere dicitur; ſolatium, lætitiam, indulgẽtiam, & in vniuerſum quodlibet bonum, quod ab vxore in virum proficiſci poteſt, intelligi poſſe exiſtimat. Fruſtra enim in anguſtias cogitur, inquit, hæc interpretatio; ſed tamen vereor, nedum amplior quæritur expoſitio, laxior ſententia fiat. Quapropter quartum alium ſenſum reliquis præferendum eſſe puto ad hũc modum. *Reddet ei bonum, & non malum*. Commendatur quidem huius mulieris robur, & animi magnitudo, quam tantam futuram eſſe docet Salomon, vt licet maritus illam acerbus contingat, qui ſeuerius obiurget, carpat, ſuccenſeat, qui verbis acrioribus, aut quomodolibet aliter ipſam petat, nihilominus numquam *malum pro malo reddit*, ſed hæc omnia bonis officiis, obſequiiſque comp enſat. Hæc eſt enim robuſtiſſimæ mulieris præſtantiſſima laus, aſperum & acerbum virum non modò ferre, ſed etiam tolerantia ſua & indulgentia mittem reddere. Huc ſanè accommodatius deflecti poteſt illud exemplum viperæ atque murenæ, de quibus ſic Baſil. homil. 7. in Hexam. *Baſil.* *Vipera genus ſerpentum omnium exitioſiſſimum, murena marina nuptias expetit, & ſibilo ſuam ſignificat præſentiam, eamque ex gurgite vaſto inuitat ad nuptiales complexus, illa autem obtemperat, & coit cum venenato. Quid hæc mea ratio vult? quid portendit? ſiue aſper eſt cuiuſpiã coniux, ſiue ferus moribus, perferat illum vxor neceſſe eſt, neque vllam prorſus ob cauſam ſocietatem illius diſſoluere patiatur. Ferit ne, verberat, eſtque percuſſor? at vir tamen eſt tuus: temulentus ne? at tibi eſt natura coniunctus. Durus ne, moroſus, & implacidus? at membrum iã tuum eſt, & membrorum præſtan iſſimum: audiatque ipſe vir accommodatam, ſeque decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem euomit, tu duritiam, tu feritatem, tu crudelitatem ob vnionis reuerentiam non deponis?* hæc ille. Ergo quæ ad hunc modum acerbos, & difficiles mariti ſui mores perfert, & tolerantia ſua emollit, ac lenit, hæc *viro ſuo bonum reddere dicitur & non malum*.

65. Ad extremum illa verba. *Omnibus diebus vitæ ſuæ*, de vita ipſius vxoris capienda ſunt; nam pronomen poſſeſſiuum in Primitiuis eſt fœminini generis, ſignificat autem hæc obſequia, & officia vxoris ſtrenuæ erga maritum nullis temporum decurſibus, aut ætatum viciſſitudinibus intercumpenda.

Tranſlatio correctior Septuag. alium ſenſum reddere videtur. *Operatur viro ſuo ad bona*, ideſt, mulier iſta fortis, ſeu induſtria, cooperatur cum viro, & adiutorium ſuum illi præſtat ad optima quæque perficienda, licet enim mulier viro in adiutorium data ſit ad onera portanda, tamen multæ ſunt vxores, quæ A non eleuant, ſed magis cumulant virorum ſarcinas. Non ita robuſtior hæc fœmina, quæ opere & auxilio ſuo viri labores, & ſarcinas leues reddit, cuius adiutorio vir ad bona quæque patranda vti poteſt.

D. Auguſt. in ſerm. illo 45. de tempore, etſi accommodatitiam de Eccleſia interpretationem ſequitur, *Auguſt.* tamen alteri litterali anſam præbet ad hunc modum. *Operatur viro ſuo bona & non mala in omni vita ſua*, exequitur ſcilicet ſemper bona, & à malis abſtinet, id verò non vt aliis, ſed vt viro ſuo placeat, & gratiam illius magis, ac magis ineat.

De Beata Virgine.

Præfatas expoſitiones Virgini, ac Ioſeph accommodare integrum eſt; Virgo enim Maria verè ſponſo ſuo Ioſeph *reddidis bonum, & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ*; nam fidem ab omni perfidia alienam illi præſtitit: hæc erat prima interpretatio; opes illius non temporales, ſed ſpirituales auxit, ſolatia, & animi delinimenta eidem impendit, hæc erat 2. & 3. expoſitio. Accipe verba D. Bernard. in ſerm. de Ioſeph. *Bernardus.* *Amplius autem, quia omnia quæ ſunt vxoris, ſunt viri, credo quod beatiſſima Virgo totum theſaurum cordis ſui, quem Ioſeph recipere poterat, ei liberaliſſimè exhibebat*, & breui interuallo. *Quantas putas exhortationes, conſolationes, promiſſiones, illuminationes, inflammationes,* C *& æternorum bonorum reuelationes recipit in tranſitu ſuo Ioſeph à ſanctiſſima ſua ſponſa Maria*. Sed obſerua vim illius verbi *reddidit*, aut *retribuit ei*, ſignificat enim hæc omnia bono non gratis, merè, ac liberaliter à Virgine Ioſepho impendi, ſed ob acceptam gratiam repẽdi, ac reſtitui. Succedat autem memoriæ id, quod nuper in ſuperiori verſu adſcripſi ex Auguſt. qui docet Ioſephum de Virgine tãtopere bene meritum, vt illi Maria hoc debeat, quod in matrem Dei diuino conſilio electa fuit, quia Virginitas Dei parentis dignitatem ipſi attulit, Virginitatis autem inuiolatæ gloriam Ioſephi temperantia ſeruauit. Nam proptetea inquit Auguſt. Maria Virgo in æuum manſit, quia *Auguſt.* Ioſeph vir eius iure ſuo ceſſit, quod ipſi in eius carD nem legitimæ nuptiæ tradiderant. Ergo propter gratiam iſtam qua Virgo à Ioſeph ſponſo donata, & affecta fuit, aptiſſimè in ipſam quadrat illud, *reddit ei bonum, & non malum*, &c. reddit inquam, ideſt, acceptam ab ipſo gratiam rependens, ac remetiens, ei cumulatiſſimè reſtituit quod ab ipſo accepit.

67. Sed accommodatiſſimè Virgini adaptare licet trãſlationem Sept. iuxta præmiſſam expoſitionem *Operatur viro ſuo ad bona*, ideſt viro ſuo ad optima quæque operatrix & adiutrix eſt, ob ſimilitudinem voluntatis, atque morum. Gen. 2. dicitur. *Non eſt bonum* *Gen 2.* *hominem eſſe ſolum; faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*. Quanta ergo dignitas illius hominis, cui Maria non diſpar, ſed ſimilis valdè contigit adiutrix. Nam ipſum E Ioſeph Mariæ quam ſimillimum fuiſſe docet D. Bernard. vbi ſupra. *D. Bernar.* *Quomodo, inquit, cogitare poteſt mens diſcreta, quod tanta vnione vniret menti tantæ Virginis aliquam animam, niſi ei virtutum operatione ſimillimam? Vnde credo Ioſeph fuiſſe mundiſſimum in Virginitate, profundiſſimum in humilitate, ardentiſſimum in charitate, altiſſimum in contemplatione*. &c. Ego Virginem Ioſepho cooperatricem, & adiutricem fuiſſe ad bona, ſic intelligo; ipſam ſcilicet illi ad Virginitatem, humilitatem, charitatem, & alias virtutes obtinendas adiumento fuiſſe meritis ſuis, conſilio, atque exemplo. Quid certius? Eadem etiam verba de Spiritu ſancto accipere iuxta ſupra adſcriptas interpretationes procliue eſt, & de Chriſto etiam exponere pronum valde.

13. *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.*

68. QVæsiuit lanam, &c. Hebr. *Quæsiuit lanam & linum, & fecit in voluntate manuum suarum*; alij. *In beneplacito manuum suarum*. Chald. *Et operata est iuxta voluntatem manuum suarum*. Septuag. *Filans lanam, & linum, fecit quod vtile est manibus suis*. Aquila, Symmach & Theod. *Quæsiuit*. D. August. *Inueniens lanam, & linum*, in reliquis concinunt cum nostra Vulgata, sic enim habent, *ἐν θελῇ manuum suarum*.

Legion. Sententia est valdè illustris. Legionensis expendit verbum illud, *quæsiuit*, vt significet ex quibusdam superfluis, & inutilibus, videlicet ex furfuribus, & eiusmodi aliis, pretium coactum ad lanam linumque coëmendum impendisse. Iansenius aliter. *Quæsiuit*, inquit, i. non expectauit, vt illi à marito obtruderentur linum, & lana, sed ipsa conquisitum industria sua linum lanamque elaborauit. Addit autem *linum*, & *lanam*, quia in his honestius, quàm in aliis fœminarum operæ versantur. Frustra hîc veterum testimoniis vtar, sunt enim peruulgata. *Hieronym.* Hieron. ad Demetriadem. *Habeto*, inquit, *lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila ducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusi vertantur*. Et iterum ad Lætam. *Discat & lanam facere, tenere colum, rotare fusum, & stamina pollice ducere.* *Varro. Plutarch. Plin.* Apud Romanos, vt constat ex Varrone, Plutarcho, & Plinio locis infra citandis, sponsæ colum secum ferebant, & fusum, virorumque ianuam lana molli inungebant; ad hæc in pelle lanata noua nupta considere solebat. Hi autem ritus nuptiales ab vxore in domo mariti lanificium exercendum esse docebant. Et sanè lanas ad eum modum olim tractare non tenues solum, & sordidæ mulieres consueuerant, sed ingenuæ, atque honestæ. Taceo Penelopem, Helenam, Circem, Lucretiam, & alias, quas Homerus lanam, linumque versantes inducit: taceo etiam Deas ipsas Iunonem & Mineruam, quibus lanificium quoque tradit. *Tiraquel.* Consule Tiraquel. l. 10. legum connub. n. 40. & deinceps.

69. *Et operata est consilio manuum suarum*, Hebr. בחפץ *Bechephets*, à radice חפץ *Chaphats*, significat *voluntatem, & animi propensionem*, seu *complacentiam*. Hinc prior interpretatio, idest, cooperata est non coactè, aut inuitè, sed libenter, ita vt sensus sit, *operata est voluntate manuum*. i. manus, secundum voluntatem illius sese exercebant, ita vt manus non minus promptæ forent, quàm voluntas. Vel secundum Rabbi Himmanuel est Hypallage hoc sensu. *Fecit voluntatem manibus suis*, scilicet, suam. Nimirum ea erat illius peritia in lana linoque tractando, vt quidquid vellet ex illis faceret, & materies manibus illius quodammo pareret. Nec abit ab hac sententia Vulgata lectio, *Et operata est consilio manuum suarum*, idest, *Hazia consus manos loque queria*. Aliqui referunt ad industriam, ita vt idem sit consilium manuum atque earundem industria & solertia. Item vox illa חפץ *Chephits*, accipi solet pro negotio, & instituto. *Eccles. 3.* Ecclesiast. 3. *Omnia tempus habēt*, in originibus est. *Tempus est omni negotio, aut instituto*, significatur autem ea voce negotium quod ex complacentia, & ex propensione animi suscipitur Hinc ergo (ni fallor) fluxit interpretatio Septuag. *Et fecit quod vtile est manibus suis*, quibus verbis obiter carpuntur quarundam fœminarum mores, quæ suas operas rebus planè inutilibus impendunt, hæ sunt, quæ nimium pulchras & elegantes fascias tenent, & alia id genus elaborant, atque in his prolixiores operas ponunt, exiguo valde, aut nullo quæstu. Non ita, inquit, Salomon, fœmina isthæc fortis, *sed fecit vtile manibus suis*, idest, quęstuosam artem exercuit, ex lana & lino telas construens.

Patres mysticam de anima, seu de Ecclesia interpretationem amplectuntur, atque alij aliter edisserunt: sed audiendus est vnus Augustinus, vbi suprà. 70. *August.* *Lanificam, inquit, & linificam matronam istam sanctus sermo describit. Quæritur autem à nobis quid sit lana, & quid sit linum; lanam carnale aliquid puto, linum spirituale: hoc conijcere audeo ex ordine vestimentorum nostrorum: interiora sunt enim vestimenta linea, lanea verò exteriora: quidquid carne operamur in promptu est, quidquid spiritu in secreto: operari ergo carne, & non operari spiritu, quamuis bonum videatur, vtile non est. Operari inuenis hominem porrigentem manum, vel eleemosynam pauperi, nec tamen de Deo ibi cogitantem. sed hominibus placere cupientem, lanea vestis videri potest, interiorem non habet. Inuenis alium dicentem sibi sufficit mihi in conscientia Deum colere, Deum adorare, quid mihi opus est, aut in Ecclesiam ire, aut visibiliter misceri Christianis? lineam vult habere sine tunica. Inuenit hæc mulier lanam & linum, & fecit vtile manibus suis*, nimirum quia vitæ vtriusque, actiuæ, atque contemplatiuæ negotium otiumque complectitur: sensus eiusmodi accommodatitios perquire in Beda, Hugone, & aliis.

De Virgine Deipara.

Virginem Deiparam, & lanificam, & linificam, fuisse verisimiliter docet Gerson in sua Iosephi dist. 1. sic enim habet. 71. *Gerson.*

——Fœmina fortis
Quæsiuit lanam, & linum, vicinia tradit
Vt paret, inque filos subtiles protrahit, inde
Textrino mandet operi, doctissimus artis
Virgineus digitus, domus otia nulla recepit.

Et Mantuanus libr. 1. Partheno. *Mantuan.*

Nunc lanam pingebat acu, nunc pensa trahebat
Serica, & immissis per licia pendula filis
Vela sacerdotum sacros texebat in vsus.

Diuus Epiphanius in vita Virginis sic addit. 72. *Epiphan.* *Erat docilis & amans doctrinam, & non solùm in sacris litteris, sed etiam in lana, & lino serico, & bysso laborabat. Erat præterea in sapientia, & intelligentias super omnes illas sæculi adolescētulas cunctis admirationi, quæ & verè conficeret ea, quorum vsus in templo erat sacerdotibus.* *Anselm.* Ad hæc Diuus Anselmus sic habet. *Opus verò manuum eius erat, lanæ, lini & serici*, in libr. de vita Virginis. Item tunicam illam ex omni parte clausam, & minimè consutam, siue laneam, siue lineam, Virgo contexuit, vt docet Euthym. in cap. 27. Matthæi, vbi antiqua totius Ecclesiæ traditione id ratum esse dicit. *Euthym.*

73. Quod si hanc sententiam spiritualem ad sensum vocemus, accommodatissimè in Virginem cadit superior illa augustini interpretatio duplicis vitæ, actiuæ, atque theoricæ, vt sensus sit. Maria in lana, atque lino operata est, idest, externis atque internis operibus sese impendit, vtramque scilicet Mariam, atque Martham complexa. *Epiphan.* Audiendus præterea est D. Epiphan. libr. 3. contra hæreses longè à principio, vbi Mariæ spirituale quoddam lanificium tradit. *Iob 38.* nam Iob cap. 38. sic habetur. *Quis dedit gallo intelligentiam?* quæ verba Septuaginta sic extulerunt. *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, & variegandi scientiam?* Epiphanius igitur hæc verba Euæ, atque Mariæ appositè adiecit: nam de duabus, inquit, mulieribus dictum est, *Quis dedit mulieribus sapientiam texturæ & scientiam variegandi? Nam prima sapiens est Eua, texens vestes sensibiles, propter Adam, quem denudauit:*

ipse

ipsi enim datus est hic labor, quoniam per ipsam nuditas inuenta est. Mens Epiphanij est Euam vestes illas primas consuisse, quibus ipsa, & vir eius amicti sunt; addit, *Maria verò datum est à Deo, vt pepererit nobis agnum, & ouem, & ex gloria ipsius agni, atque ouis factum est nobis, velut ex vellere, in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis.* Quid plura?

Proclus. Proclus Episcopus Cizicenus de Christi natiuitate differens (habetur autem in tom. Concilij Ephesini) in Maria, & ex Maria laneam quandam telam eleganter orditur. *Hac sola*, inquit, *Pons est, per quem Deus ad hominem descendit; hæc admiranda illius œconomia tela, ex qua, & in qua ineffabili quodam modo admirabilis vnius vnionis tunica confecta est, cuius quidem textor extitit Spiritus sanctus, nectrix virtus ex alto obumbrans, lana venusta, villosaque, Adami pellis, trama impolluta Virginis caro, radius texteris immensa gestantis gratia, artifex verbum per auditum illapsum,* &c. Aptè ergo in Mariam cadunt illa verba. *Quæsiuit lanam, & linum,* &c. & quidem quæsitam lanam

Bernard. nobis impendit, vt venusto schemate tradit Bernardus.

14. *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.*

74. Facta est, Hebr. ad verbum. *Fuit sicut nauis circumeuntis, de longè adducet panem suum.* Chaldaic. *Facta est sicut nauis mercatoris, cuius è longinquo effertur cibus.* Septuaginta. *Facta est tanquam nauis mercaturam exercens de longè, congregat autem hac vitam,* sic habet correctior textus Sixtianus. Complutensis & Regius. *Congregat autem hac diuitias.*

Facta est quasi nauis institoris. Institor appellatur mercator, vel quia cumulandis opibus instat sedulus,

Vlpian. vel quia negotio suo insistit; hæc sunt verba Vlpiani. *Quicũque negotio præpositus est, institor appellatur.* Sed

Labeo. accipe verba Labeonis. *Sed etiam eos institores dicendos placuit, quibus vestiarij, seu lintearij dant vestem circumferendam, & distrahendam; quos vulgo circuitores appellamus.* Et sanè hæc est germana *institoris* signifi-

Brisson. catio, vt docet Brissonius in lib. de formulis: atque ideò fortasse institores dicti, quia non more aliorum mercatorum domi emptores expectant, sed merces circumferunt, & instant, & prouocant ementes: atque adeò cohæret optimè hæc vox cum originali; est enim סוחר *Socher*, idest, *circumitor*, quamuis vtraque vox in vniuersum pro quolibet mercatore, aut licitatore accipi soleat.

75. Ergo locum istum non eodem modo exponunt

Rodolph. interpretes. Rodolphus, Iansenius, Caietanus, & alij, similitudinem istam sic edisserunt. Hæc mulier sedula assiduè labori incumbens, similis est naui mercatoriæ, quia sicut nauis isthæc merces quasdam in exteras regiones vehit, hisque distractis alias inde reuehit, atque adeò duplex inde lucrum refert: sic etiam mulier hæc strenua his, quæ manibus suis operata est negotiatur: quia dum hæc distrahenda tradit, pro his alia opportuna ad victum accipit. Obseruant autem præfati interpretes illa verba, *De longe portans panem suum,* non ad nauem referenda esse, sed ad ipsammet mulierem, quia, vt supra animaduerti, in Primitiuis nõn est *nauis* in singulari numero, sed *naues* in numero multitudinis, atque adeò numeri non cohærent.

Rodolph. Addit Rodolphus comparationem istam adeò susceptam à Salomone, vt significaret hanc fœminam non tam naui illi similem esse, quàm eidem longè præstare, ita vt maior sit illius laus, quàm nauis. Nam domi hærens ampliora facit lucra, quàm nauis illa,

A seu classis ad longinquas regiones enauigans. Et quidem isthæc mulier de longè panem suum asportare dicitur, quia nimirum nauis illa vt ea quæ necessaria sunt ad victum referat, longas nauigationes suscepit, hæc autem mulier domi manens mercatores ad se trahit, qui vt telas, & pannos ab ipsa confectos, & elaboratos referant, omnia, quæ ad victum necessaria sunt, ad illam perferunt, vt hæc pro illis commutent.

Luysius Legion. de perfecta nupta hanc similitu- 76.

Legion. dinem aliter, atque aliter edisserit, sed vt quædam leuiora dimittã, extrema illius expositio perplacet mihi, quam hic amplificatam & auctam dabo. *Facta*, inquit, *est quasi nauis institoris,* &c. (nomine autem *pa-*

B *nis* quemcumque cibum in vniuersum notari concors interpretum sententia fert.) Commendatur ergo indefessa, ac semper noctu diuque operi instans mulieris istius industria. Itaque ait Salomon, hæc mulier similis per omnia est naui onerariæ, quæ cibos ab vna regione in aliam asportat: sicut enim hæc nusquam sistit, sed noctu diuque sine intermione nauigat, & dormientibus, aliudque agentibus vectoribus, ipsa nihilominus pergit, & spatia longissima conficit; sic etiam hæc mulier labori suo semper incumbit, noctes, diesque aliquid vtile sine intermissione agit: nec prius consistit, quàm omnia ad victum, & domesticam rem opportuna in domum inuehat suam. Et quidem secundùm hanc expositionem ac-

C commodata est similitudo nauis victum portantis ad significandam celerem, & numquam intermissam illius fœminæ diligentiam: quia eiusmodi naues velocius deferri solent propter periculum mercium, si diuturnior nauigatio sit. Cui adsimile est illud Iob

Iob 9. cap. 9. *Pertransierunt quasi naues poma portantes*, id est, ocyssimè abierunt dies mei, vt assolent naues, quæ poma, & alios cibos asportant, corruptioni, atque putredini obnoxios, hæc enim velocius deferri solent, ne nauigationis diuturnitas mercibus iacturam afferat.

Vel, si libet, aliter similitudo conformari potest, vt 77.

significetur assidua, & lassitudinis expers huius mulieris diligentia: nauis enim vltrò nauigat: alia qui-

D dem non sine labore mouentur, nauis autem sine lassitudine ipsa per se labitur, ac ruit: non aliter hæc mulier industria sponte laborat, & assiduò operans non lassescit.

Ast ego hanc similitudinem eò spectare dixerim, vt significet fœminam istam labore suo opes mariti augere, & omnia ad victum necessaria comparare, non quidem è vestigio & repente, sed longo tempore, vt suadeat fœminis operas operibus nectere, & numquam laborem intermittere, futurum putantes, vt tandem aliquando post longas moras locupletes fiant. Propterea Salomon ait. *Quasi nauis institoris de longè portans panem suum*, ac si dicat; hæc bonorum copia, quam sedulæ huic mulieri polliceor, non adest

E è proximo, ita vt breui interuallo pariatur, sed è longinquo, ita vt longo tempore, ac diuturno labore opus sit. Et quidem huic expositioni, quæ mihi ante alias probatur, fauet lectio originalis, *facta est quasi nauis circumeuntis*, idest, non rectà, & sine errore pergentis, sed longiori spatio per ambages iter suum conficientis. Ad hæc lectio Septuaginta eundem sensum reddit. *Facta est tanquam nauis mercaturam exercens de longinquo; congregat autem hac vitam*, nimirum hæc mulier ea, quæ ad vitam tuendam necessaria sunt, cogit, accumulat, sed è longinquo, &c.

Augustin. Beda. Hugo. Salonius. Alias expositiones de Ecclesia, atque anima iusta tradunt Aug. loco citato, Beda, Hugo, Salonius, & alij interpretes hic quos facilè cuilibet adire licet.

De Beata Virgine.

78. Verba ista Virgini Ecclesia tradit;hanc verò Deiparæ & nauis similitudinem tradit D. Bonauent. in serm. 1. de B. Virg. D. Bernard. in Salue, & alij passim Patres vsurpant. *Facta est quasi nauis institoris*, &c. id est, similis est naui onerariæ frumenti ac panis vim magnam in Ecclesiam asportanti, ipsa enim est, quæ panem è cœlo descendentem, Christum scilicet portans in Bethleem soluit, qui interpretatur *Domus panis*. Vnde D. Gregor. hom. 8. *Bene*, inquit, *in Bethleem nascitur, i. in domo panis: ipse enim est, qui ait, Ego sum panis, qui de cælo descendi.* Possunt etiam hæc verba non solùm ad natiuitatem Christi, sed etiam ad Eucharistiæ panem referri, quem Virginis studiosæ anima ipsa, vt ita dicam, asportante copiosius percipiunt, & si licet dicere, viliùs emunt. Obserua autem vim vocis originalis, quæ sic habet. *Facta est quasi nauis*, &c. i. tamquam classis magna. His nimirum qui ipsam studiosè colunt, cœlestis oanis copia & vtilitas suppetit, ei similis quam classis magna frumento onerata ad portum appellens proximis populis afferre cõsueuit. Quomodo autem Virgo sanctissima Eucharistiá nobis offerre, & cœlestem panem impertiri dicatur, vide supra cap. 9. ad illa verba. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Ad hæc *facta* dicitur *quasi nauis*: ad hunc sensum accersere licet illa verba Damasceni in orat. 1. de dormitione. *Hæc est quæ gratiæ abyssum inuenit, & duplicem virginitatis nauem incolumem seruauerat: animamque non minus quàm corpus, incolumem custodierat.* Nimirum Maria est, quæ per gratiæ amplissimum mare, aut abyssum, duas naues, corpus nimirum atque animam suam, ab omni culpæ ac libidinis naufragio liberas perduxit.

Gregor.

79. Sed tamen, vt hæc missa faciam, licet quidem ex præmissis interpretationibus aliquas Virgini Deiparæ accommodare, si eas ad spiritualem negotiationé referamus, per quam virtutum, ac meritorum copias assiduis operis, ac loboribus sibi peperit hoc modo. *Facta est quasi nauis institoris*, &c. Iuxta expositionem Iansenij, similis est naui onerariæ, quæ dum merces ex sua ipsius patria exportat, & aliunde in patriam asportat ex vna nauigatione dum it, reditque, duplex lucrum facit. Sanè Virginis tota vita, & conuersatio nihil aliud fuit, quàm ire, vt ita dicam, atque redire; ibat quidem cùm ad Deum ex animi quodam impetu ferebatur; redibat autem cùm ex Deo ad proximum recurrebat, vt commodis nostris prospiceret; Ita docet Bernardus serm. 2 in Salue. Sed proh Deum immortalem! quàm copiosos quæstus ex hoc aditu, redituque faciebat? Erat sanè illius lucrum, ac meritum immensum. Vel aliter iuxta interpretationem Rodolphi, Virgo Maria similis est, imò potius vincit naues mercatorias, quia istæ vt lucri aliquid reuehât, longas nauigationes conficiunt (à quibus minimè differunt omnes alij iusti, quotquot salutem suam magno labore, lógis nauigationibus, assiduisque discriminibus negotiantur.) Virgo autem sanctissima domi hærens, atque operi incumbens suo, omni sublato discrimine copiosius lucrum habet, &, vt ita dicam, talis est, vt omnes mercatores, scilicet iusti omnes, merces suas ad illam libenter afferant efferantque, vt qualemcumque ab ipsa fauorem referant, vt nimirũ telas illas, quas ipsa cõficit ex lino lanaque percipiât, quibus se conuestiant, siue isthæc sint virtutes omnes, siue actionis & contemplationis opera, vt ex Augustino supra docui. Aliter secundùm expositionem Legionensis, similis est Virgo Deipara naui magnæ, quæ noctu diuque sine intermissione nauigat, & dormientibus, aliudque agentibus vectoribus ipsa

Rodolph.

A nihilominus pergit, ac spatia longissima conficit. Virgo enim Deipara nusquam constitit, nec operá pietatis intermisit, quia, vt docet Ambrosius, etiam noctu inter dormiendum aliquid vtile actitabat, eratque non solùm perdia, sed etiam pernox in labore, ac pietate. Ad hunc modum duas alias interpretationes accommodare procliue est, de spontanea, ac voluntaria illius exercitatione, & de diuturnis operis, quibus eam vim gratiæ adepta est, quam denique obtinuit.

---

15. *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.*

B DE nocte surrexit, &c. Hebr. *Et surrexit adhuc nocte, deditque prædam domui suæ, & statutum puellis suis*, pro *præda* est vox טרף *tereph*, à radice טרף *taraph*, idest, *dilacerauit*, *discerpsit*, propriè de feris enuntiatur. Ezech. 22. *Sicut leo rugiens & rapiens tereph*, idest, *prædam*. Et cap. 19. de leone iterum dicit, *didicit rapere tereph*, idest, *prædam*, & passim alibi. Admonet autem Kimhi hoc nomine quamlibet escam censeri, vel quia dentibus teritur, ac diuiditur; vel simpliciter, quia manu carpitur: suadet hoc lectio Septuaginta quæ sic habet. *De noctibus surrexit, dedit- βρώματα domui*, idest escas, aut cibos impendit. Item Psalm. 110. ad illa verba. *Dedit tereph timentibus se.* 80. Ezech. 22. Psalm. 110.

C Sept. sic extulerunt. *Dedit escam timentibus se.* Cæterùm alij curiosius non quamlibet escam eo nomine appellari existimant, sed eam tantùm, quæ labore, ac sudore paratur, ná qui eo modo escas victui necessarias conquirunt ferarum instar suo robore, ac fortitudine, quasi per vim accipiunt, ac veluti deprædantur. Denique alij *prædæ* nomine pensum notari existimant, quod sollicita domina domesticis suis multo mane impendit, vt tempestiuè absoluant. Sed tamen cur hoc pensum *rapina* dici possit, non satis liquet: nisi fortè quia celeriter peragitur. Vide etiam an *prædæ* nomine dicatur matutinum prãdium, vel admorsum, vulgò *almuerzo*, hoc enim non per quietem, sed raptim, & celeriter sumi solet.

D Subest etiam pro *cibarijs* in Hebr. חק *Chok*, à radice חקק *Chakak*, duplicante secundam, scilicet *statuit*, *descripsit*, *depinxit*. Significat autem *statutum*, *præceptum*, *morem*, *ius & legem*, ergo plures legunt & *statutum ancillis suis*. Theod. & *constitutionem ancillis suis*: quidam & *pensum*, & alij aliter. Chald. sic ad verbum. *Et surrexit de nocte, deditque escam domui suæ, & pensum ancillis suis.* Ad rem.

Huius loci sententiam eruere non est difficile: *de nocte surrexerit*, &c. Hæc videlicet mulier sollicita, & industria, operas suas sic instituit, multo mane ante auroram à somno excitata surrexit celerius, *Deditque prædam domesticis suis.* (Secundùm præmissas *prædæ* 81.
E significationes diuersas interpretationes comminisci integrum est.) Prima est. Iam inde ante auroram pensa trahenda domesticis suis dedit, nimirum seruis & mercenariis, vt omnes decretas sibi operas tempestiuè absoluerent. Et quidem hanc expositionem sic libet expendere. *Deditque prædam*, &c. idest, pensum vnicuique descripsit, quod singuli sic auidè arripiebant, & celerius peragebant, ac si prædam aliquam agerent. Ad hunc etiam sensum vocaut verba sequétia, *& statutum ancillis suis*, idest, non solùm seruis & mercenariis operas decernebat, sed etiam ancillis pensa diurna constituebat maturius, ne quas temporis angustias causari posset.

Secunda interpretatio satis celebris sic habet: surrexit quidem multo mane, & seruis, ac mercenariis, quos ad agros colendos ire oportebat, escas diurnas 82.
ante

ante auroram obtulit, vt maturius ad ſuas operas cõtenderent. Sed agedum, cibus iſte cuius præda dicitur? An ſeruorum & eorum, qui conducti ad agros huius heroinæ colendos ibant? quia nimirum hi talibus cibis, quaſi per vim partis, & quæſitis viuerent, vt ſupra obſeruaui; an potius ipſius matrisfamilias præda appellatur? Huic ſententiæ adhærere videntur ex interpretibus nonnulli, qui huius fœminæ beneficam erga ſeruos liberalitatem præmiſſis verbis tantumdem notari autumant; cùm enim præmiſiſſet ipsã ſimilem eſſe naui panem, ideſt, ciborum omne genus de longè aſportanti, ſubdit illam ex his cibis copioſè domeſticis ſuis impartiri, *Dedit*, inquit *prædam domeſticis ſuis*, (ſic verò metaphora ſoluenda eſt:) ſicut fera quæſitam prædam non ipſa ſolùm deuorat, ſed in fruſta diſcerpam catellis ſuis diſtribuit, ſic etiam mulier hæc fortis quæſitum, partumque labore ſuo victum, non ſibi ſolùm ſumebat, ſed ex eo copioſè admodum domeſticis cibaria diſtribuebat, tam ſeruis, quàm ancillis.

83. Vel aliter, hæc *præda* ad ſeruos, & ancillas referri poteſt, ita vt ſignificet promeritam ab ipſis mercedem. Et quidem lucrum labore, & induſtria partum, prædæ, ac venationis nomine cenſeri in ſacra Scriptura iam inde ſupra docui cap. 12. ad illa verba. *Non inuenit fraudulentus lucrum ſuum*, pro quibus in Primitiuis eſt. *Non aduret fraudulentus venationem aut prædam ſuam.* Ergo ait. *De nocte ſurrexit*, non quidem mane, ante auroram, vt nuper dixi, ſed vbi nox occubuit abſolutis operis ſurgens ex eo loco, vbi interdiu ſederat, lanam, & linum verſans domeſticis prædam, ideſt, victum, mercedemque promeritam erogabat, nemo enim otioſus apud ipſam cibos ſumebat, ſed omnibus victus præda erat, labore, & ſudore parta. *Et cibaria ancillis ſuis.* Hebr. *Et ſtatutum ancillis ſuis*, quippe quæ ſic cum ancillis conſtituerat ſuis, vt non prius cœnam ſumerent, quàm conſtituta ſibi penſa perſoluiſſent.

84. Tertia interpretatio matutinum prandium, vulgò admorſum, per prædam intelligit, & minimè inelegantem ſententiam reddit. *De nocte*, ideſt, ſummo mane, *ſurrexit*, & vt domeſtici tam ſerui, quàm ancillæ operas ſibi decretas maturius inuaderent, ipſis admorſum ante lucem offerebat, non permixtim, ſed ſeparatim ſeruis, & ſeorſim ancillis; quibus verbis obiter inſinuat, quantum mulier hæc honeſta pudicitiæ conſuleret, & quidem accommodatè ſeruis prædam, ancillis verò cibaria dedit: illis enim caro ferina vel alia quælibet in prandium matutinum dari ſolet: his autem leuiores cibi placent.

August. Denique ex Patribus D. Auguſt. locum iſtum de Eccleſia ad hunc modum ediſſerit. *De noctibus*, inquit, *exurgit, noctes tribulationes ſunt, ſed cui hæc? De noctibus ſurgit, id eſt, in tribulationibus proficit*, &c. *Et dedit eſcas domui ſuæ in noctibus, præbuit ſe imitandam, faciens docuit, quod faciendum dixit*, &c. Vide ibi plura in ſerm. 45. de diuerſis. Hærent Auguſt. Salonius, Beda, Hugo, Dionyſ. & alij quàm plures. (Salonius. Beda. Hugo. Dionyſius.)

De Virgine Deipara.

85. Hæc verba Deiparæ tradit Eccleſia, quæ nullus, quod ſciam, de illius laudibus hactenus latiùs expendit, poſſunt tamen ex præmiſſis interpretationibus aut plures, aut omnes ad eandem deflecti. Nimirum exurgens mulier hæc ſummo mane ſeruis & ancillis penſa diſtribuit, vt maturius inchoantes eadem citius abſoluerent. Non aliter virgo quaſdam animas ſibi ſtudioſas ocyus, ideſt, à pueritia ſua, ſeu ab adoleſcentia excitat, & eiſdem virtutum penſa demandat, vt ipſa opitulante, maturius perficiant.

A Poſſumus etiam ad illius liberalitatem referre eo modo, quo ſupra in vniuerſum explicui, vt quemadmodum fera captam venationem, & prædam non integram deuorat, ſed pullis, vel catellis diſſectam offert; ſic etiam Virgo ſanctiſſima partam gratiam & merita non ſibi ſoli arrogauit, ſed nobis etiam benigniſſimè impendit, atque diſtribuit. Nam vt ait Bernardus, *de plenitudine illius omnes accepimus*. (Bernard.)

Quid plura? ſi illud *de nocte ſurrexit* ad veſperam referas, poſt operas iam perfectas; idẽtidem illi quadrant iſta verba hoc modo. *De nocte ſurrexit*, ideſt, vbi huius vitæ, ac lucis vſura fluxit, & nox mortis incubuit, ipſa quidem Virgo ſeruos, & ancillas ſuas lautiſſima excepit cœna in cœlo. Et quidem ſeruis B prædam offerre dicitur; nullus enim deſes & ſocors apud ipſam cœnat, ſed omnibus quidem victus præda eſt, ex labore parta. Idem ſtatutum, aut dimenſum ancillis erogat; ſic enim cum animabus ſui ſtudioſis paciſcitur, vt non ante ad epulas veniant, quàm ſibi conſtituta penſa perſoluerint. Denique nomine prædæ, ac cibi, ſacram ſynaxim interpretari licet, cuius frequentem vſum nos vni Mariæ debere ſupra cap. 9. multis rationibus euicimus ad illa verba, *Venite, comedite panem meum*, &c.

---

16. *Conſiderauit agrum, & emit eum; & de fructu manuum ſuarum plantauit vineam.*

C *Conſiderauit agrum*, &c. Hebr. *Cogitauit agrum, & accepit eum.* reliqua concinunt. Chaldæus. *Et cogitauit in conſilio, & accepit agrum.* Sept. *Conſiderans agrum emit, & de fructibus manuum ſuarum emit poſſeſſionem.* Caietanus legit. *Cogitauit agrum ſuum*, ſed pronomen poſſeſſiuum abeſt omnino ab originibus. 86.

Ergo Caietanus, ſic exponit. *Cogitauit agrum ſuum, & accepit eum.* Nimirum meditari cœpit apud ſe agrum ſibi obtigiſſe ex negligentia maiorum incultum, aut qui parum vberes fructus redderet, atque illius ſterilitatem in fœcunditatem nimiam migrare fecit, nam ex lucro, quod lanificio, atque aliis ma- D nuum ſuarum operibus quæſiuit, operarios conduxit, & vineam feracem admodum plantauit. Et quidem ſæpius id accidit, vt ager, afferendis meſſibus parum habilis, viribus conſitus ferax ſit: nam vites graciliorem, atque leuiorem tellurem poſtulant: fruges verò craſſam & pinguem. Hinc illud Maronis libr. 2. Georg. (Caiet.) (Maro.)

Altera frumentis, quoniam fauet altera Baccho,
Denſa magis Cereri, rariſſima quoque Lyæo.

Accipe etiam verba Theophraſti lib. 2. cap. 5. *Pratenſe, & arenaceum vitibus percommodum eſt, & in ſumma ſolutum, leue, tenue.* Adde Columellam in lib. de arboribus cap. 13. qui ita præcipit. *Locis aridis, & maE cris, & ſiccis, vitem fere natura feracem, & validam, crebriſq; acinis. Quod ſi pingui agro validas vites depoſueris pampinis magis eluxuriabunt; & qualemcumque fructum tulerint ad maturitatem non perducent.* Et lib. 3. cap. 5. ait. *Vitiarium faciendum terra mediocri potius, quam pingui.* Lege Palad. lib. 2. & 13. & alios, qui agrorum colendorum præcepta tradunt. Ergo fœmina hæc fortis ideo commẽdatur iuxta expoſitionẽ Caietani, qui macrum, gracilem, ac tenuem agrum, qui frumenti parum fœlices prouentus referebat, conductis operariis vitibus conſeuit, quas fœliciſſimè deinceps tulit: ſed tamen hæc expoſitio cum Vulgata lectione non cohæret. (Theophra.) (Columella.) (Palad.)

Conſiderauit agrum, & emit eum, &c. Laudatur huius mulieris induſtria, quæ tanta erat, vt lanificio, atque aliis manuum ſuarum operis coacto pretio 87.

Vv 3 vberem

vberem satis agrum coëmere potuerit; & quidem non temerè, & sine consilio id aggressa est: sed quia inter agrum & agrum magnum intercedit discrimé, *Considerauit illum*, nimirum priusquam acciperet attentius contemplata est, & hunc demum sibi *comparauit. Et emit eum*, nec solum emptione agrum istum accepit, sed etiam auxit, & meliorem reddidit, quia *de fructu manuum suarum plantauit vineam*, quod nō ita accipiendum, quasi aliunde emptum quæstu manuum suarum solum plantauerit, sed quia tam emptionem, quàm plantationem ex eodem quæstu cōpleuerit. Itaque ait non solum hæc robusta fœmina agrum emit, sed considerans apud se illum vitibus afferendis magis aptum esse vineam in eo suis sumptibus plantauit. Vel aliter, huius fœminæ prudens consilium insinuatur, quæ agrum macrum, & gracilem emit, atque adeò vili admodum pretio illi constitit. Et quidem eo consilio comparauit, vt postea in vineam consitis vitibus commutaret, his enim afferendis habilior erat, ex quo accidit, vt breuissimo interuallo feracissimam vineam exiguo dispendio possideret. Itaque nō solùm mulieris istius diligentia, & labor commendatur, sed etiam solertia & industria.

88. D. Aug. vrget Allegoriam de Ecclesia ad hūc modum. *Prospiciens agrum mercata est*, sic ipse legit. *Prospiciens*, ait, *non in præsenti, sed in futuro, mercata est agrum istum, prospiciens fide, & spe, ideò & de noctibus surgit, si enim quod non videmus speramus, per patientiā expectamus, quid sunt noctes illa præ illo agro? Quod enim ad præsens temporale est, ac leue tribulationis nostræ, eum de noctibus surgimus, æternum gloriæ pondus operatur in nobis cor habentibus ad agrum illum. Qualis est ager ille? quæ pulchritudo illius est? inardescamus ad eum possidendum, ipse quidem est, de quo dixit Deus, Et pulchritudo agri mecum est. Prospiciens agrum mercata est. Vnde mercata est? ne fortitudine speres, & suspires, & nihil agas, ager iste segnem amatorem non amat; ibi certè cum ad eum veneris forsitan requiesces, nec opus erit vt labores; non enim est talis ager ille, qualis est vbi Adā in sudore vultus sui comedit panē suum. Prospiens agrum mercata est, habet ibi agrum. Vbi agrum? vbi mercata est, vbi posuit thesaurum suum, vt fieret ei? vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, modo tamen, vt ad illius agri speciem perueniens compara tibi, vnde compares agrum ibi, quid? collige pretium, hoc enim agit hæc mulier, de fructibus manuum suarum plantauit possessionem.* Hactenus Augustinus, vide plura apud Bedam, Salonium, Hugonem, Dionys. & alios.

Aug.

De Beata Virgine.

89. Locum istum Ecclesia Virgini dat; ex Patribus autem nullus, (quod sciam) illum Deiparæ accommodauit; licet tamen illum iuxta præfatas expositiones, atque agri, & vineæ acceptiones Deiparæ dissimiliter aptare. Nam si agri nomine animam quamlibet ipsius Virginis studiosam capiamus, sic licebit iuxta prius Caietani commentarium Virgini tribuere, *Considerauit agrum suum, & accepit eum.* Nimitum apud se Virgo sanctissima meditari cœpit animam sibi iampridem addictam ob incuriam, & culturā neglectam, parum vberes bonorum operū fructus reddere, atque adeò, vt ipsam mitiorem, & feracioré redderet *Vineam plantauit*; ad ea videlicet exercitamenta, & opera illam conuertit, quæ ingenio, ac moribus illius magis accommodata forent, vt fœliciorem, atque vberiorem bonorum operum prouentū ageret. Et quidem ita existimo inter alia officia, quibus Virgo de sui studiosis bene meretur, hoc nobilissimum esse; quòd illos ad ea potissimum opera transfert, quæ secundùm eorum propensionem sunt, vt facilius, atque promptius illa exequi possint, atque adeò vberiores fructus reddant. Ita docuit D. Damascenus in oratione 2. de Assumptione, similitudine aquæ, & solaris actionis, quæ cùm vnicæ sint, variè tamen, ac congruenter ad plantarum, graminumque naturam accommodantur, quæ his aluntur & fouentur; cuius verba supra dedimus cap. 8. Alias etiam expositiones tu te tibi, pro vt res postulabit, Virgini adaptare poteris, si in præfata agri, & vineæ acceptiones sistas. Damasc.

Quod si per *agrum*, *vineamque*, vniuersam Ecclesiam accipias, non inepte agrum ab ipsa coemptum, & vineam plantatam consitamque dicemus. Emit scilicet, quia salutis nostræ pretium ex visceribus suis fudit; plantauit autem, quia si Paulus eos omnes à se plantatos consitosque iactabat, quos ab infidelitate ad fidē conuerterat, (ita enim ait, *Ego plantaui, Apollo rigauit*) ea sanè gloria Virgini deesse non potest, nullus enim in Ecclesia, atque fide firmas radices egit, quem Virgo sancta meritis, ac patrocinio suo non defixerit, atque excoluerit. Possem quidem de hac vineæ atque agri similitudine latius disserere, & quędam Virginis erga fideles omnes officia discutere, exemplo eorum, qui vineas conserunt, sed quia hæc facilè cuilibet in mentem veniunt, & apud Patres nihil occurrit, libens supersedeo. 90.

Aliter etiam per *vineam, & agrum*, ipsam Virginis animam accipere licet, in qua omnium virtutum vires ipsamet defixit, ac plantauit. Accipe verba Ambrosij libr. 3. Hexam. cap. 12. *Et bona vinea est anima iusti, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui viuum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis.* Quæ omnia nulli fœlicius contigerunt, quàm Virginis ipsius animæ. Huic sanè virtutes pro vitibus, quæ in gracili illa, & tenui, hoc est in humili, & pauperi terra altiores radices egerunt, copiosius prouenerunt, & fructus suos ad maturitatem perduxerunt. Potest etiam virginitas vinea appellari, Ambrosius in lib. exhort ad Virgines ante medium *Vinea*, inquit, *quidam fructus virginalis est, coniugia velut olerum plātaria sunt, in quibus frequens zelus est*, &c. lege ibi multa. Hanc virginitatis vineam in semetipsa plantauit Maria, quam coniugium non decerpsit, nec partus auulsit. & quidem *ex hac vite* (verba sunt Damasceni in secunda orat. de Assumptione) *vita vuam collegimus, & ex eadem germen immortalitatis excerpsimus.* 91. Ambros. Ambros. Damascen.

---

17. Accinxit fortitudine lumbos suos; & roborauit brachium suum.

92. Accinxit fortitudine, &c. Hebr. *In fortitudine lumbos suos, & confirmauit brachia sua.* Septuag. *Pracincta fortiter lumbum suum, firmauit brachia sua ad opus.* Aquila & Theodot. *Accinxit fortitudine sua dorsum suum*, scilicet τὸν νῶτον extrema autem verba, *& roborauit*, &c. Symmach. transtulit. ἐκράτυνεν, idest, solidauit. Aquil. & Theodot. ἐκαρτέρησεν, idest, *indurauit callosque obducere fecit.*

Non vna omnium interpretum mens. Ex Rabinis aliqui sic sententiam conformant. Cùm Salomō præmiserit hanc fortem mulierem non solùm domestica, sed etiam rustica curare, addit ipsam supra conditionem fœmineam lumbos suos magna fortitudine accinxisse, hoc est virilem animum induisse, vt ea, quæ virorum sunt perageret, scilicet, emere agrum, & plantare vineam: volunt enim præfati autores Salomonem id laudi ducere, quod mulier ista fortis propriis manibus vineam plātauit, atque eo Salomonem spectasse affirmant, cùm ait. *Accinxit fortitudine lumbos*

lumbos suos, &c. quibus fauet Symmachi translatio. A *Indurauit, seu callos obducere fecit brachia sua.* nimirum ex labore fodiendi & scrobes ducendi manus ipsius callos contraxerunt. Sed tamen hanc expositionem non probo, quia labor iste rusticus,& exercitatio syluana, grauem matronam minimè decet. Quapropter satiùs duco hæc verba ad subsequentes clausulas reuocare ad hunc modum.

93. Describit Salomon robustam fœminam lanificio, ac domesticis rebus vacantem, sed ne humilius reperet, aut sordesceret oratio, vtque huic exercitio decorem conciliaret, mulierem hanc cum milite strenuo, & operas eius cum militaribus exercitamentis componit, vt videre licet in hoc, atque sequentibus versibus. *Accinxit*, inquit, *fortitudine lumbos suos*, scilicet B hæc fœmina, quam fortem, ac strenuam appellaui, robustos milites imitatur: Nam quemadmodum miles ad prælium sese comparans accingit se, (vnde passim tam in sacris, quàm in prophanis litteris milites præcincti, vel accincti dicūtur, quia cùm reliqui laxas,& ad talos vsque demissas togas gestarent, milites breuiores, atque præcinctos sagos induere solebant, vt ad conserēdas manus expeditiores essent:) Ad eundem modum ipsa fluentia vestimenta ad tergum reuocans, ac reuinciens, ad domesticas operas se succingebat, & ipsas militari quadam virtute aggrediebatur. Ad hæc *Roborauit brachium suum*, idest, tamquam robustus aliquis miles brachia excussit, exercuit,& ad operas expediuit. Chaldæus hic etiam C habet, *& accinxit brachium suum.* Ita enim fert mos fœminarum, vt ad plerasque domesticas operas brachia, plicatis manicis denudent, quod militibus etiam olim solemne fuit, & apud Sarracenos hodie viget, qui nudatis brachiis in prælia ruunt. Huc spectat etiam illud, quod statim subditur, *Manum suam misit ad fortia*, &c. quæ Salomon in eadem militiæ similitudine perstans attexit.

94. Aug. D. August. loco citato allegoricum sensum sic promouet. *Succincta fortiter lumbos firmauit brachia sua verè fortis. Vide si non est ancilla, quàm deuotè seruit, quàm paratè, ne fluctuantis sinus carnalium concupiscentiarum impediant operantem, succinxit lumbos, vt nihil superfluum calcet dum in opere festinat. Ibi enim castitas mulieris huius zona præcepti constricta, succincta* D *fortiter lumbos suos firmauit brachia non defectura.* Hæc ille, cui accinunt Salonius, Beda, Hugo & alij, quos tibi adire integrum est.

De Virgine Deipara.

95. Locum istum de B. Virgine interpretatur Dionysius Rikelius libr. 2. de laudibus Virg. art. 27. tunc cùm in die Pentecostes cum Apostolis in cœnatione manens induta est virtute ex alto, vide ibi. Rursus Deiparæ inuictam fortitudinem supra cap. 8. longa oratione persequutus sum ad illa verba. *Mea fortitu-* E *do*, &c. Nulla robustior fœmina vnquam fuit quàm Maria, ac nulla militarem in semetipsa virtutem melius adumbrauit *succincta lumbos* fortiter. Verba illa, *Stabat iuxta Crucem Iesu mater eius*, ad militares stationes retulit Arnoldus Carnotensis. Nimirum tamquam miles stationarius in statione perstabat sua, iuxta Crucis vexillum interrita,& inuicta,& quidem ibi aderat *Succincta lumbos suos*. Nam si lumbos præcingere ex August. supra, nil aliud est, quàm carnis affectiones constringere, & comprimere, sanè Virgo, quæ omnem carnis affectionem semper in se adstrinxit,& restrinxit, tunc maximè id præstitit,& carneis affectionibus non acquieuit, cùm filium suum in crucem actum non solùm constanter aspexit, sed etiam magnanimiter obtulit patri, illius seuerām in filium voluntatem æmulata.

Arnoldus. August.

Rursus in Viginem apprimè quadrant illa verba Augustini. *Vestimenta sua collegit, ne fluitantis sinus carnalium concupiscentiarum impediant operantem, & nihil superfluum calcet, dum in opere festinet.* De opibus loqui videtur Augustinus. Hęc autem sunt copiarum, & superaffluentium bonorum damna, & incommoda: sicut enim vestimenta laxa, & soluta, operationes retardant, sic opes, atque diuitiæ ingentes sedulò operari, ac Deo inseruire volentibus impedimento sunt: & quemadmodum qui longas,& nimium demissas vestes gerit, festinare non potest, quia fimbrias pedibus calcans crebriùs impingit, ac in faciem proruit: sic etiam qui superfluas copias obtinet in ea, quæ superfluunt incurrit, & vix gradum aliquem sine ruina mouere potest. Ob eam causam Virgo sanctissima lumbos suos astrinxit, paupertatem semper coluit, ac ne aliquid superfluum esset, quod illi alicuius ruinæ occasionem dare posset, necessariis, & ad tuendam vitam opportunis rebus egere voluit. Lege Bonauenturam de Virginis paupertate multa serentem in libello de vita Christi. Sed ex multis hæc pauca habeto. *Zelans Virgo pro paupertate, & intelligens filij voluntatem, tam intus docentis, quàm foris ostendentis, quia vultum fortè auertebat ab auro, & vilipendebat totum infra paucos dies pauperibus erogauit: graue enim erat illi sarcinam tenere.* Loquitur autem Bonauentura de auro, quod Virgo à magis acceperat, ex quibus constat Mariam nihil vnquam superfluum, ac redundans apud se habuisse, ita vt dona illa mystica (quæ vel in tantæ adorationis monimentum retinere fas erat) statim profuderit,& apud se diutius manere minimè passa fuerit.

96. August. Bonauent.

Zelans videlicet pro paupertate, inquit Bonauentura. D. Damascenus in orat. 2. de Assumptione paupertatem Virgini *pro filia amantissima* fuisse dicit non longè à fine. Ergo sicut mater zelotypa filiam aliquam virginem, & innubam seruat, atque illud imprimis cauet, ne à quoquam dona recipiat (his enim donis virginum constantia expugnari solet: sic Virgo sanctissima *pro paupertate*, tamquam *pro filia dilectissima zelabat*, ac ne donis aliquibus illius constantia labefactaretur, etiam illa mystica Magorum dona repulit,& apud se manere non sustinuit. Appositè autem ad ea, quæ diximus, paupertas filia virgo appellatur; nam Zona,& cingulum olim arctius virginum propria erant, adeò vt Zona pro Virginitate antiquitus sumeretur. Hinc peruulgatum illud, *Zonam soluere*, idest, virginitatem alicuius violare. Et Homerus, Pindarusque Virgines *βαθυζώνους*, idest, *profunde cinctas* vocat. Et quidem omnis seuera,& non ficta paupertas virgo est arctè præcincta. Nulla tamen arctius, ac profundius succincta paupertas vnquā fuit, quàm Mariæ. Paulus vtique eorū Christianorum, qui bona Hierosolymis in commune contulerant, paupertatem altissimam appellat. 2. ad Cor. 8. *Et altissima paupertas eorum abundauit*, &c. Græcè autem habetur. *ἡ κατὰ βάθους πτωχεία*, hoc est, *& secundùm profundum paupertas eorum.* Nimirum, liceat sic dicere, paupertas eorum erat, *βαθύζωνος*, i. profundissimè præcincta, hoc est paupertatem quandam seueriorem profitebantur, quàm reliqui fideles: At Virgo sanctissima præ cæteris *βαθυζώνην* paupertatem colebat, idest, profundiùs arctiusque succinctam Sic Bernardus. *Nulla fuit paupertatis amantior.* De Virginis paupertate aliquid etiam supra diximus c. 8. v. 13.

97. Damascen.

Rursus ex dictis constat illa verba, *Accinxit fortitudine lumbos suos*, hoc est, *fortiter accinxit*, vt habēt Septuag. ad Virginitatem referri posse, quia, vt nuper diximus, Zona, atque cingulum pro Virginitate

Gregor. sæpius accipi consueuit. Et signatè D.Gregor.ad illa verba Christi Domini. *Sint lumbi vestri præcincti.* Tūc inquit, *lumbos præcingimus, cum carnis luxuriem per* Luc. 12. *continentiam coarctamus.* Et quidem Maria lumbos suos Virginitatis candida Zona fortiter valde astrinxit, vtpote quam nec coniugium, nec partus soluere potuit. Sed de hac Zona Virginitatis, qua Virgo lumbos suos arctius alligauit, latiùs agimus Cantic.7.ad illa verba. *Venter tuus sicut aceruus tritici,&c.vallatus lilijs.*

---

18. *Gustauit, & vidit quoniam bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius.*

99. Gustauit, & vidit, &c. Heb. *Gustauit, quod bona circuitio, eius, non extinguetur.* Sept. *Gustauit, quia bonum est operari, & non extinguetur lucerna eius totam noctem.* Sym.& Theodot.concinunt cum nostra Vulgata.

Gustauit, idest, experta est, & vsu ipso didicit laborem suum esse quæstuosum, & frugiferum, atque adeò ita sedula operi incubuit suo, vt nō dies solùm, sed noctes etiam ipsas laborando falleret. In magnis vtique laudibus huius fortis mulieris hoc ponendum est, quod noctem etiam lanificio, atque aliis dome-
Maro. sticis operis impendebat. Sic Maro probam, castam, & sobriam fœminam depingit libr.8.Æneidorum.

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerua
Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso: castum vt seruare cubile
Coniugis, & paruos possit educere natos.

Atque idem Euriali vxorem ipsum sic affantem inducit lib.9.

Veste tegens tibi, quam noctis festina diesque
Vrgebam, & tela curas solabar inanes.

Et lib.1.Georg.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nesciuêre hiemem.

Accedit Iuuenalis, qui de priscis illis Latinis mulieribus sic fatur.

Præstabat castas humilis fortuna Latinas,
Quando nec vitijs contingi parua sinebant
Tecta labor, somnique breues, & vellere Thusco
Vexatæ, duraque manus.

Quid plura? Ouidius in libr.2.Fasto.Lucretiam noctu ab adultero Tarquinio sic inuentam dicit.

Inde cito passu petitur Lucretia, cuius
Ante thorum calathi, lanaque mollis erat,
Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant,

Et rursus in epistola sic Pnelopes ad Vlyssem.

Nec mihi quærenti spatiosam fallere noctem
Lassaret viduas pendula tela manus.

Ex dictis constat fœminas industrias, & diligentes non solum diem, sed etiam noctem lana, lino, telisque vertendis impendere solitas, ait ergo Salomon.

100. *Gustauit.* Hebr. טעמה *Taghamah*, à radice טעם *Tagham*, quæ significat *delibare*, & *degustare*. hìc autē perinde esse existimo, ac si dicat, regustauit, seu identidem gustauit, vulgò *Aregostosse à laganancia.* Ex Hebræis aliqui referunt ad consilium, & supputationem. Nam verbum *Tagham*, significat etiam aliquando disponere, consultare, & supputare, hinc טעם *Tagham*, quæ vox non saporem solum & gustum, sed *consilium ostensionem & probationem* sonat. Itaque verba ista sic edisserunt, *Gustauit*, nimirum *supputauit* apud se negotiationes, seu impensas, & lucra, & *vidit*, idest, certò nouit artem satis quæstuosam se exercere.

A *Negotiatio eius.* Hebr. סחרה *Sachrach*, propriè *circuitio eius*, hæc autem pro negotiatione sumitur, quia mercatores merces suas circumferre solent, fortasse etiam eo nomine ad susceptam à militia, & castris metaphoram respexit, nam milites circuitores, aut circulatores, appellantur סחרים *Secharim*, qui scilicet mœnia ciuitatis belli tempore circumeunt, de quibus Cantic.5. sponsa dicit. *Inuenerunt me custodes,* Cantic.5. *qui circumeunt ciuitatem*, & rursus, *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*, hi sunt speculatores, qui nocturnas vigilias peragunt, quibus id consilij dat Plato in Dialog.3.de Repub. vti accensam lucernam Plato. semper præ oculis habeant, ne somnus in tenebris irrepat. Et ipsa consuetudo ita fert hodie, vt excubiæ
B semper ad Phari alicuius lumen vigilent. Ergo Salomon huius industriæ mulieris vigilias celebrans ait. *Gustauit, & vidit, quia bona est circuitio eius.* Nimirum experimento didicit, quæstuosam valdè rem esse, non aliter vigilias agere, & noctem insomnem ducere, quàm circumitores, & excubiæ, vrbem custodientes; atque adeò illis per omnia similis lucernam suam noctu minimè extinguit, vt non solum perdia, sed etiam pernox operi suo inuigilaret. *Velando* (digamos Ioassi) *como si le fuera la vida enello*, vt solent excubiæ, quorum in vigiliis salus, & vita agitur.

Non extinguetur in nocte lucerna eius, idest, maximam noctis partem in opere consumebat, nimirum ad multam noctem vigilans, & euigilans etiam
C summo mane, atque adeò lucerna aut numquam extinguebatur, vel tam paruo interuallo, vt perinde esset, ac si numquam restingueretur. D. Augustinus omisit locum istum in illo sermone: licet tamen mysticam illius interpretationem de Ecclesia, atque anima iusti ex Salonio, Beda, Hugone, Dionys. atque aliis petere.

De Virgine Deipara.

Gustauit, & vidit, &c. Omnes quidem in hac vita 101. salutem nostram negotiamur, vt supra cap.4. pluribus SS.PP. testimoniis euici. Sed tamen nulla magis quæstuosa, ac digna negotiatio fuit, quàm Mariæ:
D quod satis produnt ingentia ipsius lucra, atque merita, quæ omnium hominum in vnum coacta merita, & lucra longo interuallo superant. Sed tamen non solùm suæ salutis negotium suscepit Virgo Maria, sed etiam nostræ. Vnde Bernard.in serm.2.de Pente- Bernard. coste. *Ad illam*, inquit, *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab eis.* Et quidem eo sensu *negotium sæculorum* dicta est à Bernardo, idest, negotiatrix pro sæculis omnibus, vtpote quæ omnium salutem negotiatione sua consequuta est, & apud Deum cunctorum negotia procurat,
E *Ipsa est*, verba sunt Idiotæ in contemplatione de Beata Virgine, *quæ apud filium, sicut filius apud Patrem, imò apud patrem, & filium procurat negotia, & petitiones nostras; & sæpe quos iustitia filij potest damnare, matris misericordia liberat.* Dicitur autem Virgo à Bernardo, non *negotiatrix*, sed *negotium* ipsum, quia tam in sua, quam in nostra salute curanda non tam negotiatrix, quàm ipsissimum negotium est: quemadmodum si enim ipsum negotium viuum, & actuosum esset semetipsum vrgeret ac promoueret, sic etiā virgo sanctissima negotium nostrum tractans, non negotiatrix, sed ipsissimi ad instar negotij negotiatur, & agit. *Negotium* sanè vox composita est, quasi *negotium*, id est, sine otio, quia scilicet negotia otiari, & feriari non sinunt negotiatores. Aptè ergo Virgo

negotium appellata eſt, quia nullum ſibi otium vmquam fecit. Hanc verò diligentiam, & ſolicitudinem indidit illi, tam ſuæ, quàm noſtræ ſalutis cura. Non ignoro à quibuſdam Bernardi verba ſic exponi, vt Virgo *negotium omnium ſæculorum* nuncupetur, quaſi paſſiuè, ideſt, res ipſa, & cauſa vnica, ad quam omnia ſæcula præterita futuraque ordinata ſunt; ita vt quidquid hactenus à Deo actum eſt, ac deinceps fiet, huius negotij ideſt, Mariæ gratia ſuſceptum actumque fuiſſe conſtet, ita quidem vt ad Mariam perficiendam, & abſoluendam ſæcula omnia negotiari, ideſt, minimè otiari, ac feriari oportuerit. Sed tamen de hac negotij acceptione alibi diximus in cap. 8. huius commentarij.

102. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, eſt enim Virgo prudens, & vna de numero prudentum, quæ olei magnam copiam prouidentia mirabili comparauit: non autem ex his, quæ propter olei inopiam aiebant, *Date nobis de oleo veſtro, quia lãpades noſtræ extinguũtur.* Audi Bernard. *An forte excidit vobis illa parabola, quæ fatuas illas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum: erat enim domus earum mũda, virgines enim erant: erat ornata, quia ſimul omnes ideſt fatuæ cum prudentibus lampadas ornauerunt; ſed erat vacans, quia in vaſis ſuis oleum non acceperunt. Non ſic mulier illa fortis, quæ ſerpentis caput contriuit; habes enim poſt multa in laudibus eius, quia non extinguetur in nocte lucerna ipſius. In ſuggillationẽ hoc dicitur fatuarum, quæ veniente media nocte ſponſo conqueruntur ſerò, & dicunt, quia lampades noſtræ extinguũtur. Proceſſit igitur glorioſa Virgo cuius lampas ardentiſſima ipſis quoque Angelis lucis miraculo fuit, vt dicerent, quæ eſt iſta?* &c. *clarius enim cæteris rutilabat, quam repleuit oleo gratiæ præ participibus ſuis Chriſtus Ieſus filius eius*, &c. Hæc ille in ſerm. 2. de Aſſumptione, vide plura de hac re cap. 8. v. 14. ad illa verba, *Mea eſt prudentia.*

103. Ad hæc ſicut *noctis* non vna ſignificatio eſt, ita etiam horum verborum non vna accommodatio excogitari poteſt. Hugo Cardinal. *noctis* nomine mortẽ notari vult in hoc loco: poſſumus autem vel de ipſius Mariæ, vel de Chriſti morte interpretari. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, nimirum in ſua ipſius morte vita eius minimè extincta eſt: nam virgo ſanctiſſima (liceat ſic dicere) moriens non eſt mortua. Accipe verba Damaſceni orat. 2. de Aſſumpt. *Tu ſola nobis in terra conſolatio relicta es, & te viuente ſimul viuere, & moriente ſimul mori beatum eſt. Quid autem moriente dicemus? tibi enim mors quoque ipſa vita eſt, ac vita præſtantior, atque hanc vitam incomparabiliter antecedens.* Et paulo ante. *Hanc autem, quæ ſine voluptate, & viri congreſſu Dei verbum, & perſonam illam mentem omnem ſuperantem, atque omnia implentem, naturaliter abſque doloribus procreauit, ſeque totam Deo dicauit, ac conſecrauit, hanc, inquam, quonam pacto mors abſorbebit? quonam pacto corruptio corpus illud, quo vita ſuſcepta eſt, aggredietur? Abhorrent omnino hæc, atque aliena ſunt à Deifera illa anima, & corpore; ipſius enim aſpectum mors quoque ipſa pertimuit, ſi quidem ipſius filium adorſa, ex his, quæ pertulit erudita, periculoque facto prudentior reddita eſt.* Hactenus ille, qui in 1. orat. de Virginis dormitione hoc ipſum eleganti ſolis ac lunæ ſimilitudine adumbrauit. *Quemadmodum*, inquit, *ſplendidiſſimus hic partuaque luce præditus ſol, tametſi cùm à lunari corpore aliquantiſper obducitur, quodammodo deficere, caligineque obrui, ac fulgorem cum tenebris commutare videatur: non tamen à luce ſua excidit: imo perennis in ſe lucis fontem ſcaturientem habet: imò vt rectius loquar, ipſe indeficiẽs in ſe luminis fons eſt. Ad eundem modum tu quoque fons perennis verè luminis, atque inexhauſtus vitæ theſaurus, & vberrima ſcaturigo benedictionis, quæ nobis bonorum omnium cauſa, & parens extitiſti, etiamſi ad breue aliquod ſpatium corporeo modo morte obtegeris, tamen immenſi luminis, atque immortalis vitæ, ac veræ beatitudinis puros, & inexhauſtos latices, gratiæ flumina, ac perennem benedictionem nobis infundis: ac proinde ſacram tuam migrationem mortem haudquaquam appellabimus, ſed ſomnum, vel peregrinationem, vel (vt aptiori verbo loquar) cum Deo præſentiam.* Sed tamen hac de re infra non pauca feremus ad illa verba. *Et ridebit in die nouiſſimo.*

Quod ſi per *noctem* non Virginis ipſius, ſed filij 104.
eius mortem accipiamus, occurrit alia non iniucunda expoſitio. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, ideſt, in Chriſti Domini obitu, ac paſſione, cùm ferè diſcipulorum, & Apoſtolorum fides, ac ſpes extincta eſt, Deiparæ fides, atque ſpes inextincta magis ac magis enituit. Sic Bernard. de lamentatione Virginis. *Non deſperabat, ſed piè, ac iuſtè dolebat, ſperans firmiter fortiterque tenens ipſum, ſecundum promiſſum ſuum, tertia die reſurrecturum. In ipſa enim ſola in triduo illo fides Eccleſiæ ſtabat, & dum vnuſquiſque hæſitabat, hæcque fide concepit, fidem, quam à Deo ſuſcepit, ſemel nunquam perdidit, ſpeque certiſſima Domini reſurgentis gloriam expectauit.* Quapropter quibuſdam perſuaſum eſt id ſibi velle Eccleſiam, cùm per tres Hebdomadæ maioris dies ad matutinas horas cereos duodecim extinguit, vno tantùm reſeruato, qui ritus, teſte Amalario, innuit Chriſto obeunte, & patiente, fidem, ac ſpem in reliquis defeciſſe, ſed in vna Virgine viuam, atque ſplendidam perſeueraſſe.

Denique poſſet aliquis per hanc *noctem* huiuſce 105.
ſæculi tempus accipere, in quo tamdiu in tenebris degimus, quod æternus beatitudinis dies nobis oboriatur. Et quidem in hac nocte Mariæ lucerna numquam extinguitur, imò ipſa nos ſua luce, quaſi prælata face regit; atque adeò Virgini Bernardus accommodat illa verba. *Ad lumen eius ambulabam in nocte*, ideſt, fauor illius, & gratia mihi pro face, & lumine erant, ad huius ſæculi nocturnas tenebras, caliginemque fugandam. Et ſanè mihi aliquando meditanti occurrit. Virginem non aliter cum animabus ſui ſtudioſis agere, atque matrem aliquam familiàs cum famulis, & ancillis ſuis,

Noctem addens operi, famulaſque ad lumina longo
Exercens penſo.

Nam in huius vitæ nocte ad ſui fauoris lumen virtutum penſa trahere, & abſoluere benigne cogit ſibi addictas animas.

19. *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.*

Manum ſuam miſit, &c. Hebr. *Manum ſuam miſit* 106.
ad verticulum, & vola eius apprehẽderũt colum. Diſſidium eſt inter Hebræos: quidam. n. *colum* in priori loco, & *fuſum*, ſeu *verticulum*, in poſteriori ponunt: alij verò commutant, & prius *colum* addunt, deinde *fuſum* adnectunt, eſt enim in priori loco כישור *Chiſor*, à radice כשר *Chaſar*, quæ propriè ſignificat rectum, aut congruum eſſe. Vnde quidam in hoc loco ſic conuertendum putarunt, & *manum ſuam miſit ad recta*, vel, *conuenientia*, ex hac radice fluit כושרה *Choſarah*, cuius vocis ſignificatum ambiguum eſt, Hebræi enim *compedem* conuertunt. Occurrit in Pſalm. 68. verſ. 7. *Qui educit vinctos* in כושרות *Choſaroth*. Hebræi, *in annulis compedum*. Septuaginta transferunt, *in fortitudine*, ex quo conſtat verbum *Chaſar* non ſolùm *rectitudinem*, ſed etiam *fortitudinem* notare: hinc fluxit noſtra lectio. *Manum ſuam miſit ad fortia.* Denique alij *Chyſor verticulum*, ſeu *verticillum* eſſe volunt, quod fuſo ab inferiori parte adhiberi conſueuit.

cóſueuit, vt facilius in gyros vertatur ſuos, ſeu etiam *colum*, cui lanæ implicantur ad nendum. Pro *fuſo* autem eſt in originibus פלך *Phalech*, ab פלך *Phelech*, id eſt, *baculus*, ob ſimiltudinem, 2. Reg. 3. Et *ne deficiat de domo Ioab fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum*. Hebræi conuertunt, & *tenens baculum*, nimirum valetudinarius, & infirmus. Noſter melius, *tenens fuſum*, ideſt, mulier pauper lanificio viuens. Sed tamen aliqui longè aptiùs *colum*, quàm *fuſum* hinc tranſcribi putant, quia *colus* baculum melius refert, quam *fuſus*. Lectio autem noſtra præferenda eſt, & ſimilitudo baculi, & fuſi videtur concinnior, vterque enim manibus tenetur, & vterque ſuſtinet, hic vitam, ille corpus. Septuag. integrum locum ſic reſtituerunt. *Cubitos ſuos extendit ad vtilia, & manus ſuas firmat ad fuſum*. Aquila, Symm & Theod. Τὰ ἀνδρεῖα. i. ad *virilia*, ſeu *fortia*, ſicut Vulgata. Chald. *Manus ſuas extendit ad verticillum, & digiti eius tenuerũt fuſũ.*

Præmittere libet lectionem Septuaginta, quæ ſatis elegantem ſententiam reddit. *Cubitos ſuos extendit ad vtilia, & manus ſuas firmat ad fuſum*. Hæc nimirum diligens, ac ſolicita fœmina non curioſis quibuſdam rebus elaborantis operas ſuas impendit, ex quibus leue, aut nullum emolumentum aliæ referre ſolent; ſed rebus maximè quæſtuoſis dat operam, ſelicet lanæ atque lino, tum nendis, tum texendis, ex his enim plura lucra percipi ſolent. Qui autem legunt. *Manum ſuam miſit ad recta*, ſeu congruẽtia, ſic accipi poſſunt: ideſt, mulier hæc ſtrenua id operis agebat, quod probas atque honeſtas fœminas imprimis decet; videlicet nendi, atque texendi: nullum enim vel honeſtius, vel decentius pudicis fœminis exercitium eſt. Itaque ait. *Manum ſuam miſit ad recta, & decentia*, hoc eſt, decoram valde rem manibus agebat ſuis, quænã hæc? *Digiti eius apprehenderunt fuſum*. Hæc enim deſt decentiſſima, atque honeſtiſſima ingenuarum fœminarum exercitatio. Hinc Romani, vt auctor eſt Hieronymus, apud Caiæ Cæciliæ ſtatuam colum, lanam, & fuſum effinxerunt pudicitiæ ipſius certa monumenta. *Hieronym.* Et quidem huius Caiæ tanta apud Romanas matronas authoritas fuit, vt ſponſæ illius nomen boni ominis cauſa crebriùs vſurparent nubentes, adeò vt noua nupta ante mariti ianuam nomen ſuum rogata, Caiam ſe eſſe ſemper diceret, quaſi futurum ſpondens, vt mores illius æmula quadam imitatione in ſeipſam adumbratura eſſet. Item Tobię 2. laudatur Anna vxor ipſius Tobiæ, quod ad opus textrinum quotidie ibat. *Tobiæ 2.* Fruſtra hic memorem antiquas fœminas, quæ pudicitiæ, & probitatis laude floruerunt, quas lanificas, atque linificas eſſe conſtat: ex his Lucretia Tanaquil Telemachi parens, Penelopes Aretis Alcinoi Regis vxor, & aliæ, quorum cenſum collegit Tiraquellus ad 10. legem connub. à num. 40. & deinceps, vide ibi, & audi Terentium in Andria, matronæ cuiuſdam mores commendantem: *Tiraquel. Terentius.*

Primum hæc pudicè vitam parcè ac duriter
Agebat, lana, ac tela victum quæritans.

108 Sed licet præfatæ lectiones lepore ſuo non careant, præferenda tamen eſt noſtra interpretatio, quã Symmachus, Aquila, & Theodotio ſuis calculis cõprobarunt. *Manum ſuam miſit ad fortia*, quæ duplicem ad ſenſum vocari poteſt. Vel ita vt per *fortia* nõ aliud, niſi *colum* intelligat (vrgens ſcilicet ſuſceptam robuſti militis ſimilitudinem) quaſi mulieri huic forti *colus* pro gladio ſit, atque haſta. Hanc expoſitionem inſinuare videtur Rodolphus, nec diſciplicet. Et quidem non abs re veteres Palladem, quam bellis armiſque tractandis præfecerant, eandem nendi, texendique peritam eſſe finxerunt. Huc ſpectauit Seneca in Hyppolito, vbi ſic Phædra. *Seneca.*

Palladis tela vacant,
Et inter ipſas penſa labuntur manus,

Accedit Virgilius lib. 8. Æneid. *Virgil.*

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerua, &c.

Et lib. 5. Æneid.

Olli ſerua datur operum haud ignara Mineruæ.

Itaque dea illa ab armis ad telas, & à telis viciſſim ad arma ſe referebat: nec indecorum viſum eſt, vt quæ arma, gladium, laceamque depoſuerat, ſtatim colum, fuſum, lanamque tractaret Quinimò eandem Mineruam doctrinæ, ac litterarum præſidem fuiſſe conſtat; & quidem ita decuit, vt veteres hæc tria, litteras, arma, & lanificum eidem numini adſcriberent, vt hæc quodammodo inter ſe, quaſi ſubparia, & ſubæqualia eſſe ſuaderent. Et quidem arma fortes, & doctrina doctos viros pręſtant, at nendi, & texendi peritia fortes ſimul, ac doctas mulieres efficit. De fortitudine hic ſermo eſt. *Manũ ſuã miſit ad fortia*, &c. ad doctrinã ſpectat locus alter Exod. 35. *Sed, & mulieres doctæ, quæ neuerant, dederũt hiacynthũ, purpuram, & vermiculum, ac pilos caprarũ ſponte propria cuncta tribuentes.* *Exod. 35.*

Aliter etiã ſenſus huius loci cõformari poteſt. *Manum ſuam miſit ad fortia*, ſeu *virilia* (vt habent Sept.) ſcilicet omnino fortem, & quæ virilem animum, & conſtantiam poſtulat, ſuſcepit. Quænam illa eſt? *Digiti eius apprehenderunt fuſum*. Hæc enim nendi, atque texendi exercitatio, nequaquam mollibus, & otio deditis fœminis placet, fortes, ac robuſtas viragines, & Heroinas fœminas poſtulat. Lege Tiraquellum locò citato, vbi plures ſtrenuas, & fortes mulieres huic operi addictas fuiſſe ſcribit. Hinc liquet quàm inſulſam, & fatuam interpretationem inuexerint Hebræi illi, qui non *fortia*, ſeu *colum*, aut *verticulum* conuertendum eſſe putant: adimunt enim orationi energiam, & vim, nulla inducti ratione.

Denique audiendus eſt. D. Aug. qui allegoriam vrgens verba iſta ſatis eleganter expendit. Serm. 217. de tempore. 109 *August.* *Brachia*, inquit, *ſua firmauit in fuſo: de fuſo iſto, quod Dominus dederit dicam, neque enim iſta lanificia ſunt à viris aliena. In fuſo lanificium ſignat, in lanificio bonum opus tamquam caſtæ mulieris, & matronæ impigræ. Diligenter tamen attende in lanificio duo inſtrumenta, colum, & fuſum: in colo quidem lana inuoluta eſt, quæ filo ducenda tranſeat in fuſum, quod in colo inuolutũ eſt, adhuc in ſiniſtra eſt, & nõdum in fuſo eſt; quod in fuſo collectum eſt, iam preteritum eſt, opus ergò tuum in fuſo ſit, & non in colo, in colo enim eſt, quod facturus es, in fuſo quod feciſti. Vide ergo ſi habes aliquid in fuſo, ibi enim firmantur brachia tua, ibi erit fortis conſtantia tua, ibi ſecurus Deo dices, da, quia dedi; dimitte, quia dimiſi, fac, quia feci. Quod pendet in colo ad fuſum traiiciendum eſt, non autem quod collectum eſt in fuſo ad colũ reuocandum eſt. Ergo vide quid agas, vt habeas in fuſo, vt brachia tua firmes, in fuſo, quod te conſoletur, quod te confirmet, quod ibi tibi det fiduciam deprecandi, & ſperandi.* Hactenus Aug. qui ſimilia ferme verba habet in ſerm. illo 45. de Diuerſis. Mitto Salonium, Hug. Bedam, Dion. & alios, qui præfatam allegoriam alij aliter diſcutiunt.

De Virgine Deipara.

Mariam Virginem lanificio vixiſſe quibuſdam Patrũ teſtimoniis ſupra oſtendi ad illa verba. *Quæſiuit, lanam, & linum*, &c. atque adeò hic locus vt ſonat, in ipſam aptiſſimè quadrat. Poteſt tamen ſublimiori ſẽſu eidem accommodari. 110 *Manum ſuam miſit ad fortia*, vel ad *decentia*, vel ad *vtilia*: has enim tres lectiones originalis textus capit, vt iam præmiſi, quæ Deiparæ ſanctiſſimæ totam viuendi rationem exprimũt. Omnis quippe illius actio, & operatio in rebus vtilibus, decentibus atque fortibus vertebatur. Non vacat hic ſingula

ſingula euolere. *Digiti eius appehenderunt fuſum.* Et
quidem iuxta expoſitionem Aug nulla vnquam fœ-
mina brachia ſua in fuſo fortius offirmare potuit,
quã Maria,quia nulli copioſior lana.i.agendarum re-
rũ materies amplior pepẽdit in colo,& nulla inſuper
bonorum operum maiorem multitudinem in fuſum
tranſtulit ac collegit. Nobis quidem multę bonorum
operum occaſiones,quas Deus quotidie offert,veluti
lana in colo pendent,quæ numquã exequimur,& in
fuſum traiicimus: At Virgo quidquid vnquam in co-
lo boni deſiderij habuit,efficaci operatione in fuſum
Richard. tranſmiſit. Audi Richardum in libr. 2. de Emanuele
cap.29.vbi ad illa verba, *& ſcuta comburet igni*, abſo-
lutè pronuntiat ſanctiſſimæ Deiparæ, nihil vnquam
boni occurriſſe,quod facto opus eſſet,quod non etiã
actutum exequeretur. *Nam ſi impoſſibilitas*, inquit *ip-*
ſa aliquid in ea de aliqua virtutum perfectione immi-
nuit,profecto pro ea parte eadem ipſa impoſſibilitas ei ad
excuſationem fuit. Addit etiam aliquando rerum ſibi
impoſſibilium deſideria , & vota eidem ad meritum
computata,ita vt fas ſit dicere hæc etiam ipſi in colo
minimè pependiſſe.

Hugo. Ad hæc Hugo non illepidam accommodationem
coniicit in hunc locum. *Digiti huius manus ſunt om-*
nes electi , qui apprehendunt fuſum, ideſt , rectitudinem
intentionis , per quem omnia opera quaſi fila in orbem
æternitatis retorquent. Hic autem (inquit) *notari debet,*
quod per ſiniſtram temporalia,per dexteram ſpiritualia,
& æterna bona ſignificantur. Item per colum ſignificatur
vita temporalis,per fuſum intentio boni operis. colus qui-
dem in ſiniſtra ponitur, & fuſo lana , vel linum in dexte-
ram retorquetur,quod eſt recte nere,hoc autem fit,quan-
do temporalia , & humana ſic exercentur , vt per bonam
intentionem quaſi in filum ducta,ad æterni ſpiritua-
liſque meriti conditionem tranſeant , puta cùm ex
pecuniis eleemoſyna pauperi erogatur , pecuniæ,
quæ prius ad ſiniſtram ſpectabant, fuſo rectæ inten-
tionis verſatæ in dexteram colliguntur. Sic docuit
Matth.5. Chriſtus Dominus , cùm dixit. *Te faciente eleemoſy-*
nam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera , quaſi di-
cat;Nihil à dextera in ſiniſtram,ſed è contra omnia à
ſiniſtra in dexteram tranſeant,ducantur quidem ve-
luti lana à ſiniſtra temporalia,ſed cum per fuſum re-
ctæ intentionis in dexteram migrauerint , iam inde
neſciat hoc ſiniſtra , nihil ſcilicet temporale bonam
intentionem ab ſcopo ſuo detorqueat. Hinc ſanè
artem temporalia , & caduca per rectam intentio-
nem ſpiritualibus æterniſque donandi , nulla vn-
quam melius tenuit,quàm Maria,vt pote,quæ nihil
vnquam humanum humanè,vt ita dicam,geſſit: ſed
humana omnia,& temporalia ad ſpiritualem condi-
tionem per rectæ intentionis fuſum tranſtulit. Quid
certius ? Lege Ambroſium de præceptis ad Vir-
gines.

---

20. *Manum ſuam aperuit inopi , & palmas*
ſuas extendit ad pauperem.

112. MAnum ſuam, &c. Hebr. *Manum ſuam extendit*
ad afflictum , & manus ſuas miſit ad egenum.
Chaldæus. *Manum ſuam extendit ad inopem, & bra-*
chia ſua miſit iniuriam patientibus , ſcilicet vt eos ex-
ciperet,ac benignè foueret. Sept. *Manus ſuas aperuit*
pauperi,& palmam extendit inopi. Sic habet correctior
tranſlatio Septuaginta. In Gręcis eſt *κάρπον*,quæ vox
fructum cuiuſlibet arboris adſignificat,nec non etiam
iuncturam illam qua brachium cum manu commit-
titur , vulgo *la muneca* , licet aliquando καρπὸς χειρῶν
pro *palma* , aut *vola* manus accipiatur , vt admonet
Pollux ; imò etiam pro toto brachio per ſynecdo-

A chen , accepta parte pro toto. Hinc diſſidium inter
eos , qui verba Septuaginta reſtituerunt. Nam cor-
rectior tranſlatio *palmas* conuertit , vt iam præmiſi.
Complut.& Regius Codex ſic habet. *Et fructum ex-*
tendit inopi, qui præferunt veſtigia Auguſt. qui cita-
to loco ſic tranſcripſit. *Et fructum ſuum porrexit ino-*
pi. Alij demum ſic extulerunt. *Et brachium ſuum ex-*
tendit inopi , ſed tamen hæc diſſidia ſententiam non
euariant.

Locus quidem facilis,ac nexus difficilis, quorſum
enim eleemoſynam reliquis huius ſtrenuæ mulieris
operibus interſerit?Ianſenius occurrit ſic. Ingentem
quæſtum ex lanificio quæſitum declarant , qui non
ſolum ſibi,ac domeſticis ſũptus ſuppeditaret, ſed etiã
B ampliſſimis eleemoſynis offerret impenſas, non diſ-
plicet. Cæterùm neſcio an aptius ſit dicere inter alias
parandarum opum artes veluti omnium quæſtuoſiſ-
ſimam eleemoſynam numerari. Nota eſt Chryſoſt. Chryſoſt.
illa ſententia, Hom. 32. ad populum. *Eleemoſyna ars*
eſt omnium artium quæſtuoſiſſima : non ſolum quia æ-
terna nobis bona conciliat , ſed etiam quia adauget
cumulatque temporalia. Eapropter Salomon cùm
fœminæ iſtius in lucris pariendis induſtriam expri-
mere vellet , reliquis illis artificiis hanc eleemoſynæ
præclaram lucrandi artem inſeruit. Ergo ait.

Manum ſuam aparuit inopi , &c. Obſeruandus eſt 113.
huius ſententiæ cum littera initiali concentus , nam
cùm ſingulis huius capitis verſibus aliqua littera Al-
C phabeti per ordinem præfixa ſit,huic quidem reſpõ-
det littera כ *Caph*, quæ propriè *manum* adſignificat.
Sed tamẽ, vt aliàs docuit,inter כף & יד *Iad*,hoc inte-
reſt, quod *Caph* propriè *manum clauſam* , & contra-
ctam ſignificat, *Iad* verò *patulam* ; & apertam. Vtra-
que autem vox hìc reperitur in priori illo hemiſty-
chio, *Manum ſuam aperuit inopi*, eſt *Caph*, & in poſte-
riori, Et *palmas ſuas*, &c. reperitur *Iad* , hæc liberali-
tatis, & profuſionis , illa parcitatis ſymbolum gerit.
Sanè mulierem hanc , quæ induſtriam ſuam in diui-
tiis parandis ſedula impendit; in ſumptibus, parcam
eſſe oportet:nam ſi profuſa ſit,plura decoquet,quam
parauit. Illam,inquam, (liceat ſic dicere,) manum con-
trahere neceſſe eſt , quæſita ſcilicet ſeruare, & parta
D tueri oportet. Ideò Salomon illi accommodat *Caph*,
ideſt, *manum obſeratam* , & clauſam, ſed tamen addit
illam,quoad pauperes attinet , cùm eorum miſeriam
ſubleuare opus eſt , *Caph*, ideſt, *manum*, alias *clauſam*
aperire. *Manum ſuam aperuit inopi* , & *Caph* in *Iad*,
hoc eſt in patulam, & extẽſam manum commutare,
Et palmas ſuas extendit ad pauperem, quaſi dicat,hæc
quæ alias parcam ſe præbet,erga pauperes liberalem,
& effuſam numquam non ſeſe exhibet?

Suadet autem Salomon mulieri eleemoſynam,& 114.
liberalitatem erga egenos , quia vt ait Anſelm. in ſi- Anſelm.
mili , *Mulier immiſericors portento , & monſtro ſimilis*
eſt. Ipſa enim natura illis pietatem, ſuaues mores, viſ-
E ceraque molliora inſeuit,ita vt ſi qua durior , inſua-
uior ſit , ſuæ conditionis oblita, & monſtro cuipiam
aſſimilis videatur. At,inquies,vxori non licet,niſi ex
copia mariti, eleemoſynas facere;ita quidem expedit,
vt vxor mariti ſui veniam obtineat , ſi tamen ipſe
hanc facultatem illi contra fas impius adimeret , ipſi
nihilominus , licebit eleemoſynas conditioni, atque
opibus ſuis conſentaneas elargiri;ita docet D.Thom. D.Thom.
2.2.quæſtion. 32.a. 8. nam tunc vir non cenſetur ra-
tionabiliter inuitus. Addit etiam D. Thom. vxori
quidem licere , ex his , quæ proprio labore, & indu-
ſtria ſibi peperit (etiam non requiſito viri conſenſu)
pauperibus moderatas elemoſynas conferre. Ergo
congruè admodum Salomon huic fœminæ conſulit,
vt ex partis labore ſuo bonis pauperibus benignius
ſuccurrat.

Sed

Sed appendenda sunt posteriora illa verba. *Et palmas suas extendit ad pauperem*, idest, manum patulam, quæ liberalitatis imaginem præ se fert. In Hebræis est, *misit ad pauperem*, his verbis, inquit Iansenius, significatur liberalis eius, & vltronea donatio, quæ veluti obtrudit egenis bona sua. Non nemo etiam obseruauit eam formulam, *manum mittere*, seu extendere, esse ritum condonantis debita, & absoluentis ab obligatione soluendi, vt sensus sit; hæc pia, & indulgens mulier, pauperibus aliis quidem succurrebat, aliis autē mittebat manus, & palmas, i. debita, quibus ipsi obstricti erant condonabat. Denique alij vtramque clausulam sic exponunt, ac si dicat, quibusdam manum aperit, idest, parcius erogat, ad alios verò *palmas extendit*, hoc est, aliis profusius largitur, omnium videlicet indigentias prudenti libratione pensitans.

August. August. lectio perspicua est. *Et fructum suum porrexit inopi.* Sed tamen ipse eam sic exponit. *Manus pauperi fructus inopi est, quidam pauper manus tuas quærit, & quidam inops fructum tuum quærit, qui non vult à te, nisi quod necessitati suæ poscit, pauper est, manus tuas quærens; est autem alius inops, scilicet Christus Dominus, hic vero non quasi necessitati suæ vult satis fieri de dato suo, sed tamquam in arbore dominica, quam plantauit, & rigauit, fructum quærit. Ipsum audi de quibusdam dicentem cùm de talibus loqueretur, non quia quæro datum, sed requiro fructum.* Mens quidem August. perspicua est. Adlusit tamen ad Græcam vocem in translatione Septuaginta, qui pro *palma*, καρπὸν subrogarunt, quæ vox *fructum* etiam adsignificat.

116. Alij lectionem Septuaginta sic extulerunt. *Et brachium suum extendit inopi*, quibus hæret Thargum, cuius hæc sūt germana verba. *Et brachia sua misit iniuriam patientibus.* Id sanè fœmineæ conditionis facultatē superare videtur, scilicet eos, qui iniuriis petuntur iniectis brachiis fouere & tueri: sed tamē huic robustæ mulieri datur. Quod quidem ita intelligo, vt non modò pauperibus stipe, sed his etiam, qui ob inopiam diuitibus iniuriis patebant, pecuniarum auxilio subueniret, vt inferendas sibi, vel iam illatas iniurias propulsarent. Aliter etiam tum hæc, tum nostra lectio exponi potest. *Manum suam, seu brachium extendit inopi*, idest, non modò ad se venientes, & stipem obiectantes, hæc fœmina subleuabat, sed etiam declinantes, & aliò diuertentes, protensa manu, & brachio vocabat, inuitabatque: nam palmam, seu manum extendere in sacra Scriptura persæpe idem est, quod vocare, vt supra cap. 1. docui, & comprobaui

Prouer. 1. ad illa verba *Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Denique si verba sic efferamus, vt sonant *Et carpum extendit inopi*, idest, commissuram brachij, atque manus, vulgò *lamanica*, Emphasim habet, quia, vt alibi ex Clemente Alexandrino, & aliàs docui, apud antiquos solemne fuit, vt quicumque alteri se obstringebat, & fidē dabat, carpum manus tenendum ac premendum præberet, vt eo ritu fidei obstrictæ nodus exprimeretur. Lege multa supra cap. 6. vers. 1. Ergo secundum hanc acceptionem, hæc pia mulier *Manum suam aperuit inopi*, id est, cuilibet pauperi stipem roganti libenter erogabat. *Et carpum suum extendebat pauperi*, idest, eidem fide data in posterum pollicebatur. Itaque sensus est, non solùm præsentem stipem dabat, sed futuram promittebát, donans scilicet, atque ad futuras sese obstringens eleemosynas.

De Virgine Deipara.

117. Ambros. Huius loci varias interpretationes Virgini accommodare integrum est, nam primo illius misericordia A erga egenos tanta extitit, vt Ambr. illa iam inde à me suprà vsurpata cap. 8. vers. 12. verba profari ausus fuerit. *Et in prece pauperis spem reposuit*, quibus nihil illustrius de eleemosyna enuntiari potest. Virgo sanctissima, in qua nostra omnium salus, ac spes sita, ac reposita est, sic enim Ecclesia canit, *Vita, dulcedo, & spes nostra salue*, hæc, inquam, suam spem in prece pauperis reposuisse dicitur, nimirum in ea prece, per quam pauper accepta stipe, bona precatur donanti, vel quam ipsamet eleemosyna in sinum pauperis cōiecta fundit ad Deum, iuxta illud, *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Eccles. 19. vide plura suprà loco citato. Eccles. 19.

Secundò, hæc verba de ipsius erga homines misericordia, & beneficentia in vniuersum acc[i]pere licet. B *Manum suam aperuit inopi*, idest, patulam, & apertam obtulit manum non retinens, sed effundēs. Frustra hìc multa de illius erga homines effusa liberalitate, & misericordia, quam misericordiæ parentem, ac matrem quotidie nuncupamus, *Salue Regina mater misericordiæ.* Vnde Anselmus, *Charitatem*, inquit, *& misericordiam veluti alumnas suas vlnis fouet.* Anselm. Pende quàm appositè misericordiam in manibus, vlnisque reponit, veluti alumnam ab ipsa nutritam: sanctissima enim Dei genitrix non modo mater, sed etiam nutrix, & altrix misericordiæ, & pietatis existit. Sanè matres parum benignæ erga filios, cùm primum ipsos pepererunt statim nutricibus alendos tradunt, C quibus vbera siccato lacte citiùs arent. His planè similes sunt illi, qui, & eleemosynas, & alias donationes, quas ipsi conceperunt, per alienas manus, scilicet per seruos, ac ministros erogant, illis enim nescio qua ratione, benignitatis vbera, fontesque citius siccantur. Quemadmodum his, qui misericordiam per se ipsos, ac per manus suas exercent, lac benignitatis vberius accedit, ac perennis fluit: nam voluptas, quæ ex vna largitione capitur, ad ampliores largitiones in dies faciendas excitat donantes. Igitur hæc pia mulier, quam Salomon describit, non quidem aliis eleemosynas committebat, sed suis ipsa manibus donabat. *Manum suam aperuit inopi*, &c. cui per omnia similis Dei genitrix Virgo, quæ mater simul, & nutrix D misericordiæ dicitur, cui placet, semperque placebit benignitatem, & beneficentiam in nos per suas manus exercere.

Vnde appositè admodum D. Bonauent. ad ipsam 118. Bonauent. conuertit illa verba Psalmi. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominam nostram, donec misereatur nostri.* Sic enim scribit. *Ancilla dominæ Mariæ est qualibet anima fidelis; imò etiam Ecclesia vniuersalis; Oculi huius ancillæ in manibus dominæ suæ semper debent esse, quia oculi Ecclesiæ, & oculi omnium nostrum ad manus Mariæ semper debent respicere, vt per manus eius aliquod bonū accipiamus, & per manus eius quidquid agimus Domino offeramus: per manus enim huius dominæ habemus quidquid boni possidemus,* E *attestāte Bernardo, qui ait. Nihil nos Deus voluit habere quod per Mariæ manus non transiret, per manus quoque huius dominæ offerre debemus, quidquid boni egerimus. Quemadmodū idē Bernard. hortatur, dicens, Modicū illud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis manibus Mariæ tradere cura, si nō vis sustinere repulsā. Bene nobis, charissimi, bene nobis, quod talem dominam habemus, quæ manus tam liberales habet ad nos.* Bernard. Hæc Bonauentura. Ex quibus liquet nō solum Mariam quidquid beneficiorum, & gratiarum nobis impēdet per suas manus exercere, sed etiam nullum beneficium à Deo in nos proficisci, quod per Marianas manus non deriuetur: quæ igitur tot, ac tanta nobis manibus suis confert, quàm amplas, patulasque manus habere oporteat perspicuum est.

Reliquas autem expositiones præmissas Virgini accommodare nemini non licet, nihil enim de benignitate huius mulieris enuntiare licet, quod augustius, & sacratius in Mariæ beneficentiam non cadat, singula verò percurrere parum vtile, & valde longum foret.

---

21. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis; omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

119. NOn timebit, &c. Hebr. *Non timebit domui suæ à niue, quia omnis domus eius vestita coccinis.* Sic conuertit locum istum magna Hebræorum turba. Nam in originibus subest vox שנים *Sanim*, per quã coccineum colorem aliàs notari constat Genes. 38. n. 28. Exod. 25. n. 4. & 26. n. 1. & 36 n. 8. & 39. n. 29. & passim alibi. His hæret Chald. qui sic versum integrũ extulit. *Non timebunt filij domus eius à niue; quoniam omnes domestici eius vestiti sunt coccino.* Hoc dissidium peperit vox originalis, quam aliqui petunt ex radice שן *Sen*, quæ *dentem* significat, sed tamẽ dentis, ac coloris coccinei nulla concordia: ergo melius alij referunt ad radicem שנה *Sanah*, quæ significat *iterare*, ac *repetere*, dicitur autẽ *coccinũ* שני *Sane*, quasi *dibaphum*, aut *bis tinctũ*, nam purpura bis imbui solebat, semel quidẽ vermiculo, deinde coccino, vt lucidior, ac splendidior esset. Hinc deducitur concordia Euãgelistarũ circa vestem, qua milites Christũ ludibrio habere volentes ipsum induerunt. Nam alius Euangelista illam *purpuream* appellat, alius *coccineam*: hoc autem nullum est dissidium, erat enim vestis illa dibapha, bis scilicet, semel purpura, & iterũ cocco infecta; atque adeò coccinea, & purpurea appellari potuit, vide plura in c. 6. Cantic. ad illa verba. *Coma tua, sicut purpura Regis*, vbi de hoc argumento multa cõflauimus, quibus hîc supersedere libet, præsertim quia præferenda omnino videtur nostra lectio, quæ habet. *Vestiti sunt duplicibus*, nam vox illa שנים *Sanim*, ducta à radice *Sanah*, duplicia, & geminata sonat, vestes autem duplices accommodatiùs eueniunt domesticis huius matrisfamiliàs, quàm murice, & purpura imbutæ.

Genes. 38. Exod. 25.

120. Septuaginta vocem illam *Sanim*, ad subsequentẽ clausulam retulisse videntur, sic enim habent. *Nõ est solicitus de his, qui in domo, vir eius sicubi moratus fuerit, omnes. n. qui ab ea induti sunt.* Schol. *Induuntur*, eodem sensu, ac statim subiiciunt. *Duplices vestes fecit viro suo*, &c. At, inquies, vnde nata hæc nostri Vulgati, & Septuaginta discordia? Aio primo Septuag. illud, *Non timebit*, ad virum retulisse, est enim Hebraïcè תירא *Tira*, terminationis masculinæ, atque adeò viro adscribendum censuerunt: illud verò *in temporibus niuis*, non quidem vt sonat, capiendum putarũt, sed metonymicè accepta causa pro effectu, tẽpus niuis dicitur tẽpus moræ, aut detentionis. Niues enim in causa esse solent, vt qui iter aliquod susceperunt, diutius in via extra domum morentur, dum pergendi vlterius copia non suppetit. Subdit autem rationem, propter quam vir eius domesticorum abiicit curam. *Omnes enim, qui ab ea*, id est, quotquot ex domo illius censentur, *induti sunt*. i. non indigent vestibus, quasi dicat, Muliere hac forti prouidente, ac ministrante, familia rebus omnibus necessariis abundat: existimo enim vestitum in vniuersum poni pro omnibus rebus ad vitam tuendam necessariis accepta parte pro toto. Diuus August. paulo aliter extulit. *Nunc interim demoratur alicubi, sed non est sollicitus quid agatur in domo. Omnes enim apud eam vestiti sunt.*

Augustin.

Alii demum ex Hebræo sic conuertunt. *Omnes domestici eius vestiti sunt variis.*

121. Hunc locum cum superiori nectit Rodolphus hoc modo. *Non timebit domui suæ*, &c. nimirum hæc mulier plena fiduciæ manum suam pauperibus subleuandis porrigebat, haud verita, ne quid ob tantam liberalitatem domesticis deesset suis ad victum, seu vestitum: quin imo Deus illius liberales, & copiosas largitiones tanta abundantia compensabat, vt domestici eius, non vna, sed duplici veste vterentur: Nam antequam prior esset detrita, altera recens, ac noua, ab hac forti fœmina ipsis donabatur. Aliter etiã nexum contexuit Iansenius, quia ad tempus hyemis retulit, ad hunc modum. *Non timebit à frigoribus niuis*, &c. Hæc scilicet industria, & solicita mulier non verebitur hyemis iniurias, & horridam tempestatem, cùm serui, & domestici frigore torpescentes ad operas parum prompti sunt: nam domestici eius duplicibus vestiti frigus pellunt, & ad operas suas non minus feruidi sunt, quàm æstate. Sed tamen hæc interpretatio tantisper friget.

Rodolph.

Ergo apud Hebræos vulgo recepta est illa expositio, quæ per duplicia *indumenta* vestes intelligit coccineas, & *bis tinctas*, hoc sensu. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis, quia omnes domestici eius vestiti sunt coccineis:* sanè vestes primùm quidem ad pellendum frigus, & alias temporis iniurias inuentæ sunt; deinde ad ornatum adhibitæ. Conficitur ergo argumentum à maiori ad minus hoc modo. Mulier hæc fortis non verebitur immania brumæ frigora, nã quæ familiam suam coccineis vestibus ad ornatum, & gloriam vestire consueuit, longè meliùs eandem aliis rudioribus indumentis aduersus frigora munibit. Sic interpretatus locus iste proximè accedit ad Vulgati sententiã, quæ illustrior, atque cõcinnior est.

122. *Non timebit à frigoribus niuis*, &c. i. Hæc scilicet fortis matrona non modò victum, & alimenta, vt iã præmiserat, domesticis suis copiosè largitur, sed etiã ex telis quas ipsa manibus suis contexuit, vestimenta eidem partitur, ita vt nullus eorum nudus, & frigori obnoxius sit. Fortasse etiam Salomon hic vsus est commutatione illa satis solemni in sacra scriptura, nimirum, *Non timebit domus suæ à frigoribus niuis*, i. domus eius, hoc est, domestica illius familia, non timebit brumalia frigora, *Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Hæc verba triplicẽ ad sensũ vocari possũt. Primus est, Omnes huius matronæ domestici vtũtur vestibus accõmodatis ad frigus pellendũ, vestibus, inquã, non simplis, sed duplis, quę vulgo dicuntur *Aforradas*, sic plerique, quibus minimè assentior. Secundus sensus sic habet, Huius fœminæ tota familia accipit ab ipsa vestes geminas, aliam quidem tenuem, & leuiorem ęstiuã; aliã verò crassiorẽ hyemi accõmodatam: bene est. Tertius denique sensus, quẽ cęteris pręponendũ existimo, est huiusmodi, Vniuersi huius mulieris domestici binas semper vestes habẽt, nã priusquam prior detrita sit, aliã nouam recentemque illis donat, qua vti possint tẽpore frigoris. Et quidẽ seruos, ac domesticos ad eum modum speciosè ac decorè vestire ad splendorẽ domus pręcipuè spectat. Accipe non iniucundã Chrysost. sententiam. *Integra*, inquit, *familia integri adinstar cuiusdam corporis obtinet, cuius caput, vir & vxor, reliqui autẽ domestici*, (scilicet filii, & filiæ, serui atque famulæ) *alia membra cõponunt. Ergo qui seruos suos indecorè nudos, aut detritis, obsoletisque vestibus amictos esse sinit, sui corporis bonam partem decore afficit.* Quinimo addit Chrysostom. hac in re locum esse illi sententiæ quam tradit Paulus 1. ad Corinth. 12. *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sũt, & quæ putamus ignobiliora mẽbra esse corporis, his honorẽ abundantiorẽ circum*

Chrysost. 1. Cor. 12.

circumdamus, & quæ inhonesta sunt nostra abundantiorem honestatem habent, honesta autem nostra nullius egent, &c. Ita vt nonnunquam expediat seruos, ac domesticos alios splendidius indui, & conuersari, quàm dominos. Hactenus Chrysostomus.

August. Augustinus autem translationem Septuaginta qua ipse vtitur, de Ecclesia sic expendit. *Nunc interim demoratur alicubi, sed non est solicitus quid agatur in domo. Omnes.n.apud eam vestiti sunt. Nunquid de nuditate seruorum solicitus erit, cum alicubi demoratur, habens coniugem talem? vestiti sunt optimè. Quam optimè vultis nosse? Quotquot in Christo baptizati estis Christũ induistis; omnes omnino apud eum vestiti sunt, & boni serui, & mali serui, vestiti sunt, sed boni serui sunt, qui Christum induerunt, non solum in forma sacramenti, sed* B *etiam in opere exempli sequentes vestigia domini sui. Alij verò vsque ad sacramentum reddituri de sua veste rationem, non cessat illa mulier vestire, vt nemo queratur, nemo dicat, ideo non sum bene operatus, quia non sum vestitus, videte ergo quemadmodum vestiti, & induti esse debeatis*, &c. Accommodatitias expositiones persequitur Hugo, Dionysius, Arbor. Salon. Beda, & alii.

De Virgine Deipara.

123. Virginis domesticos appellare licet omnes illius studiosos amatores, his autem Virgo non timet *à frigoribus niuis*, non enim veretur futurum vt charitas in ipsis refrigescat. *Omnes enim vestiti sunt duplicibus*, C scilicet duplici charitate Dei, ac proximi; vel Dei, atque ipsiusmet Virginis, quã qui ardenter post Deum adamat, numquam algere poterit. Aut *duplicibus vestiti* dicuntur, quia non solùm Christum, sed etiam matrem eius Mariam per morum, & vitæ imitationẽ induunt. Non solùm enim Christum dominum induendum esse authoritas Pauli comprobat, sed etiam

Bonau. Virginem induere suadet Bonauent. in Psalt. *Mariam induite*, inquit, *quotquot diligitis eam, hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus*, &c. Sed per singulas interpretationes pergamus.

124. Hebræi habent. *Omnes domestici eius vestiti sunt coccinis, ac bis tinctis*, vt suprà exposui. Virgo quidem sui studiosis multa dona tribuit ad ornatum & gloriam, quibus tamquam Tyriis vestibus decori incedunt: hæc sunt gratiæ dona, virtutes, & alia eiusmodi, quæ animam splendidiùs honestant, quàm vestes D

Psalm. 44. murice ac cocco tinctæ, iuxta illud, *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis*, &c. Ergo Virgo sanctissima, quæ suis illas magis gloriosas & decoras vestes liberaliter largitur, longè faciliùs alia rudiora, & crassiora ornamenta donabit, nimirum scientiam, doctrinam, honorem, opes, & alia eiusmodi, quæ si cum prioribus conferantur, vestes sunt rudes cum coccinis, ac bombycinis comparatæ. Vel aliter *coccinis ac bis tinctis* induti, sunt illius familiares ob duplicem charitatem, vt supra animaduerti. Nam vt autor est

Greg. Mag. Gregorius Magnus, non semel coccus bis tinctus geminam Dei, atque proximi charitatem significat. Addo etiam charitatem erga Deum, & ipsam Virginem notari posse. Nam quemadmodum vestis cocco E semel infecta, si ostreo iterum imbuatur, longè pulchriorem colorem trahit: sic charitas erga Deum si rursus charitate erga Mariam Virginem imbuatur, quodammodo venustior, ac splendidior redditur. Quod si duplices illas vestes dyploides, quas vulgò dicimus, *aforradas*, intelligamus iuxta alteram expo-

Bernard. sitionem, audiendus est Bernardus in sermone de laudibus Mariæ. *Eua*, inquit, *superuestiuit carnem filiorum suorum, sicut dyploide confusione sua, de manu quippe illius duplicis mali semen terra nostra suscepit, scilicet iniquitatem & culpam in anima, calamitatem in* A *corpore*. Itaque duplicem confusionem, aut pudorem, ex duplici damno, quod filiis suis intulit Eua, collegit Bernardus: quippe quæ læsit animam, & læsit corpus, hoc quidem morte naturali: illam verò lethalibus culpis afficiens. Respexit autem Bernardus ad illa verba Psalm. 108. *Et operiantur sicut dyploide confusione sua*, in Hebræo est מעיל *Maghil*, quam vocem alii pallium, alii tunicam, Septuag. διπλοΐδα, id est, vestem subsutis pellibus duplam conuerterunt. Hûc spectauit Bernardus, qui ante illa verba supra adscripta sic præmittit. *Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit, tunica Euæ parentis nostræ est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & superuestiuit carnem filiorum suorum, sicut dyploide confusione sua.* Cogita ergo duplicem mortem, aliam externam, scilicet mortem corporis, aliam quasi subsutam, & internam, scilicet animæ mortem, quam lethalis culpa infert. Hæc est *dyplois*, qua prior Eua nos amiciuit & operuit. Hac igitur dyploide exutos, & nudatos, posterior Eua, id est Maria, noua dyploide nos induit. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*, hoc est duplici vita, seu immortalitate, tùm corporis, tum animæ: vtrâque enim indumenti nomine sensit Paulus 1. ad Corinth. 15. *Oportet enim corruptibile hoc induere corruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria tua.* Ergo ad eundem modum cogita incorruptionem, & immortalitatem corporis, & huic veluti subiectam, & subsutam immortalitatem animæ, hæc dyplois, qua nos contexuit Maria: hæc est vestis domesticorum eius, eorum scilicet, quos ipsa singulari amplectitur studio. Paul.

Rursus aliud dyplois vestis genus pro his, qui in hoc sæculo degunt, excogitauit Hugo Cardinalis in hunc locum. *Duplex*, inquit, *vestis est bonum opus cum recta intentione, qua vestiri sunt viri Ecclesiastici. Hypocritæ verò penulas habent, id est, vestes simplices sine forratura, quia bona opera faciunt, sed non recta intentione.* Hac ergo duplici veste domesticos suos induit Maria aduersus niuem, hoc est aduersus hypocrisim, quam cum niue contulit Clemens Alexand. lib. 3. stromatum, vbi Hypocritam sterquilinium niue contectum appellat, & in vniuersum hypocrisim niuem esse dicit, quæ vitia omnia fallaci tectorio operit, & charitati frigus immittit. Hugo. Clem. Alex.

Quod si iuxta aliam expositionem per *duplices vestes* æstiuam, tenuem, & hyemalem, crassam accipiamus, subest etiam idem Hugo, qui vtramque vestem ad moralem sensum sic vocauit. *Duplex*, inquit, *vestis est hyemalis & æstiualis, vestem hyemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluuiam & grandinem tentationum, & persecutionũ: eiusmodi sunt patientia, mansuetudo humilitas, & alia id genus. Æstiualem dico virtutes, quibus tẽpore pacis, & tranquillitatis vacatur bonis operibus & contemplationi, qualis est, charitas, pietas, deuotio, sapientia*, &c. At quis neget his duabus vestibus Mariæ domesticos & familiares ab ipsa acceptis vti? Quid plura? 125.

Extrema interpretatio docet hanc mulierem duplices vestes domesticis suis sic largiri, quia prius quàm altera exteratur, & obsolescat, aliam identidem nouam, & recentem illis donat. Hâc verò prouidentiam Virgini denegare nemo ausit. Imò maior, ac dignior est Mariæ erga suos prouidentia, & amor, teste Bonauentura in specul. vbi sic ait. *Dona illius nullo tempore, ac vetustate consiciuntur, senectam, antiquationem & interitum ignorant.* Parum erat Virginem vestes extritas nouis, ac ruentibus sarcire, dignius sane, atque excellentius est, vestes nullo tempore exterendas donare. Addo etiam has vestes vsu ipso non modò Bonau.

non

non exteri, & confici, sed potius refici & innouari: Nam cùm hæ sint optimatum virtutum habitus, constat equidem hos vsu & exercitatione obfirmari & augeri.

Lectionem Septuaginta Virgini etiam accommodare integrum est. *Non est sollicitus de his, quæ in domo, vir eius, sicubi moratus fuerit: omnes enim qui apud ipsam vestiti sunt.* Patres communiter ad illa verba, *Moram autem faciente sponso*, Matth. 20. per sponsi moram intelligunt tempus omne, quod ab illius in cœlum profectione, ad vsque extremum eiusdem aduentum fluit: hoc autem interuallo Virgo Ecclesiam, tamquàm domum suam administrat, cuius prouidentiæ tantumdem tribuit Deus, vt planè in illum cadant illa verba. *Non est solicitus*, &c. Lege Bernar. in serm. qui inscribitur laus Virginis Mariæ, & alibi, illinc disces, quomodo tota Ecclesiæ administratio ad Virginem spectet.

---

22. *Stragulatam vastem fecit sibi: byssus & purpura indumentum eius.*

126\. *Stragulatam vestem*, &c. Hebr. מרבדים *Marbaddim*, fluit à radice רבד *Rabad*. Huius vocis significatio non omnino Hebr. comperta est. Pagnin. cui hærent non pauci, sic transtulit. *Torques fuit sibi*, & quidem רביד *Rabid torquem* adsignificat: sed tamē ascito *Mem*, aliquid aliud sonat. Occurrit hæc vox supra cap. 7. vbi interpres noster *funes* reddidit, *Intexui funibus lectum meum*. Et Septuag. *Funibus tetendi lectulum meum*. Alii *tapetes* transferunt, & in vniuersum id omne, quod ad ornandum & decorandum lectum addi solet: ea voce notari volunt, scilicet stramenta, lectisternia, &c. Rabbi Himanuel addit *cortinas*, quæ lectum vndique ambiunt: aliqui etiam adnectunt tapetia, & aulæa, quibus parietes decorantur. Chaldæus ergo sic habet. *Stramenta fecit sibi, byssus, & purpura indumentum eius*. Septuag. *Duplices vestes fecit viro suo, de bysso autem & purpura sibi indumenta*. Aquila & Theodot. *Peristromata fecit sibi*. Symmach. *Tapetia*. Ex quibus colligitur hanc vocem suæ significationis ambitu multa complecti, scilicet lecti & parietum ornamenta. Eapropter existimo Salomonem vsum fuisse voce plurali, *Marbidim*, vt non vnum quid, sed multa significaret. Suspicor etiā illud affixum *sibi* paragogicum esse, vt alia multa in sacris litteris. Itaque *fecit sibi*, perinde est ac *fecit*, absolutè: illud autem *sibi* omnino redundat, *byssus*, Hebraicè שש *Ses*, à candore, vnde aliquando pro marmore accipitur, de *purpura* alibi diximus.

Rabi Himan.

127\. Prima expositio sic conformari potest. *Stragulatam vestem fecit sibi*, hoc est, sibi ipsi composuit, nam cùm præmiserit famulis ad frigus arcendum duplices vestes, seu dyploides ab ipsa oblatas: addit nunc sibi etiam pellendi frigoris gratia vestem quandam elaborasse stragulatam, vulgò *Estofada* vel *Colchada*, hæc enim satis accommodatè stragulata vestis appellari potest: nam lana insuta non aliter construitur, quàm mollia stragula, quibus lecti sternuntur. Sed licet hæc ad eum modum facta vestis stragulata dici queat, vestis tamē stragulæ, seu stragulatæ apud autores alia significatio est, occurrit autē illius mentio in lege. *Cum tunicam*, ff. de auro & argento, & in lege. *Quæsitum est*. §. *si fundus*. ff. de fundo, & l. *instratum*, de verborum significatione, vbi Alciatus asserit vestem stragulam appellari pictam, & variam. Meminit etiam stragulæ vestis Tullius orat. 4. in Verrem. *Dico te maximum pondus auri, & argenti, eboris, purpura plurimam vestem militensem, plurimam stragulam*, &c. *exportasse*. Et 3. in eundem Verrem. *Ar-*

Tullius.

A *genti vectisque stragula quod fuerit, curasse auferendū*. Et iterùm. *Hydrias argenteas pretiosam vestem stragulam*. Accedit Liuius. *Et cùm tibi viro liceat purpura in veste stragula vti, matrem familias tuam purpureū amiculum habere non sinis*. Ex quibus constat, stragulam, seu stragulatam pretiosæ admodum vestis genus fuisse. Potest ergo locus iste sic exponi. *Stragulatam vestem fecit sibi*, hæc scilicet fortis mulier non modò rudiores telas manibus suis ex lana, linoque elaborabat, sed etiam vestes elegantiores, & pulchriores, varias scilicet, & acu pictas sibi conficiebat: nec rude tantum lanificium, linumque commune exercebat sed purpuram & byssum texebat, atque ex his pulchra vestimenta sibi ipsi aptabat. Liuius.

B Sed licet hæc aptè dicantur, communis tamen interpretum expositio Rodolphi, Iansenij, Legionen. &c. per stragulam vestem in vniuersum ornamenta, quibus lectus instruitur, & aulæa, tapetiáque quibus reliqua domus ornatur, capranda esse docet, vt sensus sit. *Stragulam vestem fecit sibi*, &c. Hæc scilicet mulier ex telis, quas ipsa suis manibus elaborabat, non modò seruis ac domesticis rudiora vestimēta parabat, sed etiam multam vestem stragulam ad lectos pulchrè sternendos, domumque reliquam appensis tapetibus ornandam. Quid plura? *Byssus & purpura indumentum eius*. Insuper in bysso & purpura operabatur, vt pretiosas sibi vestes consueret, tanta erat huius mulieris industria Obseruat autem Le- C gionensis Salomonem consultò ex bysso & purpura vestes dedisse huic fœminæ, quia ex his vestis sacerdotalis iussu Dei conficiebatur, hoc scilicet volens fœminam, si fieri posset, altari ornandam, ita vt ornatus illius sit omnino sacer, tàm ex intentione, qua suscipitur ad placendum marito, quàm ex temperantia, & honestate. Addo etiam quod quemadmodum Pontificiæ vestes mysticæ omnino erant, & eos mores & virtutes exterius significabant, quibus sacerdotis animum instructum esse oportebat vt sacris interesset: ad eum modum hæc vxoris indumenta mystica esse & eas virtutes per symbolum innuere, quibus illam matrimonium sanctè colere, & coniugi suo placere oporteat. *Byssus, & purpura indumentum* D *eius*, byssus candore suo pudicitiam significat: purpureus verò color amorem, hęc duo matrimonium sanctum reddunt, & vxorem viro suo commendant. 128. Rodolph. Iansen. Legionen.

129\. Vel aliter, huic sententiæ accōmodari potest Diui Isidori doctrina, qui cùm præmisisset flammeum, seu velum, quo fœminæ in nuptiis velabantur candido, atque purpureo colore imbutum olim fuisse, sic attexit. *At verò, quod eadem vitta candido purpureoque colore permiscetur, candor quippe ad munditiam vitæ, purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur, vt hoc signo continentiæ lex tenenda ab vtrisque ad tempus admoneatur: & post hac ad reddendum debitum non negetur. Quod enim dicit Apostolus, Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi, hoc ille candor insinuat. Quod* E *verò subiungitur, Et iterum reuertimini in id ipsum, hoc purpureus ille color demonstrat.* Isidor.

130\. Accipe etiam hîc Augustinum locū istum ad Ecclesiæ laudes conuertentem. Interpretatur autem lectionem Septuag. *duplicia pallia fecit viro suo. Pallia quæ fecit laudes sunt, laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis, quare duplicia? Christum laudas, Deum laudas atque hominem, dupliciter lauda, simpliciter lauda, dupliciter quia Deus est, & homo, simpliciter vt non sis fictus.* Subdit verò Aug. Hæreticos illos (liceat sic dicere) palliū simplex viro suo texuisse, qui fassi Christū hominē esse, Deum eundē esse abnuebant, atque illos, qui diuinitatem illius agnoscentes, non humanitatem veram, sed vmbram & phantasma quoddam humanitatis illi dabant, Ecclesiam verò Augustin.

nostram duplicia pallia viro suo texuisse, quia Deum simul hominem confitetur. *Texuit, scilicet*, inquit Augustinus *pretiosissimum quoddam pallium cum ait, In principio erat verbum, & verbū erat apud Deum. texuit & aliud pallium, cum dicit: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, &c. Denique sic attexit. *De bysso, & purpura vestimenta fecit sibi, non enim decebat matronam tanti viri, vel nudam incedere, vel pannosam, de bysso candida confessione, de purpura gloriosa passione vestimenta sibi fecit. Huius byssum cum oramus agnoscimus, huius purpuram in martyribus commendamus.* Subiiciunt multa alia ad spiritualem sensum attinentia, Beda, Salonius, Hugo, Dionys. & alii,

August.

De Virgine Deipara.

131. Si priorem expositioné amplectamur, & per *stragulatam vestem*, arcendis frigoribus idoneam, tunicá accipiamus, optimè quadrant in Mariam hæc verba, *Stragulatam vestem fecit sibi.* Quorsùm fecit? ad frigus charitatis pellendum. Sanè lethalis culpa charitatem de medio tollit, leuior autem, seu venialis frigus eidem immittit, quo calens, æstuansque illius feruor intepescit. Igitur Virgo sanctissima non modò ab omni lethali culpa abhorruit plurimùm, sed etiá aduersus leuiorum peccatorum frigus stragulata veste se ipsá muniuit, ne quando illius charitas æstuans eo frigore in teporem conuerteretur. Mariam enim ne leuissimum quidem peccatum vnquàm admisisse communis totius Ecclesiæ conspiratio & consensus tenet. At, inquies, quænam hæc stragulata, & velut insutis lanis farta vestis, quæ omnium venialium peccatorum gelu ab ipsa prohibuit? non vna super hac re Patrum, Doctorumque sententia.

132. In primis illud ex communi omnium calculo & suffragio præmittendum est, priuilegium istud immunitatis ab omni culpa actuali quemadmodum & alia ipsi ob maternitatis Dei decentiam indultum fuisse: ita enim decebat, vt Mater Dei ab omni etiam leuissimorum peccatorum lue immunis esset. Huius verò decentiæ plures rationes offerunt Cyprianus, Augustinus, Bernardus, Anselmus, & alii Patres, quas in nostra defensione pro Deiparæ Virg. Conceptione cap. 25. & 26. non perfunctoriè discussimus. vt inde eiusdem Virginis immunitatem ab originali conficeremus.

133. Cæterùm omnes illæ Patrum rationes, quæ Virgini immunitatem ab omni crimine propterea deferunt, quia Dei mater extitit, non formalem *sed radicalē & remotā* prefatę immunitatis causam assignant. Nam maternitas Dei non sustulit culpas, tanquàm forma cum illis pugnans, sed tamquàm status & dignitas, quæ ex decentia & congruitate aliquam formam postulabat, quæ culpas omnes penitus excluderet, & auerteret. Hæc planè fuit mens Anselmi, in lib de Concep. Virg. & de Peccato Original. cap. 18. vbi sic adiecit. *Quamuis de mundissima Virgine filius Dei verissimè conceptus sit, non tamen hoc ea necessitatę factū est, quasi de peccatrice parente iusta proles rationabiliter generari per huiusmodi propagationem nequiret, sed quia decebat, vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret*, &c. Animus autem est propriam & germanam causam venari, quæ proximè Virgini sanctissimæ hanc munditiem attulit, non ex illatione decentiæ, sed ex formali causalitate. Et quidem quæstio hæc duplici sēsu disceptari, & agitari solet. Prior est de impossibilitate, quam præuiam & antecedenté vocitant, cuius est arbitrium præuenire, cogere, & ad vnum quid vrgere, ita vt reniti & obsistere non possit. Posterior est de impossibilitate consequentiæ, quę libertatem præmittit, & ipsam sartam, tectamque

Anselm.

A relinquit. Ergo non pauci fuerunt, qui Virgini priorem illam antecedentem impossibilitatem imponentes sic pronuntiauerint: Virgo non modò non lapsa est aliquándo, sed nec labi, aut delinquere vnquam potuit, adeò, vt illi omnis copia, potestasque peccandi prorsus adempta fuerit. Ita docent Okam, Gabrul, Almainus, D. Bonauentura. Quibus hærent Richardus, Palud. Alexand. Marsil. & alii non pauci, quorum sententias & rationes eruditè, vt assolet, euoluit & librat P. Gabriel Vasquez 3. p. tom. 2. disp. 120. Hanc verò necessitatem aliter tuentur alii, qui ex eo Virgini peccare integrum non fuisse dicunt, quia Deus apud se statuit ad omnem actionem physicam, cui moralis aliqua malitia foret B annexa, Virgini concursum, atque opem prorsus denegare.

Okam. Gabrul. Almain. Richard. Paludan. Alexand. Vasquez.

Alii verò Doctorem Angelicum sequuntur, & hanc necessitatem ex abundantia & affluentia gratiæ aucupantur, quam quidam ab ipso conceptionis instanti fluere volunt. Quidam verò ab incarnationis momento tantummodò deriuant, ita vt ante incarnationem, quamuis lapsa nunquàm fuerit, labi nihilominus ipsi integrum fuerit, iam verò ab incarnatione, & deinceps, nec deliquerit vnquàm, nec delinquere, aut transgredi potuerit. Sed fac ab ipso Virgineį conceptus instanti tantam gratiæ sanctificantis vim in ipsam defluxisse, quantam ne mens quidem vel capere, vel assequi possit: fac, inquam C verum esse Vincentii Ferrerii doctrinam in sermone 1. de Natiuitate, scilicet in sanctificatione aliorum, etiam Angelorum, quasi vnam diuinæ gratiæ guttam, & stillam singulis inditam fuisse: at in Virginem à prima iustificatione totius fluminis impetum effusum, ac refusum. Quid inde? Quomodo potuit hæc gratiæ tam affluens copia peccandi potestatem Virgini auferre? Plures sunt qui potestatem istam ideò Virgini ademptam esse voluerunt, quia illa gratiæ tanta vis, concupiscentiæ libidinisque fomitem ab initio conceptionis ipsius penitus extinxerit, sed non audiédi. Ná vt acutè probat Vasquez loco citato, fomite non tantùm sopito, sed etiam restincto, restat adhuc peccandi potestas, & licentia: subest quippe D homini velle & nolle, & indifferentia voluntatis & arbitrii, ex qua tota peccandi facultas pendet. Subiiciam nihilominus Cypriani verba, quibus de hac fomitis extinctione sic serit. *Seruabat sacrarium suum, & sanctimonia thalamum honorabat: lætificabant consolationes einsmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiscentiarum ludibria abigebat, legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quietem spiritus affligebat, paruulus sugens vbera pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant, eratque vtrique mira iucunditas, cum pia sancta matris, ac deuota humilitas, & E sancti sanctorum immensa benignitas confœderatis affectibus mergebantur*, hæc ille. Ex quibus Virgini ad peccandum ademptam potestatem præmissi Doctores euinci putant. Cæterùm Cyprianus, & alii Patres, qui rebelles & effrænes carnis, & concupiscentiæ impetus, siue ab ipso purissimæ conceptionis instanti, siue ab incarnationis articulo in Maria nullos fuisse decernunt, non sanè inde colligunt ipsam numquam peccasse, nedum ἀναμάρτητον, *aramartiton*, id est, impeccabilem fuisse. Nam Cyprianus, qui fomitis extinctionem in ipsa incarnatione peractam fuisse dicit, iam inde ab initio omni culpa Mariam vacasse pronuntiat. Præmittit enim. *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionibus communibus lassaretur iniuriis, qui plurimùm à cæteris differens*

134.

Vincent.

135.

Vasquez. Eccles.

Cyprian.

differens

...s natura communicabat, non culpa. Ac breui in... o statim assuit. *Seruabat sacrarium suum*, &c. Ergo Patres fomitem in Maria propterea extinctum fuisse dixerunt, quia plurimum dedecere existimabant carnem Virgineam indecoris concupiscentiæ motibus iactari, atque animum illius prauis concupiscentiæ flatibus impelli, atque eò spectant verba Cypriani. Fateor quidem inde satis validum argumentum confici ad probandum Virginem ab omni prorsus culpa mundam & expertem fuisse: Si enim Patribus indecorum visum est Mariæ carnem, aut spiritum concupiscentiæ agitationibus impelli, quarum tamen aculeos sine culpa aliqua sanctissimi viri experiri consueuerunt, sanè longè indecentius tùm ipsis Patribus, tùm etiam nobis videri debeat, Virginem leuissimi cuiusquam criminis labe infici, huius enim indecentia, & turpitudo fomitis indecoros motus longè superat. Ad hæc si Cyprianus Christi matrem illis sordibus infici, quibus aliæ puerperæ contaminari solent, absurdum esse censuit, quamuis eiusmodi fæces à carne ad animum non transeat, longè absurdius erit dicere ipsam culpæ alicuius labe sorduisse: hæc enim mentem ipsam inficit, animumque deturpat. Inde tamen non eruitur vera & germana radix, causave præfatæ immunitatis, quia licet fomitis iniurias scateret B. Virgo, potuisset nihilominus ab omni actuali, etiam leuissima, ex Dei beneficio præseruari: & ex aduerso etiam licet fomitis ardores prorsus restinctos haberet, nihil vetabat ipsam grauioribus & lethalibus, nedum leuioribus culpis ac criminibus obstringi.

135. Alij rursus grauissimi Theologi docent illam gratiæ affluentiam, & plenitudiné, quam Doctor Angelicus adstruit, & quæ animum Mariæ largissimè perfudit, siue ex seipsa, siue ex adiacentia, & societate aliorum Spiritus sancti donorum, sic illam vni pietati, & honestati per antecedentem necessitatem obstrinxisse, vt in turpitudinem labi, & culpam aliquam admittere non potuerit quidem. Succedat memoriæ locus Ecclesiast. c. 40. quem Virgini ipsa tribuit Ecclesia. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuius dyorix sicut aqua ductus exiui de paradiso.* Mariæ quidem Virginis exitus primus & prima in lucem editio celebratur his verbis. Et iam túc in immensum effusam gratiarú suarum affluentiã aperiẽs, *Ego*, inquit, *quasi trames aquæ immensa de fluuio.* Et subdit, *ego quasi fluuius dyorix.* Ex vetustis exemplaribus aliqua sic habent. *Ego quasi fluuius vorax*, cui affine illud apud Hispanos tritum prouerbium. *Yosoy duero, que todas las aguas bebo.* & in Virginem aptissimè quadrat, quæ gratiarum omnium fluenta, vt ita dicam, hausit, ac perbibit. Accipe Bonauent. in Spec. c. 3. *Omnia*, inquit, *charismata intrant in Mariam, flumen. n. gratia Angelorum intrat in Mariã, flumen gratia Patriarcharum & Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratia Apostolorum intrat in Mariam, flumen gratia Martyrũ, Confessorum, Virginum, Doctorum intrat in Mariam: omnia denique flumina intrant in Mariam: sed quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* Est ergo Maria flumen immensum omnium fluminum vorax, atque adeo licebit dicere *Yosoy duero, que todas las aguas bebo.* Nec multùm abit illud nomen *dyorix*, aut duorix, cuius hîc meminit Ecclesiasticus, à nomine *durii* nostri, *Ego quasi fluuius dyorix.* Rabanus existimat eo nomine Araxem totius Persiæ maximum fluuium notari, qui tanto voluitur impetu per decliuia, vt præceps eius lapsus omnia secum auferat, pontes, impediméta, &c. Huc spectat illud Poëtarũ principis.

Pontem indignatur Araxes.

Ergo ad rem nostram, Maria cum fluuio Araxe aptissimè comparatur, quia collectis vndique gratiarum omnium riuis in quandam imméſam euasit gratiarum vim: ex hac verò tanta in pietatem & honestatem propensio nata est, tamque rapidus, præcepsque in bonum omne cursus, vt omnes peccatorum illecebras, occasiones, tentamenta, & motus prauos aluei istius vis magna deuolueret, ac demergeret. Ad hunc modum, & non aliter, explicari potest quã ratione gratiæ sanctificantis atque aliorum Spiritus sancti donorum affluentia Virgini boni & honesti necessitatem attulerit.

Sed tamen cùm exploratum sit gratiam, & in vniuersum omnia alia Spiritus sãcti infusa dona, ad substantiam operationis præstandam sic concurrere, vt facilitatem, promptitudinem, aut propensionem ad bene operandum nullam perse conferant, ac rursus cùm certum ratumque sit nullam gratiam, quãtumlibet intensam, cum peccato veniali pugnare: non satis calleo quo ex capite gratiæ plenitudo, & copia ad bene semper operandum Virginem vrgere, aut cogere potuerit. Ad hæc qui Virgini hanc necessitatem imponunt minimè ipsi propitij, ac benigni commendatores sunt: nam dum ipsi peccandi copiam, & facultatem adimunt, merendi quoque gloriam aliquo modo extenuant: nam si ex præuia, & antecedenti necessitate transgredi, ac labi non potuit, profectò ex eo, quod omnes, aut singulas culpas declinarit, propulsarit, auerterit, nihil ipsi meriti accedet, nihil fructus accrescet, bonorumque operum promerita sublatã indifferentiã ad oppositum non parum decrescerent. Ergo mentem meam in oppositam sententiam impetus rationum impellit, à quibus memet abripi sinens decerno Virginem sanctissimam nullius vmquam vel leuissimi criminis sibi consciam fuisse, attamen labi, & delinquere antecedenter potuisse, ita vt liberi arbitrii ad peccandum vim, & facultatem non amiserit, sed diuinæ gratiæ obsecundans continuerit, represserit.

Hanc sententiam tradunt Suares, Durandus, Vasquez, & alij recentiores Theologi: & licet D. Thom. in 3. in priorem opinionem discedere videatur, cæterùm 3. p. q. 27. a. 3. & 4. huic potius acquieuisse videtur, & tenor verborum ita suadet: nam de potẽtia, & facultate nihil addit, solumque decernit per illã gratiæ affluentiam Virginem id fuisse adeptam, vt ne leuissimam quidem alicuius criminis labem vnquam contraheret. hoc autem consilij nostri præiudicium optima quædam ratio robustum reddit. Quia, vt eleganter & acutè P. Vasquez 1. p. disp. 90. & alibi, tria tantummodò arbitriũ anteuertere, & peccandi libertatem creaturæ rationis participi eripere possunt: hæc sunt, vnio hypostatica, beatifica visio, consilii & rationis perturbatio: ex his autem nihil Virgini tribuere licet, atque adeò ipsius libertatem extenuare, nec fas, nec integrum est. Ergo cùm ex dictis constans sit doctrina, Deiparæ Virgini nullam necessitatem imponendam, ac rursus liqueat ipsam ab omni prorsus culpa vacasse, huius immunitatis proximam & formalem rationem vestigare aggrediar, hæc. n. est *Stragulata vestis* quam fortis & industria mulier ad peccatorum frigus prohibendum sibi contexuit.

Aliquis ergo affirmare posset intensam & numquam interruptam charitatem, qua Virginis animus ab initio suæ conceptionis arsit, huius priuilegij proximam & germanam causam extitisse. Porrò sanctissimam Deiparam in ipso suæ conceptionis instanti actum perfectissimi amoris exercuisse docent quotquot illam actu proprio primam sanctitatẽ adeptam fuisse dicunt, quorum cẽsum facere inutile est: sed tamẽ ab eo instãti, & deinceps toto vitæ curriculo illã charitatis feruentem, æstuantemque actionẽ, 137.

Tom. 2. Xx 3 numquam,

numquam, ne breuissimo temporis interstitio, inter-
Vasquez. rupisse, vnus docet Pater Vasquez. in ea disp. 118. c.
vltimo: qui postquàm præmisit cupidinei fomitis extinctionem per Dei contemplationem, & Charitatis motum in Virgine peragi potuisse, sic attexit. *Verum vt virtute huius contemplationis in Virgine prædicti motus numquam orirentur, deberet esse in ea continua, & indeficiens contemplatio, & feruor Charitatis in Deum: quod quidem ita fuisse nō improbanda ratione credi potest, cùm ad dignitatem ipsius id pertineat, & principiis fidei minimè aduersetur.* Magnum est hoc, sed mea quidem sententia Virgini omnino dandum: ita sua-
August. det optima ratio August. cuius verba refert D. Bona-
Bonau. uentura in specul. c. 14. *Quis*, inquit, *dubitare potest omnino in Charitatis affectionem transiisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est, Charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit?* Affirmat ergo Augustinus Mariam non tam amare, aut diligere dicendam esse, quàm Charitatis naturam induisse, & ipsissimā Charitatem esse. Eam verò, quæ ipsissima Charitas est, aut semper amare, aut non esse, & interire necesse est.
Ildeph. Ad hæc D. Ildephonsus orat. 1. de Assumptione sic ait. *Vnde quæso vos filij imitamini signaculum fidei vestræ, Mariam, quam, velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit, ita vt in ea Spiritus sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei.* Hæc ille. At inquies, Virgo externis etiam rebus expendebat operam: his autē cùm intenderet, attentionem illam, qua mens illius Deo hærebat remitti, ne dicam solui, & intermitti necesse erat? Respondeo, ignitum & candens ferrum ignitas scintillas quoquouersum iaculari solitum. Haud aliter Virgo sanctissima ex diuino amore, velut ex igne ferri ad instar candentis, ignitas quoque eodem amore semper exerebat actiones. Nam quidquid operis exterius actitabat, ex Charitatis agebat imperio, &
Bernard. in vnius Dei amorem referebat. Vnde Bernard. *Candidissimus*, inquit, *sane, sed & calidissimus huius mulieris amictus: cuius omnia excellenter irradiata noscuntur*, *&c.* Quæ verba ad externas ipsius Virginis actiones spectare videntur.

138. Rursus dices Virginis mentem aliqua attentione in Deum fatigandam iri, atque adeo Charitatis actu necessario interrupto conatu succedendum. Vt ob-
Bonau. iectioni huic satisfaciam opportunè adest mihi Bonauentura in speculo, qui Marianæ Charitatis vim maximam expendens sic ait. *Maria*, inquit, *bene per Sarram significari potest: Sarra enim interpretatur carbo, hoc autem bene Mariæ conuenit, quæ tamquam carbo ardore Charitatis ignita fuit.* Ac ne diceres carbonē ab
Bonau. igne ipso exteri & in fauillas solui, subdit Bonauentura. *Melius ergo per rubum significatur, qui ardebat incombustus*, ac si diceret, Ne putes Mariæ mentem, & animam ex assidua dilectione, quâ semper flagrabat, lassescere, & deficere, eam sanè illi rubo persimilem esse autumo, quem ignis & flamma corripuit, sed virentem illius pulchritudinem non læsit.

139. Sit ergo constans sententia, actum amoris Dei, quem Virgo à suæ conceptionis instanti bonis auspiciis cœptum inchoauit, numquàm deinceps interrupisse, & intermisisse. Quid inde? Sanè inde conficitur Mariam nullam vmquàm, vel leuissimam culpā perpetrasse. Ea enim est amoris Dei vis, vt mentem quodammodo arripiens, & in Deum transferens, non modò culpas quaslibet propulsare, sed etiam fomitis indeliberatos insultus compescere possit, vt docet P.
Dionys. Vasquez disp. 110. c. 1. Nam vt ait Dionysius Areopagita. *Est autem mentis secessum & extasim faciens diuinus amor: amatores sui iuris esse non sinens, sed in ea, quæ amant, penitus transferens.* Hæc ergo tanta amoris diuini vis Mariæ animum & mentem obtinens,

non modò deliberatos contra rationem motus, sed etiam primos concupiscentiæ, ac libidinis cōtra eandem rationem impetus edomuit, ac coërcuit. Quam vim diuini amoris apprimè declarant illa verba Dionysij, *Amatores sui iuris esse non sinens*: non quidem ita vt illos libertate priuet, absit, sed quia sic amor iste liberum arbitrium allicit, & demulcet, vt quamdiu ipse perseuerat, nihil Deo ingratum, & inuisum animus sponte conari possit. Amoris autem istius continui, & non interrupti ardorem, quo Virgo in Deum ferebatur, nullis quamtumlibet leuissimis cul-
pis locum reliquum fecisse tradit Bernardus in ser- Bernard. 141.
mone super illud, *Signum magnum*, cuius verba supra delibaui, qui illam ignis allegoriam vrgens sic ait. Iansen.
Longè, inquit, *aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis vndique, tanquam ipso igne concludi* (scilicet igne amoris Dei, de hoc enim sermo est) *candidissimus sanè & callidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia ita excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea, non dico tenebrosum, vel minus lucidū, sed ne tepidum quidem aut non feruentissimum liceat suspicari.* Quid obscuritas, quid tenebræ, aut tepor iste deferuens, nisi culpas sonet tam graues, tam leues, quas callidissimum illud amoris diuini vestimentum à Virgine prohibuit, ita vt meritò illud stragulatam huius Heroinę vestem appellare possimus, *Stragulatam vestem fecit sibi.*

Sed licet hæc satis aptè dicta sint, atque perpetuus 140.
iste & nulla intermissione rescissus amoris tenor, culpas omnes arcere valeat, alia tamen est prior, ac certior huius Marianæ innocentiæ causa. Hæc autem ex duobus coalescit, scilicet ex diuinæ prouidentiæ externa quadam protectione, quæ omnes delinquendi occasiones de medio tollens nullius peccati suggestione ipsius spiritum interturbari sinebat, & ex interna inspiratione iugi & perpetua, quæ animum illius ad honestas quasque, & Deo gratas actiones impellebat. Dixi autem hanc esse tum priorē, tūm certiorem causam: quia amor ille continuus & non intermissus, ab hoc iugi diuinæ inspirationis illapsu pendet. Et quamuis amor ille perpetuus deesset, sola externa protectio, & iugis inspiratio recti & honesti ad omnes culpas propulsandas satis superque foret. Ergo externam illam protectionem, quâ diuina prouidentia Virginem vndique ambiebat, Patres non
semel obseruarunt, in his D. Bernardus in sermone il- Bernard.
lo, qui inscribitur, *Laus Mariæ* sic scribit. *In circuitu eius acies validæ spiritualium virtutum suo se inuicem ordine tuentium (si quidem ordinatione perseuerat dies) sed & innumerabilium beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti principis delegatum fuisse nullatenus ambigimus, vtpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac prouiderent, ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes inuaderet*, cum Bernardo cō-
cinit Anselm. in lib. de excellentia Virg. c. 3. *Nulli*, in- Anselm.
quit, *dubium castissimum corpus, & sanctissimam animā funditus ab omni fuisse macula peccati iugi Angelorum custodia protectam, vtpote aulam, quam suus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus erat, & ex qua hominem in sua persona vnitatem ineffabili fuerat operatione suscepturus.* Subdit autem huius tutelæ
elegantem rationem Anselmus. *Et quid mirum? Nam* 142.
inter omnes vsus obtinuit (si tamen è cælestibus ad terrena potest esse comparatio vlla) cùm præpotens aliquis, & persona diues aliquò vadit hospitaturus, vt clientes præcurrant & locum muniant, mundent, ornent, & custodiant, quo venienti Domino suo aptus ad habitandum, & congruus fiat: ad eundem modum, &c. Libet accommodationem subticere, vt compendio studeam. Illud denique ad externam diuinæ erga Mariam solicitudinis prouidentiam spectat, quod tradit

Galatinus

Galatinus libro 7. de Arcanis, cui fidem habet Canisius noster, & reliquis tamquam dignum fide proponit, de Virg. l. 1. c. 13. *Inter cæteras, inquit, perfectiones eo prophetiæ spiritu donata est, vt si forte aliquid inconcessum, seu illicitum, vel visura, vel auditura esset, illico eius aures, & oculi clauderentur, ita vt sensus eius, vel membra nonnisi diuinæ voluntati deseruire viderentur.* Post hæc verò sic assuit Canis. *Etsi verò diuinare non possum ex quo fonte Galatinus id depromat, tamen non dubito, quin prudentes omnes narrationem eius credibilem esse fatebuntur.* Hactenus de externa protectione.

141. Sanctarum verò inspirationum, & cogitationum, quæ mentem Virginis iugiter ad honesta opera stimulabant, & acuebant, meminit imprimis Damascenus in oratione 1. de Natiuitate, vbi ipsam affatus sic fcrit. *Sanctam omnem & cum animi vtilitate coniunctam cogitationem habes, contra superuacaneam omnem, & animis exitiosam antequam gustes, eijcis.* Omnem verò sanctam cogitationem dixit, hoc est, nullam habes, quæ non sancta sit, & ad honestatem impellens. Et quidem Damascenus ex hoc iugi sanctarum cogitationum illapsu omnem sanctissimæ Virginis actionem honestam, & piam fuisse decernit, totamque illius vitam ab omni criminis suspicione vendicat. Nā singulas sensuum, ac membrorum omnium functiones, ac munera percurrens, nihil vmquam gessisse affirmat, quo à recta ratione decisceret. *Oculi, inquit, eius semper ad Dominum perenne, ac inaccessum lumen intuentes, aures diuinum sermonem hauriunt, ac spiritus cytharâ oblectantur.* Et ad hunc modum per reliquos sensus, ac membra, ad cor vsque peruenit, de quo ait. *Cor purum, ac labis expers, Deum spurcitie omni carentem cernens, ipsiusque cupiditate semper flagrans.* Ac demum ipsam Cherubinos rerum diuinarum cognitione, & Seraphinos iugi amore facilè superare dicit, atque in præmissam iam inde à me Rubi similitudinem incidit, quæ ignis iniurias minimè sentiebant. *Damascen.*

Hic sanè est optimus Marianæ innocentiæ asserendæ, & vendicandæ modus, quem ideò libentius, velut obuiis vlnis amplector, quia cum suaui, ac leni diuinæ prouidentiæ progressu meliùs congruit, & nullam arbitrio vim afferens optimè de Deo merendi Mariæ locum integrum reliquit. Nam quid necessitatis Virgini ab aliis imponitur, id meritorum ipsius gloriam necessariò extenuat. Hæc est *vestis stragula*, aut *stragulata*, quam sanctissima Virgo ex Dei auxilio induit ad pellendum omne peccatorum frigus idonea ex interna inspiratione, & externa protectione Dei contexta.

Hactenus de stragulata veste, pro illa, quæ ad frigus arcendum opportuna est: aliam vero illius acceptionem Virgini aptare procliue est: ac rursus illa verba, *Byssus, & purpura indumentum eius*, facilem accommodationem habent de Virginitate & Martyrio, de quibus iam alibi multa diximus.

---

23. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.

142. NObilis in portis, &c. Hebr. *Notus in portis maritus eius, cum sederit cum senioribus terræ*, pro nobili est נודע *Nodangh*, à radicè ידע *Iadangh*, quæ significat *scire*: & *cognoscere*, id est, *cognitus*: nimirum illustris, conspicuus, clarus. Chald. *Notus in prouincijs vir eius.* Portas quidem sumi pro subselliis iudicum iam inde sæpius admonui cap. 1 vers. 21. & alibi: quia videlicet in portis vrbium erant tribunalia, vbi causæ, litesque agitabantur. Septuaginta. *Conspicuus autem fit vir eius in portis, quandocumque sederit in consessu cum senibus habitatoribus terræ*: à quibusdam codicibus abest vox illa, *habitatoribus*.

A

Hæc sententia duas claudit: prior est, huius heroinæ maritum rerum domesticarum curâ & solicitudine depositâ publicis rebus administrandis interesse: ipsa enim familiam & domestica omnia sic curabat vt maritum ab hac prouidentia prorsus liberaret. Posterior est, ipsam non sibi solum vestes elegantes & pretiosas texere solitam byssinas & purpureas: sed etiam viro suo, quibus in optimatum consessu conspicuus & clarus incederet. Itaque sensus est. *Tu marido es conorido por el trage y buoen tratamiento entre todos los senadores.* Et quidem non parum innotescit fœminę virtus & industria ex mariti sui cultu: huius enim præcipua cura penes vxorem est. Hûc spectat illud Ennij, qui vxori Tarquinij laudi tribuit, quod maritum suum excoleret.

B

Exin Tarquinium bona fœmina lauit & vnxit.

Cum senatoribus terræ. Hebraice. ארץ וקני *Aretz Zikne.* fluit autem vox illa *Zikne* à radice זקן *Zakan*, id est, *senuit*, significat autem senes, aut presbyteros, sæpius verò in scriptura est nomen dignitatis, ac muneris publici, cuius rei exempla passim occurrunt. Melius ergo noster hîc *senatores* quàm alij seniores. *Senatores autem terræ* sic intelligo, ac si diceret. *Los que mandan la tierra.* 143.

Subiicio Augustinum hæc allegoricè edisserentem, *Conspicuus fit in portis vir eius ille, qui alicubi demoratur, qui pro tali coniuge de domo sua solicitus non est, conspicuus fit in portis. Attende quando: audi quod sequitur. Cùm sederit in concilio cum senioribus terræ, nihil euidentius: lege aliam Prophetiam. Veniet ad iudicium cum senioribus populi sui, scilicet in illo concilio, & iudicio iudicantibus, secum sanctis quibus dictum est: Sedebitis & vos super sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Venit enim filius hominis, sicut dixit, in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo. Quando ergo venturus est, conspicuus erit in portis, hoc est, in aperto, in manifesto, in portis conspicuus erit, quia alios admittet & aliis claudet.* Lege ibi plura ad hanc sententiam spectantia quæ subnectit August. à quibus non abeunt, quæ scribunt Beda, Salonius, Hugo, & alij. *August.*

C

D

De Virgine Deipara.

Cum duplex sit Mariæ sponsus, scilicet Spiritus sanctus, atque Ioseph, hæc verba vtique accommodare integrum est. Si ad Spiritum sanctum referas, non facilè sensum aliquem aptum conformabis. Ex nostris concionatoribus alter, per *Senatores terræ* intelligit duas personas sanctissimæ Triadis, quæ cum Spiritu sancto, quasi in concilio, & consessu quodam mundū administrant. Vnde Deus in scriptura passim dicitur *Heloim*, de numero multitudinis. 1. *Iudices.* Sic Genesis 1. *In principio Heloim creauit cœlum, & terram.* Ex quo loco non pauci ex antiquis Trinitatis mysterium subodorati sunt. Ergo ait vir non indoctus, Mariæ sponsus, hoc est Spiritus sanctus, conspicuus valde & illustris adfuit in portis, id est, auditu salutis nostræ, quæ per Verbi incarnationem initiata est, quando *inter Senatores terræ* ipse sedit, tunc scilicet cùm inter personas Trinitatis ipse in Virginem superuenit, atque illam vmbrâ suâ texit, iuxta illud, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi, &c.* 143. *Genes.*

E

Aptius quidem in virum alterum, id est, in Ioseph cadunt prefata verba. Præmittere autem oportet eos, qui mysticos sensus huius loci persequuti sunt, per *Senatores terræ*, tùm Apostolos, tùm Prophetas, tùm Angelos accepisse, atque adeò sensus erit, Ioseph spōsæ beneficio, ac meritis, id obtinuisse vt inter Prophetas

phetas & Apostolos, imò inter omnes Angelorum A ordines conspicuus & illustris appareat in cœlo, vt potè qui omnes beatos, si vnam illius sponsam excipias Mariam, meritis, atque gloria facile superet, vt probabilis multorum opinio fert.

---

24. *Sindonem fecit, ac vendidit, & cingulum tradit Chananæo.*

144. SIndonem fecit, Hebr. *Linteum fecit, ac vendidit*, &c. est enim pro sindone סדן *Saden* à radice סדן *Sadan*. Rabbi Dauid in libro radicum asserit esse linteum ex lino textum, ex quo tùm sindones ad lectos sternendos, tùm subuculæ confici consueuerunt. Septuag. nominis assonantia ducti transtulerunt σινδόνας, quibus hæsit noster interpres. Illi ergo integram huius loci lectionem sic compleuerunt. *Sindonas fecit, & vendidit, & cingulum Chananæis.* Schol. *Zonam Chananæo.* In quibusdam præterea codicibus Septuaginta sic additur. *Sindonas fecit, & vendidit Phœnicibus, & cingula Chananæis.* Pro *Chananæo* aliqui subiiciunt *mercatori*, aut *negotiatori*. Existimant enim Chananæos mercaturam exercere solitos, quia apud Hebræos sordebat negotiatio, atque adeò Chananæis, qui inter ipsos sordidi, atque ignobiles putabantur, illam dimittebant. Hinc aliqui Chananæos dictos putant, scilicet כנענים *Cheneghanim*, à radice כנע *Chanangh*, id est, *humiliari, ac deprimeri*, vt pote depressum, atque humile genus hominum. Alij verò C hoc nomen mercatoribus propterea inditum volunt, quia Chananæi iam inde à suo progenitore *Chã* Noëmi filio ob maris viciniam negotiationi dediti fuerunt. Illud sanè exploratum est, mercatores in scriptura passim *Chanaghanim*, id est, *Chananæos* nominari Iob. 40. *Diuiserunt illum inter mercatores.* Isaiæ 23. *Mercatores eius inclyti terræ.* Zachar. 14. *Non erit mercator in domo Domini*, vbi semper occurrit vox *Chanaghanim*. (Iob. 40. Isai. 23. Zachar. 14.)

145. Ergo communi fere interpretum calculo huius loci sententia sic conformanda est. *Sindonem fecit, ac vendidit.* Talem videlicet ex lino optimam suis, atque ancillarum manibus contexit: atque ex his sindonas consuit, ac vendidit, aut vendendas tradidit. Locus D sic ad superiora reuocandus, non modò fortis hæc mulier lanificas & linificas sibi, viro suo, & domesticis omnibus vestes componebat, sed etiam his decorè vestitis superant adhuc telæ optimæ, quas distrahebat & vendebat. Placet autem omnes sindonis significationes in hunc locum conferre, hæc enim dissimiles huius loci expositiones offerre possunt. Primò igitur *sindon*, vt quibusdam placuit, est vestis murice infecta: hanc verò significationem petunt ex illo carm. Martialis. (Martial.)

Ridebis ventos hoc munere tectus, & imbres,
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

Tyriam sindonem Tyrio colore imbutam putant, sed perperam. Nam Martialis sindonem Tyriam dixit id genus lintei, propterea sindon dixitur, vt autor est Cælius, & alij passim, quia ex Sindone Phœniciæ vrbe exportari solet: hinc etiam Tyria appellatur, sicut apud nos *Laolanda el Ruan*, & alia id genus. Illud ex eo loco Martialis confici existimo, sindonem videlicet aliquod indumenti genus esse non muliebre tantùm, sed etiam virile: quò spectat etiam illud eiusdem Poëtæ. (Rhodig.) E

Cultus sindone non quotidianâ.

146. Et Iudicum 14. Cùm Samson problematis edisserendi pretium offert. *Dabo*, inquit, *vobis triginta sindones, & totidem tunicas*, vestes intelligit viriles: subdit enim postea. *Et percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit eis*, qui problema soluerint. Et sanè his in locis vestis describitur crassior, & exterior, arcendis imbribus idonea. Sed licet hæc sindonis significatio non sit insolens, solemnior tamen, atque vulgò tritior est lintei subtilioris quod sindones primùm, deinde alij contexuerunt. Sed vt alia dimittam, comprobat hoc luculentum Euangelij testimonium, nam Ioannis. 19. sic scribitur. *Et ligauerunt eum linteis, cũ aromatibus.* Græcè ὀθονίοις, id est, *Othoniis*, nimitum velis subtilioribus ex lino contextis (displicet enim Pollucis coniectura, qui *Othonias* ex lana confici vult: quas autem Ioannes *Othonias* dixit, seu lintea, reliqui Euangelistæ *sindonem* appellant. His prælactis, censeo *sindonem* aliquando ipsam lini telam notare, vt ex textrina trahitur. Nonnumquam etiam satis propriè amictoria fœminarum, vulgò *las tocas*, eo nomine censeri, ea scilicet quæ subtiliori opere elaborata sunt. Denique vestem aliquam candidam & tenuem eo nomine olim significari constat, quam fœminus gestare decorum, viris verò probrosum erat. Hinc Laërtius tradit Crateti Philosopho ab Atheniensibus vitio datum, quod sindone velaretur: sed & Dion. Cassius tradit Neronem tunicâ obtectum floridâ & sindonio circa collum, Senatores salutare consueuisse, quod lasciuiæ, ac lenocinio vertit. Idem scribit Sardanapalum in palatio sæpiùs nudum assidere, ac sindonium aureis suspensum circulis quatere solitum. (Iudic. Ioann. Laërtius. Dion. Cassius.)

His prælibatis, etsi alij alia dictitare possint, mihi verò illud arridet, scilicet hanc fœminam ideò commendari, quia non rudiores tantùm telas redordiri soleret, sed etiam subtilissimas, & tenuissimas, quales Sidoniis texere solemne est, *Sindonem fecit, ac vendidit.* hoc enim erat illius lucrum. Itaque per sindonem non amictoria seu capitia, non vestem aliquam pulchrè confectam, nec sternendis lectis consuta linteamina, sed telam ipsam subtilioris operis intelligo. Addit.

Et cingulum tradidit Chananæo. Legionensis existimat cinguli nomine fascias quasdam notari, quas vulgus appellat *Randas & Fransas*, Hebr. חגור *Chagor*, à radicè חגר *Chagar*, id est, *cinxit*, vel *accinxit*, quæ vox anceps est, fœmineas zonas sonans, & virorum cinctoria. ad viros spectat illuc Ezechiel. 23. *Accinctos balteis renes.* Ad fœminas autem illud Isaiæ 3. *Et pro fascia pectorali cilicium.* Hebr. *Et pro fascia pectorali cingulum sacci.* Vtrobique autem occurrit vox illa *Chagor*. Addo etiam Latinam vocem *cingulum*, quam hîc adscripsit Vulgatus, communem esse viris, ac fœminis. Prima ergo interpretatio peti potest ex Augustino loco citato, qui per *Chananæos*, seruos intelligit domesticos: nam constat Chananæorum reliquias, quas post bella & strages in ipsos editas missas fecerant, magna ex parte Hebræis in seruos cessisse. Itaque ait hæc mulier *Chananæo*. id est, seruo suo cingulum tradidit, vt præcinctus, & expeditus sibi ad nutum obseruiret. Sed tamen hæc pars ad hunc modum explicata cum superiori non congruit. Sanè mihi non displicet nomine *Chananæi* seruum notari ob prædictam rationem, sed tamen hîc sensus ad hunc modum instituendus est cum Iansenio. Cingula seu zonas pulchrè elaboratas & acu pictas Chananæo seruo suo vendendas & distrahendas tradidit. Ergo alij locum istum de virili cinctorio perperàm exponere contendunt: malo ad zonas muliebres referre: harum enim apud veteres eximia gloria fuit, quas acu eleganter expingere, floribúsque tùm aureis tùm purpureis, tùm byssinis intexere solemne fuit. Hinc est illud Homeri, Veneris zonam describentis. 147. (Legionen. Ezech. 23. Isai. 3. August.)

Soluit de pectore zonam, (Homer.)
Textilem, picturatam.

Et

Et infra.

Sinuique tuo succingito zonam,
Contextam variè.

Sed de hac zonarum elegantia multa diximus in c. 7. Cant. v. 3. ad illa verba. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilys.* Ergo locus sic exponendus est. *Et cingulum tradidit Chananæo.* Nimirum zonas perelegantes acu pingebat, ipsasque institori, aut venundabat aut vendendas tradebat. Itaq; huius fœminæ extollitur industria, & peritia, quæ scilicet maximè pulchras, perfectas, atque pretiosas res, suis, atque ancillarum manibus eleborabat, & inde parabat lucra.

De Ecclesia.

148. August. Locum integrum ad Ecclesiam refert D. Augustinus eo loci, sed quia longior est oratio verba supprimo. Per *sindones*, id est, subtilissimi operis linteamina, spiritualia, & interna intelligit, cum quibus collata externa & corporea crassa sunt, & rudia: hæc autem spiritualia, vel propterea Ecclesia vendere dicitur, quia pro his temporalium contemptum exposcit, aut etiam nos ipsos, quos libentius pretij loco accipit. *Nam quæ vendit* (inquit Augustinus) *dat spiritualia, & quid quæritur? forte carnalia: debentur quidem & ista, sed tamen non solùm ista reddenda sunt: non quæro,* inquit, *vestra, sed vos, date ergo pretium: date vos ipsos.* Deniq; illa. *Et cinctoria vendidit Chananæis* (sic enim habent Septuaginta) ad hunc modum expendit. *Cingant se, operiantur, veniant tamquam serui: cinctoria eius fecit vtique ad opus: nam & ipsa opus faciens accinxit fortitudine lumbos suos.* Reliqua vide ibi, & cum his cohærentia legere licet in Salonio & aliis supra citatis.

De Virgine Deipara.

149. Si per *sindonem* spiritualia cum Augustino accipiamus, eodem sensu Virgini accommodare licet ista verba, quæ Augustin. Ecclesiæ tradit, scilicet Virgo spiritualia suis non donat, sed vendit, vtpote quæ à nobis temporalia, & quod caput est, nosmetipsos pretij loco accipit. Si verò cum aliis innocentiam candidam & puram, aut fidei mysteria, totamque Euangelicam doctrinam ex subtilibus tùm præceptorum, tùm etiam consiliorum filis contextam accipiamus, hæc quidem pro re nata Virgini adscribi possunt. Sicut etiam eorum non illepida meditatio est, qui per *sindonem* velum, seu amictorium intelligentes, quo

Paulus. fœminæ caput obnubunt, & teste Paulo obsequij, atque obedientiæ symbolum est, quam vxor marito suo præstore tenetur, ait enim. *Mulier debet habere velamen,* vel (quod idem est) *potestatem super caput suum.* Propterea enim mulier caput velat suum, vt maritum sibi in caput datum fuisse testetur. Ergo Deipara hæc vela, seu pallia fœminis elaborare & venundare aptè dicitur, quia ipsa exemplo suo cunctis fœminis obsequentiæ, atque obedientiæ erga maritos magistra extitit. Nulla enim coniugi suo obsequentior, & submissior fuit, quàm Maria, vt docet Ambr. in c. 1. Lucæ: vel si placet, pro coniugatis intellige virgines, quibus B. Virg. pallia, & velamina vendit, vt Christo nubant, iuxta ritum Ecclesiæ, quæ Virgines sacras velare solet.

Ambros. Augustin. *Et cingulum tradidit Chananæo.* Cinguli huius non vna significatio est. Augustinus expeditam quandam ad operandum diligentiam notari voluit: alij castitatem, alij pœnitudinem. *Chananæus* verò interpretatur *humilis*, aut *commutans.* Ergo licet asserere Virginem Deiparam his qui illam humiliter, & demissè colunt, atque huius obsequij merito id obtinuerunt, vt mores ac vitam commutarent, castitatis zonam, studiosæ diligentiæ cingulum aut pœnitudinis cinctorium impendere. Hæc enim omnia ab ipsa elaborari, atque donari, nemo inficiabitur ex his qui nihil vnquam boni obtinent, quod nō illi continuo acceptum referant. Si quis verò alias *Zonæ*, aut *Cinguli* significationes conflare velit, eodem sensu Virgini accommodare poterit.

---

25. *Fortitudo, & decor indumentum eius; & ridebit in die nouißimo.*

Fortitudo, & decor, &c. Hebræa non dissonant. 150.
Septuaginta hæc verba postponunt: præmittunt enim sequentem versum, *os suum aperuit sapientiæ*, &c. ac deinde subiiciunt. *Fortitudinem & decorem induit, ac læta est in diebus nouissimis.* Aquila, Symmachus & Theodotion. *Ridebit*, sicut noster, & in quibusdam etiam codicibus est, εὐφρανθήσεται, id est, *Lætabitur*, de futuro.

Aliqui locum istum cum superiori satis coactè construunt: sed tamen si quis minus coactum & oblectantem modum vestigare velit, sic licet contexere. *Sindonem fecit*, sed tamen *vendidit*: nam subtilissimum illud vestimenti genus gerere indecorum sibi existimabat, præsertim, si per sindonem accipiamus vestem illam tenuissimi operis, quam Clemens Alexandrin. libro 2. pædag. c. 10. fœminis pudicis interdicit his verbis. *Non est enim amplius tegumentum mollis, & delicata vestis, quæ nudam figurā non potest occulere. Eiusmodi enim vestis in corpus incidens mollius ipsi corpori imprimitur & applicatur, figura carnis instar adhærens, & mulieris typum ita exprimit, vt vel non videnti manifesta sit tota constitutio corporis.* Ad hæc *Cingulum tradidit Chananæo*, id est, zonas elegantes, & acu pictas, si quas artificiosè elaborabat, has quidem vendendas tradebat seruo, aut institori, nec ex his aliquam sibi aptabat: nam ipsi pro cingulo erat fortitudo, de qua nuper dixerat. *Accinxit fortitudine lumbos suos*, & sua ipsius pulchritudo pro veste & indumenmento eleganti. Quasi dicat, tanta erat illius natiua & genuina pulchritudo, vt ipsa sine aliis ornamentis satis placere, Itaque secundùm hanc expositionem prædicatur huius mulieris decens, & modestus cultus, quæ putidiora illa, & fœminis grauioribus indecora ornamenta, videlicet subtilissimas sindones, pictas zonas, & alia id genus, numquam gestabat. Operabatur quidem manibus suis hæc ornamenta, sed non gestabat: nam operari peritię est, gestare luxurię.

Et sanè hæc expositio cohæret cum priori interpretatione huius loci. Iansenius quippe, Rodolp. & alij recentiores, priora verba sic edisserunt. *Fortitudo & decor indumentum eius*, id est, vestes illi erant honestæ, quales robustam viraginem, sed virilem matronam decebant, non molles nimiùm & cultus exquisiti. Itaque *fortitudinis & decoris* indumenta dicuntur fortia atque decentia, fortia, inquam, id est, quæ mollitiem excluderent, & fortitudinem, ac robur animi testarentur: nam quæcumque philocosmæ sunt eædem molles & imbelles existunt. Et quidem pudicitiam, & robur fœminarum in cultu ipso spectari exploratum est: hinc est vt fœminæ sese plus quàm satis est excolentes viris suis in suspicionem perfidiæ veniant. Chrysost. homil. 21. ad populum. *Ille*, inquit, *exquisitior ornatus Zelotypiæ suspicionem inijcere sæpius solet.* Et infra. *Modestia autem ornatus omnem quidem improbam suspicionem expellit: omni autem vinculo firmius coniugem conciliat: Non enim tàm decorum facit fieri aspectum ipsius forma natura, quàm eam spectantis affectus, affectum verò nihil sicut modestia, & honestas inducere* 151. Iansen. Rodolph. Clem. Alex. Chrysost.

inducere solet. Ergo sic accipi possunt illa verba. *Fortitudo, & decor indumentum eius*, id est, Mulier fortitudinem ipsam induit: nam modesto, & neglecto cultu fortitudinem præ se ferebat, & robur animi ostentabat.

152. Et sanè ita reor, eas quæ externum cultum negligunt & modesto habitu vtuntur, exterius bonos suos mores circumferre, qui ipsas longè pulchriores, ac speciosiores reddunt. Tertull. in lib. de habitu fœminarum. *Pudicitiæ, atque honestatis Christianæ satis non est esse, verùm & videri: tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, vt & foris inspiciat, quasi supellectilem suam.* Loquitur autem de modesto ornatu, atque ipsum adhibentes mulieres honestatem ac probitatem ipsam (liceat sic dicere) superinductam gerere affirmat. Absoluit verò eum tractatum Tertullianus his verbis. *Prodite vos iam medicamentis & ornamentis instructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & os taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi, caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis: Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt: vestite vos serico pubertatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Igitur integram huius loci sententiam vt calleas, sic accipe. *Fortitudo & decor indumentum eius.* Nomine fortitudinis omnes virtutis, & probitatis partes complectitur, aitque, in neglecto, atque modesto cultu hæc mulier fortitudinem, hoc est virtutem omnem indumenti adinstar præ se ferebat. Hæc autem illi longè maiorem decorem, & pulchritudinem afferebat, quàm totius formæ affectissima cultura.

153. Altera interpretatio, quæ apud reliquos interpretes obuia est, non de externo habitu, sed de interno propriæ conscientiæ cultu capit hæc verba hoc modo. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Nimirum huic mulieri, quamuis exteriùs vestes modestiores, & viliores adhibebat, interior tamen animi cultus valde ornatus, ac splendidus erat: nam fortitudinem, idest, virtutem omnem, ac probitatem, quę prę cęteris animum decorat indumenti loco sumpserat explēs scilicet illam Beati Petri Apostoli sententiam, qui fœminis ad hunc modum suadet. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Et quidem illud exploratum est, mulieres, quæ in forma corporis excolenda curæ plurimum ponunt, animi cultum negligere solitas. Chrysostom. in Genes. hom. 41. *Multa, inquit, & mulierum mollities, & omne studium in cultu vestium, in auratis & collaribus, & externo ornatu: anima verò nulla est cura.* Quemadmodum è contra quæ externum ornatum contemnunt, interni, ac spiritualis pulchritudinis studiosæ plerumque sunt. Lege Clementem Alexandrinum Pæd. lib. 3 ca. 2. ab illis verbis. *Non externi hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento est ornandus.* Vbi optimam mulieris corpore quidem excultæ, sed animo incultæ, & deornatæ similitudinem comminiscitur, illam cum felibus, crocodilis, ac serpentibus componens, quos maximâ templorum, atque opum ambitione Ægyptij colebant. Hæc posterior expositio mihi non displicet: prior tamen omnino perplacet. Sed audiendus tandem est idem Clemens virtutis ornatum describens in cap. 1. eiusdem libri. *Sit ergo in vestrarum manuum carpis sanctus ornatus, quem facilè impertitur communicatio, & familiæ administrandæ opera: Qui enim dat pauperi, fœneratur Deo. In pedibus autem appareat impigra alacritas ad benefaciendum, & ingressus ad iustitiam: torques autem & catena sint pudor, & modestia, talia Deus fundit monilia, non alius fuerit mulieri aurium ornatus descendens ad meatus, qui sunt secundum naturam. Quam vera Catechesis, hoc est quæ per auditum suscipitur institutio. Oculi autem verbo inuncti, & aures ad sensum perforata diuinarum rerum auditorem, & sanctarum rerum contemplatorem efficiunt.* Et cap. 11. sic addit. *Pudicum eis ornatum ostendemus. Pulchritudo enim optima primum est pulchritudo animæ, quando fuerit anima ornata Spiritu sancto, & his, quæ ab eo oriuntur, inspiratis latitiis, iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore, & pudore quo nullus color nitidior vmquā visus est.* Et Chrysostomus in oratione de Paralytico, de interna mulieris pulchritudine sic scribit. *Forma & cultus corporis mulierem amabilem non facit, sed virtus, & pulchritudo animi: vbi quidem neque lineamenta, nec fuci, non aurum, & vestis pretiosa, sed continentia, & æqualitas animi, & timor, qui Deo initatur.* Huius verò pulchritudinis præstantiam, ex collatione cum forma corporis aucupatur: addit ergo sic. *Et quidem corporis illam pulchritudinē & morbus inarescere fecit, & longinquitas temporis deleuit, & senectus extinxit, mórsque superueniens prorsus sustulit: animi verò pulchritudinem non morbus, non senectus, non mors, non aliud quidpiam labefactare aut affligere potest, verùm floret illa perpetuò: & corporis quidem forma spectatores suos sæpe ad incontinentiam prouocat: animi verò eximia illa facies, & forma, Deum ipsum in sui amorem prouocat.* Et in hom. in Psal 44. Spiritalis huius pulchritudinis præstantiam ex eo suadet, quia corporeæ venustatis decor suapte natura oboritur. *Fœda enim* (inquit) *facies si est, licet innumera pigmenta adhibeat, quæ parandæ formæ, ac venustati studet, operam suam luserit, quæ pulchra est, semper talis est, etiam si studium non accommodet conciliandæ pulchritudinis: quæ autem deformis, nullo se studio potest reddere formosam:* ac statim adiuit. *Vidisti nunc quæ sit pulchritudo corporis, eam ipsam introrsus reuocemus ad animam: citetur ad dominam ancilla.* (Pende sententiam, pulchritudo enim corporis animi pulchritudinis ancilla dicitur: pudeat igitur ancillam ornatius excoli, quàm dominam.) Subdit autem hunc spiritualem formæ nitorem, & denuò ab anima deformi comparari, & comparatum in immensum augeri posse. Denique absoluit, aliud vtriusque pulchritudinis discrimen assignans, quod nimirùm ornatus cultusque magno constat pecuniarum impendio: at animi pretiosior & venustior ornatus sola voluntate paratur.

De Virgine Deipara.

De animi robore, ac fortitudine Deiparæ multa diximus supra cap. 10. vers. 10. ad illa verba *Mea est fortitudo*, &c. Possumus tamen hæc verba iuxta sensum literæ ipsi tribuere. Constat enim illam vestium non incuriâ, sed modestâ, & decenti curâ, ac reliquo corporis habitu, honestatem, & probitatem exteriùs semper prodidisse: sic enim scribit Amb. l. 2. de Virg. *Ipsa corporis species, simulacrum erat mentis figura probitatis: bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci*, &c. Si verò internam animi Virginei pulchritudinem penitius inspicias, verè *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Hæc sanè testatissima sunt. Pergo ad sequentia. 154.

Et ridebit in die nouissimo. Non vna huius hemistychij interpretatio. I. Ian. ad hunc modum exponit. In die nouissimo, hoc est, deinceps, in postero tempore, decursu annorum, cum aliæ fœminæ profusâ dote, & exhaustis facultatibus mœrere, ac flere consueuerunt, ipsa quidem ridebit, atque ouabit: quia iam tunc 155.

rerum

rerum omnium abundantiam experietur. Secundò sunt qui per *nouissimum diem* extremum anni totius tempus accipiendum putant, id est, brumam, in hanc enim annus desinit. Sensum verò sic conformant. *Et ridebit in die nouissimo*, id est, vbi familiam suam seipsam atque maritum vestibus à se confectis induerit, irridebit extremæ brumæ frigora, & iniurias. Tertiò alij per *diem nouissimum*, non anni, sed ipsius hebdomadæ extremam diem concipientes, sic sensum instituunt. *In die nouissimo* hoc est in sabbato *ridebit*, otiabitur, atque feriabitur. Quasi dicat, hæc mulier industria, & cumulandarum facultatum studio, labori semper intenta, non propterea sabbatum, & Deo consecratos dies violabat, sed in his otiabatur, & ferias agebat. 4. per *nouissimum diem*, senectam intelligere licet, & sensus erit. *Et ridebit in nouissimo die*, id est, cùm ad senectam, & canos peruenerit, ætatemque illam attigerit, quæ ad laborandum inepta, atque imbellis est, licebit illi otiari, gaudere, & patris iam bonis perfrui. Hanc interpretationem cæteris præferendam existimo. Nihilominus subiicio quintam, quæ per *nouissimum diem* mortem captat, hoc sensu. Cùm præmiserit illam ex fortitudine, hoc est, ex virtute, & probitate, & modestia vestem sibi perelegantem contexuisse, addit illam, non quidem, vt alij, in atra mœroris, atque tristitiæ, sed in versicolori virtutum omnium veste mortem expectasse, & cum risu, & gaudio excepisse. Vel aliter. *Ridebit in die nouissimo*. Hæc scilicet fortis mulier, quæ opes tantas industriâ suâ parauit, meritis etiam virtutum locuples, mortem læta expectabit, imò venienti obuiam facta illam ingenti gaudio complectetur.

De Virgine Deipara.

156. Hæc si ad Virginem transferas satis accommodatè in ipsam cadunt, hæc enim verè in nouissimo die mortis, non in atris, mœroris, atque tristitiæ, sed in versicoloribus virtutum omnium vestibus gaudens, atque ouans, morti occurrit. Hæc verè in morte sua risit, quam non morbi aliqua vis, sed amoris suauissima affectio extinxit. Audi Damascenum in oratione prima de Virginis dormitione. *O miraculum sanè natura præstantius! O res summa admirationis plena! Mors, quæ odio, & execrationi prius erat, hic commendatur, ac beata censetur: quæ olim luctum, & mœrorem lacrymasque, & tristitiam afferebat, nunc gaudij, ac lætæ celebritatis causa est.* Et breui interstitio. *Quocirca non te mors beatam reddidit, sed ipsa mortem exornasti, vt quæ eius mœstitiam sustuleris, ac mortem gaudium esse plenum feceris.* Et in oratione 2. de eadem dormitione sic scrit. *Vt enim antequam vllo partus dolore afficeretur, peperit, ita etiam ipsius è vita discessus doloribus caruit.* Cum Damasceno concinit D. Ildephonsus infra. *Quæ dolori non subiacuit post partum, nec labori post transitum.* At quænam, inquies, vtriusque partus scilicet, ac mortis concinnitas? Sanè iustorum obitus natiuitas appellari consueuit. Ergo ait Damascenus, quemadmodum cùm ipsa Deum peperit, nullus dolor intercessit, ita etiam cùm ipsa cælo, atque beatitudini editur, dolor omnis abfuit, vt natiuitas cum natiuitate congruet. Vel aliter. Ideò hæc partum, mortemque copulauit, quia protoplastorum culpa hæc inuexit in mundum partus dolores, iuxta illud. *In dolore paries filios tuos*, atque mortem, eiusque iniurias, iuxta illud, *In quacumque die comederis morte morieris.* Quapropter operæ pretium erat, vt quæ culpam illorum eluere, & purgare venerat, culpam ipsam & culpæ ærumnas minimè experiretur, atque adeo decuit, vt pariens doloris expers, & moriens à doloribus immunis esset, vt quodammodo nec mori quidem diceretur, quæ à mortis iniuriis, atque molestiis aliena erat. *Ac proinde* (inquit Damascen.) *sacram tuam migrationem, mortem haudquaquam appellabimus, sed somnum, aut peregrinationem, vel vt aptiori verbo vtar, cum Deo præsentiam. Et ridebit in die nouissimo.* Non Sardonico risu, & ficto, sed verè, atque seriò risit, & 157. triumphauit Virgo sacra mortem expectans: ita enim decebat vt quæ seruos suos morientes risu & gaudio perfundere solet. ipsa tunc rideret, vel potius irrideret, mortem. D. Ildephons. 3. serm. de Assump. præmittit compellatam. *Veni electa mea, &c.* & subdit. *Ad quam ipsam vocem credimus, quod gaudens & ridens soluta est illa beata anima, & perrexit ad Dominum.* Soluta est, inquit, quia nimirum adstricta & deuincta erat, cui longè optabilius erat dissolui, & esse cum Christo, quàm Paulo, atque adeò è corpore, velut è carcere, euolans, risit, & ouauit.

Damasc. — Ildephons. — Genes. 3. — Ildephons.

---

26. *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius.*

158. Os suum, &c. Heb. *Os suum aperuit in sapientia, & lex misericordiæ super lingua eius.* Chald. *Et lex gratiæ in lingua eius.* Sept. *Os suum aperuit attentè & legitimè, & ordinem posuit linguæ suæ.* Theodot. *Et lex gratiæ erat in lingua ipsius.* Aquila & Symmachus concinunt cum nostra.

Fœminæ quidem plurimum loqui, ineptias effundere, & linguâ suâ sæuire solent: nam cum imbelles sint ad agendum, quidquid factis deest, verbis compensare student, & cùm parum sapiant, ineptias, & nugas meras dicunt: Ac demum cùm infirmæ sint viribus ac lacertis careant, in aduersarios suos linguâ sæuiunt. Aptè igitur Salomon fœminæ istius laudes recensens reliquis hanc inserit commendationem. *Os suum aperuit sapientiæ.* Nimirum os aliàs semper clausum, quoties ad loquendum reserabat, cum sapientia atque prudentia coniuncta dicebat. Quibus verbis aduersus duo illa muliebris loquacis vitia duas producit virtutes, scilicet loquendi parcitatem, & verborum delectum, seu prudentiam. Hinc D. Hier. in epist. ad Celantiam, de instit. matris familias, inter alia sic suadet. *Sermo in omnibus moderatus, & parcus, & qui necessitatem loquendi magis indicet, quàm voluntatem.* Hæc de silentio. Reliqua ad prudentiam dictionis spectant. *Diu autem considera quid loquendum sit, ne quid dixisse pœniteat, verba tua ponderet cogitatio, & lingua officium animi libra dispenset. Vnde Scriptura dicit: Aurum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende ne fortè labaris in lingua.*

Hieron.

159. At quorsum, inquies, inter ea, quæ ad solicitudinem & industriam huius mulieris spectant, hæc de silentio, & de prudenti loquela immiscet Sal. Ratio quidem in promptu est, quia nihil mulierum loquacitati mederi magis consueuit, quàm solicitudo & labor assiduus: nam quæ aliquid actitant, vel tacent, vel opportunè loquuntur. Hinc Tertull. ad vxorem. *Stude, inquit, modestiæ, quæ pudori procurat, & sedulitati quæ nugas non facit, coniuncta, atque commercia Deo digna sectare, memor illius versiculi sanctificati per Apostolum.*

Tertull.

Corrumpunt bonos mores congressu praui.

Quod perinde est ac si dicat, cum sedulitate labori & administrationi domus incumbe, hæc enim nugis & ineptiis, quibus lingua fœminarum scatere solet, locum non facit.

160. Et sanè loquacitati fœminarum affinem esse stultitiam, & insipientiam Euripid. prodidit his versibus ad verbum redditis.

Euripid.

Paruas enim occasiones si nactæ fuerint sermonum,

Plures

inducere solet. Ergo sic accipi possunt illa verba. *Fortitudo, & decor indumentum eius*, id est, Mulier fortitudinem ipsam induit: nam modesto, & neglecto cultu fortitudinem præ se ferebat, & robur animi ostentabat.

152. Et sanè ita reor, eas quæ externum cultum negligunt & modesto habitu vtuntur, exterius bonos suos mores circumferre, qui ipsas longè pulchriores, ac

Tertull. speciosiores reddunt. Tertull. in lib. de habitu fœminarum. *Pudicitia, atque honestati Christianæ satis non est esse, verùm & videri: tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, vt & foris inspiciat, quasi supellectilem suam.* Loquitur autem de modesto ornatu, atque ipsum adhibentes mulieres honestatem ac probitatem ipsam (liceat sic dicere) superinductam gere-

Tertull. re affirmat. Absoluit verò eum tractatum Tertullianus his verbis. *Prodite vos iam medicamentis & ornamentis instructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundià, & os taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi, caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis: Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt: vestite vos serico pubertatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ, taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Igitur integram huius loci sententiam vt calleas, sic accipe. *Fortitudo & decor indumentum eius.* Nomine fortitudinis omnes virtutis, & probitatis partes complectitur, atque, in neglecto, atque modesto cultu hæc mulier fortitudinem, hoc est virtutem omnem indumenti ad instar præ se ferebat. Hæc autem illi longè maiorem decorem, & pulchritudinem afferebat, quàm totius formæ affectissima cultura.

153. Altera interpretatio, quæ apud reliquos interpretes obuia est, non de externo habitu, sed de interno propriæ conscientiæ cultu capit hæc verba hoc modo. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Nimirum huic mulieri, quamuis exteriùs vestes modestiores, & viliores adhibebat, interior tamen animi cultus valde ornatus, ac splendidus erat: nam fortitudinem, idest, virtutem omnem, ac probitatem, quę prę cęteris animum decorat indumenti loco sumpserat explés sci-

1. Petr. 3. licet illam Beati Petri Apostoli sententiam, qui fœminis ad hunc modum suadet. *Quarum non sit extrin secus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Et quidem illud exploratum est, mulieres, quæ in forma corporis excolenda curæ plurimum ponunt, animi cultum negligere solitas.

Chrysost. Chrysostom in Genes. hom. 41. *Multa*, inquit, *& mulierum mollities, & omne studium in cultu vestium, in auratis & collaribus, & externo ornatu: animæ vero nulla est cura.* Quemadmodum è contra quæ externum ornatum contemnunt, interni, ac spiritualis pulchri-

Clem. Al. tudinis studiosæ plerumque sunt. Lege Clementem Alexandrinum Pæd. lib. 3. ca. 2. ab illis verbis. *Non externi hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento est ornandus.* Vbi optimam mulieris corpore quidem excultæ, sed animo incultæ, & deornatæ similitudinem comminiscitur, illam cum felibus, crocodilis, ac serpentibus componens, quos maximâ templorum, atque opum ambitione Ægyptij colebant. Hæc posterior expositio mihi non displicet: prior tamen om-

Idem. ibid. nino perplacet. Sed audiendus tandem est idem Clemens virtutis ornatum describens in cap. 1. eiusdem libri. *Sit ergo in vestrarum manuum carpis sanctus ornatus, quem facilè impertitur communicatio, & familiæ administrandæ opera: Qui enim dat pauperi, fœneratur Deo. In pedibus autem appareat impigra alacritas ad*

A *benefaciendum, & ingressus ad iustitiam: torques autem & catena sint pudor, & modestia, talia Deus fundit monilia, non alius fuerit mulieri aurium ornatus descendens ad meatus, qui sunt secundum naturam. Quam vera Catechesis, hoc est quæ per auditum suscipitur institutio. Oculi autem verbo inuncti, & aures ad sensum perforatæ diuinarum rerum auditorem, & sanctarum rerum contemplatorem efficiunt.* Et cap. 11. sic addit. *Pudicum eis ornatum ostendemus. Pulchritudo enim optima primum est pulchritudo animæ, quando fuerit anima ornata Spiritu sancto, & his, quæ ab eo oriuntur, inspiratæ latitiis, iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore, & pudore quo nullus color nitidior vnquā visus est.* Et Chrysostomus in oratione de Paralytico, S. Chrysost.

B de interna mulieris pulchritudine sic scribit. *Forma & cultus corporis mulierem amabilem non facit, sed virtus, & pulchrido animi: vbi quidem neque lineamenta, nec fuci, non aurum, & vestis pretiosa, sed continentia, & æqualitas animi, & timor, qui Deo nitatur.* Huius verò pulchritudinis præstantiam, ex collatione cum forma corporis aucupatur: addit ergo sic. *Et quidem corporis illam pulchritudinē & morbus inarescere fecit, & longinquitas temporis deleuit, & senectus extinxit, morsque superueniens prorsus sustulit: animi verò pulchritudinem non morbus, non senectus, non mors, non aliud quidpiam labefactare aut affligere potest, verùm floret illa perpetuò: & corporis quidem forma spectatores suos sæpe ad incontinentiam prouocat: animi verò eximia illa*

C *facies, & forma, Deum ipsum in sui amorem prouocat.* Et in hom. in Psal. 44. Spiritalis huius pulchritudinis Idem. præstantiam ex eo suadet, quia corporeæ venustatis decor suapte natura oboritur. *Fœda enim* (inquit) *facies si est, licet innumera pigmenta adhibeat, quæ parandæ formæ, ac venustati studet, operam suam luserit, quæ pulchra est, semper talis est, etiam si studium non accommodet conciliandæ pulchritudinis: quæ autem deformis, nullo se studio potest reddere formosam:* ac statim assuit. *Vidisti nunc quæ sit pulchritudo corporis, eam ipsam introrsus reuocemus ad animam: citetur ad dominam ancilla.* (Pende sententiam, pulchritudo enim corporis animi pulchritudinis ancilla dicitur: pudeat igitur ancillam ornatius excoli, quàm dominam.) Subdit au-

D tem hunc spiritualem formæ nitorem, & denuò ab anima deformi comparari, & comparatum in immensum augeri posse. Denique absoluit, aliud vtriusque pulchritudinis discrimen assignans, quod illius quidem ornatus cultusque magno constat pecuniarum impendio: at animi pretiosior & venustior ornatus sola voluntate paratur.

De Virgine Deipara.

De animi robore, ac fortitudine Deiparæ multa diximus supra cap. 10. vers. 10. ad illa verba *Mea est fortitudo*, &c. Possumus tamen hæc verba iuxta sensum literæ ipsi tribuere. Constat enim illam vestium 154.

E non incuriâ, sed modestâ, & decenti curâ, ac reliquo corporis habitu, honestatem, & probitatem exteriùs semper prodidisse: sic enim scribit Amb. l. 2. de Virg. Ambros. *Ipsa corporis species, simulacrum erat mentis figura probitatis: bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci*, &c. Si verò internam animi Virginei pulchritudinem penitius inspicias, verè *Omnis gloria filiæ Regis ab* Psal. 44. *intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Hæc sanè testatissima sunt. Pergo ad sequentia.

Et ridebit in die nouissimo. Non vna huius hemistychij interpretatio. I. Ian. ad hunc modum exponit. In 155. Iansen. die nouissimo, hoc est, deinceps, in postero tempore, decursu annorum, cum aliæ fœminæ profusâ dote, & exhaustis facultatibus mœrere, ac flere consueuerunt, ipsa quidem ridebit, atque ouabit: quia iam tunc

rerum

rerum omnium abundantiam experietur. Secundò
ſunt qui per *nouiſſimum diem* extremum anni totius
tempus accipiendum putant,id eſt, brumam,in hanc
enim annus deſinit. Senſum verò ſic conformant.
Et ridebit in die nouiſſimo , id eſt, vbi familiam ſuam
ſeipſam atque maritum veſtibus à ſe confectis induerit
, irridebit extremæ brumæ frigora, & iniurias.
Tertiò alij per *diem nouiſſimum* , non anni, ſed ipſius
hebdomadæ extremam diem concipientes , ſic ſenſum
inſtituunt.*In die nouiſſimo*hoc eſt in ſabbato *ridebit*
, otiabitur, atque feriabitur. Quaſi dicat, hæc
mulier induſtria, & cumulandarum facultatum ſtudio,labori
ſemper intenta,non propterea ſabbatum,
& Deo conſecratos dies violabat , ſed in his otiabatur,&
ferias agebat.4.per *nouiſſimum diem*, ſenectam
intelligere licet, & ſenſus erit. *Et ridebit in nouiſſimo
die*,id eſt,cùm ad ſenectam,& canos peruenerit,ætatemque
illam attigerit, quæ ad laborandum inepta,
atque imbellis eſt,licebit illi otiari,gaudere,& partis
iam bonis perfrui. Hanc interpretationem cæteris
præferendam exiſtimo. Nihilominus ſubiicio quintam
, quæ per *nouiſſimum diem* mortem captat , hoc
ſenſu. Cùm præmiſerit illam ex fortitudine,hoc eſt,
ex virtute,& probitate,& modeſtia veſtem ſibi perelegantem
contexuiſſe, addit illam , non quidem, vt
alij,in atra mœroris,atque triſtitiæ,ſed in verſicolori
virtutum omnium veſte mortem expectaſſe,& cum
riſu,& gaudio excepiſſe. Vel aliter.*Ridebit in die nouiſſimo*.Hæc
ſcilicet fortis mulier,quæ opes tantas induſtriâ
ſuâ parauit, meritis etiam virtutum locuples,
mortem læta expectabit, imò venienti obuiam facta
illam ingenti gaudio complectetur.

De Virgine Deipara.

156. Hæc ſi ad Virginem transferas ſatis accommodatè
in ipſam cadunt , hæc enim verè in nouiſſimo die
mortis, non in atris, mœroris, atque triſtitiæ, ſed in
verſicoloribus virtutum omnium veſtibus gaudens,
atque ouans, morti occurrit.Hæc verè in morte ſua
riſit,quam non morbi aliqua vis,ſed amoris ſuauiſſima
affectio extinxit. Audi Damaſcenum in oratione Damaſ.
prima de Virginis dormitione. *O miraculum ſanè natura
præſtantius ! O res ſummæ admirationis plena!
Mors,quæ odio,& execrationi prius erat,hìc commendatur,ac
beata cenſetur : quæ olim luctum,& mœrorem,lacrymaſque,
& triſtitiam afferebat, nunc gaudij, ac lætæ
celebritatis cauſa eſt.*Et breui interſtitio. *Quocirca non
te mors beatam reddidit , ſed ipſa mortem exornaſti , vt
quæ eius mœſtitiam ſuſtuleris , ac mortem gaudium eſſe
plenum feceris.*Et in oratione 2.de eadem dormitione
ſic ſcrit.*Vt enim antequam vllo partus dolore afficeretur,
peperit,ita etiam ipſius è vita diſceſſus doloribus caruit,*
Ildephonſ. Cum Damaſceno concinit D.Ildephonſus infra.*Quæ
dolori non ſubiacuit poſt partum , nec labori poſt tranſitum.*
At quænam, inquies, vtriuſque partus ſcilicet,
ac mortis concinnitas ? Sanè iuſtorum obitus natiuitas
appellari conſueuit.Ergo ait Damaſcenus,quemadmodum
cùm ipſa Deum peperit, nullus dolor interceſſit
, ita etiam cùm ipſa cælo , atque beatitudini
editur,dolor omnis abfuit,vt natiuitas cum natiuitate
congruet. Vel aliter. Ideò hæc partum, mortemque
copulauit,quia protoplaſtorum culpa hæc inuexit
in mundum partus dolores , iuxta illud. *In dolore
paries filios tuos*,atque mortem,eiuſque iniurias,iuxta
illud,*In quacumque die comederis morte morieris.*Quapropter
operæ pretium erat,vt quæ culpam illorum
eluere , & purgare venerat, culpam ipſam & culpæ
ærumnas minimè experiretur, atque adeo decuit, vt
pariens doloris expers , & moriens à doloribus immunis
eſſet,vt quodammodo nec mori quidem dice-

A retur , quæ à mortis iniuriis , atque moleſtiis aliena
erat. *Ac proinde*(inquit Damaſcen.) *ſacram tuam migrationem,mortem
haudquaquam appellabimus,ſed ſomnium,aut
peregrinationem,vel vt aptiori verbo vtar,cum
Deo præſentiam. Et ridebit in die nouiſſimo.* Non Sardonico
riſu , & ficto , ſed verè , atque ſeriò riſit, & 157.
triumphauit Virgo ſacra mortem expectans:ita enim
decebat vt quæ ſeruos ſuos morientes riſu & gaudio
perfundere ſolet,ipſa tunc rideret, vel potius irrideret,mortem.D.Ildephonſ.3.ſerm.de
Aſſump.præmittit Ildephonſ.
compellatam. *Veni electa mea*, &c. & ſubdit. *Ad
quam ipſam vocem credimus,quod gaudens & ridens ſoluta
eſt illa beata anima,& perrexit ad Dominum.* Soluta
eſt , inquit , quia nimirum adſtricta & deuincta
B erat, cui longè optabilus erat diſſolui , & eſſe cum
Chriſto, quàm Paulo,atque adeò è corpore, velut è
carcere,euolans,riſit,& ouauit.

(Margin: Geneſ. 3.)

---

26. *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius.*

OS ſuum,&c. Heb. *Os ſuum aperuit in ſapientia,* 158.
& lex miſericordiæ ſuper lingua eius. Chald. *Et
lex gratiæ in lingua eius.* Sept *Os ſuum aperuit attentè
& legitimè,& ordinem poſuit linguæ ſuæ.* Theodot. *Et
lex gratiæ erat in lingua ipſius.* Aquila & Symmachus
concinunt cum noſtra.

Fœminæ quidem plurimum loqui,ineptias effundere,&
C linguâ ſuâ ſæuire ſolent : nam cum imbelles
ſint ad agendum,quidquid factis deeſt, verbis compenſare
ſtudent , & cùm parum ſapiant, ineptias, &
nugas meras dicunt : Ac demum cùm infirmæ ſint
viribus ac lacertis careant,in aduerſarios ſuos linguâ
ſæuiunt. Aptè igitur Salomon fœminæ iſtius laudes
recenſens reliquis hanc inſerit commendationem.*Os
ſuum aperuit ſapientiæ.* Nimirum os aliàs ſemper
clauſum, quoties ad loquendum reſerabat, cum ſapientia
atque prudentia coniuncta dicebat. Quibus
verbis aduerſus duo illa muliebris loquacis vitia
duas producit virtutes,ſcilicet loquendi parcitatem,
& verborum delectum , ſeu prudentiam. Hinc D.
Hier.in epiſt.ad Celantiam, de inſtit.matris familias, Hieron.
D inter alia ſic ſuadet. *Sermo in omnibus moderatus , &
parcus,& qui neceſſitatem loquendi magis indicet,quàm
voluntatem.*Hæc de ſilentio. Reliqua ad prudentiam
dictionis ſpectant. *Diu autem conſidera quid loquendum
ſit,ne quid dixiſſe pœniteat,verba tua ponderet cogitatio
, & lingua officium animi libra diſpenſet. Vnde
Scriptura dicit : Aurum & argentum tuum conſla , &
verbis tuis facito ſtateram,& frenos ori tuo rectos, & attende
ne fortè labaris in lingua.*

At quorſum,inquies,inter ea,quæ ad ſolicitudinem 159.
& induſtriam huius mulieris ſpectant, hæc de ſilentio,
& de prudenti loquela immiſcet Sal. Ratio quidem
in promptu eſt, quia nihil mulierum loquacitati
mederi magis conſueuit, quàm ſolicitudo & labor
E aſſiduus:nam quæ aliquid actitant,vel tacent,vel opportunè
loquuntur. Hinc Tertull.ad vxorem. *Stude,* Tertull.
inquit, *modeſtiæ,quæ pudori procurat, & ſedulitati quæ
nugas non facit, coniuncta, atque commercia Deo digna
ſectare,memor illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum.*

Corrumpunt bonos mores congreſſu praui.

Quod perinde eſt ac ſi dicat,cum ſedulitate labori &
adminiſtrationi domus incumbe, hæc enim nugis &
ineptiis,quibus lingua fœminarum ſcatere ſolet, locum
non facit.

Et ſanè loquacitati fæminarum affinem eſſe ſtultitiam, 160.
& inſipientiam Euripid. prodidit his verſibus Euripid.
ad verbum redditis.

Paruas enim occaſiones ſi nacta fuerint ſermonum,

Plures

Plures super ingerunt: voluptas quædam est
Mulieribus, nihil sani sibi inuicem obloqui.

Theocrit. Cæterùm acutè admodum Theoc. Idyll. 15 de muliebri garrulitate, vbi illas cum turturibus componit.

Desinite, ô miseræ, garritibus omnia vanis,
Vt turturibus mos est implere loquacibus, &c.

Et quidem comparatio isthæc ad earum stultitiam insinuandam pertinet. Apud veteres enim prouerbij loco loco circumferri solebat hoc dictum. *Turture loquacior*, cuius meminit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, & de stulta garrulitate tantummodò enuntiari posse calculo suo testatur. Ferunt enim turtures cùm mussant, aut gemunt, per os simul & per posticum præposterè sonos edere: hinc nata est parœmia in eos, qui præposterè, importunè, & fatuè loquuntur, quasi non tàm ex ore, quàm aliunde verba sua reddere videantur. Ad hæc mulierum fatuas & clamosas orationes venustè descripsit Satyricus Poëta, qui post alia sic cecinit. (Clem. Alex.; Iuuen.)

Verborum tanta cadit vis.
Tot pariter pelues, tot tintinabula dicas
Pulsari, iam nemo tubas, atque æra fatiget,
Vna laboranti poterit succurrere lunæ.

Nota veterum superstitio, qui Lunam deficientem confusè ac permixtim tubis, clangoribus, perstrepentibus cymbalis, aliisque rebus inconcinnè sonantibus prosequebantur. Ergo Poëta, vt confusas, fatuas, & inconcinnas vnius mulieris voces significaret, addit vnam tantummodò mulierem clamoribus suis Lunæ laboranti succurre posse. Eapropter Salomon huius fortis mulieris tùm silentium, tùm etiam sapienter dicta, cùm loquendi opportunitas est, laudibus vehit. *Aperuit*, inquit, non turturis in morem, postica & præpostera, sed *os suum*, non inconcinnis, & absonis absurdisque dictis, sed *sapientiæ*. Attexit.

161. *Et lex clementiæ in lingua eius*, nimirum verba illius non aspera, non acerba, & dura, sed lenia, sed mitia, sed dulcia, atque suauia. Magna sanè hæc mulieris virtus, tùm erga familiam, tùm erga virum. Ad virum spectat illuc Ecclesiastici 26. *Si est lingua curationis, est & mitigationis, & misericordiæ: non est vir illius secundum filios hominum.* Lingua enim eiusmodi omnes mariti labores, mœrores, doloresque delinit. Quemadmodum è contra clamosa & iracunda mulier virum onerat, & animum illius curis, angoribus, & molestiis complet. Ad familiam, & alios proximos, pertinent verba Hieron. qui matri familias clementiam, & misericordiam suadens post illa verba supra adscripta, sic attexit. *Numquam malum verbum de ore tuo procedat, quæ ad cumulum benignitatis iuberis etiam maledicentibus benedicere: misericordes, inquit, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes. Mentiri autem atque iurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, vt quidquid dixeris iuratum putes*, hæc ille. Sed pende quàm aptè, & appositè dixerit, *Et lex clementiæ*, &c. Innuens scilicet clementiam illius non fore mollem & lentam, sed legibus adstrictam, vtpotè quæ sic erga familiam suam beneuola, & suauis sit, vt nonnumquam, cùm res ita postulat, depositis blandimentis seuerius agat, & locum correptioni faciat. Chaldæus habet, *Et lex gratiæ*, quod potest referri ad lepôrem & verba condita, & ad blandiloquia, & suaues gratosque sermones. (Eccles. 26.; Hieron.)

162. Septuaginta verò sic habent. *Os suum aperuit attentè & legitimè, & ordinem posuit linguæ suæ.* Sensus non multum abit à superiori, sed linguæ moderationem apprimè ostendit. *Os*, inquit, *aperuit attentè*, quasi dicat, non verba excidunt, non erumpunt, sed os suum ipsa reserat attentius, ne quod verbum nō me-A ditatum, & cognitum effluat. Nec *attentè* solùm *aperuit*, sed etiam *legitimè* nimirum opportunitatem captans & ad rem dicens. Hęc est enim lex dicentis, opportunè ad rem semper loqui. *Et ordinem posuit linguæ suæ* (sic habet textus Vaticanus:) ordinem verò linguæ præscribere nihil aliud est, quàm ex ordine discere & non præposterè. Codices Regius & Complut. legunt. *Et eleemosyna eius in lingua eius.* ac si dicat, lingua ipsa benefait, & verba illius grata, & suauia ingentium donorum loco habétur. Vel aliter. Mulier hæc non solùm largitione suâ succurrit egenis, quemadmodum supradixerat. *Manum suam aperuit inopi*, sed etiam lingua sua stipem partitur, consilia atque solatia tristibus, & ignaris doctrinam impen-B dens. Aut denique, *eleemosyna eius in lingua eius*, id est, pauperes nequaquàm expectare facit, sed eleemosynam illis dicto citiùs erogat, vel cùm non suppetit facultas ad stipem donandam, eam linguâ suâ impertitur, grata atque mitia verba reddens: ita aliquis acutè, sed non solidè. Præferenda est prior expositio.

De Virgine Deipara.

Maria Virgo vbique sapienter aperit os suum, nihil temerè, nihil improuidè, nihil vnquàm imprudenter dixit: pauca illius verba in Euangelio referuntur, eaque sapientissima & prudentissima. D. Ambr. in Ambros.
C l. 2. de Virginibus, de Virginis sermonibus hæc habet. *Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior.* Et infra. *Non incessus solutior, non vox petulantior.* Alias expositiones Virgini aptare procliue est.

27. Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.

Considerauit, &c. Heb ad verbum *Speculans vias domus suæ, & panem pigritiæ non comedit.* Chal. *Manifestæ sunt viæ domus eius.* Septuaginta paulò aliter. *Angustæ sunt viæ domus eius, cibos autem otiosa* 163.
D *non comedit.* Sic habet Complutens. & Regius Codex At correctior Sixti textus. *Constrictæ mansiones domorum eius: cibos autem pigros non manducauit.* Symm. *Considerat itinera domus suæ.* sicut nostra: in originib. est, צופיה *Tsuphiia*, à radice צפה *Tsaphah*, quæ significat *speculari & prospicere*, aliquando etiam *operire & claudere*. Exod. 36. v. 34. *Et tabulas eius texit auro*, & 25. vers. 12. *Et teges eam auro mundo*, atque alibi. Hinc lectionum diuersitas. Noster enim ad considerandi significationem referens conuertit. *Considerauit semitas*, &c. Septuaginta ad significationem includendi, & operiendi reuocantes transtulerunt. *Constrictæ sunt viæ domus eius*, &c. De qua lectione aliquid postea dicemus. Exod. 36.

E Ergo ait. *Considerauit semitas domus suæ*, &c. Rodolphus. Caietan. & Iansen. ad mores referunt hoc sensu. Mulier hæc fortis domus suæ, hoc est domesticorum mores non negligit: sed singulorum actiones speculatur, ne quis otio, aut incuriæ sese dedat: Ac ne solicitudo hæc frustra sit, ipsa quidem exemplo suo præit, & nisi præmisso multo labore, numquàm cibos sumit: hæc enim præcipua cura est matrisfamiliâs ea quæ ad domesticorum mores pertinent solicito studio obseruare. Non displicet hæc interpretatio. Cæterùm in aliam mens mea me impellit sententiam. Rodolph. Caiet. Iansen.

Existimo enim de custodia & tutela domus sermonem fieri, hæc enim matronæ optimæ maxima & præcipua cura est. Itaque ait. *Considerauit semitas*, seu vias

vias domus suæ. hoc est, aditus, exitusque domus suæ attentius obseruat, ne quid ipsâ nesciente in domum intret, vel exeat: tantaque illius solicitudo & animi angor in hac re, vt etiam cùm cibos sumit, quieta nõ sit: hoc sibi vult illud. *Panem otiosa non comedit.* i. comedens solicitudinem istam non deponit. Hæc autẽ expositio propterea mihi præferenda videtur, quia cum translatione Septuag. omnino concinit, quæ sic habet. *Angusta sunt*, seu *constricta sunt mansiones, aut viæ domus eius*, i. arctius conclusæ & obseratæ, ac si diceret. *Aymucha est recliura entucasa, ytodo passa por contadero. Et cibos pigros non manducauit*, eo sensu, quem iam præmisi. Et quidem domus tutelam ad vxorem spectare docuit Arist. Oeconom. lib. 1. c. 3. sic. n. ait. *Diuina prouidentia vtriusque natura, viri scilicet, ac mulieris, ordinata est ad societatem. Alterum. n. robustum fecit, alterum imbecillius: hoc quidem ob timorem, cautius, illud verò propter fortitudinem, pugnacius: alterum parat foris, alterum parta domi conseruat.* Mẽs autem Aristotelis est, propterea naturam fœminis timorem indidisse, quia cùm ad illas spectet custodia domus, timor quidem reddit cautas. Quam sententiam ex Aristot. petitam luculentius expressit Xenophon his verbis. *Quoniam verò vtraque hæc & extra, & intra domũ diligentiam postulant, mihi videtur Deum naturam mulieris ad curam intus suscipiendam in lucẽ protulisse molliore corpore, vt intra parietes officium obiret. Item ab infantium curam maiore erga liberos charitate, tùm ad custodiam domus metu vehementiore, qui rebus asseruandis vtilis foret, præditas esse voluit.* Ergo hanc solicitam otii, atque quietis nesciam curam ex metu naturali profectam describit Salomon cùm ait, fœminam istam sedulè speculari aditus & exitus domus suæ, & ne tùm quidem quiescere, & curã exuere, cùm cibos sumit (luculentius dixerim) ne tunc quidem eo metu vacat, qui rebus asseruandis vtilis esse solet. Clemens Alexand. lib. 3. pædag. cap. 11. inter maximas matronæ virtutes hanc diligentiam ponit. Ait. n. *Pædagogus dat eis annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed vt ea obsignent, quæ domi digna sunt vt custodiantur, propterea quod seruandæ domus cura ad illas pertineat.* Et perbreui interstitio verborũ. *Itaque honestum quidem est, vt viri vxoribus suis fidem habentes eis domus custodiam permittant, vt quæ eis ad id data sunt opitulatrices.* Ac rursus infra. *Res est pulcherrima, mulier domus custos, quæ, & se, & maritum propriis ornamentis induit.* Huc etiam spectat Naumachii poëtæ Christiani venustum carmẽ, apud Stobęũ, quod ex Gręcis fideliter expressum sic habet.

Externa negotia, quæ conficere potest ipsis relinquas,
(Viro scilicet)
Tibi verò cura rei familiaris sit, & custodia domus.

Sed elegantissimè D. Chrysostomus in 1. ad Corinth. hom. 34. *Deus* (inquit) *viro vniuersa non cõmisit, nec mulieri: sed pulchrè officia digessit: huic domum, illi forum tradens: huic nutrire (agricolatur enim) huic amicire, (tela. n. & colus mulieris est:) ipse. n. dedit mulieri texendi artem, & industriam, sed pereat auaritia, quæ non sinit hoc apparere discrimen. Nam multorum ignauia & mollities etiam viros ad telas deduxit, & radios eius in manus tradidit, liciumque, & stamen.*

[Margin: Aristot. — Xenophon. — Clem. Alex. — Naumach. — Chrysost.]

165. Sed redeamus ad lectionem Septuaginta, cui alia etiam subesse potest interpretatio ad hunc modum. *Constricta sunt mansiones domus eius*, scilicet penus promptuaria, cellaria & vtensilia omnia clausa, atque tutiùs obserata habet. Sed tamen hanc tutelam nõ ex aliqua sordida parcitate & auaritia adhibet, subdit. n. *Cibos autem pigros non manducauit.* i. diu seruatos & cohibitos, quasi dicat, mulier hæc seruat, claudit que res: sed tamen non sordidè reseruat, ac cohibet, sed liberaliter dispensat: numquã. n. cibos pigros, i. diu retentos habet (Quemadmodum enim aquæ pigræ dicuntur stagnantes, sic etiam cibi pigri appellantur cibi diu retenti, & in penu asseruati) sed illico distribuit, ac consumit.

Ad extremum subiiciendus est Aug. qui hæc verba ad Ecclesiam sic inuertit, & locum aliter conuertit. *Seueræ conuersationes domus eius: cibos autem pigros non comedit: seueræ, inquam, fortes, districtæ: non est vbi diffluatur, non amat dissolutionem, & meritò tantùm acquisiuit, quia cibos pigros non comedit.* Hæc verò Aug. lectio aliam offert expositionem ad hunc modum. *Seueræ conuersationes domus eius.* i. in domo eius non laxior, sed seuerior, atque districtior disciplina seruatur, omnes in officio continentur, & ipsi ad nutum obsequuntur. Sed tamen facilè omnes, & seuerioris displicinæ regulas subeunt, ipsa duce, *quæ cibos pigros numquam comedit.* i. numquam otiosa vescitur, sed laborem semper ante mensam præmittit. 166. August.

De Virgine Deipara.

167. Cùm ex Patribus nihil occurrat, id tantum dico, præfatas expositiones pro re nata Virgini accommodari posse, præsertim duas extremas, quarum altera ad liberalitatem illius spectat, altera ad disciplinam & leges quas sui studiosis imponit, non laxas, sed seueras & districtas: de quibus audiendus est Bernardus in meditatione deuotissima super Salue. *O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis, ô vita quæ nutris tuos cœlestibus alimentis, qui enim vult te habere se affigat, delitias respuat, delicata quæque contemnat, & qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebit.* Verè quidem seueræ, atque rigidæ conuersationes domus eius, quæ tam seueros, atque graues mores postulant. Bernard.

---

28. *Surrexerunt filij, & beatissimam prædicauerunt: vir eius & laudauit eam.*

168. Surrexerunt *filij*, &c. Hebr. *& beatificauerunt eam.* Chald. *& Beatitudinem illi dederunt.* Sept. longè aliter, nam iterum reponũt illa verba. *Os suum aperuit sapientiæ*, &c. & cum his ad hunc modum connectunt. *Os suum aperuit sapienter & congruenter legibus: eleemosyna autem eius suscitauit filios eius, & ditati sunt, & vir eius laudauit eam.* Sic habet codex Vaticanus: eius verò Scholiastes sic lectionem recenset, vt existimet tùm hanc, tum superiorem translationem esse duas eiusdem loci lectiones. Quapropter posteriorem hanc omiserunt Codices Complutensis, & Regius qui absolutè ad hunc modum conuertunt. *Surrexerunt filij eius, & diuites facti sunt.* cum his cohæret D. August. loco citato. Effecit hoc ambiguitas vocis יאשרוה *Ieasroach*, quæ potest sumi actiuè & passiuè, scilicet, *beatificaue runt*, seu, *beatificati sunt.* Symmachus & Theodot. concinunt cum nostra. August.

Sensus facilis & apud interpretes obuius sic habet. Filij huius gloriosæ matronæ tantis eius rebus gestis excitati ad eam laudandam vbique prosiliunt, & vir eius commendationes illius non solùm opportunè commemorat, sed (si licet dicere) importune ingerit. Obseruat autem Iansenius domesticis & propriis, scilicet filiis ac marito, potius quàm aliis externis laudes huius mulieris tribui à Salomone. i. quia domi se continens aliis eius laudes nequaquam perspectæ erant: itaque obiter laudatur illius modestia, & pudicitia. Deinde quia cùm matronæ optimæ laudes in domesticę rei administratione, filiorum educatione, & his similibus, quæ intra penates actitati solent, Iansen.

solent.præcipuè spectetur,hæc sanè à solis domesticis perspici & certò sciri poterant. Itaque interim ostendit illam metas,ac terminos officiorum suorum non excessisse:hæc est vulgò trita interpretatio.

169. Rodolph. Rodolphus autem aliam offert, quæ mihi sanè perplacet ad hunc modum, *Surrexerunt*, i. *Creuerunt*, *seu adoleuerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt*, non tàm voce,quàm studiis,atque moribus suis,quos à matre hauserant, & expresserant. Nam, vt supra diximus cap. 10. vers. 1. filii matrizare solent,hoc est, matrum mores,& ingenium, studiis atque moribus suis referre,hinc est,vt filii probi,& studiosi, matribus maximam gloriam & decorem afferant:quia testatur illas simili probitate,ac studio præditas:Deinde quia filiorum educatio & institutio potissimùm ad matres spectat, atque adeò cùm hi adoleuerunt, & propter indolem suam & bonos mores educationis bonæ testes,cunctis spectabiles & grati sunt,parentes suas celebrant:hoc est,laudari ab omnibus,ac deprædicari faciunt. *Vir eius & laudabit eam*. Vir etiã non tantùm voce,sed etiam moribus suis, mulierem hanc dilaudare,& commendare dicitur,quia viri facilitas,lenitas & suauitas morum ad vxorem magna ex parte spectat,& ab illius moribus pendet. Vtque mulieris bonæ beatus vir,sed eius beatitas ad mulierem redit: beati enim viri beata prorsus & fœlix vxor est. Itaque probitas vxoris in virum redundat, & à viro in ipsam cumulatiùs recurrit hæc de Vulgata lectione.

170. Prior translatio Septuag. quæ in correctiori Sixti codice habetur, sensum alium reddit. Ordiri autem libet ab illis verbis. *Eleemosynas autem eius filii eius, & ditati sunt, & vir eius laudauit eam* (nam priora iam inde expendimus vers. 26.) Itaque ait mulierem hanc fortem eleemosynis, atque magnificis largitionibus,quas hactenus commendauit,non depauperasse,aut dehonestasse filios suos:sed ex aduerso eos honestasse plurimum,atque facultates eorum amplificasse. Occurrit autẽ eorum opinioni qui auaritiæ, ac sordibus obsequentes propterea eleemosynis parcunt, ne filios suos pauperes relinquãt:in quã opinionem multis inuehitur D. Basilius hom. in ditescentes auaros, & Chrysostom. passim. sed tùm maximè in hom. de eleemosyna ad Popul. Quod si cum Augustino atque aliis legamus. *Surrexerunt filij, & ditati sunt*, sensus erit, tantas opes industriã suã cumulauit,vt filiis surgentibus, i. à domo patria excedentibus. & in proprias post nuptias migrantibus, diues patrimonium impenderit. Et hæc est potissima causa, propter quam maritus vbique illam laudibus prosequitur,est.n.ante alias publica,quæ publicè celebrari potest:reliqua enim priuata sunt & domestica. August. verò hanc lectionem Ecclesiæ per accõmodationem tribuens sic scribit. *Surrexerunt filij*, &c. *Nos eam laudabimus,sed non de nostro,ipse vir eius laudauit eam. Quando surrexerunt filij eius,& ditati sunt, tunc attendit eam,inspexit eam, & laudauit eam. Laudauit,inquam,eam in resurrectione,videns eam cum tãta multitudine filiorum diuitum in resurrectione mortuorum.* Sed de accommodatitiis lege plura apud Salonium,Bedam,Hugonem & alios supra adscriptos.

Basil. Chrysost. Augustin.

De Virgine Deipara.

171. *Surrexerunt filij,& beatissimam prædicauerunt*, &c. Vterque sensus præmissus in Virginem accommodatè cadit. Nihil sanè antiquius filiis, atque sponso Mariæ,quàm vt ipsius laudes vbique decantent: dicamus aliquid de laudatoribus Mariæ. Duos quidem Deiparæ commendatores numerat hîc Salomon: filios quidem atque virũ eius:per *filios* intellige ipsius

A studiosos amatores, quos ipsa materno studio complectitur:per *virum* eius sponsum Spiritum sanctum. Et quidem laudes Mariæ non ab aliis, quam ab his filiis & sponso vsurpari par erat. Ad filios spectat illud,quod D. Basil. Seleuciæ Episcopus scribit in oratione de Annunciatione. *Non est*,inquit, *quorumlibet promeritas laudes Virgini persoluere,sed eorum, qui diuina gratiæ lumine insigniter illustrati sunt,& ipsam tenerrimè amant*. & supra. *Opus hoc eorum esse iudico,qui sublimium rerum contemplatione plurimùm valent,corpusque,& animam probè repurgatam habent*. nimirum tamquàm filii parentem suam: nam filiorum in matrem tenerrimus amor est. De Spiritu sancto illius sponso sic Diu. Ildephon. de Virginitate Mariæ c. 3. *Spiritus sanctus de illa per Prophetas prædixit, per oracula intimauit,per figuras intonuit,per præcedentia promisit,per subsequentia compleuit*. Et infra in tract. de Virginitate & partu eiusdem Mariæ affirmat. *Pro illius excellentia depugnare opus esse Spiritus sancti & virtutis Altissimi,quia eam obumbrauit*, scilicet tamquã sponsus sponsam suam. Et D. Bonauent. in Psalt. sic scribit. *Iucundus homo qui non satiatur in laude tua, exortum est in corde illius lumen Dei, Spiritus sanctus illuminat intelligentiam eius*. Sed cur tanti laudatores ad Virginem commendandam accersuntur? Causa in promptu est, quia laudum ipsius campus immensus,& seges nulla vnquam linguarum facundia demetenda. Vnde D. Damascenus in oratione 2. de Natiuitate, *Virgo*,inquit, *omnium encomiorum legem excedit, nec si omnes in toto orbe dispersæ linguæ in vnum coeant eius laudes oratione consequi possent*. Libet hic attexere Petri Comestoris carmen vulgò celebratũ.

Basil. Seleu. — Ildephons. — D. Bonau. — 172. — Damasc. — Petr. Com.

Si fieri posset,quod arenæ,puluis,& vndæ,
Vndarum guttæ,rosa,gemmæ,lilia,flammæ,
Æthera,cœli,oles,nix,grando, sexus vterque
Ventorum pennæ,volucrum,& pecudum genus omne
Syluarum rami, frondes, auium quoque pennæ,
Gramina,ros,stellæ,pisces,angues,& aristæ,
Et lapides,montes,conualles, terra,dracones,
Linguæ cuncta forent minimè depromere possent,
Quæ sit,vel quanta Virgo Regina Maria.
Quæ tua sit pietas,nec littera,nec dabit ætas.

Ergo cùm tã immensus sit laudis Marianæ æquor, propterea filii eius amatores ad laudes ipsius inuitãtur,nõ quia aliquis eorum,vel omnes pariter in eius præconia conspirantes aliquid dignitati illius æquale afferre possint, (optimè enim præfatus Basil. Seleuciæ Episcopus. *De Virgine,qui omnia illustria, & gloriosa dixerit,nunquam is à veritatis scopo aberraret: attamen dignitatis magnitudinem nullã vnquam oratione exæquabit.*) sed quia cùm impar laus affertur,affectus & voluntas expenditur, & quidquid deest laudationis,ipsa animi contentio compensat, de qua re multis agit Bernard. in sermone de Beata Maria. Rursus filij amatores Virginis ad eius laudes celebrãdas appellãtur,quia nemo in Mariæ laudibus dignè versari potest,nisi illi Virgo ipsa dicenti præsto sit: hoc vero auxiliũ libentius amatoribus suis impẽdit. *Quomodo* (inquit Basil. præfatus) *clementiæ fontem prædicabo? quomodo benignitatis fluuium celebrabo? quomodo Virgineum illud pelagus cantabo? Deipara ipsa & mater mea me veluti imperitum natatorem veterem hominem,qui secundùm errorum desideria corrumpitur,exuere docueris,mentisque meæ os misericordia plena ad partus tui profunditatem deduxeris, quo misericordiæ tuæ, seu olei cuiusdam lumine collustratus, veritatis margaritam inuenire queam. Fer opem, quæso vt illam te adiuuante cõprehendam,effice,obsecro,vt abs te doctus cõmodè de te dicere valeã.* Sed quia omne præconiũ humanæ linguæ,imò etiã Angelicæ,tantis laudibus lõgissimo interuallo impar est. (*Quanã mẽs*,inquit Bernard. in

Basil. Seleucia. — Bernard.

in ſermone 4. de Aſſumptione) *etiamſi Angelica ſit, dignis extollat laudibus Virginem matrem*, vbi eandem Virginem *indicibilem* eſſe affirmat :) operæ pretium fuit vt laudes illius ſponſus, hoc eſt, Spiritus ſanctus ſuſciperet celebrandas, vt nuper dixi.

173. Secunda etiam expoſitio Virgini aptari poteſt. *Surrexerunt filij, & beatiſſimam prædicauerunt*, non tàm voce, quàm moribus. Nihil magis Virginem commẽdat, quàm filius illius vnigenitus Chriſtus Dominus, cuius omnis laus in Virginem redundat. Sic Baſilius vbi ſupra. *Per quæ namque Chriſtum laudamus, per eadem matrem eius prædicamus: nam filij laus tota in parentem redit.* Nam, vt aliàs non ſemel dixi, Chriſtus matris ſuæ moribus perquàm ſimilis extitit, vt verus ac naturalis filius eius exiſtimaretur : filii ergo mores matris ſuæ mores prodebant pariter, atque commendabant. Sed præter Chriſtum ſubeſt quoque innumera alia filiorum turba ex adoptione, quæ Virginem beatiſſimam moribus ſuis prædicant, quorum ſignifer Ioannes Euangeliſta: quem Chriſtus ipſe parentis ſuæ filium nuncupauit, & ipſe ſtudiis ſuis non parum Virginem beauit. Quid referam Bernardos, Damaſcenos, Anſelmos, atque innumeros alios Virginis dilectiſſimos filios ? &c.

Baſil. Seleucia.

29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

174. Multæ filiæ, &c. Hebr. ad verbum. *Multæ filiæ fecerunt virtutem, & tu aſcendiſti ſuper vniuerſas ipſas.* Occurrit autem pro virtute vox חיל *Chail* quæ ſignificat *exercitum, robur*, aliquando etiam pro *diuitiis* accipitur, præſertim cùm adiungitur verbo *facio*. N. 14. v. 18. *Iſrael facit ſubſtantiam*, i. diuitias. Hieron. *Iſrael faciet fortiter*, ſed Thargum tranſtulit, *Iſrael proſperabitur in diuitiis*. Deut. 8. *Dat tibi robur ad faciendam ſubſtantiam*. i. diuitias, & alibi. Et quidẽ vox *Chail*, vt quidam volunt, fluit à radice חול *Chul*, id eſt. *peperit*, vel *enixus eſt*. Itaque partas opes ſignificat, nimirũ labore quæſitas, & lucratas: ſic etiam Latini, *bona parta* dicunt, ſcilicet ex proprio labore tamquã ex partu, & nixu quodam, ex quo liquet, quàm appoſitè vſus ſit Salomon eâ voce in hoc loco ad ſignificãda bona, quæ mulier hæc fortis induſtriâ ſuâ parauit. Sept. *Multæ filiæ acquiſierunt diuitias, multæ fecerunt virtutem, tu autem eminus ſupergreſſa es vniuerſas.* Itaque Septuag. vtramque ſignificationem ſuâ tranſlatione complexi ſunt. Ita enim ſolemne eſt ſacris illis interpretibus, vt ſæpiùs cum vox aliqua anceps occurrit, vtramque ſignificationem exprimat, quod aliàs non ſemel obſeruaui. In quibuſdam etiam codicibus ſic legere licet. *Multæ fecerunt potentiam, multæ fecerunt virtutem.* Sententia verò ſimilis eſt. D. Aug. extrema verba ſic conuertit. *Multæ filiæ fecerunt potentiam, tu autem ſuperaſti & ſuperpoſuiſti omnes.*

Num. 14.

Deut. 8.

Interpretes verba iſta ſic capiunt, vt ſonant, quaſi dicat; Multæ quidem induſtriæ, atque ſolicitæ fœminæ labori incumbentes opes ſibi pepererunt, ſed tamen tu cunctas coactis opibus facilè ſuperaſti: eundem ſenſum reddit illa lectio. *Multæ fecerunt virtutẽ*, id eſt, magnâ virtute contenderunt diuitias ſibi parare; necnon illa. *Fecerunt potentiam*, quod reſpondet vulgari modo loquendi *Hiz ièron lode potentia. Tu vero aſcendiſti ſuper vniuerſas*, id eſt, quemadmodum omnes induſtriâ facile ſuperaſti, ſic etiam lucris & quæſtu viciſti. Poſſunt etiam illa verba, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias*, ſic intelligi, multæ ſcilicet mulieres laborioſæ lucra ſua in cumulum vnum contulerunt, tu verò eorum omnium coactas opes ſuperaſti.

A De ſenſu accommodationis latè Auguſt. eò loci, Beda, Hugo, Salonius, & alij in hæc verba.

De Virgine Deipara.

Locum iſtum præter Eccleſiam Virgini dedunt Bonauentura in ſpeculo, D. Bernardinus in ſermone de Annunciatione. Ioannes Getſon, & alij non pauci, quorum verba infra opportunè ſubiiciam. Et quidem hic locus Virgini etiam adaptandus eſt, vt ſonat. Quia verò illa vniuerſalis propoſitio, *Tu ſupergreſſa es vniuerſas*, poteſt accipi collectiuè, & diſtributiuè, ſenſus euadit duplex. Prior eſt ad hunc modum. 175.

Bonauent. Bernard. Bernard. Gerſon.

Multæ filiæ congregauerunt diuitias, id eſt, multæ animæ iuſtæ ſtudio incredibili ſibi merita compararunt: B tu verò viciſti vniuerſas, id eſt, omnibus ſigillatim enumeratis nulla eſt quæ ad meritorum tuorum cumulum longo interuallo peruenerit : id verò certo certiùs eſt, adeò vt ſine iniuria fidei refelli non poſſit: vt docet Pater Franciſc. Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 2. diſp. 18. ſect. 4. Imò potiùs ex conſenſu præfati Patris: nec non Patris Gabrielis Vaſquez, qui ſuam ſententiam contra Caietanum Diuo Thomæ adſcribunt, in prima ſanctificatione maiorem gratiam Virgo adepta eſt quàm ſupremus Angelus, & digniſſimus beatorum omnium. Sed Vaſquez non admodum fidit teſtimoniis Patrum, quibus Suarez hanc ſententiam ſtabilire contendit, aque adeo ad rationẽ C ſeſe recepit, quam ſic conformat: Decens, inquit, fuit vt quæ tunc in reginam Angelorum omnium & hominum ſanctificabatur, ea iam tunc gratia ornaretur, quæ omnes vel homines, vel Angelos ſuperaret. Imo potius ex Mariæ regno & imperio ampliorem gratiam in Virgine fuiſſe, quàm omnes ſimul homines & Angeli obtinuerint, infra conficiam, quod de prima illius ſanctificatione affirmare non auſim.

Suarez. Vaſquez.

Ergo vt alia Patrum teſtimonia miſſa faciam, quę huic ſententiæ nihil roboris præſtant, Damaſceni verba ſubnectam, qui de Virginis natiuitate verba faciens, eam in ipſa natiuitate iam tunc Angelorum atque hominum celſitudinem ſuperare dicit. *Vos*, inquit, *piè ac ſanctè in humana natura verſate Angelis* D *ſuperiorem, ac nunc Angelis ipſis dominantem filiam extuliſtis.* Pende aduerbium illud *nunc*, quod ſanè ſignificat eam præſtantiam ab ipſa natiuitate auſpicari: & perbreui interſtitio ſic attexit. *Hodie mundi ſalus inchoauit, exultate montes, hoc eſt ratione prædita naturæ, quæque ad ſpiritualis contemplationis faſtigium aſſurgitis, ſiquidem clariſſimus Dei mons paritur, mons, inquam, ille, qui collem omnem, ac montem, id eſt, Angelorum, atque hominum ſublimitatem exuperat. Exuperat*, inquit de præſenti, non autem *exuperabit*, de futuro, innuens ſcilicet eam in ipſa natiuitate Angelos, atque homines gratiæ affluentia antecellere, à natiuitate verò ad eius conceptionem & primam ſanctificationem regredi, & hanc excellentiam ab eo tẽpore E deriuare non eſt abſurdum: imò conſonum valdè rationi fuit, vt Virgo ſanctiſſima ab ipſo ſuæ ſãctitatis exordio eâ gratiâ donaretur, quæ reliquos ſãctos lõgo interuallo vinceret. Decuit enim vt ab eo inſtanti, quo concepta fuit, & in rerũ natura ſubſtitit, nulla Deo gratior creatura exiſteret, quàm Maria: Nã cùm ipſam ex tunc ad matris dignitatem aſſumere iam Deus decerneret, quæ omnes alios hominum & Angelorum dignitates, & excellentias immenſo interuallo ſuperat, ſanè vt iſta Dei electio conſentanea rationi foret, oportebat, vt iam tunc gratior omnibus exiſteret, cui iam tunc præ cæteris nobilius donum comparabatur. Neque verò exiſtimo Virginem ſanctiſſimam ab ipſo ſuæ conceptionis inſtanti in matrem Dei efficaciter electam : Nam cùm conſtans 176.

Damaſcen.

sit Theologorum & Patrum sententia, illam matris dignitatem meritis suis aliquâ ratione, saltem de congruo, obtinuisse, fieri non potuit, vt in eo suæ conceptionis articulo efficaciter eligeretur, quin merita illius absolutam Dei voluntatem præirent, quia omnis efficax Dei electio ad eam rem, quam pro meritis donare decreuit meritorum præuisionem insequitur.

177. Obiicies tamen sic, si Mariæ efficacem electionem in matrem vsque ad præuisionem meritorum moremur, nulla satis robusta ratio probat illam in prima sanctificatione tantam gratiæ vim adeptam fuisse. Nam cùm hæc ideò à nobis asseratur, vt digna Dei mater existeret, eamque dignitatem succedentibus meritis comparare potuerit, sine fundamento aliquo eam ab ipso conceptionis instanti auspicamur. Respondeo Virginem illo primùm actu non quidem omnino promeruisse maternitatem Dei, sed promereri cœpisse, atque meritum hoc reliquis postea actibus auctum tandem extremâ illâ actione consummasse, qua Angelo nuntianti respondit. *Ecce ancilla Domini fiat*, &c. Vt docet August. serm. 1. de Annunciat. Damasc. lib. 3. de Fide. c. 2. Rupertus lib. 1. de Operibus Trinitatis, c. 9. & ex his alii. Oportebat autem vt ab illo actu, quo merita illius ad maternitatem obtinendam acceptari, & Maria à reliquis discerni cœpit, tanta esset ipsius dignitas, vt meritò discerni videretur, & ipsa matris dignitas ita postulabat, vt primum meritum, quod ad ipsam obtinendam Deus acceptabat, ingens esset.

Augustin.

178. Sed quia de assensu, & obedientia Mariæ, quam verbis illis insinuauit sermo incedit, addo illam non solùm maternitatis merita eo actu consummasse, sed etiam ipsius incarnationis accelerationem, & copiosiorem cum ipsa dignitate gratiæ influxum meritis suis impetrasse. Addo etiam ipsammet generis humani salutem ex quadam decentia, & congruitate promeruisse. Hæc fuit Augustini mens loco citato, vbi illius meritum tantopere extulit, vt ex illa saluté generis humani quodámodo pendere voluerit. Præterea D. Bernardinum Senensem, qui sermoñe de Annunciatione dicit Virginem nobilissimo illo obedientiæ actu plus meriti apud Deũ obtinuisse, quàm reliquas simul creaturas omnibus suis actibus, quod D sanè an verum sit, infra explicabimus. Illud mihi suadet huius obedientiæ magnitudo, scilicet Virginem per illam id fuisse adeptam, vt nihil gratiæ, doni, vel auxilii cœlitus ad nos deriuetur, in quo Mariæ voluntas non intercedat: ita enim decebat, vt Deus, qui voluntati illius Christi incarnationem, quod operũ Dei præstantissimum est, quodammodo subiecit, reliqua etiam minora opera deinceps voluntati illius condonaret, quæ ex incarnatione pendent, & cum ipsa connexionem habent. Ea fuit mens Diui Irenæi. lib. 3. aduersus hæreses. c. 33. *Sicut Eua*, inquit, *inobediens facta & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis, sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen virgo obediens sibi & vniuerso generi humano causa facta est salutis.* Et alibi idem Irenæus. *Quid est*, inquit, *quod sine Mariæ consensu non perficitur mysterium incarnationis? Quia nempe vult illam Deus omnium bonorum esse principium.*

Bernard. Sen.

Iren.

179. Sed licet verum non esset Virginem ab ipso suæ conceptionis instanti ad eum sanctitatis cumulum peruenisse, vt singulos Angelos, atque homines superaret, tamen certo certiùs est eam deinde præstantiã succedentibus meritis obtinuisse. Diuus Epiphanius in oratione de laudibus Virginis, *Solo Deo excepto cunctis superior existis.* D. Gregor. lib. 1. Reg. cap. 2. *Mons fuit beatissima Virgo quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ sublimitate transcendit.* Cum his concinunt verba Damasceni, quæ supra dedi. Ba-

D Epiph.

Gregor.

A silius Seleuciæ Episcopus in hom. de Annunciatione. *Quæ dona*, inquit, *offeremus ipsâ non digna. quippe quæ tanta sit, vt vniuersa, quæ mundi ambitu continentur, cum illius dignitate comparari non valeant. Si enim Apostolus de aliis Sanctis verè asserit, quibus dignus non erat mundus, quid de Deipara Virgine cogitare nos par est, quæ vniuersos Martyres tantùm excedit, quantum sol reliqua astra?* Accedit Idiota, qui sic ait, *Sanctorũ omnium priuilegia Virgo omnia habes in te congesta. nemo æqualis est tibi, nemo maior te, nisi Deus.* Item D. Iacobus in sua Lithurgia. *Dignum*, inquit, *est, vt te verè beatam dicamus, honorabiliorem, quàm Cherubim, & gloriosiorem, quàm Seraphim.* His quàm simillima verba habent S. Ephrem in oratione de laudibus Virginis, Chrysostom. in hom. de Natiuitate, apud Metaphrastem, P. Damian. in sermone de Natiuitate, ab illis verbis. *Quid grandius Virgine*, vbi inter alia sic ferit. *Attende Seraphim, & in illum superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.*

Basil. Sele.

Idiota.

D. Iacob.

S. Ephrem.

S. Chrysost.

Pet. Dam.

180. Quod si roges quantus fuerit excessus iste, quo Virgo præ cæteris sanctis fulsit, D. Basilius Seleuciæ Episcopus tantumdem reliquis sanctis præstare dixit, quantùm sol astris reliquis. *Quæ vniuersos*, inquit, *Martyres tantùm excedit, quantùm sol reliqua astra.* Eadem similitudine vsus est P. Damian. vbi supra, cuius verba postea dabo, & Rupertus lib. 8. de operibus Spiritus sancti, nescio an alii. Secundò Pseudo Hieronymus in sermone de Assumptione Virginis, excessum illum, quo Virgo cæteris præit, cum eo cõparat quo Deus Virginem ipsam antecellit. *Sicut in comparatione*, inquit, *Dei, nemo bonus, ita & in comparatione matris Domini, nullus perfectus inuenitur, quamuis virtutibus eximiis comprobetur.* At, inquies, inter bonitatem Dei, atque alterius cuiuslibet sancti infinitum versari excessum? Fateor quidem, sed audi Damascenum oratione prima de dormitione Virginis. *Dei matris ac seruorum Dei infinitum est discrimen.* Sed tamen hæc per quandam hyperbolem pronuntiant isti Patres.

Basil. Seucia

Petr. Dam.

Rup.

Pseudo Hieronym.

Damasc.

181. Illud sanè in ancipiti est, an excessus iste non solùm talis sit, vt Virgo singulorum merita cum singulis collata excedat, sed etiam omnium hominum atque Angelorum vnum in cumulum coniecta merita superet, & gratiam vincat. Ita vt verba illa, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*, in posteriori sensu illi adscribi possint: nimirum etiam si omnes animæ iustæ, & omnes spiritus Deo grati suorum meritorum lucra in vnum cõferant, tu Virgo sanctissima omnes facilè superas. Et quidem non longè ab hoc sensu abit D. Bonauentura in speculo, nam licet cap. 8. iuxta priorem sensum sic scripserit. *Et quia Dominus opulentissimus opulentissimè est tecum, ideo tu es opulentissima, siue ditissima secum, vt ita verè dici tibi possit illud Prouerb. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Filia Agnes, filia Lucia, filia Cæcilia, filia Agatha, filia Catharina, & multæ aliæ filiæ, & multæ aliæ Virgines sanctæ, & multæ animæ iustæ congregauerunt diuitias virtutũ, & gratiarum, diuitias meritorum, & præmiorum: sed Maria vniuersis diuitiis supergressa est excellentissimè vniuersas.* Nimirum vniuersis diuitiis aucta, & ditata, vniuersas superauit: quæ verba de diuersis spiritualium diuitiarum speciebus accipi debet. Tamen cap. 10. vbi iterum incidit in hæc verba, absolutissima quædam verba promit, quæ ad secũdum sensum referri posse videntur. *Supergressa*, inquit, *est Maria cũctas filias, supergressa est in natura, supergressa est in gratia, supergressa est in gloria, vniuersas filias, id est, vniuersas animas & vniuersas intelligentias Angelicas,* nimirum

D. Bonau.

nimirum has & illas per cumulum acceptas. Sed luculentius loquitur c. 2. *O quàm longè*, inquit, *ab isto vae multitudinis tormentorum fuit in Maria multitudo præmiorum, & meritorum, cui contra multa damnatorum mala in inferno iam Deus præparauerat multa bona in cælo, ita vt nullus Angelus, nullus sanctorum ei æquari possit, in multitudine & congregatione bonorum cælestiũ, iuxta illud, Multæ filiæ, &c. Si filias istas intelligamus sanctas animas, vel intelligentias Angelicas, numquid non supergressa est diuitias Virginum, Cõfessorum, Martyrum, Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharũ, Angelorum? cùm ipsa sit primitiua Virginum, speculum Confessorum, rosa Martyrum, registrum Apostolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, Regina Angelorum? Quid enim de diuitiis omnium horum illi defuit? Hieronymus enim ait, Mariam si diligentius aspicias, nihil splendoris est, nihil speciositatis, nihil candoris & gloriæ quod in ea non resplendeat.* Pende illud, *Quid de diuitiis horum omnium illi defuit*, ac confer cũ his, quæ ipse statim attexit capite sequenti, vbi Mariam cum mari contulit, in quam omnes omnium gratiæ, ceu flumina quædam magna, collectis vndique singulorum riuis fluenta sua exonerant. Quæ verba paulo post subiiciam, & expendam.

Nec verò existimo in his sententiam illam expressè tradi, sed tantùm insinuari contendo. Sed expressa hæc Salomonis verba de prædicto excessu Angelorum omnium accipit D. Bernardinus, tom. 2. serm. 51. art. 3. c. 1. vbi sic habet. *Virgo beata in Conceptionis filij Dei consensu plus meruit, quàm omnes creaturæ, tam Angeli, quàm homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus suis: nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundùm varios status, & gradus, gloriam sempiternam: hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum*, &c. *Bernard. Sen.*

Præter D. Bernardinum hanc sententiam de præfato excessu Marianæ gratiæ, ante nostram ætatem vnus quod sciam Balthasar Sorius Dominicanus in Mariali serm. 2. de Conceptione expressè tradit his verbis, *Maior enim plenitudo gratiæ affluxit à Christo, siue per fidei intentionem, antequàm incarnaretur, siue per effectiuam causalitatem postquam incarnatus est, in Matrem propriam, quàm in totam residuam Eccles.* ac deinde explicans quid nomine Ecclesiæ capiendum sit ita subdit: *Ecclesia autem siue in Angelis, siue in primis parentibus, siue in Abel secundùm diuersitatem tẽporum, & acceptiones illius consideretur.* Ex Theologis verò Scholasticis hoc tempore hanc quæstionẽ primus fœlicissimè disceptauit Pater Franciscus Suarez, & incredibili pietate affirmatiuam sententiã amplexus est 3. p. tom. 2. disp. 18. sect. 4. Eius vestigia pressit P. Barradas tom. 1. lib. 6. c. 10. Dissentire autem videtur Vasquez 3. p. tom. 2. disp. 119. cap. vlt. Existimat enim nihil in hac re vel certò constitui, vel coniecturâ probabili inuestigare posse: ea enim erat sapientissimi viri seueritas vt nihil vmquam traderet, quod firmo, stabilique fundamento non incũberet. *Sorius. Suarez. Barrad.*

183. Sed tamen licet ad eam quæstionem, in qua tàm celebres viri tanta cum laude versati sunt, nihil satis dignum à me afferri posse credam, tamen pro meo in sanctissimam Matrem studio eam rursus discutere aggrediar: & vt denique constare possit, verum roboris aliquid habeat hæc opinio, quæ tantam gratiæ, ac meritorum vim Mariæ tradit, quanta in omnibus simul sanctis existit, certa ab incertis, & firma quædam ab infirmis secernam.

Primò igitur illud mihi exploratum est ex Patribus, si vnum excipias D. Bernardinum Senensem (cuius verba postea subscribam) nullum hanc sen- A tentiam ita expressè, & clarè docuisse, vt non possit in aliam detorqueri. Sed immeritò duxit Vasquez, ne in mentem quidem hanc quæstionem sanctis Patribus venisse. *Vasquez.* Nam existimo illos quædam alia de Virgine pronuntiasse, ex quibus hæc sententia probabili consequutione infertur, & quædã item alia, quæ vix, aut nulla ratione constare possunt, nisi huic doctrinæ innitantur, & incumbant. Quapropter nouum videri non debet id, quod licet in Patribus non sit omnino expressum, latet tamen in eorum scriptis, adeò vt vel leuiter attria huius veritatis scintillæ quàmplurimæ promicent.

184. *Suarez.* Secundò P. Suarez vt immensum quemdam meritorum cumulum in Virgine aucupetur, mirabilem B quandam supputationem init, per quam probat primò Deiparam secundùm omnes gradus intensionis habitus charitatis, & gratiæ semper operatam fuisse, adeò vt præexistentis iam habitus totã vim sequenti actu exhauriret, quod à simili ex Angelis viatoribus confirmat, tùm etiam quia nihil in Virgine erat, quod vim istam habitus hebetaret, non fomes, non suggestio, &c. Ergo Virgo in sua prima sanctificatione maiorem gratiam, & charitatem adepta fuit, quàm supremus Angelus, aut fœlicissimus beatorum, vt nuper diximus. In priori actu charitatis secundùm totam intensionem præcedentis habitus operata, ipsũ gratiæ habitum conduplicauit: (putat enim Suarez tot gradus intensionis gratiæ accedere, quot actus ipse habuit.) Rursus per secundum actum triplicauit, ac per tertiũ quadruplicauit, qui eam planè sup- C putationem conficit, quam rationarii Arithmetici in tabula aleatoria subductis tritici granis construunt, cui tantopere tribuit hic sapientissimus vir, vt putet extremo charitatis actu, quo Virgo Maria vitam denique absoluit, gratiæ, ac meriti maiorem cumulum obtinuisse, quàm reliquo totius anteactæ vitæ decursu. Cæterùm huic supputationi ego non admodùm fidendum esse puto: nam actus charitatis intensio, aut remissio, non ex præexistenti habitu, sed ex auxilio gratiæ mensurari debet. Nam quantumlibet intensus sit habitus, si auxilium gratiæ, vel sancta cogitatio sit remissior, actus etiam erit remissior, & è contra, licet habitus præexistens sit valdè remissus, si D auxilium sit intensius, actus quoque intensior euadet. Non est autem caput aliquod ex quo satis robustè colligamus Virgini semper auxilia intensioni habitus æqualia fuisse donata, ita vt totam vim habitus semper exerens actus promereret habitui præexistenti omnino pares: Imo potius nullus est actus habitui æqualis eo modo, quia vel æqualis actus dicitur is, quem habitus potest producere: Eiusmodi autẽ nullus est determinatus, quia nulla intensio talis actus assignari potest, quã maior vel minor crescente, aut decrescente auxilio ab habitu magis aut minus intenso produci non possit. Vel is dicitur actus æqualis, qui intensionem habet habitui parem, talis autem æqualitas frustra in actionibus Virginis quæ- E ritur, cum non commensuretur cum efficacia eiusdẽ habitus, vt dictum est. Ratio enim nuper facta hoc postulare videtur, vt habitus cunctam efficaciã suam exprometet, aliter nihil præstat. Deinde cùm actus charitatis habitum gratiæ non physicè, sed meritoriè efficiat, non est credendum intensionem intensioni respondere: ita vt ex actu tres gradus intensionis habente par intensio habitui charitatis accedat, (hoc enim etiam in physicis probare non esset facile:) nã meritum non semel ex intensione actuum, sed etiam ex duratione, ex difficultate, & ex quibusdam aliis circunstantiis aucupari debet, quapropter præfatæ supputationis vim satis assequi non possum.

185. Sed licet inde non satis efficaciter ingens Mariæ meritum,

meritum,& gratia colligi possit, potest tamé ex aliis capitibus robustius & solidius deprehendi. Primò ex magna gratiæ affluentia, quæ ipsi in prima sanctificatione refusa est, de qua nuper diximus. Secundò ex continuo & non interrupto merito, quod plurimi haud temerè illi tribuunt. Tertiò ex perpetuo etiam, & nunquàm intercepto charitatis exercitio, quod nos etiam suprà v. 22. eidem dedimus. Quartò ex sacramentorum vsu. Quintò ex actione illa heroïca & satis difficili, quam illi Dei atque hominum amor expressit, & quam passim iterabat, filium suum pro salute humani generis morti deuouens, cuius actionis meritum iam inde expendimus c. 8. vers. 19. Sextò ex assensu, quem Angelo incarnationem nuntianti præbuit, cuius actionis meritum magnopere extollunt Patres, vt nuper vidimus. Septimò ex superueniente Spiritu sancto, qui filium Dei visceribus eius inclusit, animæ verò illius immensam quamdá gratiæ vim infudit, vt Patres passim decantant.

186. Hæc sunt solida fundamenta Marianæ gratiæ aucupandæ, quibus Sancti tantum tribuendú esse censuerunt, vt Mariæ gratiam immensam, & infinitam audacter appellauerint. Diuus Epiphanius in oratione de laudibus Virginis. *Gratia*, inquit, *sanctæ Virginis est immensa* D. Anselm. in lib. de excellentia Virginis, *Immensitatem*, inquit, *gratiæ tuæ & gloriæ considerare cupienti, ò Virgo, sensus deficit, lingua satisfacit.* Damascenus oratione secunda de dormitione Virginis. *Virgo*, inquit, *vitæ thesaurus, gratiæ abyssus immensa.* Cæterum hanc gratiæ immensitatem luculentissimè asserit, & comprobat. D. Bonauentura in speculo cap. 5. *Immensa*, inquit, *fuit gratia, quæ vero fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum: Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo maior fuit, continere potuit.* Et perbreui interuallo subiicit. *Tu ergo immensissima Maria capacior es cælo: quia quem cæli capere non poterant, &c. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, &c. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente; & si capacitas tam immensa fuit, oportuit quidem vt illa gratia, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa*, hæc ille, qui tantoperè extollit gratiam Mariæ, vt cautè legendus videatur. Quemadmodum etiam Petrus Damian. qui in sermone de Natiuit. Virginis, de gloria ipsius sic scribit. (*Gloriæ verò, atque gratiæ*, non dispar ratio est) *Gloria, quæ eam ex hoc mundo transeunté excepit, principium ignorat, nec scit finem.* Rursus Bonauentura in speculo. *Virgo*, inquit, *attulit aurum charitatis infinitũ.* Et iterum gratiam eius infinitam appellat. Cæterum nemo propterea existimat gratiam Mariæ, aut gloriam esse verè infinitam: Patres enim hyperbolicè loquuntur, & ob magnitudinem eius incredibilem, immensam, & infinitam appellant.

187. Vel aliter. Immensa ab his fortasse dicitur relatione ad humanum intellectum: quia is eam metiri, & cogitatione complecti non valet. Addo etiam aliquo sensu immensam vocari potuisse, quatenus maxima fuit, quæ de lege ordinaria à Deo cóferri potest; aliis. n. gratiam Deus admetitur: ea. n. mensura ipsis donat, vt gratiæ plurimum donandum supersit, cuius adhuc eorum natura capax est: at Virgini tanta affluentia gratiam impendit, vt naturæ capacitatem expleuerit, & suam etiam quodammodò potentiam Deus exhauserit. Loquor autem de lege, aut potentia ordinaria: Lex. n. Dei ordinaria hoc postulat, vt gratiæ mensura cú dignitate exæquetur, ad quá aliquis deligitur. Cùm ergo pura creatura ad maiorem dignitatem euehi non possit à Deo, quàm ad dignitaté matris Dei, fit quidem gratiam, quæ ei dignitati exæquatur, maximam esse earum, quam Deus de lege, & potentia ordinaria producere potest, & ordinatam etiam creaturæ capacitatem explere, vt supra c. 8. v. 19 latius probaui. Virgini autem gratiam dignitati parem à Deo collatam sentiunt passim doctores cum Diuo Thom. 3. p. q. 7. art. 10. vbi sic ait. *In Matre Dei fuit gratia tali dignitati proportionata.* & D. August. de natura, & gratia *Inde nouimus tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum concipere meruit.* Quid inde?

188. Inde fit quædam satis magna de Virginis gratia enunciari posse. Primò in ipsa esse plenitudinem gratiæ singulari sensu, quatenus creaturæ capacitas præfato modo expleta est. Sic capiendus est D. Cyprian. in sermone de Natiuitate Christi. *Matri*, inquit, *Dei plenitudo gratiæ debetur*, sic etiam Hier. vel si mauis, Sophronius in serm. de Assumptione. *Cæteris datur gratia per partes, Mariæ vero tota se infudit gratiæ plenitudo.* Quæ verba Patrũ familiari vsu deinceps trita sunt, hi sunt, Petrus Chrysolog. sermone 143. Laurent. Iustinianus in sermone de Assumptione, Diuus Bernard. in serm. de Natiuit. Petrus Damianus in sermone eodem titulo Diuus Bonauentura in speculo, & alii non pauci. Et quidem non de diuersis gratiarum speciebus capienda sunt, vt quidam volũt, quasi dicat gratiarum diuersa genera per reliquas partiri, & distribui; in Virgine auté omnia coire. Sed ita, vt sensus sit, gratiam quidem iustificanté aliis particulatim distribui; quia ex gratia, quam Deus creaturæ impendere potest, & cuius creatura ipsa capax est, quandam partem illis erogat: at Virgini tota gratiæ plenitudo donata est, quæ nimirum creaturæ capacitaté iuxta legem ordinariam expleuit, & Dei potentiam prædicto modo exhausit. Secundò de Virgine dici potest, in ea fuisse omnem gratiam prædicto sésu D. Athan. in serm. de laudibus Virginis, *Ex te*, inquit, *prodiit Deus noster omnem tibi largiens gratiam.* Et D. Method. in oratione de Purificatione. *Omnem*, inquit, *Matri gratiam, & honorem impendit.* Petrus Damian. *Quam Deus omnibus gratiæ diuitiis ornauit.* Anselmus de excellentia Virginis cap. 5. *O beatissima fœminarum, in quam fluxit tam copiosa, & supereminens gratia omnium gratiarum.* Et D. Bonauent in speculo. *Quid mirum si omnis gratia in Mariam cõfluxit?* Andræas Cretensis. *Omnis sanctitatis sanctissime Thesaure.* Tertiò hæc de Virgine laus prædicari potest. In rebus creatis nihil Virgine sáctius, maius, aut dignius vel esse, vel inueniri, vel intelligi posse: hæc omnia patribus familiaria sunt. Chrysostomus apud Metaphrastem. *Quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, nõ Throni, aut Dominationes, nõ Cherubim, aut Seraphim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles aut inuisibiles, maius, aut excellentius inueniri potest* D. Anselmus de amore Dei erga Mariá, qui gratiæ eiusdem necessariò exæquati debet, sic ait. *Ostendit eũ amorem erga matrem. qui nullum putamus esse posse maiorem*, ex quo fit, nec maioré aliam gratiam esse posse. Et rursus ait. *Decens erat, vt Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequeat intelligi.* Quartò illud etiá asserere possumus Virgini hypostaticæ vnionis gratiam tantùm defuisse, & sub illa maximam obtinuisse, quam creatura habere potest. Audi Bernardum. *Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quia profundissimam Dei sapientia, vltra quàm credi potest, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Loquitur Bernardus de gloria, sed gratiam gloriæ exæquandam esse nuper admonui.

189. Quintò sic habet Sophronius in Sermone de Assumptione. *Et si in sanctis patribus gratia fuit, non tamẽ eatenus plena. In Maria. n. totius gratia, quæ in Christo est, plenitudo venit*: nimirum tota gratia, quæ in Christo

Christo est (liceat sic dicere) *deriuabilis* in alios iuxta legem ordinariam. Denique hanc Virginis gratiam quodammodò immensam, & infinitam compellare licet, quatenus mensura omnium aliarum creaturarum superat, & earum quæ à Deo de lege ordinaria fieri possunt, maxima est. Et quidem eo sensu Patrum testimonia donanda esse docuit vnus Carthusianus, qui verba Anselmi supra adscripta expendens sic ait. *Sanctitate Virginis maior esse non potest, non quia Deus absolutâ potentiâ ampliorem, nedum Virgini, sed aliis quoque præstare possit, sed quia nec decet, nec vtique fiet. Sanctitate igitur maria maior sub filij sanctitate intelligi, & esse nequit, tum quia neque in præsenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valet: incomprehensibilis enim (vt ait Ambrosius) incomprehensibiliter operabatur in matre; tum quia post assumptionem hominis à Deo nihil præstantius conferri potest homini, quàm vt Dei parens existat, atque adeò alicui ampliorẽ gratiam conferri neque decet, neque continget, & rursus quia Maria gratia quodammodo, iuxta præostensa, infinita est.* Quorsum hæc? subiicio. Sane ex dictis, non euincitur præfatæ sententiæ veritas: Inde tamen illi aliqua credibilitas comparatur, quatenus Virgini ex cõsensu Patrum tribuit plenitudinem gratiæ, omnem gratiam, gratiam, inquam, talem, ac tantam, vt nulla maior inueniri, esse, aut excogitari possit: qua post hypostaticæ vnionis gratiam nullam maiorem creaturæ conditio capere potest: ac demum quæ immensa quodammodo, atque infinita dici queat. Hæc verò non debile fundamentum nostræ opinioni præbent; nihil enim tam magnum, tamque excellens de Virginis gratia à nobis enuntiari poterit, quòd hæc, quæ à Patribus tàm seriò pronuntiata sunt verba, non capiant: Imò suo captu redundant quodammodo, atque locum etiam aliis, atque aliis amplioribus commendationibus faciunt.

190. Suarez. Barradas. Tertiò hanc sententiam comprobant Suarez, & Barradas, ducto argumento ex dignitate maternitatis, quæ in suo genere est infinita: quapropter si in infinitum gratia illa intenderetur, numquam excederet, inquiunt, terminos, aut debitam proportionem illius dignitatis. Confirmant verò, quia dignitas matris Dei, Angelorum simul, atque hominum dignitates, etiamsi in vnum conferantur, & ex omnibus vna dignitas emergat, longè superat. Ergò cùm constet ex dictis gratiam in Deipara dignitati illius exæquatam, profectò huic dignitati respondens gratia omnium etiam gratias in vnam gratiam confluentes eodem modo superabit. Cæterùm hæc ratio, quæ specie tenus robusta videtur mea quidem sententia, infirma est & inualida. Primò quia dignitas matris Dei dicitur infinita secundùm quid, eo modo quo infinita est visio Dei, & quædam alia à D. Thoma assignata 1.2.q.2. Simpliciter autem, & terminata est, atque adeò gratia illi ex proportione respondens fines quoque, ac terminos habet; & ex consequenti gratia infinita eius proportionis limites superat. Rursus illa collatio inter dignitatem matris Dei, & reliquas Angelorum, & hominum functiones non est accommodata. Versatur enim inter species, non autem inter indiuidua. Indiuidua verò speciebus addita nullam addunt perfectionem. Argumẽto sit, quod licet Angeli essent actu infiniti, collatio eodem modo facta euinceret matris Dei dignitatem, omnes eorum in vnum conflatas dignitates facilè superare; tunc verò in Angelis infinitis esset quoque gratia infinita, quæ in Dei parente nulla ratione concedi debet. Alias præterea rationes minoris momenti conficit Barradas, quibus huic sententiæ probabilitatem aliquam comparare vult, sed tamen his libenter supersedeo, quia aliquid firmius, ac solidius vestigare contendo, quò hanc sanctissimæ Virginis excellentiam constabiliam, ita vt accedente aliquali pietate, à quolibet viro docto teneri, ac doceri possit.

Quartò igitur firmiùs hanc sententiam confirmo argumentum ducens ab officio mediatricis, quo virgo apud Deum fungitur. Et quidem primo comparationem hanc inire libet cum omnibus hominibus, atque Mariam omnium eorum gratiam in vnum coactam, sua gratia superare hac facili ratione ostendo. 191. Deipara Virgo mediatrix est totius generis humani. Hanc positionem ex communi Patrum consensu docui, & exposui supra c.8. v.19. vbi enumerans sanctorum testimonia scripsi à multis *mediatricem* dici, ab aliis *auctricem salutis*, à plerisque *causam*, ab aliis item, *auctricem totius meriti*, & ab aliis aliter compellari. Rursus ostendi hæc nomina sic virgini tribui, vt alteri puræ creaturæ adscribi non possint. Anselmus de excellentia Virginis cap.9. D. Ansel. *Quis igitur*, inquit, *ista perpendens æstimare queat, quâ laude digna sit, quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis effici debuit mediatrix?* Ad hæc docui nomina illa ex eo Virgini tribui, quia salutem nostram aliqua ratione de congruo pro meritis suis impetrauit: nam sicut filius mortem voluntariè sustinens pro omnibus satisfecit; sic illa filium suum, qui verè suus erat, eidem morti voluntariè offerens omnium salutem impetrauit, quod perbreui oratione dixit Arnoldus Carnotensis ibi citatus. Arnol. Carn. *Omnino tunc erat vna Christi & Mariæ voluntas, vnumque holocaustum ambo offerebant; hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis; vnde communem in mundi salute cum illo effectum obtinuit.* His atque aliis, quæ ibidem latè diximus, constitutis, argumenti nostri vis in eo posita est, Virgo est mediatrix inter Deum & homines, atque per ipsam & propter ipsam Deo placent quotquot hactenus Deo placuerunt: ergo ipsa plus omnibus placet: ergo maiorem omnibus gratiam obtinet, hæc enim vna atque sola placendi Deo causa est. Plus, inquam, omnibus placet simul sumptis, quia functio mediatricis hoc postulat: nam quemadmodum in Christo Domino ad mediatoris officium hoc pertinet, vt omnes propter ipsum Deo placeant, & ipse plus quàm omnes gratus sit: nisi enim ea ratione gratiam & meritum omnium superaret, non satis constaret illum pro omnibus mediatorem fuisse. Pari etiam ratione, vt Virgo eo nomine mediatricis gaudeat, & gratiam omnium eo nomine, ac titulo mediatricis promeruisse dicatur, omnium pariter gratiam, atque merita vincere debuit, ita vt ipsa plus placeret, quàm reliqui simul sumpti, pro quibus mediatricem agebat. Confirmatur, quia hoc mediatricis munus non refertur per se ad singulos, sed ad omnes, *mediator enim pro omnibus est, & pro omnibus constituitur*, atque adeò gratia illi respondens non cum singulis, sed cum omnibus conferri debet.

Et quidem ex hoc mediatricis officio excellentiam Marianæ gratiæ colligit Diuus Laurentius Iustinianus in sermone de Annunt. vbi sic fatur. 192. D. Laur. Iustinian. *Magna profectò fuit Maria gratia, exuberans, atque completa, quæ cælis dedit gloriam, gaudium præstitit Angelis, sæculo pacem refudit, fide docuit gentes, vitiisque finem imposuit. Quomodo non est plena Maria iuxta Gabrielis oraculum plena gratia, quæ effecta est paradisi scala, cæli ianua, interuentrix mundi, Dei atque hominum verissima mediatrix?* Cum Laurentio concinit Basilius Seleuciæ Episcopus in sermone de Annunciatione, vbi hoc Basil. Seleu. mediatricis officium plenitudinem gratiæ per se postulare affirmat. *Aue*, inquit, *gratia plena, quæ propterea inter Deum, & homines mediatrix intercedens effecis, vt interiectus inimici paries tandem aliquando euertatur.* Sed luculentius loquitur Anselmus de excellentia Virginis capite 9. qui præmissam rationem D. Anselm.

paucis verbis complexus eſt. *Pura*, inquit, *ſanctitas, ſanctiſſima puritas piiſſimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem ſanctitatemque tranſcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret:* atque infrà. *Quæ tantorum beneficiorum ſola præ cunctis effici meruit mediatrix.* Hæc ille. in quibus quædam verba libra indigent, maximè illa, *Omnem omnis creaturæ puritatem, ſanctitatemque tranſcendens.* Nam omnem omnis creaturæ ſanctitatem, perinde eſt, atque omnem ſingulorum in vnum conflatam, & coactam. Neque enim licet de variis gratiarum ſpeciebus interpretari, ita vt omnis creaturæ omnis gratia, ſit omnis gratiæ ſpecies, quæ in creaturis repetitur. Loquitur enim expreſsè de ſanctitate, quæ eſt gratia gratum faciens. Rurſus addit. *Vt reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret*, atque illud. *Sola præ cunctis effici meruit mediatrix*, quibus planè oſtendit Virginem huic muneri æqualia merita & gratiam attuliſſe. Ex dictis autem conſtat illud per ſe maiorem gratiam poſtulare, quam habeant omnes illi ſimul ſumpti, pro quibus eo munere fungi debent.

193. Sed tamen hanc rationem ſic vrgere licet, hoc mediatricis officium in Maria tam excellens fuit, vt omnia & ſingula bona per ipſam hominibus à Deo eueniant, nihilque gratiæ Deus homini alicui vmquàm impenderit, quod per Mariam non ſit obtentum; quod latiſſimè probaui ſupra cap. 8. verſ. 18. Rurſus ſolemne admodum eſt ſanctis Patribus de gratia Mariæ ſic ratiocinari; oportuit ſanè in Maria eſſe omnem gratiam, quia per Mariam omnis gratia in alios deriuanda erit, ſic Bernardus in ſermone de Aquæ ductu. Fulgentius in ſermone de laudibus Mariæ. Diuus Bonauentura in ſpeculo capite 3. Idiota de contemplatione Virginis, & alij paſſim, quorum teſtimonia ibidem dedimus. At inquies, Patres loqui de omnibus gratiarum ſpeciebus: Oportebat enim vt omnia gratiarum genera in Mariam confluerent, vt conſtaret, ipſam ex omnibus gratiarum generibus meritis ſuis erogare. Cæterùm vt dicam quod ſentio, aut ratio hæc toties à Patribus vſurpata infirma prorſus, ac nugatoria eſt, aut certè omnem omnium hominum ſanctitatem in Virginem confluxiſſe manifeſtè euincit. Nam certum eſt ad promerendum, ſeu impetrandum aliquod genus gratiæ, aut doni, per ſe opus non eſſe, vt is qui impetrat eo præditus ſit. Poteſt enim (exempli cauſa) Diuus Petrus virginitatis donum alicui precibus ſuis obtinere, & tamen ipſe virgo non fuit: Sicut etiam Virgo pænitentiæ donum multis impetrat, & tamen ipſa numquàm pænituit. Quapropter exiſtimo conſequutionem illam ex officio mediatricis à Patribus petitam fuiſſe, perſuaſum enim illis ſemper fuit ad officij illius dignitatem ſpectare, vt quidquid boni in alios influit, ipſe cohibeat, qui eo fungitur officio. Cogita ergo inter Virginem Deiparam, atque alios ſanctos beatos hoc intereſſe, quod ſancti in cælum tranſlati multa precibus ſuis impetrant aliis à Deo quæ non meruerunt ipſi in via, quia nec pro his orarunt, nec pro his merita ſua obtulerunt (hoc enim per ſe neceſſarium eſt, vt vnus alteri promereatur) nimirum ex ſola amicitia, nam amici ſolo amicitiæ nomine ſiue aliis meritis digni ſunt, vt exaudiantur. Exemplo ſint paruuli, qui nullis meritis comparatis decedunt: & tamen eos à Deo aliqua ſuis precibus exorare negari nequit. At Virgo ſanctiſſima nihil vmquam gratiæ, aut doni cœleſtis hominibus impetrauit, quod non ipſa in hoc mũdo degens prius promeruerit, quia pro his omnibus merita ſua ipſa obtulit, & Deus etiam acceptauit. Et quidem id per ſe neceſſarium eſſe ad meditationis officium mihi compertum eſt, atque hoc ſibi volunt patres quoties

D. Bernar. D. Fulgen. D. Bonau. Idiota.

A ipſam meritis ſuis noſtræ ſalutis auctricem, caput & cauſam fuiſſe decernunt. Ergo cùm per ſe difficilius ſit alijs gratiam & dona ſpiritualia promereri, quàm ſibi, inde ſit, vt merita, quæ tantam gratiam aliis promereri potuerunt, velut à fortiori, eam & longè maiorem eidem Virgini exorarent, & obtinerent. Quæ ratio non ſolùm de omnibus gratiarum ſpeciebus, ſed etiam de omni ſanctitate & gratia ſingulorum eodem modo probat, cùm conſtet non ſolùm diuerſa genera gratiarum, ſed etiam omnes & ſingulas gratias Mariæ meritis nobis obtenta.

Huius conſequentiæ vim agnouit, atque expreſſit 194.
Diuus Bonauentura in ſpeculo, cuius verba libet hîc attexere. *Omnia flumina intrant in mare, dùm omnia* B *chariſmata ſanctorum intrant in Mariam, flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apoſtolorum intrat in Mariam*, &c. ac demum vbi percurrit omnes ſanctorum conditiones, *Quid mirum*, inquit, *ſi omnis gratia in Mariam confluxit per quam tanta gratia ad omnes defluxit? ait enim Beatus Auguſtinus, gratia es plena Maria, quam apud Deum inueniſti, & per totum mundum effundere meruiſti.* Vis enim argumenti in eo poſita eſt, nil mirum ſi hactenus docuerint omnem omnium gratiam in Mariam confluxiſſe: cùm conſtet illam meritis ſuis aliis hominibus omnem gratiam impetraſſe, quod per ſe difficilius eſt, vnde quaſi à fortiori colligitur ipſam non ſolùm tantam, ſed multò maiorem gratiam ſibi peC periſſe. Et quidem Diuum Bonauenturam non ſolùm de omnibus gratiarum generibus, ſed etiam de ſingularibus omnium gratiis loqui dixerim; hoc enim innuere videntur illa verba. *Flumen gratiæ Angelorum, flumen gratiæ Apoſtolorum*, &c. flumina enim dicit, quæ ſcilicet collectis tunc inde ſingulorum riuis coacta, atque congeſta, in Mariæ mare influunt, & ipſa maris ſimilitudo hoc etiam ſignificat, mare enim omnium fluminum aquas longo interuallo ſuperat. Cum Bonauentura concinit Diuus Bernardus, qui in ſermone de aquæ ductu ſic ſcrit. *Plenus aquæ ductus, vt accipiant cæteri de plenitudine, ſed non plenitudinem ipſam.* Et infrà. *Altius ergo intuemini quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni* D *plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſiquid grati, ſiquid ſalutis ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit delitiis affluens.* Habent etiam Bernardi verba quandam energiam, *Totius*, inquit, *boni plenitudinem poſuit in Maria.* Quis ergo de gratiæ, ac boni totius menſura, quæ per alios diſtributa eſt, aliquid Mariæ detrahat? Et quidem ita poſtulat Bernardi ratio. nam ſi per *totum bonum* intelligas ſolùm omnis boni ſpecies, infirma ſatis eſt Bernardi conſequutio, ex hoc enim ſolùm conficeret innoteſcere de omni genere bonorũ à Maria in nos proficiſci. Cùm autem dicat. *Vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare.* Sanè vt hoc certò innoteſcat, illud quaſi præbibere opus E eſt, omnem omnium, ac ſingulorum gratiam in ipſa cumulatius reperiri. Nam huius rationis vis in hac argumentatione ſita eſt. Maria totius boni & gratiæ plenitudinem ideò meritis ſuis obtinuit, vt conſtaret eandem, omnia, atque ſingula bona, & gratias nobis promeruiſſe. Aliter enim ni tantam gratiæ vim ipſa ſibi ſuis meritis peperiſſet, nulla ratio probaret ipſam omnem gratiam nobis promeruiſſe, cùm hoc per ſe difficilius ſit, quàm illud.

D. Bonau. D. Bernar.

At, inquies, Mariam omnia bona, & omnem gra- 195.
tiam in nobis de congruo tantùm promeruiſſe, ſibi verò de condigno. Maius verò meritum requiri videtur, vt ſibi quis de condigno tantam promereatur gratiam, quàm vt aliis eandem de congruo obtinere poſſit. Reſpondeo meritum congrui, vt effectum ſortiatur,

riatur, & reipsa obtineat, quod meretur requirere ipsius Dei voluntariam acceptionem.(Dixi autem vt effectum sortiatur non vt sit, nullum enim meritum acceptationem Dei extrinsecam postulare pro comperto habeo.) Hinc ergo merito congrui ad suum effectum reuera obtinendum magna quædam difficultas accrescit, vnde sæpius accidit, vt homo, qui bono opere gratiam, & iustitiam sibi de condigno promeretur, atque reipsa obtinet, nihilominus auxilia efficacia posteriora, quæ minus nobilia sũt quàm gratia, imò ipsa temporalia bona & externa promereatur quidem, sed non obtineat, quia scilicet Deus tale meritum ad ea bona acceptare non voluit, inde fit, vt per se difficilius sit aliis gratiam meritis obtinere, quàm sibi. hoc enim merita ipsa formaliter ac necessariò præstant, illud ex libera Dei voluntate pendet, quia voluntariè vel acceptat, vel refutat. Magnitudo ergo meritorum Mariæ non ex eo tantùm capienda est, quod omnem salutem & omnem gratiam de congruo promeruerit, (nam minora merita ad id satis essent) sed ex eo, quod ipsius promerita Deus ad tantum, tamque nobilem effectum ita acceptauerit vt prorsus affirmare liceat, verba sunt Arn. Car. Alnoldi, *Ipsam in nostra salute communem cum Christo effectum obtinuisse.* Et eandem reparatricem, mediatricem, nostræ salutis auctricem, causam & caput existere: ac rursus in illam quadrare verba illa Victorini Richard. Victorin. Richardi in Cantica cap. 28. *Omnium salutem desiderauit, quæsiuit, obtinuit, imò salus omnium per ipsam effecta est*, & alia similia. Merito ergo illa quibus Deus tantùm tribuit, vt ipsa tam gloriosum, & omni exceptione maiorem effectum obtinendæ gratiæ pro aliis, ex decentia, & nomine, ac titulo veræ & propriæ meditationis acceptaret, & probaret, quasi à fortiori maiorem, & copiosiorem eiusdem gratiæ cumulum in ipsamet Virgine præstitisse credendũ est. Atque hæc, & non alia, fuit mens Patrum, quos supra adscripsi cùm ex gratia, quæ ab ipsa in alios redundat affluentiam & plenitudinem in ipsa fuisse serio colligunt.

196. Sophronius. Quibus annectendus est Diuus Sophronius in sermone de Assumptione. *Dei genitrix electa & prælecta vere ab Angelo salutatur, & prædicatur gratia plena, per quam largo Spiritus sancti imbre superfusa est omnis creatura*, nimirum illud prius colligitur ex hoc posteriori. Chrysolog. Eodem argumento vsus est Chrysologus serm. 142. *Beata*, inquit, *quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus, inuenisti gratiam apud Dominum. Quantam? quantam superius dixerat plenam, & verè plenam, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet creaturam. Inuenisti enim gratiam apud Deum, hæc cum dicit, & ipse Angelus miratur, aut fœminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam.* Expende verba Chrysologi, qui planè maiori admiratione dignum fatetur Deiparam omnibus vitam & salutem promeruisse, quàm sibi: & quidem meritò, quia illud difficilius est, hoc facilius: si ergo id quod maiorem difficultatem continet, Virgini libenter damus, scilicet illam omnem iustitiam & gratiam omnibus promeruisse, sanè affirmare cogimur, iisdem meritis, quibus tantam gratiam aliis impetrauit, sibi ipsi longè maiorem obtinuisse. Hieronym. Adest etiam Hieronymus, qui eodem planè argumento vtitur. *Talibus*, inquit, *decebat Virginem oppignorari muneribus vt esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, ordinem vitæ, ac moribus disciplinam.* Et rursus sic habet. *Quid mirum si lætitiã & gloriam plenam & superplenam habet in regno, quæ gratiam plenam & superplenam habet in exilio? Quid certè mirum, si tàm in cælo, quàm in terra eius plenitudo super omnem creaturam sit, de cuius plenitudine omnis natura virescit?* D. Bonau. Vtrumque locum adducit Bonauentura in speculo. 7. quibus attexit alia Anselmi verba in hunc modum. *O fœmina plena & superplena gratia, de cuius plenitudinis abundantia respersa reuiuiscit omnis creatura.* D. Bernar. Ad id spectant etiam alia verba Bernardi in sermone illo de aquæ ductu. *Petit*, inquit, *superefflluentiam ad salutem vniuersitatis. Spiritus sanctus ait, superueniet in te, & copiosum illud balsamum tanta plenitudine infunit, vt copiosissime effluat circumquaque.* Et alibi. *Plena*, inquit, *sibi, superplena nobis.*

197. Ea quæ hactenus dixi non solùm probant Virginem omnium hominum gratiam & merita in vnum conflata meritis suis exæquasse, sed etiam longo interuallo superasse. An verò excessus iste eò peruenerit, vt etiam omnium Angelorum atque hominum collectam gratiam prorsus vicerit, nouam difficultatem continet: & sanè quotquot asserunt Christum non solùm hominibus, sed etiam Angelis gratiam obtinuisse, atque Virginem non tantùm humanæ, sed etiam Angelicæ gratiæ mediatricem agnoscunt, præmisso argumento vti possunt ad præfatam positionẽ probandam. Sed tamen quia opposita sententia mihi semper probabilior visa fuit, nostræ thesis comprobatio aliunde petenda est. Interim tamen admoneo præmissam rationem non solùm ostendere excessum Marianæ gratiæ in omnes simul sanctos, & beatos, sed etiam maiorem gratiam Virgini donatam, quàm reliqui simul homines vmquam obtinuerunt, siue sancti & prædestinati, siue reprobi (loquor de his, qui cùm aliquando grati Deo extiterint per posteriora peccata prioris gratiæ iacturam fecerunt.) Ratio est facilis, quia his etiam gratia per Mariam euenit. Quid plura? excessum illum non modo in gratia iustificante, sed etiam in fide & spe, in virtutibus reliquis infusis, & in donis Spiritus sancti, ita vt ex omnibus his sola Virgo maiorem vim sibi adepta fuerit, quàm reliquæ simul animæ. Nam cùm Virgo quidquid earum rerum in reliquis fuit, meritis suis impetrauerit, velut à fortiori eadem auctius & cumulatius sibi promeruit.

198. V. Igitur rationem aliam ex dignitate matris Dei ductam conformare aggrediar, nõ quidem eam cum aliarum creaturarum dignitatibus, & functionibus conferens; huius enim comparationis infinitatem supra ostendi, sed eam, quod spectat ad impetrationem expendens, aliqua verò prælibanda sunt. Primò illud communi omnium Theologorum calculo exploratum est maternitatem Dei præcisa sanctitate & gratia in ordine ad spiritualiã, & æterna bona atque eorum impetrationem nullius meriti, nullius dignitatis esse apud Deum, sed eatenus magnam, & omni alia dignitate digniorem esse, quatenus ex decentia sua, nimirum vt congrue, atque decenter se habeat, immensam quandam gratiam sibi vendicat, qua maior nec inueniri, neque esse, neque excogitari possit, & alia eiusmodi, quæ de hac gratia supra ex consensu Patrum docui & exposui. Secũdò compertum etiam est eò digniorem aliquem esse, vt exaudiatur à Deo, & ab illo vota & petitiones suas impetret, quò maiori gratia & sanctitate præditus est, (loquor autem de patria, non de via: nam in via aliæ rationes sunt, quæ petitionibus vim addere; seu adimere possunt.) Tertiò certo certius est in cœlo multorum Sanctorum preces eandum rem enixè obsecrantium pluris esse apud Deum, quàm singulorum, etiam si omnes æquali sanctitate prædìti sint; inde Ecclesia omnes Sanctos appellat, atque inuocat, vt in canone Missæ, & sæpè aliàs cuius rationem offert in oratione illa, quæ recitatur in festo omnium Sanctorum. *Vt desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris.* Si enim vnus aliquis beatus sanctior, ac nobilior, dignior esset vt à Deo exaudiretur,

retur, quam reliqui inferiores, frustrà Ecclesia Petri Apostoli, aut Ioannis Baptistæ precibus aliorum inferiorum Sanctorum orationes adiungeret.

199. His prælibatis sic decerno, dignitas matris Dei tantam gratiam & merita ex decentia sua postulat, vt per ipsa mater Dei dignior sit vt exaudiatur à Deo, quàm omnes homines & Angeli simul. Ergo gratia illius omnem hominum, atque Angelorum gratiam facilè superat. Huius cõsequutionis vim expressit Richarh. (*Rich. Victor.*) Victorinus ad illa verba Cantic. 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli*, &c. *His hinnulis*, inquit, *dicta Beata Maria vbera comparantur, quia cùm tam Angeli, quam Sancti pro peccatoribus soliciti sint, & eis tam meritis quàm intercessione subueniant, credendum est Beatam Virginem tantum in hoc posse, quantum vtraque simul creatura, imò vtraque potentior iudicatur, quia vtraque per hanc reparatur, & Angelorum ruina per hanc restaurata est, & humana natura reconciliata.* hæc ille. Ex quibus sic ratiocinari libet, Virgo Beata potentior est apud Deum, & dignior ad exoranda hominibus bona, quàm vtraque simul creatura; atqui hæc dignitas & potentia non illi ex eo accidit quod mater sit Dei; hoc enim per se sumptum non habet meritum aliquod, vt nuper dixi; sed ex gratia & sanctitate, quæ maternitatem comitatur; ergo maiora, atque altiora sunt merita & sanctitas illius, quàm vtriusque simul creaturæ. Audiendus hic D. Bonauentura (*D. Bonau.*) in speculo ca. 6. vbi citat Augustinum, hæc promentem. *Nec dubium est, quin quæ meruit pro liberandis offerre pretium, possit plus omnibus liberatis impedere suffragium*, nimirum plus omnibus simul sumptis; quæ verba de hominibus tantum loquuntur, non de Angelis, sed ratio de vtrisque hominibus simul, atque Angelis probat. Præmittit autem Bonauent. *Virgo præ omnibus sanctis potentissima est.* Hunc autem excessum, quo Maria vtramque superat creaturam luculenter exposuit Petrus Damianus (*Petr. Dam.*) in sermone de Assumptione ad illa verba. *Electa vt sol. Nihil*, inquit, *habuit spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet; multo enim altius aliquid habet claritas solis quam lunæ: quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat, hic vero lucidius incandescens, ita sibi siderum & lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & virga Iesse veri prauia luminis in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorum que spirituum habebat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Hæc verò Damiani sententia ad diuinam æstimationem proculdubiò referenda est, in qua dignitas Mariæ perinde Angelorum, atque hominum merita superat, atque solis splendor reliquorum astrorum splendorem excedit. Et quidem existimo Petrum Damianum his verbis gratiam & merita Virginis non iam cum gratia, & meritis singulorum contulisse, sed omnium, nam supra eandem Virginem cum luna comparans ad illa verba. *Pulchra vt luna*, meâ quidem sententia eiusdem gratiam & merita cũ omnium gratia & meritis composuit, & planè anteposuit. *Considera*, inquit *quam stellaris, & serena obumbratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti syderis superfundat, vt aliorum luminum claritatem non mediocriter offuscet: sic & Virgo inter animas Sanctorũ, & inter Angelos cuncta merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quamlibet stellæ reluceant, luna tamen, & magnitudine praeminet, & splendore: sic vtramque naturam Virgo singularis superat, & immensitate gratiæ & fulgore virtutum.* Neque verò tam vellem vt expendas illa priora verba, *Singulorum & omnium titulos antecedit*, quibus alij plurimum tribuunt, quàm illa extrema. *Sic vtramque naturam Virgo singularis superat immensitate gratiæ*, &c. Quod perinde est, ac si dicat; Vtramque naturam Virgo vna & solitaria superat; ex quo liquet comparationem initam non vnius ad singulos, sed vnius singularis ad omnes simul sumptos: nec modus ille loquendi aliter commodè & iuxta communem vsum accipi potest.

Hîc tamen ad extremum libet assuere, quod eadem meritorum victoria respectu Angelorum ex officio mediatricis aliquo modo colligi potest. Nam quamuis Maria Angelis gratiam & gloriam non obtinuerit meritis suis, quemadmodum nec Christus etiã suis, tamen illis suæ naturæ sediumque restaurationem, & accidentalem lætitiam maximam, aliaque accidentalia, dona, quæ ipsis ex mysterio incarnationis, & ex hominum salute acciderunt, illis omnibus promeruit; quidquid enim Christus Dominus mediator omnium meritis suis condignis adeptus est, id totum Mariæ meritis congruis respondent, tamquàm mediatrici. Itaque Virgo non solùm hominum, sed quodammodò etiam Angelorum mediatrix est, hæc autem qualiscumque mediatio etiam postulat, vt Virgo omnium, ac singulorum gratiam, & merita superet. Nam cùm Virgo per se sola aliquid omni Angelorum naturæ impetrauerit, quod nec per se singuli, nec omnis ipsorum natura collectis meritis consequi possent, fit sanè ipsam plus quàm omnes & singulos promeruisse & gratã Deo magis fuisse. Quod si hæc ratio omnino vacat, quid sibi voluerunt supra allegati Patres? Richard. enim Victorin. (*Rich. Victor.*) sic ait. *Imò vtraque creatura potentior iudicatur, quia vtraque per hanc reparatur, & Angelorum ruina per hanc restaurata est, & natura humana reconciliata.* Itaque non solùm Virginem omni humana natura potentiorem, ac digniorem esse decreuit, quia ipsam reconciliauit: sed etiam Angelica, quia ipsius ruinas instaurauit, ad quas instaurandas ipsi per se Angeli non valerent. Accedit etiam Petrus Damianus, (*Petrus Damianus.*) qui in loco præfato, vbi exẽplo solis, ac lunæ eam meritorum victoriam Virgini dedit respectu vtriusque creaturæ, quam nuper expendimus, rationem huius victoriæ attexens ait. *Miraris tantam meritorum magnitudinem? & vnam Virginem Mariam tot, ac tantis præfulgere? Considera ergo quæ in cælis, & quæ in terris in Virgine refabricata, Deum, qui cælum palmo metitur, Virginei ventris breuitate conclusum, redemptionem hominum, Angelorum restaurationem, denique quidquid, & fuit & erit per Virginem renouatum, & tunc tibi cogitatio suggeret, quod loquutio demonstrare non potest: electa*, inquit, *sed praeelecta, vt sol; quia sicut sol solus orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat.* Quasi dicat, cùm audis Mariam, omnes, ac singulos tùm homines, tùm Angelos meritis, ac gratia vincere, facilè abiicies admirationem, si consideraueris illam & hominum redemptionem, & Angelorum instaurationem meritis suis, tamquam mediatricem obtinuisse: hoc enim Angelos ab ipsa superatos, illud verò homines cunctos ab eadem deuictos omnino suadet. Accedit Anselm. (*D. Anselm.*) apud Bonauenturam in speculo, c. 7. *Tibi solum (inquit) loquor Domina beneficiis tuis plenum esse mundum, inferna penetrauit, cælos superauit; per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant se lætantur liberata, & quæ supra mundum sunt, se lætantur restaurata.* Ipse etiam Bonauentura (*D. Bonau.*) c. 5. sic ait. *O quàm latè, & quàm longè, & quam altè arbor illa magna Beata Virgo Maria ramos suos extentendit, quàm latè ad homines, quàm longè ad Angelos, quàm altè Deum?* Ramos autem appallat gratias & beneficia. Ad hæc D. Bernadus, (*D. Bernar.*) cuius rationem à plenitudine gratiæ ductam nuper obtuli & exposui, ad Angelos eandem extendit. *Maria*, inquit, *omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam,*

200.

D. Anselm. *riam, tota Trinitas gloriam.* Denique Anselmus post illa verba, *Pura enim sanctitas, & sanctissima puritas,* &c. subdit: *Omnem omnis creaturæ puritatem, sanctitatemque transcendens.* Vbi Angelos à victoria illius non exclusit, imò potius ibidem illam Angelorum mediatricem esse docet, atque duos, vel tres modos statim addit, quibus Maria profuit omni creaturæ corporali, ac spirituali, ac demùm sic absoluit. *Quis igitur ista recto sensu, & corde sincero perpendens plenè percipere queat excellentiam huius Virginis, per quam tàm inæstimabilia bona habet omnis rerum natura, per quam tàm inæstimabili gratiâ à tam ineffabili deiectione erectus est totus mundus.* Hæc ille, quibus argumentum iam inde à me apud alios Patres obseruatum construit ex gratia & bonis omnibus, quæ aliis tam Angelis, quàm hominibus, & omnibus creaturis meritis suis impetrauit, eliciens gratiæ & meritorum immensam vim, quibus ipsa prædita fuit.

201. VI. Ad hanc nostram sententiam roborandam rationem non infirmam offert Virginis regnum, imperium, ac dominium in omnes creaturas. Et quidem de Mariæ regno, & dominio supra c.8. vers. 15. multa serui, vbi omnes homines, imò & Angelos sãctissimæ Virgini, perinde subiicere decreui, tamquàm seruos & mancipia, atque illam vtroque imperio, spirituali scilicet, quod spectat ad spiritualia, & temporali, quod attinet ad temporalia bona, gaudere dixi; non quidem metaphoricè, & impropriè, sed verissimè, propriissimè, ac iure ipso naturali. Considerare ergo nunc oportet regnum duplici modo alicui euenire posse. Vno modo cùm Rex sic imperat prouinciæ alicui, vt potestas eius potius sit in singulos, quàm in totam communitatem: nam ipse Rex in rebus maioris momenti arbitrio communitatis, & ipsius regni subditur, vt accidit in regno Aragoniæ, Marochiæ, atque aliis: & quidem de his sic enuntiare licet Regnum potentius est, quàm Rex. Altero modo princeps quispiam sic imperare potest prouinciæ, vt illi non modò in singulos, sed in totam communitatem & regnum plena, & absoluta potestas sit, ita vt nulla in re communitatis, vel regni arbitrio subiaceat. De hoc autem Rege, aut Principe absolutè id pronuntiare licet, Rex potentior est, quàm regnum. Ergo si quæras ex his regnandi rationibus quænam potius euenerit Mariæ? respondeo Mariam hoc potiori, pleno, & absolutissimo imperio gaudere tam in homines, quàm in Angelos, quæ scilicet non modò in singulos, vel Angelos, vel homines, aut in singulas Angelicam & humanam naturam, sed etiam in totam vtriusque naturæ vniuersitatem potestatem obtineat, ita vt absolutè dici possit illam potẽtiorem esse, quàm vtramque simul creaturam. Ratio verò in promptu est, quia imperium dominiumque hoc à filio redundat in Matrem, iisdem omnino conditionibus, titulis, ac latitudine, quibus residet in filio, vt in eo cap. 8. v. 15. latè ostendimus. Atqui imperium Christi Dominiest absolutum, & in omnes, ita vt ipse solus potentior sit, atque dignior omni creaturâ; ergo pari ratione Deipara virgo omni simul creaturâ dignior atque potentior est.

202. His præiactis optima ratione definitam sententiam amplius stabilire licet ad hunc modum. Maria spirituale regnum obtinet in omnes simul Angelos atque homines, & in totam eorum vniuersitatem, in his quę spectant ad gratiam, & gratiæ bona; ergo ampliorem omnibus simul sumptis, & collectis gratiam habet. Nam omne regnum excellentiam & pręstantiam postulat in eo genere, in quo versatur, & respectu eorum, erga quos exercetur, (quod sanè per se notum est:) sed regnum Mariæ est spirituale & gratiæ, & non modo respectu singulorum, vel hominum, vel Angelorum, aut respectu singularum naturarum Angelicæ, vel humanæ, sed respectu vtriusque naturæ collectæ & vnitæ: ergo Maria in gratia ipsa non modò singulas indiuiduis hominum, aut etiam Angelorum, aut singulis naturis Angelicæ, vel humanæ, sed vtrisque collectis, & in vnum conflatis longo interuallo præstat. (Alij alia sentiant) mihi hoc argumentum rem euincere videtur, ita vt prorsus intelligi non posse credam Mariam regnum spirituale verè & propriè in vtramque simul naturam sortiri, quin vtriusque simul gratiam excellat. Et sanè ex patribus D. Bernardinus Senensis, qui apertiùs hunc Marianæ gratiæ cumulum expressit, illum ex regno, & imperio ipsius in omnes creaturas collegisse videtur: Nam to. 2. ser. 61. art. 3. c. 3. ad illa verba Esther. 1. *Posuit diadema regni super caput eius, & voluit eam esse reginam,* sic ipse addit. *Istud est diadema speciei & corona gloriæ, quâ Virgo super omnes Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit euecta, ac plus beatissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, fruatur, quàm omnis alia creatura simul sumpta, de cuius gloria post filium participant vniuersi.* Hæc ille, quibus interim rationem illam aliàs à me obseruatam attingit. Id autem, quod dixit in sermone de Annunciatione, Virginem scilicet nobilissimo illo obedientiæ actu, quo Angelo consensit dicens. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm Verbum tuum,* plus merita apud Deum obtinuisse, quàm reliquas simul creaturas omnibus actionibus suis, non ita intelligendum puto, quasi dicat, eo solùm actu tam ingens meritum indeptam fuisse, sed ita vt eâ demùm actione meritum hoc expleuerit, & absoluerit, ita vt iam inde creaturas omnes non solùm meritis æquaret, sed etiam vinceret, quia ex tunc mater Dei & regina simul hominum, atque Angelorum esse cœpit. Hæc autem dignitas eam meritorum præstantiam exposcit, vt iam diximus. Quid plura? D. Bonauent. in speculo hanc præstantiam super omnes beatos, ex Mariæ regno luculenter deduxit ad illa verba Esther. 2. *Ducta Esther ad cubiculum Regis Assueri habuit gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni,* &c. *Ducta,* inquit, *in hoc cubiculum quietis æternæ Regina Maria, gratiam Regis Assueri,* id est, *gratiam veri Regis habet super omnes mulieres,* id est, *super omnes intelligentias Angelicas, & super omnes beatas animas, vt sit in Maria gratia super gratiam omnium beatorum.*

D. Bernar. Senensis. D. Bonau. Esther. 2.

203. Hæ sunt rationes, quæ nostram sententiam suadent, contra quam produci potest satis validum argumentum, quia scilicet ex dictis sequitur, Incarnationem Christi plus illi, quàm reliquis simul hominibus profuisse: hanc consequutionem ingenuè concedo. Maria ergo in decretis salutis, ac redemptionis humanæ princeps fuit, quia nimirum ipsi soli incarnatio, & redemptio Christi plus attulit, quàm reliquis collectis, & vnitis. Magnum sanè hoc, sed cõsequenter dicendum. Quapropter affirmare audeo propter vnius Mariæ salutem etiamsi alij deessent, omnia Christi merita, vitam & mortem satis bene locatam & impensam. Autor huius meditationis mihi est D. Ambrosius ad illa verba Cantic. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt,* vel vt habent Septuaginta. *Auertę oculos tuos à me, quia eleuas me videndo te. Possumus,* inquit, *sic accipere, & si tu perfecta es, aliæ mihi adhuc redimendæ sunt animæ: aliæ fulciendæ. Eleuas enim me videndo, ego autem ideo descendi, vt omnes eleuem.* Sed per breui interuallo sibi ipsi lux est Ambrosius. *Vult illam auertere oculos, ne eam considerans, quod iam ad superiora sequi possit, eleuetur, ac cæteras animas derelinquat.* Hæc ille, quæ verba in solam Mariam aptè cadunt. Putat quidem Ambrosius verba illa, *Eleuas me,* referenda esse ad illa Actorum 1. de

D. Ambr. Actor. 1.

est.

ascensu Christi in cœlum. *Et videntibus illis eleuatus est*. Itaque Virginem affatus sic addit. Et si tu, ô diuina Virgo perfecta es, adeò vt propter te vnam ad terras descendere, & carnem suscipere boni consulerem, nihilominus tamen alias tecum animas saluas fieri decreui; sed tamen nescio quâ vi impellor te vnam considerans: Nam te quoque vna contentus parum abest, vt cœlum repetam, & reliquas animas relinquam. Propterea ergo Christus Dominus iubet illam oculos & faciem auersam ducere, ne illam intuitus reliquis posthabitis desertisque ad cœlum ipse eleuetur; tanta enim est Mariæ dignitas, & gratia, vt Deo quodammodo opus sit, mentem & oculos ab ipsa auertere, vt illos ad reliquos homines, Maria sublata leuem ac paruam, vt vna Virgo, reliquis subductis, satis amplam, vberemque redemptionis materiem offerret.

204. Hæc de pręmissa thesi, quę, mea quidem sententia, adeò probabilis, & cum dignitate Deiparæ, atque Patrum doctrina conformis est, vt illam rationes multæ satis robustæ suadeant: pietas verò non suadeat modo, sed etiam extorqueat. Nequis verò hæc argumenta leuiora putet, illud profectò dicere ausim, pleraque alia priuilegia, quæ Virgini sponte damus nec fortioribus argumentis, nec certioribus Patrum testimoniis comprobari, qualia sunt præseruatio à culpa originis, extinctio fomitis, meritum non interruptum, & alia eiusmodi, quę piè ac beneuolè de Maria sentimus. Alias verò rationes minoris momenti & concionibus accommodatas legere licet apud Patrem Ioan. Barradas, quas ideò prætermittendas censui, ne tractatus iste vltra modum excresceret, ac ne infirma firmis, ac robustis addita, vt fieri solet, harum robur, & fortitudinem elidant. Vtinam hæc qualiscumque studij, ac diligentiæ nostræ exhibitio ipsi Deiparæ tam grata sit quàm læto, atque beneuolo animo à me suscepta, atque illi consecrata est.

---

30. *Fallax gratia, & vana est pulcbritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur.*

205. FAllax gratia, &c. Hebr. *Falsitas gratia, & vanitas pulchritudo mulier timor Domini ipsa laudabitur. i. mulier, cui est timor Domini.* Addo etiam nescio quem hîc talem sententiam expressisse, scilicet, mulieres non modò timorem Dei habituras, sed ipsissimum, liceat sic dicere, Dei timorem futuras, quia earum debilis, & infirmus sexus timore Dei confirmatur, & prona in malum labilitas coërcetur. Septuaginta. *Fallacis gratia & vana est pulchritudo mulieris, mulier enim intelligens benedicitur, timorem autem Domini ista laudat.* Sic habet correctior textus. Complutensis verò, & Regius paulò aliter. *Mendacis gratia, & vana pulchritudo non est in te, mulier prudens benedicitur*, &c. D. August. ad lectionem correctiorem propiùs accedit. *Falsa*, inquit, *gratia, & vana species mulieris: mulier sapiens benedicitur, & timorem Dei ipsa collaudat.* Chaldæus concinit cum Vulgato.

Cùm homines vulgò pulchritudinem, & formam, laudi, maximè fœminis, vertere soleãt, Salomon quidem inter huius mulieris elogia de pulchritudine hactenus nihil dixerat; iam ergo in hoc versu rationẽ offert cur pręcipuam formę laudem suppresserit. *Fallax*, inquit, *gratia*, id est, forma non est laude digna, est enim bonum mendax: laus autem vera non nisi à veris, atque solidis bonis ducenda, atque petenda est: & quidem formam, & elegantiam corporis fallax quid & commentitium esse, imò falsitatem ipsam &

A mendacium, vt aliæ lectiones habent, certissimum est. Potest autem hæc fallacia dupliciter accipi: id est, vt forma dicatur in semetipsa fallax. i. fluxa, caduca, velox, atque vno penè momẽto vernãs, & marcens; perinde ac flosculi illi, quorum vita dialis est, qui manè sese explicant & vespere omnino tabescunt. Hanc pulchritudinis fallaciam, vt alia missa faciam, pereleganter descripsit Tragicus Seneca in Hippolyt. Seneca. Poët.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis
Vt velox celeri pede laberis?
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
B *Rex est forma fugax, quis sapiens bono*
Confidat fragili?

Idem etiam in Hercule Oethæo appositè valdè ad hanc Salomonis sententiam suadet maritis mores potius vxorum admirari, quàm formam. Idem.

Vt alta syluas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus inuestit tepor:
At cùm solutos extulit Boreas Notos
Et sæua totas bruma decussit comas,
Deforme solis aspicis truncis nemus:
Sic nostra longum forma decurrens iter
Deperdit aliquid semper, & fulget nimis,
Probitas, fidesque coniugis, mores, pudor
Placeant marito, sola perpetuò manent
C *Subiecta nulli mentis, atque animi bona*
Florem decoris singuli carpunt dies.

De hac formæ fallacia aliquid etiam supra dedi c. 3. lege multa quæ congerit Tiraquellus in 2. legem cõnubialem a n. 19. adi Chrysostomum in Homilia de muliere & pulchritudine to. 5. & Hom. 20. in Epistolam ad Ephesios, vbi ad plura alia pulchritudinis incommoda hoc incommodum attexit. Tiraquell. D. Chryso. *Externa* (inquit) *pulchritudo plena est arrogantia, & insolentia: habet voluptatem vsque ad primum, & secundum mensem, vel, vt plurimum, vsque ad annum, deinde non amplius, sed à consuetudine marcescit miraculum. Quæ verò propter pulchritudinem mala aduenerunt, ipsa remanent, fastus scilicet, arrogantia, & contemptus.* Hæc est 2. acceptio D *fallaciæ*, forma enim *fallax* dicitur non modò in seipsa, sed etiam respectu viri, tùm quia eo decepto citius abit, tum etiam quia eadem perseuerãte voluptas ex consuetudine excidit, tum demùm quia vxoris pulchritudo sæpius viro deluso alteri prostat. Nã pulchras fœminas plurimi amatores ambiunt, ita vt vix sibi à multorum dolis & insidiis mariti cauere possint. Hinc est illud Theophrasti apud D. Hieronymum lib. 1. contra Iouinian. Theophra. Hieronym. *Pulchra* (inquit) *citò adamatur, difficile autem custoditur quod plures amant; nihil tutum est, in quod totius populi vota suspirant: alius forma, alius artificio & ingenio, alius facetiis, alius liberalitate solicitat; aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod vndique incessitur.* & infrà. *Omnis quantumuis* E *circumspecta, & prudens custodia luditur.* Subdit Salomon.

Et vana est pulchritudo. Aliqui *vanam* pro *superba* accipiendã putarunt. *Externa enim pulchritudo plena est arrogantiæ & insolentiæ*, vt ex Chrysostomo nuper adscripsi. *Fastus inest pulchris sequiturque superbia formam*, lege Tiraq. sup. à n. 2. Verus & germanus sensus est. *Vana est pulchritudo*. i. euanida, & fluxa, quæ dicto citiùs soluitur, abit, euanescit. Et quidem mens Salomonis est rationem offerre, propter quam pulchritudinis laudes hactenus prætermisit. Vtrumque verò à formæ commendatione ipsum deterrere potuit, quod superba, quod euanida: Nam si forma extumet, & fastuosa est, absurdum esset laudibus & commendationibus tumorem augere: si verò fluxa 206.

&

& caduca, omni laude, & encomio indiga est. Vnde Philo Iudæus in lib. de prouidentia sic habet. *Ob formositatem corporis se iactare, & laudes aucupari mentis compos nemo poterit, quæ breui adeò extinguitur tempore, vt antequam florescat defloruisse videatur.*

107. *Mulier timens Deum ipsa laudabitur*, id est, ipsa est laude digna. Quod autem Septuaginta legunt, *& timorem Dei mulier ipsa collaudat*, non inducit dissidium; nam dictum videtur per metathesim, perinde ac si dicat, timor Dei ipsam collaudat & commendat, id est, commendatione dignam reddit, quamuis verba ipsa accepta, vt sonant; emphasi non carent, si videlicet dicas *Timorem Dei ipsa collaudat*, id est, quantùm timor Dei, possit, ostendit, qui scilicet mulieris imbecillum, & infirmum sexum tanta constantiâ, & animi robore donat, quæ maxima timoris Dei commendatio est. Tamen sensus concinnior euadit sic, *Mulier timens Deum ipsa laudabitur*, id est, mulieris laus non à forma, & pulchritudine, sed à timore Dei ducenda est: Quàm verò necessarius sit matronæ timor Dei, luculenter ostendit Chrysostomus in ea homil. 20. vbi docet viri esse vxorem diligere, vxoris autem virum timere, atque hunc vxoris timorem ex timore Dei proficisci; subscribo aliqua ipsius verba, ad illa Pauli *Vxor autem timeat virum suum. Non ponit* (inquit) *quæ sunt solùm charitatis, sed quid? vt timeat virum suum, afferat mulier dilectionem cum timore, quæ tamquam in æquilibrio respondeat obedientiæ.* Obserua verborum emphasim: postulat Chrysostomus inter vxorem & virum æqualitatem quandam similem æquilibrio, & ex parte vxoris timorem, ex parte autem viri amorem: Nam vt ait Augustinus. *Amor meus pondus meum*, &c. Timoris etiam est deprimere, &c. Ergo sic inter se cohæreant, velut in æquilibrio, vxor, atque vir, inquit Chrysostomus, vt vxorem timor deprimat & deflectat, timor, inquam, sine quo obedientia illa constare non potest, quam vxor viro præstare debet; vir autem ex aduerso illam amoris sui pondere eleuet, atque attollat, sicque fiet, vt inter virum & vxorem in quadam inæqualitate sit æqualitas, & in dissimilitudine ponderum æquilibrium. Alludit autem Chrysostomus ad vocem Græcam, σύζυγος, quæ *coniuges* sonat, est autem ζυγὸς vox anceps, iugum, atque libram significans, ita vt σύζυγοι quemadmodum coniuges, sic etiam collibres, aut æquilibres appellare liceat; Subdit autem idem doctor. *Nihil est hoc coniugio maius, & præstantius; & quomodo fuerit dilectio, sic est metus, imò maximè tunc fuerit; Nam quæ timet, etiam diligit, timet virum tamquàm caput, & diligit eundem tamquàm membrum, & hoc est indicium sapientiæ, atque timoris Dei.* Itaque timorem illum, quem vxor marito præstat, ex timore Dei manare dicit.

108. Quod si per *timorem Dei* non pressè ipsummet timorem, sed latè omnem honestatem, & virtutem accipias, vt quidam volunt, erit sensus, in vxore non formam, & externam pulchritudinem spectandam, aut commendandam esse, sed honestatem & virtutem, hæc enim animo venustam magis, & elegantem formam conciliant. Sed de hac pulchritudine & specie interna pudicæ & honestæ matronæ supra multa dixi in hoc cap. vers. 24. Subiicio tamen Chrysostomum, qui huius præstantiam venusto schemate descripsit: Nam vbi externam pulchritudinem in mundo muliebri positam esse dixit. *Propterea* (inquit) *his missis venio ad animi tui virtutem, quam cuius auro, & muliebri mundo præfero. Sapiens enim & ingenua puella pietatis curam gerens, totius mundi, hoc est orbis terrarum, pretio est æquiparāda*, quasi dicat, huius elegantia tantam præstat externæ pulchritudini, quantùm mundus mundo, quantùm scilicet mundus vniuersus muliebri mundo; hæc mundum vniuersum valet, illa verò muliebris mundi pretium non excedit.

D. August. Allegoriam vrget. *Falsa* (inquit) *gratia & vana species mulieris, quia si Charitatem non habeo nihil sum, &c. Timorem autem Domini ipsa collaudat, hipsaque benedicitur: collaudat illud vnde benedicitur, quid collaudat? timorem Domini, quo perducta est ad sapientiam, Initium enim sapientiæ timor Domini.* Vide plura ad hunc sensum accommodatitium spectantia in Bæda, Salonio, Hugone, Dionysio, & aliis.

Chrysost. Chrysost. D. August.

De Virgine Deipara.

109. Locum istum S. Bonauentura De Virgine Deipara sic versat in speculo cap. 5. nam vt gratiam Virginis veram esse decerneret, tres falsas gratias enumerat, gratiam mundi, gratiam Diaboli, & gratiam carnis, ac demum sic addit. Rectè Salomon, *Falsa est gratia & vana est pulchritudo, mulier timens Deum*, &c. quia *gratissima Virgo Maria falsam gratiam Diaboli, falsam gratiam mundi, falsam gratiam carnis contempsit, & gratiam apud Deum inuenit veram, puram, & nulla adulterina mixtura vitiatam.* Hæc ille. D. Bonau.

Deiparæ corporea pulchritudo, & venustas eximia fuit, vt tradunt Andreas Hierosolymit. in sermone de Assumptione. Gregor. Nazianz. in tragœdia de Christo patiente. Gerson. Alpha 59. littera O, Richardus in Cantica c. 26. & Niceph. 2. hist cap. 23. formam illius accuratissimè depingit. Accedit Damasc. in oratione 7. de dormitione, vbi illam *totius naturæ venustatem* appellat, quia nimirum natura vim omnem suam exeruit, vt in vnam Mariam omnes venustatis partes conferret. Nec solùm naturæ id tribuit, sed etiam miraculo: quia cùm Virginis, inquit, partus ex senibus, atque effœtis parentibus non esset naturalis, sed supra naturam, autor ipsius naturæ omnia, quæ ad optimam, & numeris omnibus absolutam illius deorganizationem pertinere poterant, materiam, tempus, atque ipsos etiam astrorum aspectus illi præparauit, vt pulchra omnino, atque mulierũ omnium pulcherrima euaderet: & quidem ita expediebat, vt pulcherrima foret illa, ex qua speciosus præ filiis hominum filius fœlici partu edendus erat. Deinde quia matris forma ad liberi elegantiam, & pulchritudinem spectat, iuxta illud Poëtæ. *Multum de patre decoris plus de matre foras.* Demum similitudo veritatem partus euincit. Sunt etiam qui affirment naturali Virginis pulchritudini præcipuum quendam honorem, ac splendorem accessisse ex interna pulchritudine animi, quæ in vultum redundabat, adeò vt eiusmodi splendorem à Deo temperari oporteret, quo posset Virgo cum hominibus conuersari. Sed certè hic splendor, si quis erat, mea quidem sententia inuitabat potius, quàm deterrebat, pascebat oculos, non perstringebat, vt per omnia Virgo assimilis esset Christo, de quo Diuus Hieronymus in cap. 6. Matth. *Certè* (inquit) *fulgor ipse, & maiestas Diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Andreas. Hierosoly. Nazianz. Gerson. Richardus Vict. Nicephor. Damascen. D. Hieron.

110. Sed licet tanta & tam eximia erat externa hæc Virginis species, tamen cum interna illius pulchritudine collata, fallax omnino, & vana dici poterat. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Virginis vtique laus non ab externis vultus lineamentis, sed à timore Dei, id est, ab honestate & moribus ducenda est; in his enim interna animi pulchritudo consistit. Nam Quemadmodum pulchritudo externa in colorum tempe-

rie, & optima membrorum structura & conformatione sita est: sic etiam interna animi species ex gratia, & in virtutum omnium conuenienti commercio euadit. Quod si roges, quid de hac interna pulchritudine sentiam? Vnius tantùm Gersonis verba subscribam, & expendam, qui in Alphab. 82. à lit. B. de hac Virginis interna pulchritudine latissimè disserit. *Gerson.* *Forma* (inquit) *Maria tam grata, & tam incredibili formositate refulgens inuenta est, vt concupisceret Rex speciem eius, & ob illius formam acciperet ipse formam serui, quanta qualiscumque putanda est pulchritudo totius, quandoquidem in vno oculorum suorum dicit se sponsus vulneratum, verè pulcherrima mulierum*, & infra sic addit. *Pulchritudo, & specialitas qualibet reperta in creaturis omnibus sparsim, tota colligitur in beatam, & pulcherrimam mulierum, vel formaliter, vel eminenter, hac enim est regula diuini Dionysij Hierarchias ordinantis.* Hęc sanè verba Gersonis confirmant sententiam à nobis traditam versu superiori, & rationem, quam non ineptè conficiunt aliqui ad hunc modum. Virgo Maria in cœlo per se chorum, aut Hierarchiam potiùs à reliquis Hierarchiis supra modum auctam constituit, ergo omnes inferiorum gratias & perfectiones in se colligit iuxta regulam Dionysij Areopag cuius hic meminit Gerson, qui ad hunc modum *Idem.* attexit. *Speciositas pulcherrima mulieris sumitur ab omni pulchritudine caeterarum, ab omnibus donis, & ornamentis earum, & quo mireris amplius, omnis deformitas aliena, dæmonum scilicet ac peccatorum sibi cedit ad ornamentum.* Id verò satis apposita ratione comprobat. *Primum* (inquit) *in quodlibet genere precipuum est, & mensura aliorum. Maria vero dicta est pulcherrima, & perfectissima super caeteras creaturas, non vnitas diuinitati, qualis est humanitas Christi; consequens est igitur, vt omnia sibi subseruiant, tam bona naturae, quam gratiae, quam artis & fortunae, omniaque ad illam ornandam conspirent.* Sed hac de re non pauca diximus supra cap. 8. ad illa verba, *Dominus possedit me in initio*, &c. Alteram verò partem quam posuerat, scilicet deformitates aliarum creaturarum in ipsius ornatum conuerti, sic probat. *Scis*, inquit, *quod in picturis nigredo, & vmbra rite iuncta dat perfectionem imagini; ergo ad Virginem ornandam non pulchrior est Angelus in cælo, quam dæmon in inferno; hic enim positus est, tanquam scabellum pulcherrimae mulieris conterentis caput suum, atque inde splendet, atque emicat magis bonorum Angelorum famulatus in cælo.* Explicat deinde qua ratione omnium creaturarum pulchritudo in Virgine sit, aut re ipsa aut eminenter. Sed hac de re latè diximus in citato loco. Ex his patet, quanta sit pulchritudo interna Deiparæ, & quàm aptè externa eius forma, & species cũ illa collata, falsa omnino & vana dici possit, quamlibet ingens, miraculo cuidam similis fuerit: liquet etiam præcipuam ipsius laudem ab hac pulchritudine petendam esse. Si autem libet longiorem de hac pulchritudine tractationem perlegere, vide eruditum commentarium in cap. 12. Apocalypseos P. Blasij de Viegas à sectione 2. & deinceps.

---

31. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.*

111. DAte ei de fructu, & Hebræa non dissonant. Septuaginta longè aliter. *Date ei de fructibus labiorum eius, & laudetur in portis vir eius.* Augustinus in priori hemistychio sequitur Vulgatam lectionem. *Date ei de fructibus manuum suarum.* sed desinit tandem in translationem Septuaginta. *Et laudetur in portis vir eius.* Augustino hærent codices Regius & Complut.

Vulgatæ translationis sententia est facilis. Absoluit Salomon elogia huius heroinæ, atque rationem offert, propter quam alia quædam commendationum capita non attigerit; ex quibus alij laudes petere solent, hæc sunt, patria, maiorum res gestæ & nobilitas, parentum virtus & alia eiusmodi. *Date*, inquit, *de fructu manuum suarum*, idest, quicumque huius mulieris laudes exequi vultis, res ab ipsa gestas commemorate & aliena omittite. Quorsum patriam parentes & maiores celebrare opus est, vbi tanta suppetunt, & tam propria huius mulieris facinora laude digna? Addit. *Et laudent eam in portis opera eius*, idest, laus eius non sit solùm priuata & domestica, sed externorum etiam aures tantæ mulieris fama imbuat, & encomia illius in portis, hoc est in foris, ac celeberrimis vrbis conuentibus personent. Nec abit ab hac nostra interpretatione translatio Septuaginta, quæ habet. *Et laudetur in portis vir eius.* Nam perinde est, ac si dicat, omnes quotquot fora, & plateas exterunt, viri eius fortunam, & fœlicitatem extollant, quia talem, ac tantam vxorem nactus est. Prius autem hemistychium. *Date ei de fructibus labiorum suorum*, non facilè ad sententiam Vulgatæ lectionis vocari potest; licebit tamen sic exponere. Mulier hæc digna est, vt labiorum suorum fructus percipiat, nulli obtrectauit, nullum contumelia, aut probro affecit, de nullius fama detraxit, quin potius omnes honore & laudibus prosequuta est, ergo merita labiorum suorum meritò capiat, & pro laudibus alienis proprias referat, & quæ aliis semper benedixit, benedicta ab omnibus prędicetur. De portarum significatione in sacris literis non semel alibi loquutus sum, de accommodato sensu lege Augustinum & reliquos.

De Virgine Deipara.

Priora verba, vt sonant, Virgini tradit nouus, sed 112.
locuples auctor, hoc sensu. *Date ei de fructu manuum suarum*, id est, accepta ab ipsa eidem reddite, quidquid enim boni actitamus, ipsa donante præstamus, & si quid obsequij illi exhibemus ipsi profecto acceptum referre debemus, quod sanè verissimum est. Licet tamen germanam loci interpretationem Virgini accommodare hoc modo, Mariæ erga nos amor, & beneuolentia postulat, vt ipsi debitas laudes persoluamus: Ergo laudemus eam, lausque non aliunde, sed à rebus ipsius gestis petatur, hæc enim nobilior est, ac dignior, nec priuata sit hæc laus, sed publica in foris atque plateis percrebrescat, personet, & communi omnium acclamatione pertonetur. Itaque his persuademur Virginem laudare, & laudis optima materies nobis præscribitur.

Sed tamen cùm *portæ* in scriptura, vt aliàs dixi, 113.
loca significant, vbi Iudicialia subsellia erant, & publica iudicia agebantur, aliqui per *portas* mortem intelligunt, in qua hominum iudicatur & examinatur vita, iuxta illud Dauidicum. *Qui exaltas me de portis mortis*, id est, qui ex iudicio illo extremo, quod post mortem subire debeo, eripis me & saluum esse iubes. Itaque sensus est. *Et laudent eam in portis opera eius*, id est, cum ad portas mortis deuenerit, non illi quemadmodum cæteris hominibus, iudicium intendetur, non lis aliqua, seu causa illius discutietur, sed pro iudicio laudes, & encomia referet, quibus tota cœli curia personabit: Audi Athanasij verba in sermone *D. Athan.*
de Virgine Deipara, quibus Mariæ obeuntis & cœlum ingredientis laudes inter omnes cœlestis exercitus Hierachias distribuit. *Ecce*, inquit, *iam nunc in exordio*

exordia diei, vt primitias laudum tibi hoc encomium Archangelus contexuit dicens, Aue gratia plena, Dominus tecum: beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium Hierarchiæ, & Hierarchicas manus attollentes benedicunt tibi in cœlis. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Istiusmodi enim benedictionibus te celebrat Prima acies, quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis constat, qui aut flammei, aut magni regis Dei cognitores appellantur. Beata tu in mulieribus & beatus vterus tuus, Dei gestator, & vbera, quæ ille adhuc infantulus suxit. Secunda verò Hierarchia, quæ in se Dominationes, Virtutes, Potestatesque complectitur, ad te respectans clamat, vt pote, quæ hæc didicerit à superiori Hierarchia, prius quàm initiata sit, benedicta tu in mulieribus, & benedictus vterus tuus qui Deum concepit, & mammil- A *læ, quæ Deum educauerunt puerum factum. Iam verò tertia, ex Principibus, Angelis & Archangelis, quibus mandatum est à Deo, vt Gabrielem Archangelum ederent splendidissimum, & capacissimum hymnum in hæc verba prorumpunt, Aue gratia plena, Dominus tecum. Ab istis nos deinde Hierarchia terrestres exaltationes Dei in gutture ferentes, verba sumpserimus, & exaltemus te canora voce dicentes, Aue gratia plena Dominus tecum, intercede hera, domina, & Regina pro nobis.* Ex his iam disces, quanto studio, ac reuerentia consueta salutationis Angelicæ verba iterare debeas, cùm hæc, & non alia ab omnibus Angelorum ordinibus Virgini proclamentur.

* * *

FINIS.



INDEX

Rerum & Verborum, quæ in hoc secundo Tomo continentur.

Nota prior Caput, *posterior* Numerum marginalem *designat*.

Ne

Anima.

Annulus.

Appetitus.

Aqua.

Aquila.

Aquilo.

Astutia.

Auaritia.

Sicut

Actis

Detra-

quia

Libera-

Paren-

G.

Gallus.

H.

Hebræi.

Natales

L.

Labor.

Lacryma.

In

Immunitatis

Optima

Miseri

Mysteria

Deus

Principis

Qui

Reges

Argento

Quomodo

Supe-

Fides

Z.

Zelotypia.

F I N I S.

INDEX LOCVPLETISSIMVS,

Eorum, quæ in duobus Tomis huius præclarissimi ac exactissimi Operis Commentariorum Ferdinandi Quirini de Salazar, in Prouerbia Salomonis continentur; in quo variæ & luculentæ materiæ tam in sensu Literali quàm Morali & Allegorico enucleantur, quæ ad sacras Conciones verbi Dei Prædicatoribus, per totum annum, de Tempore, de Sanctis, & in Quadragesima vsui esse possunt.

Adulterinis, quibus scatebat notis, & numeris recens expurgatus, & meliori ordini restitutus.

In quo, prior numerus Tomum, secundus Caput, tertius Capitis distributionem indicat.

Christi

Dominica infra oct. Natiuitatis.

Erat Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Luc. 11.

In festo Circumcis. Domini.

Postquam consummati sunt dies octo. Luc. 11.

In die Epiphaniæ Domini.

Cum natus esset Iesus in Bethleem Iuda. Matth. 11.

Dom. I. post. Epiph.

Cùm esset Iesus annorum duodecim. Luc. II.

Dominica II. post Epiph.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilee. Ioan .II.

Coniugalis

Dominica III. post Epiph.

Cum descendisset Iesus de monte, Matth. 8.

LEprosus & Centurio, ille proprij corporis afflictione, [illegible] alterius, ad Christum recurrunt: Tribulationum itaque ac dolorum commendatur necessitas, qui [illegible] oculos [illegible] aperiunt, & ad Deum [illegible] compellunt: [illegible] de fructu tribulationum.

Dominica IV. post Epiph..

Ascendente Iesu in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius. Matth. 8.

CHristus D. cùm sit vniuersalis Nauarchus in hoc mari periculoso, ideo cum discipulis ad eum cum timore confugiendum, nihil enim boni, veri ac stabilis in nos proficisci aliundè potest nisi à Deo, & talibus, qui cum timore ad Deum recurrunt, sæpe felicia eueniunt, t. 2. c. 28. n. 72.

Dominica

Dominica V. post Epiph.

Simile est Regnum Cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Matth. 13.

SErui conquerentes de zizania exemplar sunt & imago iustorum, quorum quidam modo perfectiori curant, ne ex familiaritate malorum boni corrumpantur; Quidam verò zelo quodam ducti contra malos insurgunt, & vt eradicentur vota sua fundunt; tertij videntes fortunati [illegible], quorum fortunæ (sicut zizania dum [illegible], tritici speciem habet) videntur aliquid beatitatis habere, ex fœlicitate illorum scandalizantur.

Tria genera hominum à quibus abstinendum, t. 2. cap. 2[illegible]. n. 69. 70.

Vnus peruersus totam societatem, vrbem, imò Remp. inficere potest, ideo [illegible]

Nefariorum hominum societas, & [illegible] fugiendum, t. 1. cap. [illegible]

Quomodo improbi [illegible] insidientur sanguini innocentum, [illegible] & seq.

Quomodo peccatores dicantur [illegible] nis, t. 1. cap. 5. [illegible]

Iustus non tantum [illegible] animæ, nec tantum famil[illegible] timet, quia cum [illegible] [illegible] vitandum etiam est [illegible] n. 5[illegible] & 57.

Iustos non tantùm timendum [illegible] malitiæ, aut peccati naturam, sed etiam ob [illegible], qui solet [illegible] etiam innocentes [illegible] dem pœnis inuoluere, ibid. & 58.

Iustorum hominum [illegible] pietati reddere impios, aut [illegible] curare, ibid. n. 59.

Iusti [illegible] & [illegible] non tantum ex [illegible] ne & tractu circum [illegible] & [illegible] omnia [illegible]

[illegible] n. 63.

Cur non [illegible] n. 1[illegible]

Deus [illegible] lis illius admittuntur scelera, ibid. n. 144. & seqq.

Cur Deus [illegible] li beat, ex [illegible]

Prosperitas [illegible] quàm dilect[illegible]

Omnis [illegible] tuna, Deo [illegible]

Quo[illegible] nati[illegible]

Pœna [illegible] n. 245.

Beatitudinem temporalem, [illegible] cum luna pingebant, propter [illegible] t. 2. cap. 20. n. 56.

Fœlicitatim [illegible] bemus, sed etiam data optione, eam non eligere, t. 1. cap. [illegible] n. 2[illegible]4. & t. [illegible]

[illegible] tia, ac [illegible] tia 6. post Dominicam 1. Quadrag. & feria secunda post Dominicam 2. Quadrag.

Dominica in Septuagesima.

Simile est regnum cælorum homini Patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Matth. 20.

IN *præsenti* Euangelio laudatur Patris-familias in soluendo, tum liberalitas, tum fidelitas, laborantium sedulitas, mercedisque possessio, & otium ac ignauia vituperatur: Inde [illegible] tum dicendi de liberalitate Dominorum, [illegible] conditione ac otij detestatione; [illegible] applicari, quàm sit misera seruitus peccati, ac debitum contrahendi peccatum [illegible]

Quare dominus cum [illegible] arbore comparatur t. 2. cap. 2[illegible] n. 1[illegible] 1[illegible]4.

Liberalitas in Principe, [illegible] conciliat, t. 2 cap. 1[illegible]

Liberalitate Principis [illegible] onera spontè [illegible] ximè decet Principem, t. 2. c[illegible] n. 15.

Q[illegible] fiente hominem à benefaciendo [illegible] n. 2[illegible]

Nullum argumentum potestatis, [illegible] dominij, [illegible] bona [illegible] eadem liberaliter impendere, ibid. n. [illegible]

[illegible] notam deferre dicantur [illegible] vide plura in di[illegible] Epiph.

[illegible]

Merces [illegible] stior [illegible] n. 59.

[illegible] beneficij [illegible] incer[illegible] 9 & [illegible]

[illegible] & nullum [illegible] lud in quo [illegible] & seq.

[illegible] quomodo explicatur? ibid.

[illegible] n. 1[illegible]8.

[illegible] n. 104.

[illegible] & admodum [illegible] non modo quod meretur, sed vltra conditionem [illegible]

[illegible] & iniurias seruitutis [illegible] libertatis gloria [illegible] n. 105.

[illegible] vide [illegible] post Cineres.

Detestatio [illegible], quia inde sequuntur multa incommoda, t. [illegible]

Piger & otiosus [illegible] dicitur? t. 2. c. 20. n. 16.

Quomodo piger idest tepidus propter defectum charitatis non [illegible]

[illegible] ibid.

Suadet scriptura vt mutuum non petamus, sed ipsimet laboremus; contra eos qui [illegible] in via salutis, sed mutuò ab alijs [illegible], & similia expetunt, t. 2. c. 2[illegible] n. [illegible]6.

Vir otiosus & feriator, tamdiu in [illegible] est, quamdiu viuit, atque illum [illegible] cupat t. 2. c. 2[illegible] n. 1[illegible]6.

Qualia damna & detrimenta ex [illegible] eueniunt? t. 1. c. 10. n. 48. & 49.

Otium siue pigritia lethale [illegible], ibid. n. 49. & seq. & t. 2. c. 2[illegible] n. 18.

Vir piger plurima meditatur scelera, vt suæ indigentiæ aliqua forte subueniat, t. 1. c. 10. n. 51.

Dominica in Sexagesima.

Cùm turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum. Luc. 8.

EVangelium hoc exemplo Christi summi Prædicatoris (qui vim verbi Dei semini applicauit) Prædicatorum officium, proprietates, & modum docendi demonstrat; De his itaque agendum.

Dominica in Quinquagesima.

Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt. Luc.18.

IN præsenti Euangelio tria insinuat Euangelista; ponit morbum cæcitatis, simul opponit medicamentum, videlicet mortem Christi; tertium, vnde claret charitas Christi erga genus humanum, quia voluntariè tradidit semetipsum gentibus ad illudendum, flagellandum, &c. Dicendum itaque erit primò de cæcitate mentis; secundò de medicamento quod Christus per passionem attulit; tertiò de symbolo amoris, quod Deus ostendit cùm in iustos tribulationes immittit.

vnige

vnigenitum tradidit in mortem; quia calamitates,& tribulationes,inter maxima Dei beneficia numerantur,t.2.c.14.n.41.

Quia nullum Deo gratius spectaculum,quàm patientia martyrum,t.2.c.20.n.82.

Quare Deus non statim eripit,vendicatque iustos ab aduersario? ibid.n.80.

In tribulatione non homo qui te lædit, sed Deus inspiciendus,qui illum,vt te lædat, destinauit, ibid. num.81.

Plura de tribulatione vide Dom.3. post Epiph.& feria 5.post Dom.1.Quadrag.& in festo sancti Iacobi Apostoli.

In die Cinerum.

Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut Hypocritæ tristes. Matth. 6.

DVplicem speciem denotat nobis Euangelista; vnam claram, & veram Christiani hominis? Aliam personatam seu fictam ac Hypocriticam,quam ex diuerso modo in via virtutis procedendi, tum ex diuerso obiecto,ac fine desumit. Dicendum ergo primò de prima specie veri iusti; secundò de secunda, qui specie tenus iustus apparet.

Quæ sit proprietas viri iusti? t.2.c.20.n.19.

Quis vir iustus ac fidelis appellatur?t.2.c.17.n.26.

Cui vir iustus assimilatur? t.2. c.20.n.19.& seqq.

In anima iusti omnia æquè, & secundùm artem elaborata sunt,t.2.c.21.n.23.

Quare iusti dicuntur totius mundi dominium habere,cùm non liceat in terris thesaurisare? t.2.c.17. num.25.

Quomodo iustus Regis nomine in scriptura insignitur?ibid.n.23. & cap.21.n.4.

Quare iustus & stultus sciendi cupidi? t.2.cap.18. num.6.

Quàm latum discrimen inter virum pium, & impium,t.2.cap.18.n.42. & cap.20.n.71.& c.24.n.71.

Iustus libentius seipsum accusat, quàm alios, t.2. c.18.num.62.

Iustus alienis damnis commonitus, sua redimit, malignus etiam conspectis aliorum sontium ærumnis,ac suppliciis,cœpta malitia finit,t.2.c.21.n.14.

Quomodo candor & simplicitas audaciam quandam metus expertem pariat?t.1.cap.10.n.143.

Ideo ieiunantes militibus stationariis similes dicuntur,t.2.cap.18.n.39.

Ideo iustus centies calamitatibus, atque ærumnis oppressus sese erigit, & animo constantissimè assurgit;ex aduerso impij & hypocritæ, calamitatibus in ruinam impulsi,prorsus consternuntur,t.2.c.14.n.68

Iustis,siue virtutis cultoribus, vita longa, & omnium bonorum affluentia pollicetur,t.1.c.3.n.174.

Differentia inter iustum & impium quoad bona temporalia, ibid.n.175.& seqq.

Cur iusti rarò diuitiis atque bonis his caducis affluant?t.1.cap.3.n.204.

Iusti fœlicitatem etiam temporalem,iure quodam obtinent,improbi non ita,t.1.cap.3.n,252.

Quæ merces iusti,& quæ peccatoris? t.1.cap.10. n.225.& seqq.

Iustorum obitus quantum ab impiorum interitu discrepet t.1.c.11.n.39.40.& seqq.

Plura de iustis, vide Dom. 2. & 3. Aduentus, & Dom.infra Octa. Natiuit.& Dom.5.post Epiph.& in Festo S.Ioannis Baptistæ,& S.Dominici.

Sycophantæ nomen vnde,& quid significat?t.2.c.18. num.86.

Quæ sit differentia inter hypocritam,& humilem? t.1.cap.16.n.11.

Hypocritæ natura, proprietates,dotes, & prauitas animi,t.2.c.27.n.122.& seqq.

Hoc inter simulatorem,& candidum interesse dicunt,quod ille ærumnis petitus sese abscondit,celatque;hic verò palam,& publicè eisdem sese offert.t.2. cap.21.n.21.

Simulator est similis salutatori antelucano, t.2. c.27.n.79.

Quare improbi, hypocritæ,auari,scoria dicantur in scriptura?t.2.c.21.n.85.& cap.25.n.28.

Feria V. post diem Cinerum.

Cùm introisset Iesus Capharnaum, accessit, ad eum Centurio rogans eum. Matth. 8.

HIc Centurio repræsentat omnes mundanos arrogantes, qui tempore fœlicitatis vix Deum agnoscunt,tandem tribulatione aliqua,tanquam freno coercentur, & sese humiliant; De primo vide Dom.3.post Epiph.

De secundo dicendum, humilitatem esse profundum structuræ fundamentum?t.2.cap.17.n.74.

Humilitas animum ab omni inflatione immunem reddit,t.2.cap.17.n.12.

Initium humilitatis oritur ex cognitione sui ipsius t.1.cap.13.n.41.

Quæ bona humilitas nobis adferat?t.2.c.17.n.12. & 13.

Quod est præmium humilitatis? t.2.c.25.n.25.

Humilitas est murus inconcussus;quicumque humilitate caret, est tanquam vrbs absque muroru ambitu,t.2.cap.25.n.168.

Occasione horum verborum.

Dico huic,vade, & vadit.fac hoc,& facit.

DIcendum de potentia & authoritate superiorum erga subditos.

Tam boni, quàm mali Reges & Principes à Deo habent potestatem,t.1.cap 8.n.96.

Quid intersit inter Regnum & Dominium?ib.n.103.

Omnis potestas quæ vere talis,sub Deo & secundùm Deum,suum ordinem habet, ac honorem sibi, post Deum,deferri vult,atque obedientiam,t.2.c.24. num.93.

Quoties lex humana dissidet à Diuina, Diuinis potiùs, quàm humanis præceptis obediendum, ibid. n.90.& 93.

Qui Regibus potiùs quàm Deo timorem reddunt, hi in Deo rerum humanarum prouidentiam negant, t.2.cap.24 n.94.

Duo potentissimi obsequi[illegible], & timore deuincuntur,qui hominem perdere p[illegible] ssunt,ibid.n.95.

Licet quælibet obedienti[illegible] a sui ipsius victoriam denotet,longè tamen gloriosior;ac splendidior est illius victoria, qui superiori ir[illegible] iquè contra fasque iubenti ad nutum paret,& cùm innocens sit pœnis,aut meritis acquiescit,t,2.c.21. n.121.

Obedientiæ,victoriæ,& præmia, quibus gaudent subditi sunt,quia & Dominos suos vincunt,& aliam victoriam sibi accommodant,ibid.n.122.

Quanta mala Domini ob pigritiam ministrorum patiantur? t.1.c.21.n.305.

Virtutes boni serui, prudentia, & temperantia, t.1.c.14.n. 150. & seq.

Cetera vide ad hanc materiam spectantia, tam de

Princi

Feria VI. post diem Cinerum.

Audistis quia dictum est antiquis; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Matth. 5.

CHristus imperfectionem, seu debilitatem antiquæ legis, quæ tanquam egena, nos filios Patris æterni reddere non potuit, in perfectam, & solidam reducit, cùm non tantùm amicos diligendos, sed etiam inimicos proponit, quod est perfectorum; beatitudinemque, seu mercedem æternam faciliùs obtinendam, per eleemosynæ largitionem edocet. Primò igitur de materia tanquam nobis familiariori, id est de amico; secundò de opposito illius; tertiò de eleemosyna tractandum.

Dominica I. Quadragesimæ.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu vt tentaretur à Diabolo. Matth. 4.

DIabolus princeps malignorum, qui est caput superbiæ, tria quæ contrariantur vitæ Christianæ, Christo tanquam Antesignano nostro opponit; contra ieiunium panem, in quo abundantia, contra humilitatem superbiam, contra paupertatem auaritiam, quę tria, tanquam venena fugienda sunt, & repellenda exemplo Christi: Primò itaque de voluptatibus, secundò de superbia; tertiò de auaritia agendum.

Per

Per occasioné vide de pinnaculo templi, t.2.c.21. n.45.& 46.

Cætera de auaritia vide feria 3. post. Dom. 1. Quadragesimæ, & Dom.13.post Trinit.

Feria II. post Dom. I. Quadr.

Cùm venerit filius hominis in Maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo. Matth. 25.

EXactissimi iudicis filij Dei Euangelista aduentum commemorat, bonisque ac malis mercedem licet inæqualem, his qui dederunt, dat, his qui negauerunt negat, his qui sua largiti sunt, liberaliter soluit, hos qui alios spoliauerunt, condemnat, ignique æterno cruciandos demandat: Monet igitur facies Euangelij, ad iudices primò rem, secundo ad homines, tam dantes, quàm accipientes, habendam.

Qua ratione iudex (si quis quærat) tam imparium, & inæqualium rerum momenta exequi debet, vt paruum, & magnum æqualiter iudicet? t. 2. cap. 28. num. 103.

Iniustè iudicantes, non suam, sed Christi iustitiam violant, t.18.n.24.

Sententia non ferenda donec audiatur altera pars, ibid.n.64.

Familiare est vitium Magistratibus, vt causas pauperum, vel violent, vel contemnant, t.2. c.22.n.118.

Iudex prohibens iniuriam facere pauperi, in asylo ponet animam suam, ibid.n.128.

Quomodo principes, iudices, non peccant quando iustum condemnant, t.2. c.18. n.27. c.24. numero 95.96.

Pœnæ iniustorum iudicum, t.2.c.21.n.36.37.

Cætera vide in hac materia Dom.1. Aduentus.

Quare qui pauperi dat, Deo non dat, sed mutuat? t.2.c.19.n.56.

Quali prærogatiua donantur eleemosynarum largitores? t.2.c.17.n.27.

Eleemosynæ commendatio, fructus, emolumenta, præmium, t.2.c.19.tot.versu 17.

Misericordia, seu eleemosyna, non ex quantitate, sed ex affectu pensatur, t.2.c.19.n.82.& c.22.n.45.

Cum ira Dei sit sicut ignis, eleemosyna sicut oleũ, oleum autem non extinguit ignem, imò accendit, quomodo ergo eleemosyna extinguit iram Dei? t.2. c.20.n.69.c.22.n.54.

Inter os viri misericordis, & auari tale discrimen, quale inter dentes ora [illegible] animãtium, t.2.c.21.n.91.

Pauperibus largiens ingenti fœnore cumulatum recipiet, t.2.c.28.n.42.& 136.

Deus eum impensè diligit, & liberaliter cum eo agit, qui ex liberalitate, & animi propensione etiam parua largitur t.2.c.22.n 46.

Cur hilaris dator debeat esse, qui eleemosynam largitur? ibid.n.48.

Cætera quæ cõducere possunt ad hanc materiam, vide feria 6 post Cineres, & in festo S. Paschæ, & Dom.7.post Trinit.

Christus in pauperibus per singularem erga ipsos gratiam peculiari modo esse, ac viuere, ideo qui pauperem lædit, Christum lædere dicitur, t.2.c.21.n.116.

Paupertas est maius artificium Dei, t.2.c.22.n.6.

Paupertas & diuitiæ, non sunt vera bona, aut mala, sed adumbrata, ibid.n.7.

Deus ipse causam pauperis agit in omnibus, t.2. c.22.n.122.

Qui pauperibus imposturam, fraudem, & vim faciunt, ipsum Christum cruci rursus affigunt, ibid. num.121.

Quonam modo (quæret quis) is qui pauperem spoliat Deum iterum crucifigere dicatur? ibid. numero 124.

Quare Deus quosdam permittit in paupertate degere? t.2.c.28.n.54.

Pauperes diuitum futuros iudices significauit Christus, ibid.n.59.

Plura quæ huc inseruire possunt de pauperibus vide feria 5. post Dominic. 2. Quadrag. & in festo omnium Sanctorum.

Feria III. post Dom.I.Quadrag.

Cùm intrasset Iesus Hierosolymam, commota est vniuersa ciuitas. Matth. 21.

CHristus Dominus abominabile vitium auaritiæ detestans, authoratiuè defendens iniuriam domus Dei, eiecit ementes, & vendentes; post factum curauit cæcos & claudos quo moti Principes Sacerdotum, indignati sunt contra pueros clamantes, Osanna filio Dauid: Dicendum igitur, quomodo auri fames etiam sacra violat, & inuidia etiam bona, mala iudicat.

Lucri causa etiam iura propinquitatis violant, & amorem fraternum in odium conuertunt, t.2. c.19. num.14.

Triplex vinculum quo animus cupidi vincitur, t.2.c.21.n.32.

Duo vitia sunt superbia & auaritia, quæ lucerna impiorum dicuntur, & magnam peccandi illis licentiam offerunt, t.2.c.20.tot.versu 4.

Lucro inhians tanto impetu in malum fertur, vt etiamsi malum esse nouerit, nihilominus illud exequi expetit. t.2.c.21.

Lucro inhiantes iustitiam, iura, leges, ad diuitias velocius contendentes, transuolant, t.2.c.28.n.101.

Inuidiæ lues non tantum animum, sed etiam corpus lacerat, ac arrodit, t.1.c.14.n.124.& seqq.

Morbi istius pernicies difficile sanatur, ibid.n.125.

Quod remedium cauendi, seu liberandi ab inuidia? ibid.n.126.

Mansuetudo inuidiæ optimum amuletum t. 1. cap.14.n.130.

Inuidia alienæ fœlicitatis est tam pessima cordi, sicut tinea vesti, & vermis ligno, t.2.c.25.n.127.

Duo sunt vitia ex quibus inuidia gigni solet, ibid. num.128.

Inuidia septuplex nequitia appellatur, t. 2, c. 26. n.135.

Inuidus quomodo malos oculos dicitur habere? t.2.c.28.n.111.& 112.

Inuidus pessimus interpres operis alieni, t.1.c.14. num.35.

Feria IV. post Dom.I. Quadr.

Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi dicentes: Magister volumus à te signum videre. Matth. 12.

PRoponit Euangelista curiosam petitionem Pharisæorum, quos confundens filius Dei opponit illis Niniuitas, qui sua pœnitentia ad prædicationem Ionæ facta, condemnabunt eos, qui post tot prædicationes adhuc in peccatis persistunt; munditiamque conscientiæ, per immundi Spiritus eiectionem, ostẽdit; qua occasione de pœnitentia illiusque partibus, ac etiam de conscientia bona & mala dicendum erit.

Primum pœnitentiæ exordium cum aurora comparatur, t.1.c.4.n.141.

Cur

Feria V. post Dom. I. Quadrag.

Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sydonis: & ecce mulier Chananæa. Matth. 15.

Dilucidè Euangelista angustias mulieris de filia à dæmonio vexata solicitantis, eidemque à Christo salutem impetrantis: Cuius occasione benignitas Dei prædicanda, quæ calamitatibus ad sui cognitionem adducit.

Feria VI post Dom. I Quadrag.

Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Ioan. 5.

Proponitur homo triginta & octo annos manens in infirmitate, cuius misertus Dominus sanauit eum: Hic languidus repræsentat peccatorem in peccato iacentem, auxilio diuino indigentem: Dicendum ergo de duritie & obstinatione cordis, & gratia Diuina illud emolliente.

Gratia

Dominica II. Quadragesimæ.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum. Matth. 17.

CHristus Dominus imaginē futuræ beatitudinis, fœlicitatisque æternæ repræsentat in sua gloriosa Transfiguratione; & quoniam nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, ideo primò de virtute, secundò de beatitudine, quæ est corona & præmium virtutis, agendum.

Feria II. post Dom. II. Quadr.

Ego vado & quæritis me, & in peccato vestro moriemini. Ioan. 8.

MAlignitatem peccati Euangelista describit, cuius enormitas viam veritatis nobis præcludit; ideò primò veritatis encomia, secundò malitiæ vituperationem, veritatisque oppositum, quod est mendacium, declarabimus.

Feria III post Dom 2. Quadrag.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Matth. 23.

P*Roponit Euangelista* necessariam esse correctionem in quacumque Republica, & præcipuè in Ecclesia, declaratque duplicem Doctorem, seu Prædicatorem Vnum qui dicit, & facit. Alterum qui conscientias aliorum alligat, & onera graua imponit, ipse verò eadem, nec primis labris (vt dicunt) attingit, conditionemque auditorum simul obseruat. Quapropter primò de modo correctionis, secundò de Doctore tam bono, quàm malo, tertiò de auditoris conditionibus dicendum.

Feria IV. post Dom.II.Quadr.

Ecce ascendimus Hierosolymam, *& filius hominis tradetur.* Matth. 20.

Vide Dominica in Quinquagesima.

Feria V.

Feria V. post Dom. II. Quadr.

Homo quidam erat diues & induebatur purpura, & bysso. Luc. 16.

PRoponuntur in Theatro hodierni Euangelij duo viri, diues, & pauper, ille delitiis & voluptatibus affluens, iste omni solatio mundano destitutus in miseriis & calamitatibus vitam ducens: ille cum amaritudine vitam finit, sepelitur in inferno; hic amaritudinibus finem imponens, locatur in sinu Abrahæ, requie æterna potiturus; de quibus est differendum.

Cur diuitiæ vitiis plerumque & non virtutibus patrocinantur? t. 1. c. 10. n. 7. & seqq.

Diuitiarum possessores nunquam quiescunt, ibid. num. 10.

Diuitiæ vincula sunt auarorum, t. 1. c. 10. n. 46.

Ex diuitiis superbia & fastus accidit, t. 1. c. 10. n. 60. & seqq. & n. 122.

Diues nequaquam beatus appellari debet, ibid. num. 63.

Auarus semper conuiuam diabolum habet, & quomodo illi diabolus victum eripit? ibid. num. 65. & 66.

Quot & quantis catenis diues sit ligatus? t. 1. c. 10. num. 276.

In die iudicij nihil proderunt diuitiæ, t. 1. cap. 11. num. 17.

Diuitiæ quomodo vincula dicuntur? t. 2. cap. 21. n. 32. & seqq.

Quàm sit misera seruitus diuitiarum? ibid.

Diuitiæ vocantur redemptio animæ, & etiam perditio illius, t. 1. c. 13. n. 25. 26. & seqq.

Qui spem suam in facultatibus mundi ponunt, ne oboli quidem Domini sunt, t. 2. cap. 17. n. 26.

Quæ sunt diuitis propugnacula? illaque fortia sicut telæ aranearum? t. 2. cap. 18. n. 43.

Diues auarus non est homo verus, sed pictus, ibid.

Omnes mundi diuitiæ non sunt solidæ, sed pictæ, ibid. n. 44.

Quomodo diuitiis comparantur amici & quales? t. 2. cap. 19. n. 11. & 12.

Diuitem nullos habere amicos quomodo intelligitur? t. 2. cap. 19. n. 44.

Cum sæpe diuitias sequatur auaritia, vide Dom. 1. Quadrag. & feria 3. post Dom. 1. Quadrag. & feria 6. post Dom. Passionis. & Dom. 1. & 20. post Trinit.

Quomodo pauper & quomodo diues Deum alloquantur? t. 2. cap. 20. n. 15. & 16.

In paupere nescio quid sacrificij omnium præstantissimi, videlicet Eucharistiæ reperitur, ibid.

Pauper diuitias quærit non aliam ob causam, nisi quia hæ vini ad instar animum lætificant, & olei in modum eundem animum deliniunt, t. 2. cap. 21. n. 80.

Pauperem & diuitem fecit Deus, vt sese mutuò iuuarent, ibid. n. 9.

Christus non modo in pauperibus beneficiis afficitur, sed etiam læditur, & violatur, t. 2. cap. 22. n. 123.

Pauper spiritus suos comprimere, neque diuiti supparem se exhibere debet, Deus enim pauperem superbum odio habet, t. 2. cap. 13. n. 41. & 42.

Solemnis consuetudo antiquitùs erat, vt pauperes multo mane ad diuitum fores consalutatum conuenirent, t. 2. cap. 27. n. 74.

Quare quosdam Deus permittit in paupertate degere? t. 2. cap. 28. n. 54.

Veri pauperes nulli adulantur, quia sunt diuitiarum contemptores, ibid. n. 55.

Cæterà vide feria 2. post. Dom. 1. Quadragesimæ, Et in festo Omnium Sanctorum.

Feria VI. post Dom. II. Quadr.

Homo erat Paterfamilias qui plantauit vineam. Matth. 21.

BOni Patrisfamilias diligẽtiam circa culturam vineæ Euangelista proponit: Occasione cuius de officio boni ciuis, & Domini domus, institutoribusque suæ prolis ac familiæ agendum.

Boni ciuis seu Patrisfamilias officia; familiam suam solicitè curare, filios rectè educare, Reipublicæ fidẽ præstare, commune bonum propriis commodis anteponere, & Principibus deferre, t. 2. cap. 30. n. 125. & seqq.

Qualis debeat esse institutio puerorum? t. 2. c. 21. n. 29. & seqq. & c. 29. n. 66.

Pater qui filium tantum genuit, & aliis erudiendum tradidit, corporis tantummodo pater extitit, qui autem ad generationem naturalem, vlteriùs eruditionem & informationem morum adhibet, eiusdem filij parens corpore & animo esse incipit, t. 2. c. 39. num. 76.

Quæ patremfamilias maximè augere solent, t. 2. c. 19. tot. versu XIII.

Præcipitur parentibus, vt filios suos ad pietatem, & honestatem informent, t. 2. c. 17. n. 22.

Plura vide de Dominis & seruis Dom. in Septuagesima, & feria 5. post Cineres. De educatione verò puerorum. Dom. 2. post Epiph.

Dominica III. Quadragesimæ.

Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11.

DÆmoniacus iste repræsentat peccatorem qui multorũ vitiorũ vinculis irretitus, linguæ aliorumque sensuum bonum vsum perdit, cuius est proprius vsus laudare Deum, confiteri peccata, ac de omni veritate rectè loqui: Dicendum igitur de bono & malo vsu linguæ. Si autem velis occasione eiectionis & profligationis dæmonum, de pœnitente vero sermonem facere vide feria 4. post Dom. 1. Quadragesimæ: sub fine Euangelij sunt illa verba. *Beati qui audiunt verbum Dei*, &c. Quærendum ergo vtrum per hęc verba diminuta sit laus Virginis; vide in calce indicis hodiernæ diei.

Antequam ad linguosos descendamus, de diabolo tanquam patre illorum pauca prælibabimus.

Quibus telis iaculandum contra diabolum, tom. 2. c. 18. n. 38.

Belial quid significat propriè, & quare pro diabolo vsurpatur? t. 2. c. 19. n. 101.

Cum homini attribuitur hoc nomen Belial, significat hominem diabolo deuotum, & summè sceleratum, perditum, & deploratum; cum verò in abstracto sumitur, significat nequitiam, & extremam improbitatem, ibid.

Per gignantes diaboli intelliguntur, t. 2. cap. 21. n. 77.

Intelliguntur etiam mortui & monstra, ibid.

Vnde originem trahunt? ibid. n. 78. & quare filij terræ dicuntur? ibid.

Quæ sint lingua bona & moderatæ laudes? t. 1. c. 10. n. 268. & seqq.

Lingua bona, & specifica fœdera & amicitias consociat longè meliùs quàm epulæ, ibid. n. 269.

Lingua boni hominis assimilatur linguæ canis, maledici verò linguæ viperæ, t. 1. c. 15. n. 11.

Feria II post Dom. III. Quadr.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Luc. 4.

Feria III. post Dom. III Quadr.

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, Matth. 18.

Corre-

Correptiones quas amici dant ad emendationem morum suis familiaribus, vulnera debent esse fidelia, id est, non iniuriosa, ibid. n. 34. Cætera vide feria 3. post Dom. 2. Quadragesimæ.

Qui memoriam iniuriarum sæpiùs recolunt viam ad mortem sibi sternunt, t. 1. c. 12. n. 127.

Quare vulgus iudicat, æquo animo ferre iniurias, stultitiam? t. 2. c. 19. n. 29.

Occurrit dicendum contra quorundam opinionem, qui turpe sibi & ignominiosum putant, susceptas lites, & contentiones, non vrgere, ac prosequi, t. 2. c. 20. n. 12.

Acceptis iniuriis non irasci, maximum sapientiæ argumentum, t. 2. c. 19. n. 30. & 31.

In vindicta non solùm externa, sed etiam animi decretum & propositum prohibetur. t. 2. c. 20. n. 80.

Illi qui malum nobis inferunt, beneficiis sunt deuincendi, ibid.

Dum opprimeris ab aduersario, expecta Dominum, & illum inspice, non hominem à quo læsus es, ibid. n. 81.

Non postulanda, sed expectanda vindicta à Deo, & quandiu? ibid.

Qui iniurias in aliquem iacit, semen fœcundum in terram vberem proiicit, t. 2. c. 22. n. 39.

Quomodo non contrariatur quod Paulus à Deo vindictam expectare iubet, Charitas verò expostulat, vt læsus de vindicta nihil cogitet? tom. 2. cap. 24. n. 79. & 80.

Iniuriarum vindicta Deo relinquenda, nec per se, aut iudices humanos exquirenda, ibid. n. 87.

Talionem hosti reddere, non solùm charitati aduersatur, sed ipsi retalianti perniciosum est, t. 2. c. 24. num. 127.

Loco medicamenti, tormentum adducit conscientiæ qui ex hoste vindictam sumit. ibid. n. 128.

Iniuria proximo illata, & expetita vindicta, quæ prius oblectabat plurimùm, post acceptam vehementer torquet animum, t. 2. c. 25. n. 137.

Feria IV. post Dom. III. Quadr.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Matth. 15.

V*Itiosos* reprehensores corripiens Christus Dominus, ad mandatorum Dei debitam obseruantiam nos admonet, & vt honorem Parentibus debitum exhibeamus præcipit, cordis infirmitatem, vnde cogitationes malæ cæteraque crimina, quæ coinquinant hominem, conscientiam commaculāt, & scandalum pariunt, quomodo reprimendam ostendit: De his ergo tractandum.

Præcepta Dei non ore, sed corde consideranda, voluntate amplectanda, memoria recolenda sunt. t. 1. c. 2. n. 3. ibid. n. 4. & seq.

Iubentur præcepta corde custodiri, quia cor est fons vitæ, tam spiritualis, quàm corporalis, t. 1. cap. 3. num. 3.

Qualem mercedem ob custodiam præceptorum promittit Deus? ibid. n. 4. & t. 2. c. 19. n. 55.

Præcepta debent inhærere cordi, & appendi supra pectus nostrum, t. 1. c. 3. n. 9. & seq.

Vt impleantur præcepta non est fidendum humanis viribus, sed Diuinis auxiliis. ibid. n. 22.

Legum custodia vitam animæ adfert, t. 1. cap. 3. num. 171.

Quomodo custodiendæ sunt leges, atque præcepta Dei? ibid. n. 174 & seq.

Deo inseruire regnare est, ibid. n. 177.

Cur præcepta, & leges debeant dari compendiosè, & figuris ac parabolis inuolutæ, t. 1. c. 6. n. 138.

Præcepta debemus nobis præficere tanquam custodias, ibid. n. 142.

Cur præcepta Dei lucernæ comparentur? ibid. num. 146.

Cur oculis sint similia? t. 1. c. 7. n. 6.

Præcepta Dei vt pupilla oculi seruanda, ibid. n. 7. & seq.

Quid sit præcepta digitis, aut manibus alligare? ibid. n. 17. & 18.

Ex obseruatione legis quidam annulus, qui est insigne nobilitatis, coalescit, t. 1. cap. 7. n. 23. 24. & seq.

Qui violant precepta, animam suam dehonestant, t. 1. c. 8. n. 455.

Qui mandata Dei obseruat, est tanquam murus fortissimus, t. 2. c. 28. n. 33.

Qui ex industria auertit aures suas, ne audiat Dei legem, & auditam impleat, huius orationem abominabilem ducet Deus, ibid. n. 44.

Duratio vitæ filiorum ex obseruantia, & obsequio erga parentes pendet, t. 1. c. 4. n. 41.

Non solùm præceptis, sed etiam exemplis Ciconiarum instruuntur filij, vt parentes viribus effœtos, more Ciconiarum alant, t. 2. c. 17. n. 21.

Magnum est nefas parentes contemptui habere, t. 2. c. 30. n. 156.

Filij nunquam possunt æqualem gratiam parentibus rependere, ibid. n. 156.

Parentes Deorum simulachra, ac viuæ imagines dicuntur, ibid. & n. 160. & seq.

Pœna filiorum proteruorum, ibid. n. 162. & seq.

Cætera vide in hac materia Dom. 2. post. Epiph. Et feria 6. post Dom. 2. Quadrag.

Cor nostrum maiori diligentia debet asseruari, quàm aliquis thesaurus, t. 1. c. 3. n. 177. & seq.

Cor nostrum assimilatur Paradiso, & ea custodia asseruandum, qua Paradisus à Cherubin. ibid. n. 182.

Tribus modis præcipuè cor custoditur; debet custodiri sicut filius vnicus charissimus, debet seruari sicut reus in carcere, & quibus vinculis debeat ligari. t. 1. c. 4. n. 186. & seqq.

Cor duo habet ostia, & quænam sunt ibid. n. 189.

Virtutes sunt cordis munitiones, ibid. n. 184.

Cor vitæ fons & prima scaturigo, t. 1. c. 3. n. 174.

Cordis sinus duplex, & ab aliis triplex dicitur, & confertur cum fide, spe, & charitate, t. 1. c. 4. n. 197.

Ad interiora cordis penetrare, perdifficile est, t. 1. c. 2. n. 85.

Deus ipse nouit simplicia, ac versuta corda, t. 2. c. 17. n. 14.

Cordis custodiam, seu murum, mulieris fabrica labefactauit, t. 1. c. 4. n. 185.

Quare cogitationes fluxæ in initio coërcendæ? t. 2. c. 17. n. 66.

Mala cogitans est sicut lutum in manu figuli, t. 2. c. 17. n. 84.

Radix malarum cogitationum vnde, & vnde etiam strangulantur? t. 2. c. 24. n. 30.

Quare cogitatio tanta vi hominem ad peccatum protrahit? ibid. n. 31.

Stulti quibus operis perpetrandi copia non est, sola animi cogitatione delinquunt, ibid. 32.

Quarum cogitationum homo dominus dici potest? ibid. n. 28.

Differentia inter cogitationem, quæ ex Deo, aut ex diabolo, aut ex nobis quomodo cognoscitur? ibid.

Sicut matrimonium pactum solui difficile est, ita etiam homo pessimæ cogitationi addictus à suscepto consilio reuocari vix potest, & ex mala vxore, cogi

Feria V. post Dom. III. Quadr.

Surgens Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Luc. 4.

Feria VI. post Dom. III. Quadr.

Venit Iesus in Ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, Mulier da mihi bibere. Ioan. 4.

Dominica V. Quadragesimæ.

Sequebatur eum multitudo magna. Ioan. 6.

adeò quamlibet eius exercendi occasionem arripit, beatus erit, omniaque illi ex animi sententia cedent, t.2.c.22.n.45.

Cætera vide Dominica 1. Quadragesimæ.

Feria II. post Dom. IV. Quadr.

Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes, & ementes. Ioan. 11.

VIde Dom. 1. Quadragesimæ. Et feria 3. post Dom. 1. Quadragesimæ. Et Dom. 13. post Trinit.

Feria III post Dom. 4. Quadr.

Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat: Ioan. 7.

TAnta est sapientiæ excellentia atque dignitas, vt etiam hostes, qui sua improbitate & peruicacia aduersus Christum insurgebant, authoritatem doctrinæ illius mirentur; quorum multi crediderunt in eum, multi in sua cæcitate permanentes, manus violentas in eum mittere tentarunt: sapientiæ igitur dignitatem, & enormitatem cæcitatis animi, & prauæ conscientiæ ostendemus.

Sapientia multiplex acceptio, & definitio, t.1. c.1.n.57.

Sapientem esse regium est, ibid.

Quomodo sapientia sit aduocanda? t. 1. cap. 2. num.22.23.

Sapientia est quid remotum ab hominibus, qui sunt expertes illius, est quid maximi pretij, ac demum arcanum & occultum, ibid.n.23

Quales homines requirantur ad possidendam sapientiam? ibid.n.25.

Talis cura & solicitudo in paranda sapientia adhiberi debet, qualem auarus homo in comparandis diuitiis ponere consueuit, ibid.n.27.& seqq.

Quomodo ad eundem modum veram sapientiam exquirere oporteat, sicut venas auri in visceribus terræ? ibid.n.33.& 34.

Cur sapientia, & quomodo celari debeat? t.1.c.10. num.113.

Sapientia licet in animo sit, tamen extra lucet, & se prodit, & ex facie dignoscitur, t.2. c.17. num.95. & seqq.

Sapienti omnia, idest totus mundus obedit, t.2. c.17.n.23.

Qua ratione diuitiis sapientia acquiritur? ibid. num.71.

Sapientia quæ moribus non exprimitur vmbra est, t.2.c.18.n.6.

Sola sapientia diuites facit, t.2.c.19.n.2.

Sapientes à Platone multoculi appellantur, ib.n.4.

Sapientia Salomonis probata per Reginam Saba, & Hyrcanum Regem Tyriæ quomodo? t.2. c.22.n.116.

Sapientiæ parandæ gratia, Philosophi facultates, & fortunas libenter dimiserunt, t.2.c.23.n.108.

Sapientia pro probitate & virtute in scriptura sumitur, t.2.c.24.n.3.

Prima sapientia est, vita honesta, t.2.c.28.n.35.

Duplex hominum genus qui ad sapientiam peruenire non possunt, t.2.c.24.n.22.

Quæ vota potiora sunt sapientis? t.2.c.17.n.94.

Cætera vide feria 2. post Dom. 3. Quadrag.

De enormitate cæcitatis animi, & prauæ conscientiæ, vide Dom. in Quinquagesima. Et feria 6. post Dom. 1. Quadrag. & feria 2. post Dom. 2. Quadragesimæ.

Feria IV. post Dom 4. Quadr.

Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate. Ioan. 9.

ILlustre miraculum de cæco nato, & mendico quem Christus visu donauit, Euangelium tractat, & modum, quo id fecerit exponit; videlicet expuit in terram & fecit lutum, & liniuit oculos eius, & vidit cæcus: Cæcus est omnis peccator, lutum est tribulatio, quæ aperit oculos & ad Christum adducit: De qua materia vide Dom. 3. post Epiph. & Dom. in Quinquagesima. Et feria 5. post Dom. 1. Quadragesimæ, & in festo S. Iacobi Apostoli.

Feria V. post Dom. IV. Quadr.

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suis. Luc. 7.

DVx & author vitæ Christus Dominus, qui solus potest viuificare, & saluare, prædicandus est, qui sicut Euangelium declarat) misericordia motus, super viduæ orbitatem verbo & nutu suo effecit, vt adolescens mortuus, matri suæ viuus & incolumis restituatur: Occasione istius de flore iuuentutis, & adolescentum conditionibus tam bonis, quàm malis; secundo de morte tractandum.

Duo sunt quæ adolescentes à perpetrandis flagitiis deterrent, t.1.cap.1.n.183.

Quare adolescentia æstati conferatur? t.1.cap.10. n.91.& seq.

Pueritiæ exercitationes nonnunquam dissident, & alienæ sunt ab actibus posterioris ætatis, t.2.cap.20. num.38.

Aliquando tamen futuræ vitæ semina in pueris demonstrantur, ibid.

Quæ sunt bonæ indolis specimina in iuuene? ibid. n.38.& sequent.

Pueri quomodo & quando instituendi? ibidem, à n.43. vsque ad 47.

Cum pueris sicut cum seruo ebrio agendum est, t.2 cap.21.n.84.

Puer, si leuibus verbis non possit, virga est corripiendus ibid.n 86.

Ante maturitatem aliquem laudare, vituperium est; t.2.c.27.n 71.

Fieri potest, vt iuuenes, qui intemperanter priùs vixerunt postmodum in virili ætate, detersis vitiis, vitam suam ita componant, vt nullum in illis pristinæ improbitatis vestigium relictum sit, t.2.c.20.n.120.

Duo ornamenta Reipublicę, quæ ipsam decorant, iuuenile robur, & senum consilium, & experientia, ibid. toto versu 29.

Quantum temporis iuuenem in ludis, atque iocis ponere permittendum sit? t.1.cap.1.n.238.

Prauos mores iuuenum cunctis corripere, & incusare licet, ibid.n.239.

Summę laudi vertendum est adolescenti, cuius pater maturiùs decessit, si sapiens & honestus euaserit, t.1.cap.4.n.13.

Adolescens in iuuentute corruptus, nihil dissidet à frumento vredine vitiato, t.1.c.10.n 95.

Iuuenes semper indigent præceptore assistente, & quomo

Feria VI. post Dom.IV. Quadr.

Erat quidam languens Lazarus in Bethania. Ioan. 11.

MAgnum miraculum, illudque vnum omnium ferè præstantissimum Christi Saluatoris, qui Lazarum iam quatriduò mortuum, & fœtere incipientem,verbo è sepulchro euocat,& rediuiuum sororibus reddit. Lazarus secundùm omnes repræsentat peccatorem, qui à morte,per Dei gratiam resuscitatur: Ideo de proposita materia vide Dom. in Quinquagesima.Et feria 6.post Dom.1.Quadragesimæ,& in festo S.Mariæ Magdalenæ.

Dominica in Passione.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8.

EVangelium proponit Iudæos maleuolos, qui post tot accepta,ac tanta benefacta,perfractis animis, maledicis linguis, ac cruentis manibus contra Christum se totos immaniter armare non verentur: Isti Iudæi repræsentant nobis maledicos homines,qui pro omni occasione, tam bona, quàm mala in proximos suos,& in famam eorū linguas perniciosas,vibrāt ac illos in bono nomine vulnerāt;de quibus agendum.

Qui

Qui malum oris rictum habent, sunt loquaces, & ad canes referuntur, his duo esse vitia, arcana detegere, & semper aliquid addere, t.2.c.20.n.69.

Quem facilè ob leuitatem animi questus mouet, vt modo hæc, modo illa pronuntiet, excors est, & sine mente, t.2.c.21.n.29.& 32.

Æquum est, ne ore illo quo Christum sumpsisti, verba obscęna & detractoria effutiaris, t.2.c.23.n.19.

Qualem lætitiam obtrectatores maledici haurire solent? t.2.cap.25.n.144.

Lingua detrahens cum nube imbrifera aptè confertur t.2.cap.25.n.148.

Detractiones non aliter alere rixas, iras, quàm ligna ignem, ita vt illis additis inflammari, eisdem sublatis, consopiri discordias certum sit, t.2. cap. 26. n.117.& seq.

Quæ sint hominum ad crimina & calumnias imponendas procliuium conditiones? t.2.cap.30.n.99.

Cætera quę huic materiæ seruire possunt vide quę annotauimus de lingua maledica, Dominica 3. Quadragesimæ. Et feria 3. post Dom. Passionis, Et Dom. 10. post Trinit.

Feria II. post Dom. Passionis.

Miserunt Principes & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum, &c. quæretis me & non inuenietis. Ioan. 7.

O*Blatam* temporis opportunitatem ad benefaciendum numquam dimittendam suadet Saluator, qui sese offert Principibus & Pharisæis quærendum & inueniendum, sub breui illo temporis spatio; illi contrarium præstant, vt ipsi Christo de illis tam bene merenti parent exitium, & perfidè obmurmurent, fontémque ipsum aquæ viuæ derelinquant: Occurrit materia de temporis pretiositate, quod nobis offertur ad pœnitentiam, & de pœnitentia, quæ est salutaris aqua à Christo Domino profluens, tractanda.

Temporis opportunitas non omittenda, nam vana admodum præsumptio, de re valde incerta ac mobili, tanquam de certa constantique sibi polliceri, t. 2. cap.27.n.1.& 2.

Dubium certè & anceps, an rei peragendæ nata, & accommodata occasio sese eras offerat, an potius accidentia impedimenta, omnem rei præstandæ potestatem & copiam irreptura sint? ibid.n.3.

Sicut in partu omnia sunt incerta & ambigua, sic de crastino nullis argumentis certò deprehendere licet. ibid.n.4.

Tanta rerum est mobilitas, vt homo nesciat, quæ in crastinam diem pendent, prospera ne futura sint, an aduersa? ibidem.

Frustra in crastinum aliquid insipienter promittendum, cum neque illud nobis compertum sit, quid demum vel hodie sumus facturi, ibid.n.5.& seq.

Vita hominis nauiganti similis est, t.2.c.30.n.189.

Eadem, aquilæ volanti, & serpenti supra petram reptanti comparatur, ibid.n.190.

Quanta breuitas humanæ vitæ ostenditur, tom.1. cap.12.n.31.

Pura pœnitentia ad animum extergendum vis & potestas; nam cùm mens humana suorum criminum ob nimium libidinis æstum mirum in modum tenax sit, illam ad respuenda spontè peccata pœnitentiæ motus confirmat, t.1.cap.26.n.92.

Pœnitentiam agens erroris admissi, hæc membra punire debet, quæ detrimentum ei attulerunt, t.2 cap.26.n.27.

Admissa plangere, confessa sic proiicere debemus, ne ad easdem nequitias; quæ deprimebant mentem recurramus, ibid.n.89.90.& seq.

Confessionis ac pœnitudinis proprium, vt diuinæ indignationi vices eripiat, & dum homo in seipsum sæuit, ac seipsum testimonio suo damnat, iram Dei præuertens, nihil huic iræ peragendum relinquit, t.2. cap.28.n.65.

Multi sunt qui nullo arguente se, peccatores se confitentur; cùm verò de culpa sua fortasse fuerint correpti, defensionis patrocinium quærunt, ib.n.66.

Mos erat antiquorum post effusionem sanguinis, siue iustè, siue iniustè, antequam ad aliorum consortium venirent, vel quidpiam aliud facerent, manus aqua lauare: sic Christianus debet, &c. t.2. cap.28. num.96.

Vnde efficaciam habeant lacrymæ pœnitentium, t.2.c.20.n.102.

Cætera quæ conducunt ad hanc materiam vide feria 4. post Dom.1. Quadrag.

Feria III. post. Dom. Passionis.

Ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare. Ioan. 7.

QVam peruersum est iudicium mundanorum vt de iustis ac piis hominibus, tum etiam de amicis aliquando ex remissione amicitiæ sinistrè iudicare non vereantur: Offert se materia dicendi de iudicio malignorum, & de imperfecta amicitia amicorum.

Qui alienam culpam reprehendit, ab illa semper debet esse immunis, t.1.c.13.n.56.

Qui alium temerè iudicat, contemptibilem se reddit, ibid.n.58.

Iudicans temerè alios, specialem legi iniuriam irrogat, ibid.n.59.

Quomodo illusor solus dicatur portare mala, cum multos probris afficiat? t.1.c.9.n.107.

Quare fugiendum iudicium temerarium? tom.2. c.17.n.70.

Qui virtutis vocabula vitiis tribuunt, & è contra, quibus assimilantur? ibid.

Qui aliorum delicta seuerè nimis ac rigidè capit ac incusat, cùm ipse etiam culpa non vacet, vtique eadem virga qua alios quatit, seipsum percutit, t.2. c.21.n.43.

Quare impius alios impios, & malos esse iudicat, t.2.c.18.n.78.

Aliquando mali omnes malos, & iusti sæpiùs se solos bonos iudicant, ibid.n.9.

Qui labe aliqua aspersi sunt, alios simili labe infectos existimant, ibid.n.8.

Cætera vide Dom.3. Quadragesimæ. Et Dominica Passionis

Ex quibus capitibus tempus amicitias labefactare solet? t.2.c.17.n.76.

Amici & fratres debent esse sicut lances in statera, ibid.n.77.

Exemplum amoris fraterni de milite, qui ignorans fratrem suum occidit, ibid.

Fortuna secunda conciliat amicos, ibid.n.78.

Mos antiquorum amicitias confirmandi, sciphum mixto vino plenum inuicem sibi dabant, t.1.cap.9. n.91.& t.2.c.25.n.142.

Quomodo intelligendum, qui vult recedere ab amico, occasiones quærit? t.2.c.18.n.3.

Quod malum patitur qui fœdera amicitiæ rumpit? ibid.

Quare aliquis pristinos amicos relinquit? ib.n.4.

Quo

Feria IV. post Dom. Passionis.

Facta sunt Encenia Hierosolymis, & hyems erat. Ioan. 10.

Summo odio, & iniquissimo iudicio ad Christum persequendum impulsi, quid de Christo sentiant, etiamsi veritatem certissimis operibus comprobare videant præ inuidia dicere nolunt, sed suo more redeunt ad blasphemias, paulo post etiam in Messiam suum apertè sæuituri; Personam gerunt superborum (qui & stulti in scriptura dicuntur) præ fastu, & inflatione, respuentium salutarem doctrinam; de quibus disserendum.

Feria V. post Dom. Passionis.

Rogabat Iesum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo. Luc. 7.

Proponitur in *Euangelio* conuiuium duplex ad quod Christus inuitatus erat; vnum Pharisæi superbi forinsecùs laudandum, sed intrinsecùs detestandum; nam porrigit panem foris, & in corde sinistrè iudicat Christum innocentem, & mulierem pœnitentem: Alterum peccatricis intùs & extra speciem verè pœnitentis gerentem, ad pedesque Christi iacentem, oscula, lacrymas, & alia pietatis munera exhibentem, quod conuiuium Christo erat multò carius ac iucundius: Et cum dupliciter depingitur, Primò in forma peccatricis, secundò in forma pœnitentis; ideo primò de statu damnabili peccatricum, & cum ipsis familiaritatem habentium; secundò de pœnitentia ab exemplari pœnitentiæ agendum.

Cordo.

Feria VI. post Dom. Passionis.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum. Ioan. 11.

EVangelium hoc Christi hostes,atque eorum conspirationem sceleratam exprimit, qui timentes perdere temporalia, neci Christum adiudicauere, vitam æternam non cogitantes,& sic vtramque amiserunt; figuram mundi alumnos,qui etiamsi mundi & diuitiarum instabilitatem agnoscant, malunt tamen conscientiam suam maculare, Christum perdere,quàm temporalibus bonis carere. Agendum ergo est qualiter delitiæ & diuitiæ mundi sunt instabiles.

Dominica Palmarum.

Cùm appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Betphage. Matth. 21.

CElebratur ab Euangelista & illustratur hic dies Christi ingressu in ciuitatem Hierosolymitanam, quando communi Iudæorum applausu asinæ insidens Hierosolymam venit, ad opus sacratissimæ Passionis suæ, quod per totam hanc hebdomadam consummauit, vt salutem nostram in medio terræ operaretur. Occasione istius ingressus Saluatoris, de magnanimo viro,& magnanimitate, parum de triũpho,honore,cui sit exhibendus,& quàm nomen bonum præponatur multis opibus,agendum

Quid

In Cœna Domini.

Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit iam hora eius. Ioan. 13.

P*Ercelebris* hic dies rectè censetur, cuius magna & reuerenda Mysteria, quę in extrema Cœna Domini per Christum acta sunt, recensentur; Cum Christus Pontifex, idem & hostia, vt finem imponeret sacerdotio veteri, demum post esum Agni typici, seipsum qui verus Agnus est, Deo Patri suis obtulit manibus, noui testamenti nouam docuit oblationem: Cuius quidem sacramenti primam institutionem commemorat Ecclesia, verumque sumendi vsum, dominum & graue subiungens periculum indignè accedentibus ab Apostolo præscriptum recitat, admirabilemq; humilitatem filij Dei ad pedes suorum discipulorum, imò & proditoris, procumbentis ostendit: Quapropter primùm de excellētia sacramenti altaris, vsuque illius & modo ritè communicandi, Postremò de humilitate ab exemplo Christi differendum.

Feria VI. in Parasceue.

D*E amara Passionis Dominicæ memoria*, quæ extant in hoc volumine, annotauimus nonnulla

Dominica

Dominica in Quinquagesima, & quæ etiam seruire possunt hic annotantur.

Tollamus memoriam eius de terra, &c. Cur potius de medio tollendum, & non potius vulneribus à se confodiendum dicant, t.1.c.1.n.189.& 190.

Quomodo mali insidiantur sanguini innocenti? t.1.c.1. tot. vers. XII.

An mors Christi ab æterno præscita, & præordinata fuit, & quare? t.1.c.8.n.291.

Ioseph figuram gessit Christi, ibid n 292.

Christus pendens in cruce magna argumenta ad euincendam veram maternitatem, proposuit; & eidem assistens Beata Virgo, filij sui amantissimam se exhibuit, t.1.c.8.n.391.& seq.

Cur Christus in Cruce pendens Beatam Mariam, non matrem, sed mulierem appellauit? ibid.n.349.

Quantam Beata Virgo ostendit fortitudinem & constantiam tempore passionis Christi, quantosque pertulit dolores? t.1.c.8.n.75.& seqq.

Plus passa est quàm aliquis Martyrum, ibid. n.78. & seqq.

Quomodo dolores Beatæ Virginis comparantur doloribus Christi Domini? ibid.n.80.

Virgo in doloribus suis comparatur militi stationario, t.2.c.31.n.95.

Quomodo intelligatur Christum Dominum in sua passione cœlos creare, & B. Virginem ipsi assistere, ac cum ipso cuncta componere, t.1.c.8.n.347.

In die sancto Paschæ.

Maria Magdalene & Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Marc. 16.

VEre *sancta* & incomparabilis planè huius diei, Paschalisque festi, in resurgente Christo celebritas, ideo gloriosæ laudis triumphos lætabunda hodie canit Ecclesia, quia honorificatus est Christus resurgens à mortuis, victor mortis, spolians inferos, & educens captiuos, huc vsque per humilitatis gradus ascendens, modò gloria & honore coronatus, impassibilitatis & immortalitatis nos donauit gloria, & resurgentes in Beatitudine constituit sempiterna, quæ bonis, ac piis operibus acquiritur: Et vt maiori celebritate hæc festa absoluamus cum piis mulieribus, bonis operibus; misericordiæ videlicet in pauperes, & eleemosynarum effusæ largitioni, necesse est, vt vacemus; de quibus tractandum.

Colentes misericordiam quam mercedem recipiant? t.1.c.3.n.20.

Misericordia seu dilectio erga proximos non solùm suadetur, sed lege præscribitur, ib.n.132.& 131.

Misericordibus Deus erogat opes caducas in pignus futurarum, t.1.c.10.n.106.& seqq.

Cur misericors ficulneæ comparetur? t. 1. c. 11. n.112.& seqq.

Cur Deus ipse non dat sufficientem abundantiam omnibus, sed vult vt diuites dent pauperibus? ibid. n.113.& seqq.

Misericordia oleo, quo lampas alitur, assimilatur, t.1.c.13.n.39.

Triplex corona sanctorum, Virginitatis videlicet, Martyrij, & Doctorum, absque misericordia non potest haberi, t.1.c.14.n.101.

Inter reliquas bene viuendi artes, principem locum obtinet misericordia, t.1.c.16.n. 22.

Magis quodammodo misericordiç, & eleemosynis deferri vult Christus, quàm sui corporis & sanguinis venerabilissimo sacrificio, ibid.n.23.& seqq.

Triplex Martyrium sine sanguine ex scriptura elicitur, castitas in iuuentute, parcitas in vbertate, largitas in paupertate, t.2.c.23.n.24.& 25.

Quali prærogatiua donantur eleemosynarum largitores? t.2.c.17.n.27.

Eleemosynarum fructus enumerantur, ib.n.71.

Misericors Magni nomen acquirit, quomodo? & misericors non homo, sed potius Deus dicitur; per oppositum qui humanitate caret, fera potiùs, quàm homo est, t.2.cap.20.n.24.

Misericordia & veritas sunt symbola, primum beneficentiæ & clementiæ erga probos, secundum iustitiæ & seueritatis erga improbos, t.2.c. 20.n.108.

Misericordia præfertur victimis, & dicitur sacrificium, & hostia, & quomodo nomen hostiæ, & martyrij acquirit? ibid.n.15.& 16.

Quemadmodum reus munere oblato iudicis seueritatem flectit; ita etiam Deus eleemosynam in paupere accipiens indignationem, & furorem aduersus grauissima scelera omninò exuit, & lenitatem induit, t.2.c.20.n.67.& c.22.n.55.

Rationes propter quas eleemosyna occulta Deo placet, t.2.c.20.n.68.

Plura vide de eleemosyna feria 6. post Cineres. Et feria secunda post Dom.1.Quadrag & Dom.7.& 18. post Trinit.

Dominica I. post Pascha.

Cùm esset sero, die vna Sabbathorum, & fores essent clausæ. Ioan. 20.

SAtor & amator pacis Redemptor mundi, debellaturus mundum, nascens pacem obtulit, nunc vincens mundum, pacem discipulis offert: Occasione cuius, quàm perniciosi ac peruersi sint, pacem, amicitias, concordias soluentes & opposita, rixas, lites, & odia seminantes, dicendum est.

Qui sunt studiosi amicitiæ & pacis? t.2.c.17.n.40.

Quibus modis pax soluitur, ibid.

Qui potius amicos dissociant? ibid.n.41.

Discordiarum seminator meritò apostata appellari debet, t.1.c.6.n.87.88.& seqq.

Iurgiorum excitator vir diabolicus est, ibid.n.89.

Adulterini amici sunt, qui iurgiis vnanimes dissociant, ibid.n.95.

Quanta sit prauitas cordis seminantium discordias? ibid.n.111.

Repentina ruina tales sequitur, ibid.n.112.

Cur molitor discordiarum dicatur fodere malum? t.1.c.16.n.110.

Dicitur ignem accendere. ibid.n.112.

Quomodo simulatio illius describatur? ibidem n.113.& 114.

Quomodo dignoscantur qui seditiones excitant? t.2.cap.17.n.43.

Verba impostoris ac versipellis Chamæleontis sputo similia sunt, t.1.c.16.n.115.

Quanta mala verbosus, seu susurro inter Principes faciat? ibid.n.116.

Qui rixas & contentiones orditur, similis illi, qui fluuij exundantis alueum aperit, t.2. c.17. n.63.64. & seq.

Qui ad discordias componendas sunt aptiores, & quibus modis, & mediis vti debet, pacificans læsas partes? t.2.c.18.n.26.

Fratrum concordia quę bona parit? ib.n.70.& 72.

Quomodo Deus in contentiosos animaduertit, t.2.c.17 n.43.

Laus prçstantissima eorum, qui in causis, ac litibus

Dominica II. post Pascha.

Ego sum pastor bonus. Ioan. 10.

S*Vmmus* Pastor & summè bonus Christus Iesus, qui nos pascit verbo doctrinæ, & exemplo vitæ sanctissimæ, docens imitandam suam mansuetudinem, patientiam, innocentiam, iustitiam, sicut Petrus in Epistola eiusdem diei ostendit; pascit itidem nos sacramento corporis & sanguinis sui, quod in altaris sacrosancto sacrificio reliquit, quæ doctrina tam Pastores quoscumque, siue Reges, Principes, Prælatos, Doctores, quàm oues, subditos nimirum, seruos, auditores, ligat, de quibus agendum. Et occasione verborum: cognosco oues meas, &c. potest aliquid inferri de Prædestinatione.

Dominica III. post Pascha.

Modicum & iam non videbitis me. Ioan. 6.

B*Reuis & instantanea* in hac scena mundi colluctatio, æternum gaudium per Christum consequitur, quod liquet ex verbis Saluatoris præparantis corda discipulorum, & prænunciantis perferenda odia, spe futuri successus & gaudij, dicentis, transitorium esse odium mundi, tribulationem, & tristitiam, quæ cum immensa & æterna cœli lætitia comparata, nihil sunt: Primò itaque de instabilitate ac fluxibilitate huius mundi, & eorum quæ illius sunt, secundò de gaudio, & tristitia agendum duxi.

Mœror

Mœror omni studio ab animo tollendus, cùm multa mala menti afferat, t.1.c.15.n.52.

Quare tristitia & mœrore confectis, spirituale medicamentum non prodest? t.2.c.17.n.88.

Quomodo morbi spiritales difficulter curantur, quia animi lætitia & tristitia ad similitudinem corporis defectuum refertur, & quid adfert spiritus tristis? t.2.c.17.n.89.90.& 91.

Anima quæ edacissimis conscientiæ morsibus deuoratur inutilis est, t.2.c.25.n.122.

Tristitia graue tormentum animorum, siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem duntaxat, sed animam quoque perstringens, ibid.n.122.

Homo tristitia confectus, est sicuti vestimentum tinea exesum, & lignum vermibus pertusum, ib.n.123.

Duæ sunt matres tristitiæ & mœroris, otium & & amor sui ipsius, ibid.n.124.

Duplex tristitia, alia vtilis, alia nociua, ibid.n.125.

Malitia huius vitij pessima, vt se patientem priùs offendat, ibid.n.127.

Mœrentibus & tristibus quando & quomodo medela adhibenda? ibid.n.140.

Dominica IV. post Pascha.

Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis? Ioan. 16.

P*Erturbationem* animi, quæ orta erat ex discessu Christi, quem prædixerat illis, ita vt ad audiendũ Euangelium minus idonei videbantur, sustulit Christus, promisso illis paracleto, qui per ipsos de mundo & sathana triumphaturus, crucifixi Messiæ Maiestatem, ac innocentiam asserturus esset; arguens videlicet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio: De vltimo nobis est agendum; & cum conforme iudicium redditur, per testium approbationem, de testibus quoque mentionem faciendam duxi.

Iudicium variè accipitur, quandoque pro lege Dei, quandoque pro extrema Dei sententia, aliquando pro ciuili iudicio, t.2.c.19.n.102.

Iustitia, iudicium, æquitas pro eodem sumi solent, & in quo consistunt? t.1.c.1.n.74.& seq.

Iustitia respectu Dei, respectu sui ipsius iudicium, & æquitas respectu proximi dicitur, t.1.c.2.n.79.

Iustitia stateræ similis esse dicitur, t.1.n.9.c.11.&.10

Duæ sunt iudiciorum corruptulæ, t.2.c.19.n.103.

Iudicium simile manducationi, nam ibi testes dentes sunt, iudices palati & linguæ vices gerunt, ibid. num.103.

Quomodo dignoscitur causa litigantis iniusta, t.2. c.17.n.92.

Differentiã eorum qui ad iudicem accedunt, vnus cum causa iusta alter cũ iniusta, t.2.c.18.n.63.&.64.

In hac materia vide plura Dom. 1. Aduentus. Et feria 2.post Dom.1.Quadragesimæ.

Testimonium apud iudicem deponendo, ea tantùm dicenda sunt, quæ oculis visa, nec & hoc celeriter, t.2.c.25.n.30.

Nulla vi aut ratione, siue nullis artibus debet cedere, vt quis dicat falsum testimonium, etiam pro amico, t.2.c.24.tot. vers. XXVIII.

Testes iuramento constricti, qui ob metum, scelera, & delicta manifestare non audent, labuntur & peccant, t.2.c.29.n.108.109.& seq.

Cur testis fraudulentus & vacillans in iudicium fidem non faciat? t.1.c.12.n.86.

Homicidium admittit qui falso testimonio insontem morti addicit, ibid.n.88.

Cur falsus testis hæsitet ac titubet? ibid.n.90.

Quomodo exploranda fides falsorum testium, & vnde cognoscatur falsus testis? ibid.n.94.& cap.14. num.106.

Qui semel mendacij cõuictus est, fidelis imposterum haberi non potest, t.1.c.13.tot. vers. V

Falsus testis quod præmium habet? t.2. c.19. tot. vers. V. & IX.

Quare falsi testes dicantur viri diabolici in scriptura? t.2.c.19.n.104.

Falsidicus vnitatem capitis à corpore Ecclesiæ excludit, & in corpus diaboli transit, ibid.n.107.

Testis mendax quomodo peribit? t.2.c.21.n.118. & 120.

Dominica V. post Pascha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Ioan. 16.

P*Ræsentissimum remedium* eorum, quæ speramus vel appetimus, consequendi, & eorum, quæ veremur & detestamur fugiendi, est oratio, cuius virtutem ac vim Christus commendat, si in nomine illius Patrem cœlestem implorare velimus, omnia pro voto succedenda promittit. De qua vide Dominica infra Octauas Natiuitatis Domini.

In die Ascensionis Domini.

Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus. Marc. 6.

R*Eportaturus* ad patriam cœlestem, & collocaturus, coronaturusque suos athletas dux & Magister noster filius Dei, præcedit paraturus nobis sedes, ipsemet ab æterno sibi sedem præparatam ad dexteram patris possedit, pignoráque descendens suis fidelibus reliquit, quod in suo nomine toti creaturæ dominaturi erant. De dominio itaque Christi primò, & secundò de iustorum dominio nonnulla prælibabimus.

An Christus Dominus habuerit supremam Regni potestatem in omnes Reges atque principes, quod spectat ad regimen temporale seu Politicum, & si habuit, vnde habuit? t.1.c.8.n.99. 100.& seq.

Quid intersit inter Dominium & Regnum: &, An Christus omnium creaturarum Dominus fuerit? ibid.n.103.& seq.

Christi domini ascensus in cœlum similis viæ aquilæ volantis dicitur, & quàm difficile sit cognoscere ipsum? t.2.c.30.n.195.& 200.

Modus Ascensionis Christi in cœlum, tom.2.c.29. num. 35.

Quomodo Christus dicatur initium viarum Domini? t.1.c.8.n.149.

Fideles quomodo totius mundi dicuntur dominium habere? t.2.c.17.n.25.

Libentiùs Deus facturus huius mundi iacturam, quàm vt aliquid contra seruorum suorum fiduciam permittat. ibid.n.26.

Leges mundi, & constans ordo sæpissimè violatur, vt Deus amicis suis necessaria suppeditet, & saluti eorum tam animæ quàm corporis subueniat, ibid.

Cætera de encomiis iustorum vide in die Cinerũm. Et in festo S. Ioannis Baptistæ, & in festo S. Dominici.

In die S. Pentecostes.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Ioan. 14.

In festo SS. Trinitatis.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Matth. 28.

In die Corporis Christi.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ioan. 6.

Dominica I. post. Trinit.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

teria, vide Dominica 2. post Epiphan. Et feria quinta post Dom. Passionis.

Dominica II. post Trinitatem.

Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, vt audirent illum. Luc. 15.

MAteria occurrit de detractoribus, susurronibus, qui lingua sua mordaci nemini parcunt, & de verè pœnitentibus accedentibus ad Christum, tractanda. De prima vide Dom. 3. Quadragesimæ. Et Dom. in Passione. Et feria 3. post Dom. Passionis: de secunda verò, vide feria 4. post Dom. 1. Quadragesimæ. Et feria 2. post Dom. Passionis

Dominica III post Trinit.

Cum turbæ irruerent in Iesum vt audirent verbum Dei. Luc. 5.

EVangelium multitudinem in Christum irruentem, ob amorem verbi, sermonisque dulcedinem, quem hauriebant ex ore Christi, commemorat, successumque piscationis Petri cum vberrimo prouentu recenset, nec-non illius pronam reuerentiam, qui territus, propter capturam piscium, procidit ad genua Iesu dicens. *Exi à me Domine quia homo peccator sum.* De auditione verbi Dei, vide Dominica. 2. Aduentus. Et Dom. 1. post Epiphan. Et Dom. in Sexagesima. Et feria 3. post Dom. 2. Quadragesimæ.

De secundo, id est, timore, parum attingemus.

Duplex est timor, alter nobilis; alter ignobilis, t. 1. c. 8. n. 44

Timor filialis naturæ maximè est consentaneus, ibid. n. 45.

Tantum interest inter timorem filialem, & seruilem, sicut inter vinum & aquam, ibid. n. 47.

Quid sit timor nobilis atque filialis? ibid. n. 48.

Nulla est tam ardua difficultas, quam vir timens Deum, impauidus non inuadat, t. 1. c. 14. n. 108.

Timor, eloquiorum Dei tribunal & thronus appellatur, t. 1. c. 1. n. 131.

Timor cautos reddit atque prudentes viros, ibid. num. 143.

Cur timor etiam seruilis dicatur initium & caput virtutum, & assimilatur carbonibus, qui erant indicationes thesauri in terra latentis? t. 1. c. 2. n. 39.

Nihil est quod magis iactantiam mentis deprimat, quàm timor, t. 1. c. 2. n. 37.

Timorem Dei debemus excipere tanquam equus sessorem, vel tanquam nauis Naucierum, vel tanquam turris excubitorem, ibid. n. 38. & seq.

Timor Dei est amicorum Pædagogus, ibid. n. 52.

Timentes Deum, omnibus affluunt bonis, tom. 1. c. 14. n. 110. & seq.

Timor Dei concupiscentias omnes constringit, ac moderatur, t. 1. c. 15. n. 66. & seq.

Natura timoris Domini diuersa à timore naturali, t. 2. c. 21. n. 18.

Nobilior species timoris, quando quis non tam pœnas delictis inflictas, quàm delicta ipsa, quatenus pietatem violant, ac Dei Maiestatem lædunt, timet, t. 2. c. 28. n. 69.

Cætera vide Domin. 1. Aduentus. Et Dominica quarta post Epiphan.

Dominica IV. post Trinit.

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum. Matth. 5.

EVangelium de Christiana iustitia, non fide tantùm, sed etiam bonis operibus comprobanda tractat; & præterquam quod malum iracundiæ tollit, pacis & charitatis fraternæ bonum statuit, iubens vt iniuriarum immemores fratribus reconciliemur. Quod si dixisse, fatue, damnat, si vnum iræ peccatum, iram Diuinam promeretur, cur vanè nobis blandimur de misericordia Dei, qua non cessamus interim abuti? Imprimis ergo contra arrogantes hæreticos, secundò de ira maledicta, Tertio de vindicta non sumenda, disserendum.

Quantum ad primum, confutanda hæreticorum confidentia, imò cæca temeritas, qua se iustificatos coram Deo, & sanctificatos (abutentes vltra modum misericordia Diuina, scelera tanquam aquam bibentes, contra Deum, sanctos, blasphemias euomentes, Sacramenta conculcantes, pauperes opprimentes, in adulteriis, fornicationibus, & pessimo peccato, imò in sangnine vitam ducentes) per fiduciam effici asseuerant: nam si beatus ille, qui semper est pauidus, quomodo Sanctus ac fœlix ille, qui deposito timore, Sanctum se ac iustum esse apud se statuit ac putat? Atqui dices, miserum est semper timere. Soluitur ibi, t. 2. c. 18. n. 70. & seq.

Sol non occidat supra iracundiam vestram, quomodo intelligitur? t. 1. c. 12. n. 76. & seq.

Cur ille qui iram & furorem alit, luce ista indignus est? ibid. n. 78. & seq.

Vnde iracundus & furiosus cognoscatur? t. 1. c. 14. num. 75.

Cur iracundus stultus appelletur? Et quantam insaniam & dementiam furor in mentem adducat? t. 1. c. 14. n. 78. & 122.

Ira grauissimus morbus omnium, imò virtus atque venenum, ibid. n. 129.

Ira similis fumo dicitur, t. 1. c. 10. n. 304.

Ira rationem & prudentiam adimit, t. 1. c. 12. n. 72.

Furore corripi humanæ conditionis est, vltra diem autem extendere iram, stultitiæ est, ibid. n. 74. & seq.

Qui ex indignatione & ira furit, in multa pericula incidit, t. 2. c. 19. n. 74.

Ab vsu & amicitia hominis iracundi abstinendum, quia iræ inter amicos sunt subitæ & graues, imò periculosæ, t. 2. c. 22. n. 130. & 132.

Ira non solùm mutat animum, sed etiam corpus, & quæ sit iræ sæuitia, & immanitas? ibid. n. 130.

De tertio puncto vide feria 3. post Dominicam. 3. Quadragesimæ.

Dominica V. post Trinit.

Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quid manducarent. Marc. 8.

IN *Euangelio* narratur miraculum de turba septem millium, per Christum saturata, vbi suam Dominus virtutem & misericordiam declarat, cùm vltrò, & abundè pascit famelicos, nomine id beneficij expectante. De hac materia vide Dom. 4. Quadragesimæ.

Dominica VI. post Trinit.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Matth. 7.

MOnstrosam speciem falsidicorum, & eorum, qui suá & non Dei quærũt gloriá, nec-non & illorum, qui forinsecus iustam, sanctam, & Doctoris veri doctrinam ostendunt, Christus Dominus fugiendam, & Christianam iustitiam amplectendam esse, docet. De his itaque pauca perstringemus.

Dominica VII. post Trinit.

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Luc. 16.

Dominica VIII. post Trinit.

Cùm appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam. Luc.19.

siam; ingratitudo, quia loci sanctitatem propter auaritiam minimè curabant, inde zelus Christo accessit, vt templum repurget, eiectis inde negotiatoribus: Commune cum Iudæis nobis periculum erit, si non cognouerimus tempus visitationis nostræ; Repurgemus ergo Christo mentes per pœnitentiam, vt eius pura templa reddamur, contemplantes futuræ diei incertitudinem, Diuino cultui semper dediti, & ab insanis mundi studiis liberi, vt grati Christo inueniamur.

Dicendum ergo quomodo nouissima hominis repurgant hominem, vt dignum habitaculum Dei inueniatur; & quæ mala sequuntur spiritualem cæcitatem, ingratitudinisque vitium quare fugiendum?

Cum nouissima hominis sint extra terminos humanæ potestatis, Dei tantùm subiiciuntur voluntati, ideo sunt incerta & timenda, t.2.c.24.n.86.

Vide quæ annotata sunt feria 5. post Domnic. 4. Quadrag. Et de Cæcitate mentis, vide Dom. in Quinquagesima. Et feria 6. post Dom. 1. Quadrag. & feria 2. post Dom. 2. Quadragesimæ.

Deus seuerè in ingratos animaduertit, & quibus pœnis puniuntur? t.2.c.17.n.60.

Quæ mala sequuntur inde, qui beneficiorum acceptorum non recordatur? ibid.

Ingratitudo rusticitati & insipientiæ tribuitur, & multa similia ibi de ingratitudine tractantur, t.2.cap. 24.n.134. & 135.

Dominica IX. post Trinit.

Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti. Luc. 18.

E*Vangelium* versatur in Parabola de Pharisæo & Publicano, & reuocat nos ab hypocrisi, arrogantia, & fiducia sui, præsertim vbi homini cum Deo agendum est, excitat itidem ad humilitatis & pœnitentiæ, tum exterioris, tum interioris studium, commendatque cæremonias, que ex animi pietate & humilitate proficiscuntur; peccata enim non nocent pœnitentibus, superbis verò nec benefacta prosunt. Dicendum itaque quàm exitiosa sit superbia, & proficua humilitas, nec non de largitione decimarum, quid mirentur persoluentes decimas, & de mystico sensu Parabolarum.

Ambitio optimam ignis similitudinem præ se fert, t.2.c. 30.n.151.

Iactantia & elatio multis ruinæ causa extitit, ibid. n.246.

Voluntas propria dicitur sanguisuga, auaritia verò & ambitio filiæ eius, ibid.n.116.

Cætera vide de superbia, Dom. 1. Quadrag. Et feria 4. post Dom. Passionis. De humilitate verò feria 5. post Cineres.

Decimæ sunt persoluendæ atque reddendæ, t.1.c.3. n.62.

Deus nullam à nobis ex decimis exquirit vtilitatem, sed tantùm honorem sibi vendicat, ibid.n.63.

Quomodo decimæ ad honorẽ Dei pertineant? ib.

Cur tum decimas, tum primitias sibi restitui vult Deus? ibid. n.65.

Decimæ debent reddi ex optimis & primis fructibus, ibid.n.66.

Qui exactè Deo decimas pendit, quid meretur? ibid.n.67.

Qui decimas soluit, longam valetudinem meretur, t.1.c.7.n.3.

Vicinæ sunt diuitiæ ei, qui exactè decimas soluit, t.1.c.10.n.48.

Quid sit parabola? Vide in præfatione ad Lectorem.

Quare parabola à Domino & Principatu nomen traxisse dicatur? t.1.c.1.n.3.6.& seq.

Parabola idem quod similitudo, ibid. n.11.& seq.

Parabolæ seu prouerbia præstant cæteris dictis, ibid.n.37.& seq.

Parabolarum seu prouerbiorum doctrinam Hebræi habeant pro Logica, ibid.n.41.

Reges olim decertabant Parabolis, ibid. n. 47.

Hebræi ad instruendos rudes intellectus ad sacrarum literarum intelligentiam strophis, vel symbolis vtebantur, ibid. n.72.

Ad gloriam Dei spectat, sermones suos obscuris quibusdam allegoriarum inuolucris contegere, t.2. c.25.n.6.& seq.

Deus præcepta sua sic intimare, & insinuare solet, vt tamen rationes præcipiendi prorsus occultet, gloriosum enim ducit, hominum non modò voluntates, sed etiam mentes, iudiciáque sibi susterni, & ad nutum obsequi, ibid.n.9.

Dominica X. post Trinit.

Exiens Iesus de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ. Marc.7.

E*Vangelium tractat miraculum* de surdo, & muto, quem Christus pro sua omnipotenti gratia curauit: Locus de iactantia atque vana gloria fugienda, de recto linguæ vsu, & de prouidentia Dei omnia ritè ac suauiter disponente, occurrit. De iactantia vide Dom. 1. Quadrag. Et feria 4. post Dom. Passionis.

Lingua maledica acutior & fortior gladio, tom.2. c.30.n.107.& seq.

Maledicentiæ duæ filiæ, detractio & contumelia, ibid.n.114.

Cætera vide Dom. 3. Quadragesimæ. Et Dom. Passionis, & feria 5. post Dom. Passionis.

Nullus colendus nisi solus Deus, t.1.c.7.n.4.

Quomodo Deus sine iniuria suæ prouidentiæ fœlicitatem, atque gaudia, inter probos, & improbos partitur? t.1.c.3.n.233.

Deum semper in omnibus rebus præsentem cogitare debemus, ibid.n.29.& seq.

Dei præsentis cogitatio magnam vim habet ad vitam, & mores informandos, ibid.n.30.

Quomodo Deus simul doleat, & rideat in interitu impiorum? t.1.c.1.n.265.266.& seq.

Deus statim infligendo pœnas propter culpas, & non differendo, misericorditer facit, t.1.c.3.n.203.

Quomodo Deus dicatur impium hominem facere? t.1.c.16.n.17.& seq.

Quid sit in Deo potentia executiua? t.1. c.7.n.4.

Dominica XI. post Trinit.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10.

L Audantur oculi Apostolorum, cæterique fideles consolantur à Christo, illi beati dicuntur quia vident, hi verò qui aliquando visuri, si se præparauerint, & corda sua mundauerint, oculosque perspicaces, lucidos, per charitatem, & obseruationem mandatorum Dei reddiderint, misericordiamque exemplo istius Samaritani alligando vulnera proximi, & miseriam illius, ac defectum subleuãdo, præstiterint: De charitate igitur primò; secundò de obseruatione

Dominica XII. post Trinit.

Dum iret Iesus in Ierusalem transibat per mediam Samariam. Luc. 17.

Dominica XIII. post Trinit.

Nemo potest duobus Dominis seruire. Matth. 6.

Dominica XIV. post Trinit.

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.

Dominica XV. post Trinit.

Cum intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum, & ipsi obseruabant eum. Luc. 14.

In

In conuiuiis quomodo procedendum? t.2. c.23. num.5.& 6.

Veteres conuiuia in lectulis seu toris discumbentes absoluebant,tamen & sedendo certis temporibus celebrabant,& quare? datur ratio,ibid.n.9.

Præcipua occupatio in conuiuiis apud veteres, ib. n.9.& 66.

Mos in conuiuiis apud antiquos, vt cibi quibus conuiuæ in mensis lautissimis honestabantur,mystici essent,ibid.n.15.

Comessatores non ad necessitatem naturæ, sed ad delectationem & voluptatem carnis inuitabantur, ibid.n.98.

Munera mystica in conuiuiis destinabuntur, ibid. num.100.

Luxus conuiuiorum tollendus,ibid.n.101.

Ad quid in conuiuiis Symposiarchæ, seu cœnarum moderatores? ibid.n.100.

In conuiuiis non vulgaris amoris erat signum,incisas, ex sibi propositis ferculis partes, aliquando etiam admorsas,& prægustatas amicis offerre,tom.2. c.25.n.142.

In conuiuio bonum est,locum inferiorem, quem dignitas Personæ illius postulat,ab in initio occupare;ea enim animi demissio in causa erit, vt à Symposiarcha euocetur superiùs,ibid.n.25.& 27.

Finis conuiuiorum præstantissimus, abolere discordias,& gratiam comparare,t.1.c.15.n.69.

Non tam parandis,multis splendidisque cibis studere debemus, quàm vt beneuolè & iucundè cum amicis degamus,ibid.n.80.

Et cùm conuiuia semper cum luxu finiantur de, vino,& ebrietate aliquid ponemus.

Vini effectus qui; & quare vinum dicitur derisor, pestilentia,luxuriosum,& similia?t.2.c.20.n.1.& 2.

Qui indulgent vino & conuiuiis,prodigi sunt,facultates, & patrimonium simul cum vino exhauriūt, & non tantùm corporalia, sed etiam vitam, sapientiam,consilium, & alias animi dotes profundunt,ib.

Quid est vinum castigare apud Græcos? ibid.

Vinum merum adinstar tyranni, & vinum inuictum,quare dicitur? ibid.n.4.

Quomodo aqua est frænum vini? ibid.n.5.

Quare vinum dicitur res tumultuosa,& qui vino delectatur non erit sapiens,ibid.n.6.

Cultrum potius immergere gutturi suadet scriptura, quam per crapulam, & ebrietatem à mensa excidere,t.2.c.23.n.4.& seq.

Cui væ? cui rixæ? Ebrio; ab ebrietate enim egestas & indigentia,lites, & contentiones proficiscuntur,ibid.n.125.& 127.

Vinum iram nutrit,sicut lucernam oleum, ibid.

Incommoda ex ebrietate prouenientia enumerantur,ibid.n.128. & seq.

Viuax vini color haud contemplandus est,quia illa viuacitas coloris ad bibacitatem protrahet te, t.2. c.23.n.134.

Vinum ex homine viperam facit,& mordet vt coluber,& vinum veneno virulentius, nam alia venena corpus petunt,animam relinquunt,vinum vtrumque perdit,ibid.n.139.140.& seq.

Vinum instar basilisci qui aspectu occidit; eandem vino vim tribunt,quam Cerastæ,& simile aspidi dicitur,nam aspis cùm iram concipit, homini in caput & faciem incidit: sic vinum,&c. Tom. 2.c.23. n.141.& n.143.

Intemperantia vini facit, quod omnia extranea & aliena videntur, nec vxor,nec filius agnoscitur, ibid.n.144.

Temulentus belluino quodam impetu æstuat, & assimilatur stellæ,quæ Acephalus dicitur,ibid.n.145.

Ebrietatis præcipua ærūna, rationis naufragium, quia in potatore simul omnia bona demerguntur, & dedecus ac contumelia sequuntur, ibid. toto versu XXXIV.

Quanta mala afferat ebrietas in Principibus, Ducibus,militibus,quorum fidei Respublicæ sunt commissæ? t.1.c.12.n.55.

Quanta cum temperantia vinum bibendum? t. 2.c.31.n.35.

Quàm longè abest Deus ab ebriis? t.2.c.31.n.21.

Ebrietas omnis secreti,& arcani violatrix, & memoria in ebriis penitus perimitur, ac emoritur, ibid. n.22.& seq.&n.25.

Quodnam sit vinum damnatorum, & cur sic appellatur? ibid.n.30.

De superbia vide Dom. 1. Quadrag. Et feria 4. post Dom.Passionis.Et Dom.9.post Trinit.& de humilitate,feria 5.post Cineres.

Dominica XVI. post Trinit.

Accesserunt ad Jesum Pharisæi, & interrogauit illum vnus ex eis legis doctor tentans eum. Matth. 22.

PRo hac Dominica de Obseruantia præceptorum Dei,vide feria 3. post Dom.3. Quadragesimæ. Et in die S. Pentecostes.

Dominica XVII. post Trinit.

Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit. Matth. 9.

CHristi potestas magna declaratur in hodierno Euangelio in paralytici curatione, & peccatorum remissione,ordóque admirandus,priùs enim animæ,quàm corpori remedium adhibuit: Talis potestas agnoscitur in nauicula Christi, quæ est Ecclesia, de qua aliquid annotabimus.

Quomodo Christus dicatur nauis omnium credentium?t.2.c.30. n.199.

Quare & qualiter Ecclesia naui comparetur? t.2. cap.30.n.193.

Quomodo Ecclesiæ & animæ iusti semitæ,viæ nauis in mari assimilentur? t.2.c.30.n.178.

In quo Ecclesia assimiletur areæ t.2.c.18.n.8.

In quo meretrici? t.2.c.30.n.198.

Tā pro bonis,quàm pro malis sumitur,t.1.c.5.n.85.

Duo in Ecclesia status, continentium videlicet, & coniugatorum,contemplari possunt,t.1.c.10.n.94.

Quantam curam, & solicitudinem habuerit Beata Virgo de Ecclesia, vt meritò de ipso dicatur; *Mulierem fortem quis inueniet?* t.2.c.31.n.45.

Lex prima societatis,quæ in Ecclesia maximè obseruatur,vt sociorū omnia sint cōmunia,t.1.c.1.n.197.

Præstantissimum pietatis munus, societates stabilire, & ad illas roborandas pecuniarum collationes suadere,ibid.n.198.

Conuersatio seu societas bona ad mores instruendos multùm confert, mala verò ad corrumpendos, t.1.c.13.n.81.& t.2.c.27.n.100.& seq.

Cur consortia stultorum vitanda sint? t. 1. c. 14. n.31.& 32.

Quam periculosum à communi viuendi & conuersandi ratione discedere? t.2.c.18.n.2.

Dominica XVIII post Trinit.

Simile est Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth.22.

EVangelium in Parabola versatur de inuitatis ad nuptias, ostendens meritò illos esse damnatos, qui

Dominica XIX. post Trinit.

Erat quidam Regulus. Ioan. 4.

Dominica XX. post Trinit.

Simile est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Matth. 18.

uolum experitur, qui autem illum stimulat, atque in se prouocat, necem sibi accersit, t.1.c.28.n.8.& seq.

Cætera vide Dom.4. Aduentus. Et in die Epiph.& feria 5. post Cineres. Et Dom.2. post Pascha.

Diuites aliquando durum imperium in pauperes exercere consueuerunt, eosque sibi velut famulos, seruosque substernunt, t.2 c.22.n.37.

Maximè dedecet, vt homines qui opibus ipsis degeneri admodum obsequio inseruiunt, earumque mancipia sunt, in homines ingenuos, & liberales potestatem habeant, imò potiùs pauperibus imperium conferendum est, qui cùm diuitiis imperare norint, idonei certè videntur, ibid.

Plura vide de diuitiis feria 4. post Dom. 2. Quadrag. Et feria 6. post Dom. passionis, & Dom. 1. post Trinit.

Dominica XXI. post Trinit.

Abeuntes Pharisæi Consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone. Matth. 22.

PErfidum, genus simulatorum dolosè accedit ad Christum, non vt ædificetur, vel pietatis aliquam lucem capiat à sole iustitiæ, sed vt carpat, rideat, & capiat; sed victum, confusum recedit, tributum iusque debitum soluere cogitur: De vitio igitur hoc detestabili, ac tributis notandum.

Fraudulenti homines seu irrisores sunt similes vulpibus. t.1.c.3.n.245.

Qui vocentur decisores? ibid.n.246.

Simulatorem & dolosum Deus inuisum habet; t.1.c.6.n.129.

Quantum dolorem adulator afferre soleat his, quibus assentatur, & quare similis coruo? t.1. c.10.n.159.& seq.

Qui adulatores audiũt, stulti sunt, ib.n.161.& seq.

Quam debilis sit libertas adulatorum? t.1. c.26. n.169.& t.2. c.26.n.130.

Quid intersit inter sermones hominis callidi, & viri candidi? t.1. c.10.n.188.

Adulatorum ingenium est, eorum quorum gratiam iniri cupiunt, vitiis virtutum speciem obtendere, ibid.n.194.

Proprium adulatorum est, præsentibus blandiri, & absentibus detrahere, ibid.n.240.

Lingua seu guttur adulatorum sepulchrum optimè dicitur, t.1.c.11.n.37.

Quinam maximè adulationibus capiantur? t.1. c.14.n.71.

Adulatoris qualis est effigies? t. 2. c. 18. per tot.

Adulatori in aula plusquam iustus, t.1.c.17.n.14.

Vir callidus nunquam sibi similis est, sed à seipso passim dissidet, ac secum pugnat, cuius symbolum est Protheus. t.2 c.20.n.40.

Qui honestè viuentem à via sua per astutiam, aut calliditatem in diuersum agit, Ethnicus vocatur, ibid.n.41.& c.28.n 48.

Adulator scoria vocatur, nam sicut scoria auro adhæret, sic illi Principibus, t.2.c.25.n.23.

Nummis adulterinis sunt similes, & quos fugiunt, vel diuitant? t.2.c.26.n.129.

Nomine inimici adulator in scriptura insignitur, & qui sunt illius septem spiritus nequam? ib.n.133. & seqq.

Principes tributa moderata debent à subditis exigere & quare? t.2.c.17.n.149.150.& seq.& c.29.n.19.

Principes & Reges nec faciles nimium, nec seueri valde erga subditos debent esse, t.2.c.30 n.148.

Principum erga subditos seueritas in duobus versatur, in exigendis tributis, & in puniendis delictis, ibid.n.255.

Subditos benigniùs coërcere vtile est, eosdem opprimere perniciosum, ibid.n.256.& seq.

Probitate Principis vulgus etiam ad grauia onera sponte ducitur, t.2.c.29.n.6.& 7.

Adulatores suis lenociniis, & adulationibus Principis gratiam inire solent, & tyrannidem in subditos suadent, Principis gratiam habent, sed Reipublicæ odium sibi accersunt, t.2. c.24. n.102. Plura de Regibus ac Principibus vide Dom. 4. Aduentus. Et in die Epiphaniæ. Et feria 5. post Cineres, & Dom.2. post Pascha, & Dom.20. post Trinit.

Dominica XXII. post Trinit.

Loquente Iesu ad turbas, ecce Princeps vnus accessit, & adorauit eum. Matth. 9.

VBique diffundens radios suæ bonitatis sol iustitiæ, omnibus ritè accedentibus, votis adest; accedit Hæmoroissa, tangit vestimentum, recipit salutem; accedit Christus ad puellam mortuam, tangitur à Christo, & surgit: Iste sexus muliebris infirmus ac debilis, repræsentat nobis infirmitatem animarum nostrarum, quas Christus videns, misertus descendit, tetigit & curauit: De dignitate igitur animæ notabimus.

Homo non vna tantùm vita, sed triplici præditus est, t.1.c.8.n.440.

Quomodo anima dicatur moueri triplici motu, circulari, per quem in seipsam redit, recto, per quem ad proximos prodit, reflexo, per quem ab externis ad Deum reuocatur. t.1.cap.2.n.81.82.

Quæ animi profunditas, sublimitas, latitudo, altitudo, & quomodo animus indiuisibilis has diuisiones capere potest? t.2.c.19.n.29.& seqq.

Qui dignitatem animæ suæ ignorat, perinde est ac si non haberet illam, t.2.c.18.n.5.

Animus hominis vnde cognoscitur? t.2.c.17.n.95.

Animus est similis equo, qui antequam in certamen cum forti aliqua tentatione ruat, equi in modum comparari, instrui, insterni & expediri debet, vt sessorem, id est rationem, excipiat, hæc enim manus cum hoste conserit, victoriamque ex Dei beneficio, & gratia reportat, t.2.c.21.n.127.128.

Anima varias significationes habet in scriptura, t.2 c.29.n.107.

Ægri animi symbolum, continua mutatio, tom.2. c.27.n.49.

Animus curis maximus & solicitudinibus tanquam serris conscinditur, t.2.c.20.n.38.

Dominica XXIII. post Trinit.

Cùm videritis abominationem desolationis. Matth. 24.

EVangelium horrenda proponit atque stupenda, non solùm de illa abominatione, quæ facta fuit in templo sancto multis vicibus ab absurda gentilitate, sed etiam in destructione vltima Hierusalem; proponit etiam abominationem illam, quæ excedet impiissimos quosque, & quæ se extollet supra omne id, quod est Deus, videlicet Antichristum (prout omnes Doctores explicant) eiusque præcursores, tam præcedentes, quàm præsentes, ac futuros nouissimis temporibus; demum de extremi iudicij die horribili, ac tremendo aduentu edocet. Et cum iam de extremo iudicio annotauerimus Dominica 1. Aduentus, & de Hæreticis Dom.4.& 6. post Trinit. Nunc de Antichristo & illius antesignanis, qui illum sua impietate repræsentant, paucis attingemus.

Antichristus assimilatur urso.t.2.c.17.n.46.47.&48.

Ursi natura, proprietas, dolus, voracitas, fraus, astutia ipsi conueniunt, Lupi natura, proprietas, esuries, ferocitas, insidiæ describuntur, quæ non inconcinnè Antichristi vitia depingūt, t.2.c.18.n.74.&.75

Immanitas Antichristi optimè delineatur, fraúsque illius & dolus, ibid.n.76.77 & seq.

Impij cum sint imago Diaboli, & principalis eius instrumenti, videlicet, Antichristi, optimè ipsum repræsentant in suis sceleribus, Nimirum, ambitione, auaritia, libidine, fraude, de quibus suo loco, hæc tamen annotanda duxi.

Cur diabolus dicatur sanguisuga, filiæ eius, libido, auaritia, ambitio, t.2.c.30.n.117.

Concupiscentia cur dicatur sanguisuga, filiæ illius, luxuria, & auaritia, ibid.n.118.

Cur libido ac luxus dicatur sanguisuga, similiter & auaritia? ibid.n.121.124.& seq.

Quomodo hæc tria luxuria, ita, auaritia dicantur sanguisugæ insaturabiles, & quartum, nempe ambitio, quę numquā dicit, sufficit? t.2.c.30.n.127.& seq.

Superbus qui est filius diaboli, punitur per luxuriæ vitium, t.2.c.21.n.80.

Tribus modis Deus gladium contra sceleratos vibrat, & tribus modis gladio percutere solet, t.2.c.20. num.123.

In via hominis peruersi duo sunt, quæ homines probos ab ea deterrent, tribuli, & laquei, t.2.cap.21. num.22.

Impij scoria in scriptura dicuntur, & quare? t.2. c.25.n.18.

Scelesti homines ob iniurias innocentibus illatas, seuerissimè puniuntur, t.1.c.1.n.294.

Luxuriosi, etiam repræsentant impudicum parentem suum, ideo gentiles, veri cultores diaboli, impudicam Venerem, & Priapum, aliáque prostituta pro Diis adorabant, t.1.c.2.n.134.

Venus Dea & Regina, à sordida gentilitate appellatur, ibid n.137.

Luxuria triplicis vitæ dispendia affert, vitæ, scilicet, gratiæ, temporalis, & æternæ, ibid.n.166.

Amor lasciuus omni fera truculētior, ac omni tyranno immanior est. t.1.c.5 n.61.

Scortator etiam viuus, quodammodo inter dęmones agit, & in inferno depressus est, ib.n.63.

Libido luxuries, ebrietas quædam est t.1.c.7.n.68.

Vide de superbia Dominica 1. Quadrag. & feria 4. post Dominicam Passionis. Et Dominica 9. post Trinitatem.

De auaritia vide Dom. 1. Quadragesimæ & feria 3. post Dom. 1. Quadrag. Et Dominica 13. post Trinit.

De malis ac impiis hominibus, vide Dominica 5. post Epiph.

De meretricibus verò vide feria 5. post Dominicam Passionis.

De Festis Sanctorum.

In festo S. Andreæ.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ. Matth. 4.

NArrat Euangelium admirandam vim & energiam Verbi Diuini, cuius tanta efficacia in Sanctis Petro, & Andræa fratre eius, claret, vt continuò relictis suis occupationibus, audito verbo, *Venite*, secuti sunt eum: Cum igitur Christus sit Dux & Rector noster, eum sequi sine cunctatione debemus; modo de viis, quæ ducunt ad cœlum aliquid signauerimus.

Regia via in cœlum est misericordia, & iustitia, qui se, ac sua omnia huic viæ committit, ipsa illum in cœlestem aulam adducit, t.2.c.21.n.94.

Quomodo via vitæ, & via mortis librandæ & libero arbitrio eligendæ sunt; tom.1.cap.4.numero 220. & seq.

In libero arbitrio duplex indifferentia, ad bonam scilicet viam, & ad malam, quasi duplex vnius libræ brachium; tom.1.cap.2.n.15.& cap.4. num.219.220. & 221.

Obedientia est iter rectum, licet strictum in cœlum, t.2.c.21.n.121.

Obedientiæ præmium quale receperit Abraham? t.1.c.1.n.28.& seq.

Quanta verò sit vis Verbi Dei, vide Dominica in Sexagesima

In festo S. Nicolai.

Homo quidam peregrè proficiscens vocauit seruos suos. Matth. 25.

EVangelium legitur de seruis, qui instar S. Nicolai, casti & compositi, ac vigilantes ad primam Domini vocem & pulsum præsto sunt: De libertate igitur seu libera actione tam Diuina quam humana, & quomodo seruorum seruitus in filiationem mutatur, explicandum, atque etiam ab exemplo viri castissimi, qui prostituendas filias, pauperis parentis inopiam sua liberalitate subleuando, & illas ab infami, impudicaque vita liberando, in sua honestate conseruauit, quanta, & quæ mala, quot calamitates, & infamię, ex libidinosa illecebrosáque vita eueniant, notandum.

Quis liber & in quo libertas consistit & ingenuitas? t.2.c.17.n.7.

Sola sapientia facit hominem liberum, & ex seruo Dominum, t.2.c.17.n.6.

Prædicanda sapientiæ & prudentiæ humanæ excellentia, quæ ex humili consurgit in altum, ita vt seruis dominium in filios præbeat, & quādoque loco filiorum hæredes faciat, ibid.

Seruus ingenuus & prudens dignus est vt in filium recipiatur, probatur authoritate, & exemplis, ib.n.8.

Seruus qua ratione dicitur liber? ibid.

Fidelis seruus sapiens dicitur, ibid.n.23.

Adoptio seruorum in filios antiquitus obseruabatur, ibid.n 8.

In mystico sensu, gentiles tanquam serui solertes & sensati, filios stultos, id est Hebræos, hæreditario iure priuarunt, ibid.n.9.

Libido maximè sensibus sanguini, vitę, facultatibus, honori nocet, mentisque robur infringit, t.1. cap.2. n.137.138.& c.5.n.54.& 65.

Per libidines iuuenilis decor deperditur, tom. 1. c.5.n.56.

Luxus & turpitudo obcæcat hominem, ibid. n.82.

Nihil hominem cunctis malis cumulare solet, quàm scortatio, ibid.n.88.

Libido insania quædam est, tom. 1. cap.2. numero 139.

Venus equis furtiuis comparatur, tom.1. cap. 9. n.215.& seqq.

Qui cum muliere impudica conuersatur, viam agit biuiis innumeris dissectam, t.1.c.7.n.97.

Plura vide feria 5. post Dom. Passionis. Et Dominica 23. post Trinit.

In festo immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Matth. 1.

GLoriosam ac splendidam iacturus domum, habitaculúmque omnibus numeris perfectum Filio suo vnigenito, Pater æternus, gloriosissimâ scilicet, Virginem Mariam in matrem à sæculo prælegit, eamque honoratiorem Cherubim, & gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, incontaminatam creans, à labe originali præseruans; cunctorum Sanctorum ordinem omnem, quantumuis eximium, & illustrem præueniens, reddidit, effecit; plus enim gratiæ illi, (secundum omnes Orthodoxos) quàm Sanctis reliquis collatum fuit, ad vincendum omni ex parte peccatum: In cuius laudem meritò Ecclesia vtitur illis verbis, quæ in persona summæ æterneque sapientiæ dicta sunt, quæ primo explicanda erunt, Secundò per authoritates, rationes, exempla, similitudines, probabitur illius illibata Conceptio.

Quo sensu Ecclesia, verba, quæ increatæ sapientiæ conueniunt, accommodet Beatæ Virgini, & quàm impudenter Lutherus, & alij hæretici ob hanc caussam insurgant contra Ecclesiam? t.1.c.8.n.9.

Cur vtriusque sapientiæ tam creatæ, quàm increatæ elogia Beatæ Virgini meritò adaptentur? ibidem n.11.& 12.

Quomodo Beata Virgo ab æterno dicatur præscita & prçordinata fuisse, cum certum sit quantumlibet minimas creaturas ab æterno præscitas fuisse; & quæ sit causa huius præuisionis & præscientiæ? ib.n.293. & seqq.

Cur Conceptio Beatæ Virginis Mariæ, ex matre Anna dicatur à Deo præuisa ante abyssos & fontes? ibid.n.3.8.

Plura de laudibus Beatissimæ Virginis Mariæ, vide in festo Natiuitatis, Visitationis, & Assumptionis eiusdem, & t. 3. de Conceptione.

In festo S. Thomæ Apostoli.

Thomas enim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Ioan. 20.

MAteria tractanda, quæ occurrit super præsens Euangelium, bene quadrat cum Euangelio Dom.1.post pascha, vide ibid.

In festo sancti Stephani Protomartyris.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas. Matth. 23.

PRodit *Euangelium inuisibilem Iudæorum*, pertinaciam atque crudelitatem in eos, qui diuinitus missi ad corrigendam gentem illam, tyrannicè prorsus ab eadem excepti, & mirabiliter trucidati sunt; Monet vt detestemur hanc ingratitudinem, ni cum illis quoque perditum iri velimus: Tractandum occurrit de laudibus Martyrij & patientia illorum.

Quanta pulchritudo & formositas virtutis, quæ fit deuicit Martyres, vt etiam crudelissima quæque pro ipsa pati non dubitarint, t.1.cap.2.n.88.& 91.

Virtus est fons, & origo omnium bonorum, t.1. c.8.n.199.

Scelesti homines, qui innocentes iudicabant, & crudeliter trucidabant, ab illis iudicabuntur, t.1.c.1. n.294.

De laudibus Martyrij, vide tom.2. cap.17.n.10. & seq.

De tribulationibus, vide Dom. 3. post Epiph. & Dom. in Quinquagesima, & feria 5. post Dom.1. Quadragesimæ, & in festo S. Iacobi Apostoli.

In festo S. Ioannis Euangelistæ.

Dixit Iesus Petro, sequere me. Ioan. 21.

CÆlestis planè illa Aquila occurrit nobis laudanda, atqui plus laudari non potest, nec quidquam addi laudibus quæ continentur in Euangelio: appellatur enim discipulus ille quem diligebat Iesus, in quibus verbis totum encomium, laus, & gloria sanctissimi Euangelistæ, Apostoli, Prophetæ, & Virginis extitit. Magnus campus sese offert, sed quoniam specialis locus in hoc commentario repetitur qui posset, applicari, ad communem materiam te remittimus, ingenuus enim erat prædicator charitatis, & feruenter amabat Christum, ideo vide materiam de charitate, in festo Pentecostes.

In festo Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem. Luc. 7.

COnsolaturus aliquando anxiam ac mœstam Synagogam Deus clementissimus, ac detersurus lacrymas sanctorum Patrum consolatur illos per Malachiam, promittens aduentum, non iam prophetæ alicuius, non iterum Heliæ, aut similis zelatoris, sed tamdiu exoptati Messiæ, qui suum ipse templum erat inuisurus, & admirabilia operaturus. Id exhibet Maria, quo die (Solem iustitiæ pro nobis præsentans in templo ac offerens) lustratur, seu purificatur puerpera, licet immunis à lege: Hoc Simeon excipit, cum glorianter sui voti compos, baiulans lumen promissum in vlnis suis, in Christo totus exultat. Notandum igitur qualiter Beatissima Virgo Maria, Christum hodie in templo sistens, ac præsentans pretium nostræ salutis obtulisse dicatur, & quomodo hæc mater, purior cælis, sanctior Angelis, immundarum fœminarum lege non constricta, legis onera subit; ac, demum de sacrificio, & votis.

Beatissima Virgo Maria voluntariè Christum offerens salutem nostram operata est, & quomodo? t.1. c.8. n.210.212.213.& seq.

Hæresis Copronymide hac difficultate, ib.n.203.

Non erat causa principalis nostræ salutis, sed impetratoria, ibid.n.206.

Modus proprius impetrationis salutis humanæ Beatæ Virgini adscribi debet, ibid.n.206. & 207.

Si per impossibile voluntas Christi Domini expressa non fuisset se offerendi pro salute humana, voluntas Beatæ Virginis sufficeret, tom. 1. cap. 8. num.216.

Quomodo spontè & gaudens Beata Virgo filium obtulit, cum maximam lacrymarum vim profudit, moriturum contemplans, ibid.n.219.

In festo S. Matthiæ. Apost.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Matth. 12.

Commendat Euangelium charitatem, quæ verè virtus est Apostolica, & quæ factis, fidisque erga Deum, & homines officiis, vult declarari: Eadem flagrans D. Matth. tum præclara executus, vberes, & durabiles fructus, quos promittit Euangelium, attulit Ecclesiæ, sed quoniam multa loca hæc nobilissima virtus meritò sibi vendicauit, quæ iam annotauimus, ideo in præsenti supra Euangelium, de sapientia & prudentia, quæ reuelata est paruulis, pauca annotabimus.

In festo S. Thomæ de Aquino Doctoris Angelici.

Vos estis sal terræ. Matth. 5.

Sanctissimum decus, & splendidissimum lumen Ecclesiæ Beatus Thomas Angelicus Doctor, sua saluberrima, ac planè diuina doctrina, refulsit in Ecclesia, omnes tenebras quæ offendere possunt lumen illius, abegit, nequitiam, & prauam insultantiam peruersorum hæreticorum compescuit, ac vim illorum eneruauit; Morum etiam honestatem, sua integerrima vita, exemplum præbens sanctitatis, & pietatis, tanquam sale à putredine, & corruptione, conseruat.

Dicendum

Dicendum ergo, quomodo ſapientia, ſicut in aliis Doctoribus Eccleſiæ, in S. Thoma, ſicut in monte ſancto extitit, cum denique quid per lumen lucernámque in ſcriptura accipiatur, & quæ ſit lucerna piorum, & quæ impiorum.

Sapientia quare eſſe dicatur in Doctoribus Eccleſiæ, ſicut in montibus ſanctis? t.1.c.2.n.34.

Quibus liceat labyrinthos ænigmatum adire, t.1. c.1.n.21.

Interpretationes, ſiue explicationes ſcripturæ debere inter eximia ſapientum monimenta numerari, t.1.c.1.n.121.

Intellectus inter alias hominis potentias eſt Princeps, t.1.c.8.n.35.

Fauus mellis ſignificat ſcripturam, & intelligentiam ipſi⁹, mel, quod tūc ſufficienter comeditur quādo noſtra intelligentia, iuxta menſuram ſenſus, ſub moderamine tenetur, t.2.c.25.n.79.

Doctor Euangelicus à ſublimitate ſermonis abſtinere debet, t.2.c.25.n.161.& 162.

Speculatio immodica & inueſtigatio ſecretorum Dei obeſt, & quibus; ibid.n.162.

Quare Doctores appellentur Patres ſpirituales, & vehementius diligantur à ſuis filiis ſpiritualibus, & vnde conſurgit iſta vehementia? t.1.cap.1.num.150. & ſeq.

Propter Chriſti doctrinæ magnitudinem ſancti in nouo teſtamento magni vocantur, t.1.capite. 8. n. 23.

Sapientia viri docti, ac pij, aquæ fluenti aſſimilatur, t.2.c.18.n.18.

Doctrina magnam auctoritatem trahit ex dignitate perſonæ, t.1.c.1.n.51.

Cur Monachos veros deceat eſſe philoſophos? t.2.c.1.n.59.

Quod ſit munus veri Philoſophi? ibidem num19.

Sapientia ſumitur pro virtute. & eſt rectrix aliarum virtutum, t.1.c.2.n.86.& 97.

Sapientia ſeu virtus nunqnam deſerenda, t.1.c.4. n.49.& 50.

Quomodo ſapientia poſſit dici naturalis homini? t.1.c.7.n.28.

Conſilium, æquitas, & prudentia: proles ſunt ſapientiæ, t.1.c.8.n.70.

Cur ſapientia antiquitatem ſuam volens oſtendedere, non potiùs rebus incorruptibilibus, ſed his caducis ſeſe prætulit? t.1.c.8.n.327.

Sapiens cuius corpus Domino mancipatum eſt, animo, & mente eidem imperat, tom. 1. capite 10. n.84.

Doctrina pij viri, clariſſima & ſplendidiſſima lux eſt, t.2.c.20.n.100.

Cur meritorum alienorum, atque bonorum operum contemplatio, & intuitus cum viſione lucis comparatur? t.1.c.15.n.127.& ſeq.

Lucerna & lumen in ſcriptura quid ſignificant? ibid.n.70.& c.24. n. 81.

Vſus lucernarū inter curſores obſeruabatur, ibidem.

Duplex lumen homini datum eſt, ſupernaturale, quod ſoli, naturale, quod lunæ comparatur, ibid,

Lucerna hominis eſt gratia Dei, t.2.cap.20.numero 101.

Lucerna impiorum quæ? tom.2. cap.20. num.18. & 20.

Duo ſunt vitia, quæ appoſitiſſima lucerna ſunt impiorum, ibid.n.23.

Plura de ſapientia vide feria 2. poſt Dom. 3. Quadrag. & feria 3. poſt Dom.4. Quadreg. & in feſto S. Matthiæ.

In feſto S. Ioſeph ſponſi Beatæ Mariæ Virginis.

Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph. Matth. 1.

NObiliſſimus theſaurus verbum Dei tanquam aurum puriſſimum, per Spiritum ſanctum in viſceribus Virginis pudiciſſimis reconditum, dum ſuperueniente virtute ex alto, ex puriſſimis guttis ſanguinis Virginis caſtiſſimæ, conceptus De⁹ & homo, fideliſſimo cuſtodi, iuſtiſſimo viro, ſanctiſſimo Patriarchæ Ioſeph, Patri putatiuo Chriſti, & piiſſimo ſpōſo, mundiſſimæ Virginis cuſtodiæ commendatus: Occaſione cuius, quis ſit verus ſponſus Beatæ Virginis, an Ioſeph, vel Spiritus Sanctus, & de ſenectute venerāda dicendum.

Beata Virgo duplicem habuit ſponſum, Ioſeph, & Spiritum ſanctum, & an vterque à Zelotypia omninò immunis erat? t.2.c.31.n.54.& ſeq.

In quo Ioſeph Zelotem ſe exhibuit erga Spiritum ſanctum? ibid.n.56.

Spiritus ſancti erga Ioſeph in quo æmulatio? ibid. n.57.& 59.

Quomodo Ioſeph Virginis Mariæ pudorem ſeruauerit? ibid. n.59.

In Ioſeph, ab ipſo die initi cum Maria coniugij, ob reuerentiam tantæ Virginis, omnis libidinis fomes, & ſenſus extinctus fuit.ibid.n.60.& 66.

Quanta ſit dignitas ſenectutis? tom.1. c. 16. numero 127.

Canities corona populea dicitur, ibid.n.128.

Coronæ ex oliua factæ, ſimilis eſſe dicitur.ibidem n.129.

Quorum ſenectus dicitur honorabilis, ac decora? ibid.n.130.

Senex duplici nomine dicitur Rex, t. 2. cap. 20 n.116.& ſeq.

Cur iuuenes quantumuis nobiles, aſſurgere debeant ſenibus? t.2. c. 30.n.93.

Senes magno præteritorum vſu, de futuris certiſſimè coniecturare poſſunt, t.2.c.20.n.117.

Indecorè agunt ſenes illi, qui naturalem illius ætatis pulchritudinem, inductis aliis coloribus adhoneſtant, ibid. n.118.

Senes aliquando ſenio confecti, quos deliciarum faſtidium iam cepit, iucundiſſimas etiam voluptates præ tædio aſpernantur; iunior verò in quo exæſtuat libido, ea certè, quæ nec iucunda nec volupia ſunt, ſed potiùs amara, maxima cum auiditate amplectitur, t.2.c.27.n.39.

Cur peccatores in ſenectute non exaudiantur, & quare etiamſi pœnitentiam egerint eo tempore, non ſunt ſecuri, t.1.c.1.n.286. & ſeq.

Vide, de iuſto, Dominica infra Octauas Natiuitatis.

In feſto Annuntiationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Dèo in ciuitatem Galileæ. Luc. 1.

EXordium redemptionis noſtræ ſacroſanctum diem celebrans mater Eccleſia. Verbi Dei Incarnationem nuntiat, & ex Euangelio, quomodo, vbi & quàm admirabiliter in Virgine matre facta ſit (quæ ad modum Dialogi pudiciſſimi inter Paranym-

intra terræ cauernas subsistere dicatur, vel potiùs diuina potentia coërceri? t.1.c.8.n.365.

An aquæ sint super cælos, & quomodo ibi subsistant? ibid.n.345.& seq.

Astutia quid significet, & quomodo in bonam partem,& malam capi soleat? tom.1.cap.1.num.76. & seqq.

Quænam est illa astutia, seu prudentia serpentis, quam Christus imitandam proponit? ibid. num.79. & 80.

Quomodo astutia serpentis applicetur adolescentibus, & sit ipsis valde necessaria? ibid. numero 81. & 83.

Qualiter cum simplicitate columbina, serpentis astus copuletur? t.1.c.1.n.86.& seqq.

Quomodo in viro, qui laudabili,& honesta pollet astutia, tanquam in throno sedet ratio,& prudentia? ibid.n.88.

Astutia quàm sit necessaria? t.1.c.14.n.33.

Imitanda est Christiano astutia serpentis,& etiam aliquando detestanda,t.2.c.21.n.13.

Quid sit astutia mala, & quæ differentia sit inter astutiam dolosam, & laudabilem? t.1. c.10.n.146. & c.14.n.34.

In festo S.Ioannis Baptistæ.

Elizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Luc. 1.

EVangelium rationem ostendit hodierni festi,meritò scilicet eius pueri natalem celebrari,qui tam admirabiliter conceptus,Angelo prædicante,parentibus sterilibus, & infœcundis,quique sanctificatus, priusquam natus, se prophetam in vtero materno prodidit,natus, communem omnibus lætitiam attulit,in desertum secessit, iustè, sanctè,& piè vixit, & pro iustitia mortem oppetiit: Occasione huius sancti,de filiis qui propter orationes dantur parentibus, & de iustis,bonisque viris pauca dicemus.

In antiqua lege fœcunditas,summæ gloriæ,sterilitas dedecori immenso ducebatur, t.2. c.17. num.20. & seq.

Et ideò filij dati sterilibus parentibus filij orationum vocabantur,t.2.c.31.n.10.

Deus miris modis protegit iustos,ac simpliciter gradientes, t.1.c.2.n.62.& seq.

Hi modi protectionis externæ, à scolasticis gratia antecedens,& subsequens appellati solent. ibid.

Protectio hæc Diuina non solùm affert iustis gloriam,seu coronam,sed etiam securitatem,ibid.

Iustorum via angusta, & difficilis, tom.1. cap.2. n.171.

Quare via iustorum dicatur lenis, & in quo dissidat à via malorum? ibid.n.172.

Deus præsentissimus est iustis, t.1. cap.3. n.104.

Quantam gratiam apud Deum, & apud homines vir iustus & misericors nanciscatur: t.1.c.3.n.20.

Quomodo dicatur Deus cognoscere vias iustorum? t.1.c.4.n.231.

Plura vide de iustis ac piis hominibus,Dominica 2. & 3.Aduentus, & Dom.infra Octa. Natiuitatis. Et Dom.5.post Epiph.Et in die Cinerum.

In festo Apost.Petri,& Pauli.

Quem dicunt homines esse filium hominis? Matth. 16.

VNo communique festo celebrantur præcipui Apostoli, quos vnus idemque dies,tum in sancta mortis agone,tum in cœlestis vitę fœlicitate coniunxit;Hoc die admirandam Diuinæ sapientiæ rationem indagare licet, dum contemplamur fundamentum Ecclesiæ,& Ianitorem ęterni aditus, Diuum videlicet Petrum institutum esse, vicariamque potestatem Diuinæ Maiestatis illi collatam esse, vt quæ in terris ligata, vel soluta sint ab eo, statuti eiusdem conditionem obtineant in cœlo,De Diuinæ igitur sapientiæ laudibus agendum.

Diuinæ sapientiæ laudes enarrantur,t.1.c 3.n.154. & seq.

Sapientia Diuina rerum omnium architectatrix dicitur,t.1.c.8.n.239.

Sapientia Diuina sumitur pro secunda Persona, quæ dicitur filius hominis;& cur potius filius,qui dicitur sapientia, rebus condendis deputatus dicitur? ibid.n.242.

Christus Dominus toties de seipso pronuntiauit, filius hominis,vt suam nobis intimaret humilitatem, ibid.n.17.

Sapientia incarnata Christus Dominus appellatur, t.1.c.8.n.8.

Quare Christus Dominus dicatur sapientia clamitans? ibid.n.19.& seq.

Sapientia nostra est participatio quędam,seu similitudo Diuinæ sapientiæ,t.1.c.3.n.159.

In festo Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda. Luc. 1.

NObilissima non tantùm donis naturæ,& fortunæ quia,speciosa inter filias,& sanguini Regio iuncta,stemmatibus Auorum, Proauorum nobilitata,sed etiam donis gratiæ, Regina Angelorum creata, & quid dicam? Mater Dei facta,non dedignatur ad cognatam salutandam,& adiuuandam vltrò,properanter,longè,& difficili itinere proficisci! O salutiferum aduentum! O prædicandam dignitatem! O admirandam humilitatem! Agnosce casti pectoris,sanctique amoris vim,in quo gratia Spiritus sancti non est otiosa; nam ad eius veluti præsentis numinis fœlicem occursum exclamat admirabunda,& spiritu prophetico repletur, infantem sentit in vtero suo subsilientem; De principali igitur Beatæ Virginis Mariæ prærogatiua,maternitate,scilicet,(occasione verborum Euangelij: *Et vnde hoc mihi,vt veniat mater Domini mei ad me?*) ac cæteris eius laudibus, differendum.

Tres eximiæ Virginis prærogatiuæ, quod mater Dei,quod Virgo Virginum,& quod Regina cœli,& terræ,t.1.c.8.n.57.

Beata Virgo tam ad proceres,quàm ad humiles sermonem fecit,in illo Cantico, *Magnificat anima mea Dominum*,t.1.c.8.n.26.

Collibus,ac montibus excelsis similis dicitur,ibid. n.320.321.& 323.

Cur Deus ad tantam meritorum celsitudinem Mariæ montem euexerit? & quid nobis præstet tam excelsus mons,& collis? ibid.n.329.

Beata Virgo montis instar excelsi,hæresum,ac errorum omnium fluctus omnes prohibet, t.1. cap.8. n.330.

Qualiter in summis,& excelsis verticibus dicatur stare? ibid.n.13.

Quomodo in mediis semitis, seu biuiis? ibid.numero 14.

In festo S. Mariæ Magdalenæ.

Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo. Luc. 7.

In festo S. Iacobi Apostoli.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi. Matth. 20.

In festo sanctissimi Patriarchæ, Dominici,institutoris Ordinis Prædicatorum.

Vos estis sal terræ.

Doctrina

Doctrina piorum comparatur thesauro, & puritati aquæ in profundo manentis t.2.c.20.n.19.& c.21. num.93.

Sicut fontis limpidissimi, ita hominis iusti conditio, & proprietas, t.2.c.25.n.156.& seqq.

Iustus quilibet sicut fons perennis in publicam vtilitatem fuit, ibid.n.155.

Qui ex amore docet, & prædicat, efficaciorem vim habet ad suadendum, t.1.c.18.n.93.

Qua ratione via Domini, iusti animum confirmet, ac corroboret? t.1.c.10.n.317.

Memoria iusti non solùm cum laudibus, sed cum encomiis celebratur, & quomodo ista duo differunt? ibid.n.111.

Qualis sit fama iustorum? ibid.

Quomodo iustus sapientiam ore suo dicatur parturire? ibid.n.325.

Cur iustus sapientiam stillatim promere, & non potiùs vbertim effundere dicatur? ibidem, numero 328.

Iustus externa quæque mala, lætus, & hilaris excipit? t.1.c.11.n.101.

Iustus sua gloria, & splendore vincit omnes, t.1. c.12.n.113.

Per lucernam multa significantur, doctrina, consilium, gratia, iustitia, fama, & similia, quæ omnia possunt applicari ad vitam S. Dominici, t.1.cap.13. n.32.& seqq.

Et quomodo sit vtendum illa ne extinguatur, ibid.

Plura quæ huc inseruire possunt, de Doctore, Magistro, & discipulis, vide Dom. 2. Aduentus, & Dom.1.post. Epiph. & Dom. in Sexagesima, & feria 3.post Dom.2.post Pascha, & in festo Thomæ Aquinatis. Et de iustis, vide Dom.3. Aduentus, & Dom. infra Octa. Natiuitatis, & Dom. 5.post Epiph. & in die Cinerum, & in die Ascensionis, & in festo S. Ioannis Baptistæ.

In festo S Laurentij.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. Ioan. 12.

INuicti Martyris, & liberalissimi eleemosynarij festum celebrans Ecclesia, qui antequam seipsum in sacrificium Deo offerret, thesauros Ecclesiæ sibi concreditos dispersit deditque pauperibus, seminans nimirum temporalia, vt abunde cum sanctis metat æterna: ad imitationem illius nos inducit, vt ex bonis à Deo omnipotenti nobis concreditis liberales erga pauperes simus, & carnem nostram cum vitiis, & concupiscentiis crucifigamus, si consortes gloriæ eius fieri velimus.

De misericordiæ ergo operibus vide satis latè in aliis locis, videlicet, feria 6. post Cineres, & feria 2. post Dom.1. Quadragesimæ, & in festo S. Paschæ, & Dominica 7.& 18.post.Trinit.

In festo Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam. Luc. 10.

CElebrans Ecclesia ritu solemni felicem transitum Deiparæ Virginis, quæ corpore, & animo in cælos euecta, summam post Christum filium gloriam, & dignitatem est consecuta; consolatur fideles illiusque pios cultores, quia præmiserunt aduocatam, destinarunt matrem, & matrem Deo gratam, quorum causam agit in cælis, vt misericordem Deum inueniant in terris; confundit Heresiarcham Iouinianum cæterosque illius sequaces, qui asserunt æquale præmium, gloriam, omnes quoscunque consecuturos in cœlis pro meritis suis, sicut æqualem pœnam pro demeritis, comprimit illorum impudentia labia, & temeraria, dum sacratissimam Virginem assumptam non ad cœlos tantum, nec in quocunque choro Angelorum collocatam, sed supra Cherubin, & Seraphin exaltatam credit, asserit, & docet, Imperatricemque, Reginam, & Patronam agnoscit, de cuius imperio & Patrocinio quædam ponemus, secundò de vita contemplatiua, & actiua.

Triplex egressus Beatæ Virginis excogitatur, t.1. c.8.n.447.& seq.

Diuersa potestas imperii B. Virgini ab imperio Christi, ibid.n.158.

Quam latè pateat Beatæ Virginis imperium? ibid. num.133.

Christus Dominus ob diuinitatis, & humanitatis societatem in eadem hypostasi, à patria suæ matris potestate non erat exemptus, ibid. numero 142. & seqq.

Beata Virgo iure materno, potestate quadam regia supra Christum gaudebat, ita vt non solum sponte Beatæ Virgini paruit, sed ex quodam debito, t.1. c.8.n.145.& 146.

Beata Virgo Regina ac Dominica ab omnibus appellatur, ibid.n.113.& 114.

Cur Regina cœli appelletur? ibidem num. 116. & seq.

Angelorum ac dæmonum Regina, & Domina dicitur, t.1.c.8.n.129.& seq.

Quo iure Beata Virgo adepta fuerit imperium spirituale super animas aliorum? ibid.n.134.

Quomodo omnes creaturæ per Virginem emendatæ, & suæ naturæ restitutæ sunt? tom.1.cap.8.numero 117.

Vnde tantum imperium adepta fuerit, & quænam causa proxima, & germana tantæ potestatis, qua Beata Virgo pollet? ibid.n.115. & seq.item n.191.

Deus Virginem omnibus creaturis præfecit ac Reginam cæli, & terræ constituit, quod regimen proprium ac verum fuisse, ex materna dignitate deducitur, t.1.c.8.n.122.132.& seq.

Patrona omnium, sed præcipuè congregationum ac Sodalitatum appellatur, ibid n.38.

Quem fructum qui se illi deuouerunt, reportant? ibidem.

Tanto amore diligit diligentes se, vt in bonorum omnium communionem ab illa asciscantur, ibidem n.153.& seq.

Beata Virgo ipsissima charitas vocatur, ibid.numero 154.

Tanquam mater paruulos, ad se venientes recipit, ac eos educat, t.1.c.8.n.156.& seq.

Animas sibi studiosas ocyus, id est ab adolescentia sua seu pueritia excitat, tom.1.capite 31.numero 85. & 89.

Quanta bona temporalia amatoribus suis conferat? t.1.c.8.n.163.

Quidquid gratiarum, & beneficiorum nobis Deus impendit, hoc totum per Marianas manus ad nos deriuatur, ibid.n.164.& seq & t.2.c.31.n.118.

Cur nihil boni sanctorum preces nobis obtinere possunt, nisi Mariæ impetratio accedat? t.1. cap.8. num.170.

In festo S. Bartholomæi.

Exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6.

IEsus æterni Patris filius eisdem potestatis cum Patre in nihilo diminutus, etiam homo factus, vt aliquid obtineat, non ob defectum potestatis, sed ad exemplum nobis, vt in omnibus actionibus nostris, per orationem ad Deum recurramus, & nomen eius inuocemus, in oratione Dei pernoctat. Idem nos docet Beatus Bartholomæus, qui centum, & viginti vicibus in nocte, totidem in die (vt melioris notæ Historici referunt) genua flectebat, ad Deum fundens suas orationes: Exemplo cuius de Oratione quæ annotauimus, vide Dominica infra Octa. Natiuitatis.

In festo Natiuitatis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Matth. 1.

IAm aduenit purissima, & lucidissima aurora solem iustitiæ nobis paritura Beatissima Deipara Virgo, cuius præsentia omnes orbis terrarum incolas recreat qui ante illius aduentum, tanquam in obscurissima nocte detenti, doloribus intrinsecis excruciati, à die Natiuitatis mundissimę Virginis deponunt querelas, quas olim Cœlos obtestantes, cum lacrymis faciebant, assumunt lætitiam, quia nascitur Virgo promissa, serpentis annosi caput contritura, potestatemque illius per filium suum in nihilum redactura: De cuius prædestinatione, & præcognitione Primo; Secundò de gloriosa Natiuitate; Tertiò quomodo exactoris illius iniquissimi, qui quoscumque crudeliter in suo dominio detinebat, caput contriuit; ac de aliis illius laudibus, notandum.

In festo S. Michaëlis Archangeli.

Quis putas maior est in Regno Cœlorum? Matth. 18.

COnueniens Euangelium hodiernæ festiuitati recitatur, generatim enim loquitur de Angelis, quod videant faciem Patris in cælis, & quod sint tutores

tutores, ac custodes nostri, in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Vnde si velimus illis similes fieri, admonet Euangelista, vt puram, castam, integramque vitam seruemus, ambitionem fugiamus, sectemur humilitatem, & nemini simus scandalo, verentes ne veniat illud super nos: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*; De humilitate igitur vide feria 5. post Cineres, & de superbia, Dominica prima Quadragesimæ. Et feria 4. post Dominicam Passionis, & Dominica 9. post Trinit. De scandalo verò, & pœna peccati consequenter notabimus.

Cur in scandalizantes magno supplicio animaduertendum sit? t. 1. c. 3. n. 182.

Virtus, ab illis, qui scandala aliis offerunt, odiosa redditur, ibid. n. 183.

Scandalizans ruinam molitur eius, cui scandalum parat, ibid. n. 184.

Qui scandalizatur tota vita eius peruertitur, atque confunditur, ibid. n. 185.

Deus in illos inopinanter mortẽ immittit, qui aliis scandalo aliquando fuerunt, t. 2 c. 22. num. 111. & sequent.

Ruina his certiùs imminet, qui Diuinam iram aliis culpis lacessunt, t. 2. c. 21. n. 81.

Cum Deus solus sit maximus rerum omnium formator, ac conditor, eius est peccata vlcisci, & iustas de transgressoribus pœnas exposcere, t. 2. c. 27. n. 76.

In festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Ioan. 15.

CElebratur festum SS. Apostolorum, qui vocationem suam, & Ecclesiam sanctam ardenti Charitatis igne flagrantes, plurimùm illustrarunt, séque & aduersa omnia, in Christi Charitate deuicerunt: Quorum exemplo, de Christiana perfectione hic disserendum. Vide Dominica 6. post Trinit.

In festo omnium Sanctorum.

Videns Iesus turbas ascendit in montem. Matth. 5.

C*Redimus* Ecclesiam esse duplicem, triumphantem, & militantẽ, vtrobique sunt Sancti, & Beati, sed illic regnantes in patria; hic militãtes, & in via, seu transitu peregrinantes: Octo beatitudines Saluator enumerat, ex quibus primam, de paupertate selegimus, & aliqua notabimus; præmisso priùs, quomodo cœlum sit venale.

Quomodo cœlum dicatur venale, & quod sit pretium illius? t. 1. c. 3. n. 94. & seq.

Cœlum Empireum sedes Dei, & Beatorum dicitur, t. 1. c. 8. n. 344.

Paupertas comparatur cursori bono, & malo, t. 1. c. 5. n. 74.

Nihil liberius libera paupertate, immunis est enim ab omnibus afflictionibus, & angoribus, t. 2. cap. 10. n. 275.

Quid causæ quod Christus, his qui paupertatem amplexi sunt, sedes ad iudicandum pollicetur in die iudicii? t. 1. c. 11. n. 19.

Cur Deus pauperes diuitibus præfert? t. 1. c. 14. n. 86.

...àm m...dicus, t. 1.

Nulla expressior Dei imago, qu... c. 14. n. 134.

Pauperes qui spontè paupertatem elege...runt, eam ...satis Dei sufficientiam imitantur, per quam sibi ... est, & nullo indiget, ibid. n. 135.

Quænam sit differentia inter pauperem sua conditione contentum, & eum qui paupertatem ægrè fert, t. 1. c. 15. n. 64. & t. 2. c. 30. n. 83. & seq.

Nullus verè beatus in hoc mundo dicitur, nisi pauper sua conditione contentus, tom. 1. cap. 15. num. 61.

Deus plerumque ex beneuolentia amicis paupertatem immittit, ibid. n. 81.

Cætera de paupertate vide feria 2. post Dominic. 1. Quadragesimæ. Et feria 5. post Domin. 2. Quadragesimæ.

In festo S. Martini.

Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit. Luc. 11.

L*Audatur* D. Martinus, tum à dignitate sacerdotali, qua summo cum Ecclesiæ fructu Episcopus functus est, tum à vitæ sanctitate, qua à pueritia insigniter excelluit, & lumen lucernaque hominibus extitit, omnes suas actiones oculo ... id est, intentione recta illustrans, & cohonestans, ad Dei Omnipotentis laudem, & honorem, fidei propagationem, fideliumquę salutem dirigendo: Et licet in Euangelio oculus mysticus sit, nos de oculo corporali pauca ponemus: si verò ab exemplo hui' liberalissimi viri, de liberalitate, & eleemosynarũ largitione aliquid velis inferre, vide in die Epiphaniæ. Et Dom. in Septuag. & feria 6 post Cineres. Et feria 2. post Dom. 1. Quadrages. & in festo S. Paschæ, & Dom. 7. & 18. post Trinit.

Oculi multùm moderandi atque regendi sunt, t. 1. c. 4. n. 211.

Quid significet nutus oculorum, & quibus tribuatur? t. 1. c. 6. n. ·01. & seq.

Oculi sublimes sunt despectores, & Deo ingrati, ibid. n. 110.

Extollentia oculorum sæpe fastum, & temerariam confidentiam significat, tom. 2, cap. 20. num. 20. & seq.

Cur oculi in oculos intuentes, luxuriam excitare soleant? t. 1. c. 6. n. 157.

Oculi interiorum affectionum interim indices. t. 1. c. 10. n. 149.

Nictantes oculi multa significant, ibidem num. 150.

Aliquando significant lasciuiam, aliquando irrisionem, aliquando stultitiam, aliquando superbiam, aliquando adulationem, seu assentationem, & fraudulentiam, tom. 1. cap. 10. num. 151. 154. 155. & 161.

Oculi attoniti admirationis, stuporis, & distractionis indices, t. 1. c. 16. n. 120.

In festo S. Catharinæ Virginis, & Martyris.

Simile est regnum cœlorum decem virginibus, Matth. 25.

I*Nter alias* Virgines, quas sancta Ecclesia colit, & fidelibus imitandas proponit, Sancta Catharina multùm

F I N I S.